Sala R
Gab.
Est.
Tab. 22
N.° 19

R
22
19

Liur. est. 5. N. 03

QUÆSTIONES SINGULARES, EXPERIMENTALES, ET PRACTICÆ PER QUATUOR DISPUTATIONES DISTRIBUTÆ.

Prima continet quæstiones singulares de Sacramentis. Secunda quæstiones de Missis, Capellanijs, & Legatis: Tertia quæstiones de Censuris, Irregularitatibus, & Simonijs: Quarta, quæstiones de Restitutione, & Iustitia.

P. LUDOVICO NOGUEIRA è SOCIETATE JESU,

PROPOSITÆ, ET AB EO RESOLUTÆ.

JUXTA DOCTRINAM SACRÆ THEOLOGIÆ, Sacr. Canonum, Ordinationum Regni Portugalliæ, & legum Imperialium.

SALVO SEMPER MELIORI JUDICIO, ET SUB CENSURA.

REVERENDISSIMO PATRI, AC SAPIENTISSIMO DOCTORI

FR. JOSEPHO DE CARVALHO,

E CARMELITANA FAMILIA IN COLLIMBRIENSI ACADEMIA Primario Sacræ Theologiæ Professori: Ejusdemque non semel Vice-Rectori, &c.

Do Collegio de S. Jozeph dos Carmelitas dos Calsos de Coimbra

UNIVERSIDADE LIVRARIA DA

CONIMBRICÆ:
Ex Officina, JOANNIS ANTUNES, ac sumptibus.
Anno Domini M. DC. XCVIII.
Cum Superiorum Permissu.

QUÆSTIONES SINGULARES, EXPERIMENTALES, ET PRACTICÆ PER QUATUOR DISPUTATIONES DISTRIBUTÆ.

Prima continet quæstiones singulares de Sacramentis. Secunda quæstiones de Missis, Capellanijs, & Legatis: Tertia quæstiones de Censuris, Irregularitatibus, & Simonijs: Quarta, quæstiones de Restitutione, & Iustitia.

P. LUDOVICO BOGUEIRA SOCIETATE JESU,

PROPOSITÆ, ET AB EO RESOLUTÆ.

JUXTA DOCTRINAM SACRÆ THEOLOGIÆ, Sacr. Canonum, Ordinationum Regni Portugalliæ, & legum Imperialium.

SALVO SEMPER MELIORI JUDICIO, ET SUB CENSURA.

REVERENDISSIMO PATRI, AC SAPIENTISSIMO DOCTORI

PR. JOSEPHO DE CARVALHO,

E CARMELITANA FAMILIA IN COLLIMBRIENSI ACADEMIA Primario Sacræ Theologiæ Professori: Ejusdemque non semel Vice-Rectori, &c.

CONIMBRICÆ

Ex Officina, JOANNIS ANTUNES, ac sumptibus,

Anno Domini M. DC. XCVIII.

Cum Superiorum Permissu.

REVERENDISSIMO, AC SAPIENTISSIMO

PATRI DOCTORI

FR. JOSEPHO DE CARVALHO

EX CARMELITANA FAMILIA IN COLLIMBRIensi Academia Sacræ Theologiæ Professori Parimario, ejusdem Academiæ non semel Vice-Rectori: ad maiora dignitatum culmina desideratissimo,

D. V. C.

NUNCUPATIO.

EXeunt in Lucem, Reverende Pater, *Quæstiones Singulares, Experimentales, & Practicæ, Authore R. P. Ludovico Nogueyra Societatis IESU. Huic Operi Posthumo jam, & demortui Authoris vivæ imagini, ut faveas ipse, & favoris publici viam diu satis nota humanitate aperias, facile poteris exorari: Cum enim hic de Moralibus Quæstionibus agatur; à Te, qui morum Canon, & regula es, Lucem fænerari cupit Moralis Theologia. Tuo nixus patrocinio, & Te censore, à nemine reprehendi, taxarivè poterit; Liber noster imò ab omnibus Laudari, & assidua versari studio continget; quem enim Latet te omnium morum Ideam esse, & exemplar; quo fiet, ut dum Morales quæstiones legunt; auream virtutis tuæ indolem, & genium intueantur. Legent profecto typis mandata prudentiæ tuæ insignia documenta; qua in discutiendis gravissimarum rerum negotijs cæteros præis non minus loco, quam consilijs. Legent constantiam, qua oppositas vel Religioni, vel veritati machinas evertis, & eliminas; Legent oris eloquentiam, quâ concionatoris munus ita expleviſti, ut à tuo penderent eloquio aurita populorum examina: Quos fructus non edidit suavissima quercus? Legent præclaram illam, ac pene divinam dicendi methodum, qua te in omnium animos insinuas, vel concionatoris personam sustineas, vel Magistri. Legent insignem illam ingenij tui vim, & acrimoniam, qua Theologiæ arcana, & abdita quæque ita rimaris, ita nodos solvis, ut à rudioribus etiam addisci possit. Legent denique virum omnigenæ sapientiæ, & virtutis splendore absolutissimum; nec aliud ingerent Sæpius paginæ, quàm tui nominis dotes, in quo omnia ad æternitatem famæ conspirant: Sed quid mirum; eo enim Parente nimiruu Elia es genitus, qui in Te duplicem Spiritum transmisisse videatur. Tali scilicet auctore inseri debuit tibi virtus, & ad gloriæ successionem cupiditas in generari.*

Magnæ hæc quidem sunt, Reverendissime Pater, laudes tuæ; adhuc tamen intactum prætereo, quod in tuis præconijs potissimum supreminet; nempe quod Litterariæ Reipublicæ caput sis, & primarius Magister; ad hanc enim loci præstantiam te evexit ingenij sublimitas. Igitur litteris faveas oro; Tu patronus litterarum, omnes amabis; sed hic potissimum liber à Tua dignitate expectat favorem: præcipue cum erga me ita sis animatus, ut hoc beneficium facilè à Te exorari posse existimem Deum optimum Maximum precor, ut vitam tuam ad Academiæ ornamentum, Sacræ Carmelitanæ familiæ splendorem diu sospitet.

Tuus ex Asse

JOANNES ANTUNES.

REVERENDISSIMO, AC SAPIENTISSIMO

PATRI DOCTORI

FR. JOSEPHO DE CARVALHO

EX CARMELITANA FAMILIA IN COLLIMBRIENSI Academia Sacræ Theologiæ Professori Parimario, ejusdem Academiæ non semel Vice-Rectori: ad maiora dignitatum culmina desideratissimo,

D. N. C.

NUNCUPATIO.

Exeunt in Lucem, Reverende Pater, Quæstiones Singulares, Experimentales, & Practicæ, Authore R. P. Ludovico Nogueira Societatis JESU. Huic Operi Festinimo jam, & demortui Authoris vivæ imagini, ut jaceat ipse, & favoris publici viam dia satis nota humanitate aperias; facile poterat exorari: Cum enim hic de Moralibus Quæstionibus agatur; à Te, qui morum Canon, & regula es, Lucem sæpe ac cupit Moralis Theologia. Tuo nixus patrocinio, & Te censore, à nemine reprehendi, tacitus poterit. Liber noster imo ab omnibus Laudari, & assidua versari studio commigeri; quæ enim Laici te omnium morum Ideam esse, & exemplar, quo fiet, ut ausu Morales quæstiones legent; atque virtutis tuæ indolem, & genium intueantur. Legent profecto typis mandata prudentiæ tuæ insigna documenta, quæ in discutiendis gravissimarum rerum negotiis cæteros præs non minus loco, quam consiliis. Legent constantiam, qua opposita pro Religione, vel veritati machinas evertis, & eliminas; Legent oris eloquentiam, qua concionatoris munus ita explevisti, ut à tuo penderent eloquio aurita populorum examina: Quos si ætas non eddit suavissima quercus! Legent præclaram illam, ac pene divinam dicendi methodum, qua te in omnium animos insinuas, vel concionatoris personam sustineas, vel Magistri. Legent indignem illam ingenij tui vim, & acrimoniam, qua Theologiæ arcana, & abstrusa quæque ita rimaris, ita nodos solvis, ut à rudioribus etiam addisci possit. Legent denique virum omnigenæ sapientiæ, & virtutis splendore absolutissimum, nec aliud ingerent Sæpius paginæ, quam tui nominis dotes, in quo omnia ad æternitatem famæ conspirant: Sed quid mirum; eo enim Parente minimum Filia es genitus, qui in Te duplicem Spiritum transmisisse videatur. Tali scilicet auctore inferi debuit tibi virtus, & ad gloriæ successionem cupiditas in generari.

Magnæ hæc quidem sunt, Reverendissime Pater, laudes tuæ; adhuc tamen intactum præterea, quod in tuis præconiis potissimum supremum; nempe quod Litterariæ Reipublicæ caput sis, & primarius Magister, ad hanc enim loci præstantiam te evexit ingenij sublimitas. Igitur litteris favens oro; Tu patronus litterarum, omnes amabis, sed hic potissimum liber à Tua dignitate expectat favorem: præcipue cum erga me ita sis animatus, ut hoc beneficium facile à Te exorari posse existimem Deum optimum Maximum precor, ut vitam tuam ad Academiæ ornamentum, Sacræ Carmelitanæ familiæ splendorem diu sospiret.

Tuus ex Asse

JOANNES ANTUNES.

¶ 2



ILLUSTRISSIME DOMINE

EX mandato Illustrissimæ Dominationis vestræ, volumen hoc, quod inscribitur, Quęstiones Singulares, experimentales, & practicæ, à Reverendo admodum Patre Ludovico Nogueira è Sacra Religione Societatis Iesu, eruditè elaboratum, accuratè evolui, avideque perlegi; nec quid in eo inveni ab Orthodoxa fide, morumque institutionibus alienum: verùm comperi sanam doctrinam, Solidis fulcitam fundamentis, multaque ex proprio penu, & Authoris ingenio apprimè elucidata. Sanè opus inspicio variorum casuum perdoctas continens resolutiones, quæ ex multiplici varietate, studioso lectori non solùm proficuæ, sed jucundę erunt. Siquidem in illo Theologorum placita, & utriusque juris sententias, Regiamque Ordinationem ita compaginat, digerit, & illustrat, istaque ita amico fœdere copulantur, ut nil amplius in eo posse desiderari videatur. Ideoque in utilitatem publicam, maximèque Theologiæ moralis professoribus, dignissimum censeo, ut in lucem prodeat. Ulyssipone in Conventu Sancti Dominici die 10. Septembris 1693.

Fr. Augustinus a Sancto Thoma.

ILLUSTRISSIME, AC REVERENDISSIME Domine.

JUssa Exequens illustrissimæ Dominationis vestræ, opus, cui inscriptio est, Quæstiones singulares experimentales, & practicæ, à Reverendo admodum Patre Ludovico Nogueira è Societate Jesu elaboratum, alacri animo, atque in offenso pede percurri, nihil que in eo Divinæ Scripturę dissonum, nihil sanctæ fidei adversum, nihil Ecclesiæ Catholicæ, sanctionibus pontificijs, bonisve moribus oppositum deprehendi. Quin potius, ut opinor, omnibus recte judicantibus, haud exiguę admirationi Author erit, vir sane felicis, ac feracis ingenij, fœcundi, ac profundi judicij, qui scilicet vix uno, ipsoque egregio de bulla cruciatæ pro regno Portugalliæ, è typis volumine avulso, alterum æqualis certè perfectionis, & utilitatis, in quo multæ, eæque gravissimæ de Theologia morali difficultates discutiuntur & illustrantur, quàm primum in lucem edere, ac prælo mandare nititur. Opus, dubio procul, magno labore, indefesso studio, multisque vigilijs confectum, atque ratione methodi, facilitate styli, opinionum electione, sententiarum pondere, ac matura disquisitione clarissimum. Quod propterea, non modo luce typographica, sed omnium plausu, & commendatione dignissimum censeo. Hæc mea, mens, hoc judicium, salvo semper meliori. Ulyssipone in cœnobio S. Eligij 16 Novembris anno Domini 1693.

M. Franciscus a Sancta Maria.

LICENC,AS DO S. OFFICIO

VIstas as Informaçoens, podese imprimir o livro, cujo titulo he questoens singulares de Sacramentis, &c. Autor o P. Luis Nogueira da Companhia de Jesus, & a Dedicatoria, & depois de impressos, tornaraõ pera se conferir, & dar licença que corraõ, & sem ella nam correraõ Lisboa 9. de Março de 1694. *Pimenta Noronha Castro Foyos Azevedo.*

LICENC,AS DO ORDINARIO

VIsta a approvaçaõ do S. Officio damos licença pera se poder imprimir este livro Coimbra 23. de Fevereyro de 1695.

J Bispo Conde.

LICENC,AS DO PASSO

DE mandato Supremi Regij tribunalis accurate legi, ac revidi hunc librum continentem Quæstiones Singulares, & practicas, quæ varijs in Casibus Reverendo, ac Sap. P. M. Ludovico Nogueyra religiosissimæ pariterque doctissimæ Societatis Iesu propositę fuerunt, & ab eo secundum saniorem scriptorum doctrinam resolutæ; librum, inquam, non solum moralis Theologiæ professoribus, sed utriusque juris Consultoribus ac judicibus perutilissimum; nec trepidabo illum dicere summariam bibliothecam; in illo enim, quę per alias aliorum studia tradiderũt indefessus hujus Autoris labor conjuncta proponit; librum sane sumet grandem, qui hunc legerit, & sibi sumpserit librum, nec alio quoad propositas quęstiones indigebit Consultore, nam & si teste claudio *Consultor ille tibi sit, qui sapit*, autoris sapientiam satis superque editus per ipsum in publicam lucem de bulla Cruciatæ accuratissimus liber Comprobaret, ni tot alia extarent ad illum recurrentium pro dissolvendis conscientię nodis testimonia: Quare, & quia nihil regijs sanctionibus dissonum tradit, dignissimum judico postulata facultate, ut prælo ad communem legentium utilitatem mandari possit. Hoc meum judicium. Ulysipone in Conventu Deiparæ de Monte Carmelo die 11. Martij 1695.

Fr. Thomàs A Conceptione.

QUe se possa imprimir, vistas as licenças do S. Officio, & ordinario, & informaçaõ, que se mandou tomar, & depois de impresso tornarà a meza pera se conferir, & taxar, & sem isso naõ correrà Lisboa 12. de Abril de 1693.

M. P. Ribeyro Marchaõ Azevedo.

LICENC,A DO PRELADO.

EGO Sebaſtianus de Magalhaens, Præpoſitus Provincialis Societatis JESU in Provincia Luſitana, factâ ad id nobis poteſtate ab admodum R. P. N. Thyrſo Gonzales Præpoſito generali, concedimus, ut liber inſcriptus, *Quæſtiones Singulares, Experimentales, & Practicæ.* Authore P. LUDOVICO NOGUEIRA ejuſdem Societatis, Moralis Theologiæ profeſſore, noſtratiumque gravium, ac doctorum hominum judicio approbatus, typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Ulyſſipone 30. Iunij anno 1693.

SEBASTIANUS DE MAGALHAENS.

VISTO eſtar conforme com ſeu original, pode correr. Lisboa 26. de Septembro de 698.

Caſtro. Foyos. Denis. Joaõ Carneiro. Monis. Fr. Gonçalo.

TAXAM eſte Livro em mil, & duzentos reis. Lisboa 28. de Septembro de 1698.

Ribeyro. *Oliveira.*

AD LECTOREM.

EXPOSITIONEM Bullæ Cruciatæ huic Portugalliæ Regno propriè, ac specialitèr indultæ, a nullo scriptore ex professo dilucidatæ, simul ac in lucem edidi: id statim ipse mecum agitavi, ut qui annos ultra triginta Theologiæ moralis professorem egeram, non nullas earum quæstiones, de quibus passim interrogatus fui, resolvi, typis aliquando mandarem. Has hujusmodi quæstiones *Singulares* libuit nuncupare: tametsi enim illarum decisiones à communibus Doctorum sententijs non dissentiant; tamen propter specialem rerum circunstantium occursum, modumque, quem propositæ nobis, objectæque præferebant, *Singulares* proculdubio inscribi possunt. Atque, ut res distinctè, ordinateque procedat, materies omnis in quatuor Disputationes est dispertita: Quarum Prima, eas tantum Quæstiones complectitur, quæ ad materiam de Sacramentis spectant. Secunda de Missis agit, Cappellanijs, & legatis ad eas attinentibus. Tertia de Censuris Pœnis Ecclesiasticis, & Simonijs. Quarta denique, cæteris aliquanto longior, de ijs, quæ ad Iustitiam, ac Restitutionem pertinent, Quæstionibus. Constitueram præterea, Quintam Miscellaniam ex quàm plurimis alijs Quæstionibus concinnare. Cæterum, ne voluminis moles, ac corpus gigantis staturam excederet, à proposito desistere operæ pretium duxi. In quavis harum Disputationum permulta lectori occursabunt, ex quibus non mediocrem capiet voluptatem. Eos quippe deprehendet, qui usu passim veniunt, conscientiæ casus: Et quid unicuique respondendum sit [quod maximè jucundum est interrogantibus] in promptu habebit. Illud etiam velim per noscatur, omnes, quas inculcamus resolutiones, tùm Sacrosanctę Theologiæ, tum Sacrorum Canonum decretis, ac legibus Cæsarijs, specialibusque, & proprijs hujus Lusitaniæ Regni Ordinationibus planè congruere. Itaque ijs præsertim sententijs, atque assertionibus insisto, quas rationi maximè concinentes, & in foro [quòd aiunt] conscientiæ in primis tutas judicari. Et quamvis extra præscriptos Theologo fines evagari videar; attamen, quid potissimum in foro externo complectendum sit, haud quaquam prætermitto. Iurisconsultis licèt honorem ubique habeam, ac reverentiam; nihilominus eorum placitis, & opinionibus non semel minoris habitis [quod alij jam sanè quam multi Theologi factitarunt,] ad illud libentius me confero, ubi veritas clarius afluget. Iam verò, siquid in his lucubrationibus expediens sibi, vel consentaneum, gratumve lector benevolus compererit, Deo ter optimo maximo, à quo ut a nativo, perennique fonte, bonorum omnium fluenta corrivantur, gratias agat immortales: Si minus id omne in Authorem rejiciat, qui non modo suam ipsius sapientioris, cujusque sententiæ post habebit, sed omnium censuræ quamtunvis acri, ac minus pensiculatæ, sponte voluit objacere.

Vale.

INDEX

QUÆSTIONUM SINGULARIUM, QUÆ IN HOC opere continentur, per quatuor disputationes distributarum.

DISPUTATIO PRIMA
De Sacramentis.

Quæst. 1. An Baptismus sub hac forma collatus: *Ego te baptizo cum nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen*, sit reiterandus? p. 1.

Quæst. 2 An pater baptisans proprium filium legitimum in necessitate, aliquibus præsentibus fœminis, peccet mortaliter, & privatus maneat debiti petitione? p. 4.

Quæst 3. An qui invalidè Sacramentum Cõfirmationis suscepit, aliquam incurrerit censuram, sacros ordines suscipiendo; & factus Episcopus peccet mortaliter alios confirmans? p. 6.

Quæst. 4. An Episcopus, aut Capitulum, Sede vacante; sub censura prohibere possit, ne fideles communicent, nisi de octo in octo dies? p. 8.

§. 1. An præceptum, quòd fideles probatæ vitæ, & virtutis frequentius non communicent, nisi octavo die, sit licitum.

§. 2. An saltem negotiatoribus, & conjugatis imponi possit præceptum non communicandi, nisi post octavum diem?

Quæst. 5. An Episcopus prohibere possit fœminis, in quodam Recessu, vulgo *Recolhimento* degentibus, ne sacram communionem in sua Ecclesia recipiant? p. 11.

Quæst. 6. An Prælatus Regularis cujusdam conventus Minorum possit iter agentibus licentiam concedere, ut non obstante constitutione, aliud disponente, possint simplici sacerdoti confiteri; & id ipsum possint absque Prælati licentia; & quis ad hoc munus idoneus censeatur? p. 13.

§. 1. An Prælatus conventus cujusdam Provinciæ Minorum possit suis subditis extra conventum iter agentibus, concedere licentiam, ut confiteantur sacerdoti simplici, quãdo constitutio illis id non concedit.

§. 2. An dicti fratres iter agentes, possint absque Prælati licentia ex vi Concil. Trident. simplici sacerdoti confiteri.

§. 3. Quisnam censeatur idoneus, quando Prælatus licentiam concedit, ut fratres extra monasterium degentes, idoneo confiteantur.

Quæst. 7. An inventâ chartâ ad confessionis præparationem in marsupio cujusdam rei, quo examine à judice legenda, vel non legenda sit, & quomodo ab eo in foro externo procedendum sit? p. 14.

§. 1. An dicto rei teneatur Prætor adhibere fidẽ

§. 2. Quomodo dicta charta sit examinanda, ut illi fides adhibeatur.

§. 3 Compertâ veritate, eam chartam esse ad confessionem conficiendam, in quo foro maneat notitia ab illa habita.

Quæst 8. An confessarij in una Diœcesi approbati, absolvere possint à reservatis in eadem Diœcesi commissis, in loco tamen exempto v. g in monasterio? p. 17.

Quæst. 9. An peccatum reservatum ab ignorante reservationem, commissum, à confessario ordinario absolvi possit? p. 19.

Quæst 10 An indulgentia Porciunculæ in Ecclesijs Monialium S Francisci lucrari possit, si in eo oppido, seu civitate dentur Ecclesiæ Minorum? p 20.

§. 1. An in Ecclesijs Monialium S. Francisci Porciunculæ indulgentia lucrari possit, si in eo loco sint Monasteria, aut Ecclesiæ Minorum?

§. 2 An datâ aliqua opinione, quòd non lucretur indulgentia Porciunculæ, visitando Ecclesiam Monialium ubi sunt Ecclesiæ Minorum, possit sereniss. Rex illam lucrari, visitando Ecclesiam Monialium do Calvario ex oppido de Alcantara?

§. 3 An indulgentia Portiunculæ lucrari possit, visitando Ecclesiam Fratrum Minorum, aut Monialium S. Francisci, à primis vesperis usque ad noctem secundæ diei Augusti.

Quæst 11 An Episcopus diebus Dominicis, & festivis, ad ordines Minores ultra unum, aut duos promovere possit? p. 25.

Quæst. 12. An vicarius generalis Ordinis S. Ioannis Melitentium dimissorias ad ordines suis subditis possit concedere, & eas admittere teneatur hujus Diœcesis Archiepiscopus, ut ab aliquo in ea ordinentur, si eos ordinare nequeat? p. 25.

INDEX DISPUTATIO I.

§.1. An Vicarius generalis Ordinis Hierosolymitani dimissorias possit concedere.

§.2. An Archiepiscopus cas admittere teneatur ut Sabinus ab aliquo Episcopo in hac Diœcesi ordinetur, si cum ordinare nequeat.

Quæst. 13. An beneficium simplex obtinens cum ordinibus Minoribus ab Abbate Benedictino collatis, sit intrusus, aut habeat titulum validũ, & solùm sit suspensus? p.28.

Quæst. 14. An clericus in Minoribus nominari possit ad quandam dignitatem necessario præsbyteratum requirentem, Breve Apostolicum prope diem expectans ad omnes ordines sacros suscipiendos? pag.29

Quæst. 15. An cum Diacono, per oppositionem reperto inter alios magis idoneo ad Capellaniam Misericordiæ, possit in interstitijs Episcopus dispensare? p.30

Quæst. 16. An obtinens Breve Apostolicum ad ordines suscipiendos, à quocunque hujus Regni Episcopo, possit cum dimissorijs proprij Ordinarij, illos suscipere ab Episcopo alterius Regni? p.31.

Quæst. 17. An beneficiarius ad capellaniam amovibilem suo beneficio annexam, pro titulo ad ordines, clericũ præsentare possit? 31.

§.1. An pro patrimonio sufficiat capellania cũ annuali eleemosyna quinquaginta aureorũ.

§.2. An Casimirus absquo patroni consensu illam facere possit præsentationem.

§.3. An dato, quòd illa capellania non sit perpetua, de consensu patroni, possit Casimirus illam facere præsentationem.

Quæst. 18. An subdiaconus ad titulum capellaniæ ordinatus, onera capellaniæ per alium adimplens, & fructus illius non recipiens, aliquam incurrat suspensionem? p.34.

§.1. An subdiaconus, dum studio juris Canonici dat operam fructus Capellaniæ ad cujus titulum fuit ordinatus, possit alteri dimittere, qui capellaniæ opera adimpleat.

§.2. An dictus subdiaconus alteri dimittendo fructus capellaniæ, dum operam juris Canonici studio dat, aliquam incurrat suspensionem.

Quæst. 19. An ordinatus subdiaconatu, non sine scrupulo, ante ætatem requisitam, illâ adeptâ solemniter cantans Epistolam, incurrerit irregularitatem; deinde malâ fide, ante ætatem legitimam, Diaconatum, & presbyteratum suscipiens, & adeptâ ætate, bonâ fide celebrans, irregularitatem incurrerit? p.35.

§.1. An subdiaconatus cum scrupulo ante legitimam ætatem ordinatus; solemniter jam ætate adeptâ, cantans Epistolam, irregularitatem incurrat.

§.2. An malâ fide suscipiens Præsbyteratum an ante legitimam ætatem, post susceptum Diaconatum eâdem malâ fide, irregularitatem incurrat.

§.3. An celebrans Missam, & alia divina officia, adeptâ jam ad præsbyteratum ætate, bonâ fide, irregularitate innodetur.

§.4. Quis in his irregularitatibus dispensare possit.

Quæst. 20. An obtinens à Sede Apostolica rescriptum, ut tribus diebus festivis ordinari possit, cum errore in Diœcesi Bracharensi, possit non obstante errore, ab officiali Bracharensi expediri? p.39.

Quæst. 21. A quo ordinatus sine titulo, sine dimissorijs, & cum falsificatione cujusdam rescripti, absolvi possit? p.41.

§.1. Quas pœnas incurrit ordinatus sine titulo, sine dimissorijs, & falsificatione rescripti.

§.2. A quo Franciscus ob falsificationem Brevis absolvi possit?

§.3. A quo ab incursis suspensionibus absolvi possit.

Quæst. 22. An rescriptum obtinens Apostolicũ ad sacros ordines tribus diebus festivis suscipiendos, mentito proprio nomine, ut sæcularis judicij forum effugiat, ordines suscipiens, suspensionem incurrat, aut excommunicationem, aut peccatum mortale committat? p.44.

Quæst. 23. An supplicans S. Pontifici pro supplemento ætatis tredecim mensium ad subdiaconatum suscipiendum, & litteras impetrans cum errore, ad suscipiendum Presbyteratum, non obstante errore, possit cum eo errore, subdiaconatum suscipere? p.46.

Quæst. 24. An beneficium curatum obtinens absque animo residendi, & Ecclesiam serviendi, sed tantùm ad ejus titulum ordinandis suspensionem incurrat? p.48.

Quæst. 25. An conjugatus, de licentia uxoris votum castitatis emittentis, ad sacros ordines promotus cum falsis dimissorijs, super suspensiones incursas à Sede Apostolica obtinens absolutionem, seu dispensationem, mentionem non faciens de statu conjugis, subreptitie maneat dispensatus? p.49.

Quæst. 26. An patrimonium cum certis oneribus donatum, ad suscipiendos ordines, sit sufficiens? p.51.

Quæst. 27. An duo, tertio consanguinatis gradu conjuncti, parentes habentes divites, quos cogere non possunt, ad patrimonium, & dotem conferendam, in forma pauperum dispensationem prætendere, possint? p.53.

Quæst. 28. An duo illustrissimæ familiæ secundo consanguinitatis gradu conjuncti, quorũ parentes opulentissimos habent maioratus, illis tamen patrimonium, & dotem competentem conferre nõ valẽtes, dispensationem in forma pauperum, prætendere possint. p.54

Quæst. 29. An fœmina habens ex locatione domus singulis annis quinquaginta ducatos, & immobilibus centum, & quinquaginta, possit in forma pauperum dispensationem petere, ad nubendum consanguineo, æqualem non habens non consanguineum? p.56.

§.1. An

§.1. An Maria dicatur in dotata, & carere dote competente?
§.2. An Maria, & consanguineus in eadem supplica dicere possint se esse verè pauperes.
§.3. An si in litteris Apostolicis dicatur, consanguineum dotis augmentum promisurum, quomodo hæc clausula sit intelligenda.
Quæst. 30. An validum sit matrimonium ex dispensatione in forma pauperum impetrata, cum clausula dotandæ fœminæ, quæ inscia per scripturam falsam fuit dotata, & quomodo matrimonium sit revalidandum? p. 59.
§.1. An matrimonium eo modo initum, sit validum?
§.2. An Episcopus in eo matrimonio invalido dispensare possit.
§.3. An per viam Pœnitentiariæ dispensationem obtinere possint.
§.4 Quod remedium huic matrimonio nulliter contracto adhibendum sit.
Quæst. 31. An exercentes agriculturam, aut aliquam artem mechanicam, in forma pauperum; dispensationem, & petere, & impetrare possint? p. 63.
Quæst. 32. An impetrantes dispensationem in forma pauperum, cùm tales non sint tempore executionis dispensationis, matrimonium validè contrahere possint? p. 63.
§.1. Quo tempore causa dispensationis verificari debeat.
§.2. An causa pro tertio gradu allegata sit sufficiens.
§.3. An ex vi dicti rescripti impetrati, Officialis Diœcesanus dispensationem executioni mandare possit.
Quæst. 33. An valida sit dispensatio, quæ pro causa habuit copulam, quæ habita non fuit, infamia tamen dabatur? p. 66.
Quæst. 34. An copula non consummata in dispensationis petitione declaranda sit? Et utrum Episcopus matrimonium cum impedimento dirimente, & bona fide contractum, dispensare possit? p. 67.
Quæst. 35. An possit Episcopus dispensare in impedimento dirimente occulto, quando matrimonium contractum est, utriusque contrahentis malâ fide, si detur periculum, scandalum, & impotentia adeundi Pontificem? p. 69.
Quæst. 36. An valida sit dispensatio, quando in supplica facta fuit mentio de simplici consanguinitatis gradu, cum esse duplicatus? 70.
§.1. An valida sit dicta dispensatio?
§.2. An dicta consanguinitas ab eodem, aut diversis stipitibus oriatur.
Quæst. 37. An duplex dispensatio cum duplici errore obtenta sit subreptitia? p. 71.
§.1. An expressio falsæ mortis Antoniæ rescriptum vitiet à Dataria obtentum?
§.2. An rescriptum à Pœnitentiaria impetratũ, sit subteptitium, nullâ factâ mentione in libello supplicationis, de alia dispensatione impedimenti, in Dataria obtenta?
§.3. An matrimonium in facie Ecclesiæ celebratum ab Eleutherio, & Maria, sit validum, non expeditâ dispensatione per viam Pœnitentiariæ impetratâ.
§.4. An Episcopus præsente Nuntio, matrimonium illud invalidè contractum, dispensare possit?
§.5. Quomodo se gerere debeat Parochus, vel confessarius in hac, vel simili dispensatione expedienda.
Quæst. 38. An supplicantes à Sacra Pœnitentiaria pro dispensatione criminis adulterij, & fidei ad invicem datæ, contrahendi matrimonium post mortem conjugis, & impetrata cum errore machinationis conjugis mortis, & matrimonij jam in facie Ecclesiæ celebrati, subreptitiam dispensationem obtinuissent? p. 79.
Quæst. 39. An rescriptum à Pœnitentiaria cum errore gradus affinitatis impetratum, sit subreptitium? p. 80.
Quæst. 40. An dispensatio sit nulla, si taceatur matrimonium prævijs denuntiationibus ignoranter cum impedimento fuisset contractum? p. 81.
Quæst. 41. An subdiaconus dispensatus ad contrahendum matrimonium, viduus factus secundas nuptias contrahere possit, & privilegia Militibus Lauretanis sibi concessa, retinere? p. 82.
§.1. Præmittuntur aliqua ad resolutionem præsentis casus.
§.2. An dispensatus ad primam ducendam uxorem, ad ducendam secundam censeatur dispensatus.
§.3. An Hilarion per dictum privilegium Laurentanum retinere possit eas pensiones ultra quantitatem ducentorum ducatorum.
Quæst. 42. An conjugatus, qui non adimplevit pœnitentiam quatuor mensium à Pontifice designatam, validè matrimonium contraxerit; & quid gerere debeat, ut tutus in conscientia maneat? p. 85.
Quæst. 43. An à teste non integro matrimoniũ impediri possit, juramento impedimentum confirmãte? p. 87.
Quæst. 44 An qui votum castitatis absolutum emisit, & ratione illius periculosas patitur infirmitates, possit absque dispensatione uxorem ducere; & cum eo Episcopus dispensare possit? p. 87
§.1. An ijs consideratis causis teneatur Ambrosius ad castitatis observantiam.
§.2. An causæ supradictæ, ad concedendam dispensationem, sint sufficientes.
§.3. An possit Ordinarius in terminis præsentis casus dispensare cum Ambrosio ob mali repetitionis periculum, & ob moras recurrendi ad S. Pontificem?

INDEX DISPUTATIO I.

Quæst. 45. An fœmina ante annum duodecimum voto Religionis, aut in dubio anni duodecimi, emisso, obligetur, & post matrimonium contractum, qui illud irritare, aut dispensare valeant? p. 91.

§. 1. An votum Religionis ante duodecimum, vel in dubio duodecimi emissum fuisset validum, & à parente potuisset irritari.

§ 2. An votum Religionis à Lucia, patrem non habente, emissum ab aliquo irritari possit.

§. 3. An Episcopus, aut Capitulum Sede Vacante dictum votum Religionis irritare possint?

Quæst. 46. An ad matrimonium admitti debeat, quæ in litis actibus firmavit, se habuisse copulam, & in examine libello supplicis, coram officiali Diœcesano cum juramento deposuit, se illam non habuisse? 92.

Quæst. 47. An deflorans fœminam sub promissione matrimonij, & illam in facie Ecclesiæ ducens, & mox Religionem ingrediens, valide, & licitè professionem emittat? p. 93.

§. 1. Resolutio Authoris.

§ 2. Rationes solutæ à doctissimo viro adductæ.

Quæst. 48. An pater filiam suâ legitimâ, maioratu, à se, uxore, & fratre instituto exheredare possit, quia indigno in parva differentia, absque patris consensu, nupsit? 97.

§ 1. An Franciſca ante 25. annum, nubens viro in parva differentia inæquali absque consensu Patris, possit ab eo legitima, post mortem habitura, exhæredari.

§. 2. An Franciſca à patre exheredari possit legitima a matre jam defuncta ante conubiũ, & maioratu obtentu?

Quæst 49. Quo remedio occurrendum est illi, qui bonâ fide in facie Ecclesiæ cum filia matrimonium contraxit, & ex illa aliquos habet filios? p. 99.

§. 1. Quomodo illi matrimonio, remedio opportuno, occurrendum sit?

§ 2. An filij ex eo matrimonio nati legitimi censendi sint?

Quæst. 50. An justus sub pœna excommunicationis, ipso facto, ducere illam, quam certò moraliter scit, esse suam sororem, illam ducere debeat. p. 101.

Quæst. 51. An validum sit matrimonium illius qui illud in utroque foro fatetur, celebrare noluisse? p. 102.

§. 1. An dictum matrimonium fuisset validum.

§. 2. An Franciſcus dictum matrimonium annulare valeat, quamvis procuratoris cõmissionem, revocare non possit?

§. 3. An à Franciſco tali nuptæ alimenta debeantur.

Quæst. 52. Quo remedio occurrendum sit duobus, qui matrimonium in facie Ecclesiæ fictè contraxerunt? p. 104.

Quæst. 53. An latâ sententiâ contra stuprato-rem fœminæ sponte consentientis, ad illam ducendam teneatur in foro conscientiæ stuprator, & etiam in casu, quo ejus pater de illa ab eo ducenda votum emiserit, si stuprator eam virginem non invenit, & scit post latam sententiam rem cum altero habuisse? p. 106.

§. 1. An Felix tam in foro interno, quam externo tenetur Rufinam ducere.

§. 2. An ratione voti à patre emissi, teneatur Felix Rufinam ducere.

Quæst 54. An valide contraxisset cum filia sororis illius, quam sæpius cognovit, illa in congressu seminante, ille verò consulto se retrahens, dubitat tamen, & scrupulis angitur, an aliquando intra vas seminaverit? p. 108.

§. 1. An seminante Antoniâ in congressu, & scrupulante, seu dubitante Ferdinando de sua seminatione intra vas, contracta sit affinitas cum filia sororis Antoniæ.

§. 2. A quo, & quomodo Ferdinandus dispensationem obtinere debeat.

Quæst. 55. An sponsalia valide contracta cum sorore maiori, mutuo consensu dissolvi possint; & dissolutis, possint alia valide cum sorore minori contrahi? p. 110.

§ 1. An sponsalia valida mutuo sponsorum cõsensu dissolvi possint.

§. 2. An tutus in conscientia sit ille, qui ante dictam declarationem, sponsalia cum maiori sorore celebravit, & illis mutuo dissolutis, matrimonium cum minori celebravit.

§. 3. Quando dicta S. Congreg. Declaratiõ obligare incipit.

Quæst. 56. An validum fuisset matrimonium cum ea contractum, cui adulter post plures annos ab adulterio commisso, sic locutus fuit: *Si uxor mea a vivis decedat, & ego alteram, seu aliquam ducturus essem, te solam ducerem?* p. 114.

Quæst. 57. An validum fuisset matrimonium contractum à Paulo cum Ioanna, habente ætatis suæ decem, & circiter novem menses? p. 115.

Quæst. 58 An validum sit matrimonium conjugatorum, qui triennio primò duplicem habuerunt prolem, nunquam vasa fœminæ penetrato, per solam seminis à matrice atractionem? p. 117

§. 1. An dictum matrimonium sit validum.

§. 2. An Praxedis, stante eadem Emmanuelis impotentia, & eventu manentis gravidæ, deinceps cum eo, eodem modo consentire valeat.

Quæst 59. An uxor instituere possit heredem suæ dotis conditionatæ legitimam non excedentis, & maritus ex consilio advocatorum jurare, se eam dotem non recipisse, sub intelligendo, quia fuit titulo compensationis? p. 120.

§ 1. An

§. 1. An maritus tutâ conscientiâ illa quatuor millia ducatorum sibi possit retinere.

§. 2. An maritus potuisset, æquivocatione utens, se non recipisse dotem, subintelligens, quia utebatur titulo compensationis.

Quæst. 60. An filius ex legitimis parentibus Religiosis natus, in illorum bonis succedere valeat. p.123.

§. 1. An filius ex parentibus conjugatis, & Religiosis natus, sit legitimus.

§. 2. An dictus filius in bonis extantibus, & si donatis, sit successurus.

§. 3. Quid circa restitutionem in præsenti casu, sit consulendum.

Quæst.61. An filia nata ante septimum mensem à conjugio matris, dicenda sit filia mariti, aut illius cum quo ante conjugium mater consuetudinem habebat, in occasione dispensationis ad matrimonium illius filiæ? p. 127.

§. Vnico An pro dispensatione possint sponsi ad Nuntium recurrere, omissâ dispensatione Summ. Pontificis pro tertio gradu?

Quæst.62. An Ordinarius Diœcesis Portugallensis possit Diœcesano conimbricensi, ad mortem damnato, ut matrimonium contrahat coram Parocho incarceratorum, & dispensare in denuntiationibus? p.129.

Quæst.63. A quo dispensatio ad petendum debitum pro foro exteriori obtinere debeat? p.131

Quæst. 64. Ad quid teneatur deflorator virginis, serio illi promittens matrimonium, quando illius parentes nolunt, ipsâ volente, matrimonio tradere. p.134.

§. 1. An parentibus filiam suam matrimonio collocare cum Hipolyto recusantibus, ab obligatione contracto, & damno illato in foro conscientiæ maneat Hipolytus liber.

§. 2. Per quantum temporis spatium expectare debet deflorator resolutionem, ut licitè alium possit sumere statum.

Quæst: 65. Aliqua de servorum matrimonijs adducuntur? p. 136.

Quæst.66. An liceat domino vendere servum in Provinciam longicam, aut extra Regnum, cum libera matrimonio conjunctum, absque illius licentia? p.137.

Quæst.67. An liceat domino vendere servum in partem distantem, aut extra Regnum, quando servus duxit servam absque domini licentia? p.138.

Quæst.68. An liceat domino vendere in partes remotas servum matrimonio cum liberâ conjunctum de licentia domini? p.139.

Quæst.69. An liceat domino in partes remotas vendere servum cum serva matrimonio conjunctum, de licentia domini? p.139.

Quæst.70. An dominus possit vendere servum, cui ad ducendam fœminam licentiam concessit, quin illi manifestaret, cum venditurus, ad aliam civitatem, aut locum distantem, ut sibi placuit? Et si hoc fœminæ sit manifestandum? Et an inter liberam, & servam aliqua detur differentia, quæ maiorem, aut minorem causare possit scrupulum? p.139.

Quæst. 71. An dominus sponte suâ possit vendere servum eâ tantum ratione, quia ipse servus illi placere non potuit? p.139.

Quæst.72. An votum peregrinationis Hierosolymitanæ conditionatum, & pœnale ab uxorato sit validum? Et dato, quòd sit, possit per Bullam commutari, & ab uxore irritari? p.140.

Quæst.73. An duo emittens vota Religionis, & castitatis, & à S. Pontifice obtinens dispensationem voti Religionis, tacito voto castitatis, & post expeditum Breve, sæpius voto Religionis repitito, validè vi ipsius Brevis in Religionis voto, dispensari possit. p.141.

Quæstio 74. An Vicarius Generalis Excalceatorum D. Augustini, possessionem habens, nominandi confessarios ad Moniales ejusdem ordinis, possit continuare nominando, ex facta supplica ad S. Sanctitatem per S. Magestatem contra Decretum S. Cc. Congreg. oppositum disponens? p.142.

Quæst.75. Divisio controversiæ inter duos Parochos super dissolutionem obligationis Communis Paschalis cujusdam Parochianæ? p.142.

INDEX DISPUTATIO II.

DISPUTATIO SECUNDA

De Missis, Capellanijs, & Legatis.

QVæst. 1. An peccet mortaliter sacerdos Missam votivam celebrans, diebus Dominicis, Duplicibus, vel quando prohibetur celebrari de Duplici. p. 144.

§. 1. Quid disponat ipsum jus circa Missas votivas.

§. 2. Quibus diebus licitum sit Missas votivas celebrare.

§. 3. Proponuntur aliqua inter DD. controversa circa Missas votivas, & dissolvuntur.

§ 4. An aliquod committatur peccatum ab illo, qui diebus Duplicibus, aut Dominicis Missam votivam celebrat.

§. 5. Iudicium Authoris.

Quæst. 2. Quæ præsentia corporalis, seu physica, & moralis ad auditionem Missæ requiratur? p. 152.

§. 1. Quæ præsentia ad Missam audiendam sit necessaria.

§. 2. An ex fenestra domus, mediante plateâ nõ latâ, atriolo, gradibus & corpore Ecclesiæ ad summum continentibus triginta passus in altari Maiori è regione stante, Missa posset audiri.

§. 3. An ex fenestris domorum civitatis Portugallensis supra muros apparentium è regione villæ Novæ trans fluminem Durium, Missa audiri possit in altari B. Virginis de Pietate villæ Novæ, per sex palmos á terra elevato, & à domibus distante per quinque supra quinquaginta, vel sexaginta passus.

§. 4. An Religiosi, & Moniales ex suis subsellijs Missam audiant, & præcepto satisfaciant, & surgere teneantur, quando hostia, & calix elevantur, ut videant, & Missa audiatur.

Quæst. 3. An Prior, durante suspensione, aut vicarius à Prælato substitutus loco Prioris, ad onera Missarum singulis annis dicenda, teneatur, & in defectum exactor reddituum Ecclesiæ, vulgo *Prioste*. p. 154.

§. 1. Quis teneatur eas Missas celebrare, Prior, aut Vicarius.

§. 2 An in defectu Vicarij, teneatur ad restitutionem illarum Missarum Exactor, vulgo *Prioste* & in defectu hujus, ipse Prior.

Quæst. 4. Quomodo se gerere debeat emptor domus anniversario Missarum obligatæ, celebrãdo à sacerdotibus certæ parochiæ, quod præsenti tempore, obtenuitatem eleemosynæ repudiant, nec datur heres, nec aliquis vellens ad S. Pontificem recurrere pro reductione Missarum ad minorem numerum. p. 157.

§. 1. Ad quæ teneatur Hyacinthus.

§. 2. An heres testatoris, aut illius successores justum stipendium sacerdotibus teneantur conferre.

§. 3. An per alios sacerdotes extra parochiam testatoris, illi tenui eleemosynæ acquiescentes, Missæ anniversarij celebrari queant.

Quæst. 5. An hæres, seu testamentarius eleemosynam Missæ quotidianæ, pro singulis annis, augere teneatur, quando designata à principio tenuis reddita fuit? p. 162

Quæst. 6. An legatarius teneatur onera legati ad implere statim à morte testatoris, aut post aditum legatum in foro conscientiæ? p. 163.

Quæst. 7. An deficiente Missarum stipẽdio duobus capellanis in uno anno, non tamen in sequenti, in quo unus ex duobus defecit, possit stipendium capellani non substituti pro hoc anno, distribui pro illis duobus, in compensationem stipendij, non soluti elapso anno? p. 164.

§. 1. An dictum stipendium unius capellani nõ suffecti, inter duos capellanos, & Rectorem Collegij sit dividendum pro Missis, & fabrica eleemosynæ non solutæ, aut potius sit dividendum pro pluribus sacerdotibus, qui maxima cum brevitate, Missas capellani nõ suffecti celebrent.

§. 2. An Missæ non celebratæ à non suffecto capellano, ut per plures breviter celebrentur, Episcopi authoritas requiratur.

Quæst. 8. An in Missis, & illarum anniversarijs præscriptio dari possit? p. 167

Quæst. 9. An Parochus teneatur offerre, & applicare Missam pro suis ovibus, à quibus decimas, vel stipendium recipit pro illis diebus, quibus coram ipsis celebrare debet? p. 170.

§. Vnic. An sententia asserens, teneri Parochum Missas offerre pro parochianis in illis diebus, quibus eas tenentur audire, excusentur tempore ægritudinis ab eo onere?

Quæst. 10. An tertium bonorum à viro suæ uxori relictum, onec nubat, cum onere Missarum, sit post illius uxoris mortem inter filios dividendum, aut potius successura sit filia à testatore vocata, sicut ad bona maioratus; & in eo succedatur per lineam rectam? p. 173.

Quæst. 11. An valida sit altaris privilegiati impetratio, quando in nomine Ecclesiæ commissus est error? p. 175.

Quæst. 12.

Quæst. 12. An habens privilegium habendi oratorium in domo suæ habitationis, possit illud habere in civitate, villa, & oppido natalis suæ uxoris; in quibus locis habitat diverso tempore, & anno? p. 175.

Quæst. 13. An supplicans S. Pontifici pro oratorio habendo in suæ habitationis domo, nullo designato oppido, in Brevi tamen designatū est oppidum, in quo non habitat, potestne habere oratorium in domo suæ habitationis, extra oppidum designatum? p. 177.

Quæst. 14 An Patronus in Ecclesia sui Patronatus, ædificare possit capellam absque Episcopi licentia? p. 179.

Quæst. 15. An capella instituta à duabus sororibus in testamento in eadem charta condito, à superstite potuisset revocari per donationem, quæ etiam revocatæ fuit; & potuisset pater revocati donare filio ea bona, quorum possessionem adhuc nō habebat? p. 179.

Quæst. 16. An bona alicui Religiosorum conventui relicta, ut duæ Missæ singulis diebus in perpetuum celebrentur, & aliqua fiant opera pia in maximam utilitatem spiritualem & commoditatem cujusdam oppidi, dicantur bona maioratus, Capellæ, aut hereditatis? p. 180.

§. 1. An bona à testatrice relicta, dicenda sint maioratus.

§. 2. An ea bona relicta, dicenda sint capella?

§. 3. An ea bona relicta dicenda sint hereditas, aut fideicommissum.

Quæst. 17. An capellæ administrator teneatur facere, quòd capellani institutoris in eadem capella ab institutore designata, & in qua est illius corpus sepultum, celebrent, repugnante mōniali æditua, dicente, dari præscriptionem, ne eædem Missæ in ea celebrentur capellæ? p. 184.

Quæst. 18. An capellanus institutoris capellaniæ consanguineus, à loco, in quo habitat, à capella distans per leucam cum dimidia, possit in suo oppido eas Missas celebrare? p. 186.

§. 1. An Episcopus cum dicto capellano dispensare possit, ut in Ecclesia sui oppidi Missas capellaniæ celebret.

§. 2. An præcisâ Episcopi licentiâ possit dictus capellanus Missas capellaniæ in Ecclesia sui proprij oppidi celebrare.

§. 3. Quis teneatur ornamenta, & cætera requisita conferre, ut Missæ capellaniæ in loco designato ab institutore celebrentur.

Quæst. 19. An capellanus omittens celebrare Missas in capella designata interdicta, potens illas in loco non interdicto celebrare, ad restitutionem Missarum omissarum teneatur? p. 189.

Quæst. 20. An administrator capellaniæ, residuo bonorum fundatoris uti possit, quando residuum ex dispositione fundatoris deposito tradendum erat, vel in bonis immobilibus investiendum? p. 191.

§. 1. Quid convenientius, habere residuum in deposito, aut illud in bonis liberis investire?

§. 2. An cum eo residuo in deposito habito, emi possit census ad rationem juris, aut bona immobilia.

§. 3. An illud residuum possit tradi ad rationem census, ut hujus Regni habet praxis, & conventui interesse comparari.

§. 4 An potuerit administrator emptionem oliveti rescindere, & pretium deposito restituere.

Quæst. 21. An nominatus ad capellaniam cum potestate nominandi filium, aut filiam, & determinate filium clericum, si eum habuerit; filios non habens, potest nominare consanguineum ex familia, non obstante, quòd habeat fratres, & etiam non obstante codicillari, quòd nominetur masculus; fœminam possit nominare? p. 195.

§. 1. An non obstante, quod Lucas sacerdos fratres habeat, & ex illis nepotes; nominare possit alium consanguineum ex linea institutricis, & si in ea sit clericus, teneatur illum nominare.

§. 2. An si clericus lineæ institutricis a Luca non nominetur, si apud judicem administrationem contendere possit.

Quæst. 22 An per apprehensionem possessionis bonorum capellæ liberæ nominationis aliquod jus acquisierit consanguineus institutoris ex titulo maioratus? p. 197.

§ 1 Quis succedere debeat in dicta capella, soror administratoris capellæ, nullam habens cum institutore cognationem, aut filius Hilarionis institutoris, consanguineus proximioris.

§. 2. An filius Hilarionis pro se habeat, aut habere possit aliquam probabilitatem ex capta possessione, aut ex compositione facta cum sore defuncti sponte, & absque vi consentiente.

§. 3. Ad quam restitutionem teneatur filius Hilarionis, ut securus maneat in cōscientia?

Quæst. 23. An possint institui administratores Capellæ Diaconi, & Præsbyteri consanguinei in proximioribus in perpetum? 202.

§ 1. An administratio capellæ in Diaconis, & & Presbyteris in perpetuum facta sit valida?

§. 2. An clericus dictæ capellæ administrator cum sæculare, consanguineo proximiori pactum aliquod sibi utile in foro conscientiæ inire possit, administrationem in illo substituens.

Quæst. 24. An administrator capellæ teneatur ad omnia illius onera in institutione posita, pro tempore, quo ea capella, authoritate Ordinatij loco parochialis inservit, & expendenda in ijs oneribus, teneatur in alijs pijs operibus insumere, & cujus authoritate? 204.

§. 1. An administrator pro tempore, quo sacellum habetur pro Ecclesia parochiali, teneatur in illo habere eremitā, aut eremitidem?

INDEX DISPUTATIO II.

§.2. An administrator pro præsenti statu capellæ, teneatur ad vinum ceram, oleum pro lampade, & paramenta pro omnibus Missis ibi celebrandis, aut ad horum valorem in alijs operibus pijs in sumendum, & qua authoritate?

§. 3. In quibus dos capellæ expendenda sit.

§. 4. An administrator harum obligationum satisfactionem suæ uxori committere possit.

Quæst.25. An datâ mutatione in augmento, & decremento reddituum capellaniæ, & in numero Missarum celebrandarum quomodo capellaniæ sit satisfaciendum, & administratori damnum patienti? p. 208.

§.1. An administrator dato incremento in redditibus fundi, Religiosis teneatur dare sex modios juxta dispositionem testatoris?

§. 2. Quinam administrator, aut Religiosi teneantur Missas omissas tempore, quo fundus fructus designatos non tulit, satisfacere.

§.3. An illi centum, & quinquaginta aurei ex muleta Provisoris vallarum per administratorem insumpti, solvi debeant à legatarijs ex reparatione fundi, utilitatem, & commodũ reportantibus.

§.4. An administrator ex salario à testatore sibi relicto, ad impensam pro rata teneatur, dum facta fuit pro utilitate & commoditate fundi.

§ 5 An administrator possit se compensare pro parte mulctæ non sibi satisfactæ pro utilitate unius modij magni, & salario in illo incremento de novo, quæ per multos annos obtinere non potuit?

§. 6. Quæ eleemosyna septenis Missis sit designanda administratori, legatario unius modis magni a testatore impositis? Et quid de incremento fundi pauperibus relicto.

Quæst 26. An dispositio tertij bonorum commissa testamentariorum arbitrio, sit valida, & in operibus expendenda, aut ex illis bonis institui possit capellania? p. 217

§ 1. An validum sit testamentum, in quo testator heredes suos neptes in suis tantùm legitimis instituit, & de suo tertio bonorum disposuit ad arbitrium suorum executorum?

§.2. An executores possint partem aliquam ex tertio bonorum nepotibus testatoris tradere, an verò ea omnia bona in operibus pijs expendere teneantur.

§.3. An in ijs tertij bonis executores capellam instituere possint cum onere, singulis hebdomadibus in perpetuum certas, & determinatas Missas celebrandi pro anima testatoris.

Quæst. 27. An testator in suo testamento jubens bona sua in operibus pijs erogari per suum executorem, si alius per se ipsum illa eroget, peccet mortaliter, & teneatur ad restitutionem? p.219.

Quæst.28. An legatum viduis honestis relictũ, distribui possit pro fœminis consanguineis testatoris, vitam cælibem agentibus, aut saltem ex dispensatione. p.220

§ 1 An legatum centum mensurarum tritici viduis honestis relictum distribui possit pro fœminis testatoris consanguineis, vitam cælilem agentibus.

§.2. An dispensatio possit, quòd legatum viduis honestis redictum, distribuatur pro fœminis testatoris consanguineis.

Quæst. 29. An fructus pendentes in vinea legata tempore mortis testatoris sint heredis, aut legatariorum? p.222.

Quæst.30. An lucrum pecuniæ datæ ad rationem census, & modius magnus tritici ex venditione de retro, pertineant ad heredem aut legatarios? p.223.

Quæst.31. An legatum sub conditione nubendi, & expresse non ingrediendi Religionem relictum, amittatur dato Religionis ingressu. p.224.

Quæst. 32. An legatum orphænis maritandis relictum, dari possit existenti extra domicilium testatoris. p.226.

Quæst 33. An administratrix bonorum cujusdam testatricis tuta in conscientia maneat, per condonationem sibi factam à mercenarijs; Et illas à mercenarijs, quando libuerit, removere possit; Et illarum portiones, & capellani, authoritate Episcopi ad minores reducere. p.227.

§.1. An administratrix per condonationes factas à mercenarijs tuta in conscientia maneat.

§ 2. An pro suo libito absque causa mercenarias à mercenarijs depellere possit.

§.3. An authoritate Episcopi, tam capellani, quàm mercenariarum legatum ad minus reducere possit.

DISPU-

DISPUTATIO TERTIA

De Censuris, Pænis Ecclesiasticis, & Simonia.

Quæst. 1. An virtute Bullæ Cruciatæ Lusitaniæ concessæ, in foro externo cēsuræ à jure latæ absolvi possint? 231.

Quæst 2. An nobilis vir ex actionibus parum reverenter exercitis in suum Prælatum, excommunicationem incurrerit; Et potuerit Vicarius generalis illum excommunicatum declarare?

§. 1. An vir nobilis consternans Episcopum sylvis incumbere, & à pulvere per equum excitatum inferens in compositionem, incurrerit excommunicationem.

§. 2. An Vicarius Generalis ipsius Episcopi virum illum nobilem potuerit excommunicatum declarare, & mulctis afficere.

Quæst. 3. An requiratur sententia judicis, ut publicus clerici percussor vitetur; & sufficiat sententia judicis sæcularis illum condemnantis, ut vitandus. p. 235.

§. 1. An Clemens notorius clerici homicida sit vitandus ante ullam sententiam.

§. 2. An Clemens sit vitandus post latam sententiam à senatoribus sæcularibus.

Quæst. 4. An sacerdos coram pluribus in Ecclesia, clericum in Minoribus percutiens, non habentem conditiones à Trident. requisitas, excommunicationem incurrerit? p. 236.

§. 1. An pugno clericum in minoribus percutiens, requisita à Tridentino non habentem excommunicationem incurrerit.

§ 2. An sacerdos in Ecclesia coram pluribus clericum in Minoribus pugno percutiens, peccet mortaliter.

§. 3. A quo dictus sacerdos absolvi possit.

Quæst. 5. An advocatus ex vi monitorij manifestare teneatur suum clientem testamentū habere, quod illi sublecreto naturali, & juramento manifestavit? p. 239.

Quæst. 6. An Vicarius cujusdam parochialis validè declarasset excommunicatum sacerdotem, sciens, illum deliquisse contra statutum ejusdem Ecclesiæ, in quo transgressoribus erat imposita, ipso facto, excommunicatio? p. 240.

Quæst. 7. An appellatio excommunicationis à Iudice Ecclesiastico latæ, & in effectu suspensivo non recepta, & per gravamen ad Regium tribunal interpositum, censeatur excommunicatio suspensa? p. 241.

§. 1. An Philippus per appellationem interpositam, & gravamen ad Regium tribunal, suspensus maneat ab excommunicatione?

§. 2. An licitum sit gravamen ad Regium tribunal interponere, ut compellat judicem Ecclesiasticum, ut cesset ab inferenda vi & violentia manifesta.

§ 3. An judices Regiæ coronæ Ecclesiasticos cogere possint, ut censuras tollant, vel excommunicatos absolvant.

§ 4. An judices Regiæ Coronæ suis subditis jubere queant, ne vitent excommunicatum vel pro excommunicato habeant?

Quæst. 8. An sacerdos suspensus ob susceptos ordines cum falsis dimissorijs, denuntiatus, & punitus exilio in Indiam Orientalem ibique ab Archiepiscopo, virtute Bullæ, & authoritate propria absolutus, & reversus ad Regnum, iterum punitus, validè fuisset absolutus, & impunis relinquendus. 244.

§. 1 Aliqua claritatis gratiâ ad resolutionem supponuntur.

§ 2 An Cælestinus virtute Bullæ Cruciatæ à suspensione incursa ob ordines susceptos cū dimissorijs falsis, pro utroque foro absolvi possit?

§. 3. An Bullæ privilegio præciso, potuerit Archiepiscopus Goanus pro foro externo dictum sacerdotem ab ea suspensione absolvere.

§. 4 An sacerdos Cælestinus irregularitatem ministrando actus ordinis incurrerit? Et Prælatus latoris exilij successor dictas absolutiones pro bonis teneatur.

Quæst. 9. An per sententiam in genere suspensus, interpositâ appellatione, possit omnia sua Prioris munia exercere? p. 249.

§. 1. An Marcellinus per sententiam suspensionis in genere, suspensus manserit ab officio, & beneficio, & quæ agere debeat.

§ 2. An Marcellinus ex appellatione interposita, quæ admissa non fuit, aliqua divina exercere valeat.

Quæst. 10 An tempore interdicti localis specialis à Parochia observati, possit in oratorijs privatis juxta aliam opinionem Missa celebrari? An saltem virtute Bullæ Cruciatæ? p. 252.

§ 1. An in Oratorijs, ijs parochijs existentibus, singulis diebus Missæ celebrari possint juxta opinionem asserentem, illud interdictū esse generale locale, servatis conditionibus *Cap. Alma mater.*

§. 2. An saltem virtute Bullæ Cruciatæ pro eo tempore, celebrari possint Missæ in oratorijs privatis, & alijs Ecclesijs.

Quæst. 11. An Moniales Benedictæ non exemptæ, possint tempore interdicti sive specialis, sive generalis loci, sive Cessationis à divinis cum suis famulabus, & puellis in monasterio causâ educationis degentibus, sumere sacramenta, sepelire defunctas cum mode-

INDEX DISPUTATIO III.

moderationibus *in cap. Alma mater* requisitis? p.254.

§ 1. Quid possint Moniales S. Benedicti tempore interdicti generalis facere? Et quid puellæ ibi degentes, & illarum famulæ?

§.2. Quæ divina Moniales Benedictinæ tempore interdicti loci specialis agere valeant?

§.3. Quæ divina Moniales Benedictinæ tempore Cessationis à divinis gerere possint?

Quæst.12. An Religiosi eleemosynis victum quærentes, aliquod habeant privilegium, non servandi interdictum? p.258.

§.1. An aliqui dentur Regulares privilegium non servandi interdictum obtinentes.

§.2. An privilegium non servandi interdictum speciale, post Trident. vigeat.

Quæst. 13. An Regulares ex vi suorum privilegiorum tempore interdicti, aut Cessationis à divinis aliquos personas sæculares ad Missam admittere possint? p.260.

Quæst.14. An tempore interdicti licitum sit celebrare Novenam S. Francisci Xaverij, manifestando Sac. Eucharistiam, cantando litanias sine Oratione, & recitando orationes Ss. Sacramenti, & S. Francisci Xaverij? p.261.

§.1. An tempore interdicti sit prohibitum pulsare campanam Collegij maximam ad solemnitatem Novenæ S. Francisci Xaverij, & miraculi S. concionem?

§ 2. An pro solemnitate Novenæ S. Francisci Xaverij, tempore interdicti, liceat sacerdoti superpelliceo, stolâ, & pluviali induto, aperire sacrarium, & in publico sacram exponere Eucharistiam, in custodia super ipsum altare repositâ?

§.3. An per solemnitate Novenæ S. Francisci Xaxerij, tempore interdicti, licitum sit, quod musici corpore Ecclesiæ cantent Litanias B. Virginis Mariæ, & vulgari linguâ aliquas cantinelas, expositâ S. Eucharistiæ.

§ 4. An pro solemnitate Novenæ S. Francisci Xaverij possit tempore interdicti à sacerdote januis apertis in sacrario recludi S. Eucharistia, dictis versiculis, & orationibus Ss. Sacramenti, & S. Xaverij: Et an hæ à sacerdote dici queant cum Sacramento populum benedicente.

Quæstio 15. An tempore interdicti sacerdos privilegiatus sibi possit assumere ministrum non privilegiatum, non dificiente privilegiato eum libenter volente in Missa inservire? p.265.

Quæst.16. An in oratorijs privatis de licentia S. Pontificis concessis, & ab Ordinario approbatis, tempore interdicti localis generalis, liceat celebrare Missas, & alia divina officia? p.266.

Quæst.17. An tempore interdicti, & Cessationis a divinis, liceat in fine concionis vespertinæ, in qua populo imago devota passionis Christi ostenditur, a musicis in choro aliquos *versiculos Psalm. Miserere mei Deus*, cantari? p.267.

Quæst.18. An interdicta tota civitate Portugallensi interdicto locali generali, quæ Ecclesiæ & sacella extra muros existentia, interdicta censeantur? p.267.

Quæst.19. An tempore interdicti, aut Cessationis a divinis, Extrema Unctio conferri debeat moribundo, qui aliud non poterit recipere Sacramentum? p.268.

Quæst 20. An interdictum ab ingressu Ecclesiæ in tota civitate latum omnes comprehendat cives, & quid per illud prohibitum censeatur? p.269

Quæst.21. An laici tempore Cessationis à divinis in loco sacro sepeliri possint? p.270.

Quæst.22. An eunuchus à nativitate sit irregularis? p.272.

Quæst 23. An Episcopus dispensare possit in irregularitate homicidij casualis ad forum contentiosum deducti, finito judicio, homicida punito, & satisfactâ parte? p.272.

Quæstio 24. An possit Episcopus dispensare in irregularitate ex homicidio casuali orta, finito judicio, punito delinquente, & satisfactâ parte; quando delinquens prius alijt Pontificem, & Pontifex jussit, quòd Ordinarius informaret? p.273.

Quæst.25 An possit Episcopus dispensare in irregularitate ex homicio casuali orta, finito judicio, punito delinquente, satisfacta parte, non tamen absoluto exilio? p.274.

Quæst.26. An tonsor sæpius ex præscripto medicorum, aut chirurgorum venam scindens morte secuta sit irregularis? p.274.

Quæst.27. An Religiosus professus à S. Pontifice prohibitus ne medicinam erga personas sæculares exerceat, illam erga determinatam personam exercere possit, quia illius infirmitatem probe cognoscit, & non alij, & saltem ex licentia Nuntij, aut sui Prælati? p.276.

§ 1. An ars medicinæ, seu chirurgiæ absque incisione, & adustione clericis, & Religiosis sit interdicta.

§ 2. An Nuntius, seu Prælatus conventus dicto Abdoni licentiam concedere possint, ut dictæ fœminæ medeatur.

§.3. An Abdo, non obtentâ licentiâ â suo Prælato, peccet mortaliter ei fœminæ medendo?

Quæst.28. An famulus transcribens rationes ab advocato dictatas, & illi ostendens in libris placita DD. secutâ morte sit irregularis? p.279.

Quæst.29. An lapide percutiens sit irregularis, si percussus ex sua intemperantia mortuus sit? p.280.

Quæst.30. An sit irregularis aborsum consulens, ad illumque medicamentum præbēs, dubitat tamen an aborsus, & medicamentū habuerint effectum? p.281.

Quæst.31.

Quæst. 31. An qui ex ignorantia juris post quadragesimum diem à conceptione, consuluit abortum effectu secuto, maneat irregularis? Et post juris scientiam suscipiens ordines, & illos exercens, quam pœnam incurrerit? p. 283.

§. 1. An Bartholomæus cõsulens abortum post quadragesimum, sed ante quinquagesimum diem, cum ignorantia pœnarum à jure impositarum, secuto effectu, illas incurrerit.

§. 2. An absolutâ ignorantiâ in Bartholomæo, aliquam pœnam incurrerit, suscipiens ordines sacros, & illos exercens.

Quæst. 32. An Parochus hominem occidens, à quo probabiliter esse interficiendum, existimabat, possit suum munus parochiale exercere, dum in foro contentiolo agitur de causa? p. 286.

§. 1. An dum agitur causa in judicio contentioso vicarius occisor, ut irregularis se gerere debeat.

§. 2. Quas acciones sacras, & jurisdictionem exercere valeat Cyriacus ante sententiam declaratoriam.

Quæst. 33. An Abbas cujusdam parochialis cũ alijs hominibus in quadam domo criminosos detinens, illos justitiæ ministris tradens ac dicens: Inter illos esse quemdam homicidam, factâ protestatione, & secutâ morte sit irregularis? p. 288.

§. 1. An Abbas, & amici illum associantes irregularitatem incurrissent,

§. 2. An morte secutâ Abbas beneficium amisisset?

§. 3 An Abbas interim fructus sui beneficij percipere possit.

§. 4 An per alium beneficium impetrari possit; aut Patronus alium præsentare.

§. 5. An possit Abbas dispensationem impetrare.

§. 6. Quomodo interim in regimine suæ Ecclesiæ, se gerere debeat Abbas

Quæst. 34. An habens pedes distortos, sit irregularis, & admissus ab Ordinario ad Minores ordines suscipiendos, quoad Maiores demitti possit? p. 294.

Quæst. 35. An dispensatio habentis oculum sinistrum erutum, in supplica dicentis se carere, visus illius oculi, sit valida? p. 296.

Quæst. 36. An ille cui dest index digitus, sit irregularis? p. 297.

Quæst. 37. An comitans ex præcepto, & metu judicem ad capiendum delinquentem, fiat irregularis, secutâ morte delinquentis? p. 299.

Quæst. 38. An qui ignoranter fœminam duxit corruptam, & post matrimonij consummationem, etiam illius adulterium ignorans, illam cognovit, Bigamiæ interpretativæ irregularitatem incurrerit? p. 301.

§. 1. An qui ignoranter fœminam duxit corruptam, & stante matrimonio, eam cognovit, post adulterium commissum, etiam illud ignorans, sit irregularis.

§. 2. A quo Hiacinthus dispensari possit.

Quæst. 39. An incurratur irregularitas homicidij casualis ab eo, qui in prima, & secunda instantia fuit ab omni pœna absolutus, & quis in ea irregularitate dispensare possit? p. 303.

Quæst. 40. An projiciens lapidem ad terrendum pullum gallinaceum; & invitus occidit sacerdotem casu tranieuntem, excommunicationem, sacrilegium, & irregularitatem incurrerit? p. 304.

§. 1. An Ianuarius excommunicationem incurrerit, & sacrilegium invitus in occisione casuali sacerdotis.

§. 2 An Ianuarius irregularitatem incurrerit, quæ dispensatione indigeat, & à quo.

Quæst. 41. An irregularitas dantis consilium ad homicidium casuale, dispensari possit, post latam sententiam contra ipsum homicidam? p. 306.

§. 1. An possit ea irregularitas ab Episcopo dispensari?

§. 2. An capitulum Sede vacante in dicta irregularitate dispensare possit.

§. 3. An vicarius generalis in dicta irregularitate dispensare possit.

§. 4. An Episcopus, aut capitulum Sede vacante, possit alteri hanc committere dispensationem.

Quæst. 42. An sit irregularis sacerdos, qui ex inopinato casu, manu dextera se communicare, nec calicem sumere potest? p. 308.

Quæst. 43 An fiat irregularis hominem occidens pro suo, suorumque defendendo honore, ignorans homicidio esse impositam irregularitatem? p. 310.

§. 1. An Hieronymus irregularitatem incurrerit, hominem occidens in sui, suæque sororis, ac parentum honoris defensionem, nullum aliud, pro eo tempore, ad eum finem, occurrente remedio?

§. 2. An Hieronymus ratione ætatis, ignorans esse impositam irregularitatem, homicidium committenti, ab illa excusetur.

Quæst. 44. An incurrat irregularitatem occidens injustum aggressorem, factâ ab eo prius admonitione ad aggressorem, ut eum desineret? p. 312.

Quæst. 45. An obligatus ad ratiocinia ex partitione conferanda de inofficiosa hereditate cum suis nepotibus ex fratribus, (quæ difficilimè reddi possint) fiat irregularis? 313.

Quæst. 46. An sit subreptitia dispensatio irregularitatis unius criminis, non factâ mentione alterius jam concessæ in alio crimine ejusdem speciei? p. 315.

Quæst. 47. Responsio ad Illustrissimum, & Reverendissimum Commissarium generalem super dispensationem irregularitatis ab eo

INDEX DISPUTATIO III.

eo concessam, & ab Ordinario in particulari casu non narratæ veritatis ipsi Commissario, in petitione ipsius dispensationis? p 318.

Quæst. 48. An Parochus à superiori Prælato per sententiam suspensus ab officio Parochi, possit à suo Prælato inferiore dispensationem obtinere, & si suspensioni contraveniat fiat irregularis? p.319.

§.1. An Episcopus Portugallensis in dicta suspensione dispensare possit.

§.2. An si Mauritius suspensus Parochi officium exerceat, fiat irregularis.

§.3. An Mauritius pro illis sex mensibus suspensionis officij Parochi, substituere possit aliquem sacerdotem ab Ordinario approbatum, ut munus Parochiale exerceat, & interim fructus recipiat.

Quæst. 49 An sine simonia possit aliquis suum resignare beneficium in favorem alterius, nullâ sibi, nec alteri reservatâ pensione, dummodo ei post possessionem ipse alter omnes tribuat fructus pro sua vita? p.322.

§.1 An dictæ resignationes absque labe simoniæ fieri possint.

§.2. An dicti beneficiati sint immunes à simonia, si fructus omnes, aut illorum medietatem percipiant ex facta promissione ex gratitudine, ab ipsis acceptata.

Quæst. 50. An sit Simonia obligare se pacto expresso ad præsentationem cujusdam Parochialis Ecclesiæ, pro temporali pensione conferendam, post possessionem, ex libera voluntate? p. 325.

Quæst. 51. An Patronus habens pensionem in Ecclesia sui Patronatus militis Lauretani centenorum, & viginti millium regalium, possit ad eam Ecclesiam præsentare consanguineum cum pensione ducentorum, relictis alijs ducentis millibus, pro pensione filij ad studendum. p.326.

§.1. An absque peccato mortali, in assignata forma fieri, & acceptari possit dicta præsentatio.

§.2. An si subdita forma detur, & acceptetur eadem Ecclesia, maneat dicta conventio valida.

§.3. Quomodo dicta præsentatio fieri debeat?

Quæst. 52. An sit simoniaca conventio inter Patronum, & præsentatum facta, ut præsentatus integrè expensas Bullarum solvat, tam præsentati, quàm pensionarij à Patrono constituti? p.327.

Quæst. 53. An sit simonia onus in capellania sæculari capellano imponere, quod jure naturæ, nec ratione fundationis inest? p.329.

Quæst. 54. An resignatio beneficij sit simoniaca, quando post Romam missas procuraturas, aliquid promittitur donandum in gratitudinem? p 330.

Quæst. 55. An cessio possessionis præbendæ litigiosæ ob pensionem consanguinei cedentis promissam, sit simoniaca.

§.1. An dictus contractus sit licitus, & de eo fieri possit scriptura. p.331.

§.2. An prædicti pœnas latas in simoniacos incurrerint.

§.3. Quæ dicti gerere debeant, ut in utroque foro securi maneant.

Quæst. 56. An mentione non factâ in supplica ad S. Pontificem de beneficio litigioso, ad tertium reservari possit pensio? p.334.

Quæst. 57 An præsentatio ad beneficium ob debitum, & servitia Regi, & Regno præstita, sit simoniaca, & quomodo sine simonia fieri debeat? p.335.

§.1 An Crispino cedenti lites, possit Rex Ecclesiam Patronatus conferre.

§.2. Quomodo absque simonia dicta Ecclesia conferri possit.

Quæst. 58. An beneficiarius authoritate propriæ redimere intendens pensionis partem à se ipso impositam, simoniam committat? p 336.

§.1. An subdicta forma supplica fieri possit.

§.2. An absque simonia pensionis redemptio fieri possit.

Quæst. 59. An obtinens beneficium per sententiam judicis Apostolici Sede Vacante contra provisum in concursu per Episcopum, possit absque simonia, vexationem redimere, quam habere potest ab Episcopo successore, promittendo annuam pensionem provisо per concursum, ne litem moveat, nec suam provisionem Episcopo successori manifestet? p.338.

Quæst. 60. An si obtento beneficio per litteras Apostolicas impediatur quis à possessione capienda, pecunia vexationem redimere possit, vel dimittere adversario beneficium, ab illo pensionem absque simonia recipiens? p.340.

§.1. An vitalis vexationem, quam illi inferunt in sua capienda possessione commendatarius & Agricola, absque simonia pecuniâ redimere possit.

§.2. An Agricola cum vitale transactionem inire possit, ut hic dimittat beneficium, tribuens illi Agricola quamdam pecuniæ summâ quin simonia intercedat.

Quæst. 61. An transactio super Patronatibus authoritate propriâ facta sit simoniaca, reservatâ consanguineo pensione in illis, quæ antea inerat? p.342.

Quæst. 62. An committatur simonia, si capellania dimittatur ob eleemosynam summæ pecuniæ elargiendam fabricæ alterius capellaniæ? p.343

Quæst. 63. An simoniam committat præbens consensum ad illius sororem nubendam nepoti ex fratre cujusdam Abbatis, ea intentione, & spe, ut ipse Abbas sibi resignet Abbatiam, alias consensum nō præbiturus? 345.

Quæst. 64. An præbendatus, Sede Vacante, suo famulo suffragia capitularium promittens,

tens, ut ei conferatur beneficium, sub aliquibus circunstantijs tacitè simoniam inducentibus, & famulus ex gratitudine pecuniam promittens, taciteque annuens præbendatus, simoniam commiserint? p.346.
Quæst 65 An Capitularis, Sede vacante, suo famulo suffragia capitularium promittens, ut sibi beneficium conferatur, sub conditione tradendi singulis annis sibi ipsi capitulari, vel alteri pensionem triginta millium regalium, & traditâ primo anno, ambo pœnas simoniacorum incurrerint? p.347.
§.1. An dicta simonia sit confidentialis.
§.2. An præbendatus suâ mediatione, seu interventione procurans suo famulo beneficium exsuffragiis Canonicorum, & ab eo accipiens promissionem triginta millium regalium sibi vel alteri singulis annis solvendorum, & solutis primo anno, pœnas in simoniacos latas incurrerint.
Quæst.66. An simonia incurratur à dimittente capellaniam sæcularem, & beneficium curatum ob alterius beneficij acceptationem? p.350.
Quæst.67. An detur simonia in permutatione cujusdam beneficij simplicis cum loco, seu habitu cujusdam conventus absque S. Pontificis authoritate? p.351.
Quæst.68. An supremi Tribunalis Conscientiæ examinatores recipientes præmium, seu stipendium, & provisi in concursu illud tribuentes simoniam committant? p.352.
Quæst.69. An Canonicus dispensatus ad non recitandas horas Canonicas, si Canonicatum renuntiet, & alterum obtineat, possit hoc obtento, eâdem dispensatione gaudere? p.354.
Quæst.70. An illi, qui mortuus est, à loco distanti è duello, negari possint sepultura, & reliqua publica suffragia? p.355.
§.1. An possit negari Ecclesiastica sepultura morienti in loco distanti à loco duelli.
§.2. An possint negari suffragia, Missæ, officium defunctorum, & cymbalorum solita signa.
Quæst.71. An Regulares pecuniam recipientes pro ingressu novitij simoniam, & alias pœnas incurrant? p.357.
Quæst.72. An Iudex Apostolicus collationem conferre teneatur impetranti litteras Apostolicas, qui vera narravit, fundatus in quadam clausula? p.358.
Quæst.73. An professio ex metu emissa sit valida, si patiens metum, post morte metum incutientis, reclamavit post quatuor, aut quinque menses? p.359.
Quæst.74. An mandante S. Pontifice ratas habere professiones certo tempore emissas, possint d. professi Religionem relinquere, & & Prælati eos expellere? p.361.
Quæst.75. An progressiones certi Prælati contra alium fuissent justæ, & validæ? p.362.
§.1. An Vicarius Generalis, ut suspectum potuisset recusare visitatorem ordinarium.
§.2. An electus arbiter à Vicario Generali sententiam contra Visitatorem potuisset ferre?
§.3. An d. arbiter pro toto ordine potuisset ferre censuras.
§.4. An dato casu, quo fiat nova visitatoris electio, suffragium habeat Vicarius Generalis.
§.5. An Vicarius Generalis totum Definitorium, ut suspectum, recusare possit.
Quæst.76. An vidua se recipiens in monasterium cum licentia, cum famula, Monialis facta, eam possit retinere? p.365.
Quæst.77. An sit simonia dare, aut recipere pecuniam pro beneficij resignatione libera: hoc est, in nullius favorem? p.366.
Quæst.78. An famula à Monasterio semel egressa, causa infirmitatis, possit recuperata sanitate iterum recipi saltem ex licentia Papæ absolute concessa, ut à Moniali famula habeatur? p.366.
Quæst.79. An Religiosus hæres institutus à quadam persona causam criminalem habente contra homicidam, possit de licentia sui Prælati esse accusator absque in cursu irregularitatis, si protestetur, se non intendere mortem accusati, sed civiliter pœnam, & satisfactionem sibi debitam? p.366.

INDEX DISPUTATIO IV.

DISPUTATIO QUARTA

De restitutione.

QUæst. 1. An licitus sit hic cõtractus: *Dare pecuniam ad rationem juris sub interesse sexti, & quarti pro quolibet pecuniæ centenario?* p. 368.

§. 1. An habentibus pecuniam in arca otiosam, licitam sit, illam tradere ad rationem juris, sub certo interesse pro quolibet centenario in fine anni solvendo, ratione periculi.

§ 2. An dictus contractus: *Dare pecuniam ad rationem census, seu juris*, ut dicitur, sit census personalis, & licitus cum interesse?

§. 3. An dictus contractus: *Dare pecuniam ad rationem census, seu juris*, sit licitus jure positivo?

§ 4. Sub quo interesse dari possit pecunia ad rationem census, seu juris, *modo explicato* in foro interno, & externo?

§. 5. Aliqua dubia circa eundem contractum resoluta.

Quæst. 2. An Regulares in consulto Romano Pontifice, aut Sac. Congregatione, mutuò recipere possint pecunias subinteresse lucri cessantis, & damni emergentis, fructus suorum conventuum obligantes? p. 378.

Quæst. 3 An inito contractu dandi pecuniam ad rationem juris, sub interesse sex, & quarti, & postea scriptura facti mutui includentis eam summam conventam, triennio absoluto solvendam, contractus sit usurarius, & conventa summa in foro conscientiæ solvenda? p. 380.

§. 1. An potuerit de tota illa summa confici scriptura, ex qua constabant capitale, & redditus, supponendo fictione juris, totam illam summam absoluto triennio, esse mutuum.

§. 2. An Franciscus, & ejus fidejussor teneantur Benedicto totum capitale, & redditus, in forma expressè initos, solvere per ratiocinationem, & scripturam.

§ 3. An in casu negato, quòd scriptura sit nulla teneatur Franciscus, & ejus fidejussor Benedicto mercatori dictam solvere pecuniam.

Quæst. 4. An beneficiarius per plures dies non recitans, per Bullam, se componere possit, & quomodo compositio fiet? p. 382.

Quæst. 5. An legatum conditionatum ad partitionem venire debeat, mortuo altero ex conjugibus, adhuc non completâ condione? p. 384.

Quæst. 6. An bona alicui relicta, absque declaratione sint partibilia? p. 385

Quæst 7. An ad valorem emptionis cujusdam emphyteusis, sufficiat licentia petita, non tamen expressè concessa à domino directo; & Ecclesiæ, ac communitates dominium habentes directum, tantumdem emphyteuses emere possint? p. 385.

§. 1. An sufficiat licentia petita, & non expressè à domino directo concessa, ut emphyteusis sub hasta vendita, tanto pro tanto à domino non acquiratur.

§ 2. An Ecclesiæ, seu communitates emphyteuses subhasta venditas, quarum habent dominium directum, sibi tantumdem possint acquirere.

Quæst. 8. An incurrerit pænas alienantium bona Monasterij Prælatus emphyteuticans delicentia sui Generalis fundum jam Monasterio incorporatum per antecessorem ab emphyteuta venditum, & Monasterio tantumdem emptum, si id fecit in Monasterij utilitatem? p. 387.

Quæst 9. An in emphyteusi de libera nominatione emphyteuta nominans gravare possit nominatum, illi aliquod onus imponendo? p. 388.

Quæst. 10. An possit emphyteuta nominans in emphyteusi de familia gravare nominatum, illi aliquod onus imponens? p 390.

Quæst. 11. An nominatio emphyteusis de familia, titulo dotis facta revocari possit, si nominatus nominati præmoriatur? p. 391.

Quæst. 12. An ad emphyteusim Ecclesiasticam nominari possit filia naturalis, saltem sub conditione, ut nominatus illam in matrimonium ducat? p. 392.

§. 1. An conventus licentiam petitam concedere possit.

§. 2. An filia naturalis ad emphyteusim de pacto, & providentia, nominari possit?

§. 3. An Felix eligendo unum ex suis fratribus ad emphyteusim præ alijs, illum gravare valeat, ut filiam ducat?

Quæst. 13. An terræ steriles, & incultæ absque juris solemnitatibus à Prælato in emphyteusim concedi possint? p. 395.

Quæst. 14. An absque domini consensu, emphyteusis de libera nominatione, cum alijs bonis liberis, vinculo maioratus subjici possit? p 395.

§. 1. An nepos Marcelli conditiones à patruo impositas servare teneatur, ob utilitates acquisitas ex alijs bonis sibi relictis?

§ 2. An emphyteusis de libera nominatione vinculo maioratus, absque domini consensu subjici possit?

§ 3. An

§.3. An nepos possit nominare ad eam emphyteusim, quem maluerit, aut illam vendere in statu, quo est.
Quæst.15. An clerici, & Regulares eximantur a solvendis decimis de bonis novalibus proprijs, aut alienis, quæ proprijs expensis excolunt? p.398.
Quæst.16. An locator quorundam Religiosorum teneatur exterris locatis, decimas solvere ex monte, & ex residuo solvere quartum, aut quintum, quod ex tertis solvitur, aut e contra? p 399.
Quæst.17. An Equites Christi, S. Iacobi, & Avisij decimas ex proprijs prædijs, quæ colunt, & animalibus, quæ in illis nutriuntur, solvere teneantur? pag.400.
Quæst.18. An licita sit compositio super minori quota decimarum ab Abbatibus cum piscatoribus facta, ut suarum parochiarum territorium retia trahant? p 400
Quæst.19. An quando ex propriæ sylvæ arboribus cæsis ad ædificium propriæ domùs decimæ non debentur, post decem annos debeantur, quando mutato consilio, venduntur? p 401.
Quæst.20. An decimæ quorundam novalium succedentium loco aliarum decimarum portionis Rectoris, ipsi Rectori, aut Religiosis, quibus Ecclesia est unita debeantur? p.403.
Quæst.21. An Prælatus defectum portionis Vicario Ecclesiæ unitæ suo Monasterio compensare teneatur; Et portionem in fructibus consignatam possit Vicarius Prælato dimittere pro portione in numerata pecunia? p.404.
Quæst.22. An decimæ cujusdam vineæ, in Priore, & Beneficiatis Ecclesiæ collegiatæ, spatio decem annorum contra capitulum Sedis vacantis præscribantur- p 405.
Quæst.23. Quis decimas solvere teneatur, conductor olivetorum, aut locatur sibi consulens, omnes fructus in decimatos colligendo? p.405.
Quæst.24. An ab ipso jure sit determinata quota decimarum, ut ex illa parochiani, ad illas solvendas, obligari possint? p.406.
Quæst.25. Iuxta quam consuetudinem, teneatur agricola domicilium mutans, primitias solvere, juxta vigentem loco prædiorum, aut loco suæ habitationis? p.406.
Quæst.26. An collegium Regularium cuidam Abbati vim intulerit, decimas, & primitias non solvens ex fructibus arborum, & herbis quas proprijs expensis excolebat? p.407.
§. 1. An Abbas licitè, & tutâ conscientiâ ad tribunal Regiæ Coronæ recurrat, pro dicta vi, quam dicit sibi fuisse illatam.
§. 2. An collegium vim intulerit Abbati, non solvendo decimas & primitias ex fructibus, quos suis expensis colit.
Quæst.27. An venditio simulata, & facta cum oppignoratione, sit valida, aut usuraria? 411.
Quæst.28. An sit usura vendere domum, cum pacto non accipiendi pretium, nisi ad beneplacitum venditoris, ut sic venditor habeat lucrum pretij, quod illi in locatione domus cessavit? p.413.
Quæst.29. An venditor domus, emptori, ejus teneatur restituere pretium, in casu, quo emptor authoritate judicis domum amisit, quia anteriot venditor, læsus fuerat infra dimidium justi pretij? p.415.
Quæst.30. An uxor, & filia heres fideijussoris principalis in venditione cujusdam prædij nulla à creditore primò coram judice conveniri possint? p. 416.
Quæst.31. An facta de licentia Regis venditione cujusdam oppidi, & postea accedente donatione partis ex causa, & venditione alterius partis ejusdem oppidi, absque aliqua mutatione, alterari possit aliquid in aliqua confirmatione? p.418.
Quæst.32. An sit usurarium, aut injustum tradere agricolæ viginti millia regalia ad emendos duos boves, ut ex illorum labore vivat sub interesse millium regalium singulis annis solvendo, etiam in casu, quo boves non emantur? p.420.
§.1. An dictus contractus sit usurarius?
§.2. An in dicto locationis boum contractu interveniat injustitia.
Quæst.23. An emptor venditionem rescindere possit, eo quod res vendita tempore præfixo tradita non sit, & illi debeantur lucra exinde cessantia? p.422.
Quæst.34. An filia familias maior triginta annorũ ex cõtractu emptionis obligetur? p 423.
Quæst.35. An in duplici venditione, & bovis separatim, & bovis cum vitula conjunctim, usura saltem palliata interveniisset? p. 425.
§.1. An sit usura locare pro uno anno unam bovem octo mensuris sequalis, hoc est centeni, eidem, ex quo fuit empta.
§.2. An sit usura vendere bovem cum vitula pro septem millibus regalibus, sex milha in valore habentem.
Quæst.36. An Eremita solutâ parte eleemosynarum cum Parocho conventâ, alteram partem sibi retinere possit? p 427.
Quæst.37. An veri conductores, ficti tamen receptores fructuum consanguinei Abbatis, gabellam, & decimam Regi restituere teneantur? p 427.
§.1. An conductores fructuum Abbatiæ in foro conscientiæ gabellam, vulgo *sizam* restituere teneantur.
§.2. An prædicti conductores ad decimam eorum fructuum teneantur.
Quæst.38. An mutuatarius dubitans de pignore reassumpto, teneatur mutuantis illud restituere? p.429
Quæst.39. An uxor maritum hæreticum convictũ coactè admittens, possit bona ad suam

partem pertinentia capere, occultare, donare, & alienare. p.430.
Quæst.40 An jocalia, & supellectiles ab sponso sponsæ donata, soluto matrimonio ad collationem venire debeant? p.431.
Quæst.41. An in contractu societatis cujusdam navis emptæ, oneratæ, & deperditæ, damnum stare debeat pro utroque socio, quando alter illorum illam misit ad portum non designatum? p.431.
Quæst.42. An facta electione legatario à testatore, eligendi supellectilem, quam maluerit, si obligatam aliquo onere eligat, ad illud teneatur onus? p.433.
Quæst.43. An à creditore fieri possit compensatio, pro debitis certis, & dubijs in pecunia à debitore ante mortem sibi tradita, ad alia debita, post mortem solvenda? p.433.
§.1. An Theodulus in tradita pecunia pro damnis, & sumptibus ex litibus ante, & post mortem Alexandri gestis, se solum possit compensare.
§.2. An Theodulus se compensare possit in dictis septem millibus ducatis, omissis debitis, quæ sunt in cathalogo debitorum ab Alexandro dictato, & à Theodulo scripto.
§.3. An solutis supradictis debitis possint Theodulus in residuo septem millium ducatorũ pro suis debitis particularibus compensare?
Quæst.44. An quis propignoribus debitis se compensare possit, cum debito pecuniario, quod debet? p.436.
Quæst.45. An facta nominatione cujusdam officij apparitoris sub conditione solvendi certam pensionem uni tertio, & soluta per aliquod tempus, denique judicis authoritate non solutâ, adhuc à nominato in foro conscientiæ debeatur, & non debita, teneatur nominans illi tertio facere compensationem? p.438.
Quæst.46. An decimæ non solutæ tempore à jure præscripto, quia defuerunt collectores, si occurrente necessitate, ab agricolis expendantur, solvendæ sint pecunia, aut fructibus ejusdem speciei sequentis messis? p.439.
Quæst.47. Cui nam fur teneatur decimas restituere quas furatus fuit à conductore illarum cui post octo annos bona fuerunt confiscata ob hæresim, filium habenti catholicum extra patriam potestatem? p.440.
§.1 Cui debeant eæ decimæ restitui fisco in totum, aut aliquam filijs descendentibus à Catholico partem.
§.2. An heredes Primi se compensare possint, cum tantumdem, quod sibi à fisco debetur.
§.3. Quo pretio mensuras decimarum debeant restituere heredes Primi, pretio currenti, aut pretijs mensis Maij, aut Junij currentibus, juxta illius oppidi consuetudinem.
Quæst.48. An Abbatissa inito pacto supra hereditatem suæ Monialis, possit adire hæreditatem, mortuo parenti, etiam in vita sua ad aliud monasterium transacta? p.442.
Quæst.49. An ex locatione domus sub hasta vendita minori pretio, quo solebat locari, in foro conscientiæ restitutio debeatur? p.444.
Quæst.50. Cui facienda sit restitutio eleemosynarum ad unum, aut alterum captivũ determinatè, quæ in uno, aut altero captivo effectum non habuerunt? p.447.
Quæst.51 An ex transactione facta ultro, citroque dotis chirographis remissionis, debeatur restitutio eorum, quæ ad partitionem non venerunt. p.448.
Quæst.52. An mater teneatur ad restitutionem eorum, quæ inventario subnegavit; si filium habentem, quo se alat, sustentet, & partem domus in qua habitat, reparet? p.448.
Quæst.53. An pecunia inventa apud defunctũ conjugatum filios habentem, in hospitali de mortuum, ad hospitale pertineat? p.449.
Quæst.54. An si fœmina ab uno defforata, nullam passa fuisset infamiam, & alio illam passa sit, & à judice dote adjudicata, præstito juramento falso circa defforationem teneatur ad dotis obtentæ, & expensarum litis restitutionem? p.450.
Quæst.55. An possit quis solutionem multorũ debitorum differre, & alia de novo contrahere, ut citius bona recuperet, quibus omnia satisfaciat, & filium unicum in matrimonio collocare, & solitas eleemosynas pauperibus, peregrinis, famulis antiquis, & senibus erogare? p.452.
§.1 An dicta fœmina debitorum solutionem differre possit, & alia de novo contrahere, ut citius cum quo satisfaciat, acquirat?
§.2. An possit Ioanna cum detrimento suorum creditorum, & maiori debitorum dilatione, in matrimonio filium unicum collocare, donando illi medietatem dictorum octo millium aureorum
§.3. An possit Ioanna cum aliquo creditorum damno, eleemosynas tenues, & peregrinis, & famulis antiquis, & senibus elargiri.
Quæst.56. An alicui legato usufructu omnium bonorum pro sua vita, hâc finitâ, quæ adhæredem proprietariũ pertinere debeant? 455.
Quæst.57. An adulter teneatur ad restitutionẽ filijs legitimis adulteræ faciendam, ex eo, quod filius natus adulterũ ore referebat? 457
Quæst.58. An adultera possit uti primo testamento à marito revocato, ex falsa filij nati præsumptione; & inofficiosam dotem filiæ legitimæ conferre, expulso filio adulterino, legitimo existimato? p.458.
Quæst 59 An fœmina nobilissima nullos filios habens legitimos, filium suum spurium in summo secreto habitum, in testamento heredem omnium suorum bonorum possit instituere? p.459.
§.1 An fœmina nobilis in foro conscientiæ, suũ filium spurium omnium suorum bonorum in suo testamẽto instituere possit heredem.

§ 2 Proponitur sententia communis, & illius rationes facilè enervantur.
§. 3. An dato, quod dicta fœmina nostram non amplectatur sententiam, possit amicam nullos habentes heredes necessarios, instituere heredem in suo testamento, sub fide sibi præstitâ, restituêdi ea omnia suo filio spurio.
Quæst. 60. An mater renuntiare possit hæreditatem filiæ morti proximæ in ipso actu testandi in favorem alterius filiæ, & in filij præjudicium? p. 465.
Quæst. 61. An heres ab intestato possit in foro conscientiæ hereditatem adire, ex sententia in sui favorem lata contra heredem ex testamento, certissimè sciens, id esse contra voluntatem testatoris? p. 468.
Quæst. 62 An advocatus patrocinari possit cauſæ testamenti nulli ex defectu suscriptionis testatoris, in præjudicium duarum innocentium, quibus legata in eo fuerût relicta? 471.
Quæst. 63 An testamêtum sacerdotis, matrem, & filiam habentis spuriam, sit validum, si in eo matrem prætereat, & filiam spuriam hæredem instituat? p. 473.
Quæst. 64. An testamêtum sacerdotis, matrem, & tres filias naturales habentes, sit validum, si matrem prætereat, & filias instituat heredes? p. 474.
Quæst. 65 An inducens testamenti revocationem in sui commodû, & dubitans de validitate conditi de novo, possit tutâ conscientiâ commoditatem sibi retinere? p. 476.
§. 1. An testamentum à persona non ita sanæ mentis conditum, sit validum.
§. 2. An contractus circa revocationem testamêti à minoribus celebratus, absque judicis authoritate, sit validum.
§. 3. An verba à professuris prolata pridie diei professionis, proficiscent, ut Maria à resiuo hereditatis retêto, tuta in cõscientia maneret.
Quæst. 66. An judex partitionum proprietatem in tertiam suorum bonorum à testatrice assumptam, in duas partes partiri potuisset; & si postea incidenter revocantur in successore à testatrice designato, teneatur hic sine lite eam partem relinquere? p. 481.
Quæst. 67. An successores in maioratu teneantur ex suis tertijs partem aliquam maioratui annectere, datâ in testamento hâc clausulâ fideicommissaria: *Peto a meo filio, & omnibus successoribus, quod ex suis tertijs veniant ad maioratus augmentum.* p. 485.
§. 1. An administratores hujus maioratus in utroque foro teneantur ad vinculandam sui tertij medietatem, juxta clausulam testamêtariam à Gorgonio, & declaratione ab uxore conditam.
§. 2. An administrator de præsenti hujus maioratus teneatur facere quod in se est, ut heredes anteriorum administratorum, partem tertij huic maioratui non restitutam, restituant.
Quæst. 68. An filius successor in maioratu teneatur ad onera Missarû, quas pater in maioratu prædecessor celebrare nõ fecit? p. 488.
Quæst. 69 An qui bona fide rem alienam ab aliquo habuit titulo oneroso, & postea bona fide jam vendens, & eamdem cognoscens esse unius, teneatur emptori, cui ipse eam vendiderat, pretium reddere, & rem vero domino tradere? p. 489.
§. 1. An Martialis teneatur pretium linei involucri emptori reddere, & recuperatum lineû involucrum vero domino restituere.
§ 2 An teneatur Martialis emptorem de contractu, & dominum linei involucri, de statu in quo est, admonere.
Quæst. 70. An depositarius pecuniæ quantitatem ex deposito sibi retinere possit, ut damna, quæ timet obventura, compensat, ob culpam sui serventuarij, & deponentium damna restituere teneatur? p. 490.
§. 1. An Bonaventura retinere potuerit illa duo millia aureorum depositi, ob compensationem officij venditi.
§. 2 An Bonaventura teneatur ad lucra cessantia, & damna emergentia, quæ ex retentione illorum millium aureorum deponentibus evenerunt.
Quæst. 71 An tradenti alicui in pignus cujusdam debiti scripturam, ratione cujus quidâ solvebatur census annualis, satisfacto debito, scriptura statim reddi debeat? p. 492.
Quæst. 72. Quomodo argentarius, non inveniens argentum juxta taxam, se possit, in artefacto servare indemnem? p. 494.
Quæst. 73. An custodes navium onerariarum consentientes extrahi merces à navibus, Regi non solutis vectigalibus, teneantur ad restitutionem eorum, quæ ab eum consensum accipiunt, & ad damnum Regi illatum in vectigalibus; & quo ordine. p. 494.
Quæst. 74. An libratores domus Basilicæ, vulgo *Alfandega*, teneantur ad restitutionem eorum, quæ accipiunt ob pondus solito favorabilius, & Regi ob ipsum pondus in tributis damnificato? p. 496.
Quæst. 75 An teneatur ad restitutionem conducens milites ad bellum, si aliquos ob pecuniam excusset? p. 497.
Quæst. 76. An in bonæ fidei detentor librorum alienorum, ex edicto sub excommunicatione, teneatur eos domino reddere, quando fur contractum rescindere nequit? p. 498.
Quæst. 77. An ex bonis occultis, vi excommunicationis editæ, detectis, solvi possint creditores occulti, omissis publicis, & privilegiatis? p. 499.
Quæst. 78 An mandans teneatur ad restitutionem eorum quæ occasione mandati, mandatario evenerunt? p. 500.
§. 1. An Pantaleon teneatur dictas supellectiles Celso restituere.
§. 2. An nolente Pantaleone dictas supellectiles

restituere, possit Celsus se compensare.
Quæst.79. An mandatarius in mandatis habēs; omnibus mandatoris solvere creditoribus, pauperiorem in solutione præferre possit, & alijs pro rata solvere, quando integrè omnibus non est solvendo? p.503.
Quæst.80. An accipiens pecuniam pro separatione januæ domus, in qua furtum erat cōmissurū, teneatur ad restitutionem pecuniæ acceptæ, & damni in ea domo cōmissi? 505.
Quæst.81. An uxor, mortuo marito; teneatur privignæ, jam dote solutâ, restituere, quæ sibi à marito ob causam donata fuerunt? 506
Quæst.82. Quantum teneatur restituere Parochus febri quartanâ laborans, certis diebus per triennium non residens? p.508.
Quæst.83 An Parochus diebus festis tantùm residens, teneatur ad restitutionem, licèt per sententiam contra illum, latam non sit condemnatus? p.511.
§.1. An Eusebius ex sex causis *non præcedenti* designatis, à restitutione, pro non residentia, sit liber?
§.2. An Eusebius totum suum stipendium in illis quatuor annis non residens, restituere debeat.
§ 3. An Eusebius satisfacerit restitutioni residentiæ non factæ, impensis in reparatione domus Residentiæ, ad quam non tenebatur, sed decimarum receptatores.
§.4. An Eusebius possit dictum stipendium debitum ob non residentiam, sibi tanquam pauperi applicare, quia illo & altaris ministerio, vix centeni ducati complentur.
§ 5. An Eusebius ex dicto stipendio partem debitam duobus mensibus in singulis annis à Concil. permissis, diminuere possit.
Quæst.84. An Parochi rurales certi territorij, ex consuetudine inter eos introducta, non assistentibus officijs defunctorum, ad eleemosynæ acceptæ tenēatur restitutionē? 516.
Quæst.85 An privignus vitrico, & matri serviens, etiam in illorum absentia, teneantur ad restitutionem eorum, quæ sua industria, & labore clam sibi cepit? p.517.
Quæst.86 An fœmina, ut ad ingressum Religionis admittatur, aliqua per modum donationis liberæ, dare possit? p.519.
Quæst.87. An per donationem pecuniæ summæ à Religioso factam, de licentia sui Prælati, & ab hoc postea revocatam, aut declarationem tempore mortis exhibitam ab eodem Religioso, jus habeant consanguineæ ad petendam eam summam donatam; aut declaratam? p.523.
Quæst.88. Cui conventui restitui debeat pecunia in hora mortis tradita à quodam Religioso suo confessario, dicente: ¡ suis Prælatis eam esse tradendam? p.525.
§.1. An pecunia apud Religiosum defunctum inventa, pertineat ad conventum in quo mortuus fuit, aut ad alios, in quibus, sicut in hoc, munus procuratoris obivit.
§.2. An semel facta à Provinciale applicatione, & ab eo declaratum, eam pecuniam pertinere ad conventum, in quo mortuus fuit dictus Religiosus, cesset tota dubitatio, ita ut nullus ex conventibus, in quibus vitam degit, actionem habeat ad eam pecuniam, ut suam postulandam.
Quæst.89. An Prælatus ex dicto unius, vel alterius personæ particularis, ad Ecclesiam curatam notoriè digniorem non providens, sed dignum, peccet mortaliter; & restituere teneatur; & stare dicto unius testis se retractantis? p.526.
§. 1 An Prælatus ex dicto unius, vel alterius personæ, notoriè digniorem non providens, peccet mortaliter, & teneatur ad restitutionem.
§.2. An Prælatus, non obstante retractatione testis in chirographo, sententiam in favorem Theodori proferre teneatur.
Quæst.90. An bona maioratus distrahi possint ad dotem descendentis ab institutore maioratus? p.428
Quæst.91 An Canonicus ex licentia, & negatis Capituli modicæ utilitatis ausens, suos faciat fructus; & primo novitiatus anno cum licentia ad breve tempus absens; & beneficiatus primis sex mensibus non recitans, teneatur ad restitutionem? p.529
Quæst 92. An in oppositione cujusdam præbendæ cui opponuntur duo cathedratici, possit unus collega suffragium ferre pro suo collega, contra alterum alterius collegij antiquioris, & maioris authoritatis? p.530.
Quæst 93. An Capitulum teneatur dote possessionem proviso in quadam baccalauria à Iudice Apostolico collato, habente curam animarum serie successiva, & proviso non habenti ætatis vigintiquinque annos? p.531.
Quæst.94 An occurrente vacatione Parochialis in concursu providendæ, si elapso edicti termino, superveniat aliquis re integrâ, data justa causa, cum alijs debeat admitti? p.532.
Quæst. 95. An testamentum a puella ætatis duodecim ad tredecim annos conditum, de licentia monasterij sit validum, & securum? p.532.
Quæst. 96. An possessio capta a quodam præbendato cujusdam beneficij suæ præbendæ uniti in synodo, sit justa, contra resignatarium, & resignantem, litteras Apostolicas nō publicātes intra primos novem menses? 533.
§ 1. An Petrus justitiam habeat ad impugnandas dictas Bullas, ex duplici titulo assignato.
§.2. An in præsenti casu prosit possessio, quam Petrus occupavit, ut ex illa, & beneficium possideat, & resignantem expellat.
Quæst 97. An tonsores monetarum per Bullam Cruciatæ componi possint? p.535.
Quæst 98. An Regis, & aliquorum communitatum thesaurarij peccent mortaliter, permutantes

mutantes monetas integras in thesauris depositas, pro tonsis, scientes monetas tonsas brevi esse prohibendas, & reducendas ad sui intrinsici ponderis valorem? p.536
Quæst.99. An permutantes monetas, integras pro tonsis cum lucro, teneantur ad lucri restitutionem? p.537
Quæst.100. An accedens ad Curiam ad suum gerendum negotium, & cursim asserens monetas tonsas cujusdam confraternitatis, quarum plures cum integris commutavit, teneatur lucrum confraternitati restituere? p.539
Quæst.101 An cessante monetarum tonsarum cursu per paucos dies, excusetur dominus à solvendo famulo salarium annale, petitum absoluto anno, quia scit prope diem monetas ad maiorem valorem esse augendas? 540.
Quæst.102. An teneatur ad restitutionem monetæ augmentatæ ille, qui monetas mutuas ante legis promulgationem accepit, cum notabili mutuantis repugnantia? p.542.
Quæst.103. An quam satisfactionem teneatur ille, qui accepit monetam auream commutandam pro argenteis, eamque commutavit pro aurea, & argentia, & cum juberetur, commutari solùm pro argenteis, illas tradidit tempore, quo jam per legem in his monetis dabatur incrementum? p.544
Quæst.104 An promulgatâ lege incrementi monetarum, teneatur depositarius depositi pecuniario restituere monetas in specie cum suo incremento, quas ad suum usum distraxit? p.545.
Quæst.105. An publicatâ lege incrementi, habens à defuncta dotem, determinato tempore puellæ tradendam, separatam, & clausam, incrementum ad puellam, aut ad depositariam pertineat? p.546.
Quæst.106. An teneatur ad restitutionem mercator Lusitanus, nolens à mercatore Castellano accipere monetam auream Hispaniam, pro valore in Regno currenti; sed pro viginti in Castella? p.546
Quæst.107. An Monialis è suo monasterio egrediens ad aliud regendum, & finito regimine, licentiam obtinens ad manendum in eodem monasterio, possit, non obstante licentiâ obtentâ absque aliâ de novo, ad suum redire monasterium? p.547.
Quæst.108. An Religiosus professus teneatur procurare licentiam à S. Pontifice ad matrem juvandam gravi necessitate oppressam quam à suis Prælatis obtinere non potest? p.549.
Quæst.109. An post captam beneficij possessionem à resignatario; possit resignans post illius mortem, illud ut antea habere absque novis litteris? p.550.
Quæst.110 An Vicarius Generalis in rescripto gratiæ recusari possit? p.551.
Quæst.111. An Provincialis cujusdam Religionis à S. Pontifice constitutus delegatus ad decidendam quamdam causam simul cũ Vicario Generali Diœcesano commissioni renuntiari possit? p.552.
Quæst.112. An ex dicto complicis contra delatum procedi possit? p.553.
Quæst.113 An Regulares possint, & teneantur ad professionem admittere novitium, de cujus puritate sanguinis testes deponunt negativè, non invenientes aliquem deponentem positivè, illum habere sanguinem infectum? p.554.
Quæst.114. An justè possideat beneficium ille, qui ad illius impetrationem, in supplicatione circa ætatem non narravit? p.555.
Quæst.115. An recipiens beneficium Parochiale, absque animo recipiendi ordines sacros intra annum, immo solùm intensione recipiendi fructus illius anni, & statim dimittendi Ecclesiam, teneatur ipsos fructus restituere; & ipse conferens, illius iniqui animi conscius? p.557.
Quæst.116 Quis succedere debeat in quadam capella: hæres primi nominati, aut secundo loco nominata, aut illius frater masculis? p.558.
Quæst.117. An habens pensionem in quodam Prioratu, & postea ad illum promotus, per renuntiationem illum dimittat, teneatur successor dictam pensionem solvere? 559
Quæst.118 An concessâ à S. Pontifice licentiâ ad ingrediendum Monasterium, educationis gratiâ intra sex menses, & non aliter, debeant hi menses incipere à die gratiæ factæ, aut à die vacationis loci? p.560.
Quæst.119. An Beneficiati choro obligati, & Parochi ijdem choro non obligati, si in diebus à Concil. concessis absentes sint, lucrari possint portiones anniversariorum, ac si essent præsentes? p.561.
Quæst.120. An Parochus in quadam Ecclesia manuali provisus, & per successorem Episcopum confirmatus, cum licentia, ut Apostolicè confirmetur, illam in favorem alicujus resignare possit? p.562.
Quæst.121. An Prioratus de Salreu vacatus tempore Sedis Apostolicæ vacantis, & mense Reservæ, sit conferendus sacerdoti à Patrono ipsius Prioratus præsentato? p.563.
Quæst.122. An possessor cujusdam Maioratus, ex sententia à Iudice Tombi latâ, possit tutâ conscientiâ obligare incolas oppidi, cum dicta sententia sit contra forale? p.565.
Quæst.123. An quidam Prælatus incurrerit pœnas cujusdam Brevis prohibentis, expendere redditus conventus per se & suos officiales, quando non constat fuisse receptum? Et quid si constet? p.567.
Quæst.124 An renuntiato beneficio sub conditione, quæ observata non fuit, beneficium post obitum resignantis mansisset Sedi Apostolicæ devolutum, aut dato *fiat* ipsi resignatario p.568.

Quæst.

INDEX DISPUTATIO IV.

Quæst. 125. An pendente lite, inter Decanum, & Canonicum cujusdam S. Sedis super resignatione Canonicatus à Decano facta: quæ ipsi litigantes agere possint, Canonicus in sua infirma valetudine, & Decanus post ipsius obitum? p. 569.

Quæst. 126. An legata in bonis immobilibus investienda collocari possint in bonis conventus, ut redditus, quibus gravatur, redimantur, quando in conuentu datur lex recepta, quod legata in bonis conventus nõ investiantur? p. 571.

Quæst. 127. An illatâ injustitiâ cuidam lectori per depositionem suæ cathedræ, & postea facta ad æqualitatem restitutione computari debeat tempus ad jubilationem, ac si actualiter legeret, cùm non legat, ex defectu cathedræ, quando oppositum in statuto est dispositum? p. 572.

§. 1. An dictus lector injustè a sua lectura fuisset dimotus, & expulsus.

§. 2. An ex jure, & nun ex dispensatione lectori tempus in numerum computari debeat.

§. 3. Proponitur opposita sententia Melsi, & refutatur.

§ 4. Fundamentis Melsi respondetur.

§ 5 Concluditur quomodo ex jure in Ordine ad jubilandum nullam in eo lectore, intervenisse interpolationem.

Quæst. 128. An responsio à S. Cc. Congreg. obtenta circa Provincialem, qui renuntiare vult, extendenda sit ad illum, qui per obitum in Provincia latu defecit? p. 577.

Quæst. 129. An excusetur à residentia Parochus, qui ab Episcopo maxima instantia detinetur in ejus servitio Vicarij Generalis, sperans S. Pontificis dispensationem, quam semel, ac iterum obtinere non potuit? 578.

Quæst. 130. An Beneficiatus in una, eademque Ecclesia duo beneficia simplicia obtinere possit, ab uno illorum pensionem accipiendo? p. 581.

Quæst. 131. An Moniales cujusdam Conventus excessum dotis, & propinarum conventum inter ipsas & partem recipientes ad restitutionem teneantur? p. 581.

Quæst. 132. Ad quid teneatur pater impedtus, manente filio in taberna mercium, eo impedimento durante, & post emancipationem, vel è contra? p. 584.

Quæst. 133. An si testatrix duas in suo tertio instituat filias heredes sub conditione nubendi, & non emittendi professiones: si illarum una nubat, & altera professionem emittat; pars huic debitæ, si nuberet, accrescat nubenti, aut filio, seu filijs, illis substitutis? p. 585.

QUÆSTIONES SINGULARES

PER QUATUOR DISTRIBUTÆ DISPUTATIONES.

Prima continet quæstiones singulares de Sacramentis. Secunda quæstiones de Missis, Capellanijs,& Legatis. Tertia quæstiones de Censuris, Irregularitatibus, & Simonijs. Quarta de Contractibus, Restitutione, & Iustitia.

DISPUTATIO I.

DE SACRAMENTIS.

QUÆSTIO I.

An Baptismus sub hac forma collatus: *Ego te baptizo cum nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti Amen*, sit reiterandus.

SUMMARIUM.

1 *Facti species proponitur.*
2 *De hac forma non egerunt DD.*
3 *Vterque baptismus sub conditione est repetẽdus.*
4 *Certum est in adducta forma adesse dubium.*
5 *In dubijs minoribus baptismus est repetendus.*
6 *Infantes domi ab obstetricibus, & laicis hominibus baptizati, sub conditione sunt rebaptizandi.*
7 *Quotiescunque dubitatur de validitate baptismi, sub conditione necessario est repetendus.*
8 *Non obstat in contrarium ratio Tamburini.*
9 *Illatio ex dictis tàm pro baptismo, quàm pro ordinibus sub conditione suscipiendis.*
10 *Inter has formas*: In nomine Patris, &c. & cum nomine Patris,*&c. datur mutatio substantialis.*
11 *Non datur eadem mutatio in hac forma*: Ego te baptizo in nomine Patris,*ac* cum nomine Patris, &c.
12 *Non exprimitur essentia SS. Trinitatis in hac forma*: Ego te baptizo cum nomine Patris, &c.
13 *Forma, quæ non continet dubium morale, est valida.*
14 *Est grave sacrilegium reiterare baptismum; & tam reiterantes, quàm baptizati graves incurrunt pœnas.*

1 DUo fuerunt collata Baptismata sub hac forma. *Ego te baptizo cum nomine Patris, & Filij, &c.* unum à quadam fœmina, & alterum á laico in infantes vitâ periclitátes. Ex his infantibus unus est hodie sacerdos, formâ taliter collatam in suo baptismate ignorãs. Quærit uterque: an dictá baptismata sint sub conditione reiteranda? Et sacerdos: an etiã ordines susceptí sint sub eâdem conditione repetendi?

RESOLUTIO.

2 Eandem formam sub ijsdem verbis, qui bus cõstruitur, nõ inveni apud DD. quos legi; quamvis nõ pauci mentionem fecerint de hac: *Ego te baptizo cum nomine Patris, & cum nomine Filij, & cũ nomine Spiritus Sancti.* Vt videre est apud Comitol. *in resol. moral. l. 1. q. 10.* Bonac. *tom. 1. disp. 2. de Baptism. q. 2. punct. 4. n. 5.* citátem Ægid. & Filliuc. Dian. *2. part. tract. 17. resol. 15.* Tãburin. *tom. 2. l. 2. de Baptism. cap. 1 §. 5. nu. 41.* Dicastill *tom. 1. de Sacram tract. 2. disp. 1 n. 96 in fine,* & Leand. *1 part tract. 2 de Bapt disp 3. q. 16.* Et licèt hæc forma videatur coincidere cũ forma nostræ quæstionis; pluribus tamen verbis constat, ut patet. Et si hæc forma: *Ego te baptizo in nomine Patris, & in nomine Filij, & in nomine Spiritus S.* nõ dicitur valida apud Bonac. *proximè,* & alios, quos refert, propter repetitionem factam *in nomine*, quamvis oppositum teneant plures, quos affert, & sequitur Leand. *cit. q. 15.* sic etiam poterit aliquis cõcedere, hanc formã: *Ego te baptizo cũ nomine Patris, & Filij, & Spiritus S.* esse validam, & negare quòd hæc sit valida: *Ego te baptizo cum nomine Patris, & cũ nomine Filij, & cũ nomine Spiritus S.* propter repetitionem *Cum.* Et licet facilè appareat diversa ratio apud doctos, apud indoctos non ita facilè apparebit. His omissis.

3 Ad quæstionem propositam, respondeo, utrunque baptismum esse sub conditione repetendum. Moveor 1; quia certum est 1. posse baptismum reiterari sub conditione, quando de suo valore dubitatur, ut constat *ex cap. De quibus, de baptism.* ibi: *Dequibus dubium est, an baptizati fuerint, baptizentur his verbis præmissis: Si baptizatus es, non te baptizo: sed si non dum baptizatus es: Ego te baptizo in nomine Patris*, &c. Idem constat ex textu, *in cap. Parvulos de consec. dist.* 4. Certum est 2. Quòd indubijs semper magis inclinandum est in favorem baptizandi; nam tunc Sacramento injuria non fit, & saluti animæ periclitantis consulitur, ut docent Soar. *tom* 3. *in* 3 *part disp.* 22. *sect.* 2. *vers. Est autem*, ibi: *In hujusmodi dubio, semper est inclinandum in favorem hominis baptizandi, quia salus ejus est res maximi momenti.* Idem consulit. Vasq. *tom* 2. *in* 3. *part. disp.* 136. *cap.* 3. & *disp.* 146 *cap.* 4. *num.* 31. ibi. *Maior ratio habenda est utilitatis proximi, quam religionis debitæ Sacramento*, Taner. *q.* 2. *n.* 109. Præpositi. *de Sacram. baptism. q* 66. *art.* 8. *dub.* 2. At in casu proposito, negari non potest, adesse dubium; nã ut inquit D. Thom. 3. *part. q.* 66. *art.* 5 *in corpore*, in forma baptismi invocanda est Sanctissima Trinitas, ut causa principalis, ibi: *Oportet, quod in forma baptismi exprimatur causa baptismi: est autem ejus duplex causa, una quidem principalis, a qua virtutem habet, quæ est Sancta Trinitas; alia autem instrumentalis, scilicet minister, qui tradit exterius Sacramentum. Et ideo oportet in forma baptismi, de utraque fieri mentionem. Minister autem tangitur, cum dicitur: Ego te baptizo: causa autem principalis, cum dicitur: In nomine Patris, & Filij & Spiritus Sancti*, &c. Quæ doctrina traditur à Concil. Florent in decreto Eugenij IV ibi: *Quoniam cum causa principalis ex qua baptismus virtutem habet, sit Sancta Trinitas, instrumentalis sit minister, qui tradit exterius Sacramentum, si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur ministrum cum Sancta Trinitatis invocatione perficitur Sacramentum*, &c. Ergo constat, quòd in forma Baptismi invocanda sit Sanctissima Trinitas, ut causa principalis. Et de hoc tantùm agunt TT. qui, comparantes formam Baptismi, qua Græci utuntur: *Baptizetur servus Christi in nomine Patris*, &c. Cum ea, qua nos utimur Latini: *Ego te baptizo in nomine Patris*, &c dicunt, nostram eâ esse meliorẽ quia in Græca cum multum exprimatur, non adeo exprimitur Sanctissima Trinitas ut causa principalis: *Baptizetur servus Christi in nomine Patris*, &c. at in nostra magis exprimitur: *Ego te baptizo in nomine Patris*, &c. ut videre est apud Ægid Conine *q.* 66. *de Sacram. baptism art.* 6. *dub unic n.* 51 ergo necessarium est in Baptismo, ut causam principalem, Sanctissimam Trinitatem invocare, & solùm quando dicitur, *in nomine Patris* invocatur, ut causa principalis, nõ verò quando dicitur: *Cũ nomine Patris*, &c. quia re vera illud *cum nomine Patris*, &c. significat simultatem, & consortium causæ, vide Barbos. *de diction.* 75 *n* 6 & non rationem causæ principalis: hæc enim significatu per particulam, *in nomine Patris*, &c.

4 2 Quia negari nõ potest, adesse dubiũ in forma proposita: *Ego te baptizo cũ nomine Patris*, &c nam Leandr *cit. supr.* ut probabilius defendit Baptismũ sub hac forma collatũ *Ego te baptizo cũ nomine Patris, & cum nomine Filij, & cum nomine*, &c esse validum: ergo etiam idem dicet de nostro casu, contra Bonacin. Coninc. Filliuc Comitol. Dian. Dicastill. Tamburin. *supr. allatos* ex ea ratione, quia propositio *Cum* nullo modo exprimit unitatem essentiæ: at quando dantur opiniones probabiles, & inter se cõtrariæ, tenetur quis necessariò sequi tutam, & certam sentẽtiam, etiãsi negativa sit probabilior; & hoc maxime militat in Baptismo: nã quãdo agitur de salute animæ, *tutior pars est eligenda.* Sic cõmuniter docẽt TT. Vasq Villalob. Anton Perez, uterque Sãch. quos refert, & sequitur Dicastill. *cit dub.* 8 *n.* 195. & Coninc. *cit n.* 104. ergo Baptismus propositus iterũ est sub conditione repetendus: probabilius enim est non fuisse validũ, nam multo plures DD. docẽt, per propositionẽ *Cũ* nõ exprimi ũnitatẽ essẽtiæ, nec invocationẽ Sãctissimæ Trinitatis, ut causã principalem.

5 Confirmatur 1. hæc doctrina; nam in æqualibus, & hoc minoribus dubijs præcipiunt DD. baptismum sub conditione esse repetendum, ut quando quis sub hac forma fuit baptizatus: *Ego te baptizo in virtute Patris*, &c. ut docent Soar. *cit. disp.* 21 *sect.* 3. *vers. ex qua conclusione, in fine*, cum Sot *dist* 3 *q unic. art.* 5. §. *unde ad argumentum fine*, & cum pluribus Leand. *supr. q.* 18. Et cùm aliquis fuit baptizatus sub hac forma: *Ego te baptizo in Deitate Patris*, &c. ut cũ Soar. *ubi proximè*, & Henriq. docet Taner. *de baptism. q.* 1. *dub.* 3. *n.* 111 Idem quãdo fuit baptizatus, hoc modo: *In nomine Patris, & Christi, & Spiritus Sancti.* Cum Christus sit eadem Filij persona; & tamen Vasq. *cit. disp.* 41. *cap.* 4. cum communiori TT. sententiã, asserit esse reiterandum ipsum baptismum sub conditione; sicut etiam ille, qui fuit collatus sub hâc forma:: *Ego te baptizo in nomine primæ, & secundæ, & tertiæ personæ Trinitatis.* Et qui fuit collatus sub hac: *Ego te baptizo in nomine Genitoris, Geniti, & Spirati.* Ut cum D. Thom. Philiarc. Soar. Tolet. Filliuc. Henriq. Angel. Scot. Sot, Ledesm. Angles, Possevin. Rodrig. & alijs tenet Bonacin. *cit de Baptism. q.* 2. *punct.* 4. *num.* 12. Et etiam ille, qui fuit sub ista: *Ego te baptizo in nomine Patris, verbi, & Spiritus Sancti*; ut docent Coninch. & Filliuc. apud Bonac *proximè n.* 13 & Præpositi. *cit. dub.* 8. *n.* 71. Et etiã ille, qui fuit sub hac: *Baptizo te in unũ Deũ Patrem*, &c. *Et baptizo te in Deo Patre*, &c. ut contra Vasq. *cit. disp.* 143. *cap.* 5. *vers. Neque* tenet Præpositi. *cit dub.* 6. Et qui fuit baptizatus sub hac forma: *Ego te baptizo nomi-*

ne

ne Patris, &c. Quia baptizari nomine Patris, significat fungi nomine alterius, non verò significat invocationem, ut tuentur Angel. *verb. Baptismus 2.n.6* Sylvest. *Verb.Baptismus 1.q.11* Candelab. *de Baptism. q.26* Præpositi *ubi proximè dub.8.num.73* quidquid contrarium teneant Coninch & alij apud Dian. *part.2.tract.15 resol.47.& 48.* Ergo si in his repetendus est sub conditione baptismus, etiam in nostro casu est sub eâdem conditione repetendus

6 Secundò confirmatur eadem doctrina, quia Leand *cit.disp.3. q.45.* Abreus *de Paroch. l.9.de Sacram.sect.7.num.118.* Quintanad. *tract. 1 singul.5.n.2.* per hæc verba: Ego *censerem, omnes fere infantes ob mortis periculum præcipue domi à parentibus, cognatis, obstetricibus, aliisve laicis viris aut fœminis baptizatos communiter iterum baptizandos esse sub conditione Probo* 1. Sic Quintanad. cum aliquibus DD & Constit. Synodal aliquarum Diœcesum, existimâtibus, omnes infantes domi ab obstetricibus, fœminis, & hominibus laicis baptizatos, esse rebaptizandos sub conditione ex rationibus valde probabilibus, contra plures, quos referunt: sed baptizati in casu proposito, fuerunt domi baptizati, unus à fœmina non obstetrice, & alter ab homine laico: ergo etiam dato, quòd forma, qua Baptizati fuerunt, non esset dubia, ut est, juxta sententiam prædictorum DD. iterum sub conditione baptizari debebant: ergo á fortiori, quando forma fuit dubia, ut vidimus.

7 Quare cum absolutè doceant DD. quòd quotiescunque dubitatur de validitate Sacramenti baptismi, necessario baptismus est repetendus sub conditione: quia Sacramento nulla fit injuria, ut jam diximus, & vitatur damni gravissimi periculum, si forte infans baptizatus non sit. ut ultra cit docent Ægid. Coninch. *dict.q 66.art.9 dub.1 numer.91.* Quintanad. *cit. dict.tract.1.de baptism singul.2 n.3* Dian. *in addit ad 2 part.resol.10* Dicastill. *tom.1. de Sacrament. tract.2 disp 1 n 164 Abreus de Paroch.l 9 sect.7. numer.* 112. Leand. *tom. 1. tract. 1. disp. 5. q. 14. cum pluribus.* Vide Moyam. *tom 1. in qq. select. tract. 1. q. 9. numer. 16. & 27.* ubi plures DD. invenies citatos; idem dicendum de nostro casu.

8 Nec videtur obstare Tamburin. *cit.dict. cap.1.§ 7 num.2.* asserens, quoties probabilem habes opinionem, sive ex jure, sive ex facto, te non esse baptizatum, toties licitè te posse baptizari sub conditione, sed non obligari. Et ratio primi est, quia habes prudentem, & rationabilem timorem de carentia tui baptismi; ratio secundi, quia potes sequi opinionem probabilem, te esse baptizatum. Non inquam obstat; quia *num. 3. sequenti* asserit, te esse obligatum rebaptizari sub conditione, quoties non habes certitudinem moralem de validitate tui baptismi collati, etiam si habeas opinionem probabilem, baptismum collatum, fuisse validum. In nostro autem casu, non datur certitudo moralis de baptismo collato; quia in oppositum datur opinio probabilior, baptismum non fuisse collatum formâ requisitâ. Et licèt solùm daretur opinio probabilis, adhuc non daretur certitudo moralis. Aliter, & melius responderi potest ad argumentum cum P. Moya *cit n.16.* & alijs, quos affert & sequitur asserendo: si attendamus reverentiam Sacramento debitam, licere sequi opinionem quamcunque probabilem, si non obstet usus, & consuetudo Ecclesiæ: at si attendamus fructum Sacramenti, vel damnum proximo imminens, ex defectu valoris, teneri nos sequi tutiorem partem; & cum in nostro casu sequi posset damnum proximo, si forte ille baptismus non fuisset validus, ratione hujus damni tenemur sequi partem tutiorem, nempe, quòd baptismus sub conditione repetatur.

9 Ex dictis sequitur teneri utrumque in facti specie allatum, iterum sub conditione baptismum suscipere. Et dum illum non suscipiunt, non possunt absque gravi causa ullum aliud suscipere Sacramentum; aliàs enim periculo se exponunt invalidè suscipiendi, si fortè baptizati non sint. Unde dictus sacerdos non potest dicere Missam, confessiones suscipere, quin prius sub conditione ordinis Sacramentum reiteretur. Secus imponitur periculo nulliter operandi, si forte quando ordines suscepit non erat baptizatus. Sic cõmuniter TT. Bard. Dian. Verricelli Angel. Soar. Valent. Granad. Leand. quos affert, & sequitur Moya *cit. dict.n. 16. in fine.*

ARGUMENTA SOLUTA.

1 Ad maiorem doctrinæ præcedentis confirmationem, argumenta, quæ videntur obstare, proponenda, & dissolvenda sunt. Non enim obstat 1. communis TT. doctrina, asserentium formam Sacramenti nõ invalidari per mutationem verborum accidentalem, sed solùm per mutationem substantialem: mutationem autem substantialem illam dicunt, quæ sensum variat; & illam, quæ non variat, dicunt accidentalem: at *in nomine Patris*, aut *cũ nomine Patris* sensum non variat. Nam eodem non variato sensu dicimus: *Vade in nomine Dei*, vel *Vade cum nomine Dei.* Non inquam obstat quia respondetur concedendo maiorem, & negando minorem, nam in forma adducta in casibus propositis. datur variatio substantialis, quia variat sensum, cùm non exprimatur per propositionem *Cum* unitas essentiæ, nec Sanctissima Trinitas, ut causa principalis, ut rectè exprimitur per propositionem *In*, ut jam dictum est. Quod autem in illo modo loquendi, *Vade cum nomine Dei*, vel *Vade in nomine Dei* idem sit sensus, parum refert, quia ad illum nõ requiritur expressio causæ princi-

palis, vel invocatio, ut in baptismo requiritur.

11 Non obstat 2. nam æqualis, vel maior mutatio continetur in his verbis: *Ego te baptizo in nomen Patris, & Filij, &c.* quam in his: *Ego te baptizo cum nomine Patris, & Filij, &c.* Et tamen omnes TT. asserunt eam formam esse validam, ut videre est apud Præpos. *de Sacram. Baptism. q. 66. dub. 8. nu. 73.* Et patet, quia, præterquam quod habeat eundē sensum; ita habetur *in textu Græco S. Matth. cap ult.* Non inquam obstat, nam datur diversa ratio in forma: *Ego te baptizo in nomine Patris, &c.* nam præterquam quod constet, ita esse expressum in textu Græco S. Matth. bene exprimitur essentia divina, & Sanctissima Trinitas, ut causa principalis ad rationem ministri, qui est solùm causa instrumentalis: at in nostro casu, *Ego te baptizo cum nomine Patris, &c.* particula cum nomine solùm exprimit consortium causæ, & non essentiam, nec rationem causæ principalis, ut diximus.

12 Nec obstat 3. dicere: Quòd *Concil. Florent in Decreto unionis*, illa verba Christi Domini explicans, *Matth. ult. Baptisantes eos in nomine Patris*, &c. Concludit: *Si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur ministrum, cum Sanctissimæ Trinitatis invocatione, perficitur Sacramentum, &c.* Unde duplex ponderanda est causa ad nostrum intentum. 1. ubi inquit Concil. valere formam baptismi, in qua exprimitur operatio baptizantis, ut exprimitur in verbis: *Ego te baptizo*; Deinde invocatio Sanctissimæ Trinitatis, & hæc sufficienter exprimitur dicendo: *In nomine Patris, &c.* vel *cum nomine Patris, &c.* 2. Quia Concilium inquit *cum invocatione, &c.* Unde sequitur, tantùm valere, *in invocatione*, quàm *cum invocatione*; tantùm *in nomine Patris, &c.* Non inquam obstat, quia in primis respondetur, in his verbis: *Ego te baptizo cum nomine Patris, &c.* non exprimi essentiam, nec invocationem Sanctissimæ Trinitatis, ut causam principalem. Deinde assero, quòd quando Concil. Florent. inquit, Baptismum esse conferendum cum invocatione Sanctissimæ Trinitatis, vult dicere esse conferendum in ea forma, quam Christus docuit, quæ est, *In nomine Patris, &c.* & non vult dicere, esse conferendum, *cū nomine Patris, &c.*

13 Nec obstat 4. dicere, posse ostendi dictam formam: *Ego te baptizo cum nomine Patris, &c.* esse validam cum exemplis aliarum mutationum similium, quas TT. vocant accidentales, & unanimi consensu dicunt, esse validas absque ullo dubio morali; quales sunt: *Te baptizo in nomine Patris, &c. Baptizo te in nomine Patris, &c. Lavo te in nomine Patris, &c. Abluo te in nomine Patris, &c. Baptizetur servus Christi in nomine Patris, &c. Ego te baptizo in nomine Patria, & Filia, &c.* In quibus casibus communiter dicunt TT. validum esse baptismum, nec reiterari posse, eo quòd in illis non detur dubium morale: ergo cum in nostro casu nullum detur dubium morale, reiterari non potest absque gravi sacrilegio? Ille enim qui baptizat etiam sub conditione, cum de baptismo moraliter constat, censetur absolutè rebaptizare, ut cum cōmuni DD. tenent Sotus. *in 4. dist. 6. q. unic. art. 9.* Soar. *tom. 3. in 3. part. disp. 31. de baptism. sect. 6.* Vasq. *ibidem tom. 2 disp. 146. nu. 30.* Taner. *cit. q. 2 num. 109.* Præpolit. *ubi proximè dub. 2 & alij*; quidquid in oppositum teneat cum aliquibus Leand. *tom 2 tract 2 disp 7 q. 9.* Sed absolutè rebaptizare est grave sacrilegium, ut definitur à Leone 1 *Epist 37. ad Leonem Episcopum cap. 1.* & *Epist. 39. ad Nicetam cap. 7.* & à Concil. Carthaginiens 1. *can. 1.* & ab Eugenio IV. *in Decret. fidei post sess ult.* & à Cc. Florent. & Trident. *sess. 7 can 9. de Sacram. in genere & can. 11. de Baptism.* & Vienens. & a *Clem. ult. de sum. Trinit.* Et constat *ex illo ad Ephes. 4 n. 5. Vna fides, unus Dominus, unum baptisma*; & ex symbol. Nycen. *Confiteor unum baptisma.* Unde in jure graves impositæ sunt pœnæ rebaptizantibus, & rebaptizatis. In jure Civili pœna mortis, *l. 1. & 2. C. ne sanctum Baptisma reiteretur l. ultim ff. de panis.* In jure can. irregularitas. Vide Coninch. *de Sacram. Baptism. q. 66. art 9. dub. 1. n. 105.* Leād. *tom. 5. de Irreg. tract. 2. disp. 18. q. 1.* Nec ab illa qualescunque scrupuli excusant, ut cum communi DD. tenet Catechismus Roman. *part. 2. cap. 2. de bapt.* § 43. ubi inquit, alias gravem fieri injuriam Sacramento Quod late prosequitur Coninch. *ubi proximè n. 92.* Non inquam hæc obstant, nam omnes illæ varietates eorum baptismatum sunt accidentales, & sensum non mutant; at in nostro casu, & sensus variatur, & non exprimitur essentia, nec ratio causæ principalis. Ad Concil. & textus respondetur solùm prohibere, baptismi Sacramentum reiterari, quando adest certitudo moralis illius collationis, & non quando illa non datur; ut non datur in nostro casu, ut satis ex dictis ostendimus.

QUÆSTIO II.

An pater baptizans proprium filium legitimū in necessitate, aliquibus fœminis præsentibus, peccet mortaliter, & privatus maneat á debiti petione.

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Ignorantia legis à pœna, & culpa excusat.*
3 *Etiā ab ijsdē excusat subita, & indeliberata actio.*
4 *Præcisis dictis eventibus, adhuc non interdicitur debiti privatio.*
5 *Non obstat cap. ad limina.*
6 *Nec obstant Constit. Synodales hujus Regni.*
7 *Potest in præsenti casu à peccato mortali dictus pater excusari, quanvis opinio communis teneat in eo casu committi mortale.*

1 VIncentius post partum uxoris, præsentibus aliquibus fœminis, proprium filium baptisavit. Quæritur: An peccasset mortaliter, & privatus maneat á jure petendi debitum.

RESOLUTIO.

2 Respõdeo, & Dico 1. nec peccasse mortaliter, nec privari à petendo debito, si quando filium baptisavit, ignoravit prohibitionem & sicut excusatur à culpa, sic etiam excusatur à pœna, in casu, quo aliqua ei esset imposita, propter illud factum. Sic communiter DD. Sanch. *l.* 9. *de matr. disp.* 32 *n.* 49. dicens, sic docere omnes DD. Bonacin. *tom* 1. *q.* 4 *de matr. punct.* 2 *n* 6. Basil. Pontius. *l.* 10 *de matr. cap.* 6. *n* 8 Laym. *in sum. l* 5 *tract.* 10 *part.* 4. *cap.* 8. *n* 8. *vers illud verò* Leand. *tom.* 2. *tract* 9. *de matr. disp.* 25. *q.* 60. & alij quos citant.

3 Dico 2. non peccasse mortaliter, nec privari à jure petendi debitum, si in illo infantis mortis periculo, miseratione commotus, ne absque baptismo decederet, subitò raptus animi festinatione filium, ne periret in æternũ, baptisavit: in illa enim perturbatione, & periculo nullus dabatur locus ad deliberandum. Sic Sanch. *l.* 9 *de matr. disp* 26 *n.* 2. *in fine*, & alij, & probabile judicat Basil. Pontius *de matr. l.* 10. *cap* 6 *n.* 5. *in fine.*

4 Præcisis illis eventibus, adhuc probabilius existimo, dictum parentem, præsentibus illis fœminis, potuisse filium suum baptisare in illo periculo, absque incursione pœnæ petendi debitum: ratio est, quia non est textus, qui hanc pœnam præcipiat, & si præcepit, jam à textibus posterioribus fuit correctus Et ita docẽt Soar. *in* 3. *part. tom* 3 *q.* 67. *art* 8. *vers. penult.* Ægid. Coninch. *de Sacram. disp* 34. *dub.* 8 *num.* 69. Heredi *de Baptism. punct.* 6. *dub.* 2 *n.* 6. *G.* Hurtat *de matr. disp.* 10. *difficult.* 6 quos affertũ, & sequũtur Dian. 3. *part. tract* 4 *resol.* 3. *Tambur. l.* 2. *de de Bapt. cap.* 2. *n.* 8. Leandr à Sacram. *tom.* 1. *tract* 2. *de Bapt. disp.* 4 *q.* 32.

5 Nec obstat *cap. Ad limina*, 30 *q.* 1. quod videtur exigere necessitatem, ut pater possit filiũ suum in extrema necessitate baptisare, ibi: *necessitate cogente*, quando verò adsunt fœminæ, quæ hoc munus possunt obire, nulla datur necessitas, ut pater proprium baptiset filium. Accedit sententia communis inter DD. asserens, dictum parentem in eo casu manere privatum à jure petendi debitum. Ut cum Sanch. *l.* 9. *de matr. disp.* 26. *n.* 2. post medium, sentiunt Villal. *tom* 1. *tract.* 13 *diffic.* 51. *n.* 1. & pluribus citatis Barbos. *in collect. tom.* 5. *ad cit cap. Ad limina n.* 8. & Ludovicus apud Leand. *cit.* Non in quam obstat *citat. textus*, nec ea sententia: non obstat textus, quia loquitur de parente baptisante proprium filium in necessitate, in absentia tantùm sacerdotum, & non aliarum personarum ibi: *Quod filium suum in extremo vitæ suæ positũ, nec dum baptismatis unda lotum absentiâ scilicet sacerdotum, necessitate cogente, baptisasset.* At Vincentius quãdo proprium filium baptisavit, nullus præsens erat sacerdos. Nec obstat sententia tot gravium DD. nam fundatur *in cit. text.* qui aliorum non fecit mentionem, nisi sacerdotum, & pœnæ non sunt inducendæ, nisi expressè sint impositæ aliquo textu, ut rectè colligitur *ex text. in cap. isqui de sentent. excom. in* 6. & cum nullus sit textus expressè dictam pœnã imponens parenti, proprium filium in cecessitate baptisanti, illi non imponitur.

6 Non obstant. 2. constit. synodales aliquarum Diœcesum hujus Regni Ulysiponens *l.* 1. *tit* 7. *decret.* 2 §. 1. *ibi*: *Et baptisante patre, aut matre in defectu aliarum personarum, inter illos non contrahitur cognatio spiritualis &c.* Idem habetur per similia verba *in Constit. Ægitanens. l.* 1. *tit.* 5. *cap* 7. §. 1. Idem in Conimbricens. *tit.* 2. *Const.* 2. Idem in Funchalens. *titul.* 3. *const.* 3. §. *Eporem*: ergo si non deficiant aliæ personæ, ut in nostro casu non defecerunt, cognatio contrahetur. Non inquam, hæ obstant, quia hæ Const. fuerunt editæ quando vigebat sententia communis, eam doctrinam asserens; at in præsenti, ut probabilior à DD. docetur opposita & absque scrupulo procedit, qui illam sequitur. Si tamen aliquis sequatur constit. prædictas bene operatur, quia per opinionem contrariam, non cessarunt dictæ constit.

7 An verò Vincentius peccasset mortaliter, baptisans proprium filium, illis præsentibus fœminis? Respondeo mihi videri in præsenti non peccasse mortaliter. Probatur, quia erat vir prudens, & non ignarus, & bona fide existimavit, ut audierat, in conferendis his baptismis, virum fœminis esse præferendum. Ut tradunt DD. *ex cap firmiter, de Sũma Trinit. & fide cathol.* asserentes cum D Thom. nempe Sylvest. *Verb. Baptismus* 3. *q* 1. Tamborin. *l.* 2. *de Bapt. cap.* 2. § 2. *n* 1. Dicastill. *tom.* 1. *de Sacram. tract.* 2. *disp.* 2. *a n.* 9. Leand. *tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 4 *q.* 5, *& alij*, in necessitate baptismum esse conferendum, absente parocho, à sacerdote, & hoc ablente, à diacono, & post hunc à subdiacono, & postea à clerico, deinde à laico & postea à fœmina, infideli, &c. Et quamvis hujus ordinis inversio, post sacerdotem, & diaconum si baptisans sit catholicus, & nulla censura ligatus, existimetur venialis tantúm à Coninch. Soar. Zechio, Sa, Rodrigues, Henriq. Valent. Reginald. Bartholam. ab Angelo, Philiarcho, Tolet. Grassis, Vivald. Angles, Chamerote, quos citatos sequitur Dicastill. *proximè n.* 31. Et idem videntur plures alij sentire, quos citatos invenies apud Tamb. *cit. dict.* §. 2. *n.* 3. At Vincentius hoc ordine uti non poterat erga baptismum sui filij præsentibus fœminis, quia conjugi nõ permittitur baptisare proprium filium nisi in necessitate, ut constat *ex cit. cap. ad limina*, at ea necessitas cessat, quando sunt præsentes alij, qui hoc munus possunt obire, quia tamen bona fide processit,

cessit, à peccato mortali potest excusari.

Potest etiam Vincentius á peccato mortali excusari, ex hac ratione; quia ut docet Tambur. *cit. n. 5.* quando in periculo mortis infantis adsunt vir, & fœmina, vir potest cedere officium baptisandi mulieri, quando mulier est peritior ad baptisandum, ut sic securius Sacramentum tantæ necessitatis conferatur: ergo cum illæ fœminæ adstantes non essent peritæ adhoc Sacramentum ministrandum, ut erat ipse Vincentius, qui erat illis sine controversia, peritior, poterant ipsæ fœminæ cedere Vincentio, ut de facto cesserunt, ut sic securius Sacramentum tantæ necessitatis ministraret. His rationibus non sufficientibus, communis DD sententia ex pluribus textibus ab Hurtat. *citat. de matr. disp.* 10 *diffic.* 6. *quosq. latè citat.* Leand. *tom.* 1. *tract.* 2 *disp.* 4 *q.* 32. Tamb. *supr. n.* 10. tenet peccare mortaliter.

QUÆSTIO III.

An qui invalidè suscepit Sacramentum Confirmationis, aliquam incurrerit censuram, sacros suscipiendo ordines? Et factus Episcopus, peccet mortaliter alios confirmans?

SUMMARIUM

1 *Facti species proponitur.*
2 *Absque Sacramento Confirmationis, validè omnes alij ordines suscipiuntur.*
3 *Probabilius est, Confirmationem non esse necessariam necessitate præcepti ad ordines suscipiendos. Qui scienter, secluso contemptu, suscipit ordines ante susceptam Confirmationem, solum peccat venialiter: ibidem; non tamen in præsenti casu. ibidem.*
4 *Ordinatus, ante susceptam Confirmationem, non incurrit suspensione, nec irregularitatem.*
5 *Confirmati ab Abbatibus, post ordines susceptos, non sunt confirmandi.*

1 CAllistus bona fide Sacramentum Confirmationis, & ordines Minores ab Abbate Benedictino suscepit. Anno tamen 1655. sexto Iunij Sacra Cc. cõgreg declaravit ab Abbatibus confirmatos, validè non fuisse cõfirmatos, ibi: *Abbates non posse conferre Sacramentum Confirmationis, & ab illis confirmatos indigere nova confirmatione.* Circa ordines Minores declaravit, illos, qui ab Abbatibus eos suscepere absolutione indigere, & rehabilitatione *a Sanctissimo obtinenda.* Circa hoc ultimum nõ procedit quæstio, quia vel hæc fuerunt obtenta, vel judicatum non esse necessaria, quia ordines Minores valide fuerunt collati. Procedit igitur quæstio circa Sacramentum Confirmationis, quia valide non fuit collatum. Quæritur 1. An suscipiens ordines sacros absque cõfirmatione, validè illos susceperit, & aliquam incurrerit suspensionem, aut irregularitatem? 2. An si fiat Episcopus, possit Sacramentum Cõfirmationis, quod non suscepit, alijs cõferre?

§. I.

An suscipiens ordines sacros, non præmissa cõfirmatione, valide illos susceperit, & incurrerit aliquam suspensionem, aut irregularitatem?

2 Respondeo, & dico 1. quanvis *in Cõcil. Trid. sess.* 23. *de reform. cap* 4. dicatur, Sacramẽtum Confirmationis requiri ad ordines, ut ibi dicitur: *Prima tonsura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint.* Ordinatum tamen, eo non præmisso sacramento validè ab omnibus ordinibus fuisse ordinatum, nec ij sunt repetendi. Sic Sylvest. *verb. Ordo* 2 *q.* 1. Navarr. *in Man. cap.* 22. *n.* 9. *Henriq l.* 1 *cap.* 14. *n.* 2 & DD. ff. & Canonistæ communiter, quos afferunt, & sequuntur Marchin *de ord. tract.* 1. *part.* 4. *cap.* 3. *n.* 2 Barbos *in collect. ad cit. cap. Trident. n.* 1. ex ea ratione quia character ordinis á charactere Confirmationis non habet dependentiam.

3 Dico 2 probabilius est, Sacramentum confirmationis, non esse necessarium necessitate præcepti ante ordinationem. Ita cum pluritur Barbos. *proximè* Navarr. *cit. n.* 19. *in fine* Azor *part* 2. *l.* 3 *cap* 48 *q.* 1. Valent *tom.* 4 *disp.* 5 *q* 2. *punct.* 3 Soar *tom.* 3 *in* 3 *part. disp.* 38. *sect.* 1. *in fin.* cum Sot. vict. & alij, quibus subscribunt Ægid. de Sacram. *disp.* 20 *n.* 103. Reginald. *l.* 28 *n.* 24. Dicastill. *tom.* 1 *de Sacram tract.* 3 *disp. unic. dub.* 10. *n.* 100. Trullench. *tom.* 3. *cap. unic. de Cõfirm. n.* 13. Castr. Pallaus *part* 4. *tract.* 20. *punct* 8 *n.* 6. *fine* Torreblanca *l.* 2 *practic. cap* 6 *n* 37. Leand. *part.* 1. *tract.* 3. *de Sacram Confirm. disp.* 2 *q.* 8. & 9. Hurt. *tract. de confirm. diffic.* 11. *in fine.* Marchin. *de Sacram. Ordin. tract.* 1. *part* 4. *cap.* 3. *n.* 3. Dian. 2. *part. tract.* 16. *resol.* 4 & 3. *part. tract.* 4. *resol.* 24 & *part.* 8 *tract.* 1. *resol.* 47 *fine*, & 10 *part tract.* 11. *resol.* 14 *cum pluribus*, & Molfesius *in sum tract.* 2. *cap.* 11 *n.* 7. Qui omnes dicunt, eũ, qui scienter, secluso contemptu, suscipit Sacramentum ordinis ante Sacramentum Confirmationis, solùm peccare venialiter, ratione indecentiæ; & de hac solùm loquitur Trident quando inquit, ne ordinetur ille, qui non fuit confirmatus ratione indecentiæ confirmandi post ordinationem, & ordinandi, quin sit cõfirmatus: At Callistus bonâ fide fuit ordinatus, quin fuisset confirmatus: existimabat enim, se esse validè confirmatum. Ex qua bona fide ex ignorantia juris, & errore facti orta, nec veniale commisit. Nam licet ignorantia juris non præsumatur, nec eum excuset, *regul. ignorantia de regul. juris in* 6. ibi *ignorantia juris non excusat*, ut tenent DD. apud Barbos. de Axiomat. 113. *n.* 7. limitatur tamen ibi *n.* 11. cum pluribus quando ignorantia juris habet ad mixtam ignorantiam, seu errorem facti, ut in præsenti casu.

4 **Dico 3.** Callistum nullam incurrisse suspensionem, aut irregularitatem. Nam ordinatus absque prævia confirmatione, illas non incurrit, ut communiter defendunt DD quos late citant, & sequuntur Sayr. *de Cens. l. 7. cap. 10. fine*, Soar. *de Cens. disp. 42 sect. 3. in fine* Avil. *ibibem part. 7. disp. 3 n. 6.* Dian. *2. part. tract. 16 resol. 4* qui omnes asserunt in jure talem suspensionem, aut irregularitatem non inveniri, nec libere inducendas juxta textum *in cap. is qui, de sent ent. excommun. in 6.*

5 Ex hac 3 resolutione colligitur, eos qui sunt ordinati ab Abbatibus confirmati, nō debere confirmari, quia jam sunt Ordinati, ut sane fuit Callistus. Nam hoc confirmationis sacramentum non est de præcepto: hoc enim sacramentum ante ordines, & non post illos, ex indecentia est suscipiendum. Indecentia quippe est, suscipere Confirmationem post ordines susceptos. Vide *infra q. 13.*

§. II.

An factus Episcopus possit Sacramentum Cōfirmationis, quod non suscepit, conferre?

6 *Episcopus non confirmatus validè confert Sacramentum Confirmationis.*

7 *Episcopus in præsenti casu non peccat venialiter conferendo Sacramentum Confirmationis.*

8 *Episcopus, qui suscepit presbyteratum per saltum, non suscipiens subdiaconatum, aut Diaconatum, hos ordines prætermissos validè, sed nō licitè potest conferre.*

9 *Callistus post ordines susceptos absque indecentia non potest confirmationem suscipere.*

10 *Prima tonsura de necessitate præcepti ordinibus Minoribus præferenda est, si tamen prætermissa sit, post eos ordines suscipienda no est.*

6 REspondeo in casu, quo Callistus fiat Episcopus, posse Sacramentum Confirmationis conferre, licet illud non susceperit. Ratio est, quia vere habet characterem Episcopalem, in quo fundatur potestas confirmādi. Sic contra nonnullos Dicastill. *tom. 1 de Sacram. tract. 3 disp. unic dubit. 11. n. 126.* Navarr. *in man cap. 22. n. 9:* Granad. *tract. 2. disp. 1. nu. 11.* Trullenc. *tom. 3 l. 2 cap. unic. de Confirm nu. 14.* Dian *part. 10. tract. 11. resol. 14.* Leand. *part. 1. tract. 3. disp. 2. q. 6 & alij quos citat.*

7 Dian. tamen, & Leand. *Locis cit.* asserunt, Episcopum non confirmatum peccare venialiter, aliquos confirmantem, quia datur aliqua inordinatio in eo, quod aliquis ex officio ministret Sacramentum, quod non suscepit. Existimo tamen Callistum, si fiat Episcopus, non peccare venialiter, Sacramentum cōfirmationis administrantem quia citati DD. supponunt, Episcopum hoc Sacramentum ministrantem, non confirmatum, peccasse venialiter, non suscipientem, ante ordines susceptos, hoc Sacramentum, propter eam in ordinationem, & indecentiam, ut *supra* expluribus DD. jam notavimus: at Callistus eā non commisit in ordinationem, & indecentiam, quia bona fide, quanvis ex errore, existimabat, jam confirmationis Sacramentum suscepisse; & cum post ordines susceptos, etiam esset in ordinatio, & indecentia, confirmationem suscipere: ergo nulla apparet indecentia in eo, quòd non confirmatus alios factus Episcopus, confirmet.

Confirmatur, quia Trullench. *cit. nu. 5.* affirmat, non peccare venialiter eum, qui secluso contemptu, Sacramentum confirmationis omisit, quia de illo suscipiendo nullum datur præceptum: ergo nec peccabit venialiter Episcopus non confirmatus, charecterem habens Episcopalem ad alios confirmandos; quando absque propria culpa confirmationem omisit. In hoc enim Episcopo non confirmato nulla apparet indecentia, nec inordinatio; quidquid sit de alijs, quia suâ culpâ confirmati non fuerunt.

8 Nec obstat, quòd Episcopus non possit conferre illum ordinem, quem per saltum nō suscepit, v. g. Diaconatum, aut Subdiaconatum post susceptum Presbyteratum, & Episcopatum, ut cum pluribus tenet Bonac. *tom. 3. de Cens in particul. disp. 3. q. 1. punct. 2. n. 7. fine*: ergo etiam non poterit conferre Sacramentū confirmationis. Non inquam obstat, quia respondetur distinguendo antecedens, nō potest conferre validè illum ordinem, quem non suscepit, nego antecedens; non potest illum conferre licitè, concedo antecedens; & ita docet Bonac. *cit. cum pluribus*, & Dicastill *tom. 1. de Sacram. tract. 6 disp unic. de ordin. dubit. 16. num. 218.* contra aliquos. Ratio est, quia ratione ordinationis Episcopalis, validè confert illos ordines, quos non suscepit cum vere etiam Sacerdotium suscepisset; eos tamen, quos non suscepit, licitè conferre nequit: nam omnis, qui caret ordine inferiori, prohibitus est in superiori ministrare. At in nostro casu Callistus nec venialiter peccavit, Sacramentum Confirmationis non suscipiendo ante ordines, nec illud post ordines susceptos sine indecentia suscipere poterat; nec aliam contraxit prohibitionem, ne superiores ministrare possit ordines, aut inferiores, aut ipsam confirmationem conferre. Si enim prima tonsura est de necessitate præcepti, alijs ordinibus præferenda; & tamen ille, qui eam prætermisit, non tenetur illam post ordines minores suscipere, ut cum Ioann. Baptista de Fabris tenet Dian. *6. part. tract. 8. resol 29.* á fortiori non tenebitur Callistus confirmationem suscipere, quia de illa suscipienda, non datur præceptum, ut *supra* ex Trullenc notavimus.

QUÆSTIO IV.

An Episcopus, aut Capitulum sede Vacante, sub censura prohibere possit, ne fideles communicent, nisi de octo in octo dies?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Designatio dierum ad Sacram. Communionem, jam prohibita fuit a S. Co. Cogreg. anno 1587.*
3 *De mandato Innocentij XI. fuit etiam prohibita à S. Co. congreg anno 1679.*
4 *Ostenditur eam dierum designationem non esse licitã per Concil. Trident. & ipsum jus Canon.*
5 *Idem ostenditur à SS. PP. quos non sequuntur aliqui TT.*

1 QUoddam hujus Regni capitulum Sede vacante, in reverentiam Sacrosanctæ Eucharistiæ sub præcepto, & cẽsura prohibere voluit, ne fideles laici etiam exemplaris vitæ, communionem susciperent, nisi de octo in octo dies. Quæritur 1. An hoc præceptum ad personas vitæ probatæ sit licitum? 2. An quoad negotiatores, & conjugatos.

§. I.

An præceptum, quod fideles probatæ vitæ, & virtutis, frequentius non communicent, nisi octavo die, sit licitum?

2 Respondeo, non esse licitum. Ostenditur 1. ex causa, & obstantia contra quemdam Episcopum volentem præscribere dies, in quibus tantùm liceret laicis Sacram. Eucharistiam sumere; ut videre est apud Barbos. *in Collect. ad Concil Trident. sess. 22. de Sacrif. miss. cap. 6. lit* a Ioann. Sanch. *in select. disp. 22. sub n.* 19. Hurt. *de Sacram. tom. 2. tract. de Euchar. disp. 9. diffic 22. vers. Recentiores* Dicastill. *de Sacram. tom. 1 tract. 4. disp. 18 n. 416.* Hæc obstantia S. Concil. congreg contra eum Episcopum *habetur 4 tom. decis. Rotæ & fuit lata anno* 1587. his verbis: *Obstat Concilium Tridentinum Episcopo volenti præscribere certa tempora, ut dies Dominicos, quartam, & sextam feriam, quibus tantum liceat viris laicis, conjugatis, negotiatoribus & mulieribus etiam non conjugatis, Sanctissimam Eucharistiam sumere, etiam ob irreverentiam, quam potest quotidiana hujus Sacramenti sumptio in sua diœcesi parere* Hæc ibi. Redditur autem ratio, ob quam Concil. obstet Episcopo, sic præscibere volenti. *Quia antiquis temporibus peracta consecratione omnes adstantes sumebant Eucharistiam, & ideo licitum est quotidie Eucharistiam sumere.* Et de hac declaratione S. Congreg. non est dubitandum, nam cohæret cum alio novissimo Decreto, *ut n.* 3. videbimus. Vide Dicastill. *cit. n.* 462. Ex dictis recte infertur, non esse licitum ferre præceptum de non sumenda Eucharia, nisi octavo die.

3 Secundò ostenditur non esse licitum illud præceptum ex Decreto circa Communionem quotidianam edito Romæ 15. Februarij anno 1679 jussu Innocentij XI. & ab eo approbato, & mandato publicari, quod habetur in quodam libello, cujus titulus est. *Constitutiones, & Decreta Apostolica præcipue utilia hoc tempore adversus quosdam abusus in materia Fidei, & Morum*, typis datum Coloniæ Agrypinæ *anno* 1679. *folio* 106. In quo nulla dies præscribitur, in quâ non possit quis Sacram accipere Eucharistiam, nisi inferia sexta Parasceves, de qua *infra*: Sic enim inquit: *Et si frequens, quotidianus ve Sacrosanctæ Eucharistiæ usus à SS. PP. fuerit semper in Ecclesia probatus; nunquam tamen, aut sæpius illam percipiendi, aut ab ea abstinendi certos singulis mensibus, aut hebdomadis dies statuerunt.* Ex quo sequitur, quod nec Episcopus, nec capitulum sede vacante, possit dies præscribere, in quibus sit sumenda, vel non sumenda Sacra Eucharistia.

4 Tertio ostenditur, nam quando personæ sunt vitæ exemplaris, & adhoc Sanctissimum Sacramentum cum vera humilitate, & profunda reverentia accedunt, laudabilior est frequens communio, immo gratior Deo, si esset quotidiana, ut docet *Concil Trid. sess. 22. de Sacrif. Miss. cap. 6.* ibi: *Optaret Sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes, nõ solum spirituali affectu, sed Sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione, communicarent, quoad eos Sanctissimi hujus Sacrificij fructus uberior proveniret.* Consonat. *text. in cap quotidie, de consecrat. dist. 1.* ibi: *Quare exhortandi sunt fideles, ut sicut quotidie, peccant, quotidie medicinam accipiant. cap quotiescunque, de consecrat. dist. 2. ibi: Debeo illum semper accipere, ut semper mihi peccata dimittantur, qui semper pecco, semper debeo habere medicinam. Et text. in cap. non iste, ead. dist.* ibi: *Iste panis quotidianus est, accipe quotidie.* Et Catechism. B. Pij V. *parte 2. de Euchar. n. 60.* ibi: *Quare Parochi partes erunt fideles crebro adhortari, ut quemadmodum corpori in singulos dies alimentum subministrari necessarium putant, ita etiam quotidie hoc Sacramento alendæ, & nutriendæ animæ curam non abjiciant.*

5 Et in hoc sensu SS. PP. fideles ad communionem quotidianam exhortantur. S. Augustin. *de verbis Domini serm. 28.* S. Ambros. *l. 5. de Sacram. cap. 4.* S. Ignatius *Epist. ad Ephes.* S. Basilius. *ad Cæsaream patriam*, D. Chrysost. *homil. 61. ad populum Antiochen.* D. Cyprianus *serm. 6. de orat. Domini*, D. Hieronymus. *ad Lucin. Epist. 28.* D. Cyrillus *l. 3. in Ioann. cap. 37.* Hos SS. PP. non pauci secuti fuerunt Scholastici, alij contra cõcederunt. Videantur Dian. *part. 11. tract. 7. resol. 15.* Ioannes Sanch. *in select disp. 22.* P. Dicastill. *cit. dict. tract. 4. disp. 9. dub. 18.* Ubi pro utraque parte plures affert. Standum tamen est *supra adducto Decreto S. Co. Congr.*

Congr. Sub Innocentij XI. mandato, prohibentis ne sacræ communionis frequentia, etiam quotidiana impediatur, *ut* §. *seq.* videbitur.

§. II.

An saltem negotiatoribus, & conjugatis imponi possit præceptum non communicandi, nisi post octavum diem?

SUMMARIUM.

6 *Hoc præceptum negotiatoribus, & conjugatis imponi non potest, sed relinquendum confessariorum judicio, ut præscribant quod illorum saluti prosit.*
7 *Quale debeat esse confessariorum judicium?*
8 *Quid in hac materia ad Episcopos pertineat; providebunt tamen nequis, qui ad Sacram communionem sive frequenter sive quotidie accesserit, repellatur.*
9 *Illatio ex dictis ad quæstionem propositam.*
10 *Admonentur Episcopi, ne in feria sexta Parasceves privatim aliqui communionem accipiat.*
11 *Episcopi permittere nequeunt, ut venialium confessio fiat simplici sacerdoti, non approbato ab Ordinario.*
12 *Opinio opposita accommodatur, & ostenditur quomodo procedere possit.*
13 *Confessarius potest ex rationabili causa communionem differre; & jus commune in panam, de quo non procedit nostra quæstio.*
14 *Ex frequenti communione non gignitur nimia familiaritas, ex qua oriatur contemptus.*

6 REspondeo etiam ut certum, idem præceptum negotiatoribus, & conjugatis imponi non posse, sed id relinquendũ confessarijs, qui præscribent, quid saluti eorũ profuturum sit. Ut expresse habetur *in citat. Decreto Sacræ Cc. Congregat. de mandato Innocentij XI.* ibi: *Præterea, quod ad negotiatores ipsos attinet, frequens ad Sacram alimoniam percipiendam accessus, confessariorum secreta cordis explorantium judicio est relinquendus, qui ex conscientiarum puritate, & frequenti fructu, & ad pietatem processu laicis negotiatoribus, & conjugatis, quod prospicient eorum saluti profuturum, id illis scribere debebunt.* Ex quibus verbis satis constat, frequentiam communionis ad ipsos confessarios pertinere. Quod ante emanationem dicti Decreti cum pluribus DD. tenuit Dicastill. *jam cit. dubit.* 18. *n* 443 his verbis: *Ex his omnibus hucusque dictis asserendum est secundò in maiori, vel minori frequentia standum esse judicio prudentis Patris spiritualis. Ita sentiunt Authores supra cit. & alij apud ipsos, qui omnes vel id supponunt, vel expresse docent; & ita est praxis receptissima fidelium, à qua vix puto aberrare aliquem, nisi forte à prædictis Neotericis, vel sui similibus [si qui sunt] aliqui ad contemnendum tale judicium inducantur, ne dicam, seducantur.* Idem tenet Card. de Lug. *disp.* 17. *de Euchar. num.* 8.

7 Quale autem debeat esse judicium confessariorum, ut frequentem, seu quotidianam pœnitentibus præscribant communionem? Respondeo, non omnibus existentibus in gratia esse præscribendum, nam si per frequentiam quotidianæ communionis reverentia minuatur, & affectus, seu fructus non crescat, satius erit per aliquos dies differre, & interim parare se. Sic colligo ex adductis verbis: *qui ex conscientiarum puritate, & frequentia fructu, &c.* Et consonat D. Thom. *in* 4. *dist.* 12 *q.* 3. *artic.* 1. *quæstione* 2. *ibi*: *si autem sentiret per quotidianam frequentionem reverentiam minui, & fervorem non multum augeri, talis deberet interdum abstinere, ut cum maiori reverentia & devotione post modum accederet.* Et recepta SS. PP. & Scholasticorum sententia, apud Dicastill. *cit. num.* 431. *& seqq.*

8 Quid autem Episcopi in frequenti, vel quotidiana communione possint? Disponitur in cit. Decreto per hæc verba: *In hoc igitur Pastorum diligentia potissimum invigilabit, non ut a frequenti, & quotidiana Sacræ communionis sumptione, unica præcepti formula aliqui deterreantur, aut sumendi dies generaliter constituantur, sed magis, quid singulis permittendum per se, aut Parochos, seu confessarios sibi decernendum putet. Illud que omnino provideat, ut nemo a Sacro convivio, seu frequenter, seu quotidie accesserit, repellatur.* Ex quibus verbis non possunt Episcopi dies generaliter decernere, in quibus fideles sacram debeãt accipere communionem; sed quid singulis permittendum per se, aut Parochos, seu confessarios sibi decernendum putet.

9 Ex his infertur, non posse dictum Capitulum Sede vacante, nec Episcopum sub præcepto, & censura prohibere, ne fideles cõmunicent, nisi octavo die, sive sint vitæ exemplaris, sive negotiatores, aut conjugati, aut quicunque alij utriusque sexus; nec ab eadem Sacra Communione aliquem repellere, sive frequenter, sive quotidie ad illam accedant, sed confessariorum judicio hoc esse relinquendum.

10 Quamvis Episcopi sub præcepto, & censura non possint fideles prohibere, ne communicent, nisi octavo die; vitare tamen debent, ne communicent in die feriæ sextæ Parasceves. Licèt enim plures DD. docuissent, licitum esse in ea feria sexta communicare, quos afferunt, & sequuntur Dian. 4. *part. tract.* 4. *resol.* 237. *&* 6 *part. tract.* 6. *resol.* 19. *&* 9. *part. tract.* 7. *resol.* 24. Ioann. Sanch. *cit. disp.* 22. *num* 20. Dicastill. *tom.* 1. *de Sacram. tract.* 5. *disp.* 4. *dubit.* 2. *n.* 32. Hac tamen die jam non licet communicare, neque hanc opinionem reducere ad praxim; quia in *cit. Decreto* de mandato Innocentij XI. in principio, sic dicitur: *Cũ ad aures Sanctissimi D. N. fide dignorum testimonio*

nio pervenerit in quibusdam Diœcesibus vigere usum quotidianæ communionis, etiam in feria sexta Paraſceves, &c. Prope finem Decreti, ſic per Sacr. Cc. Congreg. diſpoſuit: *Curent etiam* [loquitur ad Epiſcopos] *ut circa communionem in feria ſexta Paraſceves, Miſſalis Rubricæ, & Eccleſiæ Romanæ uſus ſerventur.* Rubrica autem Miſſalis in feria quinta Cænæ Domini ſic habetur poſt Agnus Dei; Quòd *reſerventur aliquæ particulæ conſecratæ pro infirmis.* Univerſalis autem Eccleſiæ conſuetudo eſt, ne die feriæ ſextæ Paraſceves Sacra Euchariſtia miniſtretur, niſi infirmis, etiam ſi eadem die occurrat feſtum Annuntiationis B. Virginis Dei genitricis, ut videre eſt apud Gavant. *In comment. ad Rubricas Miſſal. part. 4. tit. 10. de fer. 6. in Paraſc: n 24 & 25.*

11 Nec obſtat, quod in aliquibus locis Germaniæ, ut videre eſt apud Dicaſtill. *cit.* & in hac civitate Ulyſſiponenſi, audio, omnes cõfratres Virginis Ss. Auguſtiarum, cujus confraternitas ſita eſt in Eccleſia Monachorum S. Benedicti, feria ſexta in Paraſceve Sacram cõmunionem ſumere. Non inquam hæc obſtat conſuetudo in dictis locis; quia Sacr. Cc. congreg. de mandato S. Pontificis decernit, quòd Epiſcopi eam exterminent conſuetudinem, cum non detur talis conſuetudo, ſeu uſus in Eccleſia Romana: Si tamen dicta confraternitas à S. Pontifice privilegium habeat, ad Sacram communionem accipiendam ea feria ſexta, illo utatur.

12 Admonentur etiam Epiſcopi *in cit. Decreto*, ne permittant, ſimplices ſacerdotes abſolvere à peccatis venialibus; nam licet communiſſima ſententia docuerit, poſſe ſimplicem ſacerdotem à peccatis venialibus, & ſemel rite confeſſis abſolvere, ut videre eſt apud Card. de Lug. *de panit. diſp 18 ſect. 3. n 41.* & Dian. *part. 8. tract 1. reſol 84 verſ. Quinto Salvat.* Cũ tamen de praxi hujus opinionis ad aures S. Pontificis pervenerit, de illius mandato S. Cc. congreg. ſtatuit, ne Epiſcopi eam permittant, his verbis: *Non permittant*, [loquitur cum Epiſcopis] *ut venialium confeſſio fiat ſimplici ſacerdoti non approbato ab Epiſcopo, aut Ordinario.* Alia ſcitu digna *in cit. Decreto* continentur; dicta tamen pro noſtra reſolutione ſufficiunt.

ARGUMENTA SOLUTA.

13 Non obſtat 1. Quòd plures DD. quos pleno calamo referunt Ioann Sanch. *dict diſp 22. n. 5.* Dian. *part. 11. tract. 7. reſol. 15 à verſ. ſed ego prorſus*, conſulant, & dicant, non eſſe communicandum frequentius, quàm octavo die. Non inquam obſtat ea opinio, nec oppoſita, aſſerens eſſe quotidie communicandum, nam ut recte procedant, aptari debent juxta Decretum Sanctiſſimi D. Noſtri juſſueditum, quod totum hoc negotium confeſſarijs relinquit, qui conſcientiarum puritatem, & frequentiæ fructum, & ad pietatem proceſſum explorabunt, & decernent, vel communionem quotidianam, vel aliam quamcunque frequentiam, prout in Domino judicabunt.

14 Non obſtat 2. quòd Sacra Communio in pœnam alicujus delicti prohiberi poſſit, non ſolùm á confeſſario, ut contra Ioann. Sanch. *cit. diſp. 33. numer. 15. & alios*, ſentiunt Salazar *apud Dian. part. 3. tract. 4. reſol. 115. & part. 10. tract. 13. reſol. 47.* & cum Serra *tom. 1. de offic. Paroch. diſp. 4 diff. unic. q. 22. numer. 3.* tenet Card. de Lug. *diſp. 25. de panit. numer. 65.* & Leand. *de Sacram. part. 1. tract. 5. diſp. 9. q. 38.* Sed etiam de facto in jure Canon. prohibetur, ut videre eſt in non pau cis text *in cap. Latorem, cap. Admonere*, 33. *q. 2. cap. ſi quis Epiſcopum*, 2. *q. 3. cap. hos vero, cap. Siqua fœmina, cap. Si quis, & cap. Hi qui, diſt 50. in cap. De viro*, 12. *q. 2. cap. Virgines* 17. *q. 1. cap. Devotam, cap. Siqua Monachorum, & cap. Hos autem* 17. *q. 5.* Non inquam obſtat, quia ad confeſſarium eam imponentem pœnam, reſpondetur cum *cit. DD.* eam privationem S. Communionis, delicti eſſe punitivam, & á confeſſario in pœnam imponi poſſe. Vel cohærentius reſpondendum eſt, juxta *cit. Decretum*, confeſſarium, cujus judicio frequens, aut quotidiana communio relinquitur, poſſe in hac, vel altera die ex rationabili cauſa pœnitentibus jubere, ne communicent. Ad *textus cit.* reſpondetur, eam pœnam privationis Sacræ communionis infligi in pœnam alicujus delicti, quo quis veſte nuptiali ſe denudãs, illa puriſſima menſa, ac epulo judicatur indignus. At nos loquimur de rite diſpoſito & probatæ conſcientiæ viro á confeſſario invento ad acceſſum illius menſæ capaci, & juxta illud *Paul. 1. ad Corint. Probet autem ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat, &c.*

15 Non obſtat 3 quod ex frequentia cõmunionis videtur gigni nimia familiaritas, ex qua oritur contemptus Non inquam obſtat, quia (quidquid ſit de familiaritate cũ homine] ex familiaritate cum Deo, ſi alioqui detur vera conſcientiæ probatio, & animi diſpoſitio, non gignitur contemptus, imò amoris fervor, & timoris augmentum. Et diverſa ratio eſt, quia ex familiaritate cum homine, deprehenduntur ejus defectus, qui occaſioni eſſe conſuevere cõ temptui: at ex familiaritate cum Deo magis, ac magis pateſcunt *actus* excellentiæ. Et eſt optimus locus ille Samaritanæ *Ioann. 4.* quæ prima converſatione cum Chriſto illum Iudæum appellavit: *Quomodo tu Iudæus cum ſis, bibere à me poſcis.* Et paulo progreſſa Dominum agnoſcit: *Domine da mihi hanc aquam.* Ulterius converſata Prophetam admirata eſt: *Ut video Propheta es tu.* Adhuc ulterius Mæſſiã venerata eſt. Alijs ſuperſedeo argumentis, quia *ex cit. Decreto* facile diſſolventur.

QUÆS.

QUÆSTIO V.

An possit Episcopus prohibere fœminis in quodam convictorio, vulgo *Recolhimento* de gentibus, ne Sacram Communionem in sua Ecclesia recipiant?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Episcopi impedire nequeunt fœminis in Recessu de gentibus, ne frequentem, aut quotidianam recipiant communionem.*
3 *Concil Trident. desiderat, quod omnes fideles in Missis, quas audiunt, communicent.*
4 *S Clemens Papa, & S. Dionysius, qui non erant parati ad sumendam S. Eucharistiam, dum Missam audiebant, foras mittebant, dum alij communicabant.*
5 *Episcopus bonas consuetudines in sua diœcesi introducere tenetur.*
6 *In hoc Regno, ex recepta consuetudine possunt fideles ubique communicare, dummodo in Parochia communicaverint à principio Quadragesimæ.*
7 *Sententia communis, quod nemo, etiam ex devotione sacram sumat Eucharistiam, nisi de licentia Parochi, quomodo hodie sit intelligenda.*
8 *Sententia aliquorum DD. post Decretum S. Cong sub Innocentio XI. no est digna censura.*
9 *Regulares possunt extra suas Ecclesias omnibus ministrare Eucharistiam, eam ex devotione sumentibus.*
10 *In oratorijs, & Ecclesijs virtute Bullæ Cruciatæ possunt etiam fideles ubique cõmunicare.*

1 IN quadam hujus Regni civitate, unicum tantum dabatur convictorium fœminarum, vulgo *Recolhimento* virtutis, & exemplaris vitæ, sub protectione Regia: & statutis, quorum unum erat, ne fœminæ ab eo possent exire. Et inter alia, alterum, ut singulis mensibus sacram sumerent Eucharistiã. Episcopus autem illius Diœcesis, honore Dei, & zelo salvandi animam cujusdam fœminæ, *honore*, & moribus perditam, excitatus, in illud cõvictoriũ eam voluit inferre. Restiterunt, & Regens, & reliquæ fœminæ ibi degentes. Quod ægrè ferens Episcopus, statuta convictorij postulavit; Abnuerunt tamen, & Regens, & fœminæ subditæ. Cedit Episcopus; At non post multos dies illis omnibus prohibuit Sacram sumere Eucharistiam in sua Ecclesia, & si communicare voluissent, ad propriam Parochiam iter facerent, quia non peccabant; nam statutum ad non exeundum, in conscientia non obligabat. Et ab hac sententia per aliquos non destitit menses.

RESOLUTIO.

2 Ex dictis, *quæst præcedenti* facilis est responsio. Dico tamen Illustrissimum Episcopũ non potuisse infœminas in eo Convictorio de gentes, eam infligere pœnam, 1. quia ubi culpa non est, nec pœna esse potest. *cap. sine culpa, de regul juris in 6. & DD.* ibi communiter. 2. quia eas fœminas à Sacra communione repulit, contra id, quod illis, & alijs Episcopis injungitur *in Decreto S. Card. Congr.* de mandato; & approbato à Ss. D. N. Innocentio XI. de quo *quæst. præced.* sæpius mentionem fecimus, ubi sic cum Episcopo loquendo: *Illud quæ omnino provideat, ut nemo a sacro convivio seu frequenter, seu quotidie accesserit, repellatur.* Nec illustrissimus Episcopus excusationem habet, illas mittendo fœminas ad suam Parochiam, ad Sacram sumendam Eucharistiam; nam certò sciebat, illas suorum statutorum esse observantissimas, & unum ex statutis illas prohibere, à suo convictorio exire.

3 Tertiò; quia *Concil. Trident sess. 22. cap.* 6. desiderat, quòd fideles in ea Missa, quam audiunt, sacram accipiant communionem: ibi: *Optaret Sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes, non solum spirituali affectu, sed Sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione, communicarent, quo ad eos sanctissimi hujus sacrificij fructus uberius proveniret*: ergo qui impedit, ne fœminæ in Missa, quam semel quotidie in sua Ecclesia audiunt, sacram non suscipiant communionem, sed ad aliam Ecclesiam peragrent, ut illam suscipiant, contra mentem it Concil. Trident.

4 Quartò, quia legimus de S. Clemente Papa, Apostoli S. Petri discipulo *l. 8 const. Apostolic.* 18. *alias* 20. Et de S. Dionysio Athenarum Episcopo, Apostoli S. Pauli discipulo *Eccles. Hierarch. cap.* 4. hæc verba: *Post Evangelium, & sacrarum litterarum lectionem, qui ad Sacram Eucharistiam parati non erant, foras mittebantur, atque omnibus tradita communione, &c.* At in nostro præsenti casu, fœminæ, quæ audientes Missam in sua Ecclesia paratæ sunt ad sacram sumendam Eucharistiam, foras mittuntur, ut in alia Ecclesia communicent: ergo Sanctorum illustrium exemplum non sequitur; quod corde, & opere erat sequendum.

5 Quintò, quia omnis Episcopus in sua Diœcesi bonas consuetudines introducere tenetur, ut inquit Barbosa, *de potest Episc. in compendio n. 50. fol. mihi 155.* & introductas à fortiori conservare: at frequenter Sacram suscipere Eucharistiam, est laudabile, & optima consuetudo: ergo qui non finit, aut prohibet, ne sacra Eucharistia accipiatur in Ecclesia, in qua tantùm eam potest recipi, bonas non amat consuetudines.

6 Sextò, quia consuetudo venit juris appellatione, ut cum Menoch. & alijs tradit Barbos.

bos. *de Appellat.* 124. *n.* 6. Sed in hoc Regno ex recepta consuetudine introductum est, posse fideles in quacunque Ecclesia communicare, dummodo in propria Parochia semel á principio Quadragesimæ, usque ad Dominicam *Pastor bonus* communicent; ut inquit Abreus, *de Paroch. l.* 10. *n* 592. ibi: *Nota vero in hoc Regno ex recepta consuetudine, posse fideles ubique communicare, dummodo in Parochia communicaverint à principio Quadragesimæ*: at dictæ fæminæ solũ volebant in propria Ecclesia ex devotione cõmunicare, ut solebant, & frequentius juxta sui confessarij judicium: ergo nullo jure poterant impediri.

7 Neque obstat, quod nullus sacerdos possit administrare Eucharistiam fidelibus, etiam ex devotione communicantibus, nisi de licentia Parochi expressa, vel interpretativa, aut præsumpta ex ea ratione, quia ad Pastorem spectat pascere suas oves. Sic docent omnes communiter DD. Soar. *de Euchar. disp.* 72. *sect.* 2 Vasq *disp.* 219 *cap.* 2 Card *de Lug. de Euchar. disp.* 17 *n* 30. & 31. & *disp.* 18. *n.* 37. Dicastill. *tom.* 1 *de Sacram. tract.* 4 *disp.* 11. *dubit.* 3. Fagund. *in præcep. Eccles. præcept.* 3. *l.* 3. *cap* 2. *nu.* 11. Leand. *tom.* 2. *tract.* 7 *de Euchar. disp* 4. *q.* 2. & 3. Gobat. *tom.* 1. *in opera moral. tract.* 4 *n.* 366 Castr. Palaus *tom.* 4 *tract.* 21 *punct.* 16 *a n.* 2. & alij, quos citant. Sed Episcopus erat Pastor, & Parochus illarum fæminarum: ergo potuit illis prohibere, ne in sua Ecclesia ab aliquo sacerdote reciperent Sacram communionem. Non inquam obstat illa opinio communissima quia omnis sacerdos potest hodie ex dispensatione, & privilegio S. Pontificis administrare fidelibus Eucharistiam ex devotione communicantibus, ut habetur *in Decret. cit. q. præcedete*; ut ibi dicit S. Congreg per hæc verba: *Porro Episcopi, & Parochi, seu confessarij redarguant asserentes communionem quotidianam esse de jure divino, doceant in Ecclesijs, seu oratorijs privatis, ex dispensatione, seu privilegio Pontificis de manu sacerdotis sumendam Sanctissimam Eucharistiam, &c.* Ex quibus verbis constat, posse quemlibet sacerdotem ministrare Eucharistiam in Ecclesijs, & oratorijs privatis; nec Episcopũ illam administrationem posse impedire. Nec aliud potest disponere, nisi incedere vestigijs ipsius Decreti, in quo sermo est in alio loco de Episcopis, quibus sic loquitur: *In hoc igitur Pastorum diligentia potissimum invigilabit, non ut a frequenti, aut quotidiana Sacra Communionis sumptione aliqua præcepti formula aliqui deterreantur, aut sumendi dies generaliter constituantur, sed magis quid singulis, permittendum per se, aut Parochos, seu confessarios sibi decernendũ putet; illud que omnino provideat, ut nemo à sacro convivio, seu frequenter, seu quotidie accesserit, repellatur; & nihilominus det operam, ut unusquisque digne pro devotionis, & præparationis modo rarius, aut crebrius Dominici corporis suaviat em degustet.* Hæc qu oad Episcopos, ex quibus apertè constat, nolle, quod aliqua præcepti formula fideles deterreantur à sumenda frequenter, vel quotidie Sacram communionem poterit tamen Episcopus unicuique in particulari pro devotionis, & præparationis modo dare operam ut crebriùs, aut rariùs communicet, ut ex verbis adductis liquet.

8 Ex dictis sequitur 1. post editum *cit. Decretum*, non esse dignum censura, assertum Marcill. *in quodam memoriali, ad Archiep. Compostellan. pro frequent. Euchar.* & Ludovic de Beja *in respons. cas. Conscient. part.* 4. *cas.* 14. existimantium, omnes sacerdotes habere delegatam jurisdictionem, ad dandam Sacram Eucharistiam omnibus fidelibus, triplici excepta: Paschali, Per viaticum, & Ex formulis in Sacrario repositis. Quod etiam videntur sentire Barbos *in remiss. ad Trident. sess.* 22. *cap.* 6 Gavant. & Ioann. Sanch. apud Leand. *proximè q.* 2. quia ex *cit. verbis Decret.* hanc delegationem tenent per dispensationem, & privilegium S. Pontificis.

9 2. Sequitur, Religiosos teneri in suis Ecclesijs, & in alienis, ministrare Eucharistiam illis, qui ad mensam accesserint, ad recipiendam Sacram communionem, etiam si adverterint, præcedentibus diebus, etiam illis se ministrasse Eucharistiam; quia ad confessarios pertinet judicium de frequenti, aut quotidiana communione, & non ad sacerdotem, qui ex altari distribuit fidelibus Sacram cõmunionem; nam *ex cit Decret.* constat Episcopũ non posse à frequenti, vel quotidiana communione fideles repellere: ergo nec ipsi sacerdotes Sacram communionem distribuẽtes. Quod Regulares etiam extra suas Ecclesias ex privilegijs, suis Religionibus concessis possint ministrare Sacram Eucharistiam, eam ex devotione sumentibus; vide Card. de Lug. *de Euch. disp* 18 *n.* 38. & alios plures, quos refert, & sequitur Leand. *cit. d. disp.* 4. *q.* 4.

10 3. Sequitur, prædictis fæminis nõ esse necessariam Bullam Cruciatæ, ut in sua Ecclesia Sacram sumant Eucharistiam, *ut supra vidimus.* Ex privilegio tamen ipsius Bullæ, illam possunt frequenter, aut quotidie ex devotione sumere absque Parochi licentia, data illa opinione de qua *supra n.* 7. quia id privilegium in Bulla conceditur, ut tradunt Dian 1. *part. tract.* 11 *resol.* 20 & *part.* 4. *tract.* 4. *resol.* 81. Mascharenhas *de Sacram. tract.* 4 *disp* 4. *cap.* 5. *n.* 18. Abreus *supra l.* 10. *n.* 592. & ego *in Expos. Bull. disp.* 11. *n.* 143. & alij plures ibi, & apud *cit.* Et probabile dicunt Tambur. *in Meth. SS. Communionis cap* 4 § 4. *n.* 44 & Leand. *part.* 2 *tract.* 7. *disp.* 4 *q.* 6. Et juxta tam graves DD. poterat Illustrissimus Episcopus eas fæminas in illo convictorio inclusas non impedire à frequenti, vel quotidiana communione. Quia tamen de his forsan, habuit notitiam, meliori usus est consilio.

QUÆS-

QUÆSTIO VI.

An Prælatus Regularis cujusdam Conventùs Minorum possit iter agentibus, licentiam concedere, ut, non obstante Constitutione aliud disponente, possint simplici Sacerdoti confiteri; & id ipsum possint absque Prælati licentia; & quis ad hoc munus idoneus censeatur.

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Gardianus potest suis subditis iter agentibus, concedere licentiam, ut confiteantur cuicunque simplici sacerdoti.*
3 *Concil. Trid. non requirit approbationem ad audiendas confessiones Regularium.*
4 *Gardianus potest suis subditis licentiam concedere, ut confiteantur simplici Sacerdoti, non obstante Constitutione.*
5 *Ex licentia generali ad confitendum, non intelligitur a casibus reservatis.*

1 QUidam Religiosus ex quadam Provincia minorum, in qua datur const. statuens, Religiosos iter agentes extra Convẽtũ, non invenientes ex eodem ordine confessores, posse confiteri cuicunque confessori Regulari, aut sæculari, dummodo sint approbati à quocunque Ordinario Quæritur. 1. An Prælatus conventus possit suis subditis, extra conventum iter facientibus, licentiam concedere, ut cuicunque sacerdoti simplici confiteantur? 2. An ejusdem subditi, iter facientes, absque Prælati licentia, Sacerdoti simplici confiteri possint? 3 Quis censeatur idoneus, quando conceditur licentia ut idoneo confiteantur?

§. I.

An Prælatus conventus cujusdam Provinciæ Minorum possit suis subditis, extra conventum iter agentibus, concedere licentiam, ut confiteantur Sacerdoti simplici, quando constitutio illis id non concedit?

2 Respondeo, posse. Ratio est, quia omnis Ordinarius potest delegare; ut probat textus *in cap. Inter cætera; de offic. Iudic. Ordin.* & *text. in cap. Cum Episcopus, de Offic. Ordin. in* 6 & text. *in l. More, ff. de jurisdict. omn. judic. & text. in l. Cognitio §. Cum propriam, ff. de offic. ejus, cui mandata est jurisdict.* Sed Gardianus in ordine ad suos fratres habet potestatem ordinariam, ut communiter tenent Doctores; quos afferunt, & sequuntur *Soar. tom.* 4. *de Relig. l.* 4. *cap.* 5. *numer.* 3. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 7. *numer.* 188. Villal. *in summ. tom.* 1. *tract.* 9. *diffic.* 49. *numer.* 11. Portel. *in dub. Regul. verb. Prælatus numer.* 1. & 2. *& in addit. verb. Prælati potest numer.* 2. Pellizar. *tom.* 2. *tract.* 9. *capit.* 3. *numer.* 4. cum alijs Ex hoc principio: Quia asserunt communiter DD. dictum Gardianum posse, concedere dictam licentiam, non solum fratribus extra conventum proficiscentibus, sed etiam illis, intra conventum commorantibus, ut referunt Fr. Ioann. da Cruz *de stat. relig. l.* 1. *cap.* 6. *dub.* 8. Dian. 3. *part. tract.* 2. *de dub. Regul. res.* 2. *ubi plures allegat. & alios* Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 11 *q* 45, & Pellizar *cit. tract.* 8. *capitul* 2. *numer.* 2. Quare minus bene contrarium docuerunt Fr. Emman. Rodrig. *in sum. tom.* 1 *capitul* 60. *numer.* 6. & alij, non advertentes nostrum tam clarum fundamentum.

3 Nec obstat 1. *Decretum Conc. Trident. sess.* 23. *capitul.* 15. *de reformat.* ubi inhabilis ad audiendas confessiones censetur sacerdos, qui ab Ordinario non fuerit approbatus. Non inquam obstat, quia Concil. loquitur in ordine ad confessiones sæcularium, ibi: *Confessiones sæcularium, etiam sacerdotum*, & non in ordine ad confessiones fratrum, ut communiter notant DD. quos afferunt, & sequuntur Soar. *de pœnit. disp.* 28. *sect.* 4. Cardin. de Lug *ibidem disp.* 21 *numer.* 2. Lezan. *in sum. tom.* 1. *cap.* 18. *numer* 27. Ioann. Sanch. *in select. disp.* 49. *numer.* 2. Mirand. *in man. Prælat. titul.* 1. *q.* 45 *art.* 11. *concluf.* 2. Homobon. *de exam. Eccles. part.* 1. *tract.* 5. *cap.* 2. *q.* 15. Pellizar. *tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 2. *numer.* 1. Et ita declaravit Clemens VIII. apud Quaranta *in sum. Bullar. verb Confessor.*

4 Non obstant 2. Constitutiones Minorum Barcionæ editæ, ubi dicitur: *Religiozos extra conventum iter agentes, si non inveniant ex ordine confessarium, posse confiteri cuicunque confessario sive Regulari, sive Seculari dummodo sint à quocunque Ordinario approbati.* Unde videtur inferri, non posse, nisi ab eo, qui fuerit approbatus. Non inquam obstant, quia respondetur aliud esse loqui ex vi hujus Constit. aut ex vi licentiæ à Gardiano concessæ. Nostra autem quæstio procedit tantúm ex vi licentiæ Gardiani. Et quamvis dicta Constit. licentiam fratribus non concedat, ut possint confiteri cum sacerdotibus non approbatis; non tamen prohibet, nec aufert potestatem Gardianis, quod illam non possint concedere, ut in similibus terminis inquit Dian. 3 *part. tract.* 2. *de dub. Regul. resol.* 2. *vers. Verum ego*

5 Cæterũ advertẽdũ est, ex vi hujus licentiæ generalis, nõ posse dictos fratres cõfiteri, & absolvi á reservatis Quia in licẽtia generali, ut aliquis confiteatur, nõ intelligitur à casibus reservatis, si in ea de illis mẽtio specialis nõfiat, ut probatur *ex text. in cap. In generali de regul jur. in* 6. & ex text. *in cap. si Episcopus de pœnit. & remiss. in* 6. Unde quãtũ ad reservata tenẽtur dicti fratres cõparere corã suis Prælatis, aut illis, qui licentiam habẽt ad illa absolvenda. Dum

tamen extra conventum habitant, possunt ab illis absolvi, ad quæ licentiam obtinent, etiam si, qui confessiones audiunt, sint simplices Sacerdotes, sub ea conditione, quantum ad reservata, quod compareant coram suis Prælatis, ut constat ex privilegio Innocentij VIII. Cisterciensibus concesso, ut refertur *In Compend. suor. privileg verb. Confessor.* Et hæc est consuetudo, & communis praxis, ut notat *Soar. tom. 4. de relig. tract. 8. l. 2. cap. 19 numer. 6.* Pellizarius *cit. tract. 8. cap. 2. numer. 54.*

§. II.

An dicti Fratres iter agentes, possint absque Prælati licentia, ex vi Concil. Trident simplici sacerdoti confiteri?

SUMMARIUM.

6 *Minores supradicti sine prælati licentia, ex vi Concil. Trident. simplici sacerdoti confiteri nequeunt.*
7 *Licentia suarum Const. generali stare debent.*
8 *Sufficit, quod confessarius Regularis ad confessiones fratrum a suo Prælato sit approbatus.*
9 *Si ea non daretur Constitut. poterant fratres extra monasterium degentes simplici confiteri Sacerdoti.*

6 Respondeo, non posse. Nam *Concil. Trident. dicta sess. 23. de reform. cap. 25.* quamvis tantùm inhabilem reddat Sacerdotem simplicem ad confessiones sæcularium, jurisdictionem illi non concedit ad Regularium confessiones: requiritur ergo, quòd aliquis illam concedat; & hanc solum eorum Prælatus concedere potest.

7 Unde si dicti fratres jam licentiam à suo Gardiano non habeant, generali suarum Constit. licentiâ stare debebunt, asserentium: quòd non invenientes confessarium sui ordinis, possit confiteri cuicunque Regulari, aut sæculari per aliquem Ordinarium approbato.

8 Attamen adverto particulam *approbato* solum cadere super confessarium sæcularem, & non super Regularem: sufficit enim, quod confessarius Regularis à suo Prælato ad fratres sit approbatus, quamvis ab Episcopo ad Regulares, nec ad sæculares approbatus sit. Ratio est, quia dictæ Constit. á communi Regularium consuetudine sunt restrictivæ: nam communis consuetudo inter Regulares viget, quòd possint extra sua monasteria degentes, confiteri cuicunque simplici sacerdoti, ut testantur Navarr. *in sum. cap. 4. num. 7.* Tamburin *de jur. Abbat. tom. 2. disp. 6 q. 6. num. 7* Soar. *tom. 4. de Relig. tract. 8. l. 2. capitul. 27. numer. 5.* Reginald. *l. 1. numer. 175.* Rodrig. *tom. 1. qq. Regul. q. 62. art. 5.* Imo etiam sunt restrictivæ privilegiorum Regularibus à Ss. Pontificibus sixto IV. Leone X. Innocentio VII. Martino V. Clemente VII. concessorum; qui ipsis fratribus, iter agentibus, concedunt, quòd possint confiteri cuicunque Sacerdoti Regulari, seu sæculari; ut referunt Tambur. *de Iur. Abbat. tom. 2. disp. 6. num. 5.* Ioann. de la Cruz *de Statu Relig. l. 1 cap. 6. dub. 10.* Laym. *in sum. l. 5 tract. 6 cap. 10. numer. 20. Angel.* Bosius *ad triplici Iubil. sect. 3 cas. 4. num. 5.* Constitutiones verò quandò favorum sunt restrictivæ, non ampliandæ, sed restringendæ sunt, juxta sensum magis restrictum, ut constat ex *text. in cap. Odia, de regul. jur. in 6.* & DD. communiter, apud Barbos. *de Axiom. 166. a num. 1.*

9 Ex dictis sequitur, præfatos fratres, si eæ non darentur Constitutiones, potuisse, quando extra monasteria degunt, cuicunque sacerdoti simplici, absque alia sui Gardiani licentia, confiteri. Quia ita consuetudine receptum est, ex privilegio Ss. Pontificum Religiosis concesso. At cum eorum Constitutiones requirant, quòd confessor sæcularis ab Ordinario sit approbatus; nisi in forma supradicta, confiteri nequeunt.

§. III.

Quisnam censeatur Idoneus, quando Prælatus licentiam concedit, ut fratres, extra monasteria degentes, idoneo confiteantur?

10 Respondeo, illum censeri, cui tantùm talis non deest licentia: nam si ad illam desit capacitas, quia est suspensus, vel excommunicatus, aut quia illi deest judicium, aut quia est totaliter ignorans, & nescit inter peccatum mortale, & veniale discernere; idoneus non erit. Ita Fr. Ioann. de la Cruz *de Statu Relig. l. 2. cap. 6. dub. 11. concluf. 1. fine*, Dian. 3. *part. tract. 2 resol. 2. vers. Notandum.*

QUÆSTIO VII.

An inventa charta ad confessionis præparationem, in marsupio cujusdam rei, quo examine á judice legenda sit, vel non legenda, & quomodo ab eo procedendum sit in foro externo?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Reo dicenti chartam in eo inventam, esse suæ confessionis memoriale, fides non est adhibenda nisi probetur.*
3 *Affirmanti, & non neganti onus incumbit probandi.*
4 *Gravissimè peccavit Prætor eam legens chartam.*

1 CUm à prætore capitaliũ, vulgo *Corregedor do crime* quidã reus apprehẽsus fuisset, in

ejus marsupio inventa est quædam charta, & cùm Prætor eam aperire incepisset, Reus illum intercepit, ne aperiret; quia in ea ad confessionem illius peccata erant scripta. Dictum delpiciens Prætor eam legit. Quæritur 1. An dicto rei Prætor teneretur fidem adhibere? 2. Quomodo charta esset examinanda, ut illi fides adhiberetur? 3. Compertum habente, chartam esse ad confessionem; in quo foro manet, notitia ab illa accepta?

§. I.

An dicto rei, teneretur prætor adhibere fidem?

2 Respondeo, quanvis Prætor non tenebatur, dicto rei fidem adhibere, tenebatur tamen examinare, antequam eam chartam legeret, an esset, vel non esset memoriale ad faciendam confessionem. Prima pars ostenditur 1. *Ex Gloss. verb. dicatur in l. 1. in principio ff. si quadrupes pauperiem fecisse dicatur*, ut expresè pluribus cit. tenet Menoch. *de recuper. possess. remed. 15. n.* 403. Et cit Iason. Felin. Paris. & alij Barbos. *de Axiom. 191. n. 1.* & DD communiter: at reus dixit, chartam inventam esse in ordinem ad suam confessionem, non tamen probavit.

3 Secundò ostenditur, quia affirmanti, & non neganti onus incumbit probandi, ut cum communi DD. Menoch. *de præsumpt. l. 1. q.* 89. *n.* 26 Mascard. *de probation. conclus.* 377. *n.* 2. Soar. *tom* 4 *in* 3 *part disp.* 33 *sect.* 8 Fragos *de regim reip. Christ. disp.* 25 § 5 *n.* 19. *in fine*: Reus autem affirmabat, esse eam chartam ad suam confessionem.

4 Secunda pars probatur, quia audiens Prætor à reo, in ea charta esse sua peccata scripta in ordine ad confessionem, eam tenebatur non legere, & eam legendo peccavit gravissimè, ut cum communi DD. docent Ægid. Coninch *de Sacram disp.* 9. *num.* 50. *in fine* ibi: *Quisquis autem talem chartam reperit, sive ab alio perditam, sive casu alicubi relictam, cavere omnino debet, ne postquam, qualis sit, cognoverit, quidquam ex ea legat, nam hoc fieret cum injuria pœnitentis.* Quod rectè dictum asserit Dicastill. *tom.* 2 *de Sacram. tract* 8 *de Sacram. Pœnit. disp.* 12 *dubit* 3. *a n.* 61. Et gravissimè peccare, inquit Castr. Palaus *tom* 3 *tract.* 23 *disp unic punct.* 19. § 4. *n.* 11. *vers. Monent tamen.* Et alij infra citandi.

§. II.

Quomodo dicta charta sit examinanda, ut illi fides adhibeatur?

SUMMARIUM.

5 *Ea charta examinatur ex titulo, vel illius initio, vel alio simili, quod indicet, esse memoriale peccatorum.*

6 *Examinatur concedendo licentiam tribus personis Religiosis, ut tantum legant, quantum ad eam notitiam sit necessarium.*

7 *Examinatur etiam per rei Iuramentum.*

8 *In causis criminalibus, quando necessitas id requirit, cogitur reus ad juramentum.*

5 Respondeo, uno ex tribus modis, posse confici examen de illa charta, an sit præparatio ad confessionem. 1. Si ea aperta, illius initium id indicaret, eo quod titulum confessionis habebat, vel quid simile, quo demonstraretur, eam chartam esse memoriale ad confessionem conficiendam. Et hoc signo invento, apert è colligitur continere peccata ad facilius confitendum, & nullo modo in lectura illius esse procedendum. Sic colligitur ex Navarr *in cap sacerdos, de pœnit. dist. 6. n.* 9 ibi: *Infertur* 4 *eum in eam legem peccare, qui legeret schedulam alterius peccata continentem, cujus initium id indicaret, quia forte sic incipiebat: Memoriale peccatorũ meorũ, quo illa facilius olim cũ opus fuerit, recorder.* Idem etiam asserit *in sum. cap.* 18. *nu.* 35.

6 Secundò modo examen fieri potest, dando reus facultatem duabus, aut tribus personis Religiosis ut videant, & legant tantũ, quãtum sufficit, ut cognoscant, in ea charta, esse peccata scripta in ordine ad cõfessionem Quam facultatem, aut coram judice, aut in scriptis, potest reus ad suam defensionem concedere, sive ea lectura sub sigillo, aut secreto naturali maneat, *ut* §. *sequenti*, videbimus. Sicut enim confessarius de licentia pœnitentis expressa, aut in scriptis, sigillum aperire potest, ut docèt D Thom *in* 4. *dist.* 21. *q.* 3. *art.* 3. Taner *tom.* 4 *disp.* 6. *q.* 9. *dub.* 6. *nu.* 125. Vasq. *tom.* 4 *in* 3. *part. q* 93 *art.* 4. *dub.* 7. Soar *ibidem tom.* 4. *disp* 33. *sect.* 5. *n.* 8 Ochagu. *de Sacram. tract. de sigill. q.* 5. *n.* 3. Præpos. *in* 3. *part. q.* 11. *de sigill. dub.* 6 *nn.* 43. Hurt. *de Sacram. disp.* 12. *de pœnit. difficult.* 6. Covarr. *in* 4. *Decret. part.* 2. *cap.* 8. §. 12. quos affert, & sequitur Dian. *part.* 5 *tract.* 11. *resol.* 10. Idem Fragos. *jam supra cit. disp.* 25. § 5 *n* 19 *vers. Vnde sequitur*, & alij plures; sic etiam de licentia hujus rei, poterunt eæ personæ Religiosæ examẽ de ea charta conficere, quantum sufficit, ut in judicio testimonium ferre possint. quòd verè illa charta sit, de peccatis in ordine ad confessionem.

7 Tertius examinandi modus est, cogere reum, ut sub juramento dicat; An in illa charta contineantur peccata scripta in ordine ad suam confessionem. Ratio est 1. Quia ea, quæ in animo consistunt, cùm hominibus innotescere nequeant, testibus probari non possunt: ergo juramento partis probantur, ut optimè Covarr. 2. *variar. cap.* 10 *num.* 1. & plures alij, quos referunt, & sequuntur Mascard. *de probat. conclus.* 45. *nu.* 48. & *conclus.* 94 *num.* 5. Gratian. *regul.* 270. *num.* 1. & amplectitur Sanch. *l.* 1. *de matr. disp.* 62 *n.* 6. *in fine*: sed peccata, quæ in ea charta cõtinẽ-

tur, in animo continentur, cùm in ea charta contineantur ad forum poli, & internum, & non ad forum soli, & externum, cùm hominibus innotescere nequeant, nec testibus probari valeant: ergo per juramentũ partis, seu rei, probari debent.

8 Ratio est 2. quia in causis criminalibus ad cognoscendam veritatem, reo præstatur juramentum, quando necessitas id requirit, ut colligitur *ex text. in l* 3. *vers. quacunque, ff. de jure jurand.* in qua continetur, in quacunque causa, etiam pœnali, ad jurandum posse reum cogi; & alijs pluribus legibus, quas latè refert Anton Gomes *Variar. resol. tom.* 3 *cap* 12 *numer.* 5 & DD. sed dictus reus erat criminosus: ergo juramento ad manifestandam veritatem circa chartam, apud se inventam, cogi poterat.

§. III.

Compertà veritate, eam chartam esse ad confessionem conficiendam, in quo foro maneat notitia ab illa habita?

SUMMARIUM.

9 *Prima sententia tenet, eam notitiam manere sub secreto naturali.*

10 *Secunda tenet, manere sub secreto Sacramentali.*

11 *Inter has probabiles sententias aliqua utendum est distinctione.*

12 *Qui legit Epistolam, qua mutus confitetur, ad sigillum tenetur.*

13 *Tenetur ad sigillum qui legit epistolam petentis licentiam ad reservata.*

14 *Omnis charta inventa, in qua continentur peccata, præsumitur esse ad illa utendum in confessione.*

15 *Utraque sententia convenit, illâ chartâ non posse judicem uti.*

16 *Iudex primam sententiam sequens potest illa charta, uti si bonum commune id exigat.*

17 *Verus dicendum oppositum.*

9 REspondeo, duplicem dari sententiam 1. docet, notitiam ab ea charta acquisitam, sub secreto manere naturali. Ita Navarr. Henriques Soar. Bonacin. Laym. Ægid. Coriolan Granad. Thomas à IESU. Candid. Taner. Sotus, Banès, Ochagan. Megal Onuflius, quos citant Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *de Penit. disp.* 10. *q.* 46 Dian. 3. *part. tract.* 4 *resol* 112, & 5. *part. tract.* 11 *resol.* 27. prædictis accedunt Castr. Palaus *tom* 3. *tract* 23 *disp. unica punct* 19 §. 4. *num.* 11. *vers. Monent tamen*, Dicastill. *tom.* 2. *de Sacram. tract.* 8. *de Sacram. Pœnit. disp.* 12. *nu* 58. dicens, teneri chartæ inventorem ad secretum naturale strictissimum, Card. de Lug. *de pœnit. disp.* 23. *n.* 47. affirmans esse sententiam veriorem, Tamburin. *tom.* 1. *post Method. confession. in appendic. de sigill. cap.* 4. *n* 12. dicens, utramque sententiam probabilem esse. Probatur hæc sententia, quia illa charta non est confessio inchoata, sed materia præparata ad facilius faciendam confessionem.

10 Secunda sententia tenet, illius chartæ notitiam sub sigillo Sacramentali manere; illam defendunt Vivald. Capua, Fagundes, Angles, Delrius Veg. P. Navarra, Homo bon. Zanardus, Rodrig. Berarducius, Malder. Graff. Fornarius, & alij, quos asserunt, & sequuntur Leand. & Dian. *ll. cit.* quibus addo Fragos. *tom.* 2. *jam cit. disp.* 25 §. 5. *nu.* 18. & Dicastill. *jam allatus pro prima sententia nu.* 58 & *nu.* 61. pro hac stat expresse sic inquiens: *Ideo magis placet, omnibus pensatis Dianæ sententia, qui cum multis affirmat, obligari sub sigillo.* Ratio hujus sententiæ est; quia vel peccata fuerunt in ea charta scripta, ut memoriale, adhoc ut pœnitens quando confiteretur, suorum peccatorum recordaretur, vel ad conficiendam confessionem, illam chartam legendo, ad pedes confessarij: quocunque enim modo fiat, peccata in illa charta scripta, cõfessioni sunt inchoata: ergo qui illam invenit, tenetur in quocunque eventu celare peccata in ea scripta, non solùm secreto naturali, sed etiam sub sigillo Sacramentali.

11 Inter has sententias [quæ sunt probabiles) mihi videtur, aliqua esse utendum distinctione: nam vel illa charta erat tantúm memoriale ad peccatorum recordationem, ut aliquando fiat confessio; vel erat, ut per ipsam pœnitens confiteretur, [sunt enim non pauci, totam confessionem facientes, peccata legendo confessario, quæ ad id intentum in ea charta scripserunt, ut omnia dicant, & faciliùs se explicent, vel ut, ipse confessarius legat:] Si primum non videtur tam clarum, inventorem legentem teneri ad sigillum, sed sub secreto naturali strictissimo, & gravissime si posterius, clarius videtur teneri sub sigillo. Sic colligo ex Dicastill. *dict. disp.* 12. *numer.* 61. Ratio est primi, quia ea charta non est confessio inchoata, & per accidens se habet ad confessionem. Posterioris autem ratio est; quia pœnitens per ipsam chartam confessario loquitur. Si enim aliquis legat scripturam, qua mutus confitetur præsenti confessario, tenetur ad sigillum; quia illa scripturæ loquutio, est propria illius muti, ut inquit Card. Lug. *dict. disp.* 23. *de pœnit. numer.* 48. Ita etiam ad sigillum tenebitur ille, qui legit chartam, per quam quis præsenti confessario confitetur; nam illa lectio est loquutio illius pœnitentis. Item tenetur ad sigillum ille, qui incidit in litteras, in quibus aliquis à Prælato petit licentiam pro absolutione à reservatis, vel audit eam petentem, quia hæc ordinantur ad Sacramentalem confessionem; ut existi-

existimat Cardin. de Lug. *proximè numer.* 49. ergo si quis incidat, audiat, aut legat chartam, qua quis usurus est, aut usus fuit ad suam confessionem, tenebitur ad sigillum.

14 Ex his infero, omnem chartam inventam, in qua continentur peccata scripta, præsumi, esse ad dicenda, seu confitenda peccata per illam ipsi confessario; vel ut ipse confessarius in ea charta peccata scripta legat, in ordine ad absolutionem, quam præsumatur esse memoriale ad peccatorum recordationem, ut aliquando fiat confessio. Et hujus ratio est, quia omnes ferè pænitentes has conficientes litteras, illis utuntur, legendo peccata, cùm præsente confessario fit confessio. Quare inventâ, & cognitâ tali chartâ, in lectione illius non est procedendum, & in ea lecta, sub sigillo manent.

15 Adverte, Doctores pro utraque sententia adductos, convenire, judicem, eam chartam invenientem, non posse legere; & si legat, (in quo gravissimè peccat] non posse de peccatis inventis inquirere, sed ea omnia perpetuo silentio involvere, teneri. Nam ob reverentiam huic Sacramento debitam, expedit, ut instrumenta confessionis ad forum externum non deducantur; aliàs magna ex parte odiosa, & onerosa redderetur confessio. Videantur Ægid. Dicastill. Fragos. & alij *citati.*

16 Nec obstat, dici, judicem primam posse amplecti opinionem docentem, inventorem dictæ chartæ non teneri ad sigillum, sed tantum ad secretum naturale; [quod admittit Dicastill. *citat. numer.* 59. quando in charta inventa, est tantum memoriale peccatorum, & nullum dicit ordinem ad confessionem) sed juxta regulas generales tegendi, aut revelandi secretum naturale, de quibus Molin. *tom.* 5. *disp* 5. Sanch. *l.* 6. *consil. cap.* 6. *dub.* potest ob bonum commune, detegi secretum naturale; & in charta inventa forsan, quod darentur aliqua contra bonum commune: ergo juxta eam sententiam, hæc saltem contra bonum commune revelari poterunt.

17 Non inquam hoc dictum obstat, quia verius respondetur juxta Doctores utriusque sententiæ negandam esse maiorem, nam, quando secretum ad confessionem pertinet, aut aliquo modo cognoscitur; strictiùs servari debet; quam omnia alia secreta, quæ alia via habentur, etiam si promissum fuisset, sub secreto naturali, esse servanda. Unde communiter docent, nulla unquam ratione licitum esse ea cognitione, aut alijs similibus uti in ordine ad accusationem, & punitionem pœnitentis, seu rei; quia hoc fiet cum aliqua Sacramenti confessionis irreverentia. Quare quidquid sit de obligatione servandi secretum naturale, in tali, vel tali occasione, vel materia: nam quando secretum naturale, qualecunque sit, quod ortum habuit, vel in ordine ad confessionem fuit, illo uti ad quæcunque alia, non est licitum. Sic Ægid. Coninch. *disp.* 9. *cit. numer.* 50.

QUÆSTIO VIII.

An confessarij in una Diœcesi approbati absolvere possint à reservatis in eadem Diœcesi commissis, in loco tamen exempto, v. g. monasterio?

SUMMARIUM.

1 *Ostenditur non posse, ex ipsa definitione reservationis.*
2 *Et ex Bulla Clementis X.*
3 *Et ex Concil. Trident.*
4 *Lex reservationis non extenditur extra legislatoris territorium.*
5 *Excommunicatio ab Episcopo lata, non comprehendit delinquentes, in territorio exempto.*
6 *Probabilius est oppositum.*
7 *Puellæ causa educationis in monasterijs existentes, reservatis ab Episcopo subjacent.*
8 *Id ulterius stabilitur.*
9 *Moniales exemptæ, reservationi ab Episcopo lata non subjacent.*

RESOLUTIO.

1 REspondeo, non posse. Probatur 1. quia *reservatio est limitatio, seu restrictio jurisdictionis à legitimo superiore, confessarijs inducta, per quam limitationem, seu restrictionem ij non valeant aliqua peccata Sacramentaliter absolvere.* Sic fatentur omnes, videantur Soar. *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 1. *sect.* 1. *à principio*, Sanch *l.* 9. *de matr. disp.* 32. *numer.* 18. Tambur. *de pœnit. l.* 5. *tract. de casib. reserv. cap.* 1. *numer.* 1. Lezan. *tom.* 3. *Verb. Casus reserv. numer.* 1. Busembauf. *in sum. l.* 6. *tract.* 4. *de pœnit. cap.* 2. *dub.* 4. *in principio.* Illustrissimus Episcopus Angolan. D. Frey Anton. à Spiritu Sanct. *in direct. confess. tract.* 5. *de pœnit. disp.* 14. *sect.* 3. *numer.* 928. *& alij communiter.* Sed confessarius in aliqua Diœcesi approbatus, jurisdictionem non habet absolvendi á reservatis, quia jurisdictio fuit limitata ad non reservata tantùm: ergo ubicunque illa peccata fuissent commissa, sive in loco exempto, sive extra eam Diœcesim, ab illo non possunt absolvi.

2 Secundò probatur ex Bulla Clementis X. quæ incipit: *Superna magni P. familias*, edita *anno Domini* 1670. 11 *Kalendas Iulij*; quæ inter alias hujus Pontificis est 7. & habetur in 5. tom. Bullarij. Ex qua colligitur cõfessionem

respicere locum, in quo fit, & non locum exemptum in quo commissum est peccatum reservatum; & confessarium ibi approbatum posse absolvere à peccatis reservatis ab Episcopo, si in ea Diœcesi reservata non sint, licet in alijs Diœcesibus sint reservatis; ibi: *Posse autem Regularem confessorem* [idem de nō Regulari] *in ea Diœcesi, in qua est approbatus, confluentes ex alia Diœcesi a peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa, ubi confessor est approbatus absolvere. Nisi eosdem pœnitentes noverit, in fraudem reservationis, ad alienam Diœcesim pro absolutione obtinenda migrasse.* Ex quibus verbis constat, non esse attendendum locum exemptum, in quo commissum est peccatum reservatum, sed Diœcesim in qua fit confessio. Quare confessarius in hac Diœcesi, in qua est approbatus, confluentes ex alijs, & aduenas, itinerantes, & peregrinos à reservatis in suis Diœcesibus potest absolvere, si non sint reservata in hac, in qua fit confessio: at si in hac sint reservata, sive sint, sive non sint reservata in suis Diœcesibus, eos non potest absolvere. Sic Gobat *tom. 1. tract. 7. n. 376. in fine, juxta Const. cit. Clementis X* & ante illam cum pluribus Dicastill. *tom. 2. de Sacram. tract. 8 de pœnit. disp. 11 num. 239* vide me ipsum *in Expos. Bullæ Cruciatæ disp. 19 a n 22.*

3 Tertiò probatur ex *Concil. Trident. sess. 14 cap 7 de cas. reservat.* ubi dicitur absolutionem à non habente jurisdictionem ordinariam, aut delegatam, esse nullam, ibi: *Nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut sub delegatam non habet jurisdictionem*: sed confessarius in hac Diœcesi approbatus, non habet jurisdictionem ad absolvenda peccata reservata commissa in loco exempto, v. g. monasterio, in hac Diœcesi sito; ergo illa absolvere nequit.

4 Nec obstat 1. quia lex reservationis nō extenditur extra territorium legislatoris: at monasterium exemptum est extra territoriū legislatoris, quanvis sit intra Diœcesim: ergo reservatum ibi commissum; non ligat illud committentes. Non inquam obstat, quia ad maiorem respondetur, legem reservationis nō respicere subditos, reservata comittentes in loco exempto, aut extra Diœcesim, sed confessarios in ea Diœcesi approbatos, cujus jurisdictio limitatur; ne reservata in ea Diœcesi absolvantur. Non enim ea lex respicit subditos illius Episcopi reservantis aliqua peccata; quia sive sui subditi, sive alterius Episcopi sint, si confluant ad hanc suam Diœcesim; nō possunt absolvi à reservatis in illa; respicit tamen confessarios approbatos, quia ex ea lege reservationis, non possunt absolvere à peccatis, quæ sibi à suo Episcopo reservantur. Quare non est probabilis opinio eorum, qui docuerunt peccatum reservatum in una Diœcesi, non manere reservatum, si commissum sit in loco exempto v. g. in monasterio, ut tenuit apud Dian. *part. 10. tract. 14. reser. 7.* Carol. de Baucio *in Miscell. cas. conscient. tom. 2. opuscul. 3. q. 269.* cujus opinio, probabilis cēsetur á Dian. Eandem etiam tenuit Illustrissimus Episcopus Angolanus *supra cit. dict. sect. 3. num. 928.* alios. citans; an vero recte? alij videant.

5 Non obstat 2. quód excommunicatio lata per Episcopum, non comprehendit delinquentes in loco exempto: etiam sito intra eandem Diœcesim: nam locus exemptus, & extra Diœcesim, quoad jurisdictionem æquiparantur; ex Gloss *in Clement. 1. de loco compet.* Et docent Sylvest. *verb. Excommunicatio, 2. n. 12.* Laym. *in sum. l. 1. tract. 4. cap. 11 n 5.* Avil. *de Censur part. 2. cap. 3. disp. 2. dub. 5.* Henriq *l. 13 cap 26. n. 2.* Bonac. *de censur. disp. 1. q. 1. punct. 11. n 8* & alij, quos ipsi afferunt, & probabile inquit Dian. *supr.* citans Bordon. Pasqual & Marcum vidal. ergo etiam reservatio ab Episcopo lata, non comprehendit delinquentes, reservatum committentes in loco exempto, licet locus exemptus sit intra eandem Diœcesim. Non inquam obstat, quia dato antecedente, respondetur negando consequentiam: Diversa ratio est, quia excommunicatio ab Episcopis lata, respicit suos subditos intra suum territorium delinquentes. Unde si extra illud delinquant, illam non incurrunt: at reservatio non respicit delinquentes, intra territorium, sed confessarios absolventes in Diœcesi Episcopi subditos, aut non subditos. Unde si in reservatum incidant intra, vel extra Diœcesim, à confessarijs absolvi nequeunt, ut ex dictis constat.

Ad id, quod adducitur ex Gloss. *in Clem. 1.* quòd locus exemptus, & extra Diœcesim, quoad jurisdictionem æquiparantur. Respondeo, esse verum, quoad aliquas Parochias, & oppida, quoad jurisdictionem Ecclesiasticam exempta, qualia sunt Conimbricæ Parochia S. Crucis, & aliqua oppida, alijs in locis; nō tamen quoad monasteria, quæ tantùm quoad personas, dicuntur exempta, & non quoad non exemptas, & quo ad locum. Nam si in eo statuta Episcoporum sub censura lata frangerentur, illa à delinquentibus incurreretur, ut communiter DD. docent mox citandi, & videri potest Barbos. *de potest. Episc. alleg. 80. numer. 16.*

6 Dixi, *dato antecedente*, nam quoad Monasteria exempta intra eandem Diœcesim, illud negant communiter DD. Soar. *de Cens. disp. 5. sect. 4. n. 6.* Ægid. *Coninc disp. 13. de Censur. dub. 7. n. 63.* Arriag. *tom. 4 tract. de legib. disp. 15, sect. 2 n. 21. &. 22.* ubi id etiam docet de alijs locis intra eandem Diœcesim exemptis, contra P. Soar. Eandem communem opinionem defendunt Castr. Palaus *part. 1 tract 3. disp. 1. punct. 24 § 5 n. 30.* Filliuc. *tract. 11. cap. 5. n. 149.* Salas. *de legibus disp. 14. sect 6. n. 86.* Alterius *de Censur. disp. 5. l. 3. cap. 5. vers. Hoc autem* Meroll.

tom.2.Theol.moral.disp.cap.6.nu. 489. Cochier. *de Iurisd.ordin.in exempt.part.2.q.45.nu.2 & 3.* & ut probabilius fatetur Dian. *supra.* Ratio est, quia hæc Religiosorum loca nō sunt plene exempta, & si plene exempta essent, sequeretur delicta in illis commissa, impunita manere.

7 Non obstat 3. quod probabile sit, puellas, causa educationis existentes in monasterijs monialium exemptis, non subjacere reservationi casuum ab Ordinario loci factæ, ut tradit Pellizzar *tom.2.man.Regul.tract.*10. *cap.5 num.* 191. addens, sic sensisse viros valde doctos à se consultos; *Et hujus ratio est*, inquit, *quia si existerent extra Diœcesim, illis non subjacerent.* Non inquam hoc obstat, quia respondetur negando antecedens, nec ratio à Pellizzario adducta, convincit intentum: nam si dictæ puellæ existerent extra Diœcesim hujus Ordinarij, in qua est monasterium exemptum, & ad hoc declinarent, in eo non possint á reservatis absolvi, sivè sint commissi in alia Diœcesi, sive in hac. Quia reservatio non respicit locum, in quo peccatum committitur, sed locum in quo fit confessio: cùm verò in monasterio, in quo degunt, licet sit exemptum, sit intra Diœcesim, in qua ea peccata sunt reservata, in ea a confessarijs absolvi nequeunt sic patet ex dictis *Iuxta Const Clementis X. citatam.*

8 Quòd verò dictæ puellæ subjaceant reservatis ab Ordinarijs adhuc alio principio ostenditur 1. quia non subjacent monialium reservatis, cùm non sint Religiosæ, nec cum approbatis tantùm á superiore Regulari confiteri possunt; nec sunt continuæ commensales, cum ex suis vivant, ut rectè docet Diana *part.* 7.*tract.* 12.*resol.*14. contra Bordon.*mox citandū* 2. Ostenditur, quia adolescentes nobiles in nostris collegijs, aut monasterijs viventes sub cura, & disciplina Religiosorum, subjacent reservatis Diœcesis, quia confitentur approbatis ab Episcopo illius Diœcesis, qui restrictam habent jurisdictionem: ut docet Bordon. *in consil. Regul.resol.*38.*q.5.n.* 10. quem citat. & sequitur Dian *proxime*: ergo idem etiam dicendum est de dictis puellis.

9 Nec ex dictis inferri potest. Nec Moniales ipsius monasterij exempti, in quo existunt ipsæ puellæ, poterunt à reservatis absolvi, in ipsa Diœcesi in qua degunt, quia ibi illarum fit confessio. Non inquam id inferri potest, quia Moniales exemptæ, Episcopis non subduntur, quoad suorum reservatorum absolutionem, sed Prælato Regulari, per quem reguntur, & eoldem casus habent reservatos, quos Regulares ipsius ordinis, in quocunque loco confiteantur, sive exempto, sive non exempto; sunt enim privilegiatæ, ut ipsi Regulares. Vide Fragos *tom.2.resp.Christ.disp.* 24.§. 6.*num.*21. Pellizzar *in Man.Regul.tom.2. tract.* 10.*cap.*9 *n.*24. Non tamen puellæ, quæ in monasterijs exemptis educantur.

QUÆSTIO IX.

An peccatum reservatum, ab ignorante reservationem commissum, à confessario ordinario absolvi possit?

SUMMARIUM.

1 *Sententia absoluta affirmat.*
2 *Secunda sententia cum distinctione affirmat.*
3 *Tertia sententia, & tenenda absolutè negat, & probatur.*
4 *Praxis superiorum tertiam sententiam confirmat.*
5 *Si reservato annexa est excommunicatio, quæ ignoratur, peccatum non est reservatum.*
6 *S. Pontifex aliquando reservavit sibi peccatum absque excommunicatione.*
7 *Fundamenta* 1. *&* 2. *sententia dissolvuntur.*

1 HÆc quæstio præcedenti affinis est; & ideo recolenda sunt ea, quæ ibi sunt dicta. Circa præsentem tres invenio sententias. Prima absolutè tenet, peccatum reservatum posse absolvi à confessario ordinario, quando pœnitens reservationem ignoravit, sive ea ignorantia fuisset juris, sive facti. Sic Navarr. Graffis, Iosephus à S. Ianuario, quos affert. Dian. *part.*10. *tract.* 14. *resol.* 63. & supponit. Quintanad. *tom.*1.*sing.tract.*3.*singul.*11. *num.*1. sic incipiens, circa observationes pro reservatis. *Omitto plures, quia pravia in DD. quarum prima erat, quod ignorantia reservationis sive juris, sive facti, etiam si culpabilis sit seu vincibilis, excusat á reservatione.* Quod iterum repetit, & probat *tom* 2.*tract.*4.*sing.* 8. Et probabilem fatentur Dian. *proxime*, & Moya *tom.* 1. *in qq. select.tract.*3. *de panit disp* 8.*q.*2 *n.* 5. Probant, quia omnis reservatio est pœna, ut dicunt Coriolan. Bonacin. Chappeavill Nald. Regin. Brosser. Stomoben Ledelm. & alij apud Dian 6 *part.resol.*42. Et odiosam illam vocat Sanch. *in sum.l.*1.*cap.*10 *n.* 74. & 78. sed nulla pœna ab ignorante incurritur, ut defendunt Navarr. Sylvest. Angel. & alij apud Sanch. *l* 9. *de matr. disp.*32.*n.*20. quod probabile inquit.

2 Secunda sententia distinguit: asseritque reservationem, quæ in pœnam delicti est imposita, qualis est reservatio Sixti V. contra malè promotos ad ordines, ab ignorante non incurri: at si in medicinam, & bonam Ecclesiæ gubernationem imponatur, ab ignorante incurri. Ita Card. de Lug. *disp.*20. *de pœnit. nu.*9. & 11. Basseus verb. *Ignorantia n.*17. Et quoad primam partem probabilem existimant Sanch *l* 9. *de matr. disp.*32.*n.* 18. & alij apud Moyam *cit.n.* 1. Et esse sequendam quando expressè ex tenore legis, pœna esse significetur, censet Tambur. *l* 5. *de panit.tract. de casib.reserv. cap.* 1. *nu.* 4. Aliam addit limitationem Illustrissim. Episcop. Angol. Fr. Antonius à Spirit. S. *indirect.*

rect. Confess. de Sacram. pœnit. tract. 5. disp. 14. nu. 935 & 936. dicens; reservationem, quæ est in pœnam imposita, vel in medicinam, de re mala; quia prohibita, non incurri ab ignorante secus si fit de re mala, quia mala; citatque Possevin. Megal. Vgolin. Floron. & alios asserens citari, & sequi a Dian. *part.* 11. *tract.* 4. *resol* 4. Sed hoc loco nihil ad rem. Hæc sententia probatur exemplo excommunicationis reservatæ, quia ex eo quòd primario sit pœna non incurritur ab ignorante, ut communiter docent DD. mox citandi: ergo etiam ex eo, quòd reservatio in pœnam alicujus delicti imponatur, si ea ignoretur, non incurritur.

3 Tertia tamen, & tenenda sententia absolutè tuetur, reservationem, sivè sit primariò, sive secundariò, in pœnam imposita, sive in medicinam, & rectam Ecclesiæ gubernationem, à quolibet invincibiliter ignorante, incurri. Ita communiter DD. quos referunt, & sequuntur Fagund. *in* 2. *Eccles præcept. l.* 8. *cap.* 1. *n.* 28 Pellizzarius *in Man. Regul. tract.* 6. *cap* 2. *n.* 122. Tambur. *tom.* 2. *l.* 5. *de pœnit. tract. de casibus reservat. cap.* 1 *n.* 4. Gobat. *tom.* 1. *de Sacram. tract.* 7. *n* 360. meritò dicens, ignorantiam solos eos casus á reservatione excusare, qui annexam habent excommunicationem reservatam. Probatur 1. authoritate *Concil. Trid. sess* 14. *cap.* 7. *de casuum reservat.* ubi dicitur, absolutionem à non habente jurisdictionem ordinariam, vel delegatam esse nullam: ergo si confessarius non habet jurisdictionem ad absolvenda reservata ab ordinario, quomodo potest illa absolvere, eo quòd illorum reservatio à pœnitente erat ignorata.

Secundò probatur ratione, quia *in q præced. n.* 1. vidimus cum communi DD. reservationem esse limitationem jurisdictionis à superiore inductam: sed ignorantia reservationis nõ inducit jurisdictionem ad ea peccata reservata absolvenda: quin detur recursus ad superiorem

4 Tertiò probatur ex praxi superiorum tam Ecclesiasticorum sæcularium, quàm Regularium quanvis enim certò cognoscant, à pluribus reservationem, huic, vel illi peccato impositam, ignorari, de illa ignorantia non curant; procedunt enim, ac si compertum habeant, eam ignorari, vel non ignorari; nam à confessarijs non possunt absolvi. Idem enim constat ex praxi confessariorum, qui pœnitentes non interrogant, an ignorassent reservationem illi peccato reservato, esse impositum; sed solùm attendunt ad modum, quo habenda sit jurisdictio, ut rectè absolvatur is ignorans.

5 Fateor tamen cum P. Gobat. *cit.* tunc intelligi reservationem in pœna delicti esse impositam, quando ipsi delicto annexa est excommunicatio: nam licèt probabilius sit, quando aliquod peccatum cum excommunicatione reservatur; & ipsa excommunicatio, & idem peccatum manere reservata, ut cum Soar. Vasq. Ægid. Henriq. Fagund. Card. de Lugo, Filliuc. Megal. Molfesio, & alijs tenet Leandr. *tom.* 1. *tract.* 5. *de pœnit. disp.* 12. *q.* 14. Si tamen censura ipsi peccato annexa ignoretur, ipsum peccatum non manet reservatum ut omnes fatentur TT. apud Moyam *cit. num.* 6. Et cum Henriq. Sanch. Ægid. Laym. Hurt. & Mando, defendit Leandr. *proximè q.* 16. Quando verò in odium alicujus delicti reservatio imponitur à S. Pontifice, illi annectitur censura. Nam S. Pontifex regulariter loquendo, non reservat peccatum sine excommunicatione, ut cum Fagund. & alijs pluribus tradit Leand. *cit. q.* 13.

6 Dixi *regulariter loquendo* quia negari nõ potest, S. Pontificem aliquando sibi peccatũ reservasse sine excommunicatione, ut deducitur *ex cap. latorem* 33. *q.* 1. *Extra v. inter cunctas, & ex Bulla Sixti V. inter alias hujus Pontificis* 91. *apud* Chorub. *tom.* 2. *contra male promotos*; & videre est apud Soar. *disp* 29. *de pœnit. sect.* 2. *n.* 4. & 5. Reservationem autem *in cap. Latorem*, & *Extra v Inter cunctas*, indicant jam antiquatas, & in desuetudinem abijsse Dicastill. *tom.* 2. *de Sacram. disp.* 11. *n.* 16 & Leand. *tom* 1. *tract.* 5. *de pœnit. disp.* 12. *q.* 13. De Bull. Sixti V. contra malè promotos, adhuc vigere, sustinent DD. *cit.* & Card. de Lug. *de pœnit. disp.* 20. *n.* 25 *fine.* Hæc tamen reservatio in ea Bulla annexam habet suspensionem; at reservatio sit ipsarum culparum, ibi: *Personæ sic, ut præfertur, delinquentes tam scilicet Antistites, seu Abbates promoventes, quàm clerici malè insigniti, seu ordinati à reatibus, & excessibus præfatis absolvi, præterquam in mortis articulo non possint.* Hujus Sixti V Bullæ meminit Clemens VIII in alia Bulla, ut videre est apu d Cherub. *cit.*

7 Ad fundamenta 1. & 2. *sententiæ in ijs*, quæ tertiæ opponuntur, ex probationibus pro eadem tertia adductis, patet solutio. Sive enim eæ reservationes primario fiant in pœnam, & odium peccati, & secundario in medicinam & bonam Ecclesiæ gubernationem, sive primario in bonam Ecclesiæ gubernationem, & secundario in odium peccati, semper limitant & restringuunt confessariorum jurisdictionem. Quod non evenit in peccatorum reservatione cum censura, quando hæc ignoratur; & hac non inversa, peccatum non manet reservatum, & á confessarijs absolvi potest, ut diximus.

QUÆSTIO X.

An indulgentiam Portiunculæ in Ecclesijs Monialium S. Francisci quis lucrari possit, si in eodem oppido, seu civitate dentur Ecclesiæ Minorum?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *In duplici sensu agitatur quæstio.*

3 *In*

3 *In dictis Monialium Ecclesijs indulgentiam quis lucrari potest, etiam si Moniales fratribus subjiciantur, & in eo oppido sint fratrum Ecclesiæ, & Monasteria.*
4 *Indulta uni Monasterio concessa alijs ejusdem Ordinis Monasterij tam virorum, quam mulierum communicantur.*
5 *Authoritate Emm. Rodrig. ostenditur.*
6 *Idem ostendit Miranda.*
7 *Idem fatetur Hieron. Rodrig. ejusdem Ordinis*
8 *Idem Quintanad. & Gobat. Societ. IESU.*
9 *Conclusio ex dictis patet.*
10 *Suum intentum non probat doctus consulens.*
11 *Ex Tertij Ordinis praxi ostenditur incoherentia.*
12 *Arguitur ex defectu non citati Pontificis Bullæ*
13 *Indulgentiam lucratur visitans Ecclesiam Monialium S. Francisci sub Ordinarij obedientia viventium.*
14 *Opinio opposita proponitur.*
15 *Illius fundamenta facile dissolvuntur.*

1 DUm Serenissimus Rex per aliquos dies mensis Iulij, & Augusti in Villa de Alcantara, extra civitatem sita, prope tamen muros, feriaretur. Occurrente secunda die Augusti indulgentiæ Portiunculæ; Illam in ea, quin ad civitatem diverteret, lucrari voluit, visitans Monialium Ecclesiam *do Calvario* ordinis S. Francisci suo consulto dubium ingerens, asseruit. Portiunculæ indulgentiam, in locis ubi ejusdem Ordinis Fratrum monasteria existunt, neminem posse lucrari, visitando Monialium Ecclesiam.

Quæritur 1. An Serenissimus Rex Portiunculæ indulgentiam lucrari possit, visitando Monialium Ecclesiam in oppidis, in quibus monasteriorum Fratrum existunt Ecclesiæ. 2. An data alicujus opinione, quod non lucretur, possit Rex pro sua commoditate illam lucrari in Ecclesia dictarum Monialium. 3. An dictam Indulgentiam lucrari quis possit, visitando dictam Ecclesiam à primis vesperis, usque ad noctem secundæ diei Augusti?

§. I.

An in Ecclesijs monialium S. Francisci Portiunculæ indulgentiam quis lucrari possit, si in eodem oppido sint Monasteria, & Ecclesiæ Minorum?

2 Post aliquas quæst. de Sacram. Pœnit. agimus de Portiunculæ indulgentia, vestigia DD. sequendo, quia de indulgentijs communiter tractant in materia de Pœnitentia. In duplici sensu potest proposita quæstio procedere. 1. Quando Ecclesia visitanda, est Monialium sub obedientia Fratrum Minorum viventium 2. Quando sunt sub obedientia Ordinarij. In primo sensu.

3 Respondeo, Serenissimum Regem, & alios fideles posse indulgentiam Portiunculæ lucrari, visitando Monialium Ecclesias Ordinis S. Francisci, licét in eo oppido dentur etiam Monasteria, & Ecclesiæ fratrum Minorũ. Hæc resolutio est certa Ostenditur 1. quia Ss. Pontifices Benedictus XI. & XII. Bonifacius VIII. Sixtus IV. Gregorius XV. & alij indulgentiam, seu jubileum concessum, visitantibus templum B. Virginis Angelorum, seu Portiunculæ 2. die Augusti, situm, prope Assisium, ad omnia ordinis Minorum Monasteria extenderunt; ut constat ex monum. ordinis *fol.* 261 *concess.* 668. & Supplem. *fol.* 161. *concess.* 455. Videantur Portel. *in addit. Verb. indulgentia n.* 1. Uterque Rodrig. Emm. *tom.* 1 *q.* 87 *art.* 6 Hieron. *resol.* 77. n. 50. Quintanad. *in append. tract.* 5. *dub.* 1. Gobat. *tom.* 2. *tract.* 4. *part.* 2 *cap.* 9 *anum.* 350. sed extensio facta, omnia ordinis monasteria, & Ecclesias Monialium comprehendit, ut constat *ex text. in cap. Monasteria puellarum*, 18. *q.* 1. & *cap. Monasteria, de vit. & honest. cleric. Et Clem.* 1. *juncta Gloss.* 2. *de elect.* resolvunt Mendos. Flamin. & plures apud Barbos. *de appell.* 155 & alij quos refert, & sequitur Quintanad. *cit. tract.* 8. *sing.* 16. *n.* 6. ergo Serenissimus Rex, & alij fideles Ecclesiam Monialium visitantes in oppido, ubi sunt Monasteria Minorum, indulgentiam Portiunculæ lucrantur.

4 Secundò ostenditur, quia omnia indulta uni monasterio dicti ordinis concessa, per communicationem omnibus alijs ejusdem ordinis monasterijs conceduntur, ut constat ex Bulla Clementis VII. quæ incipit: *Dum fructus uberes, anno* 1525. quæ affertur ab Emman Rodrig. *fol.* 317. sicut, & *fol.* 50. alia affertur Bonifacij VIII. quæ incipit. *In sinu sedis*, & à Quintanad. *tom.* 1. *tract.* 5 *appendic. dub. ult. n.* 2. & ex Bulla Sixti IV. apud Rodrig. *in Bulla Aurea*, ibi: *In omnibus, & per omnia prorsus, ac sine ulla differentia, ac si ijsdem Monasterijs, locis, & personis, sindicis Procuratoribus, &c.* ergo cum non excipiantur Ecclesiæ Monialium in oppidis ubi dantur Ecclesiæ Religiosorum ejusdem Ordinis; qui illas visitaverint, dictam Indulgentiam consequentur. Semper suppono; alia requisita, ad dictam indulgentiam consequendam, non esse defectura.

6 Tertio ostenditur authoritate DD. ejusdem Ordinis S. Francisci, hanc resolutionem verbis expressis sustinentium; Fr. Emman. Rodrig. *tom.* 1. *qq. Regul. q.* 55. *art.* 18. §. *Ex quo infertur.*, ibi: *Sic contriti, & confessi visitantes Ecclesiam Monasteriorum Ordinis P. N. Francisci tam virorum, quam mulierum, hanc eandemmet indulgentiam consequuntur, sine eo quod fraternitati chordæ P. N. Francisci sint conscripti; nam per communicationem omnia indulta concessa uni Monasterio dicti ordinis, omnibus alijs dicti ordinis Monasterij, tàm virorum, quam mulierum fiunt communia.*

7 Miranda *in Man. Prælatorum*, *q* 46 *art.* 7 *prop-*

prope finem, sic habet: *Indultum, atque privilegium concessum S. Mariæ de Portiuncula: in quo conceditur plenaria indulgentia, omnibus prædictam Ecclesiam, debita cum dispositione ingredientibus, extenditur atque protrahitur ad omnia nostri Ordinis utriusque sexus; & quidam si contriti, & confessi eandem visitaverint, indulgentiam plenariam consequentur.*

8 Fr. Hieronymus Rodrig. ejusdem Ordinis *resol.* 116. *n.* 15. ibi: *Unde illud magnum indultum concessum conventui B. Mariæ de Portiuncula apud Assisium, omnibus utriusque sexus monasterijs Ordinis Minorum sit commune.*

9 His Authoribus Ordinis Minorum addo duos diligentissimos viros nostræ societatis JESU, Quintanad. *tom. 1. sing. in appendic. tract 5. dub. 1. n. 3.* de hoc Portiunculæ Iubileo tractantem, ubi sic: *Diligentia vero adhibenda ad lucrandum hoc Iubileum, ea sunt: Confessio, visitatio cujuslibet Ecclesiæ Fratrum Minorum, etiam Monialiũ.* Et *n. 4.* de eodem Iubileo agens, sic inquit: *In omnibus Fratrum Minorum, & Monialium etiam Tertij Ordinis Ecclesijs ejusdem obedientiæ, hoc Iubileum lucrari constat.* Et Gobat. *tom. 2. tract 4. part 2. cap 9. de Indulgentia Portiunculæ n. 351.* ibi: *Hanc plenariam Indulgentiam posse in omnibus Ecclesijs ordinis Minorũ obtineri, docet Rodrig. cit. à n. 18 eo videlicet, quia per communicationem omnia indulta concessa uni Monasterio dicti Ordinis, omnibus alijs ejusdem ordinis monasterijs, tam virorum, quam mulierum fiant communia. Verum etsi huic Doctori facile assentior, quoad ipsam conclusionem, &c.*

10 Ex testimonijs horum DD. liquidò constat, indulgentiam Portiunculæ posse, sine aliqua differentia obtineri à visitantibus Ecclesiam sive Fratrum Minorum, sive Monialium ejusdem Ordinis, etiam si in eo oppido sint utriusque Sexus Ecclesiæ, & Monasteria. Et sic per bonam consequentiam poterit Rex Serenissimus illam lucrari visitando Monialium, & non Fratrum Ecclesiam; quia concessio est absoluta ad omnes ordinis Ecclesias.

11 Nec adversus hanc resolutionem, aliquid probat R. P. ex Seraphico Ordine in suo consulto, adducens pro totali fundamento hæc verba: *Volentes igitur omnes, & singulas Ecclesias Ordinis S. Francisci de observantia, etiam reformatorum, ubique existentes aliquo spirituali munere illustrari.* Sic tantùm verba adducta asserens, ea esse Bullæ extensionis. At cùm Bullæ extensionis plures fuissent concessæ, ut vidimus *nu. 3.* & hanc non citet, nec à quo S. Pontifice fuerit concessa, nihil ex ea probatur. Et dato, quòd ea verba fuissent alicujus Bullæ extensionis & citaretur, á quo Pontifice fuisset Bulla, in qua ea verba continentur; ex illis non potest probari, visitantes Ecclesias Monialium in oppidis, ubi sunt Ecclesiæ Fratrum Minorum, indulgentiam Portiunculæ non obtineri, ut legenti patet. Respondet doctus consulens, in citatis verbis primò, & principaliter exprimi Fratres Minores, secundariò verò, implicitè, & minus principaliter ipsas Moniales. Hoc tamen non est verum, quia Moniales in ijs verbis nullo modo exprimuntur. Et si vult appellatione Fratrum, Moniales intelligi; ad illas eandem gratiam, & favorem Pontificium extendere debebat; nam *taciti, & expressi idem est judicium*, ut ex jure, & communi DD. tradit Barbos. *de Axiomat. 218.*

12 Ex dictis hujus B. Patris sequitur: quòd si quis Ecclesiam RR. PP. Tertij Ordinis S. Francisci visitet, pro acquirenda Portiunculæ Indulgentia, in eo oppido in quo sunt Ecclesiæ Ordinis Fratrum de Observantia, seu Reformatorum, non consequi indulgentiam. Sequella patet; quia in adductis verbis, sic exprimuntur Moniales, ac exprimuntur Fratres Tertij Ordinis: tantummodo enim Fratres de Observantia, & Reformati exprimuntur: ergo si visitantes Monialium Ecclesias pro obtinenda Portiunculæ indulgentia in oppido, ubi sunt Fratrum Ecclesiæ de Observantia, vel Reformatorum, illam obtinere nequeunt, nec etiam visitantes Ecclesias Fratrum Tertij Ordinis, ubi existunt Fratres de Observantia, seu Reformati. Hoc autem est contra praxim ipsorum Fratrum Tertij Ordinis, & fidelium, qui æqualiter, & sine differentia, pro hac indulgentia consequenda, utrorumque Ecclesias visitant. Respondebit doctus consulens, hos fratres suas habere Bullas speciales, in quibus suis Ecclesijs ea indulgentia conceditur. Rectè quidem. At respondeat etiam, Moniales suas habere Bullas; aliàs enim responsio data gratis habebitur.

13 Quamvis dictus consulens non designasset, cujus Pontificis essent verba a se allata. Ex contextu existimo, esse Gregorij XV. in gratiam Capucinorum *data anno* 1622. Qui Pontifex aliam Bullam ipsis Capucinis ad decennium à Paulo V. concessam, confirmavit, atque ampliavit litteris perpetuis, futuris temporibus valeturis, in quibus sic: *Volentes omnes, & singulas Ecclesias Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum ubique existentium, aliquo spirituali munere illustrare; omnibus Christi fidelibus, qui die secunda Augusti, &c.* Sic habetur apud diligentissimum Gobat *tom. 2. tract. 4. part. 2. cap 9. de Indulgentia Portiunculæ*, cui potius adhibenda est fides, quia & Pontificem designat, & Authorem Boverium, á quo hæc accipit. Et hoc dato, hæc verba non rectè dicuntur esse extensionis dictæ indulgentiæ, nec in ea gratia Pontificis Gregorij, Fratres de Observantia comprehenduntur; nec ampliatur ad Ecclesias Fratrum Minorum, & Monialium ejusdem Ordinis, ut dictus consulens non bene interpretabatur.

Quæsti-

Quæstionis resolutio juxta secundum sensum.

14 Secundus sensus inquirebat; an Rex Sereniſſimus indulgẽtiam Portiunculæ lucrari poſſit, viſitando Monialium Eccleſiam ſub Ordinarij obedientia viventium, in eo oppido, in quo ſunt Monaſteria, & Eccleſia Fratrum Minorum. Reſpondeo affirmativè; & ita tenentur ſentire omnes docentes, Moniales gaudere privilegijs, viris Religioſis ſui ordinis, conceſſis, ſi ipſis Monialibus adaptari poſſint, & in conceſſione illorum non excludantur, ſive Moniales ſint, vel non ſint exemptæ. Sic pluribus citatis Barboſ. *de Appellat.* 154. *num.* 4 Soares, Rodrig. quos affert, & ſequitur Pellizar. *in Man. Regul. tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 5. *num.* 72. *junctο* 74. Quintanad. *tom.* 1. *ſingul. tract.* 8. *ſingul.* 16. *per totum.* Et ſpecialiter in præſenti caſu idem Quintanad. in appendic. ejuſdem *primi tom. tract.* 5. *dub* 3. *numer.* 4. *Molir. ſupra cit. fol.* 115 Bonagratia *in ſummul. Verb. Privilegium num.* 412. quos refert, & ſequitur Gobat *tom* 2. *part.* 2. *cap.* 9. *numer* 354 §. 3. Probatur, quia ſixtus IV. hanc indulgentiam ad omnes extendit Eccleſias S. Franciſci ſine aliqua exceptione, ut tradunt Emman. & Hieron. Rodrig. ille *tom.* 1. *qq. Regul. q.* 58. *art.* 3. hic, *qq. Regul. reſol.* 77. *numer.* 50. Mirand. *tom.* 2 *q* 46. *art.* 7. & habetur *in monum. ordin. primæ impreſſ. fol.* 67. *conceſſ.* 123. *& fol.* 96. *conceſſ.* 333. Sed Moniales regulam S Franciſci profitentes, vere ſunt, & appellantur Religioſæ S. Franciſci, ſive ſint, ſive non ſint exemptæ à regimine Fratrum: ergo hæc indulgentia ad viſitantes ſuas Eccleſias extenditur, & ab illis conſequitur.

15. Nec obſtat, quòd oppoſitum neceſſariò ſequuturi ſunt, omnes exiſtimantes, Moniales Ordinis S. Franciſci Ordinario ſubditas, privilegijs Minorum non gaudere, ut ſunt Mirand. *in regul. Tertiar. cap.* 11. Hieronym. Rodrig. *qq. Regul. q.* 137. *num.* 10. apud Quintanad. *tract.* 5. *append. dub.* 3. *num.* 1. Et inclinat Portel. 2. *part. reſponſ. moral. caſu* 14. *in fine*, & alij. Probari poteſt 1. quia ſixtus IV. Bonifacius VIII. Gregorius XIII. & Leox. in Bullis ſpecialibus à Quintanad. citatis, non ſolùm privilegia Fratrum, ſed Leo x. hanc in particulari indulgentiam de Portiuncula conceſſit Monialibus Tertij ordinis ſub regimine Fratrum viventibus: ergo ſi vivant ſub regimine Ordinarij, neque hac indulgentia, nec alijs ordinis Minorum privilegijs fruentur. 2. Quia hoc eſt contra voluntatem Fratrum Minorum, quibus hæc indulgentia primariò conceſſa eſt.

16 Non inquam hæc obſtant; quia ad primum reſpondetur, quamvis ipſi Pontifices ijs Monialibus privilegia ordinis cum ea reſtrictione, ſeu conditione conceſſiſſent, ijdem Pontifices, & alij, ſine ea conditione, ſed ablolutè ea conceſſerunt. Vide Quintanad. *cit. dub. ult.* Portel *ſupra dict. caſu* 14. *num.* 3. Ad 2. reſpondetur nihil referre, quod uſus illius indulgentiæ ſit contra Minorum voluntatem (quod tamen non ordo] quia hæc indulgentia Monialibus independenter á Fratribus Minoribus eſt conceſſa. Et quamvis primariò Fratribus fuiſſet conceſſa, non tollit, quod independenter ſit conceſſa.

§. II.

An data alicujus opinione, quod non lucretur, qui indulgentiam Portiunculæ, viſitando Eccleſiam Monialium, ubi ſunt Eccleſiæ Minorum, poſſit Sereniſſimus Rex illam lucrari, viſitando Eccleſiam Monialium vulg. *do Calvario* inoppido de Alcãtara?

SUMMARIUM.

17 *Poteſt, ut certum lucrari.*

18 *Alcantara videtur non eſſe quid diſtinctum à civitate.*

19 *Oppoſitum eſt tenendum.*

20 *Dato, quòd Alcantara ſit ſuburbium, in acquirenda dicta indulgentia non venit nomine ſub urbij, nec civitatis.*

21 *Suburbia in obſervantia interdicti, veniunt nomine civitatis interdictæ ſed non in acquirenda Indulgentia Portiunculæ.*

17 Reſpondeo, poſſe, etiam conceſſo aſſerto conſulentis; quod eſſe abſque fundamento, & improbabile *ſupra* oſtendimus; quia in viſitatione illius Eccleſiæ omnia concurrunt, quæ ad lucrandam Portiunculæ indulgentiam ſufficiunt. Oſtenditur, quia in eo oppido de Alcantara eſt Eccleſia Monialium, vulgo *do Calvario* Ordinis S. Franciſci, cujus regulam profitentur, & illi Eccleſiæ conceſſa eſt dicta indulgentia, ut *ſupra* vidimus, ex facta à Ss. Pontificibus extenſione, & ex DD. quorum verba adducimus. Deinde in eo oppido de Alcantara non ſunt Monaſteria, nec Eccleſiæ Fratrum Minorum. Vnde ceſſat aſſertum dicti conſulentis. Nec etiam Moniales *do Calvario* Ordinario ſubduntur. Unde ceſſat opinio exiſtimantium [de qua ſupra] Moniales ſub regimine ordinarij viventes, privilegijs non gaudere, viris Religioſis ejuſdem Ordinis conceſſis.

18 Nec obſtat, quòd oppidum de Alcantara non videtur eſſe à Civitate ſeparatum, cũ ab illa non longè abſit, imo ab illa tantum parvo fluviolo ſejungitur, & ponte intermedio apparet continuatum; & cùm in civitate plura ſint Monaſteria, & Eccleſiæ Minorum, videtur dicendum juxta Conſulentis aſſertum, non poſſe indulgentiam Portiunculæ lucrari, Eccleſiam Monialium *do Calvario* viſitando; cum ſita ſit Alcantaræ.

19 Non

19 Non inquam id obstat, quia Oppidũ de Alcantara est separatum, & sejunctum à civitate; & de rigore juris illud tantum venit nomine civitatis, quod muris cingitur, ut tradunt Oldrad. Menoch. Azeved. Card. Thusc Rebuff. & alij apud Barbos. *de appell. verbor. appell.* 49. Sed oppidum de Alcantara est extra novos muros civitatis; ergo est quid distinctum à civitate. Deinde Alcantara habet palum, seu hastam, vulgo *pelourinho*, quod est distinctivum oppidorum, & tantæ, ac tantæ jurisdictionis: ergo non potest venire in partem nec esse pars civitatis.

20 Et dato, quòd aliquis dicat, quòd Alcantara sit Civitatis suburbium, & ut tale venire nomine civitatis. Respondetur eo dato, & concesso, suburbia non venire nomine civitatis, in materia odiosa, sed tantûm in favorabili; ut tenent Cravett. Abbas, Card. Tusch. & alij apud Barbos. *proximè num.* 2. at in nostro casu materia est odiosa & pænalis. Odiosum enim est, & pænale venire de Alcantara ad civitatem ad visitandas Ecclesias Fratrum Minorum, ut Portiunculæ indulgentia acquiratur, & favorabile est ibi degentibus, visitare Ecclesiam Monialium S. Francisci *do Calvario*: ergo juxta commune DD. placitũ, Alcantara licet sit suburbium, & suburbium veniat nomine civitatis, in nostro casu venire non potest, sed est oppidũ à civitate distinctũ.

21 Nec obstat, quòd interdicta civitate, etiam sub urbia maneant interdicta, ut constat ex text. *in cap. Si civitas, de sentent. excommun. in* 6. & tamen odiosum, & pænale est, in suburbijs degentibus, ad alia oppida pergere ad audiendam Missam, & favorabile, quòd nõ veniant nomine civitatis, ut ad illa interdictũ non extendatur: ergo etiam licèt sit favorabile Alcantaræ degentibus, non pergere ad civitatem, ut in ea Fratrum Minorum Ecclesias visitent, & sic non venit nomine civitatis; sic erit in suburbijs, quando in civitate datur interdictum. Non inquam obstat, quia negatur consequentia, & adducitur dispar maior ratio: & est, quia dato interdicto in civitate, expressit textus, quod suburbia nomine civitatis venissent; at data indulgentia Portiunculæ cum obligatione visitandi Ecclesiam Minorum; non datur textus, quòd suburbia veniant nomine civitatis in materia pænali, & odiosa; & sic juxta jus commune *in cap. Odia de regul. jur in* 6. sub urbia non veniunt nomine civitatis, & potest amplecti, quod favorabile est; & favorabile est, ad civitatem non pergere, quando extra civitatem in sub urbijs habẽt Ecclesiam Monialium S. Francisci, quæ visitari potest. Ratio autem cur textus disposuit, quod civitate interdicta, etiam suburbia manerent interdicta, est, quia si sub urbia nõ manerent interdicta; vel penderetur interdictum quia cives poterant ad divina audienda ad sub urbia pergere, in nostro autem casu non habemus textum, qui ad aliud sentiendum, nos moveat, ut dictum est.

§. III.

An indulgentiam Portiunculæ quis lucrari possit, visitando Ecclesiam Fratrum Minorum, aut Monialium S. Francisci, à primis vesperis usque ad noctem secundæ diei Augusti.

SUMMARIUM.

22 *Hæc indulgentia concessa fuit visitantibus Ecclesiam à primis, usque ad secundas vesperas.*

23 *Hodie communis stylus est, quod Ecclesia visitetur à primis vesperis usque ad occasum solis sequentis diei.*

24 *Verba: usque ad secundas vesperas, cohærent cum verbis: usque ad occasum solis sequentis diei.*

25 *Conclusio ex dictis, & alia remissivè.*

22 Ut titulo proposito respondeamus, advertendum est 1. aliquos Ss Pontifices scilicet Benedictum VIII. Bonifacium VIII. & Sixtum IV. apud Quintanad. *tom.* 1. *sing. in appendic. tract.* 5. *dub.* 1. *nu.* 3. & alios apud Gobat *tom.* 2. *tract* 4 *part.* 2. *num.* 653 hanc Portiunculæ indulgẽtiam concessisse visitantibus Ecclesiam *à primis vesperis primæ diei mensis Augusti usque ad secundas vesperas sequentis diei.* Sic Sixtus in Bulla, quæ incipit: *ex injuncto nobis*, anno 1473 ibi: *Quæ visitantibus Ecclesiam S. Mariæ de Portiuncula Assisinatæ Diœcesis à primis vesperis primæ diei Augusti usque ad secundas vesperas sequentis diei annuatim erat concessa, &c. Nos indulgẽtiã hujusmodi plenius approbamus, &c.*

23 Secundò advertendum P. Gobat, *proxime* affirmare, se vidisse varias Bullas, Pauli III. B Pij V. Gregorij XIII. Sixti V. & aliorum hujus sæculi Pontificum, pro diebus festis Circuncisiones, S Sebastiani, Annuntiationis, Visitationis, S Francisci; S. Thomæ Aquinatis, Portiunculæ, S Ignatij, &c. In quibus præter alia, ibi expressa erant hæc: *A primis vesperis usque ad occasum solis festorũ hujusmodi.* Et sibi rationaliter persuadet, hunc esse jam communem usum Cancellariæ Romanæ in designando tempus Ecclesiæ visitationis. His animadversis.

24 Ad quæstionem respondeo, posse die secunda Augusti visitari Ecclesiam usque ad occasum solis, nempe usque ad tempus, quo sol jam plane sub horisontem est abditus, & non post solis occasum. Ita deducitur ex verbis à Ss. Pontificibus hujus sæculi allatis. Et cum hoc tempore *usque ad occasum solis* modo explicato, cohærent verba aliorum Pontificũ Benedicti, Bonifacij, Sixti, & aliorum *usque ad secundas vesperas sequentis diei*; nam per secundas vesperas in earum Bullis *solis occasu* intelligitur, juxta Isidorum *l. 1 etymolog.* ibi. *Vespertinum*

pertinum officium est in noctis initio, vocatum ab stella vespero, quæ surgit oriente nocte. Et *de Eccles. offic. cap.* 12. *Vespertinum* [ait] *diurni officij finis, & alterna lucis occasus est*; & D. August. *in Psalm.* 29. ad illa verba: *Ad vesperum demorabitur fletus: vespera* (inquit) *sit quando sol occidit.* Nec dissentiunt Astronomi, dum inquiunt: *Vespertina est solis absconsio, cum scilicet ab oriente in occidentem vergit, ac occidens, noctem induit.* Et has formulas; *opinionis vesperis usque ad secundas sequentis diei*; & *à primis vesperis usque ad occasum solis*, eo modo esse intelligendas, sentiunt Quintanad. *tract.* 3. *appendicis dub.* 4. *n.* 4. Gobat. *tom.* 2. *part.* 2. *tract.* 4. *n* 654 *fine*; citans Emman. Rodrig. *tom.* 2. *qq. Regul. q.* 88. *cap.* 5. Et hujus ratio est, quia olim vesperæ ad solis occasum recitabantur, ut videre est apud Azor *part.* 1. *l.* 10. *cap.* 2. *q.* 10 & alios.

25 Ex dictis patet responsio. Si quis tamen dubio non pauca resoluta videre cupiat, adeat Quintanad & Gobat *locis cit.* & ibi ea dilucide inveniet enucleata.

QUÆSTIO XI.

An Episcopus in diebus Dominicis, aut festivis ad ordines minores ultra unum aut duos, possit promovere.

SUMMARIUM.

1 *Non posse docent aliqui.*
2 *Oppositum est verum, dummodo ordinatio nõ sit generalis.*

RESOLUTIO.

1 QUidam Episcopus, cum plures essent ad ordines minores suscipiendos in quadam die Dominica, dubitavit, an omnes illos potuisset ordinare. Et ratio dubitandi pro parte negativa erat, textus *in cap. De eo, de tempor. ordin.* qui videtur limitare Episcopum ad unum, vel duos, & non amplius; ibi: *Licitum est Episcopis Dominicis, & alijs festivis diebus unum, aut duos ad Minores ordines promovere*, &c. Et ita sanè existimarunt non nulli DD. ratio hujus textus, quos refert, & sequitur Taner. *de Sacram Ordin. q.* 3. *dub.* 2. *n.* 43. affirmantes solis tribus, aut quatuor posse Episcopum minores ordines in casu proposito privatim conferre.

2 Respondeo tamen posse Episcopum prædictis diebus Dominicis, nec non & festivis, pluribus tales ordines conferre; neque *text. cit. in cap. De eo* aliud velle; nisi quid ijs diebus generales non fiant illi ordines. Ita Glos. *ibidem lit. q.* ibi: *Unum, aut duos. Nunquid plures? utique dummodo non videatur generalis ordinatio.* Idem asserit Sylvest. *verb. ordo*, 2. *q.* 6. citans plures DD. quibus accedunt Henrriq. *l.* 10. *cap.* 12. *n.* 2. Angel. *Verb. ordo n.* 4. Præpos. *de Sacram. Ordin. dub.* 15. *n.* 150. Marchin. *tract.* 1. *de Sacram. Ordin. part.* 7. *cap.* 5. *n.* 2. & alij plures, quos affert, & sequitur Leand. *tom.* 2. *tr.* 6. *de Ordin. disp.* 11. *q.* 2.

QUÆSTIO XII.

An Vicarius generalis ordinis S. Ioannis Melitensium dimissorias ad ordines suis subditis possit concedere, & eas admittere teneatur hujus Diœcesis Archiepiscopus, ut ab aliquo Episcopo in sua Diœcesi ordinentur, si eos ordinare nequeat?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Probabilior sententia affirmat.*
3 *Dicti Vicarij Generales plenissimam in suos subditos habent jurisdictionem.*
4 *Ex consuetudine, & praxi suis subditis concedunt dimissorias.*
5 *Possunt facere cum Episcopis titularibus, ut suis subditis intra suum territorium ordines conferant.*
6 *Iuri antiquo standum est, quando circa novũ inter DD. datur dissentio.*
7 *Sacr. Card. Congr. prohibitionem concedendi dimissorias suis subditis sæcularibus revocavit Priori de Busco Ordinis Carthusiæ.*
8 *Sententiæ affirmativæ subscripserunt DD. Salmantini, in controversia cujusdam Prioris Alcantarensis.*
9 *Vicarijs Melitensibus ex jure antiquo non prohibetur, concedere dimissorias.*
10 *Nec ex jure novo Concil. Trid. licet plures negent. DD.*
11 *Ad verba Trident. Intra quorum fines Diœcesis existunt, verus adducitur sensus.*

1 GAbinus à suo Prælato Vicario generali Militensi in territorio sui domicilij jurisdictionem quasi Episcopalem habente, dimissorias accepit, ut à quocunque Episcopo ordinaretur. Archiepiscopo Olyssiponensi illos præsentavit; qui eas noluit admittere, dicens debere esse ab Episcopo Portugallensi concessas, intra cujus Diœcesis fines subditi illius Vicarij Generalis existunt. Quæritur 1. An Vicarius Generalis ordinis Millitensis suis subditis dimissorias concedere possit? 2. An Archiepiscopus eas dimissorias admittere teneatur, ut Gabinus ab aliquo Episcopo in hac civitate ordinetur, si eum ordinare nequeat?

§. I.

An Vicarius Generalis Ordinis Hierosolymitani suis subditis dimissorias possit cõcedere?

2 Hæc quæstio communis est omnibus Abbatibus Magnatibus, Prioribus Militaribus & eorum Vicarijs Generalibus, plenissimam jurisdictionem Episcopalem habentibus in suos subditos sæculares privativé, quoad Episcopos, quia scilicet nulli alteri Episcopo subduntur. Et cum in his comprehendãtur Vicarij Generales Melitentium, ad quæstionem propositam. Respondeo, cum probabiliori, & cõmuniori sententia, posse dictum Vicarium generalem suis subditis sæcularibus dimissorias ad ordines suscipiendos cõcedere. Ita Gratian *in discept forens. cap* 12 Sanch *tom.* 2. *consil. l.* 7. *cap.* 1 *dub.* 1 *n.* 6. Sayr. *in Clavi Reg. l.* 6 *cap.* 11 *n.* 83. Tamburin. *de Iur. Abbat. tom.* 2 *disp.* 2. *q.* 26 Villal. *in sum. part.* 1. *tract.* 11. *diff* 9. *n.* 4. Hieron. Rodrig *in compend. qq. Regul resol.* 1 *nu.* 26. Ledesm *in sum. tom* 1. *de Sacram. pœnit cap.* 8 *post secundam conclus.* Emman. Rodrig. *tom.* 1. *qq. Regul.* 36. *art.* 6. Barbos. *de potest. Episc. part.* 2 *alleg* 7 *n* 8. citans Campanil. *Et in collect ad cap. significasti de officio Archidiac.* & *in remiss. ad Trident. sess.* 23. *de reform. cap.* 20. *n.* 14. citans Grilenzon, Ciarlin. & alios Dian. 3 *part. tract.* 2 *resol.* 95. & 4 *part. tract* 4. *resol.* 147 *in fine* Quintanad. *in instruct. Confess. part* 3. § 5. *n.* 12. & *tom.* 1. *sing tract.* 6. *singul.* 5. *nu.* 4. citans Arag. Henrriq. Ioann. da Cruz, & Molfes. & expresse loquens de Vicario generali S Ioannis. His accedũt Machad. *de perfect confess tom.* 2 *l* 4. *part.* 6. *tract.* 3. *docum.* 3 Covarr. Filin Archidiac. quos refert, & sequitur Mend. *de ordin. militar. disquis.* 7. *q.* 7 *n.* 84. Marchin. *de ordin. tract.* 1. *part* 6 *cap.* 3. *n.* 7. & expressius *cap.* 4. *n.* 17 cum Rivio & alijs, & cũ Ludov. de Cruz, & alijs Leand. *tom.* 2 *tract.* 6. *de ordin. disp.* 10. *q* 18 Castr. Palaus *part.* 4 *tr.* 27. *disp. unic punct.* 15. *post principium* & *in fine*, Tãbur. *l.* 7. *de Sacr. Ord* § 2. *n.* 1. Escob. de Mẽdoc. *tom.* 3 *Theol moral l.* 23. *n.* 412.

3 Probatur 1 quia nullus Episcopus potest cõcedere dimissorias, nisi suis subditis, ut recte colligitur *ex cap cũ nullus* 3. *de tempor. ordin. in* 6. sed Gabinus nõ subditur Episcopo Portugalensi, nec alij Episcopo: ergo nec ab illo, nec ab alio potest habere dimissorias. Maior ab omnibus admittitur, videatur Villal. *cit.* Minor ostẽditur, quia Vicarius generalis Melitẽtiũ in suos subditos sæculares habet plenissimã jurisdictionem, quasi Episcopalem privativè, quo ad Episcopos; scilicet, quia nulli alteri Episcopo subdũtur, tribunal erigit, & habet erectũ, approbat confessarios, exequitur defunctorũ volũtates, &c ergo si Episcopus Portugalẽsis, & alij Episcopi nullã habẽt jurisdictionẽ in Gabinũ, nec in alios sæculares, sed Vicarius Generalis Ordinis Melitẽtiũ, quia hujus sũt subditi, & nõ Portugalensis, hic nõ potest, sed ille concedere dimissorias.

4 Secundo probatur ex ipsa consuetudine, quæ est optima legum interpres, quam dari in Hispania, inquit Vasq. *de Sacram. disp.* 243. *cap* 5. *n* 54 apud Castr. Palaus, & absolute illam dari. fatetur Mend. *cit n.* 88. & ex ipsa praxi, ut constat ex dimissorijs ab ipsis Vicarijs generalibus sæpius concessis. Et quanvis nõ pauci Episcopi illas admittere nolint, dicti Vicarij ab incepto non desistunt. Quod ita non esset, si existimassent, illas non posse concedere.

5 Addit Castr. Palaus *proximè* posse Priores S. Iacobi, & S. Ioannis (idem de eorum Vicarijs generalibus] intra suos Prioratus facere cum Episcopis titularibus, ut suos subditos sæculares ad ordines promoveant. Si ergo sit Episcopi tuta conscientia possunt in territorio horum Priorum, & de eorum, & suorum Vicariorum generalium licentia, suis subditis sæcularibus ordines conferre, quin impediri possint ab Episcopis, intra quorum fines suarum Diæcesium dicti Prioratus existunt, etiam quicunque Episcopi poterunt in suis Diæcesibus, si Dimissoriæ a prioribus Ordinum Militarium, seu á suis Vicarijs generalibus præsententur, ordines conferre; & non pauci Episcopi, illas jam admiserunt, & admittunt, ut testatur Mendo *cit. n.* 89.

6 Tertio probatur, quia Eugenius IV. *in Bulla expedita* 1. *die Maij, anno* 1434. concessit Prioribus militaribus, jurisdictione quasi Episcopali gaudentibus, ut possint suis subditis sæcularibus, dimissorias concedere, ut testatur Mendo *cit. n* 85. Et quanvis hæc concessio sit facta ante Concil. Trid. & DD. dissentiant in illius decreti dispositione, juri antiquo standum est, certo resolvente dubium, & quæstionem.

7 Quarto probatur. quia cùm prohibitum fuisset sub pœna suspensionis à S. Cong. Cardin negotijs Episcoporum, & Regularium Præposita Priori monasterij S. Stephani de Busco ordinis Carthusiæ, anno 1531. Dimissorias suis subditis sæcularibus ad ordines concedere. PP. Carthusiani eandem S. Congreg. pro revocatione dictæ prohibitionis suplicarunt; attento quod decisionibus, & sententijs Rotalibus jam fuerat resolutum, dictum monasterium proprium habere territorium, & in suos subditos omnimodam exercere jurisdictionem, revocata fuit ea prohibitio per hoc Decretum. *Eadem igitur S. Congregatio Eminentissimo Gyptio referente, censuit revocandam, & tollendam esse, prout præsentis Decreti virtute revocat, & tollit suspensionem, per quam prædicto Priori Carthusiensi monasterij S. Stephani de Busco ab eadem S. Congreg. prohibitum fuit sub die* 21. *Februarij* 1931. *concedere litteras dimissorias ad Ordines subditis proprijs sæcularibus. Romæ die* 18. *Iunij* 1632. Sic habetur apud Barbos. *de jur. Eccles. l.* 1 *cap.* 33. *numer.* 62. *vers.* & *novissime.* Tambur. de jure Abbat. *tom.* 2. *disp.* 2. *quæst.* 26. *numer.* 23.

Sed

Sed Vicarius Generalis S. Ioannis, & alij Priores. & Abbates Magnates habent proprium territorium, & in suos subditos tàm de clero, quám de populo omnimodam exercent jurisdictionem ergo non illis concedere prohibetur dimissorias.

8 Quinto probatur, nam cum salmanticæ hoc dubium agitaretur circa Priorem de Rolam, Alcantarensem, an potuisset suis subditis sæcularibus litteras dimissorias concedere? Parti affirmativæ subscripserunt Primariæ cathedræ Theologiæ, & Canonum moderatores, quorum sententias se vidisse, asserit Mendo *cit.n.*84. Et cum eadem sit quæstio de Vicarijs S. Ioannis, idem de illis est dicendum.

9 Nec obstat 1. *text in cap.* 3 *de tempor. ordin. in* 6. ubi dicitur ad solum Episcopum, & non ad inferiores Prælatos, ut Abbates, & Archidiaconos pertinere concedere dimissorias, ut inquit Glos. *verb. Prælati*, ibi: *Puta Abbates, Præsbyteri, vel Archidiaconi.* Et juxta jus antiquum id docuerunt nonnuli apud Sanch. *l.7.consil cap.* 1. *dub.* 21. *num.* 2. Non inquam obstat textus, nam ibi per Episcopum intelliguntur omnes illi, qui jurisdictionem quasi Episcopalem privativè quoad Episcopum, habent; ut rectè ostendit Sanch *cit. nu* 3. *ex Clement.* 1 *de foro competent.* & alij quia Glos. ibi *in verb. seu versic. Diœcesanis*, non intelligit, expulso Episcopo a Diœcesi, Vicarium Generalem Episcopi, sed nomine Diœcesani intelligit Episcopum, vel illum, qui jurisdictionem quasi Episcopalem habet in eo loco, in quo Episcopus eam exercere non potest. Vide Sanch. *cit.* qui etiam plures DD. ibi citat.

10 Nec obstat. 2. jus novũ Cõcil. Trid. *sess.* 23. *cap.* 10. *de reform.* ibi. *Nec ipsi Abbates, & alij exepti, aut collegia, vel capitula quascunq; etiam Ecclesiarũ cathedraliũ litteras dimissorias aliquibus clericis sæcularibus, ut ab alijs ordinetur, cõcedant. Sed horũ omniũ ordinatio, servatis omnibus, quæ in hujus Sacrosanctæ synodi decretis cõtinẽtur, ad Episcopos, intra quorũ Diœcesis fines existunt, pertineat.* Sic Cõc. Ex quibus verbis cõstat, nõ potuisse Vicariũ Generalẽ ordinis S. Ioannis Melitẽsiũ dicto suo subdito clerico sæculari dimissorias cõcedere, sed eas debere concedi ab Episcopo Portugallensi inta cujus Diœcesis fines dictus ordinandus existebat. Et ita ex dictis verbis Cõcil defẽdũt apud Sãch. *cit. nu.* 5. Navarr. *l.* 1. *cõsil tit. de tẽpor. ordin.* Vivald. Rodrig. & Hẽriq Et apud Leand. *cit tract.* 6 *de Ordin. disp.* 10. *q.* 8 Fornarius, & Azor; & apud Mẽd. *de ordin. Milit. disquit.* 7. *q.* 7. *n.* 83. Maiol. Rebuf. Graf. Ignat Lopes, Bernard. Dias Mirand· Zerol. & Antonius Cujus. Idem videtur tenere Fragos. 2. *p in Regim. Deip. Christian. disp.* 18. *n.* 3. & subscribũt plures Episcopi eas dimissorias nolẽtes, admittere Nõ inquã hoc obstat, quia Cõciliũ verbis allatis solũ loquitur de Abbatibus, & alijs exẽptis carẽtibus Episcopali jurisdictione in subditos sæculares, ut ex verbis allatis constat, & á nobis adductis *supra.* Et in hoc sensu loquut sunt plures DD. *proximè citati*, ut Henrriq Rodrig. Fornar. ut rectè notarunt Marchin. *cit. dict. cap.* 4. *n* 17. Escob. *proximè* & alij.

11 Nec etiã obstãt alia Trident. verba: *Intra quorũ Diœcesis fines existũt ordinãdi.* Nã licet dictus ordinãdus, & alij existãt intra fines Diœcesis Episcopi Portugallensis, & aliorũ; existũt tamen materialiter, & nõ formaliter, quia non sunt subditi illius, aut aliarũ Diœcesũ. Et hoc ostẽditur, quia *locus exẽptus, & extra Diœcesim quoad jurisdictionẽ æquiparantur*, ut inquit glos. *ad Clem* 1. *de loco cõpet.* & docẽt ibi DD. Unde si ab Episcopo Portugallensi lata sit excõmunicatio adversus aliquos patrantes delictũ, nõ cõprehẽdit delinquẽtes in territorio, jurisdictiones Vicarij generalis S. Ioannis, quãvis intra fines Diœcesis Portugallensis existãt. Quãdo enim territoriũ alterius est jurisdictionis, licet intra limites alicujus Diœcesis sit, idem est, ac si extra Diœcesim existat. Vide DD. & à me dicta *supr. q.* 8. *n.* 5.

§. II.

An Archiepiscopus eas dimissorias admittere teneantur, ut Gabinus ab aliquo Episcopo in hac Diœcesi, ordinetur, si eum ordinare nequeat?

SUMMARIUM

12 *Non tenetur Archiepiscopus eas admittere dimissorias.*

13 *Archiepiscopus explorare potest, an aliqua subsit fraus, ut aliquis sic ordinetur.*

14 *In dubijs sequenda est opinio, animabus magis favorabilis.*

15 *Persistentibus Archiepiscopo, & Vicario in suis opinionibus, ad superiorem recurrendum est Ibidem.*

12 Respõdeo ad quæstionem, nõ teneri. Ratio est quia probabili nititur opinione: opinio autem probabilis in cõscientiæ foro, etiam relicta probabiliori, sequi potest, ut cum Armil. Arag. Salon. Banhes, Bartol. Medin. Solas. Lorca, Valent. Soar. & Sanch. tenet Emman. Barbos. *in remiss. ad l.* 3. *ordin. tit.* 64. § 1. *n* 10· & alij quos refert, & sequitur Moya *tom.* 1. *in qq. select. tract.* 1. *q.* 6. *à n.* 5. *&* 11. secus dicendum in judicando. Moya ibi: *q.* 7. § *unic à n.* 11.

13 Et quid dicẽdũ, quãdo ab aliquo Bajulivo seu cõmẽdatore Ordinis aliquis est præsentatus ad aliquam suæ cõmendæ Ecclesiã, & etiã à Vicario Ordinis examinatus, & litteris dimissorijs cõcessis, tenetur ne Archiepiscopus illas admittere, ut ab eo, vel aliquo Episcopo in sua Diœcesi ordinetur? Respondeo posse ab Archiepiscopo explorari, an ordinandus intentet tantum ad titulum illius Ecclesiæ, cui à Bajulivo est præsentatus, ordinari, ut post susceptos ordines eam dimittat Ecclesiam? Cum enim hæc fraus sit contra sanctiones canonicas

á Tridentino innovatas, rectè aget Archiepiscopus hanc fraudem explorans, ne illi ad ordines admittantur, quos verosimiliter credit, Ecclesiam esse renuntiaturos, postquam ordines adempti fuerint.

1 Cessante autem hoc fraudis timore congruum erit Archiepiscopo, eas dimissorias admittere, ne Ecclesia proprio vacet Pastore, & damnum in spiritualibus patiantur parochiani. Indubijs enim sequenda est semper illa opinio, quæ animabus magis favet, ut cum pluribus asserit Emm. Barbos. *in remiss. ad d.l.* 3 *ordin tit* 64 *in principio n* 15. Si tamen Archiepiscopus, & Vicarius Generalis, seu Prior militaris in suis persistant opinionibus, ad illorum superiorem recurrendum est, ut litem dirimat.

QUÆSTIO XIII.

An beneficium simplex obtinens cum ordinibus minoribus ab Abbate Benedictino collatis, sit intrusus, aut habeat titulum validum, & solum sit suspensus?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Collatio beneficij est valida ex præscisione Pontificia, cum clausula absolutionis a censuris.*
3 *Etiam est valida ex provisione ab Ordinario cum eadem clausula.*
4 *Si in provisione deficit ea clausula, plures docent, esse collationem nullam.*
5 *Probabilius est, esse validam.*
6 *Text. in cap. dilectus solùm loquitur de beneficio parochiali.*
7 *Collatio facta suspenso, ignorante suspensionem est valida.*
8 *Facta excommunicato, excommunicationem ignoranti, est valida.*
9 *Text cit. intelligitur de vere suspenso, & non de habente impedimentum Canon.*

1 IGnatius bona fide ordines minores ab Abbate Benedictino suscepit, & postea beneficium simplex obtinuit; & cum Sacr. Card. Cõgreg. anno 1655 inter alia declarasset, illos, qui ordines minores ab Abbatibus suscepere, absolutione indigere, & rehabilitatione *a Sanctissimo obtinenda*, juxta ea quæ diximus *supra q* 3. *n.* 1. Quæritur an sit intrusus, aut habeat titulum validum, & sit solum suspensus?

RESOLUTIO.

2 Respondeo cum distinctione: vel enim dictum beneficium obtinuit, & in illo fuit collatus per litteras Apostolicas, vel provisione Ordinarij cum clausula: *Teque absolventes à censuris, &c.* Vel illud obtinuit sine ea clausula. Si primum absque dubio est, Ignatium fuisse bene collatum ratione clausulæ absolutionis à censuris ad effectum gratiæ consequendum, si-cuti in omnibus litteris Pontificijs communiter habetur. Quia hæc clausula ponitur adhũc effectum consequendum; ut non obstante aliquâ suspensione, aut excommunicatione eædem litteræ sortiantur effectum, ut tenent cõmuniter DD. quos late citant, & sequuntur Garcia *de benef part.* 7. *cap.* 13 *nu.* 59 Barbos. *in collect. ad cap. Postulatis n.* 24. *de cleric. Excommunic. ministr.* & iterum *tract. de clausul* 179. & ibi *n.* 4. inquit, hanc clausulam in litteris Apostolicis, ita esse ordinariam, ut si omittatur, possit censeri adjecta, tanquam solita apponi; eandem defendunt resolutionem Bonac. *de Censur disp.* 2. *quæst.* 2. *punct.* 4 §. 1. *n.* 6 Castr. Palaus *tom* 6. *de Censur. disp.* 1. *punct.* 10. *n.* 26 *& alij.*

3 Eadem resolutio sequi debetur, in casu, quo litteræ non essent Apostolicæ, sed ab Ordinario, si in illis apposita fuit eadem clausula absolutionis, ut notant Barbos. *cit. in collect. n.* 25 *& de clausul. n.* 7 Garcia *n.* 71. Castr. Palaus *n* 29. Ugolin *de censur. tabul.* 1. *cap.* 4. §. 5. *n.* 18. & alij communiter.

4 Si secundum: Maior potest esse dubitatio, si in dicta provisione talis non fuit posita clausula. Nam collatio beneficij suspenso facta videtur invalida ex textu *in cap. cum dilectus vers. quia nobis, de consuetud.* ibi: *Quia nobis constitit electionem ipsam a suspensis, & de suspenso etiam celebratam, eam justitia cassavimus exigente.* Et ita tenent plures DD. quos late citant, & sequuntur Barbos. *in collect. ad cit. text. n.* 12. Flamin. Paris. *de resign. l* 5 *q.* 6. *n.* 84. Garcia *de benef. part.* 7. *cap.* 14 *nu.* 2 Lessius *l.* 2. *de Iust. cap.* 34 *n.* 116. Azor. *part.* 2. *l* 6. *cap.* 7. *q.* 2. Ugolin. *de Censur tabul.* 4. *de suspens. cap.* 6. §. 7. *num.* 4. *& cap.* 8. §. 6. *n.* 1. cum Rota *in una Melitens Abbat* 24. *Ianuarij, anno* 1590. *coram. Dom. Gyptio, &* in alia *Urgelens. Canonicatus* 3. *Maij. anno* 1565. apud Garciam *part.* 2. *cap* 5 *n.* 12.

5 At his non obstantibus, dico talem collationem eo suspenso factã esse validam l. quia *ex cit. text in cap. cum dilectus*, nõ colligitur esse nullam, sed per sententiam venire annullandã ut constat ex ipso textu, qui cum versetur in materia pænali, stricte est interpretandus, & restringendus *l. factum cui* §. *in pœnalibus ff. de reg. Iur. cap. in pœnis de regul. Iur. in* 6. Et ita expresse tenent Soar. *de Censur. disp.* 26. *sect.* 3. *n.* 8 Ægid. *de cens. disp.* 15. *dub* 2. *concl.* 3 *n.* 7. Filiuc. *tract.* 17. *cap.* 3 *n.* 21. *vers. sic etiam si agatur*, Corniso *in* 3 *part tract.* 5. *q.* 3. *de suspens. disp.* 2. *dub.* 1 *q.* 6 *vers. Nota tamen Soar.* Roderic. *da Cunha cap.* 3. *dist.* 71. *n.* 3. Hurt. *de suspens. diffic.* 4. *n.* 8. Turrian. *de cens. l.* 4. *disp.* 39. *dub.* 2. *prope finem*, Leand. *tom.* 4 *tract.* 4 *de suspens. disp.* 3 *q.* 6. Dian 5. *part. tract.* 10. *de suspens. & interdict. resol.* 2.

6 2. Et principaliter, quia text *in d. cap. cum dilectus*, solum loquitur de beneficio parochiali, & non de beneficio simplici. Et quoad præsens institutum magnum intercedit discrimen inter beneficium parochiale, & beneficium simplex. Nam beneficium parochiale non

non potest exerceri absque beneficio ordinis; unde cui hoc prohibitum est, etiam & illud prohibitum est, *cap. si celebrat, de cleric. excommun. ministrant.* Non ita beneficium simplex, quia ad istius servitium nullum ordinis exercitium necessarium est; sed sufficit, posse hunc beneficiatum officium recitare divinum; quod suspenso ab Ordinibus, non prohibetur, sed illorum gradus exercere. Vnde fit, quod Barbos qui *citato loco* sequitur, quod collatio beneficij facta suspenso, est nulla, excipit collationem beneficij simplicis *in collect. ad d. cap. Si celebrat, n.3. de cleric. excommun. ministr.*

7 3. Probatur *ex d cap. cum dilectus*, quatenus dicit collationem factam suspenso, esse cassandam, intelligi debet de suspenso, qui sciens se esse suspensum, beneficium obtinet. Idque ostenditur ex eo principio, quod ista collatio invalidatur in odium, & pœnam suspensi: ignorantia verò eum à culpa excusans, etiam à pœna excusat, *cap. ut animarum de constit. in 6 cap cognoscentes 2 de constit cap. sine culpa 23. de regul jur. in 6. cap. proposuisti dist. 82.* ibi: *Ignorantibus venia non negabitur l. si ignorans 52. ff. locati*, ibi: *Non contemnit disciplinam, qui ignorat militem.*

8 Confirmatur: quia ex hoc capite asserunt plures, collationem factam excommunicato, ignoranti se esse excommunicatum, esse validam. Ita Navarr. *in cap. fratres, de pœnit. dist. 5. num.46. cum Gloss. 2 in cap. Apostolicæ, de cleric. excomm. ministr.* recepta à Felin *in cap. sicut tuis col 2. de Simon.* & Cardin *consil. 40.* quibus subscribũt Faber *in 4. dist.25.q.1.disp.4 cap.4 num* 191. Et Dian. *5 part. tract 9. de excommun. resol 99. vers. Notandum est.* Et si hoc evenit in excommunicatione, quæ ipso facto collationem annullat, *cap. postulasti, de cleric. excomm. ministr.* ut notant communiter DD. apud Barbos. *in Collect. ibidem num 2.* & Garciam *de benef part.2.cap.* 13. à fortiori in suspensis id debemus fateri.

9 4. Probatur, quia *text. in d. cap. cum dilectus*, de suspensis intelligi debet de illis qui tales sũt suspensione, quæ est propria censura, & non de suspensione, quæ talis non est; sed tantum quod dam impedimentum Canonicum, juxta doctrinam Villalob. *tom. 1. tract. 18 diff 3 n 57* & Dian *5. part. tract. 10 de suspens. resol. 5.* asserentium dispositionem d. textus esse pœnalem, & odiosam, ac proinde strictè interpretandam & restringendam. An vero suspensio, quam incurrerunt ab Abbatibus ordinati, solum est impedimentum Canonicum, & non censura; nam hæc non incurritur sine culpa, *cap. nemo Episcoporũ* & *cap. nullus Sacerdotum* 11. *q* 3. Nec item incurritur absque contumacia, & cum ignorantia *cap 2 de constit. in 6.* Et clarum est dictos ordinatos non habuisse culpam, nec scientiam, dictos Abbates ordines non potuisse conferre: imo existimabant, illos posse absque ulla dubitatione suscipere.

QUÆSTIO XIV.

An clericus in minoribus nominari possit ad quandam dignitatem necessario presbyteratum requirentem, Breve Apostolicum prope diem expectans ad omnes ordines Sacros suscipiendos?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Non potest nominari, nominatione absoluta.*
3 *Aliqui affirmant, si nominatus ante navigationem ordines suscipiat, sed refelluntur.*
4 *Potest nominari nominatione respectiva.*
5 *Pro instanti, quo fit nominatio, accipitur jurisdictio, quando nominatio est absoluta, non ita, quando est respectiva.*
6 *Sufficit, quod detur capacitas, tempore quo expediuntur litteræ.*

1 ANtequam Fluvius Ianuarius in in statu Brasilienſi ad Episcopatum fuisset evectus, Tribunal Conscientiæ ex Bulla Pontificia illius Præfectoriæ Administratorem nominare valebat. Volebat tamen S Pontifex, nominatum, & præsbyterum, & S. Theologiâ, aut Canonibus esse laureatum. Huic nominato præsbytero, seu deputato à Conscientiæ Tribunali de consensu Regis, S. Pontifex jurisdictionem concedebat, & potestatem oleum benedicendi &c. Dicto Tribunali offertur Lucar in Sacris Canonibus Doctor, minores tantum ordines habens; propediem tamen Breve Pontificum ad alios ordines suscipiẽdos expectans Quæritur an Tribunal Conscientiæ hunc Doctorem in Administratorem nominare possit, dummodo ordinetur, antequam navegationem faciat.

RESOLUTIO.

2 Respondeo, eum nominatione absoluta non posse nominare, posse tamen nominatione respectiva ad tempus habile. Prima pars ostenditur, quia de præsenti est inhabilis; inhabilitas autem inspicitur tempore concessionis, *cap quia circa de consanguin. & cap. Si eo tempore 9, de rescript in 6.* Ut tradunt communiter DD. apud Sanch. *l 8. de matr. disp.30. & l. 7. disp.42. num.14.* & Dian. *part.8 tract 3. de disp. resol. 77.* & apud Barbos. *de potest. Episc. alleg. 72. num.77* & apud Leand. *tom 2. tract. 9. disp. 24. de dispens. q.57.* & apud Garciam *de benef. part.7. cap.1 n.3. cum Rota decis. 69. part. 3. l. 1. in novissimis, & alios*, quos citant.

3 Scio aliquos DD. existimare, valere hanc nominationem ita, absolutam, si nominatus ordines suscipiat de proximo ante

navegationem. Ita Rota Romana *in una Imolens. Iuris patronat. coram Orano* 19 *Novembr.* 1594. Flamin. Paris. *de resign. benef. l.* 4. *q.* 2. *n.* 5. Cæterum hæc communiter refellitur opinio, ex illa regul. generali: *Quod ab initio fuit nullum, postea non convalescit.* quæ hic à DD applicatur apud Barbos. *in collect. ad cap si eo tempore, de rescript. in* 6. *n.* 6. & *tract. de axiomat.* 164 *à n.* 9 & apud Gonial. *ad regul.* 8. *Cancell. Gloss.* 2. *num.* 6.

4 Quoad secundam partem, nempe posse dict. Doctorem nominari per nominationem respectivam ad tempus habile; probatur. Quia ut communis DD. sententia tenet tunc datur nominatio respectiva ad tempus habile, quando in ea dicitur: *Nomino Lucam in Administratorem, ut ordines suscipiat, antequam navigationem faciat.* Nominatio enim in hac forma solū est, pro tempore habili, *ex regul. gener. text. in l. in tempus ff. de hered. instit.* Ita Lambert. 2 *part l.* 2. *q.* 3. *a n* 9 Garcia 7 *part. cap.* 1. *nu* 28. & 29. cum plurib Masiobr. *in praxi, prælud.* 7 *dub.* 21 *num.* 86. Barbos. *de potest. Episcop. allèg* 72. *n.* 78. Paulus Squilant. *de privil. cleric. cap.* 4 *nu.* 10. & *seqq.* Affoni de Leon. *de offic. Capellan. q.* 4 *praxi* 6. *n* 15. Lavor. *variar. locub. tit.* 4 *cap.* 13. *n.* 26.

5 Nec obstat, quod hæc nominatio, de sua speciali institutione sit talis, ut per illam statim S. Pontifex jurisdictionem concedat. Unde videtur, pro instanti quo fit, requirere capacitatem, & aliás esse nullam, & non convalescere. Non, inquam, obstat, quia respondetur id solum habere locum in nominatione absoluta & non in respectiva ad tempus habile. Nam quando ita est respectiva, non fit pro tempore inhabili, sed pro tempore habili, ut constat ex dictis.

6 Alio etiam modo poterat d. Doctor nominari: statuente Tribunali, ne illi litteræ Administratoris expedirentur, nisi post Ordines susceptos. Nam ut gratia, & concessio sit valida, sufficit, quod is, cui fit gratia, vel concessio sit habilis tempore datæ, seu concessionis, *cap. si eo tempore* 9 *de rescript. in* 6. ibi: *Cum tempore data non sit idoneus*, ut notant communiter DD. apud Sanch. *de matr. l.* 8. *disp.* 30. & apud Dian. *part.* 8 *tract* 3. *resol.* 77. & apud Barbos. *in collect. ad d. cap Si eo tepore.* Tempus autem datæ non est quando sumitur determinatio, sed quando litteræ expediuntur. Ita Barbos. *in collect. addict. cap. si eo tempore, n.* 6. Garcias *de benef. part.* 6. *cap.* 2. *n.* 7.

QUÆSTIO XV.

An cum Diacono, per oppositionem reperto inter alios magis idoneo, ad Capellaniam Misericordiæ, possit in interstitijs Episcopus dispensare?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*

2 *Potest dispensare, quia datur utilitas, & necessitas Ecclesiæ.*

3 *Capellania cum onere Missarum providenda est in eo, qui infra annum ordinetur*

4 *Ex Trident. qui aliquam obtinet portionem Ecclesiasticam, infra annum, ordines tenetur suscipere.*

1 ELavianus Diaconus in oppositione ad quandam Misericordiæ capellaniam, ad nam inter plures, ut magis idoneus electus est Ut tamen munus suum, & onus Missarū obeat, presbyteratum suscipere desiderat; quia tamen obstant interstitia; quam post susceptū Diaconatum, adhuc integer non est annus elapsus. Quæritur: An possit Episcopus in illis dispensare.

RESOLUTIO.

2 Respondeo, posse ex hac duplici ratione I. quia in *Concil. Trident. sess.* 23. *de reform. cap* 14. hæc Episcopo conceditur potestas, si judicet, esse Ecclesiæ utilitatem, ac necessitatem, ibi: *Nisi ab Ecclesiæ utilitatem, ac necessitatem aliud Episcopo videretur.* Hæc autem potestas Episcopis non est sublata per aliquam Constit. aut Cardin. declarationem, ut inquit Marsill. *de tempor. Ordin. ad d cap.* 13. *Concil.* Et ex eo quod Elavianus inter alios plures clericos, hanc capellaniam pertendentes, ut magis idoneus ad hujus Ecclesiæ servitium electus est, videtur esse utilitas, ac necessitas Ecclesiæ, illum præsbyterum ordinare, ut personaliter omnia onera adimpleat. Nam pro omni tempore, quo illi hic desit ordo, Misericordiæ Ecclesia suo proprio ministro fraudata manebit, per substitutū exercito eo munere. Quod semper minus à jure approbatur, & suffragatur Huic rationi favere videtur Leand. *tom.* 2. *tract.* 6. *disp.* 7. *q* 21. in prima ratione.

3 2. Ratio, quia licet sa *verb. beneficium, n.* 12. Garcia *de benef part.* 7 *cap* 1. *q* 1 *n.* 85 Peres de Lara *de Capell. & Anniversf. l.* 2. *cap* 5. *n.* 8. & plures ab eo, & Castr Palao *cit. tom* 2. *tract.* 13. *disp.* 1. *punct.* 6. *n* 11. Aserant, capellaniam onus Missarum habentem, posse conferri clerico non habenti ordines sacros, quia potest per alium Missas dicere; Cæterum Guterr. *consil.* 1 *n* 2. Rodrig. *tom.* 2. *qq Regul. q.* 122 *art.* 2. *ad finem*, & alij apud Castr. Palaum *proxime*, dicunt, capellaniam provideri non posse, nisi in clerico eam habente ætatem, & dispositionem, ut infra annum sacerdos fiat. Et ulterius dicunt, teneri dictum capellanum intra annum ordines sacros suscipere. Et ita refert decisum Nicol. Garcia *de benef part.* 3. *cap.* 4. *in ad dit nu.* 12. Barbos. *in collect. ad Trident sess.* 22. *cap.* 4 *num.* 17.

4 Hæc ratio est magni ponderis, quia magnum habet fundamentum *in Trident. dict. sess.* 22. *de reform. cap* 4. ubi dicitur, obligari ad suscipiendos ordines sacros, non solum habentes vera beneficia, sed etiam habentes aliquā

Ecclesiæ

Ecclesiæ portionem, cum onere celebrandi, ibi: *Portiones, ac qualibet alia beneficia in dictis Ecclesijs obtinent, teneantur intra annum ordines suscipere requisitos.* Et ex observatione, quam DD. faciunt de illa dictione *portiones* clare colligitur, quod hæc disposítio etiam comprehendit Misericordiæ capellaniam, portionem habentem bonorum Ecclesiasticorum, Ecclesiæ pro celebratione appropriatorum. Et quod capellania, quæ certum ordinem requirit, sub hoc decreto comprehendatur, docet cum Garcia Trentarinq. Barbos. *proxime cit.* at hæc Misericordiæ capellania requirit ordinem sacerdotalem. Ex his ergo bene colligitur posse Episcopum cum Elaviano in interstitijs dispensare.

QUÆSTIO XVI.

An obtinens Breve Apostolicum ad ordines suscipiendos a quocunque hujus Regni Episcopo, possit cum dimissorijs proprijs Ordinarij, illos suscipere ab Episcopo alterius Regni.

SUMMARIUM

1 *Facti species.*
2 *Ex concessione, Episcopo non adimitur potestas, quam habet.*
3 *S. Pontifex gratiam conferens, non intendit præjudicare.*
4 *Clausula apposita est exemplificativa, & non limitativa.*

1 GAspar Breve Pontificium ad omnes suscipiendos ordines à quocunque hujus Regni Episcopo, sine interstitionũ intervallo, impetravit. Quia tamen ob maiorem commoditatem, illos suscipere desiderat ab Episcopo Tudensi Provinciæ Galleciæ, extra hoc Regnum. Quæritur: An possit, non obstante clausula, *à quocunque Episcopo hujus Regni*, cum dimissorijs sui proprij Ordinarij, recurrere ad illum Episcopum, ut ordines suscipiat?

RESOLUTIO.

2 Respondeo posse, ex seqq. rationibus. 1. quia Pontifex eam gratiam cum ea clausula Gaspari concedens, ab Ordinario non abstulit potestatem concedendi suis subditis dimissorias ad quemcunque Episcopum, ut patet ex ipso Brevi; sed omnis Episcopus, seu Ordinarius dimissorias potest concedere suis subditis, ut ordines recipiant ab alieno Episcopo sive determinato, sive indeterminato, ut absolute habetur *in Concil. Trident. sess. 23. cap. 3. de reform.* ibi: *Ad alium Episcopum ordinandos mittant*, & DD. communiter Tamburin. *tom. 2. l. 7. de ordin cap 8 § 1. num. 1.* ibi: *possit dare licentiam* [nempe Episcopus] *ut ordinandus promoveatur ab alieno Episcopo, sive indeterminate à quocunque, sive ab hoc, vel illo determinate:* ergo non obstante illa clausula in Brevi apposita, potest proprius Episcopus, seu Ordinarius Gasparis, illi demissorias ad Episcopum Fúgensem, seu ad quemcunque alium diversum ab hoc Regno concedere.

3 2. Ratio: quia S. Pontifex dispensans cũ Gaspare, intendit illi gratiam, & non præjudicium conferre: ergo per illam clausulam nõ illi infertur damnum, & præjudicium, ut recte infertur *ex reg. Quod ob gratiam 61. de regul. juris in 6.* ibi: *Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum*, & *ex text. in l. quod favore, C. de legibus*, & *l. nulla jurisdictio ff. eodem tit.* & DD. apud Barbos. *in collect. ad cit. regul.* Navarr. *l. 1. consil. 1. num. 2. in 2. edit. sub tit. de offic. deleg.* Sanch. *l. 8. de matr. disp. 14. num. 3.* Non est ergo illa clausula in dispendium Gasparis vertenda.

4 3. Ratio, quia illa clausula, *à quocunque Episcopo hujus Regni*, præterquam quod esset gratia, non fuit limitativa, sed exemplificativa; quia pro ordinibus suscipiendis, recurrunt ordinandi ad Episcopos hujus regni, & non ad Episcopos alterius. Et cum pro favore impetrantis omnes hujus Regni sunt designati; possunt Gaspari á proprio Ordinario litteræ dimissoriæ ad Episcopum Fungensem concedi, quia hoc illis commodius, & favorabilius est.

QUÆSTIO XVII.

An beneficiarius ad capellaniam amovibilem suo beneficio annexam, quinquaginta aureos attingentem, pro titulo ad ordines, clericum præsentare possit?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Patrimonium debet esse sufficiens, ad congruam sustentationem.*
3 *Quinquaginta aurei sunt patrimonium sufficiens, ad sustentationem in singulos annos.*
4 *Dicta pecuniarum quantitas debet esse ab alijs eleemosynis independens.*

1 CAsimirus simplex beneficium possidens, cum obligatione præsentandi capellanum, qui singulis diebus pro fundatoris anima celebret, ex redditibus beneficij dato stipendio quinquaginta aureorum quotannis ad illam suum pedisequum clericum, patrimonium non habentem, præsentare desiderat Quæritur 1. An pro patrimonio sit sufficiens illa Capellania cum ea annuali eleemosyna quinquaginta aureorum? 2. An absque patroni consensu, illam facere possit præsentationem? An dato, quod illa capellania non sit perpetua, de consensu patroni possit illam facere præsentationem?

§. I.

An pro patrimonio sufficiat Capellania cum annuali eleemosyna quinquaginta aureorũ?

2 Respondeo sufficere, [dummodo aliud non obstet, ut *dicetur* §. 3.] sive ea Capellania sit Ecclesiastica, sive Laica. Probatur 1. Ad patrimonium ea requiritur summa, quæ ad congruam sustentationem sufficiat, ut constat *ex Trident. sess. 21. de reform. cap. 2.* ibi: *Patrimonium illud, vel pensionem vere ab eis obtineri, taliaque esse, quæ eis ad vitam sustentandam, satis sint.* Sed quinquaginta aurei in singulos annos sufficiunt pro congrua sustentatione hujus ordinandi, & aliorum; ut videre est apud Garciam *de benef. part. 2 cap. 5. num. 120.* requirẽtem in patrimonio valorem viginti quinque aureorum, & numeris præcedentibus 30. 40. aut quinquaginta. ergo cum habeantur pro patrimonio illi quinquaginta aurei illius capellaniæ, patrimonium habet sufficiens ille pedisecus.

3 Secundo probatur, quia ad Ordinarij arbitrium patrimonij quantitas remittitur assignanda; ut cum Stojeda, Menoc. Grassis, Ugolin. Rivio, Armend. Narbon. Barbos *in Collect. ad cit. locum Trident.* & *de potest. Episc. part. 2. alleg. 19 num. 12* & *de Iur Eccles. l. 1. cap. 33. n 156.* quibus addo Castr. Palaum *part 4. tract. 27 disp unic punct. 10 num. 1.* Marchin. *de ordin. tract. 2. part 6. cap. 7. num. 5.* Leand. *tom. 2. tract. 6. de ordin. disp. 9 q. 8* & omnes: sed Ordinarius Ulyssiponensis *in const. synod. l. 1 tit. 12 decret. 2 §. 2. in principio*, pro patrimonio designat saltem illam summam, seu valorem, qui ascendat in singulos annos ad triginta aureos, & Bracharensis, apud Barbos. *cit. de potest. Episc. num. 8.* Summam, quæ ascendat ad viginti quinque aureos; in alijs vero hujus Regni Diœcesibus eadem summa parum minusve designatur: cùm ergo eleemosyna Missæ quotidianæ dictæ capellaniæ excedat designatam summam pro patrimonio in Diœcesibus hujus Regni, dicendum est, esse ad sustentationem sufficientem.

4 Nec obstat dicere, quod Const. synodales Diœcesum hujus Regni adeo limitatam summam pro patrimonio requirunt, quia dantur pro Missis celebrandis plures eleemosynæ, ex quibus & assignato patrimonio habent sacerdotes congruam sustentationem; at in nostro casu ordinandus ad titulum capellaniæ, eas eleemosynas Missarum habere non potest; quia quotidie pro fũdatore celebrare tenetur, & duplex non potest acquirere stipendium pro eadem Missa; quia id, & prohibitur, & damnatum est. Non inquam id obstat, quia patrimonium in Diœcesibus hujus Regni non designatur limitatum ex ea ratione; quia id dicere est falsum, sed arbitratur ab Ordinarijs id, quod censetur congruum ad sustentandam vitam, præcisis ijs eleemosynis, pitantijs, & alijs emolumentis, quæ ex exercitio ordinum provenire possint, ut *ex Concil. Trid.* absolute colligitur, requirens tale patrimonium, quod ordinando ad sustentandam vitam, satis sit. Et ita referunt decisum Garcia, Armendar. Narbena, quos affert, & sequitur Barbos. in Collect. *ad cit. locum Trident. n. 48* & *de potest. Episcop. part. 2. alleg. 19.* & cum Azor, & Escob. *tom. 3. in Theol. moral. l. 23. sect. 2 cap. 16. numer. 394.* Castr. Palao *tom. 4 tract. 27. punct. 10. num. 3.*

§. II.

An Casimirus absque patroni consensu illam facere possit præsentationem?

SUMMARIUM.

5 *In præsentatione capellaniæ, ultima præsentatio attendenda est.*

6 *Capellania beneficio annexa à beneficiario præsentatur.*

7 *Capellaniæ beneficijs curatis annexæ a beneficiarijs curatis præsentantur.*

5 RElpondeo cum distinctione; vel enim casimirus, aut illius prædecessor eam capellaniam absque patroni consensu ultimo præsentavit, vel de illius consensu. Si primum, potest Casimirus absque patroni consensu illam præsentare; si secundum non potest. Ratio est, quia in præsentationibus beneficiorum ultimus status attendendus est; & præsentandi jus stare debet, pro quo stat quasi possessio præsentandi. Sic communiter DD. colligunt *ex cap. Consultationibus, de Iure patronat.* Caldas *de nomin. q. 15. n. 21.* Salgad. *de protect. 3. part. cap. 9. num. 129. & seqq.* Gonsales *ad regul 8. Cancell. Gloss. 45. §. 5. 2. in princip. & n. 4.* & alij plures, quos refert, & sequitnr Antunes Portugal. *de donat. Reg. Coron. tom. 1. part 2. l. 1. cap. 31. num. 38.* His addo Garciam *de benef. part. 1 cap. 2. nu. 114.* Castr. Palaum *tom. 2. tract. 13. disp. 1. punct. 6. num. 2.* ergo etiam idem dicendum est in capellarum præsentationibus.

6 Nec obstat, quod capellania de qua agimus est unita, & annexa beneficio simplici Casimiri: sed vicariæ perpetuæ beneficijs unitas, seu annexæ, ab ipsis beneficiarijs sunt præsentandæ, ut disponit B. Pius V. *in Bulla, quæ incipit, Ad exequendum, edita anno 1567.* & inter alias hujus S. Pontificis est 37 apud Cherubin. *tom. 2. fol. 183 ubi num. 4.* ejusdem Bullæ hanc affert dispositionem. Quæ Bulla in tribunalibus hujus Regni admittitur, & juxta illam plures proferuntur sententiæ.

7 Eadem doctrina confirmatur ex patronatibus Serenissimæ Domus Brigantinæ, & & Excellentissimæ Averij, & aliarum hujus Regni, nam per ipsas factis præsentationibus

ad

ad aliquas Ecclesias habentes Vicarias, curatus & beneficia dicta, Æconomijs annexa, ab ipsis præsentatis præsentantur irrequisitis patronis, aliquando repugnantibus, & aliquando ipsis, Ordinarijs, sed frustra; quia suo jure utuntur: ergo etiam Casimirus poterit capellaniam suo beneficio annexam, præsentare, irrequisito illius beneficij patrono.

Non inquam hæc obstant, nam in resolutione loquimur de præsentatione, in qua ultimus status capellaniæ tribuit quasi possessionem; at in præsentatione beneficiorum, seu capellaniarum annexarum agitur de proprietate; si tamen de illa dubitatur, præsentatio fit juxta ultimum statum, & circa proprietatem, lis movenda erit, & statur Const. Pij V. cit.

§. III.

An dato quod illa capellania non sit perpetua, de consensu patroni possit Casimirus illam facere præsentationem.

SUMMARIUM.

8 *Non potest, quia resistit Trident.*
9 *Potest, si ipse patronus sit Capellaniæ fundator*
10 *Quando ad capellaniam requiritur, quod præsentatus sit actu sacerdos, aliqui existimant de consensu patroni, posse præsentari non sacerdotem.*
11 *Aliqui docent, posse Episcopum de consensu patroni hæredis, & successoris fundatoris pro una vel altera vice dispensare in conditionibus in fundatione requisitis.*
12 *Aliqui absolute docent, posse aliquem initiari sacris ad titulum capellaniæ amovibilis.*
13 *Hæc sententia non admittitur.*

8 Respondeo non posse, nec etiam accedente Episcopi dispensatione. Ratio est quia nec patronus, nec Episcopus de consensu patroni voluntatem fundatoris mutare, vel alterare possunt, ut expresse constat *ex Conc. Trident. sess 25. de reform. cap. 5.* ibi: *Quando igitur ex beneficiorum quorumcunque erectione, seu fundatione, aut alijs constitutionibus, qualitates aliquæ requiruntur, seu certa onera illis sint injuncta in beneficiorum collatione*, seu *in quacumque alia dispositione, eis non derogetur.* Et etiam videtur dicidi *in Clem. quia contingit, de religios. domib.* Sed voluntas fundatoris fuit, quod illa capellania ad nutū esset amovibilis: ergo. Sic cum pluribus Garcia *de benef. part. 7. cap. 1. a n. 107.* & Castr. Palaus *tom. 2. tract. 13. p. 6. nu. 6. in fine*, & *n. 22. magis late.*

9 Si tamen ipse patronus istius beneficij, aut Capellaniæ sit fundator, bene potest qualitates, & conditiones ipsius beneficij, aut capellaniæ, & mutare, & alterare, & facere quod non sit ad nutum amovibilis, ut aliquis, aut aliqui ad illius titulum ordinentur, si causa utilis Ecclesiæ assistat. Sic relatis Gutierr. Azevedo, Lambert. & alijs Garcia *proximè n.* 103 & 104. Gastr. Palaus *cit. n.* 20.

10 Nec obstat 1. quòd si in fundatione capellaniæ disponatur; ad illam non præsentari nisi actu sacerdotem, possit tamen ad illam præsentari de consensu patroni non sacerdotem, ut pluribus relatis tenet Perez. de Lara *de capellanijs, & Anniversl. 2. cap. 5. a n. 28. usque ad finem cap.* ergo licet capellania de qua loquimur, ex sua fundatione adnutum sit amovibilis, de consensu patroni poterit pro una, vel altera vice fieri non movibilis. Et sic docent Piasecus Aloysius Rivius apud citatos, & Barbos. *de potest. Episc. 2 part. alleg. 19 num. 25. in fine*, qui idem videtur sentire. Non inquam id obstat, nec ea DD. sententia; quia opponitur expresse Conc. Trid. ut patet ex ratione pro nostra resolutione.

11 Nec obstat 2. quòd Episcopus de consensu patroni hæredis, & successoris Fundatoris, pro una vel altera vice alterare potest qualitates, & conditiones in fundatione requisitas Et dispensare contra ordinationem fundatoris ut capellania non habenti qualitatem in fundatione requisitam conferatur, ut tradunt Ab bas, Imol. Felin. Cerol. Navarr. & alij, quos late citant Garcia *de benef. part. 7. cap. 1. num.* 105. & 106 Castr. Palaus *tom 2 tract. 13. disp. 1 punct 6 n. 21.* Sed qualitas capellaniæ de qua agimus est ad nutum amovibilis: ergo Episcopus de consensu patroni pro una, vel altera vice dispensare poterit, ut Casimirus præsentare possit suum pedisecum, patrimonium alia vita non habentem, sic enim voluntas fundatoris præsumitur. Non inquam hoc obstat, nec DD. cit. quia contra Trident. appositum decernens non potest aliud asseri.

12 Fateor aliquos docuisse DD. apud Barbos. *de potest. Episcop alleg. 19 num. 25.* posse aliquem ad titulum capellaniæ amovibilis, & temporalis initiari sacris ordinibus. Fateor etiam Marchin. *de Ordin. tract. 2. part 6. cap. 6. n.* 18. asserere hos DD. *cit. à Barbos.* oppositum tenere; & Leand. *tom. 2. tract. 6. disp. 6. q 16. inquit pro nunc nescire de asserto eorum DD.* Ego autem dico pro ea sententia stare Piasecum *in praxi nova Episcop. part. 1. cap. 1. n. 45. in fines* asserentem ab illa capellania amovibili ordinatū non posse amoveri, nisi alia assignata portione qua sustentetur.

13 Hæc tamen sententia, quorumcumque sit AA. non admittitur, quia titulus ad quem aliquis ordinatur, tam ex parte dantis, quam recipientis debet esse perpetuus, ut latis colligitur ex Trident. *loco cit.* & capellania de qua loquimur nec ex parte dantis, nec ex parte recipientis, est perpetua; & ita communiter docent DD. de vicarijs temporalibus, & aliqui expresse etiam de capellanijs amovibilibus, Barbos. *cit.* & *in collect. ad Trident cit. n* 12 Marchin. Leand *proximè*, Castro Palaus, *part 2 tract.*

tract. 13. *disp.* 1. *punct.* 6. *nu.* 6. & *part.* 4. *tract.* 27. *punct.* 10. *n.* 4. Escobar. *tom.* 3. *Theol. moral. l.* 23. *sect.* 2. *n.* 394. Nec ratio Piaseci aliquid probat. nam ex eo, quod aliquis ad titulum capellaniæ amovibilis ordinetur, succesſor in beneficio, aut patronatu non obligatur ad conſervandū in ea capellania ordinatum, ſicut etiam, qui ordinatur ad titulum rei alienæ immobilis, dominus illius non obligatur ad rem ſuam deterendam, donec ordinatus aliam habeat portionem, qua ſuſtentetur.

QUÆSTIO XVIII.

An ſubdiaconus ad titulum capellaniæ ordinatus, onera capellaniæ per alium adimplens, & fructus illius non recipiens, aliquam incurrat ſuſpenſionem.

SUMMARIUM.

1 *Facti ſpecies.*
2 *Subdiaconatu, & Diaconatu ordinatus, ad titulum capellaniæ, ſufficit quod fructus illius recipiat factus præsbyter.*
3 *Dimittens fructus capellaniæ per paucos annos, illos non alienat.*
4 *Nec etiam requiritur caſu quo fuiſſet alienatio, quando ſubdiaconus habet aliunde congruam ſuſtentationem.*
5 *Onera capellaniæ per alios poſſunt ad impleri.*
6 *Fundamenta contraria facile diſſolvuntur.*

1 LUcius ad capellaniæ titulum ſubdiaconatus ordinem ſuſcepit, & ab ordinario in ea fuit *collatus*: Inſtat tamen Capellaniæ adminiſtrator, ut reliquos ſacros ordines ſuſcipiat, ut capellaniæ onera ſuſtineat. At Lucius cum juris Canonici ſtudium jā incepiſſet, & ab incepto nolit deſiſtere; vult dimittere fructus capellaniæ alteris qui illius onera adimpleat, illo tantum durante impedimento, & interim parente ſuo illi conferente pluſquam triginta aureos, ad ſuam congruam ſuſtentationem, juxta Conſt. ſuæ Diæceſis, pro illis annis: & abſoluto juris Canonici ſtudio, vult alijs ordinari, & fructus capellaniæ recipere. Quæritur 1 An hæc licite facere poſſit? 2. An ſic operans, aliquam incurrat ſuſpenſionem?

§. I.

An ſubdiaconus dū ſtudio juris Canonici dat operam, fructus capellaniæ, ad cujus titulum fuit ordinatus, poſſit alteri dimittere, qui capellaniæ onera ad impleat?

2 Reſpondeo, poſſe licite, ex his rationibus. 1. quia communiter docent DD. poſſe quem ordinari ad titulum beneficij ordine ſub diaconatu, & Diaconatu, cujus fructus non poteſt percipere, niſi factus presbyter. Ita Garcia *de benef. part.* 2. *cap.* 5. *n.* 110. Barboſ. *de offic. & poteſt. Epiſc. part.* 2. *alleg.* 19. *n.* 29 & *in collect. ad Coc Trid. ſeſſ.* 21. *de reform. cap* 2. *nu.* 10. Leo *in Theſaur fori Eccleſ. cap* 39. *n.* 22. Caſtr. Palaus *tom.* 4 *tract.* 27. *diſp. unic. punct.* 10. *n.* 6 Leand. *tom.* 2. *tract.* 6. *de Ordin. diſp* 9. *q.* 14. alios citantes, & referentes, maximè Garcia *cit.* dicens ſic fuiſſe reſolutum à S. Card. Congreg. his verbis: *Poteſt Epiſcopus ordinare ſubditos ſuos ad ordines Diaconatus, & ſubdiaconatus ad titulum, portionem Eccleſiarum matricum, non obſtante, quod non participent de fructibus illarum, niſi poſt ſuſceptum præsbyteratus ordinem.* Ergo etiam potuit Lucius ordinari titulo capellaniæ ordine ſub diaconatu, licet fructus illius non intendat percipere, niſi poſt ſuſceptum præsbyteratus ordinem.

3 2. Ratio; quia ideo non poſſet alteri dimittere capellaniam, ut interim illius onera ſuſtineat, quia Concil. Trid. *ſeſſ.* 21. *de reform. cap* 2 prohibet etiam, in caſu acquiſitæ aliunde congruæ ſuſtentationis, ne ſine Epiſcopi licentia alienetur, aut renuntietur penſio, aut patrimonium ad cujus titulum quis fuit ordinatus, ibi *Atque illa* [ideſt penſio, aut patrimonium] *ſine licentia Epiſcopi alienari, aut extingui, vel remitti nullatenus poſſit, donec beneficium Eccleſiaſticum ſufficiens, ſint adepti, vel aliunde habeant, unde vivere poſſint.* Sed ſubdiaconus Lucius dimittendo fructus ſuæ capellaniæ per annos ſui ſtudij alteri, illos non alienat, aut extinguit, vel remittit, ut patet: ergo licitè alteri illos potuit dimittere, & ab incepto ſtudio non deſiſtere.

4 Tertia ratio, quia dato, & non conceſſo, quod illa fructuum capellaniæ dimiſſio, per eos annos ſtudij fuiſſet alienatio, aut extinctio, vel remiſſio patrimonij, licentia Epiſcopi non requirebatur ad hanc faciendam dimiſſionem fructuum, quia hic ſubdiaconus habebat á patre unde cōgrue, & cōmode ſuſtētari poſſit, & quando aliquis habet aliundé congruam ſuſtentationem, poteſt renuntiare, & alienare patrimonium [ad cujus titulum fuit ordinatus] ſine licentia Epiſcopi. Hæc ſententia eſt communior, & verior, illam defendunt Lam. Paris-*l.* 2. *de reſign. benefic. q.* 6 *n.* 16. Zavall. *commun q.* 527. *n* 8. *& q.* 561. *á n.* 22. *&* 30. Garcia *de benef. part.* 2. *cap.* 5. *n.* 186 Steph Gratian, *in diſcept. forenſ. cap.* 129 Molfes *tract.* 2 *cap* 18. *nu.* 31. Azor *part.* 2. *l.* 3. *cap.* 4. *q.* 3. Caſtr. Palaus *tom.* 4. *tract* 27. *diſp. unic. punct.* 11 *nn* 13. & alij, quos citat, & ſequitur Barboſ. *in collect. ad citat. locum Trident. nu.* 63. (quidquid ſit de eo, quod dixit *de poteſt. Epiſc. alleg.* 19. *nu.* 90] Probatur ex verbis *Trident. ſupra allatis: Donec beneficium Eccleſiaſticum ſufficiens ſint adepti, vel aliunde habeant unde vivere poſſint.* In quibus dictio *donec* omnia antea dicta reſtringit, & eſt temporis limitativa, ut cum pluribus, inquit, Caſtro Palaus *proximè* & ipſe Barboſ. *tract. de dict.* 93. *nu.* 3. & in præſenti limitat prohibitionem

nem alienationis, ne ultra procedat, quam quoulque beneficium sufficiens habeat ordinatus, vel unde commode vivere possit: ergo juxta hanc sententiam noster subdiaconus habens à patre unde commode vivere potest, nō solum capellaniæ fructus per annos sui studij sine licentia Episcopi dimittere potest, sed etiam si hæc dimissio fuisset alienatio [quamvis talis non sit] illam sine ea licentia facere poterat.

5 4. Ratio, quia dictus subdiaconus potest fructus capellaniæ percipere, & Missam singulis diebus pro anima fundatoris per alium sacerdotem celebrare facere, ex eleemosyna solita; si in fundatione dictæ capellaniæ statuatur, quod præsentetur capellanus, qui celebret Missam, seu divina officia; & hoc modo pro tempore sui studij differre potest aliorum ordinum susceptionem, & fructus capellaniæ alteri non dimittere. Sic Garcia *de benef. part. 7. cap. 1. n. 85. 87. & 93. cum declarat. S. Cong. Cardin. & decision. Rotæ*, Barbos. *in Collect. ad Concil. Trid. sess. 25 de reform. cap. 5. nu.* 6. Castr. Palaus *tom. 2. tract. 13. disp. 1 punct. 6 n.* 18. Marchin. *de Ord. tract. 3. part. 2. cap.* 29. *n.* 11. & alij quos citant, ex ea ratione, quia in fundatione capellaniæ licet dicatur, quòd instituatur capellanus, qui Missas celebret; non dicitur quòd per se ipsum illas celebret; & sic suæ satisfacit obligationi, per alium celebrando, juxta *reg. Qui per aliū facit, per se facere censetur de reg. jur. in* 6.

6 Nec cōtra has quatuor rationes, aliquid videtur obstare, quia in opinionibus communibus, & probabilibus fundantur. Et quāvis dentur opiniones adversæ, maxime contra primam, tertiam, & quartam rationem, ex DD. quos, pro illis citavimus; & rationibus quas adducunt, facile dissolventur.

§. II.

An dictus subdiaconus alteri dimittendo fructus capellaniæ, dum operam studio juris canonici dat, aliquam incurrat suspensionē.

SUMMARIUM.

7 *Non incurrit suspensionem.*
8 *Nec etiam in casu, quod illa dimissio fructuum fuisset, alienatio.*

7 Respondeo non incurrere. Ratio est, quia si aliquam incurrisset suspensionem, esset lata *in cap. neminem, & cap. Sanctorum* 70. *dist.* adversus donantes, seu renuntiantes patrimonium, ante sacros ordines susceptos: at illam nō incurrit, quia ex supradictis constat, nec donasse, nec renuntiasse fructus capellaniæ, ad cujus titulum fuit ordinatus, sed tantum illos dimittit, dum studio juris Canonici vacat, quod brevi annorum spatio absolvetur.

8 Addo, licet hic subdiaconus illam donationem, & renuntiationem in illa dimissione fructuum fuisset, non tamen eam incurrisse suspensionem. Ratio est, nam quamvis plures DD. apud Barbos. *in collectan. ad citata cap. neminem, & Sanctorum n.* 5. & ad *Trident. sess. 21 de reform. cap. 2. num.* 65. & 66. doceant Concil. Trid. citatum in novasse pœnam suspensionis latam in ipsis textibus per illa verba: *Antiquorum Canonum pœnas super his innovando.* Communis tamen DD. sententia asserit, non innovasse Trid. per ea verba suspensionem *dictorū cap.* Sed tantum pœnam *cap. Cum secundum, de præbend.* quæ tantummodo est contra ordināem, & non contra ordinatum. Sic cum pluribus, quos late citant, & sequuntur Barbos. *proximè a n.* 67. Philibert Marchin. *de ordin. tract. 2 part. 6 cap. 7. n.* 9. *Sexta difficultas*, addens sic à S. Congr fuisse sæpe resolutum. Vide etiam illum *nu.* 10. *vers. Verius tamen*, Barbos. *ad cit. Trid. locum n.* 69. Leand. *tom. 2. tract. 6. de ordin. disp.* 9 *q.* 6. Gobat *tom. 3. tract. 8. nu.* 623. & alios ab illis citatos, qui & ab illis dicta satis confirmant hunc subdiaconum in dimissione fructuum suæ capellaniæ pro illis paucis annis, etiam si alienatio esset, suspensionē nō incurrisse.

QUÆSTIO XIX.

An ordinatus subdiaconatu, non sine scrupulo, ante ætatem, requisitam, illa adepta, solemniter canendo Epistolam incurrit irregularitatem? Deinde mala fide ante ætatem legitimam Diaconatum, & Presbyteratum suscipiendo, & adepta ætate, bona fide celebrando, irregularitatem incurrerit.

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Subdiaconus bona fide ante ætatem requisitam ordinatus, adepta ætate, non incurrit irregularitatem, solemniter canendo Epistolam.*
3 *Testimonium libri baptisatorum in tribunalibus habetur certissimum.*
4 *Scrupulus ætatis non adeptæ, non sufficit ad suspensionem incurrendam, maximè quando assistit testimonium aliquarum personarum, & sententia vicarij spiritualis.*
5 *Ad incurrendam hanc suspensionem, & irregularitatem, requiritur præsumptio, dolus, contumacia, & scientia ætatis.*
6 *Dictus subdiaconus non peccavit mortaliter, adepta ætate, canendo solemniter Epistolam.*

1 ANtonius non sine scrupulo legitimæ ætatis, ad subdiaconatum promotus fuit, ex testimonio aliquarum personarum, ætatem requisitam ipsum habere, profitentium; insuper adhibita fide Vicarij generalis has examinantis personas. Suscepto subdiaconatu paulo post in supputāda ætate, invenit erratum fuisse; nam requisi-

tam

tam ætatem ad eum ordinem non habebat. Adepta tamen, illum exercuit ordinem canendo solemniter Epistolam; & mala fide ante requisitam ætatem, Diaconatum, & Presbyteratum suscepit; bonaque fide post completam ætatem celebravit, existimans se jam posse Missam, & alia divina officia celebrare. Quæritur 1. An solemniter canendo Epistolam irregularitatem contraxisset. 2. An suscipiens Præsbyteratum mala fide ante legitimam ætatem post susceptum Diaconatum eadem mala fide, irregularitatem incurrisset? 3 An celebrans bona fide, adepta jam ad Presbyteratū ætate, irregularitate innodetur? 4. An ab Ordinario, aut per Bullam Cruciatæ in ea irregularitate dispensari possit?

§. I.

An subdiaconus cū scrupulo ante legitimam ætatem ordinatus, solemniter cantans adepta jam ætate requisita Epistolam irregularitatem incurrat.

2 Respondeo, nec incurrere irregularitatem, nec peccare mortaliter. Prima pars probatur: nam quando Antonius Epistolam cantavit, non erat suspensus: suspensio enim ipso facto, & in perpetuum, donec absolvatur, illi imponitur; qui mala fide ordinem suscipit sacrum, ut constat *ex Extrav. Pij* 11. quā B. Pius V. & Sixtus V. auxerunt, & postea Clemens VIII. confirmavit: at Antonius non mala fide ante requisitam ætatem, sed ex testimonio aliquarum personarum, examine Vicarij generalis in spiritualibus præcedente, bona fide subdiaconatum suscepit: ergo cum suspensionem non incurrisset, canendo Epistolam irregularitatem non contraxit. Maior constat ex ipso jure allato. Minor ostenditur excommuni DD. doctrina, contra Hinojosa, asserentium, eum qui bona fide eo testimonio & tali præcedente examine ordines sacros suscipit, suspensionem non incurrere, nec exercendo eum ordinem, irregularitatem. Sic cum Navarro, Tolet. Graff. Sanch. Rodrig. Soar. Ugolin. Mirand. Filliuc. quos refert, & sequitur Marchin. *de ordin. tract.* 1. *part.* 5. *cap.* 3. *num.* 10 Bonac Dian. Trullench. Castr. Palao, quos citatos affert, & sectatur Leand. *tom.* 2. *tract.* 6. *de ordin. disp.* 6. *q.* 11. His addo Georg. Gobat. *tom.* 3 *tract.* 8. *n.* 498 *fine*, & *n.* 502. Barbos. *de potest. Epist part.* 2. *alleg.* 16. *num.* 20. & *in collect. ad Trident sess.* 23 *de reform. cap.* 12. *num.* 9. Tambur. *l.* 7. *de Sacram. Ordin. cap.* 12. §. 1. *nu.* 20. Escob. *tom.* 3 *Theol. moral. l.* 2. 3. *problem.* 58. *n.* 271. & alios, quos hi citant. Consequentia recte infert, Antonium irregularitatem incurrisse.

3 Nec obstat, contra Antonium subdiaconatu ordinatum, & solemniter Epistolam canentem. Quia suspensionem contraxit, male fide, nempe cum scrupulo, eum ordinem suscipiens. Nam scrupulum, quem habebat, tenebatur deponere, & strictiorem adhibere diligentiam. Debebat enim ex libro baptizatorum in re tanti momenti, veritatem indagare; nam testimonium hujus libri est certissimum, ut eum appellat Maurit. Iuris consult. *tract. de in integr. restit. cap.* 321. apud Dian. *part.* 11 *tract.* 3. *resol.* 27. & Gobat. *in alphab. Baptis. cas.* 17. *tract.* 2. *n.* 590. & ex illo probatur ætas, ut cum pluribus inquit Barbos. *in Collect. ad Trident. sess.* 24. *de reform. cap.* 2. & *de potest paroch. cap.* 7. *n.* 4. & est testimonium velut notarij publici, ut habet praxis omnium tribunalium. Et quamvis hic liber aliquando in contrarium probationem patris admittat, quando ipse pater post nativitatem filij in libello diem nativitatis ipsius refert, ut videre est apud Mascard. *de probat. conclus.* 669. Menoch. & alios, quos citatos refert Gobat. *cit. in appēd. litt. d. & e.* de hac non curavit Antonius. Imo cum esset scrupulosus, & scrupulo angebatur, circa suam ætatem, de testimonio certissimo, quod prodesse poterat contra scrupulum, non curans, testimonio minus certo aliarum personarum ductus, subdiaconatum suscepit: ergo sic operantem mala fide, dicendum est, suspensionem incurrisse, & canentem solemniter Epistolam non absolutum, irregularitatem.

4 Non inquam hæc obstant; nam per scrupulum non fuit in mala fide constitutus Antonius; nam cum scrupulus sit levis suspicio ex levibus orta fundamentis, poterat licite contra scrupulum agere, ut docent Vasq. Salas, Perez uterque Sanch. Valentia & alij citati, & sequenti a Castr. Palao *tom.* 1. *tract.* 1. *disp.* 4. *punct.* 1. *n.* 1. & 2. Si ergo poterat licite agere contra scrupulum, dicendum non est, mala fide operatum fuisse. Nec ratio in contrarium adducta, contrarium probat: nam dolo, & mala fide testimonium libri Baptizatorum non adhibuit; sed quia ad manum nō est semper; & poterat ex personarum illarum testimonio, examineque Vicarij generalis in spiritualibus, moraliter certum formare judicium, se ad eum ordinem ætatem habere requisitam. Dixi *certum moraliter poterat formare judicium*; quia jure divino, & humano, duorum vel trium personarum testimonio stat omne verbum, & hoc de sua ætate habuit. Addo, hoc testimonium firmius esse, quam testimonium libri Baptizatorum. Ratio est, quia illud est ex jure, at vero hoc, nempe ex libro Baptizatorum, ex privilegio. Sic Gobat *citat. post n.* 504. *in appendice duplicis casus litt. d. & e.* Et si ut scrupulosus processit Antonius, & non ut dubius, subdiaconatum suscipiens, suspensionem non incurrit, nec solemniter canens Epistolam, irregularitatem.

5 Addo, quamvis Antonius aliquo modo peccasset, subdiaconatum cum eo scrupulo suscipiens, (quod tamen esse non potest, ut

supra

ſupra vidimus] ſuspenſionem non incurriſſe, nec cantans ſolemniter Epiſtolam, irregularitatem. Ratio eſt, quia ad incurrendam hanc ſuspenſionem, & irregularitatem, requiritur præſumptio, dolus, contumacia, & ſcientia ætatis; nam Extravag. Pij II. utitur verbo *præſumpſerint*. Unde non ſolùm, qui bona fide, aut ignorantia invincibili, ſed etiam vincibili, & craſſa, ante legitimam ætatem ordinatur, ſuspenſionem non incurrit. Sic docent Avila, Portel, Villal. Ægid. Præpoſit. Hurt. Marchin. Navarr. Trullenc. quos afferunt, & ſequuntur Dian. 3. *part. tract.* 4. *reſol.* 192. & 5 *part. tract.* 10 *reſol.* 32. Leand. 2 *part. tract.* 6 *de ordin. diſp.* 6. *q.* 12. Escob. *tom.* 3. *l.* 23. *nu.* 271. Barboſ. *de poteſt. Epiſc part.* 2. *alleg.* 16. *n.* 17. & *in Collect. ad Trident ſeſſ.* 23. *de reform. cap.* 12. *n.* 8. At in Antonio nec præſũptio, dolus, aut cõtumacia invẽta eſt.

6 Secunda pars reſolutionis *n.* 2. probatur; nempe Antonium adepta jam ætate ad Subdiaconatum, canendo ſolemniter Epiſtolam, nõ peccaſſe mortaliter; quia illam cecinit poſt adeptam ætatem, quo tempore illi exercitium dicti ordinis non prohibatur; ſicut prohibetur illi, & cuicunque ſic ordinato, ſi illam cantet ante adeptam ætatem, argum. textus *vel non eſt compos, de tempor. ordin.* Sic DD. *citati* Caſtr. Palaus *tom.* 4. *tract.* 27. *punct.* 7. *n.* 7. *fine*, & expreſſiũs *tom* 6. *tract.* 29 *diſp.* 4. *de cenſur. punct.* 10. §. 1 *n.* 6. Marchin *de Ordin. tract.* 1. *part* 5. *cap.* 3. *n.* 10 *etiam in fine* Leand. *tom.* 4. *de cenſur. tract.* 4. *diſp.* 4 *q.* 3 *verſ. Quintum dubium, in fine*, & alij quos citant.

§. II.

An mala fide ſuscipiens Presbyteratum ante legitimam ætatem, poſt ſusceptum Diaconatum eadem mala fide, irregularitatem incurrat.

SUMMARIUM.

7 *Suſcipiens Presbyteratum mala fide, ante legitimam ætatem, poſt ſuſceptum Diaconatum etiam mala fide ante legitimam ætatem probabilius eſt nec ſemel, nec iterum irregularitatem incurriſſe.*

8 *Probabile eſt oppoſitum.*

9 *Aſcenſus ad ordinem ſuperiorem nõ eſt aliquo modo exercitium ordinis inferioris.*

10 *Suſcipiens Diaconatum ante ætatem requiſitam, quanvis ſuſpenſionem incurrat, irregularitatem non incurrit, canendo Evangelium in eadem Miſſa, in qua ſuſcepit Diaconatum.*

11 *Suſpenſus ob Diaconatum, & Presbyteratum ſuſceptum mala fide, ante legitimam ætatem, concelebrans cum ordinante, non incurrit irregularitatem.*

12 *Irregularitas ex defectu ætatis tollitur per legitimam advenientem ætatem.*

7 Reſpondeo, Antonium Presbyteratum ſuscipientem poſt Diaconatum ſusceptum, modo ſupra dicto, nec ſemel, nec iterum incurriſſe irregularitatem. Ratio eſt, quia probabilius habetur, ſuspenſum ab ordine, ſi ad ſuperiorem ordinem aſcendat, irregularitatem non incurrere, quia nulla irregularitas incurritur, niſi in jure habeatur expreſſa, ut conſtat *ex textu in cap. is, qui de ſentent. excommunic. in* 6. Sed in jure nullus datur textus irregularitatem ſuspenſo imponens, aſcendenti ad ſuperiorem ordinem: ergo. Sic Soar. *tom.* 5. *in* 3 *part. de cenſur. diſp.* 14. *ſect.* 3. *n.* 2. & *diſp.* 40. *ſect.* 4. Filliuc. *tom.* 1 *tract.* 20. *cap.* 7. *n.* 192. Laym. *in Theol moral. l.* 1. *tract.* 5. *part.* 3 *poſt n.* 6. *verſ. ſed dubium eſt, in fine* Dian. *part.* 1. *tract.* 11. *reſol.* 115. & *part.* 4 *tract.* 2 *reſol.* 92. Henriq. *l.* 14. *cap* 6. *num.* 4. *in Gloſſ. litt. t.* Sayr. *de Cẽſur. l.* 4. *cap.* 16. *n.* 22. & cum DD. communiter Leand. *tom.* 5. *tract.* 1. *diſp.* 1. *q.* 5. & alij quos citant. Si tamen in aliquibus Diæceſibus decernatur oppoſitum, eſt in Conſtit. *Ulyſſip. fol.* 505. *tit.* 34. §. 2. & *fol.* 563. *tit.* 52. §. 2. in principio pro illis ſtandum, & judicandum eſt.

8 Nec obſtant aliqui DD. aſſerentes, ſuspenſum ab ordine, irregularitatem incurriſſe, ſi ad ſuperiorẽ ordinem aſcendit. Ita Covaſrr. *in cap. alma mater part.* 2. §. 3. *n.* 5. Navarr. *l.* 1. *conſil.* 26 *n.* 2. *de tempor. ordin.* & alij apud Henriq. & Sayr. *citat.* Et id probant 1. quia aſcenſus ad ordinem ſuperiorem eſt veluti exercitium ordinis inferioris, á quo eſt ſuspenſus. 2. quia Diaconus ſuspenſus ob ſuſceptionem ordinis Subdiaconatus, ante legitimam ætatem, ſi cantet Evangelium in ea miſſa, in qua Diaconatum ſuſcipit, incurrit irregularitatem. Et ſimiliter incurrit irregularitatem Diaconus, Presbyteratum ſuscipiens, conſecrans cum Epiſcopo celebrante: ſed Antonius, dum erat ſuſpenſus ob ſuſceptionem Diaconatus, mala fide ante legitimam ætatem ſuſcepti, etiam Præsbyteratum mala fide ante legitimam ætatem ſuscepit, & cum Episcopo ordinante conſecravit: ergo ex utraque ordinatione dupliciter manſit irregularis.

9 Non, inquam, obſtat eorum Doctores aſſertum, nec illorum fundamenta: Non primum, quia reſpondetur, negando ordinem ſuperiorem eſſe aliquo modo exercitium ordinis inferioris. Et licet ab aliquibus id dicatur, impropriè dicitur; nam quilibet ordo ſuos propriè habet actus, quibus exercetur.

10 Non obſtat ſecundum: nam quamvis Antonius Diaconatum ſuscipiens ante legitimam ætatem ſuſpenſionem incurriſſet, Evangelium tamen in ea Miſſa ſuæ ordinationis non cantavit; nam ex pluribus ordinatis unus tantum illud cantat, & hic non fuit Antonius. Demus tamen quod illud ille cantaverit; negamus tamen quod irregularitatem contraxiſſet: quanvis enim verum ſit, quòd Diaconi ſuspenſi ſolemniter Evangelium

canentes irregularitatem incurrant, Antonius Evangelium solemnitèr in ea missa canens, non incurrit irregularitatem, quia ea actio non censetur, moraliter loquendo, fieri post ordinationem: hæc enim durare censetur, dum Missa, in qua ordinatur, durat. Ut cum Soar. Ægid. Mercer. Dian. tenet Leand; *tom. 2. tract. 6. de ordin. disp. 6. q. 18. & tom. 4 disp. 4 q. 3 dub. 7.* quibus adde Escob. *in Theol. moral. tom. 3. l. 23. numer. 283.* Gobat *tom. 3. tract. 8. numer. 713.* cum Araujo, & Gibalin. & *numer. 765.* contra Avil. & Hurt oppositum defendentes.

11 Nec etiam, dum esset suspensus, irregularitatem incurrit, ex eo quod Diaconatum, & Præsbyteratum ante legitimam ætatem suscipiens, cum ordinante concelebravit. Nam quando cum Ordinante concelebrat, adhuc non est completè Presbyter; quia ei adhuc potestas ad absolvendum, non est concessa; & hæc irregularitas non incurritur, nisi post completam ordinationem, ut tuentur cum Henriq. Soar. Ægid. Dian. Hurtad Sylvest. Maiol. Dian. Medin. Sayr. Ugolin. Quarât. Nald Homobon. Marcer. Marchin. Navarr. & Avila, Leand *tom. 2. tract. 6 de ordin. disp. 6. q. 17 & tom. 4 tract. 4. disp. 4. q. 3. dub. 7,* & *tom. 5 tract 2. de Irregul. disp. 4. q. 3.* Escobar. *in Theol. moral. l. 23. n. 283* Gobat. *proximè*, cõtra Navarr. Torb. Covarr Barbos. Bonac. Daza, Vasq. & alios cõtrarium sentientes.

12 Non obstat 2. quod dicamus, Antonium non incurrisse irregularitatem, nam ille erat irregularis, quia Diaconatum, & Presbyteratum ante legitimam ætatem suscepit, ut colligitur *ex text. in Clement. ult. de atat. & qual.* & ex *text in cap. Vel non est compos, de tempor. ordin.* ut notant omnes TT. & Canonist. Soar. Filliuc. Bonacin. Covarr. Maiol. & alij apud Leand *tom. 5. de irregul. tract. 2. disp. 4 q. 1.* Et Dicastill. *tom. 1. de Sacram. tract. 6 de Ordin. disp. 1. dubit. 28. n 422.* non irregularitatem, sed suspensionem appellans: ergo cum jam esset irregularis, non recte dicimus, irregularitatem non incurrisse. Non, inquam, hoc obstat, quia de irregularitate, seu suspensione ex defectu ætatis, hic non loquimur, nam hæc absque alia dispensatione, seu absolutione, per adventum legitimæ ætatis tollitur, ut notarunt citati DD. sed de illa, quæ ex contracta suspensione ab Antonio suscipiente Diaconatum, & Presbyteratum ante legitimam ætatem in quæstionem venire poterat; & hanc irregularitatem dicimus, non incurrisse.

§. III.

An celebrans Missam, & alia divina officia, adepta jam ad Presbyteratum ætate, bona fide, irregularitate innodetur.

SUMMARIUM

13 *Suspensus post adeptam ætatem mala fide celebrans, irregularitem incurrit.*
14 *Ignorans alicui delicto esse impositam irregularitatem, illam non incurrit.*
15 *Aliqui excipiũt irregularitatem ex homicidio, sed non recte.*
16 *Ut irregularitas ex delicto contrahatur, requiritur culpa mortalis.*
17 *Requiritur etiam dolus, & contemptus.*

13 Respõdeo aliquos DD. existimasse, suspẽsũ irregularitatẽ nõ incurrere, etiam si mala fide, post adeptam legitimam ætatem celebrasset. Sic Cordub. Sot. Passarell. Zerola, apud Leand. *mox citandum.* Dicendũ tamen est, irregularitatem incurrere. Ratio est, quia suscipiens ordines mala fide ante legitimam ætatem, suspensionem incurrit, ut constat de *Extravag. Pij II.* quæ incipit: *Ex sacrorũ*, de quà *supra*, & quin ab ea fuisset absolutus, post adeptam ætatem mala fide celebravit: at adeptio ætatis suspensionem non tollit, sed absolutio: ergo, ut licite celebraret, adeptio ætatis non sufficiebat, sed absolutio requirebatur. Sic DD. communiter, Henriq. Rodrig Covarr. Marchin Bonac & alij, quos afferunt, & sequuntur Dian. 3. *part tract. 4. resol. 182. & 5. part. tract. 10 resol 34.* Leand. *tom. 2 tract. 6 de ord disp. 6. q. 15.* Escobar. *tom. 3 Theol. moral l. 23. n. 277.*

14 Ad nostrũ autem casum, respõdeo, Antoniũ nõ incurrisse irregularitatem, quia licet suspensus, bona fide Missam celebravit, existimãs post ætatem adeptam jam posse absque aliquo scrupulo Missam, & alia divina officia celebrare; & data hac bona fide, ab irregularitate excusatur. Probatur 1. quia irregularitas ex delicto non incurritur ab eam ignorante, ut cum Navarr. Peregrin. Reginald. Meroll. Sanch. Cornejo, Ægid. Coninch Portel. Bonac. docẽt. Dian. *part. 4. tract. 2. resol. 85.* & *part. 12. tract. 1. resol. 104.* Gobat *tom. 3. tract. 8 nu. 666.* Leand. *tom. 5. de irregul. tr. 1. disp. 4. q. 3.* & apud ipsum omnes: sed ubi datur bona fides, datur ignorãtia irregularitatis: ergo cum daretur in Antonio, irregularitatem non incurrit.

15 Ab illa maiori universali excipiunt aliqui irregularitatem ex homicidio, vel mutilatione nam licet videatur esse ex delicto, includit tamen defectũ lenitatis: quæ indecentia licet ignoretur incurritur, ut patet in judice, qui licet ignoret, irregularitatem esse impositam suo facto, illam incurrit. Probabilius tamen est, irregularitatem non incurri ab ignorante, etiam in materia homicidij injusti, nec illam, quæ dicitur ab indecẽtiam, quæ non datur; ut videre est apud Moyam *in qq. select. tom 1. tract 5 q. 5. per totum* §. 1. contra aliquos DD. utriusq. sentẽtiæ qui videri possũt apud Dian. *cit dict. part. 4. tract. 2 resol 83.* Leãd. *tom. 5. de irreg tract. disp 4. q 6* Castr. Palaum *tom. 1. tract 2 disp. 1. punct. 17. numer. 6. & tom. 6. de Censuris, disp. 6. punct. 6.*

16 Secundo probatur nostra resolutio, quia irregu-

irregularitas est pœna gravissima privans usu ordinum, & promotione ad altiores, & alijs bonis: ergo ut incurratur, mortalem culpam requirit; nam pœna delicto proportionari debet, juxta text. *in cap. Felicis de pan. in 6.* ut cum Navarr. Soar. Henriq. Ægid. Vasq. Sanches, Bonac. affirmat Castr. Palaus *tom. 6. de Cens. disp 6. punct. 3. numer. 2.* & præter *cit.* cum Filliuc. Baldel. Regin. Pellizzario, & alijs pluribus Leand. *tom. 5. de irregul. tract. 1. disp. 1. q. 7.* Sed Antonius in ea celebratione culpam mortalem non commisit, nam post adeptam ætatem putabat, eam celebrationem sibi licere: ergo irregularitatem, &c.

17 Tertio, quia aliqui Doctores asserunt, ad quamlibet irregularitatem requiri dolum, & contemptum, ut Panormit. Domin. Navarr. & Felin. apud Castr. Palaum *proximè*; & expresè referens præsentem casum Avil *de Cens. part. 3. disp. 5. dub. 7. vers. Quinto*, ibi: *Notandum est, quod licet aliquis incurrerit hanc suspensionem, quia ordinatus est cum dolo, tamen si postea facta pœnitentia celebret, credens, id sibi licere, non incurrit irregularitatem: nam ad hoc etiam requiritur dolus, ita Navarr. cap. 27. numer. 156. & in cap. accepta loco cit. immo longe certius est de irregularitate, quam de suspensione; nam verbum præsumpserint absque ulla controversia cadit super irregularitatem ut patet ex verbis ipsius Extrav. jam citatis sic* Avila, & ex illo Dian. *part. 5. tract. 10. resol. 32.* Sed Antonius licet mala fide, & dolo Diaconatum, & Præsbyteratum fuscepcrit adepta jam ætate, credens id sibi licere, celebravit: ergo irregularitatem non incurrit.

§. IV.

Quis in his irregularitatibus dispensare possit?

SUMMARIUM.

18 *Non requiritur dispensatio.*
19 *Potest Bullæ Cruciatæ Commissarius.*
20 *Potest Ordinarius, dummodo irregularitates sint occultæ.*
21 *Virtute Bullæ Confessarius nõ potest dispensare.*

18 Ex dictis in ijs tribus §§. manifestum est ad nullam ex adductis irregularitatibus requiri dispensationem. Nam, ut vidimus, Antonius illarum nullam incurrit. Nec etiam pro maiori sua securitate, arg. *reg. 31. de regul. jur. in 6.* ibi: *Eum, qui certus est, ulterius certiorari non oportet.* Si tamen in aliquo casu ab his irregularitatibus dispensationem obtinere quis teneatur, illam obtinebit ab his in his conclusionibus jam adducendis.

19 Dico primo. Commissarius generalis Bullæ Cruciatæ Lusitanæ pro utroque foro in ijs irregularitatibus dispensare valet. Constat ex verbis ipsius Bullæ, ut cum Sebastian. à Costa ostendo *in Expositon. Bullæ Lusit. disp. 23. à numer. 38.* Eandem dispensationem à Commissario Hispano obtinere possunt, eam Bullam accipientes, ut plures illius Bullæ expositores defendunt, quos citatos invenies apud Dian. *1. part. tract 11. resol. 110. & 115.* & Leand. *tom. 5. de irreg. tract. 2. disp 27. q. 24. §. Sexto.*

20 Dico secundo. Dum eæ irregularitates fuerint occultæ, & non deductæ ad forum contentiosum ab Ordinario possunt dispensari, patet *ex Trident. sess. 24. cap. 6.* & Doctores *in collect. ad cit. locum numer. 12. apud Barbos.* & *de potestat. Episc part. 2. alleg. 41.* & novissime apud Doctiss. & Reverendiss. P. Fr. Martin. de Torrecill. *in suo doctissimo exam. De la potest. & Iurisdiction de los Senhores Obispos tract. 1 q. 1. sect. 1. diff. 1. n. 1.*

21 Dico tertio. In his irregularitatibus virtute Cruciatæ dispensare non potest confessarius; quia in illa confessarijs ea non conceditur facultas, sed tantum ad censuras absolvendas; irregularitates autem censuræ non sunt. Sic ex professo in mea *Expost. Bull. Cruciat. disp. 17. a numer. 214.* Si placet vide Leand. *proximè q. 36.*

QUÆSTIO XX.

An obtinens à Sede Apostolica rescriptum, ut tribus diebus festivis possit ordinari, cum errore in Diœcesi Bracharensi, possit non obstante errore, expediri ab officiali Bracharensi?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Opinio affirmativa, & Doctores, & praxim pro se habet.*
3 *S. Pontifex secundum jus commune intendit gratiam conferre.*
4 *Idem est errare in nomine personæ, ac errare in nomine Diœcesis.*
5 *Corrigens litteras dispensationis juxta mentem, & voluntatem S. Pontificis, non dicitur falsarius.*
6 *Dispensatio non vitiatur per errorem Curialis, vel petentis dispensationem.*
7 *Commissio à S. Pontifice facta ex errore, in materia dispensationis non dicitur involuntaria.*

1 PAulus ex Diœcesi Bracharensi à Sede Apostolica rescriptum obtinuit, ut tribus diebus festivis sacros potuisset ordines suscipere. At in rescripto hic error obrepit, quia fuit officiali Mirandensi commissum, cum Bracharensi deberet esse. Quæritur, ut *supra in tit.*

RESOLUTIO.

2 Respondeo posse. Sic Salat, & Sanctarell. quos affert, & sequitur Dian. *part.* 1. *tract.* 10. *resol.* 36. dicens hanc opinionem bis, se consulente, contra Sanch. positam esse in praxi; eamdem *alijs citat.* tenet *part.* 8. *tract.* 3. *resol* 64 & Basil. *Pont. l.* 8 *de matr. cap.* 17. *nu.* 43. Bonac. Portel, quos omnes sectatur Leand. *tom* 2. *tract* 9 *disp.* 24. *q* 47.

3 Probatur 1. quia S. Pontifex dispensationem concedens, Paulo gratiam conferre intendebat: ergo etiam illius executionem intendebat committere illi, qui secundum jus eam executioni mandare poterat: Sed *Concil. Trident sess.* 22. *de reform. cap.* 5. decernit, quòd dispensationes committantur Ordinarijs illorum, qui eas impetraverint, ibi: *Dispensationes quacunque authoritate concedendæ, si extra Romanam Curiam committendæ erunt, committantur Ordinarijs illorum, qui eas impetraverint.* Et Doctores communiter apud Barbos. *in collect. ad cit. locum numer.* 2. Impetrantis autem Pauli Ordinarius est Bracharensis, & non Mirandensis: ergo Officiali Bracharensi intendit S. Pontifex committere dispensationem, ad ordines sacros tribus diebus festivis suscipiendos. Antecedens est certum. Consequentia, & Maioris illius probatio ostenditur. Quia sicut dispensationem concedens, suam intentionem dirigit ad eam personam, cui dispensatio petitur; & tenet dispensatio, quamvis in nomine personæ erretur, ut omnes concedunt DD. Sanch. *l.* 8. *de matr. disp.* 21. *num.* 38. Basil. Pont. *ibi l* 8. *cap.* 17. *num.* 43. & cum Merol. Peres, & alij Leand. *supra q.* 46. Barbos. *tract. de axiom.* 82. *num.* 8. Gobat. *tom.* 3. *tract.* 9 *numer.* 635. ita etiam idem concedens dispensationem seu gratiam, suam dirigit intentionem ad eum, qui secundū jus Trident. *supra*, dispēsationem, seu gratiam executioni mandare debet, & tenebit hoc mandatum, quamvis in nomine Diæcesis hujus executoris, seu dispēsaturi erretur.

4 Nec obstat, dicere cum Sanch. in præsenti casu, errorem non fuisse in nomine, sed errorem fuisse commissum, asserendo supplicantem esse Diæcesis Mirandensis, & virtute supplicationis, commissio officiali Mirandensi facta fuit, cui illam S. Pontifex committere noluit, quia supplicantis non erat Ordinarius. Officiali verò Bracharensi, nec illi fuit petita, nec commissa. Non, inquam, hoc obstat, quia in præsenti casu erratum est in nomine Diæcesis, sicut in alio, in nomine personæ: nam pro Diæcesi Bracharensi posita fuit Mirandensis, & licet illius officiali S. Pontifex executionem committere noluisset, quia illam committere non vult, nisi proprio, ut disponit jus; suam tamen intentionem dirigebat ad illam concedendam Officiali legitimo, quia gratiam conferre volebat. Et sicut, non obstante errore nominis, cui petitur dispensatio, illa fruitur, ita etiam non obstante errore executoris, illa fructur, licet in nomine Diæcesis erretur.

5 Secundo probatur, nam privatus litteras dispensationis corrigens juxta mentem, & voluntatem S. Pontificis eas concedentis, nec falsarius dicitur, nec excommunicationem in sexto Canone Bullæ Cœnæ latam incurrit, v. gr. Quando supplicatio pro secundo gradu facta fuit, & per errorem, pro tertio gradu expedita fuit; Item quando supplicatio facta est pro dispensatione in tertio, vel quarto gradu consanguinitatis; & scriptor loco consanguinitatis, affinitatem posuit; Item, quādo in supplicatione dicebatur: Paulo Bracharensi, & scriptor posuit: Paulo Mirandensi. Hæc litteræ correctæ sunt validæ, ut contra Soar. Alter. & alios docent Bonac. *tom.* 3. *de censur. in partic. disp.* 1. *q.* 8. *punct.* 2. *numer.* 5. *cit.* Sayr. Duard. Regin. Ugolin. Gambarupt & alijs, Castr. Palaus *tom.* 6. *de Censur. disp* 3. *punct.* 7. *num.* 5. Leand. *tom.* 4. *de Cens. tract* 3 *disp.* 6. *q.* 9. Filliuc. & alijs allatis Fragol. *tom* 2. *regim. reip. Christ. disp* 3. *de Censur. Bullæ Cœnæ* §. 6. *n.* 138. cum Graffis: sed mens, & voluntas S. Pontificis erat, litteras supradictas dispensationis legitimo ordinario impetrantis committere, ut disponit Trident. *loco supra cit.* quamvis per errorem scriptoris, non legitimo, contra mentem Pontificis commissæ fuissent: ergo si juxta citatos DD. hæ litteræ dispensationis per alium, vel impetrantem ad mentem Pontificis corrigantur, ponendo loco officialis Mirandensis, officialem Bracharensem, non incurretur excommunicatio Bullæ Cœnæ, & eæ litteræ essent validæ & executioni mandari poterant: ergo si post correctionem, ad mentem Pontificis mandari possunt, etiam possunt ante eam correctionem.

6 Tertio probatur; quia valida est dispensatio in quarto gradu consanguinitatis impetrata, quando in supplicatione pro quarto gradu affinitatis fuit petita, sive hic error ab scriptore Curiali, sive à dispensationem petente, provenisset; ut tradunt Laym *in Theol. moral. l* 1 *tract.* 4. *cap.* 52. *n.* 26 Portal. *in respons. moral. tom.* 2 *casu* 49. *n.* 2. Bonac. *de leg disp.* 1. *q* 2 *punct* 4. *n.* 6. Dian. 1. *part. tract.* 10. *resol* 36. *& part.* 8. *tract.* 3 *resol.* 64, Ludov. *prim. part. instruct. cap.* 50. *column.* 2. Thom. Hurt. 2. *part. resol moral. tract.* 12 *cap.* 1. *dub.* 6. *per totum pagin.* 438. quos citat & sequitur Fr Martin. de Torresill. *in examine potest. & jurisdict. Episcop. tract.* 8 *q.* & *sect. unic. á num.* 1. Ergo etiam valida erit dispensatio impetrata ad officialem Mirandensem, cùm in supplicatione ad Bracharensem fuisset petita, sive hic error à scriptore Curiali, sivè à dispēsationē petēte, provenisset. Si enim in præcedēte casu, pro gradu nō expressō valet dispensatio; quia dispensans voluntatem habebat

habebat in eo dispensandi, ita etiam valida erit dispensatio officiali Mirandensi commissa, quia voluntas dispensantis erat, illam committere officiali Bracharensi. Et si in præcedenti, juxta citatos DD. officialis impetrantis jurisdictionem habet, ad dispensandum in gradu in rescripto non expresso, ita etiam officialis in rescripto non expressus, jurisdictionem ad dispensandum, habebit.

7 Fateor, oppositam sententiam docentem, non valere dispensationem, quando fuit error commissus in Diœcesi habere gravissimos Doctores Sanch. *l.* 8. *de matr. disp.* 21. *n.* 39. Monet. Villal. Merall. Perez apud Dian. & Leand. *locis cit.* Pro eadem Sanch. opinione stant Gobat *tom.* 3. *tract.* 8. *n.* 741. Castr. Palaus *tom.* 1. *tract.* 3. *de leg.* 6. *punct.* 16 §. 2. *n.* 6. & alij. Ex eo fundamento, quod concessio fuit involuntaria, ut pote ex errore orta. At licet hoc fundamentum in alijs materijs sit efficacissimum, in materia dispensationum, & gratiæ concessæ eam non habet vim universaliter loquendo, quia mens dispensantis, quando dispensat, semper est, dispensationem petenti favere, ac proinde commissio ex errore orta, illi non est involuntaria, licet sit ex errore orta; sicut illi non est involuntarius favor, seu gratia Petro collata, quando per errorem loco illius positus est Paulus; & quando loco affinitatis, positus est per errorem in dispensatione gradus consanguinitatis & sicut hi errores circa nomen, & gradus voluntarium non tollunt, ita etiam illud non tollit error, quando versatur circa Diœcesim.

QUÆSTIO XXI.

A quo ordinatus, sine titulo, sine dimissorijs, & cum falsificatione cujusdam rescripti, absolvi possit.

SUMMARIUM

1 *Facti species.*
2 *Incurrit excommunicationem in 6. Bullæ Cœnæ Canone latam contra falsificantes litteras Apostolicas.*
3 *Excommunicatus sacros ordines suscipiens, suspensionem incurrit.*
4 *Ordinatus sine titulo suspensionem incurrit.*
5 *Ordinatus extra tempora, suspensionem incurrit.*
6 *Non servatis interstitijs ordinatus, peccat tantum mortaliter.*
7 *Ordinatus ab alieno Episcopo sine licentia proprij incurrit suspensionem.*
8 *Singulas ex dictis suspensiones tripliciter incurrit.*

1 FRanciscus pauper certæ Diœcesis tribus diebus festivis subdiaconatu, Diaconatu, & Presbyteratu, ordinatus fuit, sine titulo, & dimissorijs, cum Brevi pro alio à S. Pontifice, ad se ordinandum, impetrato, illud falsificans, apponens in eo proprium nomen loco nominis impetrantis. Hæc sunt occulta. Quæritur 1. quas pœnas incurrerit? 2. A quo, ab excommunicatione ob falsificationem Brevis, absolvi possit? 3. A quo ab incursis suspensionibus?

§. I.

Quas pœnas incurrit ordinatus sine titulo, sine dimissorijs, & falsificatione cujusdam rescripti?

2 Respondeo 1 Franciscum Breve Apostolicum pro alio impetratum falsificantem, & illo falsificato abutentem, incurrisse excommunicationem in Sexto Bullæ Cœnæ canone latam contra falsificantes litterras Apostolicas, etiam in forma Brevis. Videri possunt Bonac. *tom.* 3. *disp.* 1. *q.* 7. *punct.* 1. Castr. Palaus *tom.* 6. *de Censur. disp.* 2. *punct.* 7. Leand. *tom.* 4 *tr.* 3. *disp.* 6 *q.* 6. & alij, quos citant.

3 Resp. 2. suspensionem incurrisse, quia excommunicatus sacros ordines suscepit. Cōstat ex text. *in cap Cum illorum* 32. *de Sentent. excommun.* & DD. Bonac. *cit. disp.* 3. *q.* 1. *punct.* 6. *n.* 1. Castr. Palao *cit. disp.* 4. *punct.* 10 §. 1. *nu.* 3. Leand. *proximè tract.* 4. *disp.* 4. §. 1. *q.* 5. *& alij, ab illis citatis.*

4 Resp. 3. suspensionem contraxisse, quia sine ullo titulo ordinatus fuit, nempe sine beneficio, patrimonio, pensione, &c. sic definitur: *in Concil. Trident sess.* 21. *de reform. cap.* 2. & ante illud in aliquibus Concilijs, & Canonibus. Vide Bonacin. *dict. tom.* 3. *disp.* 3. *q.* 1. *punct.* 6. *n.* 1. Barbos. *in Collect. ad cit. locum Trident. & de pot. Episc. part.* 2. *alleg.* 19. Castr. Palaum *dict. tom.* 4. *tract.* 27. *punct.* 9. *à n.* 1. Leand. *tom.* 2. *tract* 6. *disp.* 9. *à q.* 1. & alios quos afferunt.

5 Resp. 4. suspensionem contraxisse à Pio II. latam *in Extrav. cum ex sacrorum*, quam Clemens VIII. approbavit, & confirmavit, quia extra tempora ordines sacros suscepit. De quo videantur Avila, Soar. Laym. quos affert. Castr. Palaus *tom.* 4. *tract.* 27. *de Sacr. Ordin. disp. unic. punct.* 13. *num.* 14 *in fine*, & *tom.* 6. *de Cens. disp.* 4 *punct.* 10. §. 1. *nu.* 7. Bonac. *d. tom.* 3. *disp.* 3. *q.* 1. *punct.* 3. *n.* 4.

6 Respondeo. 5. Ex non servatis interstitijs, nec suspensionem, nec irregularitatem incurrisse, quia in jure nulla est imposita pœna. Peccavit tamen mortaliter, quia absque licentia Episcopi, præceptum Trident. latum *sect.* 23. *cap.* 11. *cap.* 13. & *cap.* 14. transgressus fuit. Vide Bonac. *dict. tom.* 3. *disp* 3. *q.* 1. *punct.* 4 §. 2. *n.* 1 Castr. Palaum *loco cit.* & plures quos affert, & sequitur Leand. *tom.* 2 *tract.* 6. *de Ordin. disp.* 7. *q.* 19. contra aliquos, quos sectatur Dian. *part.* 4. *tract.* 2. *resol.* 55. *vers. Nota etiã.*

At oppositum videntur asserere const. *Ulyss. tit* 34 §.2. *vers. Octava, & observetur.*

7 Resp 6 suspensionem contraxisse, ordines ab alieno Episcopo absque licentia, & dimissorijs proprij Ordinarij, suscipientem. Habetur *in Concil. Trid. sess.* 23. *de reform. cap.* 8. & *in Extrav. Pij* 11. *Cum ex sacrorum*, & DD. communiter Barbos. *in Collect. ad citatum Trident. locum n.* 35. & *de potest. Episc. alleg.* 17. *a n* 9. Bonacin. *tom* 3. *de Censur. in part. disp.* 3. *q.* 1. *punct.* 11. *a num* 10. Castr. Palaus *tom* 6 *de Cens. disp.* 4 *punct.* 10. §. 1. *n.* 4. Leand *tom.* 2 *tract.* 6. *disp.* 8 *q.* 2. *alios citans.*

8 Resp. 7 singulas ex dictis suspensiones tripliciter incurrisse, mala fide ordines Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus suscipientem; ut aperte constat ex Soar. *tom.* 5. *de Cens. disp.* 5 *sect* 3. *nu* 1 Leand. *tom.* 4. *de Censur. tract.* 1. *disp* 3. *q.* 36. & alijs, quos referunt. Adverto dictum Franciscum dictis ordinibus sacris insignitum irregularitatem non incurrisse etiam si in susceptione Subdiaconatus Epistolam, & Diaconatus Evangelium cantasset; nec per consecrationem in Missa, qua Presbyteratum suscepit, ut diximus *supra q.* 19. *a n.* 9

§. II.

A quo Franciscus ab excommunicatione ob Brevis falsificationem, absolvi possit?

SUMMARIUM.

9 *Potest absolvi ab Episcopo pauper non solitus mendicare sub juramento comparendi coram sede Apostolica, aut illius authoritatem habente.*

10 *Episcopus nõ absolvit à casibus occultis in Bulla Cœnæ contentis.*

11 *Ex propositione tertia ab Alexandro VII damnata colligitur per Bullam Cœnæ esse derogatum facultati, quam habebant Episcopi a Trident.*

12 *In dicta propositione indirectè, & expressè prohibetur ab occultis absolutio.*

13 *Ad Pœnitentiariam potest recurrere pro absolutione, non tamen tenetur.*

14 *Potest absolvi virtute Iubilei duplicis hebdomadæ.*

15 *Potest declinare ad locum aliquem Regni Castellæ, & ibi Bullam Cruciatæ sumere, & virtute illius ibi, vel alibi absolvi; non tamen potest virtute Bullæ Cruciatæ, Regnis Portugaliæ concessæ.*

16 *Non potest absolvi per Nuntium, aut Legatũ à latere.*

9 Respondeo, eam excommunicationem S. Pontifici esse reservatam in sexto Bullæ Cœnæ canone, ut dictum est *supra n.* 2. Dico tamen 1 Considerata hujus sacerdotis paupertate, ab Ordinario absolvi potest. Quia mendicare non solito, minus durum est, pro absolutione Romam adire. Et hæc causa est sufficiens; ut constat *ex text. in cap. Quamvis, & cap. de his, de sentent. excommun.* & DD. Cardin. de Lug. *disp.* 20. *de pœnit. n* 219 Castr. Palao *tom.* 1. *tract.* 4. *disp.* 4. *punct.* 3. §. 5. *nu.* 4 & distinctius *tom.* 6 *de Cens. disp.* 3 *punct* 23. §, 4. *num.* 18. Soar. *tom.* 5. *de Cens. disp.* 22. *sect.* 1, *a num.* 63. Tambor. *tom.* 2. *l.* 5. *tract de rescrit. cap.* 12. §. 2. *nu.* 38. Leand. *tom.* 4 *de Cens. tract.* 2. *disp.* 17. *q.* 59. & alijs apud ipsos. Adverto tamen ante absolutionem ab hac excommunicatione, huic sacerdoti sub juramento imponendum esse onus, comparendi coram Sede Apostolica, vel aliás authoritatem absolvendi, habenti, cessante dicto impedimento, nempe cum factus fuerit dives. Sic Palaus *proxime tom.* 6 *disp.* 3 *punct.* 23. *in fine*, Leand. *q.* 64. & alij *ll cit.*

10 Nec obstat. Quod quando aliquis absolvitur ab habente potestatem ad absolvendum à casibus S. Pontifici reservatis, non absolvitur cum onere comparendi coram S. Pontifice, ut ex jure, & DD. habetur, sine controversia: sed Episcopus, seu Ordinarius potestatem habet, absolvendi ab ea excommunicatione, ob falsificationem litterarum Apostolicarum contracta: ergo illud onus non est imponendum. Minor ostenditur, quia dicta excommunicatio est occulta, ut dicitur in facti specie: sed Episcopus ex Concil. Trident. *sess.* 24. *de reform. cap.* 6 potestatem habet, absolvendi suos subditos à quibuscunque casibus occultis, Sedi Apostolicæ reservatis: ergo. Non inquam obstat, quia respondetur negando minorem; & illius probationem distinguendo: Episcopus ex Conc. Trid potestatem habet, absolvendi a quibuscunque casibus occultis, Sedi Apostolicæ reservatis, extra Bullam Cœnæ contentis, concedo; in ipsa Bulla Cœnæ contentis, nego minorem. At excommunicatio ob falsitatem Brevis Apostolici contracta, in sexto Bullæ Cœnæ canone, continetur.

11 Ut hæc tamen distinctio clarior eluceseat, operæ pretium erit, advertere ab Alexandro VII. anno 1665. die 24. Septembris emanasse Decretum, in quo Damnat, ut minimum tanquam scandalosam, hanc propositionem, quæ inter alias ab eo damnatas est tertia, & habet sic: *Sententia asserens Bullam Cœnæ solum prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno* 1629. 18. *Iulij in Consistorio S. Congr. Emin. Cardinalium visa, & tolerata est.* Ex qua damnatione colligitur, derogatam fuisse facultatem, quam Episcopi ex Trident. *loco cit.* habebant ad absolvendum à criminibus occultis Sedi Apostolicæ reservatis; ut post dictum Decretum docuerunt Anselm. Gomes *in perfect. exam. confess. cap.* 66. *fol.* 124. *propos.* 42. Cardenas *in disp. select. tract.* 1 *disp.* 9. *cap.*

cap.20.art.5.n.345. Moya *in qq.select.tom. 1. tr. 3.disp.8 q.5.n.5.in fine.* Et cum ex his criminibus unum sit falsificatio litterarum Apostolicarum, in 6. Bullæ Cænæ contentum, & si occultum, ab illo Episcopus absolvere nequit, nisi detur impedimentum adeundi Romam, & cum cautione *supra* allata juxta juris dispositionem. Vide nostræ Bulla Cruciat, exposit. *disp.15.a n.110.*

12 Nec obstat, quod damnatio dictæ propositionis solum directe feratur in testimoniũ asserentis, uisam, & toleratam fuisse à S.Cardin. Congreg.expositionem Bullæ Cænæ pro delictis publicis, ut ex ipsa constat; ergo non est extendenda ad prohibitionem absolutionis à casibus occultis Bullæ Cænæ. Non inquam hoc obstat; nam quamvis directe in id ipsum testimonium feratur; indirecte tamen, & expresse prohibet absolutionem à casibus occultis Bullæ Cænæ, derogando ei facultati Concil.Trident. Episcopis concessæ. Vide quæ late diximus *in Exposit.Bullæ disp.15.a n.105. usque ad finem sect.*

13 Dico 2. Potest dictus Franciscus sacerdos per litteras ad Pænitentiariam Pontificis, aut procuratorem, tacito nomine, accedere, juxt. *in regul.68. Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum de regul jur. in 6.* Non tamen ad id tenetur. Quia cum sit impeditus, ut personaliter se præsentet, remedio juris *supra adducto* uti potest. Sic cum Sayr Henriq. Navarr. & alijs Leand. *tom.4.de Cons. tract. 1. disp.11.q 21.& tract.2.disp.17.q.67.* At oppositum cum Ugolin defendit Castr.Palaus *tom 6 de Censur.disp.1.punct.11.§.2.n.8.Tom. autem 1. tract.4 disp 4 punct 3 § 5.n.4. & 5.* asserit nostram resolutionem ex sola DD. authoritate esse probabilem. Loquitur tamen de impedimento perpetuo, & principaliter de excommunicatione hæreticali.

14 Dico 3. Potest dictus sacerdos, virtute Iubilei duplicis hebdomadæ, à quocunque sacerdote approbato ab ea excommunicatione absolvi, absque onere comparendi coram S. Pontifice; quia in eo Iubileo confessarijs approbatis conceditur facultas, absolvendi etiam à reservatis in Bulla Cæneæ contentis. Ita Fragol.*tom.2.regim.reip.Christian disp. 6. de Iubil in part.§.5 n.53.* Et si hic sacerdos jam ab Episcopo fuit absolutus cum cautione dicta *n.9 in fine*, & durante impedimento paupertatis absolvatur à confessario approbato, durante illius Iubilei tempore, ab ea cautione liberabitur, quia jam comparuit coram confessario, facultatem habente á S Pontifice, ad eũ ab excommunicatione contracta absolvendũ. Sic cum communi DD. sententia Leand.*tom. 4 tract 2.disp.17.q.69* & in simili casu dixi *in Exposit.Bull.disp.17.n.150.*

15 Dico 4. Potest dictus sacerdos ad aliquod Castellæ oppidum declinare, & Bullam Cruciatæ ibi sumere, eleemosynam designatam elargiendo, & virtute illius à quocunque confessario ab ordinario approbato absolvi ab eo casu S. Bontifici in Bulla Cænæ reservato, & ab alijs pro ea vice, sive in Castella, sive in hoc Regno, ad illud revertendo; quia excõmunicatio hujus sacerdotis in ea Bulla non excipitur; sic astrui cum pluribus DD. *in Expositione Bullæ disp.3. n.76.* Non tamen à prædicta excommunicatione, virtute Bullæ Lusitaniæ concessæ absolvi potest quia sextus Bullæ Cænæ casus in ea excipitur, ut constat ex ipsa Bulla plumbea, ut attuli *in Exposit. Bull.disp 15.n.78 & 79 & disp.16.n.1.& 4.*

16 Dico 5. Non potest dictus sacerdos per Nuntium, nec Legatum à latere ab ea excõmunicatione absolvi. Quia S. Pontifici reservatur Fragos. *cit.disp.3.§.21.nu.* 344. Loquor de absolutione absoluta; nam de ea, quæ datur cum onere comparendi, coram S. Pontifice, cessante paupertatis impedimento, non revocatur in quæstionem, quia omnia, quæ possunt Episcopi, possunt.

§. III.

A quo ab incursis suspensionibus Franciscus possit absolvi.

SUMMARIUM.

17 *Potest virtute Bullæ Cruciatæ huic Regno concessæ, pro utroque foro absolvi.*

18 *Potest ab Episcopo, dum ipsæ suspensiones sunt occultæ, & ad forum contensiosum non deductæ.*

19 *Potest à confessarijs Regularibus ad eas absolvendas, a suis superioribus deputatis.*

17 Respondeo, & Dico 1. Potest dictus Franciscus sacerdos, virtute Bullæ Cruciatæ huic Regno concessæ, ab omnibus ijs suspensionibus, sive occultis, sive publicis, absolvi à quocunque confessario ab Ordinario approbato. Et hæc absolutio pro foro externo prodest. Constat ex dicta Bulla, & id demonstravi in *Expos.Bulla disp.17.a n* 47. ubi invenies, quomodo probari possit, eam absolutionem datam fuisse.

18 Dico 2. Potest absolvi dictus sacerdos per Ordinarium abijs suspensionibus occultis, & non deductis ad forum contensiosum. Patet ex Trid *sess.24.de reform cap.6.* & traditur á DD. Castr.Palao *tom.6.de cens.disp 4 punct 9. n.7.* Leand.*tom.4 tract.4.disp.5.q.3* Gobat.*tom 3.de Sacram.tract 8 n.715.* & alij quos citant.

19 Dico 3. Potest dictus sacerdos, & alius quicunque ijdem suspensionibus innodatus ab illis absolvi, per confessarios Regulares, ex privilegio à Gregorio XIII. Societati IESU concesso; dummodo ij confessarij à suis superioribus ad eas suspensiones relaxandas sint deputati. Sic Castr. Palaus, & Gobat. *ll.cc.* Et

etiam in opinione Tambor. existimantis, aliquas ex dictis suspensionibus, esse pure pœnas. Vide nostram *Expositionem Bullæ disp. 17. à n. 191.* Et hujus ratio est, quia in dicto privilegio nostris confessarijs à superioribus deputatis conceditur, ut á quibuscunque censuris, & pœnis ex delicto provenientibus, absolvere possint. Et quanvis dictæ suspensiones non absolutione propriè, sed dispensatione tolli debeant, ut diximus *in Expos. Bull, disp. 17. a nu. 181.* Earum tamen relaxatio juxta frequentem loquendi modum, absolutio nuncupatur, ut cum Sylvest. Navarr. Soar. Laym. notat Castr. Palaus *loco proxime cit.*

QUÆSTIO XXII.

An rescriptum obtinens Apostolicum ad sacros ordines tribus diebus festivis suscipiendos, mentito proprio nomine, ut sæcularis judicij forum effugiat, ordines suscipiens suspensionem incurrat, aut excommunicationē, aut peccatum mortale committat.

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Non incurrit suspensionem ordines suscipiens.*
3 *Si de persona constat in dispensatione, nulla datur variatio.*
4 *Error in nomine, sive sit commissus à casu, sive â concilio, dispensationem non irritat.*
5 *Norbertus excommunicationem in 6. Bullæ Cœnæ latam non incurrit.*
6 *Rescripti gratia utitur, illud alieno nomine impetrans.*
7 *Non incurrit Norbertus excommunicationem in cap. ad falsariorum de crimine fals. latam.*
8 *Peccatum mortale committit, qui ordines suscipit, causa fugiendi sæculare judicium.*
9 *Opinio opposita est æque probabilis, dummodo ordinandus in sæculari judicio causam non habeat inceptam.*
10 *Norbertus peccatum mortale non commisit, impetrans rescriptum, & illo utens.*

1 NOrbertus cuidam delicto, ordinis non impeditivo, injustè obnoxius, a quo ob paupertatem facile purgari non poterat; statuit à Sede Apostolica impetrare rescriptum, ut tribus diebus festivis sacros suscipiret ordines. Timens tamen á Magistratu sæculari impediendus, si proprium nomen in supplicatione apponeret, aliud sibi nomen supposuit. Ut supplicavit, rescriptum obtinuit. Quæritur 1. An suspensionem, suscipiens ordines ex virtute illius rescripti, incurrat? 2. An saltem excommunicationem latam in 6. Canone Bullæ Cœnæ incurrat, illo rescripto Apostolico ad ordines suscipiendos utens? 3 An denique peccat mortaliter, si ijs ordinibus suscipiendis à sæcularis judicij foro fugere intendat.

RESOLUTIO.

2 Ad 1. respondeo, Norbertum suspensionem non incurrisse, ordines suscipientem ex illius rescripti facultate; Ratio est quia illud rescriptum fuit validum, & non subreptitiū; nā de essētia rescripti Apostolici, nō est hoc vel illud nomē illius, cui gratia cōceditur, quādo constat de persona, cui illud fuit impetratum, ut constat a simili *ex l. si quis infundi 4. ff de legat. 1.* ibi: *Si quis infundi vocabulo erraverit, & Cornelianum pro Semproniano nominaverit, debebitur Sempronianus, &c.* & clarius *Inst. de legatis §. si quis in nomine*; ibi: *Si quis in nomine, prænomine, agnomine legatarij testator erraverit, si de persona constat, nihilominus valet legatum. Nomina enim significandorum hominum gratia reperta sunt, qui si alio quolibet modo intelligantur, nihil interest, &c.* Unde ponderanda veniunt ad nostrum casum hæc ultima verba: *si alio quolibet modo intelligantur, nihil interest.* Sed in rescripto cum eo nomine supposito, constat de persona, nempe de Norberto impetrante; ergo rescriptum est validum, & non subreptitium.

3 Nec dissentiunt DD. Bonac. *tom. 1. disp. 1. de leg. q. 2. punct. 4. n. 6.* ibi. *Tum quia error circa nomen personæ, non pertinet ad causam dispensationis.* Castr. Palaus *tom. 1. tract. 3. disp. 6. punct. 16. §. 2. n. 6.* ibi: *Nominari Franciscum vel Petrum dispensatum, non variat conceptum dispensātis.* Ergo juxta hos DD. nominari hūc, vel illum hominem, si de homine constat, in dispensatione, nulla datur variatio. Et pro nostra resolutione stare videntur omnes, qui nō curant de errore nominis in rescripto, quando constat de persona, ut constat in nostro casu. Sic Sanch *l 8. de matr. disp. 21. n. 37.* Basil. Merol. Perez, Portel, & alij quos citant, & sequūtur Dian. *part. 8. tract. 3. resol. 63.* Leand. *tom. 2. tract 9 disp. 24. q 64.* Castr. Palaus *tract. 3. disp. 6 punct. 16 § 2 n. 5. in fine*, Tambor. *l. 8. de matr. tract. 2. cap. 10 §. 6 n. 2. & omnes.*

4 Nec obstat, quod detur considerabile discrimen, quando in supplica, vel impetratione rescripti error à casu, vel á consilio committitur: ergo bene potest esse rescriptum validum, quando á casu commissus est error in nomine, & non esse validum, sed subreptitium, quando à consilio in nomine commissus est error. Et hoc ostenditur, nam quando à casu commissus est error, peccatum non committitur; at committitur quando à consilio commissus est error. Non, inquam, hoc obstat nam licét aliquod detur discrimen in errore commisso à casu, & errore á consilio commisso; non tamen irritat dispensationem error à consilio commissus, sicut illam error à casu non irritat; quia solum attenditur, si constat, aut non constat de persona, cui rescriptum fuit concessum. Et si constat de persona, licet

nomen

nomen qualecunque sit, validum est rescriptum; ut recte colligitur *ex ll. cit. numer. 2. & ex seqq. magis patebit ut n.6.*

5 Ad 2. quæsitum Respondeo, Norbertum excommunicationem in 6. canone Bullæ Cænæ latam, non incurrisse. Ratio est, quia in illo canone illi tantum comprehenduntur, qui in litteris Apostolicis, postquam expeditæ, & signatæ sunt, aliquam committunt falsitatem, vel eas falso fabricant, aut signant: sed Norbertus suum rescriptum Apostolicum postquam fuit expeditum, & signatum, nec illud falsó fabricavit, aut signavit: ergo illam excommunicationem non incurrit.

6 Confirmatur, quia eam non incurrit excommunicationem ille, qui veras litteras à S Pontifice impetrat, aut illis utitur, sub nomine alieno sibi falsò impositio, ut docent præcipue Alterius, Ricard. Filliuc. Bonac. & alij plures, quos affert, & sequitur Leand. *tom.4 tract.3.disp 6 q.* 18. asserentes eas litteras esse veras; & licet sit mendax, & falsarius alieni, & proprij nominis, & ideo carere debeat illarum litterarum commodo, non tamen earum litterarum falsarius dicetur. Ex quorum doctrina benè sequitur Norbertum non incurrisse excommunicationem, nec litteras, à se impetratas, fuisse subreptitias, sed validas; nec fuisse falsarium proprij, aut alieni nominis; non proprij nominis, quia sibi alienum non imposuit, sed aliud mentitum; nec etiam alieni, quia alienum sibi non usurpavit: unde gratia rescripti carere non debet.

7 Nec etiam incurrit Norbertus excommunicationem non reservatam *in cap. ad falsariorum de crimine falsi latam.* Quia licet in eo textu non solum excommunicentur litteras falsificantes, sed etiam, qui falsis, aut falsificatis ab alijs utuntur, sive ea falsitas â se, vel per alium committatur; litteræ tam falsæ nul latenus dicuntur per illum, qui nomine falso sibi impositio litteras impetrat, ut illis utatur. Hæ enim falsæ non sunt, sed veræ, cum jure à S. Pontifice sint concessæ. Nec etiam nota falsarij in ea impetratione inuritur, quia non alieno nomine, sed proprio, quamvis non ita expresso, sed tali modo, ut videatur, errorem fuisse in se ipso nominando, in quo falsarij nota non incurritur. Vide Castr. Palaum *tom.6. de Censur disp.2 punct.7. num 2.prope finem*, Soar. *tom.5.de Cens.disp.21 sect.2.n.50.* Fragos, 2. *part. de regim. reip. Christ. disp.* 3. §, 6. *numer.* 144.

8 Ad tertium quæsitum, respondeo Norbertum non commisisse mortale peccatum, quia rescripti impetratione non solúm intendit sæcularis judicij forum fugere, quia præ paupertate litis sumptus supplere, nec suam innocentiam ostendere poterat, sed etiam, ut ordinatus fidelem Deo præstaret cultum. Et quamvis in his terminis in impetratione rescripti, videretur, commisisse peccatum mortale. Ut videtur expresse dicidi in Concil *Trid sess.23.de reform. cap.4* ibi: *Tonsura non initientur: de quibus probabilis conjectura non sit, eos non sæcularis judicij fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus eligisse.* Et probabilis conjectura contra Norbertum stat, illum rescriptum á sede Apostolica impetrasse sæcularis judicij fraude fugiendi; & sic commisisse peccatum mortale, docent communiter DD. Navarr. Victor. uterque Ledesm. Ludovic. de S. Ioann. quos afferunt, & laudant, illos sequentes, Barbos. *de potest. Episc. part.2.alleg.10. n.20.& alleg.11. num.12. & in collect.ad Trid.cit.num.6.* Philib. Marchin. *de ordin. tract 1.part.8 cap.1.à nu. 4.* Leand.*tom.2.tract 6.disp 7. q.11.*& alij.

9 Nec obstat oppositia sententia, quæ videtur esse æque probabilis, & illam tuentur Navarr. *in man cap.25 n.*108. Emman. *in summa tom.2 cap.17.concl.2.* Sanch.*l.7. de matrim, disp.*31. Ægid.Conimb. Villal. Hurt. Bonac. Laym. Dicastill. & alij. quos referunt, & sec tantur Dian. *part.2.tract.* 16 *resol.* 22. *& part.* 10. *tract.16. resol.* 61. existimantes non peccare mortaliter. Quia in ordinibus suscipiendis, omnia potest quis intendere, quæ ipsis ordinibus sunt annexa. Neque huic intentioni obstat *concil. Trid. cit.* Quia in hac intentione nulla fraus ab Ordinando committitur, utitur enim jure sibi concesso. Non,inquam, obstat oppinio horum DD. quia licet in aliquibus ea fraus non committatur; in Norberto præsumitur, & censetur committi, quia causam apud judicem sæcularem, habet inceptam: ergo peccatum mortale commisit impetratione illius Brevis ad ordines sacris tribus diebus festivis suscipiendos.

10 His non obstantibus sententijs, respondetur pro Norberto, illum in impetratione rescripti peccatum mortale non commisisse, quia existimans se innocentem in causa ad judicem sæcularem delata, & præ paupertate, qua opprimebatur, se in judicio defendere non posse, bona fide supplicabit Pontifici pro eo rescripto, non principaliter ad fugiendum sæculare judicium, sed ut ordinatus cultum fidelem Deo præstaret: si enim hoc judicium tantum fugere intenderet, curaret de ordinibus minoribus suscipiendis, hi enim ad illud intentum sufficiebant. Nunc vero in ordinibus suscipiendis cultum tantûm divinum intendit.

QUÆS-

QUÆSTIO XXIII.

An supplicans S. Pontifici pro supplemẽto ætatis tredecim mensium ad Subdiaconatum suscipiendum, & litteras impetrans cum errore ad suscipiendum Præsbyteratum, non obstante errore possit cum eo supplemento ætatis Subdiaconatum suscipere?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Pro quo tempore, & causa supplementum ætatis ad ordines concedi soleat a S. Pontifice.*
3 *Nuntius ad Helvetios respondit, posse tutò eã dispensationem admitti, ut petita fuit.*
4 *Idem ostenditur à DD. ipso & jure.*
5 *Ordo Subdiaconatus in Presbyteratu continetur.*
6 *Subdiaconatus, & alij ordines sunt ejusdem rationis, & generis cum sacerdotio.*
7 *Quando error non fuit commissus à petente dispensationem, sed à scriptore, seu Banquario, tenet dispensatio.*
8 *Valida est dispensatio petita pro tertio gradu affinitatis, & scriptor scripsit tertium consanguinitatis gradum, & vice versa.*
9 *Quando dubitatur de validitate dispensationis, præsumitur esse validam.*
10 *Resolvitur similis casus cum sua dubitatione circa dispensatum, Epistolam canentem ante ætatem adeptam.*

1 PEtrus per procuratorem á S Pontifice petijt dispensationem super supplemento tredecim mensium ætatis, ut subdiaconatu ordinaretur; in litteris impetratis venit dispensatus cum eo ætatis supplemento ad Præsbyteratum. Quærit Vicarius Generalis in spiritualibus, An valeat hanc ad Petri preces Subdiaconatum, dispensationem expedire.

RESOLUTIO.

2 Solus S. Pontifex in ætate ad ordines dispensare potest Non enim possunt Nuntij, nec Episcopi, nec etiam pro uno die, ut recte cum Sylvestr. Tabiena, Navarr. D. Antonin Sanch. *l.7 consil. cap.1. dub.33. num.* 18. Gobat. *in experim. Theolog. ad septem Sacram. tract.* 8 *nu.* 531. Unde non videtur admittenda doctrina Zanard. apud Dian. *part.* 9 *tract.9. resol* 50. asserentis posse Episcopos dispensare cum ordinandis, quando illis duo, vel tres dies, ad ætatem requisitam ad suscipiendos ordines deficiunt. Solet autem S. Pontifex pro supplemento ætatis, gratiam impertiri, communiter pro tredecim, extraordinariè pro quatuordecim mensibus, aliqua ex his causis 1. ob penuriam sacerdotum. 2. quia orator parentes habet pauperes. 3. quia arctatur beneficio. 4. quia in Artibus Magister 5. quia Theologiæ studio incumbit. 6 pro solatio parentum senio confectorum, & similibus. Hæc pro Subdiaconatu, vel Diaconatu. Pro sacerdotio admittitur titulus devotionis. Sic Gobat *proximè num.* 726. Iam ad casus resolutionem.

3 Respondeo posse Vicarium in spiritualibus illam expedire dispensationem pro Subdiaconatu, non obstante, quod in rescripto Apostolico ex errore dicatur dispensatus pro Presbyteratu, ex seqq. rationibus. 1. quia hic error sæpius accidit, ut in fine hujus quæstionis, de alia dispensatione videbimus, & pro tribus alijs dispensationibus eo errore concessis, à quodam Episcopo recursum fuit ad Illustrissimum D. Nuntium ad Helvetios, & ab eo responsum in causa dispensationis pro tredecim mensibus ad Diaconatum, & cum errore ad sacerdotium impartita, fuit hisce formalibus verbis: *Cũ nobis constet exparte D.N. istius Diœcesis clerici porrectam Sanctissimo supplicationem pro obtinenda dispensatione super ætatis defectu, minimè repræsentasse ipsum Diaconatum, qui vere non erat, sed errorem ex eo irrepsisse, quod consueta sit illa formula Romana, cum præsertim in Diaconatus ordine constituti similes dispensationes petere consueverint, ideo D. V. judicandum censuimus, posse ipsum tutò eandem dispensationem à præfato clerico porrigendam admittere, ea etiam de causa, cum aliæ fuerint rationes, quæ sanctissimum ad ejusmodi gratiæ concessionem moverint. Deus omnipotens Dominationem Vestram diu servet incolumen Lucernæ 6. Octobris* 1660. Sic habetur apud Gobat *cit. n.*128. *& n.* 129. de alijs agit exemplis; ex quibus ut de re sæpius judicata in nostro casu nulla datur dubitatio.

4 2. Ratio: Nam quamvis dispensatio sit odiosa, ad partes tamen sub toto comprehensas extenditur, juxta *regul.* 80. *in toto partem non est dubium contineri, de regul. juris in* 6. Sed in Præsbyteratu in eo rescripto concessio, Subdiaconatus continetur: ergo concessis tredecim mensibus ad Præsbyteratum, censentur etiam concessi ad Subdiaconatum. Minor probatur á DD. authoritate Amic. *tom.* 5. *disp.*6. *sect.*2. *num.* 16. quem refert, & sequitur Dian. *part.*8 *tract.*3 *resol.*32. Sic ex Amico, & *cit. regul.* inferente: *Unde si cum aliquo dispensetur in Sacerdotio, consequenter dispensatur in reliquis ordinibus à Sacerdotio præsuppositis. Cum quo dispensatur, ut testari possit, consequenter etiam dispensatur, ut possit codicillum facere.* Idem iterum tenet ipse Dian. *cit. resol.*41. *vers. Limitanda est tamen.* Et communiter DD. cum Sanch. *l.*8. *de matr. disp.* 1. *n.*35. ibi: *Quia concesso toto partes concessæ videntur, ut dispensatio ad Sacerdotium, extenditur ad omnes ordines inferiores.* Citatis Sayr. Majol. & alijs pluribus.

5 Confirmatur, quia ex eo quod gradus superior, vel minor in superiori, seu maiori contineatur, dispensatus ex errore in superiori, seu

seu maiori, in inferiori, seu minori censetur dispensatus; ut constat ex eo, qui dispensationem petiit pro tertio gradu consanguinitatis, & ex errore dispensatus fuit in secundo, in quo tertius, pro quo dispensatio fuit petita continetur, ut communiter dicunt DD. Soar. *tom.2.de relig.l.6.cap.ult.n.8.* Sanch. *l.4 de matr. disp.24.n.17.& l.4.Dual.cap.47.n.29.* Ledesm. *in Sum de matr.cap.27.post 7.concluſ.dub.1.* Rodrig. *1.part.cap.238.concluſ.3.nu.3.* Gutierr. *de matr.cap.234.n.8* Filliuc. *tract.10.part.2.cap.10.n 327.& 328.* Bonac. *de leg.disp.1.q.2.punct.5.n.15.* Basil Pont. Ochag. Hurt. Ludov. de S. Ioann quos affert & sequitur Leand. *tom.2. tract.9 de matr.disp.24.q.45.* Sed Subdiconatus in sacerdotio continetur, ut tenent DD. *n.præcedenti citat.* saltem virtualiter, ut inquiunt Filliuc *tract.9 cap.1.n.25.* & Bonac. *tom.3. de Cens.in part.disp.3.q.1.punct.2.n.4 & 16.* dicens ibi: *n.4. aliquibus citat.* jure antiquo clericos Presbyteratum accipere, alijs prætermissis ordinibus. Quod etiam ex D. Thom. inquit Marchin *de ordin.tract.1.part.3.cap.7.n.4.* ergo dispensatus ex errore in defectu ætatis ad Sacerdotium, dispensatus censetur ad Subdiaconatum, qui in Sacerdotio continetur. Adde: sicut in adducto casu valet argumentum à maiori ad minus, etiam si ex consulto dolus committeretur; quia dolus ibi non est, contra dispensationis substantiam, nec ablato, dispensatio difficiliùs concederetur, ut dicunt Sàch. *dict.l.8.de matr.disp.n.31.* Dian. *citat.* ita etiam in nostro casu, in quo eadem, & maior datur ratio; & sic ad eum extendi idem argumentũ tenet Sanch. *proxime n.15.* ut jam *nu.4.* in fine notavimus.

6 Neque obstat, Subdiaconatum, ad quem dispensatio in defectu ætatis, fuit petita, non esse ejusdem generis, & rationis cum Sacerdotio: sed quando error committitur in ijs, quæ non sunt ejusdem generis, & rationis, dispensatio non valet, ut tradunt citati apud Leand *proximè*: ergo. Non, inquam, hoc obstat, quia ordo Subdiaconatus, & alij ordines sunt ejusdem generis, & rationis cum Sacerdotio: omnes enim habent unum, & eundem finem proximum, qui est digne offerre Sacrificium Eucharisticum, aut in eo ministrare ad altare, & inter se maximam habent connexionem. Sic omnes Filliuc. *dict.tract.9.cap.1.n.15*

7 Tertia ratio, quia error hujus dispẽsationis à Petro eam petente, non fuit commissus, sed vel á scriptore Romano, aut ab inadvertencia bancarij: sed quando constat, errorem non fuisse commissum à petente dispensationem, sed à scriptore, aut bancario, tenet dispensatio, ut colligitur ex *cap. susceptum, de rescript. in 6.* ubi dicitur verba rescripti esse strictè accipienda, & ad alium casum non extendenda, additur: *Nisi de intentione mandantis aliud appareret expresse.* Ergo in præsenti casu exceptio hujus textus est intelligenda: quia expresse constat de intentione Petri mandantis, dispensationem petere ad dictum defectũ ætatis ad Subdiaconatũ, & non ad Sacerdotiũ.

8 Ex hac ratione asserunt DD. validam esse dispensationem in tertio gradu affinitatis pro quo dispensatio fuit petita, scriptor autem Romanus errore ductus, tertium consanguinitatis scripsit gradum. Sic Laym. *tom 1.Theolog.moral l.2 tract.4.cap.22.n.27.* Dian. *1.part. tract.10.resol.36 in fine*, Bonacin *tom.2 disp.1. de leg.q.2 punct.4.n.6.Vers. Maior difficultas est.* Idem dicunt, quando dispensatio petita est pro tertio gradu consanguinitatis; & ex errore scriptoris venit pro tertio affinitatis, Portel. *tom.2.respons.moral.casu 49.n.2.* Dian *part.8 tr. 3.resol.64 in fine* Ludovic. Lopes *1.part.instruct cap.30.column.2.* Thomas Hurt. *2.part.resol. moral.tract.12.cap.1.dub.6 per totum pag.478.* quos affert, & sequitur Reverendissimus P. Fr. Martin. de Torrecill. *in Exam. potest. Episc. tract.8.q.& sect.unica consult.1.per totum.* contra Sanch. *l.8. de matr.disp.24.nu.19* & alios: ergo cum in hoc casu, non censetur subreptitiam fuisse dispensationem, à fortiori non erit in nostro, in quo datur maior connexio, ut ex dictis patet.

9 Quarta ratio: Quando dubitatur de dispensatione obtenta, an sit valida, præsumitur, esse validam; quia in re dubia, judicandum est in favorem actus, ut constat *ex text.in cap. Abbate, de verborum signif.l.quoties ff.de reb. dubijs*, & DD communiter cum pluribus Sanch. *l.8. de matr.disp.21.n.25.* Castr. Palaus *tom.1 tract. 3.resol.45.* Dian. *4 part.tract.3 resol 45.* ergo dato dubio circa præsentem dispensationem, judicandum est, esse validam.

10 His traditis rationibus, à R. Vicario in spiritualibus dispẽsatio data fuit executioni; non solum pro hac vice, sed paucis elapsis annis altera dispensatiò cum eodem errore obtenta, & executioni mandata fuit; & post aliquot menses hic secundo dispensatus, recurrit ad me scrupulis vexatus; tum quia dubitabat de dispensatione cum eo errore impetrata, & expedita; tum quia post expeditam dispensationem, solemniter, non expectata ætate à jure designata, Epistolam cantasset. At illi respondi ex ipsis scrupulis, seu dubijs se non debere esse afflictum. Non ex primo, quia bona fide dispensationis expeditionem cum eo errore á Provisore acceperat, qui rationibus sufficientissimis nixus, eam expedivit, & quamvis dubium superveniret, semper pro superiore stãdum erat, dum aperte illi non constabat, non recte dispensationem executioni mandatam fuisse. Nec ex secundo, quia data, & expedita dispensatione super ætatis defectu ad Subdiaconatum, bene poterat solemniter Epistolam cantare, non expectata ætate ad Subdiaconatum à jure requisita; quia ex dispensatione Pontificia, & á Provisore expedita, omne juris impedimentum cessabat: secus esset,

si

si non dispensatus, etiam si bona fide Subdiaconatum suscepisset, existimando, se legitimam ætatem habere, nam adveniente ætatis non completæ certitudine, Epistolam solemniter cantare non poterat; non tamen, si eam cantasset, irregularitatem incurreret, quia absque suspensione illam cantaret, quamvis mortaliter, eam cantando, peccasset. Vide, quæ diximus *supra q.* 19. §. 2.

QUÆSTIO XXIV.

An beneficium curatum obtinens absque animo residendi, & Ecclesiæ serviendi, sed tantum ad ejus titulum, ordines suscipiens suspensionem incurrat?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Non incurrit suspensionem.*
3 *Suscipiens ordines sacros ex titulo beneficij sine animo residendi, ex titulo ficto suspensionem incurrit.*
4 *Votum emittens sine animo se obligandi juxta communiorem sententiam, & matrimonium celebrans sine animo reddendi debitum, nulliter agit.*
5 *Verum celebratur matrimonium cum animo non reddendi debitum in primo bimestri, & dato impedimento.*
6 *Beneficium valide recipitur cum animo non residendi, quando potest animus mutari pro tempore, quo residentia non obligat.*
7 *Beneficium recipiens sine animo residendi, & Ecclesiam serviendi, peccat mortaliter.*

1 ANtonius beneficium curatum ab Episcopo obtinuit, sine animo residendi, & parochiæ serviendi, sed tantum, ut ad ejus titulum ordines sacros susciperet Sacerdotio autem jam insignitus, Episcopum adivit, illi suam intentionem aperiens. Episcopus benigne cum illo agens, illi patrimonium, & alteri beneficium contulit. Quæritur an suspensionem incurrerit cum eo animo, ordines sacros suscipiens.

RESOLUTIO.

2 Respondeo non incurrisse. Ratio est, quia per collationem dicti beneficij, beneficium erat suum: ergo sine titulo ordines non suscepit sacros. Antecedens est certum, quia per collationem jus in beneficium acquiritur, quando facta est ab habente potestatem, & acceptata á beneficiario, ut extra dubium tradit Castro Palaus *tom.2.tract.* 13.*disp.* 2 *punct.* 13.*n.*1. quod evenit in hac collatione. Consequentia ostenditur: quia Antonius dum ad residentiam non tenebatur, poterat intensionem non residendi mutare, quin amitteret beneficium, & illius fructus; ut recte colligitur ex text. *in cap. commissa* §. *Caterum, de elect. & potest. eleg. in* 6. *ibi: Caterum si promoveri ad Sacerdotium non intendens, parochialem receperis Ecclesiam, ut fructus per annum percipias, ipsam postmodum dimissurus (nisi voluntate mutata pro motus fueris) teneberis ad restitutionem fructuũ eorundem, &c.* & DD. Vasq. Soar. & alijs, quos referunt, & sequuntur Filliuc. *tom.*3.*de benef. tract.*41.*cap.*5 *n.*56. Castr. Palaus *cit. disp.*4.*punct* 7.*n.*3. & 6. Sed Antonius post collationem justum habebat impedimentum, & licentiam debitam, ne resideret, dum ordinibus sacris insigniabatur: ergo cum pro hoc tempore intentionem mutare potuisset, beneficium, nec titulum ad se ordinandum amittebat, sicut ille de quo *textus cit.* suum non amittebat beneficium, non intendens sacerdotium intra annũ suscipere, quia intra annum voluntatem poterat mutare. Additur quia ut primum ad residentiam tenebatur, ad Episcopum recurrit, & ab illo patrimonium obtinuit, & alij eam Ecclesiam contulit.

3 Nec obstat 1. quod ille, qui beneficio ficto ad sacros ordines promovetur suspensionem incurrat latam *in cap. Neminem, & in cap Sanctorum* 70. *dist.* & renovatam à Trident. *sess.*21.*de reform.cap.*1. & tenent DD. non pauci, quos affert, & sequitur Leand. *tom.*2.*tract* 6.*de ordin.disp.*9.*q.*4. At Antonius fuit ordinatus ficto beneficio, quia quando ordines sacros suscepit, non residendi animum habebat, cum quo stare non potest beneficium: ergo suspensionem incurrit. Non, inquam, hoc obstat, quia respondetur 1. negando minorem; quia Antonius ad titulum veri beneficij curati fuit ordinatus, & cum animo non residendi stare poterat beneficium, ut *supra* ostendimus. Respondetur 2. negãdo maiorem, ut illam negant plures, quos citatos refert, & sequitur Marchin. *de ordin.tract.*2.*part.*6.*cap.* 7. *diffic.* 7. *vers. Verius tamen credo.*

4 Non obstat 2. quia votum juxta communiorem sententiam sine animo se obligandi stare non potest, nec matrimonium sine animo se obligandi ad reddendum debitum: ergo etiam collatio beneficij stare non potest sine animo residendi, & serviendi Ecclesiæ. Consequentia patet: quia sicut obligatio in voto, & reddendi debitum in matrimonio, est de natura ipsius voti, & matrimonij, vel quædam passio necessario naturam voti, & matrimonij consequens, ut nullatenus separari possit; sic residentia, & administratio Ecclesiæ est de natura beneficij, & administrationis Ecclesiæ, vel quædam passio consequens naturam ipsius beneficij curati, ut nullatenus separari possit: est enim residentia, & administratio Ecclesiæ de jure naturali, divino, & positivo, ut colligitur ex Concil. Trid. *sess.*6.*cap.*2. & *sess* 23. *de reform. capit.* 1. ut cum communi DD. tradit Barbos. *in collect. ad cit. sess.*23.*cap* 1 *n.*3 & Castr. Palaus *tom.* 2. *tract.* 13. *de benef. disp.* 5. *punct.*1.*n.*2. Sed votum excludens obligationem,

nem, & matrimonium obligationem reddendi debitum, sunt nulla: ergo etiam collatio facta in eo, qui excludit obligationem residendi in beneficio, & Ecclesiæ administrationem.

5 Neque respondeas; beneficium stare posse, cum animo non residendi, nam quando confertur, datur justa causa, seu impedimentum non residendi, & hoc tempore elapso, voluntas mutari potest, & sic non erit nulla illius collatio cum illo animo. Non, inquam, hoc respondeas, quia etiam matrimonium stare potest cum animo non reddendi debitum intra primum bimestre, vel dum datur impedimentum, non reddendi debitum, & tamen si quando celebratur, detur animus numquam reddendi debitum, est nullum: ergo etiam, licet residentia non statim obliget, dum beneficiarius ordines suscepit, vel datur impedimentum, non residendi: si tamen in collatione detur animus nunquam residendi, collatio erit nulla, & cum non detur titulus beneficij, suspensionem incurrit dictus Antonius.

6 Non, inquam, hæc omnia *n.* 4. & 5 *adducta*, obstant, quia concessis casibus voti, & matrimonij, negatur esse nullam collationem beneficij curati in nostro casu: Dispar ratio est, quia essentia voti tunc datur, quando votũ emittitur, & matrimonij, quando celebratur. Unde si eo tempore, quo votum emittitur, & matrimonium celebratur, non detur in voto animus se obligandi, & in matrimonio, animus reddendi debitum, statim sunt nulla: At in collatione beneficij curati secus proceditur, nam in collatione beneficij curati, beneficium absolute confertur, sive collatus pro tunc habeat, vel non habeat animum residendi, quia collatio per animum non residendi non illico resolvitur, & fit nulla; sed quando conditio non residendi obligans, non impletur; ut colligitur *ex cit. cap. Commissa* § *Caterum, de elect. & potest. elig.* ubi agitur de eo, cui absolute beneficium fuit collatum, non habenti animum se promovendi intra annum ad sacerdotium, & solum reddita fuit nulla collatio, quando non mutato animo intra annum, ad sacerdotium non fuit promotus: Ita colligitur, & videtur sentire Filliuc. *tom.* 3. *de benef. tract.* 41 *cap.* 5 *n* 48. & Less. *l.* 2. *de just. cap* 34. *dub.* 19. *n.* 101. in nostro casu.

7 Fateor tamen dictum Antonium peccasse mortaliter in acceptione illius beneficij, quia Ecclesiam graviter decipit, beneficium recipiens absque animo residendi, & illud administrandi, quem animum si conferẽs sciret, nequaquam ei beneficium conferret; sic expresse tenent aliqui quos refert, & sequitur Fragos. *tom.* 2. *Regim. Reipubl. Christian. disp.* 21. § 3. *n* 9. post medium *Azor* 2. *part. l.* 6 *cap.* 9. *q.* 4. & colligitur ex Less. *l.* 2. *de just. cap.* 34. *dub.* 26. *num.* 136. & ex Castr. Palao asserente peccare mortaliter beneficium curatum recipientem, sine intentione suscipiendi presbyteratum intra annum *tom.* 2. *tract.* 13. *de benefic. disp.* 4. *punct.* 7. *num.* 3.

QUÆSTIO XXV.

An conjugatus de licentia uxoris, votum castitatis emittentis, ad sacros ordines promotus cum falsis dimissorijs, super suspensionibus incursis, obtinens à Sede Apostolica absolutionem, sive dispensationem mentionem non faciens de statu conjugis, subreptitie maneat dispensatus?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Ex ipso jure probabile est eam dispensationem non fuisse subreptitiam.*
3 *Adducuntur jura, ex quibus ostenditur probabilitas.*
4 *Non obstant aliqui textus.*
5 *Eadem doctrina a DD. confirmatur.*
6 *Ex consuetudine non potest maritus Sacris ordinari, nisi prius uxor professionem emittat.*
7 *Non obstante ea consuetudine, quæ omnibus non est nota, probabiliter dispensatio non fuit subreptitia.*
8 *Nec fuit subreptitia, quia defuit Episcopi licentia.*
9 *Suppressio veri, quod jura exprimere jubent, dispensationem subreptitiam reddit.*
10 *Pœnæ latæ in Extrav. Antiquæ, in præsenti casu non fuerunt incursæ.*

1 FRranciscus, & Maria post consummatum matrimonium de mutuo consensu, illa Religionem ingressa, mox votum castitatis emisit; Ille cum falsis dimissorijs extra Regnum omnes sacros ordines suscepit. Pro suspensionum incursarum dispensatione, seu absolutione ad S. Sedem Apostolicam recurrit, & gratiam impetravit, tacendo in supplica se esse conjugatum, uxorem omisso castitatis voto novitiatum inchoasse, & alia, quæ de consuetudine videbantur, esse manifestanda. Quæritur an dispensatio impetrata sit subreptitia?

RESOLUTIO.

2 Respondeo probabile esse, spectato juris rigore, illam dispensationem non esse subreptitiam, quia in supplica manifestatum est, quod necessario erat manifestandum; nõ enim videtur necessario manifestandum, quod ipse Franciscus esset conjugatus, nec quod illius uxor in monasterio jam emisisset votum castitatis; nam de licentia uxoris poterat ordines suscipere sacros, dummodo illa votum castitatis emisisset, & solum deliquit sine dimissorijs proprij superioris ab alieno ordines

susciens; & de suspensionibus ea de causa in curiis, à S. Pontifice dispensationem, seu absolutionem obtinuit. Et quod tacere poterat se esse conjugatum, & illius uxorem in monasterio votum castitatis emisisset; ostenditur quia ex mutuo consensu inter ipsos habito, & voto omisso poterat ipsos ordines a proprio Episcopo suscipere, ut probabiliter ex ipso jure, & DD. citandis cõstare potest. Ex ipso jure.

3 1. *Ex text. in cap. conjugatus, de conversion. conjugat.* ibi: *Nullus conjugatorum est ad Sacros Ordines promovendus; nisi ab uxore continentiam profitente fuerit absolutus.* Et Gloss. ibi: *Nota, quod non sufficit viro licentia mulieris, ut ad ordines promoveatur, imo exigitur, quod continentiam voveat.* Et ex text. seqq. *in cap. sane, eodem titulo*: ibi: *sane si conjugati consenserint ordinari, uxoris voluntas prius requirenda est.* Et Gloss. ibi: *Si conjugati ordinari voluerint, voluntas uxoris prius debet requiri, & obtineri, ut dicitur in præcedenti cap.* Hi textus tantum de nostro casu agunt, qui solum in uxore exigunt licentiam; & votum castitatis & non professionem in Religione: sed in nostro casu obtenta fuit licentia ab uxore Maria, quæ mox in Religione emisit votum castitatis simplex: ergo Franciscus conjugatus ex jure sacris ordinari poterat.

4 Nec obstant text. *in cap. Agathosa, 27. quæst. 2.* Nam hic textus non de ordinato, sed de Religionem ingrediente absque uxoris licentia, loquitur. Nec text. *in cap. Episcopus 77. dist.* ibi: *Si conjugati juvenes consenserint ordinari, etiam uxorum voluntas, ita requirenda est, ut sequestrato mansionis cubiculo, religione promissa, postquam pariter conversi fuerint, ordinentur.* Nam per hunc textum cubiculum utriusque sequestratum fuit, Religionem Maria uxore ingrediente; & per *Religione promissa*, illico castitatis votum emisit: quod per ea verba intelligitur & non professio Religiosa. Ut inquit Gloss. ibi Verb *Religione. Id est castitate, quæ qualiter promitti debet, dixi 32. dist. seriatim: nec enim ista debet Religionem intrare; quia nec vir ejus intrat.* Nec text. *in capit. Cum sis, cap. Ex parte, de univers. conjug.* Nam hi textus, non de ordinandis, sed de maritis Religionem profitentibus loquuntur. Nec text. *in cap. Sane jam numer. præcedente cit.* Nam hic textus de Episcopo conjugato loquitur, qui ad hanc dignitatem assumi nequit, nisi ejus uxor Religionem prius profiteatur. Nec text. *in Extrav. Antiquæ, de voto.* Nam hic textus, loquitur de illo, qui sine licentia uxoris, sive matrimonium sit, vel non sit consummatum, ad ordines sacros ascendit; qui uxori debet reddi. Et nihil habet contra nostram conclusionem, sed declarat canones antiquos. Vide Castr. Palaum *tom. 6. de Censur. disp. 4. punct. 10. § 1. numer. 10.* & Leand. *tom. 4. de Cens. disp. 4. quæst. 12.* & ab illis citatos. Nec text. *in cap. si se, 28. dist. Verb separentur*, aliquid contra à nobis dicta statuit. Unde ex ipso jure, sola castitate ab uxore promissa, poterat vir ad ordines Sacros promoveri: ergo dictus Antonius ex ipso jure poterat à suo ordinari Episcopo, & tantum deliquit sine dimissorijs, ab alieno ordines suscipiens; ergo in his terminis dispensatio non fuit subreptitia.

5 Ex DD. etiam probabilis dicta doctrina ostenditur; nempe posse conjugatum, de licentia uxoris votum castitatis emittentis, & separari volentis, ad ordines sacros promoveri. Sic absolutè docet Soar *tom. 5. in 3. part. disp. 31 sect. 1. n. 55. in fine*; ibi: *Secundus est, quando uxor, licet ingredi Religionem nolit, tamen separari vult, & votum castitatis emittit, & marito facultatem præbet, ordines suscipiendi, juxta cap. Seriatim 32. dist. & cap. conjugatus, de convers. conjugat. In his ergo casibus, cum ordo sacer licite suscipiatur, nulla incurritur suspensio.* Sic Soar. Idem etiam tenent Gasp. Hurt. *disp. 11. de matr. diff. 9.* Sa Verb. *Divortium numer. 4.* Hostiens. Henriq. Brunetus, Turrecrem. Maiol. Francisc. Marc. Torreblanc. Gaeta, Monald & alij apud Leand. *tom. 2 tract. 9. de matr. disp. 17. q. 13.* & Escob. *tom. 3. Theol. moral. l. 27. sect. 2. dub. 76. num. 371.* Et spectato juris rigore, hanc sententiam esse probabiliorem inquit Castr. Palaus *tom. 5 de Sponsal disp. 3. punct. 6. §. 11. num. 17.* & Basil. Pont. *l. 7 de matr. cap. 25. num. 5 & seqq.* Et valde probabilem dicit Sanch. *l. 7. de matr disp. 39 num. 1.* ex his ergo DD. poterat tuta conscientia Franciscus à proprio Episcopo ordinari, quin suspensionem incurreret: ergo illam tantum incurrit, quia sine dimissorijs ab alieno Episcopo illos ordines sacros suscepit, & cum ad his suspensionibus fuerit dispensatus, non erat in supplica necessario declarandum, quòd fuisset conjugatus, & illius uxor in Religione votum castitatis emisisset, quia à jure id habebat, ut ordines susciperet.

6 De consuetudine tamen nullus sacris initiari permittitur, quin ejus uxor prius Religionem profiteatur, aut si sit senex, & de incontinentia non suspecta castitatis votũ emittat, ut advertunt Basil Pont. *l. 7. de matr. cap. 25 n. 7. in fine.* Castr. Palaus *proxime dict. nu. 17. fine*, Tambor. *l. 8. de matr. tract. 7. cap 4 §. 2. nu. 27.* Escobar *tom. 3 de Sacram. l. 27. sect. 2. dub. 76 n. 374. fine* Leand. *tom. 2. tract. 9 de matr. disp. 17. q 13.* Sed consuetudo est optima legum interpers *ex textu in cap. cum dilectus de consuet.* ergo jam illa dispensatio impetrata fuit subreptitia; nam in supplica debebatur exprimi, supplicantem esse uxoratum, & illius uxor, quanvis Religionem ingressa, adhuc professionem non emisisset.

7 Quanvis ea cõsuetudo vigeat, negari tamẽ non potest, eam non esse ita notam, ut DD. noviss imè scribentibus de illa mentionem faciant, Soar. & alij *Supra cit.* Et plures

etiam

etiam citati docuerunt, posse maritum ad ordines sacros promoveri de licentia uxoris, quin illa Religionem ingrediatur, & in ea profiteretur; etiam si sit juvenis, dummodo castitatis votum emittat, & habitatio sequestretur. Nam ipsum jus ita de his ordinandis disponit, ut *supra* ostendimus. Addo juxta opinionem communem, quam sequitur Sanch. *l.* 7. *de matrim. disp.* 39. *numer.* 6. & ex illo Leand. *tom.* 2. *tract.* 9. *de matrim. disp* 17 *quæst.* 13. & alij, solum in uxore ordinandi requiri Religionis ingressum, Sanch. ibi: *Si uxor est Senex non suspecta de incontinentia, sufficit votum continentiæ ipsius in sæculo: secus si juvenis, tunc enim desideratur ingressus ipsius in Religionem*; at in nostro casu Maria Franciscí uxor Religionem ingressa est, antequam Franciscus ordinaretur; ut ex facti specie constat. Quare ex his Doctoribus, & illorum opinionibus, improbabile non est, ex allata suppressione, dispensationem non fuisse subreptitiam.

8 Nec etiam obstat, quod in supplica non fuit expressum, hunc ordinatum ab ordinario licentiam non obtinuisse, ut potuisset promoveri ad sacros ordines ex mutuo uxoris consensu; quæ erat necessaria, si non ex rigore juris, ut volunt, juxta *capit. si vir & uxor* 27. *quæst.* 2. Rebellus *l.* 3. *q.* 4. *numer.* 18. Bonacin. *tom.* 1. *quæst.* 3 *de impedim. matrim. punct.* 4 *numer.* 12. *in fine.* Dian 4 *part. tract.* 4. *resol.* 73. *Vers. Notandum est*, Laym. *l.* 5. *tract.* 10. *part.* 3. *cap.* 7 *nu* 3. ex ipsa consuetudine, ut inquit Tambor *l.* 8. *de matrim. tract.* 7. *cap.* 4. §. 2. *numer.* 7. ut colligit ex Sanch. *l.* 7. *de matrim. disp.* 39. *numer.* 1. & alijs: ergo ex hac taciturnitate dispensatio impetrata erat subreptitia. Non, inquam, hoc obstat, quia nec text. nec Doctores citati loquuntur de nostro casu, sed de marito, sive uxore Religionem ingresso, vel professionem emittente. Addo eam consuetudinem esse receptam non ex obligatione sub peccato mortali, sed ex quadam honestate, ut communiter tenent Doctores cum Sanch. *l.* 7. *de matrim. disp.* 32. *numer.* 3. Peyrin. & alij, quos sequitur Pellizzar. *in man. Regul. tom.* 1. *tract.* 2. *capitul.* 4. *numer.* 17. *in fine.* Vide Basil. *de matrim. l.* 9 *capitul.* 12. *numer.* 2. ex quo ibi dictum sequitur nostra resolutio. Quare licet daretur ea taciturnitas, ex illa non reddebatur dispensatio subreptitia. Non loquimur de licentia Episcopi ad ordines suscipiendos, quia sine illa nullus ad eos promoveri potest, nisi de licentia Episcopi, ut constat ex capit. *cum nullus*, *de tempor. Ordin.* & *Trident. sess.* 14. *capitul.* 2. *& sess.* 23 *de reform capitul.* 3. *&* 8. Et hic defectus fuit manifestatus in supplica, dicens in ea Franciscus, se ordinatum fuisse ab alieno Episcopo, absque proprijs dimissorijs.

9 Nec etiam iterum obstat, quòd suppressio veri, quod si exprimeretur, Pontificem á dispensatione, vel se ab ea facilius concedenda, retraheret, subreptitiam illam, & nullam reddit, ut tradunt Gutierres, Molina, Fabiena, & alij plures apud Sanch. citandum: sed si in supplicatione non fuisset suppressum, Franciscum esse conjugatum, & uxorem non esse professam, S. Pontifex, vel dispensationem non concederet, vel eam cum aliquibus moderationibus aut difficultate concederet: ergo fuit subreptitia, & nulla. Non, inquam, hoc obstat, quia respondetur 1. negando maiorem cum Sanch. *l.* 8. *de matrim. disp.* 21. *numer.* 12. *& seqq.* Basil. Pont. *l.* 8. *de matrim. capitul.* 17. *a numer.* 2. Hurt. *disp.* 26. *diff.* 4. Salas. Ægid. Coninch. & alij communiter quos refert & sequitur Leand *tom.* 2. *tract.* 9 *de matrim. disp.* 24. *quæst.* 26. & Tambor. *tom.* 2. *l.* 8 *de matrim. tract.* 2. *capitul.* 8. *numer.* 6 asserentibus non omnem veritatis suppressionem dispensationem reddere subreptitiam, sed solam illius rei, quam jura exprimere jubent: at jam *supra* vidimus, jura exprimere non jubere in dispensatione suspensionum, Franciscum esse conjugatum, & uxorem non emisisse professionem, nec consuetudo, quæ est etiam jus, exprimi videbatur, quia apud plures Doctores non videtur esse in usu, maxime apud Soar. jam *cit. numer.* 5. & alij *numer.* 7. & sic non fuit subreptitia. 2. respondetur, etiam negando eandem maiorem, ut eam negant Sylvest. Hostiens. & alij apud Sanch. proxime *numer.* 11. quia, inquiunt, non omnem veritatis suppressionem subreptitiam reddere dispensationem, sed illam tantum, quæ illius dispensationis est causa finalis; & Franciscus in supplica expressit causam finalem, & ab illam concessa est dispensatio.

1 Quoniam tamen hæc impetrata dispensatio, non paucis subreptitia esse videbitur; potest Franciscus ab illis suspensionibus absolvi, juxta ea quæ diximus *supra quæst.* 21. §. 3. Fateor tamen Franciscum non incurrisse pœnas latas *in Extrav. Antiqua*, *De voto*, *& vot redempt.* quia de consensu uxoris ad ordines sacros promotus fuit, & quæ in ea fulminantur, sunt contra eos, qui absque uxoris licentia ad ordines promoti fuerunt.

QUÆSTIO XXVI.

An patrimonium cum certis oneribus donatum ad suscipiendos ordines sit sufficiens?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*

2 *Patrimonium cum ijs oneribus ad suscipiendos ordines est titulus sufficiens.*

3 *Si tantundem debetur, quantum æstimatur patrimonium, non datur sufficiens titulus ad ordines suscipiendos.*

4 *Tenetur ad onera Missarum, qui patrimonium sub eo onere acceptavit.*

5 *Non stat patrimonium cum onere ad celebrandas missas non acceptato.*

6 *Ipsi ordinando acceptanti patrimonium, illud Missarum onus imponi poterat.*

7 *Capellaniæ perpetuæ cum onere Missarum, pro singulis diebus, sunt sufficiens titulus ad ordines.*

8 *Idem colligitur ex Constit. Ulyssiponens.*

1 PEtrus cuidam patrimonium non habenti ad se ordinandum, bona immobilia sufficientia *juxta Constit. suæ Diœcesis* ad patrimonium donavit, cum hac conditione: Quòd primam dicendam ab eo missam, pro sua celebaret intentione, & singulis hebdomadis suæ vitæ unam; aut singulis annis pro Missis novem ducatos expenderet, cum eleemosyna singularum in Diœcesi designata Et post mortem eadem bona immobilia alteri cum onere earundem Missarum relinqueret. Ad titulum sui patrimonij ordinandus hæc bona cum dictis conditionibus acceptavit. Quæritur 1. An cum verò titulo ordines suscepisset? 2. An ad illud Missarum onus teneatur? 3. An Petrus illud onus illi imponere potuisset.

RESOLUTIO.

2 Ad primum respondeo; cum vero titulo ordines suscepisse. Adivit enim possessionem eorum bonorum, & pacificè illam obtinuit, antequàm ad Ordines Sacros promoveretur, ut necessarium colligitur ex Concil. Tridentin *sess.* 21. *de reform. capitul.* 2. Donatio à Petro facta fuit vera, & non ficta, ut requiritur á textu *in cap. Neminem, & capit. Sanctorum* 70. *dist.* qui á Tridentin. *cit. capit.* 1. renovantur, & Doctores communitèr apud Leandr. *tom.* 2. *tract.* 6 *de ordin. disp* 9. *quæst.* 4. & denique hoc patrimonium Ordinarius censuit, sufficiens, cui pertinet de hoc judicium ferre, argument. *l.* 1. *de jure deliberand. & cap. de causa, de offic. delegat.* & Doctores communitèr Garcia 2. *part. de benef. capitul.* 5. *numer.* 12. *& seqq.* Barbos. *in collect. ad cit. capit. Trident. numer.* 58. Castr. Palaus *tom.* 4. *tract.* 27. *disp. unic. punct.* 10. *numer.* 1. & alij, quos jam supra q. citavimus: ergo circa titulum adductum nulla dubitatio dari potest.

3 Nec obstat, quòd Const. Diœcesis ordinati requirunt in reditibus patrimonij ad minimum Summam 25. ducatorum, quæ tantùm in hoc patrimonio fuit arbitrata, & si ab hac summa detrahantur ducati noveni ad missas intra annum celebrandas, pro intentione Petri, jam ad ordinatum congrua sustentatio designata non remanet: ergo dictum patrimonium non fuit sufficiens. Confirmatur; quia non dicitur ordinatus ad titulum patrimonij, qui tantùm debet, quantum si solvatur, non remanet, quo ordinatus sustentetur, ut docet Soar. *tom.* 5. *de Cens. disp. ultim. sect.* 3. *numer.* 25. apud Garciam *part.* 2 *de benef. cap.* 5. *numer.* 137. ergo etiam non dicetur ordinatus ad titulum patrimonij, qui tantum ab illo detrahere debet, ut residuum non sufficiat ad sustentationem. Non, inquam, hæc obstant; quia respondetur negando antecedens; quia ex eo quod ordinatus per se, vel per alium ad id onus Missarum teneatur, diminutionem non patitur in patrimonij reditibus, sicut illam non habet ordinatus ad titulum capellaniæ perpetuæ, cum obligatione per se, vel per alium quotidie celebrandi: Ad confirmationem adductam ex Soar. respondetur, illum non loqui de debito Missarum patrimonio annexo, ut in nostro casu, sed de debito pecuniarum aliunde contracto, antequàm quis ad ordines promoveatur.

4 Ad secundum quæsitum, respondeo, teneri ordinatum ad illud Missarum onus. Ratio est, quia intra Petrum, & Ordinatum intervenit verus contractus, juxta *l. Naturalis*, in principio *ff. de præscriptis verbis*, nempe: *Do, ut facias.* Petrus enim ex bona immobilia ordinando donavit, sub conditione, sine qua non donasset, certarum Missarum pro intentione sua celebrandarum; ordinandus vero eam donationem sub illa conditione acceptavit, antequam ad ordines promoveretur: ergo jam ordinatus ad illud Missarum onus tenetur. Consequentia ostenditur, quia conditio annexa huic donationi, non erat turpis, nec simoniaca, ut patet, nec contra Concil. Trident. *sess.* 21. *de reform. capitul.* 2. de patrimonio agens; prohibens tantum patrimonium alienari, ad cujus titulum aliquis fuit promotus, donec habeat beneficium sufficiens, vel unde commode vivat; quæ alienatio hic non datur: ergo cum ex nullo capite appareat ratio, cur ad illud onus Missarum non teneatur, ad illud tenetur.

5 Nec obstat, dicere, ordinandum eam conditionem acceptare noluisse: ergo ad illam non tenetur. Non, inquam, id dictum obstat, quia ex ea non acceptatione interna sequitur contractum inter Petrum, & ordinandum, fuisse nullum, ob illum fictum consensum; ut omnes fere Doctores docent, videantur Sanch. *l.* 1. *de matr. disp.* 9 *numer.* 3. *& l.* 2 *disp.* 25. *numer.* 1. Molin. *tom.* 2. *disp.* 352. *Vers. Ego probabilius in fine*, Cardin.

Cardin. de Lug. *tom. 2. de justitia disp. 22. sect. 4. n. 45* Et cum hæc sententia sit certa, & sine controversia, ut inquit Sanch. *cit.* data illa non acceptatione interna, hunc ordinatum sine titulo patrimonij ad ordines sacros fuit promotus, quia patrimonium sub ea conditione illi, & non aliter fuit donatum, & quamvis semper teneatur ad dictum onus ex justitia, suspensionem incurrit eo patrimonio ficto, sacros ordines suscipiens, ut jam *supra* diximus. Et sic tenetur absolutionem suspensionum recipere mutans consensum, quod iniquè, & injustè habuit.

6 Ad tertium quæsitum respondeo, ex dictis constare, potuisse Petrum illud onus ordinando imponere. Et ratione ostenditur, quia onus dicendæ Missæ singulis hebdomadis, non est onus ipsi patrimonio, sed ipsi Ordinando impositum, ut constat ex allatis verbis: *Cum hac conditione, ut primam Missam pro sua intentione celebraret, & unam hebdomadariam, dum vitam viveret.* Et licet ordinato eleemosynæ dictarum Missarum cessent; non ideo patrimonium dicetur diminutum, quia ex ijs eleemosynis, nec coalescit, nec integratur: patrimonium enim sufficiens, à proprio labore, & industria est independens. ut jam vidimus, & diximus *supra*, videatur Castr. Palaus *tom. 4. tract. 27. de Sacr. Ordin. punct. 10. numer. 3.* Loquens de congrua beneficij sustentatione, & id etiam dicitur de patrimonio.

7 Confirmatur 1. quia ad titulum capellaniæ perpetuæ potest quis ordinari, ut cum pluribus docent Barbos. *in collect. ad citat. Trident. sess. 21. de reform. capit. 2. numer. 12.* Leand. *tom. 2. tract. 6. de ordin disp. 9. quæst. 17.* Vide *supra quæst. 26. §. 1. & 3.* & tamen tenetur ad plures Missas, quibus constant illæ capellaniæ: ergo etiam donando Petrus illa bona immobilia ad patrimonium ordinandi, illum poterat ad plures Missas in anno pro sua intentione obligare.

Confirmatur 2 quia in Constit. Synodal. hujus Diœcesis Ulyssiponensis *l. 1. titul. 12. decret. 2. §. 2. in princ.* sine aliqua differentia eadem quantitas in reditibus pro ordinandis in beneficio, & patrimonio designatur, & tamen ijs beneficiatis onus aliquarum Missarum celebrandarum est impositum: ergo etiam patrimonio ab aliquo donato, aliquod onus Missarum imponi potest, quin requiratur maior in reditibus quantitas. Denique cum Ordinarius hoc patrimonium examinaverit, & onus Missarum Ordinando annexum, in potestate donantis, nec in quantitate patrimonij est hæsitandum.

QUÆSTIO XXVII.

An duo, tertio consanguinitatis gradu conjuncti, parentes divites habentes, quos cogere non possunt ad patrimonium, & dotem conferendam, in forma pauperum dispensationem prætendere possint?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Prætendere possunt.*
3 *Etiam si vir servitium alicujus publici officij de facultate Regis obtineat.*
4 *Non tamen potest, si officium publicum ad vitam, aut beneplacitum quatuor millibus ducatis æstimatum habeat.*
5 *Probabile est non posse in forma pauperum dispensationem prætendere in casu, quo parentes cogere possint.*
6 *Quando Nuntij Apostolici has dispensationes concedere queant.*

1 PEtrus, & Franciſca in tertio consanguinitatis gradu cõjuncti, justa de causa matrimonium intra se contrahere desiderant; & divites parentes cogere non possunt, ille ut patrimonium, illa ut dotem conferant, quia si ijs spolientur, juxta eorum statum, indigentiam patientur. Quæritur, An dispensationem in forma pauperum prætendere possint, non obstante quod Petrus servitium officij publici à Rege obtinuit, quo alitur?

RESOLUTIO.

2 Respondeo posse, data justa causa, quia verbi gratia ob præsentem inopiam, Petrus uxorem, & Franciſca maritum pares natalibus reperire nequeunt, vel alia, quæ moram interponere, non patiuntur. Ratio est, quia de præsenti verè sunt pauperes, licet post mortem parentum, in hæreditatem sufficientem sint successuri. Ita docent de fœmina, parentem habente divitem, quem tamen, ad se dotandam, cogere nequit. Sanch. *l. 8. de matrim. disp. 19 numer. 25.* & ex illo Tambur. *tom. 2. l. 8. de matrim. tract. 2. capitul. 7. §. 2. numer. 9. in fine*, Aversa *de Sacrament. matrim. quæst. 19. sect. 4.* & ex illo Dian. *part. 8. tract. 3. resol. 94. vers. Verum noviſsimè*, ibi: *Etiam si habet parentes divites, quos tamen cogere non possit ad competenter dotandam, vel qui non possint se in vita sua tanta bonorum parte privare, quanta requiritur ad competentem dotem filiæ tribuendam.* Castr. Palaus. *tom. 5. de sponsal. disp. 4. §. 2. numer. 2.* ibi. *Expedit namque bono communi matrimonium inter*

æquales celebrari: *Quòd venit intelligendum, etiamsi post mortem parentum speret sufficientem dotem habitura, si tamen de præsenti eam non habet, nec habere possit, eo quod nequeat parentes cogere ad dotem competentem sibi assignandam*, citatque Henriq. *l.12 de mat. n. cap.3.n.9.* Sanch. *proximè* Basil. *Pont l.8.cap.fin.n.23.* Ægid. Coninch. *disp. 33.dub.5.n.46.* His addo Gobat. *tom.3.tract.9. n.657.* Et idem dicendum de viro, patrem habente divitem, patrimonium nolentem conferre, ut in simili inquit Dicastill. *tom 3.de Sacram.tract.10.disp 18 dubit.5.nu.89* Gobat. *cit. n.658.* citans G.Hurt. *disp.16 de matr. diffic. 3. num.11.*

3 Nec obstat, quòd Petrus non est pauper, quia à Rege officij publici servitium obtinuit, ex quo salarium recipit, quo alitur; *juxta Ordin.l.1.tit 96.§.1.* Non, inquam, hoc obstat, quia id salarium non est certum pro tota vita, sed ad tempus breve, & indeterminatum, & cum id salarium, quod pro officij servitio datur, sit brevis temporis & ad tempus indeterminatum, in considerationem venire non debet. Nec id salarium est adeo sufficiès, ut si mensa parentum deficiat, cum illo commodè vivere possit. Et quod commode fieri non potest, dicitur fieri non posse, *l. Nepos pro populo ff.de verb signif.* Barbos. & *de diction. 62. n.1* cum pluribus. Vide *infra dicenda q.*

4 Secùs dicendum, si proprietatem illius officij ad vitam, aut ad beneplacitum obtineat. Tunc enim dicitur perpetuum, & non ad tempus indeterminatum, ut cum pluribus DD. tradit Dominic. Antun. Portug. *de donat. Regijs tom.1.part 2.l.1.cap.13.num 110.* Et si ad officium quatuor ducatorum millibus æstimetur, pauper non dicetur Petrus, juxta suam qualitatem; quæ in his dispensationibus attendenda est, ut infra dicetur.

5 Nec contra doctrinam traditam obstare possunt, 1 quia pauperes dici nequeunt, parentes habentes divites, qui alimenta filijs præstare tenentur *l.1 & seqq.C. de alend. liberis*; & de alimentis ad patrimonium. & dotem, affirmativè argumentum concludit, ut cum Spino, & Mantica tenet Fragos. *tom. 3. de regim. reip Christian.disp.5.§.1 nu. 11.* 2. quia filij parentes compellere possunt, ut patrimonium, & dotem illis præstent, quia ex pietate, & quasi justitia, ad id tenentur, ut cum Covarr. Lara, Surd Azzor, & Moria docet Fragos. *proximè n.4.* Et cùm, communi loquendi modo divites dicantur, dispensationem sub forma pauperum, prætendere non possunt. Et equidem de fœmina id sentiunt cum Molin Sanch *l.8 de matr disp.19 n.21* & Marc Paulus Leone *in praxi ad litter. Pœnitent.part.1.fol. 133.vers Et uterque pauper.* Et idem dicent de viro, in quo eadam dabatur ratio. Non, inquam, hæc obstant, non primum, quia sine incommodo, sæpius non possunt parentes filijs patrimonium, aut dotem conferre, quia non possunt, se in vita sua tanta bonorum parte privare, quanta requiritur ad competens patrimonium filio, & competentem dotem filiæ tribuendã; licet ad alimenta facile possint. Ad secundum respondeo patrem nõ posse cogi in vita ad tribuendam legitimam filijs, quia ipsis non debetur, vivente patre, sed post ejus mortem, juxta *l.1 § si impuberi ff. de collat. bonor.* ut cum Decio, Peregrin. Molin. Cald. Cevall. & alijs tradit Doct. Ioannes de Carvalho *ad cap. Raynald.part.4. cap. 1.n.262* & à legitima ad dotem validum datur argumentum *Auth. res quæ communia de legat.* & DD. Cald. Pereyr. Menoch. Decian. & alij, quos refert, & sequitur Barbos. *In loca comm.arg.loc.61.n.3. & loc.39.n 4.* Si ergo pater ad dandam legitimam vita sua compelli non potest: nec etiam poterit cogi ad dãdum filio patrimonium, nec ipsi filiæ dotem.

6 Adverte, prædictam dispensationem à Nuntijs Apostolicis impetrari non posse, nam quamvis ex facultate S. Pontificis communiter dispensent cum quibuscunque personis, intra suæ legationis limites, existentibus in quarto, & etiam tertio cum quarto consanguinitatis, vel affinitatis gradibus, etiam multiplicibus cum illis, qui ob paupertatem, vel iteneris incommoda ad Romanam Curiam pro dispensatione impetranda accedere, vel mittere non possunt; non tamen dispensant cum illis, qui in tertio gradu æquali conjuncti sunt; ut videre est apud Gobat *tom.3 tract. 9.n.588.* Ubi refert formam, quam Ss. Pontifices illis, circa hanc facultatem facere consueseunt. Aliam tradi non solitam refert idem Gobat *n.697.* De qua non est curandum.

QUÆSTIO XXVIII.

An duo illustrissimæ familiæ secundo consanguinitatis gradu conjunctæ, quorum parentes opulentissimos habent maioratus, illis tamen patrimonium & dotem competens conferre non volentes, dispensationem in forma pauperum prætendere possint?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Tridentini dispositio circa illustres personas.*
3 *Non improbabile videtur, in forma pauperũ, dispensationem prætendere posse.*
4 *Personæ illustres habentes duo millia ducatorũ sunt pauperes.*
5 *Parentes filium, aut filiam in tertio suorum bonorum no possunt meliorare, si ex ea melioratione ad testandum impediantur.*
6 *Parentes filijs legitimis, jure debitis, privare nequeunt, ut aliquam filiam meliori nubant.*
7 *Parentes habentes divites, & magnam hæreditatis spem, divites de præsenti non sunt.*

1 SOter, & Caius fratres germani ad familiæ suæ illustrissimæ conservationem nlium & filiam eorum matrimonio conjúgi intendunt; & cum dicti filius, & filia patrueles fratres omnibus careant bonis, dispensationem in forma pauperum, impetrare studeant. Quæritur an in dicta forma, eam præ tendere possint?

RESOLUTIO.

2 In Concil. Trident *sess.* 24. *de reform. cap.* 5. disponitur ne in secundo consanguinitatis, vel affinitatis gradu dispenletur, nisi cum magnis Principibus. Per magnos Principes intelligit Sanch. *l.* 8 *de matr. disp.* 19. *n.* 2. omnes titulos; at Henriq. *l.* 12. *cap.* 3. *nu.* 6. & 9. intelligit omnes personas opulentas, vel præcipuas, atque etiam omnes nobiles, & sic tenet praxis. Vide Gobat *tom.* 3 *tract.* 9 *n.* 678 Tambor. *l.* 8. *de matr. tract.* 2. *cap.* 7. § 2 *n.* 27 Barbos. *in collect ad cit cap n.* 27. *ubi plures affert.* Hoc supposito.

3 Ad quæstionem respondeo non improbabiliter affirmativè, ex hac duplici ratione. 1. Nam quamvis parentes sint opulenti, & nõ pauca in reditibus millia ducatorum habeant, ijs, dum superstites sunt, se spoliare nequeũt, quia illis indigent, ad vitam agendam, statumque suum conservandum, & sufficit dispensationem petituris, quod post matrimonium celebratum, in domo paterna filius cum sua uxore mensam, cæteraque alimenta juxta suũ statum habeant: sed filius, & filia, quia ita se habent, sunt vere pauperes; nam spes, quæ in filia dabatur, succedendi in titulo, & maioratu, quamvis opulentissimo, non illum divitem reddebat, sed de præsenti erat pauper, ut communiter docent omnes DD. Sanch. *l* 8 *de matr. disp.* 19 *n.* 25. & cum Averl. Dian. *d. part.* 8. *tract.* 3 *resol.* 93. *Vers. Verum novissime*, Tambor. *l.* 8 *de matr. tract.* 2. *cap.* 7 § 2 *n* 9. Gobat *tom.* 3. *tract.* 9. *num.* 657. & alij, loquentes de fœmina spem magnæ hæreditatis habente; & de viro eadem currit ratio, ut jam *q. præcedent. nu.* 2. *in fine* notavimus, cum ibi *cit.* Filia vero Caij competentem dotem non habet, nec à patre eam habere potest, & illum cogere non potest, ut alij non consanguineo nubat, juxta dicta *præced. q. n.* 5. & si patrueli non nubat, in nupta remanebit; addo causam prædictam, nempe illustrissimæ familiæ conservationem! ergo dispensationem in forma pauperum impetrare possunt.

4 2. Ratio, quia reliqua bona libera, quæ dicti parentes possident, ad competens filij patrimonium, & dotem competentem filiæ præstandam, non sufficiunt, quia de jure Lusit. *l.* 4. *Ordin tit.* 82. inter alios filios pro suis legitimis partienda sunt; & ad summum quilibet pro singulorum legitima millia ducatorum obtinebit: sed parentes aliud ultra legitimam jure debitam filijs præstare non tenentur: quæ legitima in hujus qualitatis personis, non venit ad rem: ergo dicti filius, & filia patrueles dispensationem in forma pauperum prætendere possunt.

5 Nec obstat 1. Soterem, & Caium hos filios in tertio suorum bonorum posse meliorare, ut colligitur *ex Ordin. l.* 4. *tit.* 97 §. 3. & 5. sicut in Hispania illos possunt in tertio, & quinto meliorare parentes, ut habetur in *l.* 22. & 23. Tauri, & explicant plures DD. apud Barbos. *in remissionib. ad cit ordin.* & P. Fragos. *tom.* 3 *de regim. reip. Christ. disp* 8. § 8, *nu.* 251. & 252. sed ex illis tertijs, & legitimis coalescere potest sufficiens patrimonium, & dos: ergo sic dotati non in forma pauperum dispensationem impetrabunt. Non, inquam, hoc obstat quia dato, quod parentes eam meliorationem possint facere, ad id non tenentur, quia ijs filijs solum post mortem ex jure debetur legitima, ut vidimus *q. præcedent. num.* 5. *post. medium.* nec ex ea dotatione legitimam. & tertiam bonorum includente, sequitur filium habere sufficiens patrimonium, & filiam sufficientem dotem, juxta eorum statum, & qualitatem, nam si Caius cum æquali non consanguineo filiam suam matrimonio conjungere velit, pro dote competente ad minimum illi viginti millia ducatorum præstare debet; at ex legitima, & tertio bonorum vix quatuor, aut quinque millia ducatorum coalescunt, quæ dotem cõsuetam non integrant, nec opparentem constituunt. Dixi, *dato quod parentes eam meliorationem facere possint*: quia dotato bonorum tertio, nihil remanet de quo testari possit, quod est adeo odibile, ut nec favore dotis cohonestari possit, *ex l. pactum quod dotali, C. de pactis* Vide Fragos. *proxime dict. n.* 252.

6 Non obstat 2. quòd non pauci parentes ut meliori in qualitate unam in matrimonium tradant filiam cum dote competente, alias filias, & filios legitimis jure debitis privant: ergo dicti fratres Soter, & Cajus hos suos filios legitimis aliorum meliorare poterunt; & sic illorum filius, & filia competens patrimoniũ, & dotem competentem habebunt. Non, inquam, hoc obstat: quia parentes alios filios, & filias suis legitimis, ut unam tantum filiam meliorarent, privare non possunt; nam illa melioratio, in qua parentes cæteris filijs unam ultra legitimam præferunt, dicitur à Sanch. *l.* 8. *de matr. disp.* 19. *n.* 22. barbara, & post mortem patris, aut matris, qui eam dotem constituerunt, ea dos, ut inofficiosa ad æqualitem reduci debet, ita ut legitimam & tertiam bonorum non excedat; juxta *Ordin cit. l* 4 *tit.* 97 §. 4. Vide Barbos. *in remiss. ad cit. Ordin.* & alios, quos refert. Fragos. *cit.* § 9 *a n.* 284. Et licet parẽtes eam dotem inofficiosam filiæ suæ præstent, etiam si in quantitate competentem in se erit incompetens, & sic dicetur filia dotem competentem non habere, quia parentes eam non poterant conferre.

7 Non obstat 3. nam licet filius Soteris, & filia Caij nihil proprium habeant, quod possideant, parentes tamen opulentos habent, qui illos tenentur alere, & alimenta præstare: sed filius, & filia hos parentes habentes, pauperes dici nequeunt, ut dicebamus *q. præced. n. 5.* ergo in forma pauperum hæc dispensatio impetrari nequit. Et hoc amplius ostenditur, quia filius Soteris habet jus succedendi in titulo, & redditibus domus paternæ, & suæ familiæ, filia vero Caij, quamvis non sit paternæ domus hæres, illius tamen pater non pauca millia ducatorum in donationibus Regiæ Coronæ habet: quomodo ergo dicti filius Soteris, & Caij filia pauperes dici possunt, & ut pauperes dispensationem à Sede Apostolica impetrari? Hoc sane inter prudentes non rectè sonat. Non, inquam, hæc obstant, quia quamvis parentes sint divites, filij vere sunt pauperes, licet congruam habeant sustentationem, juxta suum statum, ut cum pluribus tradit Barbos. *tract. de appell.* 192. *n.* 1. & *de claus.* 30. *n.* 8. quia proprium non habent, nec spes successionis illos divites reddit, ut jam *supra vidimus*, nec parentes cogi possunt, ad dotem præstandam, nec illam habent, nec habere possunt, ut juxta suum statum dotentur: ergo in forma pauperum dispensationem prætendere possunt. Vide *dicta præced. nu.* 5. Vide *dicenda q seq.* §. 1.

QUÆSTIO XXIX.

An fœmina habens ex locatione domus quinquaginta ducatos quotannis, & in mobilibus centum, & quinquaginta, possit in forma pauperum dispensationem petere, ad nubendum consanguineo non habens æqualem non consanguineum?

1 MAria nobilis fœmina in tertio consanguinitatis gradu cum in qualitate æquali conjuncta (æqualem non habens) matrimonium contrahere vult; quia tamen in bonis tãtum possidet pro singulis annis quinquaginta ducatos ex locatione cujusdam domus, & in mobilibus centum, & quinquaginta; & si consanguineo, eam volenti ducere, non nubat, vel manebit innupta, vel inæquali nubere cogetur viro habenti ex primo matrimonio tres filios. Consanguineus verò in mobilibus, & immobilibus sex millia habet aureorum, paratusque se fatetur augendæ doti, si a S. Pontifice mandetur. Quæritur 1. An Maria dicatur indotata, aut carere dote competente? 2. An ipsa, & consanguineus in eadem supplicatione dicere possint, se ipsos esse verè pauperes? 3. An si in litteris Apostolicis dicatur consanguineum esse dotis augmentum promissurum, quomodo hæc sit intelligenda clausula?

§. I.

An Maria dicatur indotata, aut carere dote competente?

SUMMARIUM

1 *Facti species.*
2 *Fœmina omni carens dote dispensationem in forma pauperum impetrare potest.*
3 *Si S. Pontifici proponatur, fœminam indotatam, cum habeat dotem incompetentem, dispensatio est nulla, & revalidatur per gratiam, quæ dicitur: Perinde valere.*
4 *Illa fœmina absolute dicitur pauper, quæ non habet juxta suum statum congruam sustentationem.*
5 *Et etiam dicitur pauper, quæ non habet facultates, quibus juxta suum statum dotetur.*
6 *Dicitur etiam pauper, quæ suis redditibus se alere nequit, nisi vendat mobilia.*
7 *Idem ostenditur ex alijs exemplis ad praxim deductis.*
8 *Judicium de paupertate officiali Diœcesano relinquitur.*
9 *Maria indotata dici non potest, quia in bonis habet plusquam quinquaginta aureos.*

2 Ante resolutionem respondeo, tunc dici fœminam esse indotatam, quando dote caret, & est verè pauper; & tunc dici dote competente carere, quando aliquam habet dotem, non tamen ad nubendum æquali extraneo. Ex hac distinctione præ oculis habenda, sequitur primò, fœminam indotatam, & omni dote carentem, petere posse dispensationem in forma pauperum, & illi dispensatio conceditur sine expensis; si tamen dote competente careat, quia aliquam habet dotem, non tamen competentem ad nubendum æquali, aliqua imponitur expensarum solutio.

3 Secundò sequitur; si S. Pontifici propositum fuit, fœminam esse indotatam, & dispensatio petita fuit in forma pauperum, cum fœmina haberet dotem; licet incompetentem ad nubendum æquali, dispensationem impetratam esse nullam. Ut tamen revalidetur, ab eodem S. Pontifice, alia gratia est impetranda, quæ dicitur, *Perinde valere*. Sic habetur apud Conradum *l. 7. cap. 2. à n. 21.* quem affert, & sequitur Tambur. *tom. 2. l. 8. de matr. tract. 2. cap. 7. §. 2. n. 19.* Hoc supposito.

4 Ad quæstionem respondeo, probabile videri, Mariam absolutè dici posse indotatam, & dispensationem petere posse in forma pauperum, quod probatur his rationibus. 1. Quia illa fœmina absolutè dicitur pauper quæ licet habeat congruam sustentionem, attento tamen statu suæ personæ, indiget, ut cum Bartol. Tiraquel. Mascard. Surd. & alijs tenet Barbos. *tract. de appelat. 192. nu. 1. & de clausul. usufreq.*

usufreq. clauſ. 30. *n.* 8. Gobat. *tom.* 3. *tract.* 9. *n.* 658 Sed Maria, juxta ſuum ſtatum, congruam non habet ſuſtentationem, quia ancillam non habet, nec illi quinquaginta ducati ad victum, & veſtitum ſufficiunt: ergo abſolutè eſt pauper.

5 2. Ratio, quia illa fœmina dicitur pauper, quæ licet neceſſaria habeat ad victum, non tamen habet facultates, quibus juxta ſuum ſtatum poſſit dotari; ut tradunt Bald. *in l. ſi quis ad declinandum* 47. *verſ. circa tertium C. de Epiſc. & cleric. & in l. paupertas* 9. *in principio ff. de excuſ. tut.* Decius *in cap. Cæterum* 5. *numer.* 74 *de judic. & conſ.* 120. *n.* 2. & alij apud Marc. Paul. Leon. *in praxi Panitent. part.* 1. *pagin.* 134. *Verſ. Baldus*, & alij, quos citat & ſequitur Torrecilla *de la Iurisdiction de los Obiſp. tract.* 8. *conſult.* 6 *n.* 7. Sed Maria nec compententer habet neceſſaria ad victum, & nullatenus ad veſtitum, aut alias facultates, quibus dotari poſſit, juxta ſuum ſtatum: ergo, ut pauper abſolutè habenda eſt.

6 3 Ratio, quia illa fœmina dicitur verè pauper, quæ alere ſe nequit ex reditibus, niſi vendat mobilia, quæ vendi non ſolent, ut ſe alat, ut tradit Baldus *conſ.* 30. *l.* 2. & approbat. Gobat *dict. tract.* 9. *n.* 658. *verſ. ſane*; & *in l. in fundo* 39. *in addit. n.* 1. *ff. de rei vendic.* apud Marc. & Paul Leon. *in praxi Panitent. Verſ. Pauper fol.* 133. *in fine*, quod ipſe Marc. approbat. Sed Maria ſuis reditibus locationis ſuæ domus ſe alere nequit, niſi ex mobilibus aliqua vendat, quæ vendi non ſolent: ergo.

7 Quarta ratio, quia Torrecill. *cit. dict. conſult.* 6. doctiſſimis rationibus probat de alia fœmina, maiorem in bonis habente quantitatem, quàm Maria [de qua agimus] habet in ſuis bonis, & illam eſſe verè pauperem; & ſic dispenſatione dignam. Et ibi *num.* 10. inquit, ſic judicaſſe de alia fœmina, maiores habente quantitates, quàm poſſidebat ea, de qua agebat, PP. doctiſſimos noſtræ ſocietatis, teſtificantes ſic fuiſſe deciſum per plures Theologos, & Iuriſtas tempore DD. Ioſephi Argues Archiepiſcopi, quorum judicijs Illuſtriſſimus Præſul, ac & Doctiſſimus Theologus annuit: ergo idem de Maria dicendum à fortiori, quia tot non habet bona: & ſi illæ fœminæ erant nobiles, etiam Maria, de qua hic agimus, nobilis eſt Rationes quas affert doctiſſimus Torrecill. *loco cit.* videri poſſunt.

8 Ad ultimam tamen hujus quæſtionis reſolutionem duo mihi videntur eſſe conſulenda, primum hunc caſum judicio, & prudentiæ officialis Diœceſani eſſe relinquendum, qui in favorem exequendæ dispenſationis inclinare debet. Ratio eſt, quia Marc. Paul Leon. *cit. pag.* 134. *verſ. Gloſſ. & verſ. in noſtro*, inquit, quod licet fœmina bona aliqua poſſideat, & neceſſe habet operari, ut vivat, nam ea bona quæ habet, abſque ejus labore non ſufficiunt ad congruam ſuſtentationem, ut de Maria diximus *ſupra*, & tenet Gloſſa *in §. ſed & propter paupertatem, inſtit. de excuſſ. tutor.* & Panormit. *in cap. quod ſuper.* 8. *nu.* 4. *de voto, & vot. redempt.* Maiorem Pœnitentiarium prima facie videri ſequi citatæ Gloſſ. opinionem; facillimè tamen cum Bartol. Bald. Butrig. & Decio ab eod. Marco Paul. citatis, hoc judicium prudentiæ, & arbitrio confeſſarij diſpenſationis pro foro conſcientiæ relinquere: ergo pro foro externo etiam hæc diſpenſatio, & illius executio officialis Diœceſani prudentiæ, & arbitrio, eſt relinquenda.

9 Secundum conſulendum eſt, quod Maria non ita eſt indotata, ut poſſit impetrare diſpenſationem, in forma pauperum, habet enim aliqua bona, non tamen ſufficientem, ad dotem competentem, juxta ſuam qualitatem. Ratio eſt, quia illa dicitur pauper, quæ in bonis aureos non habet quinquaginta, ut conſtat ex textu *in l. Nonnulli* 10. *ff. de accuſat.* Bartol. *in l. qui accuſare* 8. *ff. de accuſat.* Bald. *in l. infundo* 39. *in addit. n.* 1 *ff. de rei vend.* quos affert, & ſequitur Marc. Paul. Leon. *cit. fol.* 133. *in fine*: at Maria in bonis, quæ poſſidet, excedit multum aureos quinquaginta: ergo non ut indotata, ſed ut non habens dotem competentem, diſpenſationem abſquè ſcrupulo, cum diminutione in expenſis, impetrare poteſt. Vide tamen Sanch. *l.* 8. *de matr. diſp.* 19. *n.* 19. aſſerêtem, fœminâ diformem, provectæ ætatis, vel aliquo crimine infamatam, quâvis aliàs dotem competentem habeat dici pauperem, & ſine dote, ut viro æquali nubat. Et ſi addat in ſupplica, ſi eam nõ ducat cõſanguineus, innuptam manere, absquè dubio diſpenſationem obtinebit cum aliquibus tamen expenſis.

§. II.

An Maria, & conſanguineus in eadem ſupplica dicere poſſint, ſe eſſe verè pauperes.

SUMMARIUM.

10 *Non poſſunt eadem ſupplica dicere, ſe eſſe pauperes.*

11 *Idem oſtenditur ex litteris circularibus Innocentij x.*

12 *Verba diſpenſationis intelligi debent juxta naturam actus, ad quem diriguntur.*

13 *Verba numeri pluralis perſæpe ſingulariter accipiuntur.*

14 *S. Pontifex cognoſcere debet gratiam, quam concedit; ſic conſanguinitas, aut affinitas quã do eſt ex duplici parte, eſt explicanda.*

15 *In numero plurali ſingularis includitur, quando in utroque datur eadem ratio.*

10 Hæc quæſtio procedit in caſu, quo Maria in bonis haberet infra quinquaginta aureos, in quo poterat dispenſationem impetrare in forma pauperum, quia ſic erat indotata, juxta

juxta ea, quæ diximus *supra numer.* 9. & data hac hypothesi, respondeo non posse Mariam, & illius consanguineum in eadem supplicatione dicere, se esse vere pauperes, quia facta illa hypothesi, paupertas sola est ex parte Mariæ, & non ex parte consanguinei, qui est dives. Et probatur 1. ex ipso stylo Curiæ Romanæ, quæ nunquam dispensat, quando pro utroque facta est supplicatio, si qualitas utraque in sponso, & sponsa non verificetur, ut patet quando uterque pro causa, angustiam loci allegant, tunc enim in utroque causa verificari debet: at qualitas paupertatis non verificatur in consanguineo divite, sed tantum in Maria, facta illa suppositione, quod habeat infra quinquaginta aureos.

11 Secundo probatur, nam cum in quadam Nuntiatura non allegarentur divitiæ alterius partis, Innocentius X. per litteras circulares gravissimè conquestus est, apud omnes Nuntios; & propterea limitavit eam facultatem in hujusmodi casibus dispensandi. Ita fuisse decisum refert Gobat *part.* 3 *tract.* 9. *n.* 666 non possunt ergo Maria, & ejus consanguineus in eadem supplicatione dicere se esse pauperes, cum consanguineus talis non sit.

12 Nec obstat consilium, quod pro parte oppositæ, viro primæ dignitatis Ecclesiasticæ interrogatus Gobat dedit, de quo *cit.* 3. *tom. tract* 9. *num.* 659. DD. non invemens; quia existimavit, sufficere alterutrius partem esse pauperem, ut de utroque verificarentur clausulæ in supplicatione oppositæ, nempe: *Se vere esse pauperes*, vel *propter eorum paupertatem*, *se non posse mittere Romam*. His rationibus hæc ostendebat, 1. quia verba dispensationis intelligi debent, secundum naturam actus ad quem diriguntur: sed natura actus supplicantium dirigitur, ut dispensatio fiat, vel communibus expensis, ut tenet Sanch. *l.* 5. *de matrim. disp* 5. *num.* 33. vel pauperis ad cujus instantiam dispensatio petitur. Confirmatur, quia dictiones *non posse* & *propter eorum paupertatem* bene verificantur, quia paupertas etiam divitem premit, qui cogitur dare id, quod jure petitur; & quia paupertas in eis reperitur, quando unus tantum est pauper.

13 2. Quia verba pluralis numeri persæpe singulariter accipiuntur, Tusc *litt. V. concluſ.* 119. & actus ita interpretandus, ut non sit inanis, Barbos. *tract. de axiom.* 12. *num.* 16. & potestas dispensandi Commissario Papali delegata, latè, & non strictè interpretanda est. Sanch. *de matr disp* 2. ergo sufficit, quod alter supplicantium sit pauper, ut dispensatio de utroque verificetur. Et sufficere alterutrius pauperem, decisum fuit in aula Illustrissimi Nuntij, inquit Gobat; & hoc etiam confirmat. *n.* 667.

14 Non, inquam, hæc obstant, nec rationes, quibus astruuntur; nam præterquam quod S. Pontifex declaravit dispensationes nõ subsistere, quando alter ex supplicantibus est dives; prima ratio oppositum non probat; nam quamvis dispensatio communibus fiat expensis, vel pauperis, non tollit, quod dives non debeat manifestare, se esse divitem; nam S. Pontifex cognoscere debet gratiam, quam concedere intendit; Tambor. *l.* 8 *de matr tract* 2. *cap.* 7 § 2. *n.* 16 *in fine*. Et quando consanguinitas aut affinitas est ex duplici parte, de stylo Curiæ Romanæ necessariò est explicanda, ut cum communi docent Sanch. *l.* 8. *de matr. disp.* 24. *n.* 5. Gutierres. *de matr. cap.* 124 *n.* 1. Basil. Pont. *ibidem l.* 8. *cap.* 17. §. 5 *n.* 25. Castr. Palaus *tom.* 5 *de sponsal. desp.* 4. *punct. ult.* § 3. *nu.* 1 & alij plures: ergo etiam quando paupertas est, ex utraque parte est manifestanda, aliàs vitiatur dispensatio, ut ex cit. DD. colligitur. Confirmatio negatur, quia eæ clausulæ de Maria tantum verificantur, quæ est pauper, & non de consanguineo, qui est dives, ut jam diximus.

15 Nec etiam obstat secunda ratio, nam licet in numero plurali singularis includatur, non tamen includitur, quando in uno non datur eadem ratio, quæ est in pluribus, ut cum pluribus DD. Barbos *tract. de appellat.* 169 *n.* 1 at in pluribus, nempe in Maria, & ejus consanguineo, non datur in hoc paupertas, quæ in illa reperitur, facta suppositione, juxta quam hæc procedit quæstio.

§. III.

An si in litteris Apostolicis dicatur, consanguineum dotis augmentum promissurum esse, quomodo hæc clausula sit intelligenda?

SUMMARIUM.

16 *Fœmina paupertas non sufficit pro causa in gradibus propinquioribus.*
17 *Promissio dotis augendæ necessario est adimplenda; & sufficit quod per alium augeatur.*
18 *Videtur sufficere, quod matrimonium contrahatur per leges Regni.*
19 *Dotis promissio non est augenda ex bonis filiorum, nec ex tertio matris ipsi marito relicto.*
20 *Sanches oppositum docet.*
21 *Dotis augmentum est donatio gratuita.*
22 *Omnis contractus cum aliorum præjudicio initus, est illicitus.*
23 *Omnis donatio excedens quantitatem, de qua pater disponere potest, revocatur.*

16 Dicitur in facti specie Mariam in tertio consanguinitatis gradu consanguineo esse conjunctam. Quia tamen in gradibus propinquioribus ad dispensationem, mulieris paupertas non sufficit, ut tenent Castr. Palaus. *tom.* 5 *de sponsal. disp.* 4. *punct. ult.* § 2. *n.* 1. Tambur. *l* 8 *de matr. tract* 2. *cap.* 7 § 2. *n.* 18. & alij; solet pro causa, quando consanguinei sunt in

secundo

secundo cum tertio, vel in tertio gradu æquali conjuncti, addi, quòd sanguineus promittat, se dotem fœminæ aucturum. Quomodo autem hæc promissio sit expedienda explicant Sanch. *l.* 8 *de matr. disp.* 35. *n.* 6. Conrad. *in praxi harum dispensat. l.* 7. *cap.* 2 *à n.* 38.

17 Ad quæstionem respondeo, hanc clausulam ita esse intelligendam. Quod consanguineus necessario dotem incompetentem fœminæ, usque ad competentem augeat, juxta illius qualitatem, ut constat ex his rescriptis, solito concessis; & de hac dote promissa, ante matrimonium contractum, scriptura publica conficitur, acceptante fœmina, & officiali Diœcesano decernente, ut clausula rescripti verificetur. Sufficit tamen, quod alius á consanguineo fœminam ducturo diversus, eam dotem augeat; quia ad hujus dispensationis valorem, per inde est, ac si eam ducturus fœminam augeret; & solum attenditur pietatis opus, in eam fœminam erogatum. Sic Sanch. *citatus.*

18 Quia tamen consanguineus, de quo agit præsens casus, in bonis liberis, sex habet millia ducatorum, & Mariam ducere vult juxta legem Regni *in Ordin. l.* 4 *tit.* 46. *in principio*, disponentem, quod quando aliud, inter matrimonium contrahentes, non est conventum, bona contrahentium, matrimonio per copulam consummato, fiunt communia, & dissiluto, medietas bonorum omnium pro dote competente ad Mariam pertinet, absque alia scriptura publica? Respondeo, mihi videri ipsum matrimonij contractum sufficere pro dote promissa; si tamen officialis adhuc requirat specialem scripturam pro determinatione horum, vel aliorum bonorum, illi est annuendum.

19 Et quid dicendum de alio simili casu, de quo fui interrogatus, cum hac tamen differentia, quod consanguineus a S. Pontifice jussus, dotem incompetentem fœminæ pauperi augere, ex priori matrimonio filios habebat, & dubitabatur, an ea dos esset augenda ex legitimis filiorum, quando illius bonorum tertium ad augmentum non erat sufficiens? Respondeo non posse; nec etiam ex tertio bonorum matris, illud suo marito relinquentis; potest tamen illam augere ex tertio suorum bonorum, de quo liberè potest disponere, juxta nostras Ordin. *l.* 4. *tit.* 82. *in principio.* Emman. Barbos. *in remiss. ad cit. locum nu.* 7. *ubi n.* 4. & 5. alios citat. DD.

20 Scio P. Sanch *cit. n.* 7. & 16. *disp.* 8. *nu.* 3. docere, quando augmentum dotis fœminæ præstandum, excedit quintum bonorum in Regno Castellæ; de quo solum conjuges libere disponere possunt, ex toto bonorum acervo esse deducendum, etiam in filiorum præjudicium (& idem juxta illum dicendum est de tertio bonorum in hoc Regno, quia de illo conjuges libere disponere possunt;] & probat; quia id augmentum dotis non est donatio gratuita, sed contractus cum Pontifice initus, ut ea dispensatio concedatur.

21 Hæc doctrina quamvis doctissimi P. Sanch. non placet, 1. quia negamus, illud dotis augmentum non esse donationem gratuitam, quia hic consanguineus non obligatur, ad ducendam fœminam consanguineam, incompetentem dotem habentem. Et dato quod illam ducere vult, ad integrè dotem augendam obligatur. Si autem ex bonis de quibus libere disponere potest eam integrè augere non potest, ab incepto matrimonio desistat.

22 Secundo, quia dato, quod sit contratus onerosus cum S. Pontifice initus, non sequitur, dotem esse augendam ex toto bonorum cumulo, cum filiorum præjudicio: omnis enim contractus, cum aliorum præjudicio, est illicitus, ut ex se constat.

23 Tertio, quia illud dotis augmentum est quædam bonorum donatio ex causa matrimonij: sed omnis donatio excedens quantitatem, de qua pater disponere potest, quoad excessum revocatur, ne filijs legitimæ debitæ minuantur, ut constat *ex Ordin. l.* 4 *tit.* 65. §. 1 *et* 2. & DD. Fragos. *tom.* 3. *regim. reip. Christ. disp.* 4. §. 5. *n.* 100. Ex his patet solutio ad rationem P. Sanch.

QUÆSTIO XXX.

An validum sit matrimonium ex dispensatione in forma pauperum impetrata, cum clausula dotandæ fœminæ, quæ inscia per scripturam falsam dotata fuit? Et quomodo hoc matrimonium sit revalidandum?

SUMMARIUM

1 *Facti species.*
2 *Hoc matrimonium non fuit validum.*
3 *Esset validum, si nomine proprio consanguinei fœminæ scripturam dotis confecissent, & consanguinea acceptasset.*
4 *Bona fides contrahentium validum non reddit illud matrimonium.*

1 GEorgius, & Engratia gradu consanguinitatis ex propinquioribus conjuncti à S. Pontifice dispensationem impetrarunt cum clausula, quod Georgius Engratiam dotasset, erat enim pauper. Officialis autem Diœcesanus dispensationem expedire noluit, quin prius Georgius dotem scriptura publica promisisset, & Engratia acceptasset. Georgius vero eam promittere renuit. Quod consanguinei Engratiæ ægrè ferentes, scripturam falsam de dote à Georgio Engratiæ promissa, fabricarunt; officialique Diœcesano exhibuerunt; qua exhibita dispensavit, inscijs Georgio, & Engratia dispensatis; & matrimonium bona fide in facie Ecclesiæ contraxerunt.

traxerunt. Quatuor á falsarijs fuerunt proposita, & quæsita. 1. An dictum matrimonium fuisset validum ? 2. An Episcopus in illo dispensare possit? 3 An per viam Pœnitentiariæ, dispensationem obtinere possint? 4. Quod remedium his nulliter contractis, sit adhibendũ?

§. I.

An matrimonium eo modo initum sit validũ?

2 Respondeo, non esse validum. Ratio est, quia dotatio á Georgio facienda Engratiæ in rescripto á S. Pontifice pro causa allegata est, ut dispensatio concedatur: sed à Georgio, nec ab alio dotatio Engratiæ non est facta: ergo dispensatio executioni mandata ab officiali Diœcesano fuit nulla; & nullum matrimonium, ex dispensatione nulla. Nec scriptura falsa à consanguineis Engratiæ officiali Diœcesano exhibita, & ex illa dispensatio executioni mandata, dispensationem constituit validam; nam ex scriptura falsa, valida non potest procedere dispensatio, ut colligitur *ex textu in cap. 2. de crimin. falsi* & alijs. Imo scripturæ falsæ falsarijs, graves impositæ sunt pœnæ, ut constat ex Ordin. *l. 5. tit. 53.* & ex ipso jure communi. Vide Iul. *Clar. § falsum nu.* 16. Card. Thusc. *tom. 3. lit. F. conclus.* 42 & alios plures, apud Emm. Barbos. *in remiss. ad cit. Ordin.*

3 Dixi: *nec ab alio dotatio Engratiæ non est facta*; nam si Engratiæ consanguinei nomine proprio, & non alieno scripturam dotis confecissent, & Engratia illam acceptasset, matrimonium fuisset validum, quia clausula in substantia verificaretur, nempe: fœminam pauperem manere dotatam. Quod verò dos sit promissa à Georgio, vel á consanguineis Engratiæ, dispensationem non vitiat, ut tenet Sanch. *l. 8. de matr. disp. 35 n. 6.* & jam diximus *q. præced. n. 17.*

4 Ne bona fides Georgij, & Engratiæ fundata in ignorantia illius scripturæ fallæ, illis prodest, ut matrimonium ab illis contractum, desinat esse nullum. Nam deficiente causa à Pontifice designata, matrimonium etiam deficit. Vt in similibus docent cum Sanch. & alijs Castr. Palaus *tom. 1. tract. 3. disp. 6. punct. 16. § 2 n 4.* Tambor. *l. 8. de matr. tract. 2. cap. 10. § 3. n. 2.* Vide etiam *dicenda infra q.*

5 Nec obstat, quod ad damnũ illatum per scripturam falsam tenentur falsarij, ut docent communiter DD. Iul. Clar. Cardin. Thusc. *supra.* Molin. *tom. 3 de just. tract. 2. disp. 700. n 4.* & alij: sed Consanguinei Engratiæ illi damnũ intulerunt in dote non promissa à Georgio; quam, volens matrimonium contrahere, promittere tenebatur: ergo cum hic consanguinei falsarij ad illud damnum illatum teneantur tam in foro conscientiæ, quàm externo, matrimonium fuit validum. Non, inquam, hoc obstat, nam licet teneantur, de eo constare non potest; nam scripturam dotis nomine proprio non confecerunt, nec Engratia eam dotem acceptavit, quod juxta praxim erat necessarium, nec etiam eam restitutionem facere intendunt, nec falsitas ab illis contracta, contra illos præsumitur, semper ergo, deficiente causa requisita ad dispensationem, matrimonium fuit nullum.

§. II.

An Episcopus in eo matrimonio invalido dispensare possit?

SUMMARIUM.

6 *Non potest dispensare.*

7 *Nec dispensatio hæc illi conceditur, in cap. Quia circa, de consang. & affin.*

8 *Episcopus dispensare non potest, in dispensatione Pontificis falso executioni mandata.*

9 *In hoc casu Pontificis voluntas non præsumitur, sicut in alijs.*

6 Respondeo, non posse. Ratio est, nam licet aliquando possit dispensare in matrimonio cum impedimento dirimente contracto, ut dicemus *n. 9.* ideo est, quia ea præsumitur S. Pontificis voluntas: at in præsenti casu, ea non præsumitur voluntas. Quod ostenditur, quia causa ad eam dispensationem a S. Pontifice assignata, adimpleta non fuit à Georgio, & falso à consanguineis Engratiæ, contra voluntatem Pontificis, quod crimen in jure pluribus in locis damnatur. Alia vera ratio *num.* 10. adducitur.

7 Nec obstat 1. quòd Episcopus, post contractum matrimonium, potest dispensare in impedimento, cujus obtenta fuit dispensatio subreptitia, ut docent plures, quos refert Sanch. *l. 2 de matr. disp. 38. num.* 12. & alij apud Castr. Palaum mox citandum, & videtur sequi Hurt. *disp. 26. diffic. 2 n.* 8. & probabile inquit Basil. Pont. *l. 8. de matr cap. 13 nu.* 7. & Leand. *tom. 2. tract. 9 de matr disp. 24. q. 12.* dum ait oppositum esse probabilius: ergo etiam dispensare poterit post contractum matrimonium, quando valide obtenta fuit dispensatio, subreptie tamen, & cum falsitate executioni mandata, nulla culpa dispensatorum. Non, inquam, hoc obstat, quia respondetur 1. DD. in antecedenti citatos supponere in *cap. Quia circa, de consang. & affinit.* concessum fuisse Episcopis dispensare post matrimonium contractum, dispensatione subreptitia obtenta, in eo impedimento; quia S. Pontifex, consultus de his, qui dispensatione subreptitia contraxerunt, Episcopo interroganti, respondit: *Dissimulare poteris, ut remaneant in copula sic contracta, cum ex separatione [sicut asseris] grave videas scandulũ imminere*; illa namque dissimulatio, dispẽsatio est, nam licet dissimulatio superioris, quæ suo facto, & impunitate fit, non sit dispensatio, ut

ut probat textus *in cap. cum jam dudum, de præbend.* & dissimulatio verbis facta, dispensatio censeri debet, quia est quædam approbatio. At dicti DD. id recte supponere non possunt, quia nullum in eo textu habent fundamentum, ad dicendum, hanc potestatem omnibus Episcopis fuisse concessam. Ad summum enim probarent illi Episcopi fuisse datam; quamvis hoc etiam non probetur, ut patet ex adductis verbis textus, in quibus nullum datur verbum circa dispensationem, sed tantum dissimulationem, ob scandalum separationis, & bonam fidem illorum conjugum. Idem prorsus dicendum in nostro casu, in quo datur bona fides inter conjugatos, & si scriptura falsa manifestetur, & ex illa errorem ortum, in separatione dabitur scandalum, absque ulla spe revalidandi matrimonium; & hæc omnia *ex cit. textu Quia circa* Sanch. *cit. dicto n.* 12. ubi sic in fine cum pluribus; *Legitimus ergo sensus est, juxta tradita in conclus. & seqq. ibi enim conjuges bona fide existimabant, se legitimè conjugatos esse, & ex veritatis detectione, timebatur grave scandalum: qua propter S. Pontifex tacendum, & dissimulandum esse, dicit, illosque in matrimonio illo putativo, & invincibili ignorantia, excusato permittendos esse.* Sic in nostro casu.

8 Secundo respondetur cum communi DD. negando antecedens, nec ex *cit. cap. Quia circa* potest colligi, Episcopos, post matrimonium contractum, posse dispensare in impedimento, cujus obtenta fuit dispensatio subreptitia. Sic Sanch. *cit.* & alij, quos referunt, & sequuntur Dian. *part.* 8. *tract.* 3. *resol.* 60. *vers. Nota tamen* Leand *tom* 2. *tract.* 9. *de matr. disp.* 24. *q.* 12. Escobar. *l.* 27 *sect.* 2. *dub.* 176. Castr. Palaus *tom.* 5. *de sponsal disp.* 4 *punct. ult.* §. 1. *nu.* 11. Aversf *de matr. q.* 19 *sect.* 2. Perez *ibidem disp.* 43. *sect* 6. Tambur. *l.* 8. *de matr. tract.* 2. *cap.* 4. § 4 *num.* 25. & Basil. Pont. *l.* 8. *de matr. capit.* 13. *num* 7. qui licet oppositum dixerit probabile, id falso dixit, & satis inconsequenter suis principijs, ut interpretationem legitimam Sanch, *cit.* impugnaret, ut inquit Castr. Palaus *proximè allatus.* Ergo si hi DD. docent, Episcopum non posse dispensare, in casu obtentæ dispensationis subreptitiæ, quando dispensatio ob causam, quæ à S. Pontifice dari supponebatur, & non dabatur; & ipse S. Pontifex facultatem dispensandi Episcopo interroganti concedere noluit, á fortiori Episcopus dispensare non poterit in casu obtentæ dispensationis validè, subreptitiè tamen executioni mandatæ.

9 Nec obstat secundo, quod Episcopus post contractum matrimonium dispensare potest in impedimentis dirimentibus in casu magnæ necessitatis, his concurrentibus circunstantijs, scilicet: si matrimonium sit publicè contractum, & impedimentum occultum, si contractum sit bona fide, saltem ex parte unius; si in separatione detur scandalum, aut aliud inconveniens; si non detur facilis ad Pontificem aditus, & dispensatio ob periculum incontinentiæ differre nequeat, ut tradunt Navarr. Sanch. Basil. Pont. Vasq. Rebell. Salas, Rivius, Hurt. Dian. Ludovic. de S. Ioann. quos afferunt, & sequuntur Leandr. *tom.* 2. *tract.* 9 *disput.* 24. *quæst.* 7. Escobar. *tom.* 3. *l.* 27. *sect.* 2. *dub.* 171. *num.* 683. Castr. Palaus *tom.* 5. *de Sponsal. disput.* 4. *punct. ultim.* §. 1. *numer.* 8. Aversf *de matrim. quæst.* 16. *sect.* 2. Perez etiam *de matrim disput.* 43. *sect.* 6. Tambur. *l.* 8. *de matrim. tract.* 2. *capit.* 4. §. 4. *a numer.* 2. & alij *infra* citandi *q.* 34. *numer.* 6. & *quæst.* 39. *numer.* 15. Sed in prædicto casu dantur hæ circunstantiæ: matrimonium enim in facie Ecclesiæ fuit celebratum, impedimentum consanguinitatis licet publicum, dispensatione Pontificis, & dotis falsæ adhibitæ, est occultum; matrimonium ex utriusque parte, bona fide fuit contractum, in separatione datur scandalum, & ad Summ. Pontificem aditus non est facilis, datur enim in illa dilatione incontinentiæ periculum: ergo poterit Episcopus dispensare. Non, inquam, obstat, quia respondetur concedendo maiorem, & minorem, & negando consequentiam: dispar ratio est; quia quando Episcopus dispensat in impedimentis dirimentibus post matrimonium contractum; in dictis circunstantijs, dispensat ex voluntate Pontificis, cui hæ dispensationes sunt notæ, & illas approbare præsumitur; at non potest de voluntate Pontificis præsumi, se velle approbare dispensationem à se concessam, cum falsa scriptura executioni mandatam: cum id sit contra ab eo dispositum; sicut *in cap. Quia circa citat.* Episcopo dispensare non concessit, in causa illorum, qui subreptitie dispensationem obtinuerunt.

§. III.

An per viam Pænitentiariæ dispensationem obtinere possint?

SUMMARIUM.

10 *Non possunt, nec ab ipso Episcopo; & id evidenter ostenditur.*

11 *Id efficaciter ostenditur ex cap. Quia circa, de consang. & aff.*

10 Respondeo non posse, sicut eam per Episcopum non possunt obtinere, ut jam diximus. Et utriusque quæstionis ratio germana est, quia Georgius, & Engratia in matrimonio ab ipsis contracto, bona fide, & absque scrupulo vivunt, & sic dispensationem nullitatis nec ab Episcopo,

nec à Pœnitentiaria impetrare intendunt: consanguinei verò Engratiæ, authores scripturæ falsæ, nullitatem matrimonij cognoscentes scrupulis vexati, eam cupiunt obtinere; quia sua scriptura falsa fuerunt causa illius nullitatis. Et dato hoc impossibili, quod à Pœnitentiaria, vel ab Episcopo, vel etiam ab ipso Summ Pontifice illam dispensationem impetrassent, executioni mandari non poterat, quin Georgius, & Engratia certiores, de nullitate contracti matrimonij fuissent facti, ut matrimonium nullum revalidarent, quia copula subsequens eam dispensationem, cùm procedat ex errore, quo credebant se matrimonio esse ligatos, matrimonium constituere non potest. Et ratio est clara, quia nihil est magis consensui contrarium, quam error, *l. si per errorem ff. de jurisdicti. omnium Judic.* Sed Georgius, & Engratia ex errore, quo putant, se esse vere conjugatos ad eam copulam accedunt: ergo vere non consentiunt. Confirmatur, quia hi conjuges ignari impedimenti præcedentis, & modo [dato eo impossibili] per dispensationem ablati, tantum intendunt cum copula, & alijs verbis ex errore dictis, [si forte dentur) approbare prius matrimonium, & non aliud de novo efficere: immo si Georgius forsan sciret novum ibi matrimonium constituere, illud constituere recusaret; ut jam illud recusavit in casu, quo jussus fuit dotem per scripturam Engratiæ promittere: sed consanguinei Engratiæ, qui scripturam falsam fabricarunt, ut Georgius, & Engratia, mandante officiali Diœcesano, matrimonium contraherent, illam matrimonij nullitatem, nulliter conjugatis manifestare nolunt: ergo quamvis dispensatio concedatur ab Episcopo, Pœnitentiaria, vel ab ipso Pontifice, matrimonium non revalidabitur. Hæc dicta sunt ex communi omnium Doctorum sententia, Sanch. *l. 2. de matrim disp. 36. numer. 8.* Castr. Palai *tom. 5. de sponsal. disp. 4. punct. ultim. §. 1. numer. 11.* Villal. Basil. Pont. Hurt. Rebell. Præpos Less. quos affert & sequitur Dian. *part. 4. tract. 4. resol. 49. in principio.*

11 Et veritas hujus resolutionis ostenditur, ex textu *capit. Quia circa, de consanguin. & affin.* in quo Summ. Pontifex Innocentius Tertius ab Episcopo consultus, de quibusdam conjugibus, qui bona fide subreptitie contraxerunt, & legitime conjugatos esse, existimabant; & ex veritatis detectione grave scandalum timebatur; Summ. Pontifex non dispensavit, sed tantùm dixit, tacendum, & dissimulandum esse, ibi: *Dissimulare poteris, ut remaneant in copula sic contracta, cum ex separatione [si cut asseris) grave videas scandalum imminere.* Sic in nostro præsenti casu, in quo Georgius, & Engratia bona fide sunt conjugati, cum dispensatione subreptitie executioni mandata, timetur tamen ex veritatis detectione non solum grave damnum, & scandalum, sed impotentia moralis ad veritatem detegendam, quia consanguinei ex justis causis veritatem detegere nolunt: ergo in vanum dispensationem impetrabunt; quia juxta *cit. textum* illa dispensatio non concederetur, sicut in illo concessa non fuit, ut recte docet Sanches, & alij *numer. 7. supr. citat.* & Castr. Palaus *proxime.*

§. IV.

Quod remedium, huic matrimonio nulliter contracto, adhibendum sit?

SUMMARIUM

12 *Tacendum, & dissimulandum est, in eo matrimonio; nec refert quod Engratia in dotata maneat.*

13 *Si ea nullitas matrimonij ex aliquo accidenti manifestetur, quid agendum?*

12 Respondeo, remedium oportunum esse jam adductum *in §§. præcedentibus num. 7. & 11. in fine.* dissimulare, quòd maneant, tam Georgius, quam Engratia in eo matrimonio putativo, & ignorantia invincibili excusato; sic expresse deducitur ex sæpius *citat. cap. Quia circa, de consang. & affin.* ut in simili tenent Sanch *l. 2. de matr. disp. 38. num. 7.* illum etiam vide *num. 12.* Nec damnum Engratiæ illatum ex dote, non vere à Georgio promissa, stat contra hoc remedium; quia desperata Georgij promissione dissimulatio, & silentium solum, & non monitio nullitatis, habere potest locum. Sic Sanch. in simili *cit. n. 10.* cum alijs.

13 Cæterum, si falsitas à consanguineis commissa detegatur; vel ab aliquo eorum, solis Georgio, & Engratiæ [quamvis imprudenter] manifestetur; ipse Georgius, & Engratia quo ad thorum separari debent; nam matrimonium ab ipsis contractum, fuit nullum. Ipseque Georgius dotem à Summ Pontifice statutam, Engratiæ, ut *supra*, promittat; & per confessarium ad Ordinarium recurrat, qui datis circunstantijs, de quibus *supra num. 9.* dispensabit. Si verò alijs personis ea falsitas manifestetur, ita ut facile probari possit; imo & sit publica, & ex illa, matrimonium fuisse nullum, constet. Tunc non potest ad Episcopum pro dispensatione recurri, quia cùm matrimonium sit publice nullum, jam non dantur illæ circunstantiæ, in quibus Episcopus dispensare potest; ut *cit. loco* vidimus. Nec etiam ad executorem rescripti potest recurri; quia jam suo officio functus est, juxta formam ipsius rescripti; & delegatus, ut ipse erat, juxta formam mandati judi-

judicans ; iterum absque nova commissione judicare non potest ; ut ex jure, & DD. tradunt Sanch. *l.* 8. *de matr. disp.* 27. *num.* 39. & ex illo Tamburin. *l.* 8 *de matrim. tract.* 2. *capit.* 12. § 1. *numer.* 21. Ordinarius tamen eos sponsos separare debebit, donec præmissis narratis iterum à Pontifice altera impetretur dispensatio.

QUÆSTIO XXXI.

An exercentes agriculturam, aut aliquam artem mechanicam in forma pauperum dispensationem, & petere, & impetrare possint?

SUMMARIUM

1 *Facti species.*
2 *Potest ; si necesse sit laborare, ut vivat.*
3 *Ex consuetudine Constantiensi ostenditur, quæ in hoc Regno in praxi esse videtur.*

1 PEtrus agricula, ex causa justa, & licita consanguineam Catharinam ducere exoptat. In bonis duo millia habet ducatorum ; & illa mille. Ex his tribus, duo sunt in immobilibus, & in mobilibus mille. Uterque ex suo labore vivit cum aliquo decore à miseria alieno. Quæritur : An in forma pauperum, seu gratis dispensationem petere, seu impetrare queant?

RESOLUTIO.

2 Respondeo, posse, ex hac duplici ratione. 1. Quia juxta Gloss. *in* § *Sed, & propter, Inst. de excusato*, ille dicitur pauper, qui ut vivat, necesse habet operari : Sed Petrus, & Catharina, si agros suos non arent, seminent, & semina ab immunditia non purgent, & ea colligant ; vivere non possunt : ergo pauperes in hac materia dicuntur. Minor patet, quia, ut dictum est in facti specie, ex illis tribus millibus ducatis, duo tantum sunt in immobilibus, quæ si locentur, à conductoribus illis tantum centeni ducati reddentur ; qui ad congruam unius domus sustentationem non sufficiunt : ergo ut illam habeant, illis opus est, illa immobilia colere, & proprijs manibus laborare. Confirmatur, quia si proprio labore, & industria proprios agros, vineas, & oliveta non colant, vel ex parte perirent, vel certò minuentur : ergo ut in futurum habeant, ex quibus sustententur, necesse est proprio labore ea colere, & meliorare, ne deficiant.

3 Secunda ratio, quia, ut inquit Gobat *tom.* 3 *tract.* 9 *numer.* 658. *in fine* in Diœcesi Constantiensi, antiqua viget, consuetudo, ut in materia dispensationis gratis impetrandæ, pro pauperibus habeantur omnes, qui agricultura ; opificio ; arte etiam liberali, ut pharmacopæia se ; & suam familiam alunt. Et *numer.* 660. in casu cujusdam Helvetici *in fine* hæc addit verba : *Reverendissimus Dominus Vicarius Generalis idoneis testibus probavit, haberi in hac Diœcesi ab antiquo, in casu matrimoniali pro paupere omnem, qui exercet agriculturam, artem mechanicam, & etiam liberalem, &c.* Ergo si in ijs Diœcesibus viget consuetudo, quod pro pauperibus habeantur omnes agriculturam, & artem mechanicam exercentes, ex eo quod suis laboribus vitam alunt; Idem de Petro, & Catherina dici potest, qui etiam suis laboribus vitam alunt, licet aliquos agros, vinea, ac oliveta habeant ; & si hæc dispensatio gratis, non impetretur juxta dicta *supra q.* 29. §. 1. aliqua tamen cum illis moderatione utendum est.

QUÆSTIO XXXII.

An impetrantes dispensationem, in forma pauperum, cum tales non sint tempore executionis dispensationis, matrimonium valide contrahere possint?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Quæ tempora in consideratione venire possint, quibus causa dispensationis verificari possit?*
3 *Quo tempore causa verificetur?*

1 PEtrus, & Monica tertio consanguinitatis gradu conjuncti, S. Pontifici pro dispensatione in forma pauperum supplicarunt ; pro causa, allegantes suam paupertatem, & spem, quam fundatam habebant in promissis cujusdam divitis avunculi, illis promittentis, si inter se matrimonium inijssent, se favorabilem illis esse præbiturum. Nihil tamen ex suis bonis interim donavit. Existente eâdem causâ, & paupertatis, & spei avunculi, juxta preces supplicantium Summ. Pontifex dispensavit; & ante dispensationis expeditionem avunculus mortuus est, dictos consobrinos suorum bonorum institutos hæredes relinquens, cum clausula, ut inter se inirent matrimonium; aliàs aliam piam causam instituebat hæredem. Quæritur 1. Quo tempore causa dispensationis verificari debeat, ut matrimonium validè contrahatur ? 2. An causa pro tertio consanguinitatis gradu allegata, censeatur justa ? 3. An ex vi dicti rescripti impetrati, officialis Diœcesanus dispensationem expedire possit?

§. I.

Quo tempore causa dispensationis verificari debeat?

4 Respondeo, quatuor tempore in considerationem venire posse. 1. Quando libellus supplex mittitur Romam. 2. Quando auditæ supplicationi S. Pontifex annuit, dicens: *Fiat, ut petitur.* 3 Quando officialis executor Diæcesanus dispensationem expedit. 4. Quando cessat causa post expeditam dispensationem, & ante matrimonium, per verba de præsenti, initum.

3 De primo tempore nulla habenda est consideratio. De secundo, & tertio habenda est; de quarto aliqui DD. probabilius negant, alij probabiliter affirmant, esse habendam. Videantur Sanch. *l.* 8. *de matr. disp.* 30. Basil. Pont. *ibi l.* 8 *cap* 20. Tamburin. *l.* 8. *etiam de matr. tract.* 2. *cap* 12. §. 3. *à num.* 4. Gobat *tom.* 3. *tract.* 9. *a num.* 676. Leand. *tom.* 2. *tract.* 9. *disp.* 24. *a q.* 55. Dian. *part.* 8 *tract* 3 *resol.* 77 Hæc præmittenda sunt, ut dicenda maximè § 3. facilius percipiantur.

§. II.

An causa pro tertio gradu allegata, ad dispensationem sit sufficiens.

SUMMARIUM.

4 *Est sufficiens, vere enim erant pauperes.*
5 *Quando duo heredes sunt instituti ab aliquo tertio, sub conditione inter se ineundi matrimonium non datur sufficiens causa ad dispensationem.*
6 *At probabilius est dari.*
7 *Hæ tamen opiniones nostrum non adversantur casum, qui est diversus.*

4 Respondeo, esse causam sufficientem. Ratio est, quia avunculus nullos habens necessarios heredes, promittens consobrinis, si inter se matrimonium inirent, erga illos se favorabilem ostensurum, spem bene fundatam illis conferebat illos faciendi divites, post suam mortem, nam licet de suis bonis libere disponere posset, alios tamen consanguineos propinquiores non habebat: ergo promissis stare poterant, voluntati avunculi servientes, ut ipse effectus ostendit: ergo hæc causa cum illorum paupertate adjuncta, ad dispensationem sufficiens est, juxta quæ diximus *supr. q.* 29. *num.* 16.

5 Nec obstat 1. quod Gutierr. *consil.* 18. *n.* 11. *in fine* apud Sanch. mox citandum, dubitat, esse veram, & sufficientem causam dispensandi in tertio gradu, institutionem heredum ab aliquo conditam sub conditione ineundi interse matrimonium; sed Petrus, & Monica ab avunculo hæredes non erant instituti, quia adhuc avunculus vitam agebat, nec de illius testamento clauso, jam condito id sciebant; sed tantum de bono affectu tenis avunculi: ergo non videtur ille affectus, nec promissio facta, sufficiens causa ad dispensationem.

6 Nec obstat 2. Sanch. *l* 8. *de matr. disp.* 19 *num.* 19. existimans, in prædicto casu à Gutierr. adducto, justam adesse causam dispensandi in tertio gradu cum illis duobus, qui heredes instituti ab aliquo fuerunt, sub conditione ineundi matrimonij inter se; quia inquit Sanch. aliud est acquirere lucrum ex celebrando matrimonio, aliud verò perdere jus acquisitum: cum verò per testatoris mortem, sit jus acquisitum ad hæreditatem; ne illud perdant; pia, & justa causa datur cum illis dispensandi: quæ non daretur, si lucrum tantum intenderent ex celebrando matrimonio, ut dixerat *num.* 18. & ex illo Tambur. *l.* 8 *de matr. tract.* 2. *cap.* 7. §. 2 *num.* 17. Sed Petrus, & Monica nullum jus perdunt, quia nullum eis jus acquisitum est, sed tantum spes favorabilis ab avunculo promissa, si matrimonium inijssent, quæ pertinet ad lucrum acquirendum.

7 Non, inquam, obstant placita Gutierr. & Sanch. quia loquuntur de casu à nostro valde diverso, nempe de fœmina competentem dotem habente; & Gutierr. dubitat, esse sufficientem causam ad matrimonij dispensationem inter consanguineos in tertio gradu habendam, esse institutos heredes alicujus, sub conditione ineundi inter se matrimonij. At Sanch. existimat eam esse sufficientem causam; ad acquirendam eam hereditatem opulentam, ad quam ex testamento habent jus acquisitum; secus dicendum, si non esset opulenta, sed parvi momenti. At in nostro casu Monica, & Petrus nec competentes, nec incompetentes habent dotes, sunt enim vere pauperes, quia tamen paupertas non est sufficiens causa ad dispensationem matrimonij ineundi inter consanguineos in tertio gradu conjunctos, sufficiens redditur, addita promissione avunculi erga illos ostensa, si matrimonium inter se inirent. Et ex effectu probata fuit promissio, & sufficiens causa; & quamvis defecisset, cum paupertate erat sufficiens, nam si illa non daretur, fœmina Monica innupta maneret.

§. III.

An ex vi dicti rescripti impetrati officialis Diæcesanus dispensationem executioni mandare possit?

SUMMARIUM.

8 *Non videtur improbabile posse, ut colligi videtur ex cap. Quia circa.*

9 *Lasso*

9 *Læsio in contractu probatur, pro eo tempore, quo contractus fuit initus.*

10 *Non valet impetratio beneficij curati, si tempore impetrationis non detur legitima ætas.*

11 *Afferuntur DD. dictam resolutionem probabilem fatentes.*

12 *S. Pontifex est, qui dispensat, existente causa, per clausulam fiat, ut petitur.*

13 *Probabile est, verificari causam dispensationis tempore executionis, quamvis non verificetur tempore commissionis.*

14 *Matrimonium ante expeditionem ab officiali Diœcesano contractum, est nullum.*

15 *Causa dispensationis verificari debet, & tempore, quo S. Pontifex dispensationem concedit, & tempore, quo officialis Diœcesanus illam exequitur.*

8 Respondeo non improbabiliter posse, licet jam tempore executionis Petrus, & Monica facti essent divites ex hereditate avunculi adita. Et hoc ostenditur ex ipso jure, authoritate DD. ipsa ratione, & solutione argumentorum. Ex ipso jure ostenditur, quia ad dispensationem sufficit, quòd causa finalis verificetur tempore, quo S. Pontifex eam concedit dispensationem: sed tempore, quo Summ. Pontifex eam concessit dispensationem, & illam ab eo impetrarunt Petrus, & Monica, erant verè pauperes, quia avunculus vitam vivebat, & ex illo solùm habebant promissionem, si inter se matrimonium inijssent, se favorabilem illis esse ostensurum: ergo dispensatio impetrata dari potest executioni, non obstante, quòd jam essent divites. Minor constat ex ipsa facti specie, Maior, in quo est maior difficultas, probatur 1. ex textu *in cap. Quia circa, de consang. & affin.* ubi habetur: si quis narret habere filiam, & habeat tempore, quo dispensatio impetratur, quamvis eam non habeat tempore, quo dispensatio executioni mandatur, veram, & non subreptitiam esse dispensationem. Sic videtur colligi *ex cit. textu*, nam glos. ibi: *Verb. Falsa nobis*, in margine sic habet: *In hoc articulo hæc videtur concluſio tenenda, quod enpressio falsæ causæ vitiet dispensationem*: Sed Petrus, & Monica non falsam, sed veram causam S. Pontifici expressérunt, quæ existebat, quando Pontifex dispensavit: ergo valida fuit dispensatio: ergo invalida reddi non poterat, per divitias ante executionem superyenientes.

9 Confirmatur, quia læsio in contractu probanda est, pro illo tempore, quo initus fuit contractus, & non pro tempore executionis, ut habetur *in l. 2. & l. si voluntate, C. de rescindend. vendit.* ergo etiam dispensatio in nostro casu probanda est pro tempore, quo à S. Pontifice fuit impetrata, & non pro illo, quo executioni mandata est.

10 Secundò probatur ex text. *in cap. si eo tempore, de rescript. in 6.* ubi decidituri, non valere impetrationem beneficij curati, si tempore impetrationis, illud impetrans, non habebat ætatem legitimam, quanvis illam tempore collationis jam haberet. Unde inquit gloss. ibi *Verb. si eo: In litteris ad beneficia impetratis inspicitur tempus datæ*: ergo etiam in litteris matrimonialibus impetratis, inspicietur tempus datæ, & non tempus executionis.

11 Authoritate DD. ostenditur; nam hâc eandem sequitur sententiam Mascard. *de probationibus concl. 1128. n. 12.* ubi sic. *Quinto concluſionem declarabis, ut tunc impetranti necesse sit probare, narrata esse vera tempore impetrationis per cap. Quia circa* &c. Idem tenet Rebuff. *in præfat. de rescript. n. 56. vers. 14.* Emman. de Sà *in utraque edit. Verb. Gratia n 9. & 10.* ubi inquit, dispensationem, causa paupertatis, concessam, validam esse, si tempore impetrationis, fœmina pauper erat, quamvis tempore executionis, & informationis factæ, sit jam dives. Idem docet Henriq. *l. 14. de irregul. cap. 17. nu. 7. in fine.* Quando paupertas non est causa finalis, sed impulsiva ad dispensationem, ibi: *Si vera erat causa impulsiva dispensationis, ob quam concessum est rescriptum, seu Breve Pontif. (ut quia tunc homo erat pauper) non vitiatur gratia, quamvis tempore informationis, & executionis deficiat ea causa, & homo factus sit dives.* Et in nostro casu paupertas respectu Petri videtur esse causa impulsiva, licet quoad Monicam finalis sit. Et hanc sententiam sua probabilitate niti, inquit Escobar. *tom. 3 l. 27, sect. 2 n. 801.* & censetur probabilis à Castr. Palao *tom. 1 tract. 3. disp. 4 punct. 15 n. 2. vers. verum probabilius*, Leand. *tom. 2. tract. 9 disp. 24 q. 57. vers. sed probabilius*, dum oppositam sententiam probabiliorem appellant, & Præpos. *in 3. part. q. 8. de dispensationibus matr. dub. 4 n 35.* dum approbans contrariam sententiam, dicit veriorem, ibi: *Respond. videri verius non valere.* ergo verum videtur, oppositū valere.

12 Ratione ostenditur, sufficere verificari causam paupertatis, quando S. Pontifex dispensat, quanvis jam non existat, quando officialis Diœcesanus eam exequitur. 1. Quia officiali Diœcesano exequutio dispensationis cōmittitur: ergo jam dabatur dispensatio à Sum. Pontifice concessa; quia eo tempore dabatur causa dispensationis.

13 2. Quia probabile est, quod verificetur causa dispensationis tempore, quo Officialis Diœcesanus dispensationem exequitur, quamvis non verificetur pro eo tempore, quo Sum. Pontifex executionem dispensationis officiali commisit Diœcesano, ut docent Garcia, *de benef. part. 6. cap. 2. n. 287. & seqq.* Conrad. *in praxi disp. l, 7. cap. 2 n. 32.* Tambor *l. 8. de matr. tract. 2. cap. 12. § 3. nu. 2.* Gobat *tom. 3 tract 9. n. 677. & 692 in fine.* & alij: ergo etiā probabile erit, sufficere quod verificetur causa, quando Summ. Pontifex dispensat, quamvis non verificetur,

quando Officialis Diæcesanus dispensationem exequitur. Antecedens probat Tambur. *Quia* inquit *Sum. Pontifex mediate dispensat, per executorem*, ergo quando executor dispensat, verificari debet causa, quia per illum S. Pontifex dispensat: & sensus illorum verborum; *si preces veritate nitantur*, est: Dispensa, si vera est hæc causa, quando dispensandum á te erit: ergo etiam, & faciliùs dicetur, verificandam esse causam, quando Pontifex dispensat, & officiali Diæcesano dispensationis executionem cõmisit; quia illa verba Pontificis, si preces, &c. Reddunt hunc sensum: *Si preces mihi propositæ veræ sunt, hoc præsenti tempore.*

14 Nec obstat, quod si matrimonium ante expeditionem officialis Diæcesani contrahatur; matrimonium erit nullum, ergo ideo est, quia non præcessit dispensatio immediata ab officiali Diæcesano ex commissione S. Pontificis. Non, inquam, hoc videtur obstare, quia ideo illud matrimonium ante executionem, seu expeditionem officialis Diæcesani est nullum, quia preces, quæ S. Pontifici fuerunt propositæ, adhuc examinatæ non fuerunt; quod erat necessarium, ut officialis nomine Pontificis dispensaret.

15 Quamvis supradicta resolutio, non videatur improbabilis, non est recedendum à communi sententia, docente causam dispensationis verificari debere tempore commissionis Pontificis, & simul tempore, quo officialis Diæcesanus dispensationem exequitur, qui est, qui nomine Pontificis immediate dispensat, ut illis dicitur litteris: *Dispenses cum Monica, & Petro, si eorum preces veritate nitantur.* Et quod utroque tempore requiratur causæ verificatio, recte colligitur tam est *cap. Quia circa quam cap. Si eo tempore* jam *cit.* Et ita in praxi habetur, & tradunt DD. cum Sanch. *l.* 8. *de matr. disp.* 30 *n.* 3. & 12. Gracia *cit. a n.* 270. Trullench *l.* 7 *de Sacram. cap.* 10. *dub.* 6. *nu* 4. Castr. Palaus *tom.* 1. *tract.* 3. *disp* 4 *punct.* 15. *n* 2. Præpos. *in* 3. *part. q.* 8 *de dispens. matr. dub* 4. *n.* 35. Galp. Hurt *de matr. disp.* 26. *diff* 3. *n.* 14. Dian *part.* 8. *tract.* 3. *resol.* 24 & 77. Leand. *tom.* 2. *tract.* 9. *disp.* 24 *q.* 57. Basil. Pontius *l* 8. *de matr. cap.* 20 *n.* 2. Tambor. *l.* 8. *de matr. tract.* 2 *cap.* 12. § 3. *nu* 6. Gobat. *tom.* 3. *tract* 9 *nu* 674 & *seqq.* Bonac. *de dispens. disp.* 1 *q.* 2. *punct.* 10. § 1. *n.* 2. Perez *de matr. disp.* 41. *sect.* 6. *nu.* 2. Escob. *supra*, & alij; Et ex hac communi sententia hæc dispensatio Romam redibit.

QUÆSTIO XXXIII.

An valida sit dispensatio, habens pro causa copulam, quæ habita non fuit, infamia tamen dabatur?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*

2 *Quando pro dispensatione allegatur causa ex qua S. Pontifex solet dispensare, valida est dispensatio, licet alia falsa allegetur.*

3 *Quando pro dispensatione allegatur vera causa, dependens tamen a falsa dispensatio est invalida.*

4 *In causis disjunctis sufficit, unam esse veram.*

5 *Copula cum sit peccatum, non movet Pontificem ad dispensandum.*

6 *Si una tantum pro dispensatione causa allegetur, & ea sit falsa, dispensatio est nulla.*

7 *In copula cum consanguineo allegata, videtur includi infamia, & id ostenditur ex affinitate allegata, in qua includitur publica honestas.*

1 PAulinus, & Elena in gradu consanguinitatis prohibito conjuncti, & etiam amore, & conversatione extra solitũ inter consanguineos; a S. Pontifice dispensationem impetrarunt, copula pro causa allegantes, quæ habita non fuit. Hæc sic mihi fuerunt proposita. Postulans tamen rescriptum; legens illud, additam fuisse infamiam inveni, si Elena consanguineo Paulino non nuberet.

RESOLUTIO.

2 Ad quæstionem propositam respondeo, dispensationem esse validam, Ratio est, quia quando pro dispensatione allegatur fæminæ infamia, si consanguineo non nubat, S. Pontifex solet dispensare, ut docent Sanch. *l.* 8. *de matr. disp.* 21. *n.* 45. Bonac. *de leg. disp.* 1. *q.* 2. *punct* 4 *nu.* 2. & alij plures, quos in nostro præsenti casu citant, & sequuntur Dian *part.* 8. *tract.* 3. *resol.* 65. & *part.* 10. *tract.* 11. *resol.* 43. Leand. *part* 2. *tract.* 9 *q.* 51. Sed in supplica pro dicta dispensatione, allegata fuit infamia Elenæ, quæ certò daretur, si Paulino non nuberet: ergo.

3 Nec obstat; quod non solùm infamia, sed etiam copula non habita fuit pro causa dispensationis allegata in primo loco: sed quando pro dispensatione allegantur duæ causæ, secunda dependens à prima, quæ est falsa dispensatio est invalida, ut tradunt Gutierr. *qq. Canon. l.* 2. *cap.* 15. *n.* 108. Cordub. *in sum. q.* 45. *opin.* 2 *punct.* 1. Rodrig. *etiam in sum. cap.* 238. *concluf.* 9 Vega *tom.* 1. *sum. cap.* 88. Sed in dict. dispensatione duæ causæ fuerunt allegatæ, nempe copula, & infamia; & hæc secunda ut dependens à prima, quæ erat falsa, quia habita non fuit: ergo dispensatio fuit invalida. Nõ, inquam, hoc obstat, quia dato, quod duplex causa sit allegata, de secunda verò constat, & ex illa solet S. Pontifex dispensare, dispensationem non vitiat, quæ primo loco allegatur, licet falsa, quia si taceretur, etiam S. Pontifex ob secundam allegatam dispensaret. Nec hæc secunda causa allegata fuit, ut dependens, sed ut disjuncta à prima, & in causis disjunctis sufficit alteram esse veram *ex textu in cap. inter*

cæteras

cæteras de rescript. licet altera sit falsa. Et dato quòd secunda causa esset ab illa dependens, & cum illa copulativa resolvitur in disjunctivam *ex textu in cap. cum jam dudum, de præbend. & dignit.* & cum infamia sit causa utilis ad eam dispensationem, per copulam falsò allegatam non vitiatur juxta Regul. *Vtile per inutile, de reg. jur. in* 6.

4 Dixi: *dato quòd duplex causa sit allegata*, nam per copulam allegatam non dicitur dari duplex causa, nam, propter copulam, sivè verè, sive falsò allegatam non movetur Pontifex ad dispensandum, nam si verè allegetur, cum sit peccatum, ad dispensandum non movet Pontificem; si verò falsò, & probatur, ac verificatur, quòd Elena infamiam passura sit, si Paulino non nubat, absque ea falsitate facilius S. Pontifex dispensabit. Addo hanc copulam à Curiali fuisse allegatam, ne, si interim daretur, dispensatio ex illius taciturnitate nulla evaderet.

5 Si tamen copula tantùm pro dispensatione allegaretur absque infamia, ut mihi propositum fuit, dispensatio esset invalida, nam unica tantùm causa, pro dispensatione exprimitur, si ea falsa sit, ut in nostro casu, dispensatio est nulla. Sic communiter DD. cum Sanch. *l.* 8. *de matr. disp.* 21. *n.* 41. Bonac. *de legib. disp.* 1. *q.* 2 *punct.* 4. *n.* 8. Amic. *tom.* 5 *disp.* 6. *sect.* 8. *n.* 140 *fol. mihi* 82. Tambor. *l.* 8. *de matr. tract.* 2. *cap.* 10. §. 3. Rodrig. Veg. & alij quos affert. & sequitur Leand. *tom.* 2. *tract.* 9 *disp.* 24. *q.* 50.

6 Nec obstat quod taciti, & expressi idē sit judicium, & maximè quando tacitum sub expressō includitur, ut ex ll. & DD. tradit Barbos *tract. de axiomat.* 218. *n.* 1. & 2. Sed quando pro dispensatione matrimonij solùm expressè allegatur pro causa copula, sub illa tacitè infamia includitur, quæ necessariò ab illa oritur: ergo allegata tantùm copula, dispensatio erit valida, non propter ipsam copulam expressam in rescripto, sed propter infamiam tacitè in ipsa copula inclusam. Consequentia ostenditur; nam ex eo, quòd publica honestas in affinitate includatur, sufficit in rescripto, seu supplica ad dispensationem mentionē facere de affinitate, quin de publica honestate fiat, ut cum Dicastill. *de matr. disp.* 8. *n.* 139. tenet Gobat. *tom.* 3 *tract.* 9. *n.* 618. ergo etiam ex eo quòd infamia includatur in copula cum consanguineo, sufficit in rescripto mentionem facere de copula, quamvis non fiat de infamia. Et si hæc vera videntur, in copula certò habita, etiam vera videntur in copula allegata, quæ tamen habita non fuit; nam ex copula præsumpta, etiam vera oritur infamia. Non, inquam, hæc obstant, nam licet probabilia videantur, à communi DD. sensu non est nobis recedendum.

QUÆSTIO XXXIV.

An copula non consummata in dispensationis petitione declaranda sit? Et utrum Episcopus matrimonium cum impedimento dirimente, & bona fide contractum, dispensare possit?

SUMMARIUM

1 *Facti species.*
2 *Ratio dubitandi.*
3 *Copula non consummata, nec ex jure, nec ex stylo in petitione dispensationis est declarāda.*
4 *Nec intentio illius copulæ erat declaranda.*
5 *Dicti patrueles sunt valide dispensati.*
6 *Episcopus dispensare potest matrimonium invalide contractum, datis aliquibus circunstantijs.*

1 FRanciscus, & Bibiana patrueles in secundo consanguinitatis gradu conjuncti, & matrimonium inter se contrahere intentarunt; dispensationem præsumentes, absque habita copula non obtenturi, illam habuerunt, non tamen consummatam. Infamiam tamen incurrentes, & periculum mortis, si inter se matrimonium non contraxissent. Quare Franciscus Romam profectus, supplicam suæ Sanctitati interposuit, veritatem narrans. S. Sanctitas de Bibiana informationem capere mandavit. Illa omnia narravit, animum tamen habitum in ea copula cum patruele tacuit. Dispensavit S. Pontifex; & matrimonium in facie Ecclesiæ celebratum est juxta Trid. adimplentibus prius pœnitentias impositas, sine pallijs, stantibus ambobus cum cereis in manibus accensis, dum missa in Parochia, die festo celebrata fuit. In hac forma conjuncti, in matrimonio per plusquam unius anni spatium vivunt; existimantes, se esse valide conjugatos, & ab omnibus illius oppidi ita habentur. Quæritur 1. An validè sint conjugati?

2 Et videtur, quod non. Quia Breve fuit subreptitium, nam Bibiana negavit copulam fuisse habitam cum Francisco suo patruele, spe faciliori dispensationis, & S. Pontifex hac motus informatione dispensavit; Et hæc, juxta Sanch. *l.* 8. *de matr. disp.* 25 *nn.* 5. & alios, sunt probabiliora contra Basil. Pont. *de matr. l.* 8. *cap.* 17. §. 6. & alios, quos affert Tamb. *l.* 8. *de matr. tract.* 2 *cap* 9 §. 8. *n.* 2 aliter sentientes. 2. Quæritur, An Episcopus, seu Nuntius in hoc matrimonio dispensare possit, quin necessarium sit, Franciscum redire Romam, quia non valet, & magnum sequeretur scandalum, si matrimonio publicè celebrato, separentur?

RESOLUTIO.

3 Ad primum quæsit. non obstante ratione dubitandi in contrarium, respondetur, esse validè conjugatos ex duplici ratione: 1. quia hi patrueles obligationem non habebant, narrandi in supplicatione copulam non consummatam inter ipsos habitam, de qua impedimentum incestus non oritur; nam hoc solùm contrahitur per copulam consummatam. Sic DD. communiter cum Sanch. *l.8. de matr. disp. 25 n.10* Tambor *cit. dict.* § 8 *nu.3.* & ab omnibus supponitur. Et hujus ratio est, quia petens dispensationem, solùm tenetur narrare ea impedimenta, quæ talia sunt ex jure, vel stylo Curiæ, ut latè cum pluribus textibus, & DD. probat Sanch. *cit. disp 21 à n.10.* At verò copula, quæ non fuit consummata, nec est impedimentum à jure, nec á stylo Curiæ, ut colligitur ex S. Card. Congr. & alijs pluribus DD. quos affert Barbos. *in remiss. ad Concil. Trid. sess.22. cap.5 de reform.* qui tantùm fatentur rescriptum nullum impetratum cum taciturnitate copulæ consummatæ, habitæ à consanguineis ante dispensationem.

4 2. Quia supposito, quòd dicti patrueles à principio non habuissent obligationem narrandi in suis precibus coitum non consummatum à se ipsis habitum, nec postea illis occurrit ea obligatio, illum manifestandi, & multo minus illius intentionem, quando præcessit examen veritatis suæ narrationis. Et ratio est, quia gratia solùm redditur nulla, quando tacetur qualitas, quam jura, vel stylus Curiæ specialiter exprimi jubent, ut latè cum pluribus text & DD docet Sanch. *supra á n.* 13 At coitus, ex qua habita non fuit copula consummata, non est qualitas, quam jura, vel stylus Curiæ exprimi jubeant, ut ex dictis constat. Nec stylus Curiæ de tali coitu, & animo curat, nisi ad facilius dispensandum.

5 Ex dictis evidenter colligitur, dictos patrueles esse validè dispensatos, & consequèter in bono, & valido matrimonio vitam agere, & absque obligatione pro aliqua dispensatione recurrendi ad Curiam, nec ad Episcopum, vel Nuntium, datis circunstantijs, de quibus *n sequenti*, & jam supra diximus *q.* 30. *n.9.* Ad rationē *dub.n.2.* patet solutio ex dictis.

6 Ad secundum quæsit. jam ex dictis constat, non esse responsum necessarium; ut tamen voluntati interrogantium satisfaciam. Dico, in casu, quo dictum matrimonium nō fuisset validum, ut quidem fuit, non teneri dictos patrueles adire, nec mittere Romam, sed Episcopus, seu Nuntius poterit pro foro conscientiæ dispensare. Et hujus ratio est, quia communiter docent DD. Episcopum posse dispensare matrimonium nulliter contractum in facie Ecclesiæ, his quatuor concurrentibus conditionibus. 1. quando matrimonium fuit publicè contractum, & impedimentum est occultum. 2. Quando matrimonium bona fide, saltem ex parte unius fuit contractum. 3. Quando separatio conjugum fieri non potest absque jactura, scandalo, aut alio gravi inconvenienti. 4. quando non datur facilis ad Pontificem aditus ob contrahentium inopiam, vel aliam ob causam. Sic colligitur *ex cap. Quia circa, de consang. & affin.* juxta sensum Sanch. *l.2. de matr. disp.* 40 *n.3.* & 20. & ex illo tradunt Basil Pont. *l.8. cap.23.* Aversa *de matr. q.* 19 *sect.* Perez *de matr. disp.* 46 *sect.6.* Castr. Palaus *tom. 5. disp. 4 punct. ult.* § 1. *n.* 8. Tambor. *l.8. de matr. tract. 2. cap.4.* § 4. *n.2* Lcand *tom. 2. tract. 9. disp. 24. q.7.* & alij plures, quos citant: sed matrimonium dictorum patruelium fuit publicè contractum, & amborum bona fide; & separatio fieri non potest sine scandalo, quia impedimentum est occultum, nec patet aditus ad Pontificem, tum ob paupertatem; tum ob periculum incontinentiæ, dum expectatur Pænitentiariæ rescriptum: ergo: Vide *dicta q.* 30. *n* 9. & *q.* 39. *n.15.* & *seqq.* ubi hæc etiam habentur.

QUÆSTIO XXXV.

An possit Episcopus dispensare in impedimento occulto, quando matrimonium contractum est utriusque contrahentis malâ fide, si detur periculum, scandalum, & impotentia adeundi Pontificem?

SUMMARIUM

1 *Facti species.*
2 *Probabile est, posse Episcopum dispensare.*
3 *Ecclesia est mater, & ejus potestas est ad ædificationem, & non ad destructionem.*
4 *Huic resolutioni videtur favere jus civile.*
5 *Concil Trident. verba, non videntur accipi in toto suo rigore.*
6 *Dicastill. existimat Concil. Trid. loqui de foro externo.*
7 *Hæc dispensatio non ex mera benignitate, sed ex obligatione concedenda est.*

1 SAbbas solutus, & Barbara conjugata convenerunt in occisione mariti ipsius Barbaræ, ut matrimonium inter se contraherent, & de facto illum occiderunt; & post aliquos menses præmissis denuntiationibus in facie Ecclesiæ, matrimonium cum mala fide contraxerunt: præsciebant enim invalidè matrimonium contrahere, existimantes tamen sic homicidium à se ipsis commissum celare, nam in populo in illos nulla dabatur si nistra suspitio. Post paucos annos de salute suarum animarum tractare cupientes, asserunt hoc impedimentum esse omnino occultum, & separari non posse, absque infamiæ periculo, scandalo, & homicidij commissi præsumptione,

ne; & sine separatione, datur periculum incontinentiæ, in eadem domo viventes, nec per breve tempus adesse possunt. Quæritur, ut supra, in quæst.

RESOLUTIO.

2 Respondeo (quamvis opinio negativa sit communissima] probabile tamen esse, & tutum in conscientia, posse Episcopum in dicto casu dispensare. Hæc resolutio DD. non est destituta. Illam enim docuerunt, citat. Henriq. Alfonsus Moscol. Episcopus Malacitanus *in summ. tract.* 10. *cap.* 29. *n.* 22. Dicastill. *tom.* 3 *de Sacram. tract.* 10 *disp.* 8. *dub.* 4 *n.* 66. Ioannes de Soria *in epilog. Summar. part.* 2. *tract.* 1. *sect.* 1, *disp.* 10. §. *Circa dispensationem*, Martin. de S. Ioseph *in monit. confess. tom.* 1. *l.* 1. *tract.* 41. *de matr. n.* 5. hi ultimi apud Dian. *part.* 11. *tract.* 8. *resol.* 3. & illam probabilem dixerunt Villalob *in sum tract.* 14 *diff.* 25. *n.* 4. & Præpositi. *in* 3 *part. q.* 8 *de dispens. matr. disp.* 2. *nu.* 12. in casu valde raro ad bonum publicum conducente, ut videre est, apud Dian. *part.* 5. *tract.* 16. *resol.* 18 *in fine*; pro illius probabilitate citatur ab Escobar *tom.* 3. *in Theol. moral. l.* 27. *sect.* 2. *dub.* 172 *n.* 682. Henriq. *l.* 12. *cap.* 3. *n.* 3. *asserens lit. X & O. Angel. Sylvest.* Tebien. Armill. Navarr. Capua, Emman Anton. Gomes, & Cuchum, Ludov Lopes, Spinum, qui de bona fide non meminerunt, ac si ipsa non desideraretur. Hãc etiam resolutionem, ut probabilem in suis manu scriptis, & disputationibus non pauci defensarunt RR. Quod P. Tambur. *l.* 8. *de matr. tract.* 2 *cap.* 4 § 4 *n.* 7. in fine desiderat sic inquiens: *An denique paterna Pontificis, ac summa benignitas concedat Episcopis dictam potestatem, etiam quando ad fuit mala fides in aliquo raro, & vere urgentissimo casu, operæ pretium esset, ut a sapientibus expenderetur.* Ex quibus verbis infero, hunc virum sapientissimum habere socios desiderasse, non audentem sine illis in hoc puncto contra communem, & communissimam sententiam, aliam docere. Cùm tamen ex dictis jam non desint DD. possumus illam adducere, & expendere.

3 Probatur igitur dicta resolutio 1. Quia si verificatis conditionibus designatis Episcopus dispensare non potest, manebunt dicti contrahentes remedio destituti. Hoc autem admitti nequit; nam Ecclesia est mater, & ejus potestas est ad ædificationem, & non ad destructionem: & sic dici nequit, suis filijs, & subditis cum remedio de futuram. Quod autem dicti contrahentes remedio dlstituti manerent, patet. Quia vel illud esset a Papa, vel ab Episcopo procurandum: a Papa esse non potest; quia si ab eo procuraretur, separari debent: at in separatione adest periculum infamiæ, cui se exponere non tenentur. Imò potest contingere, quod teneantur, se non separare, ut vitentur alia damna: at si non separentur, vitare non possunt incontinentiæ periculum, per longum tempus, quale est necessarium ad dispensationem Pontificiam procurandam, consideratâ distantiâ à civitate Romæ, & dilatione dispensationis in præsenti tempore, quo tabellaris deerant, & bellum cum Hispanis gerebatur: ergo si Episcopus remedium non adhibeat, dispensando in his terminis, & circunstantijs adeo urgentibus, contrahentes absque ullo remedio ad suum malum manebunt. Quod dici non potest.

4 Secundò probatur, quia huic resolutioni favere videtur jus civile in *l. Placuit* 8 & Gloss. ibi dicens: *quando æquitas est ex una parte, & ex altera jus scriptum regidius, præferenda est æquitas*, Cod. *de judic.* & DD. communiter apud Barbos. *in collect. ad cit. l.* Et *in l. Qui potuerunt*, & Gloss. *verb. manumissionem*, & in margine ubi dicitur: *Iure institutionis licet, quod alias non liceret, ff. de manumiss. testamento.* Ubi etiam dicitur, quod necessitas non habet legem, sed ipsa legem facit, ut etiam *in cap.* 2. *de observat. jejunij*: ergo quamvis communis DD. sententia teneat in supra dicto casu Episcopum non posse dispensare, humanior sententia *l. Pro hærede* 20. § *si quid* Glossa *verb. Humanum ff. de constit. pecun.* æquitasque, ac necessitas pro dispensatione in præsenti casu stare videntur. Vide *infra q.* 39 *n.* 18.

5 Nec obstat. 1. *Concil. Trid. sess.* 24. *de reform. matr. cap.* 5. dicens ibi: *Si quis intra gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere præsumpserit, separetur, & spe dispensationis consequendæ careat, &c.* Non, inquam, videtur obstare l. Quia hæc non sunt accipienda verba in toto suo rigore; nam si ita essent accipienda, nec S. Pontifex dispensaret: scimus tamen, quòd dispensat, est enim supra ipsum Concil. ut supponitur *in* 1. *Bullæ Cœnæ Can. Vide* Frag. *tom.* 2. *Reip. Christian. l.* 1. *disp.* 3 §. 2 *a n.* 46. Et sicut ille dispensat, quamvis cum difficultate, sic etiam poterit Episcopus, ut delegatus, dispẽsare in ijs casibus tales circunstantias habentibus, qui recursum ad S. Pontificem impediant. Nam modus loquendi Trident ijs tantùm terminis accipiendus est, quò difficile, & non quòd impossibile remedium reddant. Unde in præsenti casu solùm attendendum est, si in effectu conditiones designatæ verificẽtur, scilicet: si matrimonium est publicum, & impedimentum occultum: si separari non possunt absque infamia, periculo, aut alio gravi damno; & se non separando, si adest periculum proximum incontinentiæ; nam his verificatis conditionibus, potest Episcopus dispensare, & Capitulum Sede Vacante.

6 Nec verba Trid. contra nostram resolutionem obstare videntur; nam, ut inquit Dicastill *cit. num.* 66. Tridẽt. loquitur pro foro externo, in quo si semel constet de prædicto impedimento, præcaveri poterunt aliqua damna, & separari contrahentes. Quòd si in eo casu

sequantur

sequantur scandala, & alia incommoda, tunc non sequuntur, ex ipsa illorum separatione, & ex negatione dispensationis, & spei illius obtinendæ, sed ex ipsa authoritate, vel probatione externa delicti commissi. In quo casu maiora inconvenientia sequerentur, ex eo quod permitterentur non separari, & ex facilitate dispensandi cum illis, quam ex ipsa separatione, & negatione dispensationis. Imò hoc deserviret ad tollendum scandalum. At in nostro casu, in quo delictum est omnino occultum, & tantùm agitur pro foro conscientiæ, & verificantur dictæ conditiones, longè alia maior apparet ratio, ut diximus.

7 Nec obstat etiam 2. dicere *Concil. Trid. loco cit.* ibi: *Non enim dignus est, qui Ecclesiæ benignitatem facilè experiatur, cujus salubria præcepta temerè contempsit.* Non, inquam, obstat, quia respondetur cum Dicastill. *cit.* hoc esse intelligendum pro casu, quo ex mera benignitate concedenda esset dispensatio: pro nostro autem casu, dispensatio concedenda est, non ex mera benignitate, sed ex obligatione, quam habet superior providendi bono animarum, & avertendi, præcavendique peccata subditorum, & scandala. Quæ omnia in præsenti casu, præcaveri non possunt, nisi dispensatio concedatur, & matrimonium legitimè contrahatur.

QUÆSTIO XXXVI.

An valida sit dispensatio, quando in supplicâ facta fuit mentio de simplici consanguinitatis gradu, cum esset duplicatus?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Valida non est dispensatio*; nec in simplici includitur duplex.
3 *Ex copula habita cum duabus sororibus, oritur duplex affinitas, necessario in supplica declaranda, ut cum tertia sorore matrimonium contrahatur.*
4 *Duplex committens homicidium, duplicem contrahit irregularitatem, necessario declarandam in supplica ad dispensationem irregularitatis*
5 *Probabile videtur ex DD. validam esse dispensationem, in cujus supplica mentio tantum fit de simplici gradu, cum sit duplex.*
6 *Bona fides non excusat impetrantes.*

1 BOnifacius duxit uxorem sororem Ubaldi, & Ubaldus sororem Bonifacij horum pronepotes, scilicet Nereus, & Domicilla in tertio duplicato gradu consanguinitatis conjuncti, bona fide S. Pontifici pro tertio simplici supplicarunt, & dispensationem obtinuerunt. Quæritur 1. An valida fuerit dispensatio? 2. An dicta consanguinitas ab eodem, aut diversis oriatur stipitibus?

§. I.

An sit valida dicta dispensatio?

2 Respondeo, non esse validam. Ita Rota *in novissim. decis. volum.* 3. *l.* 1. *decis.* 117. *nu* 2. & *l.* 2. *decis.* 70. Molin. *tom.* 1. *de just. tract.* 2. *disp.* 191. *vers. Illud tamen*, Sanch. *l.* 8. *de matr. disp.* 24. *n.* 5. Basil. *l.* 8 *cap.* 17. §. 5 *n.* 25. Ægid. *disp.* 33 *dub.* 6. *n.* 4 Hurt. *disp.* 26. *diff.* 6 *n.* 28. Ochag. *tr.* 4. *de matr. q.* 10. *n.* 4. Villal. *tract.* 14. *diff.* 27. *nu.* 1. Bonac. *de leg. disp.* 1. *q.* 2 *punct.* 3 *n.* 3. Dian. *part.* 8. *tract.* 3 *resol.* 70. Leand. *part.* 2. *tract* 9. *disp.* 24. *q.* 37. Escob. *tom.* 3 *Theol. moral. l* 27. *sect.* 2. *dub.* 192. *n.* 749. Tambur. *de Sacram. l.* 8 *tract* 2. *cap.* 9. §. 6 *n.* 1. Dicastill. *tom.* 3. *disp* 8. *dubit* 8. *n.* 142 Perez *de matr. disp.* 46 *sect.* 4. Gobat. *tom.* 3. *tract* 9. *n.* 619. Probatur primò: quia mixtum, quale est consanguinitas, duplicem gradum includens, non comprehenditur in simplici in odiosis, nec in materia stricte interpretanda, ut pluribus relatis tenet Barbos. *tract. de Axiomat.* 152. *n.* 11. sed dispensatio est stricti juris, strictèque est interpretanda, & odiosa, ut docet Sanch. *proximè* & allatis plurimis Barbos. *de Off. & potest. Episc. part.* 2. *alleg.* 33. *à n.* 7. & *tr. de appell* 89. *n* 3 ergo invalida est, cum in simplici gradu duplex non comprehendatur.

3 Secundò probatur, quia ex copula habita cum duabus sororibus illius, quæ in matrimonium est ducenda, oritur duplex affinitas, necessariò in supplica exprimenda, quia datur diversi feminis commixtio: sed quando consanguinitas oritur ex duplici stipite, & nõ ab eodem datur diversi sanguinis commixtio: ergo necessario ea duplicitas, in supplica erat declaranda.

4 Tertiò probatur: Qui commisit duo homicidia per duas actiones non tolùm physicè, sed etiam moraliter diversas, duas numero incurrit irregularitates diversas, necessariò explicandas in supplica, ad dispensationem. Vide DD. quos refert Leand. *tom.* 5. *tract.* 2. *disp.* 27. *q.* 41. ergo etiam qui vult ducere consanguineam, in supplica necessariò debet duas consanguinitates physicè, & moraliter diversas exprimere.

5 Fateor, me inclinasse ad consulendam oppositam sententiam asserentem, validam esse dispensationem, in cujus supplica allegatur tertius gradus simplex consanguinitatis, cum sit duplex; quia illam docuerunt Texeda *tom.* 2. *Theol. moralis l.* 4. *dub.* 2. *n.* 58. quem refert, & videtur sequi Dian. *part.* 8 *tract.* 3. *resol.* 60. Henriq. *l.* 12. *cap.* 10. & *in marg. litt. N.* inquit, sic tenere aliquos viros doctos, quos cõsuluit. Pro eâdem sententia citari possunt. Petr. Ledesm. *in sum. ubi de matr. cap.* 27. *post concluf.* 6. *diff.* 2. Rodrig. *tom.* 1. *sum.* 2. *edit. cap.* 238 *n.* 1. *in fine* Vega 2. *tom. sum. cap.* 34. *casu.* 98 *fine*, Ludov. de S. Ioanne *q.* 7. *de matr. art.* 3. *dub.* 1.

Dixi

Dixi hos DD. pro hac sententia citari posse, quia licet loquantur de affinitate, idem etiam de consanguinitate affirmarent, ut ait Sanch. *l.8.de matr. disp.24.n.4.in fine & nu 5. in fine* argues, & meritò Petr Ledesm. quia oppositũ sentit de consanguinitate. Et eandem sententiam Henriq probabilem dicere videntur Filliuc. *tract.10 part.2. cap. 10 num.327.* Leand *tract.9.cit.disp. 24 q. 27.* Escobar *tom.3.l. 27 sect 2.dub.1.n. 749.* dum oppositam dicunt probabiliorem; & quia dispensandi erant pauperes agricolæ, & necessariò in reditione ad Curiam Romanam, aliquæ de novo debebant fieri expensæ, & non parva intermittenda erat mora cum periculo suarum animarum, quia hoc tempore bellum inter hoc Regnum, & Castellam gerebatur, & non per tabellarios, sed per aliquam navim rescriptum erat obtinendum. In re tamen tanti momenti, & contra praxim eam consulere, ausus non fui.

6 Nec vim inferebat, quòd hi supplicantes bona fide supplicarunt S. Pontificem pro tertio simplici gradu consanguinitatis; nam bona fides, & ignorantia non exprimendi gradum duplicatum, illos non excusat. Ut habetur apud Gobat *tom.3 tract.9 n. 619.* & colligitur ex communi DD. doctrina. Videatur Sanch. *dict.l 8 de matr. disp.21.a num 41* & *in sum.l 4.cap 47.n 17.* Tambur. *l.8 de matr.tract. 2.cap.10.§.3.n.3* Vide *supra q.30 n.4.*

§. II.

An dicta consanguinitas ab eodem, aut diversis oriatur stipitibus?

SUMMARIUM.

7 *Dubitatur an detur duplex, aut simplex sanguinis conjunctio.*

8 *Datur duplex sanguinis conjunctio ex diversis stipitibus.*

7 In computatione hujus tertij gradus duplicati dissentio erat inter ipsum Officialem Diæcesanum, illius scribam, & alios: nam idem tertius gradus jam illis simplex, jam duplicatus videbatur, eo quod inter impetrantium parentes nulla sanguinis mixtio considerabatur. Et agricolæ avos & proavos ita confusè referebant, ut maiorem confusionem parerent. Ad me recurrentes, ut examinarentur, quæsivit Dominus Officialis Diæcesanus, an in his impetrantibus daretur ex diversis stipitibus unica, aut duplex sanguinis conjunctio, ut dissentio dilueretur?

8 Respondi, agricolis auditis, conjunctionem esse duplicem: nam Bonifacius proavus Nerei impetrantis duxit uxorem, sororem Ubaldi; & data est una sanguinis conjunctio; Ubaldus vero proavus Domitillæ impetrantis duxit uxorem sororem Bonifacij; & data est alia sanguinis conjunctio. Hæc duplex sanguinis conjunctio habita fuit in filijs, & nepotibus, ac pronepotibus, Bonifacij, & Ubaldi, qui pronepotes sunt Nereus, & Domitilla, duplici tertio consanguinitatis gradu in linea transversali æquali conjuncti; quia tot gradibus à communibus stipitibus distabant, nempe à proavis, demptis ipsis stipitibus. Ex hac duplicis sanguinis conjunctione, sequitur etiam dari duplicem stipitem communem: quoties enim illa datur, hîc etiam invenitur, & vice versa stipes enim ex una parte communis impetrantium est Bonifacius, & ex altera Ubaldus proavi Nerei, & Domitillæ. Ex hac explicatione rectè percipitur, dictos impetrantes Nereum, & Domitillam ex duplici communi stipite Bonifacij, & Ubaldi, esse consanguineos in tertio gradu duplici, seu duplicato. Et hæc graduum duplicitas in supplica exprimi debebat, ne dispensatio juxta praxim, & communem DD. sententiam subreptitia evaderet.

QUÆSTIO XXXVII.

An duplex dispensatio cum duplici errore obtenta, sit subreptitia?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*

2 *Qualitates matrimonio extrinsecæ in petitione dispensationis non sunt exprimendæ.*

3 *In dispensationibus Affinitatis, non fit mentio in Pœnitentiaria de vita, aut morte illius, cum qua incestus fuit commissus.*

4 *Expressio falsi dispensationem vitiat, si ea non expressa, Princeps gratiam non esset concessurus.*

5 *Stylus Curiæ eam mortem exprimere non præcipit.*

6 *S. Pontifex ex causa allegata vera dispensationem concessit.*

7 *Quando constat falsitatem allegatam non ab Oratoribus, nec a bancario fuisse expressam, Officialis Diœcesanus potest dispensare.*

8 *Datâ injustitiâ in concedenda dispensatione ad Ordinarium pertinet illius examen.*

1 ELeutherius conjugatus copulam habuit cum Maria, & Antonia sororibus patruelibus, Lusitanè, *primas irmãs.* Habita cum Antonia est publica; habita verò cum Maria est occulta, & cum promissione matrimonij acceptata, contrahendi illud, post suæ uxoris mortem. Ad hanc Mariam ducendam S. Pontifici duplex supplica facta est, una per Datariam, & per Pœnitentiariam altera. In supplicatione ad Datariam precabatur pro dispensatione affinitatis cum dicta Maria, contracta ex copula publica, cum illius sorore patrueli Antonia habita, & dicebatur

batur in eo libello supplici Antoniam jam esse defunctam, cùm non esset. In supplicatione autem ad Pœnitentiariam precabatur, pro dispensatione criminis occulti, ex copula scilicet, & fide ad invicem data contrahendi matrimonium post mortem uxoris Eleutherij, quæ vere jam erat defuncta. Utraque dispensatio, ut fuit supplicatum, impetrata fuit: pervenit tamen prior per Datariam impetrata ad manus bancarij, & culpa ipsius, in facie Ecclesiæ matrimonium fuit contractum, asserentis id fieri posse. Paucis post diebus advenit Pœnitentiariæ rescriptum, non referens, aliud fuisse obtentum per Datariam; quod forte è memoria solicitatori exciderat. Supposita hac facti vera specie. Quæritur 1. An expressio falsæ Mortis Antoniæ rescriptum vitiet à Dataria obtentum? 2. An rescriptum à Pœnitentiaria impetratum sit subreptitium, mentione non facta de alia impedimenti dispensatione, in Dataria impetrata? 3 An non obtenta prius dispensatione ex gratia in Pœnitentiaria concessa, validum fuisset matrimonium in facie Ecclesiæ celebratum? 4. An dispensare possit Episcopus, ut validum illud reddatur matrimonium. 5. Quando se gerere debeat confessarius in hac, & simili dispensatione expedienda?

§. I.

An expressio falsæ mortis Antoniæ rescriptũ vitiet à Dataria obtentum?

2 Respondeo, non vitiare; licèt ad facilius impetrandam dispensationem, fuisset adhibita à solicitatore Romano. Ostenditur 1. quia qualitates matrimonio extrinsecæ, ex obligatione in supplica non sunt exprimendæ, ut inquit Tambur. *l. 8. de matr. tract. 2. cap. 9 §. 5. num 2.* ex Sanch. *l 4 decal. cap. 47. à num. 13.* quia illarum notitia, vel ignorantia dispensationi non nocent; sed mors Antoniæ est ad dispensationem matrimonij qualitas extrinseca, ergo quamvis falsò fuisset expressa à solicitatore Romano in libello supplicationis, dispensationis validitati non nocebat.

3 Confirmatur ex formis concessis in dispensationibus pro contrahendis matrimonijs cum impedimento affinitatis, per viam Pœnitentiariæ, ubi nulla fit mentio de vita, aut more illius, cum qua incestus fuit commissus ut videre est apud Marc. Paul. Leon. *in praxi Pœnit. fol. 119 & fol. 224.* ergo etiam in Dataria, ea mentio non erit necessaria.

4 Secundò ostenditur; quia tunc falsi expressio vitiat dispensationem; quando Princeps ea falsitate non expressa, gratiam minimè concessisset; ut docent Sanch. *l. 8. de matr. disp. 21. num. 31. & 32* Soar. *tom. 1. de Relig. l. 6. de voto, cap. 27. num. 12,* & alij plures: sed non expressa morte Antoniæ, adhuc S. Pontifex supplicantibus gratiam concederet: ergo dispensatio fuit valida.

5 Tertiò, quia nec jus, nec stylus Curiæ exprimere præcipiunt mortem, aut vitam illius cum qua habita fuit copula, in petitione pro affinitatis dispensatione, ut videre est apud Sanch. *l. 8. disp. 24.* ubi de necessitate exprimendorum in hac petitione tractat. Videatur etiam Filliuc. *tract. 10. part. 2. cap. 10. num. 351. vers. Primo arg.*

6 Quartò: quia licet demus, non expressa ea falsitate, S. Pontificem non tam facile eam concederet dispensationem; ex illa tamen eam non concessit, sed ex causa allegata ad ducendam Mariam, quæ tamen erat vera, & sufficiens ad dispensationem obtinendam? At quando duæ, aut plures causæ in petitione dispensationis narrantur, licèt altera, seu plures, quæ de jure non sunt necessariæ, falsò exprimuntur; sufficit, alteram esse veram, & ex qua solet S. Pontifex dispensare. Sic colligitur ex Sanch. *l. 8. de matr. disp. 21. à num. 42. & 45.* & alijs, quos refert, & sequitur Leandr. *tom. 2. tract. 9 disp. 24 q. 51.* Causa autem in eo rescripto erat Mariæ infamia, & quòd innupta remaneret, si Eleutherio non nuberet, & scandala, quæ inde sequerentur. Dato tamen, & non concesso, quod S. Pontifex ex ea falsitate mortis expressa, motus fuisset ad facilius dispensationem concedendam, adhuc dispensatio erat valida, quia ut impulsiva, & non ut finalis Pontificem movebat. Sic Sanch *proximè n. 32.* & *l. 4 decal cap 47. à num. 11.* Soar. *supra* Layman. *l. 1 tract. 4 cap. 23. num 22.* Tambor. *l. 8 matr. tract 2. cap. 28. num. 4.* & alij Vide etiam Leand *proximè q. 25.*

7 Quintò, quia expressio dictæ falsitatis, nec per Oratores, nec per bancarium Lusitanum commissa fuit, sed aut per solicitatorem Romanum, aut per rescripti scriptorem, quod ipsi Oratores ex ipsis informationibus, & Bancario probare possiunt. Et data hac probatione, potest officialis Diœcesanus dispensare; nam mens Pontificis fuit cum illis dispensare, *cap. susceptum, de rescript. in 6.* Ubi dicitur verba rescripti, non esse ad alium casum extendenda, ibi: *Nisi de intentione mandantis* [idest S. Pontificis *aliud apparere expresse*: Sed de mente Pontificis aliud non apparet, nisi, quòd voluit cum oratoribus dispensare. Sic in difficiliori casu, nempe in appositione hujus erroris tertij gradus consanguinitatis, quando opponi debebat affinitatis tertius gradus, existimat Laym. *l. 1. Theol. moral. tract. 4. cap. 22. nu. 27.* & ex illo Gobat *tom. 3. tract 9. n. 639* alios citans, contra alios graves DD. quos refert, & sequitur Tambur. *l. 8. de matr. tract. 2. capit. 12. § 3, n. 12.*

8 Nec obstat, quòd copula habita cum Antonia, erat publica, & si in libello non diceretur esse defunctam, dispensatio non concederetur Eleutherio ad ducendam Mariam

suam

suam sororem patruelem, quæ tantum publicè erat infamata, & rectus justitiæ ordo postulabat, quòd maius damnum repararetur, quod tunc Antonia patiebatur: ergo si in libello supplici non diceretur, quod Antonia jam esset defuncta, Summ. Pontifex eam non concederet dispensationem Eleutherio, & Mariæ. Non, inquam, hoc obstat quia jam ex supradictis constat, eam mortis expressionem matrimonio contrahendo esse extrinsecam, & validitati matrimonij non officere; nam Summ. Pontifex ex causa illi assignata ad dispensationem concedendam movetur; & non ex injustitia alicui illata ad illam negandam, quæ forte non dabatur; & si ea data esset, ad ordinarium pertinebat illud matrimonium impedire, partibus auditis. Hæc resolutio data fuit cum ignorantia impedimenti Criminis, & ante adventum dispensationis illius, per viam Pænitentiariæ.

§. II.

An rescriptum á Pænitentiaria impetratum sit subreptitium, nulla facta mentione in libello supplicationis, de alia dispensatione impedimenti in Dataria obtenta?

SUMMARIUM.

9 *Probabile est, non esse subreptitium ex rationibus.*

10 *Probabile ex authoritate DD.*

11 *Contraria sententia est probabilior; at non tollit probabilitatem propositæ, & ut talis consuli potest.*

12 *Stylus Curiæ non facit legem: Et stat pro utraque opinione.*

13 *Quamvis eadem causa pro utraque dispensatione in Dataria, & Pænitentiaria allegetur, non tollit, quòd in utroque tribunali sit valida.*

9 Respondeo, probabile esse, non fuisse subreptitium. Ratio est, quia nullum datur jus, quod præcipiat narrare in petitione ad Pænitentiariam, impedimentum, quod jam in Dataria fuit dispensatum 2. quia ligatus duabus excommunicationibus potest valide ab una absolvi, quin ab altera absolvatur. Ut docet Castr. Palaus *tom.* 1. *tract.* 3. *disp.* 6. *punct.* 16. § 4 *numer.* 16 & alij plures, quos refero *in Expos. Bull. disp.* 17. *à numer.* 129. 3. Quia duas habens irregularitates ab una potest dispensari, & non ab altera. Ut docet Soar. *l.* 6. *de leg. capit.* 24. *circa finem.* Castr. Palaus *proximè*, & *alij*, ergo etiam poterit Eleutherius, & Maria dispensari à Pænitentiaria in impedimento Criminis occulti, nulla facta mentione de dispensatione affinitatis in Dataria obtenta.

10 Et ita sustinent loquentes de nostro casu expresse ad matrimonium pertinente Navarr. *l.* 2. *consil. cons.* 1. *de const. quæst.* 19. *per totam* Graff. 1 *part. decis. l.* 2. *capitul.* 81. *numer.* 13. Perez *de matrim. disp.* 46 *sect.* 4. *numer.* 6. & Dicastill. *tom.* 3. *de Sacram. tract.* 10. *disp.* 8 *numer.* 149. Pro hoc etiam citari possunt omnes negantes necessario debere in una, eademque petitione omnia simul impedimenta exponi, sed satis esse unum in una petitione, & aliud in alia dispensandum explicari: utraque enim ex stylo Curiæ valida reputatur. Ita Navarr. *l.* 4. *consil. titul. de Sponsalib. consil* 2. *num.* 1. Henriq. *l.* 12. *capitul* 3. *numer.* 8. & *in Gloss. lit. N* Sa *verb. Dispensatio numer.* 16. Petr. Ledesm. *de matrim. quæst.* 59. *art. ultim. dub.* 2. *diff* 3. *post* 3. *conclus.* Rodrig. *tom.* 1. *Sum. cap.* 238. *numer.* 5. Vega *tom.* 1. *Sum. capitul.* 34. *casu* 97. omnes loquentes de duplici impedimento, altero dirimente, & impediente altero matrimonium. Et de duplici dirimente, Navarr. *l.* 4 *consil. titul. de consanguin. consil* 4. *numer.* 2. Henriq. *proximè*, Sa, & Rodr. *ll. cit.* & probabilem dicunt Sanch. Dicastill. Leand. & alij *citandi.*

11 Fateor oppositam sententiam asserentem, rescriptum à Pænitentiaria obtentum, nullá factâ mentione in libello supplicationis de alia dispensatione in Dataria impetrata, esse subreptitium, probabiliorem esse Illam sequuntur relatis pluribus Sanch. *l.* 8. *de mat. disp.* 23 *num.* 7. Basil. Pontius *ibidem l.* 8. *cap.* 17. *num.* 23. Castr. Palaus *tom.* 1. *tract.* 3. *disp.* 6. *punct* 16. §. 4. *num.* 15. Tambur. *l.* 8. *de matr. tract.* 2. *cap.* 9 § 3. *num* 10. citans Aversa. Marc. Paulus Leon. *in praxi Pænitentiariæ part.* 2. *fol.* 267. *Vers. Præterea, & alij*, & probabile inquit Dicastill. *tom* 3. *de Sacram. tract.* 10. *disp.* 8. *num.* 148. si causa dispensationis in uno, & altero casu sit diversa. Et pro hac sententia afferri possunt omnes defendentes in eadem petitione omnia impedimenta debere referri, ut omnia simul dispensentur, quos affert, & sequitur Leand. *tom* 2 *tract* 9 *de matr. disp.* 24. *q.* 35. At quamvis dicta sententia sit probabilior; negari nequit, traditam *num. præcedent.* esse probabilem [quidquid in contrarium dicat Dian. 1. *part. tract.* 10. *resol.* 39 & *part.* 10. *tract.* 11. *resol* 44. *in fine*] nam graves DD. illam sequuntur, ut vidimus, & plures oppositam docentes, illam fatentur probabilem, ut Sanch. *cit. num.* 1. Dicastill. *cit.* cum Perez *nu.* 149. Leand. *proximè* & alij; quod sufficit ad illam consulendam post factum.

12 Nec obstat 1. Stylus Curiæ statuens, quòd in petitione ad Pænitentiariam fiat mentio de dispensatione in Dataria obtenta, vel obtinenda; nam supra sæpius dicimus cum stylum non facere legem cum aliquibus Doctoribus vide *supra q.* 38. *n.* 3. & alij plures videri possunt apud Leãd. *cit. dict. tract.* 9. *disp.* 24. *q.* 48

Quam admittunt DD. qui opinionem *num.* 10 *adductam* sequuntur, & omnes, qui illam dicunt probabilem. Adde; Navarr. *cit. in consil. de Sponsal.* asserere pro utraque sententia stare stylum Curiæ.

3 Nec obstat 2. Quòd in ea duplici dispensatione in Dataria, & Pœnitentiaria impetrata, eadem causa fuit allegata pro eo duplici impedimento; nam in Pœnitentiaria allegata fuit causa infamiæ, & quod fœmina Maria maneret innupta, & eadem causa in Dataria pro alio impedimento publico fuit allegata; & quando eadem causa in utroque foro allegatur, non facta mentione in petitione ad Pœnitentiarium de dispensatione jam obtenta in Dataria, talis, & talis impedimenti, videtur hæc dispensatio subreptitia, data, & concessa opinione *numer.* 10. *tradita*, ut bene colligitur ex dictis à Dicastill. *cit.* & expressius *in fine d. numer.* 49. ergo. Non, inquam, hoc obstat; quia licet juxta Dicastill. ea dispensatio in Pœnitentiaria obtenta videatur, esse subreptitia, talis non est, nec videtur, juxta Doctores; qui eam sententiam sequuntur; nec juxta illos, qui eam fatentur probabilem, qui omnes de necessitate allegandi duplicem causam diversam non meminerunt. Et Sanch; qui hanc sententiam censuit probabilem *dict. numer.* 1. *in fine*, illam non limitat, quando una, & eadem causa in diversis dispensationibus allegatur, sed in eo tantum casu quando tot in eadem persona concurrunt impedimenta, ut juste possit credi Pontificem non dispensaturum, ex causis sibi propositis, si tot impedimenta concurrere possint. Quod in nostro casu non datur, in quo tantùm duo dantur impedimenta, unum publicum, & alterum occultum, ad duplex tribunal pertinens.

§. III.

An matrimonium in facie Ecclesiæ celebratum ab Eleutherio, & Maria, sit validum, non expeditâ dispensatione, per viam Pœnitentiariæ impetrata?

SUMMARIUM.

14 *Non fuit validum. Nec bona fides illud reddere poterat validum.*

14 Respondeo, non fuisse validum; nec bona fides, qua illud contraxerunt Eleutherius, & Maria ex attestatione bancarij illud validum reddere poterat. Ratio est, quia licet bona fides à culpa excusset, & sic non peccarunt, illa durante, in usu illius matrimonij; non tamen de invalido validum actum facere poterat. Prima pars est certa. Secunda ostenditur, quia bona fides impedire non potest vim dirimendi matrimonium, quam leges non per modum pœnæ, sed irritantes inducunt: sed leges *in capitul.* 1. *capit. Veniens, de eo, qui duxit, &c.* impedimentum dirimens inducunt, in adulterantibus cum promissione futuri matrimonij, quod datur in præsenti: ergo nisi legis dispensatio accedat, bona fides actum matrimonij invalidi, validum facere nequit. Sic Less. *in* 3. *part. de Sacrament. matrim. capitul.* 7. *dub.* 1. *numer.* 130. Cornejo *in* 3. *part. tom.* 2. *tract.* 6. *de impediment. matrim. disp.* 3. *dub.* 3. *numer.* 2. Serra *in* 2. *part. D. Thom. tom.* 2. *q.* 96. *art.* 4. *ad* 3. & alij, quos cõmuniter refert, & sequitur Dian *part.* 10 *tract.* 13 *resol.* 51.

§. IV.

An Episcopus possit dispensare, præsente Nuntio, ut validum reddatur matrimonium invalide contractum?

SUMMARIUM.

15 *Episcopus potest dispensare quatuor concurrentibus circunstantijs.*

16 *Occultum dicitur illud, de quo publicè non constat, nec facile constare potest, quamvis de illo secreto sciant tres, aut quatuor personæ.*

17 *Scandalum in separatione tunc datur, quando in separatione datur periculum infamiæ.*

18 *Data mala fide ex parte unius, & ex illa omissis denuntiationibus, adhuc Episcopus potest dispensare. Et probabile est etiam si detur mala fides ex parte utriusque.*

19 *Et potest etiam cum divitibus, si detur inconveniens in dilatione dispensationis.*

20 *Datis ijsdem circunstantijs, potest dispensare Legatus a latere, aut Nuntius Apostolicus.*

21 *Probabilius est non posse Episcopum dispensare, quando Nuntius privilegium habet ad dispensandum.*

22 *Probabile est oppositum.*

15 Quòd possit Episcopus dispensare, ut validum reddatur dictum matrimonium in facie Ecclesiæ nulliter contractum, concurrentibus his quatuor circunstantijs; 1 Quando matrimonium publicè fuit contractum, & impedimentum est occultum; 2. Quando datur scandalum in separatione; 3 Quando matrimonium bonâ fide fuit contractum 4 Quando non datur aditus ad Pontificem, nec ad alium privilegium dispensandi habentem, ob contrahentium inopiam, vel aliam ob causam; & licet detur aditus, dispensatio differri nequit ob periculum incontinentiæ, aut alterius damni sequuturi; dictum est *supra quæst.* 30. *nu.* 9. & *q.* 34 *n.* 6. cum pluribus DD & præter ibi citatos, id verum existimant Dicastill.

tom. 3 *de Sacram. tract.* 10 *disp.* 8. *dubit.* 4. *num.* 53 Gobat. *tom.* 3. *tract.* 9. *num.* 576. Escob *tom.* 3. *l.* 27 *sect.* 2. *dub.* 171 *num.* 683 Fr. Martin. de Torrecill *in Exam. & potest. Episcop. tract.* 1. *q.* 4. *sect.* 2. *diff.* 3. *& seqq.* Stephanus à S. Paulo *tract.* 5. *Theol. moral. disp.* 8. *dub.* 12. Mathias Corona *de dign. Episc. pag.* 273. & practicatur in omnibus hujus Regni Diœcesibus. Quia tamen *citatis locis* de ijs quatuor circunstantijs nihil dictum est, ut perfectè intelligantur, aliqua, circa illas, sunt advertenda.

16 Circa primam, advertendum est: tunc dici impedimentum occultum, quando de illo publicè non constat, nec facile constare potest; nec datur periculum, quod in foro externo detegatur, quamvis illud secreto sciant tres, aut quatuor personæ sic Sanch. *l.* 2 *de matrim. disp.* 40. *numer.* 11. Basil. Pont *l* 8 *de matr. cap.* 13. Gobat. *loco cit.* & alij apud Dian. *part.* 7. *tract.* 2. *resol.* 15. *&* 16. & *part.* 8. *tract* 3 *resol.* 110.

17 Circa secundam, advertendum, scandalum in separatione tunc dari, quando periculum datur infamiæ, si fœmina, quæ contraxit cum marito affinitatem, ab illo separetur; aut alij in suspicionem alterius impedimenti venire possint; aut quid simile, quod in alicujus infamiam redundet.

18 Circa tertiam, advertendum, data mala fide, & ex illa temere, & malitiosè, omissis denuntiationibus, matrimonium contrahentes, ab Episcopo dispensari nequeunt, ut constat ex *Concil. Tridentin sess.* 24. *capitul.* 5. *de reform. matrim.* ibi: *Non enim dignus est, qui Ecclesiæ benignitatem facile experiatur, cujus salubria præcepta temere contempsit.* Sic advertunt Sanch. quem affert, & sequitur Castr. Palaus *tom.* 5 *de Sponsal. disp.* 4 *punct. ultim.* § 1. *numer.* 8 Basil. Pont. *cit. dict. cap.* 13. *num.* 4 Conveniunt tamen Doctores contra Garciam *de benef part.* 11. *capitul.* 5. *à numer.* 343. & alios, non multos, si detur bona fides in ea celebratione matrimonij, saltem unius, posse Episcopum dispensare. Sic Sanch. Basilius Pont Castr. Palaus, & alij communiter, quos affert & sequitur Leandr. *dict.* 2. *tom. tract.* 9 *de matrim. disp.* 24 *quæst.* 7. At quamvis hæc sit communissima sententia, *supra quæst.* 35 cum aliquibus magni nominis Auctoribus probabile judicavimus, Episcopum etiam datâ malâ fide utriusque contrahentis, posse dispensare. Et ultra Doctores ibi citat. idem videtur tenere Gobat cit. *dict. tract.* 9. *numer.* 579. dum referens hanc sententiam, excipit eos, qui contraxerunt gradibus prohibitis, aut non præmissis denuntiationibus; ex quibus verbis rectius citandus pro communissima sententia Attamen id videtur approbare Machad. *tom.* 2. *l.* 4. *part.* 6 *tract.* 16. *docum.* 11. *numer.* 5. Vide tamen *cit. q.* 35. ubi ad verba Trid invenies explicationem.

19 Circa quartam, advertendum, etiam cum divitibus posse Episcopum dispensare. Ratio: quia in illis possunt dari alia inconvenientia, quæ tunc sequerentur, si dispensatio differatur. Sic contra Dicium Sach. *cit. disp.* 40. *nam.* 5 Basil. Pont. *dict. cap.* 13. *n* 3. *& alij* apud Gobat. *cit. n.* 578 *in fine.*

20 Adverte etiam, præmissâ necessitate urgente, posse pro dispensatione recurri ad Legatum à latere, aut Nuntium; quia in sua Provincia eandem habent potestatem, quam Episcopus in sua Diœcesi; non tamen maiorem, ut cum Ægid. Coninch. & Henriq. notavit Dicastill. *tom.* 3 *de Sacram tract.* 10. *disp.* 8. *dub.* 4. *n* 58. tenet etiam Filliuc *tract.* 10. *cap.* 10. *num.* 302.

21 An verò, ea data urgente necessitate, possit Episcopus dispensare, quando facilis datur recursus ad Nuntium habentem à S. Pontifice privilegium ad dispensandum in ea? Probabilius negant Sanch *proximè num* 8. Basil. *num.* 5. Dian. *part.* 8. *tract* 3. *resol* 78 *in fine*, Barbos. *de potest. Episc. alleg.* 35 *numer.* 3. & 10. Leand. *tom.* 2. *tract.* 9 *disp.* 24 *q.* 7. Gobat. *tom.* 3 *tract* 9. *n* 581. Cum Tambur & Perez Dicastill *cit. num* 61. & alij: ex ea ratione, quia cessat Pontificis reservatio, quando datur aliquis, qui data ea urgente necessitate dispensat.

22 Probabilis tamen est affirmativa sententia, ex ea ratione, quia non censetur, Pontificem eum reservare casum, quando ea datur urgens necessitas; & cessante reservatione potest Episcopus dispensare: per accidens enim est, quod detur in ea occasione, privilegium habens ad dispensandum. Ità Henriq. *l* 12 *cap.* 3. *numer.* 1. *litt. H.* Dicastill. *proximè num.* 59 Torrecill. *in Exam. Episcop. tract.* 1. *q.* 4 *sect* 2. *dif.* 6 *numer.* 63. Quamvis addat, se consilium dare, quod recurratur ad Nuntium ad maiorem securitatem.

23 Ex hactenus dictis sequitur, posse Episcopum dispensare cum Eleuterio, & Maria, quia bonâ fide invalidè in facie Ecclesiæ matrimonium contraxerunt, non expeditâ dispensatione à Pœnitentiaria obtentâ; & ad maiorem securitatem; quia juxta communem sententiam, ea dispensatio fuit subreptitia, mentione non factâ, de alia in Dataria impetrata.

§. V.

Quando se gerere debeat Parochus, vel confessarius in hac, vel simili dispensatione expedienda?

SUMMARIUM.

24 *Comperto impedimento à Confessario, debet adire Episcopum, vel Nuntium ex charitate graviter non obligante, pro remedio*

dio, seu dispensatione.

25 *Nec recursus per litteras, adversatur doctrinæ absolutionis reservatæ excommunicationis Pontifici, & reservatorum Prælatis.*

26 *Commissarius Lusitanus adeundus non est, pro dispensatione affinitatis, quando illa contractum est matrimonium.*

27 *Habita ab Episcopo facultate dispensandi, quam diligens se debet confessarius gerere.*

28 *Quando dispensationes Pœnitentiariæ expediuntur, confessio Sacramentalis præcedere debet.*

29 *Si tamen ab Episcopo committantur, nisi ipse confessionem præscribat, necessariò non debet præcedere; sed ex æquitate.*

30 *Confessarius audit a Sacramentali confessione, & absoluto peccato propter quod matrimonium fuit nullum, & injuncta pœnitentia pœnitentem admoneat, ut mulierem certiorem faciat de nullitate prioris consensus.*

31 *Quòd dicta admonitio sit necessaria ostenditur ex jure, & DD.*

32 *Quomodo hæc certioratio nullitatis sit faciēda? Prima sententia suam sequitur viam.*

33 *Et suam secunda sententia.*

34 *Hæ duæ sententiæ in aliquibus occasionibus à DD. admittuntur.*

35 *Tertia sententia alijs præfertur.*

36 *Modus, quo unus conjux potest alterum certiorem facere.*

37 *Quando in his matrimonijs secreto celebratis, sit necessaria præsentia Parochi.*

38 *Ratio hujus differentiæ a formulis Pœnitentiariæ desumitur.*

Operæ pretium duxi in hac quæstione referre ea, quæ necessaria videntur, ut confessarius etiam doctus non ignoret, quomodo suum munus obire cum satisfactione; & dexteritate possit; tam circa hanc dispensationem, quàm similem occurrentem. Ut huic necessitati satisfaciam, respondeo per seqq. conclusiones.

24 Dico primò: Quando pœnitens remedij causa impedimentum dirimens occultum ab Episcopo dispensabile, confessario aperit, debet confessarius ex charitate (non graviter obligante) adire Episcopum, aut Nuntium juxta dicta *numer.* 21. & 22. vel coram, vel per litteras, si distet à loco, in quo habitat, tacito nomine pœnitentis; & sic illius saluti facilius consulet, quia forsan non facile inducetur, ut ipsemet petat, maxime si impedimentum sit ex delicto. Ita Gobat. *tom.* 3. *tract.* 9 *numer.* 577. ex Quintanad. *tom.* 1. *singul. tract.* 9. *singul. l.* 11. *numer.* 4. Idem asserente de uxorato, qui pœnam non petendi debitum incurrit ex adulterio, cum consanguinea uxoris intra primum, aut secundum gradum, commisso, proponens hoc delictum Parocho, aut confessario sæculari, remedium postulans.

25 Nec obstat 1. doctrina Barbos. *de potest. Episcop. alleg.* 41. *numer.* 7. & aliorum, quos refert latè Leand. *tom.* 4. *tract.* 2. *de Excomm. disp.* 17. *quæst.* 60. asserentium, non teneri innodatum excommunicatione Papali, impeditum ire Romam, mittere procuratorem, aut Epistolam pro absolutione. Nec 2. obstat doctrina Sanch. *l.* 2. *decal. cap.* 13. *numer.* 14. Castr. Palai *tom.* 1. *tract.* 4. *disp.* 4. *punct.* 5. §. 2. *numer.* 4 5 & 7. quos refert, & sequitur Tambur. *in Method. Confess. l.* 3. *cap.* 9. §. 4. 17. asserentium, non obligari confessarium convenire superiorem propter peccatum reservatum pœnitentis, quando pœnitens non potest adire superiorem, propter impedimentum perpetuum, nec pœnitentem obligari, mittere alium, sive procuratorem, sive litteras, sive amicum: ergo etiam nec Parochus, nec confessarius obligatur litteras mittere ad Episcopum, aut Nuntium, pro dispensatione impedimenti occulti matrimonij. Non, inquam, hæc obstant, nam illa facilius à DD. permittuntur; nam ex jure facili habent remedium: at in dispensatione matrimonij procurata per epistolam, tacito nomine pœnitentis, remedium est facile, & apud DD. aliud facilius non assignatur.

26 Dico secundò: Quando pœnitens affinitatem contraxit cum ea, cum qua postea init matrimonium; eo quod cum illius consanguinea in primo, vel secundo gradu habuit copulam, confessarius, aut doctus ab eo pœnitente consultus, circa remedium hujus matrimonij invalidè initi, non illum ad commissarium Cruciatæ Lusitanæ mittat, nec illum pro dispensatione adeat. Quia Commissario Lusitano in Cruciata hæc facultas non conceditur, ut constat ex ipsa Bulla Latina; ut rectè notavit Doctissimus Themudus *in decis. hujus Archiep. decis.* 218 & fatetur à se errorem fuisse commissum, inductus à quodam Theologiæ Magistro; at ab eo error cognitus, fuit emendatus conveniente cum dicto Magistro, quòd facultatem à capitulo Sede vacante obtineret ad eam dispensationem. De defectu hujus facultatis in commissario Lusitano; egi in *Expositione Bull. Cruciat. Lusit. disp* 23. *nu.* 54. *in fine.* Et quanvis in DD. communiter reperiatur, posse Commissarium Cruciatæ dispensare in eo tantùm impedimento affinitatis, in foro conscientiæ, post contractum matrimonium, ut revalidetur, quando dantur circumstantiæ allatæ *supr. num.* 15. loquuntur de commissario Hispano, cui in sua Bulla Latina ea conceditur potestas; inter utriusque Bullæ Commissariorum facultates, & ipsarum Bullarum privilegia non parvum intercedit discrimen, ut ex *cit. Expositione* lectori constabit.

27 Dico tertio: Confessarius accepta facultate ab Episcopo, aut Nuntio, modo supra dicto, ad dispensandum pro foro conscientiæ

in

in impedimentis jure humano dirimentibus, post contractum matrimonium, diligenter inquirere debet; num res ita sit, sicut ab Episcopo, aut Nuntio accepit, vel illi tradita fuit. Idem dicendum quando ab Episcopo, vel Nuntio ad confessarium mittitur pœnitens, illi suas vices committentibus pro dispensatione.

28 An verò debeat præcedere hanc dispensationem confessio Sacramentalis? Respondeo necessariò precedere debere quando à Pœnitentiaria executio dispensationis committitur, *Discreto viro confessori Magistro in Theologia, vel Decretorum Doctori, ex approbatis ab ordinario*, quia in his rescriptis utitur Maior Pœnitentiarius, hoc ablativo absoluto, *audita prius ejus Sacramentali confessione*, ut videre est apud Marc. Paul. Leon. *in praxi Panit. in formulis ad has dispensationes*: at ablativus absolutus conditionem, & formam importat, ut tradit cum pluribus, Sanch. *l.* 3 *de matrim. disp.* 5. *numer.* 2 Et esse nullam dispensationem, sacramentali non audita confessione, tenet Marc. Paul. Leon *citat. pagin.* 28. *column.* 1. *vers. Quatenus audita, & seqq.* & *fol.* 249. *col* 1. *vers. Ac sacramentali confessione*, ibi: *Unica, & facilis incontinentiæ medicina est frequentia sacramentalis confessionis. Ideo Maior Pœnitentiarius eam continuo adhibet ad infectos pœnitentium animos purgandos, nec mutari potest ab executore: nam alias excederet fines mandati, qui diligenter observandi sunt l. Diligenter* 5. *ff. mandati, ubi DD. communiter, & præcipuè in substantialibus, ut est in nostro casu, quia ista Sacramentalis confessionis impositio est forma, forma autem ad unguem est observanda, alias actus corruit, etiam si forma deficiat in minimo, ut aliàs diximus, &c.* Sic Marc. Paul. Et quamvis Sanch. *l.* 8 *de matr. disp.* 34. *n.* 29 Gutierr. *cap* 128 *n.* 18. Bonacin. *de matr. q* 3 *punct* 15. *nu.* 7. Dicastill. *tom.* 3. *de Sacram. disp.* 8. *dubit* 4 *n.* 72 dicant non esse necessariam confessionem; ideo est, quia de illo ablativo absoluto, mentionem non fecerunt.

29 At quando facultas dispensandi ab Episcopo, aut Nuntio obtinetur, si eam confessionem Sacramentalem ipsi, nec mandent, nec præscribant, necessaria non est, nec illa deficiente dispensatio est nulla. Do tamen consilium, ut semper ad has dispensationes præmittatur confessio; nam hæ dispensationes defectu recursus, loco, & admodum concessarum à Pœnitentiaria, conceduntur. Et etiam ex meo consilio pœnitentibus dispensandis, ad Pœnitentiariæ modum, & formulam sunt injungendæ.

30 Dico quartò: Confessarius ergo juxta tradita, audita prius pœnitentis Sacramentali confessione, illum absolutè debet à commisso crimine, vel á quocunque alio impedimento dirimente, propter quod dictum matrimonium fuit nullum, & ab alijs, quibus innodatur, peccatis, nam confessio cum sit Sacramentalis, necessariò debet esse integra; Et pœnitentia injuncta, ut dixi, pœnitentem admoneat, ut mulierem, seu putatam uxorem, de nullitate prioris consensus certiorem faciat; sed ita cautè, ut suum delictum non detegat, cum damno, infamiæque periculo tertiæ personæ, & sic inter se de novo, & secreto, ad evitanda scandala, contrahant. His peractis ex facultate sibi commissa dispensat, quæ dispensatio pro foro tantùm conscientiæ prodest.

31 Hic tamen 1. advertat confessarius, admonitionem, per quam pœnitens certiorem facere debet mulierem de nullitate prioris matrimonij, & consensus à se præstiti, maximè esse necessariam, ut mulier ignorans impedimentum fiat certa de nullitate prioris consensus, & matrimonij, ut novum, validum, & liberum præstet consensum: nam si in sua perseveret ignorantia, existimans, hunc esse suum maritum, cum non sit, quanvis de novo consentiat, validè non consentit error enim tollit consensum *l. si per errorem* 15. *ff. de jurisd. omn. judic. l. Non idcirco* 9. *C. de juris, & fact. ignorant. l. Nihil consensus*, 117 *ff de reg jur.* & aliæ, ac DD apud Barbos. *tract. de axiom.* 82. *num.* 1. & 2. In errore autem est mulier ignorans, quia putat se consentire in suum maritum, & non consentit, cùm non sit suus maritus. Et si iste error reddit involtarium consensum in professione, seu voto nulliter emissis, reiterarum, ut cum Sanch. Soar. & alij Castr. Palaus *tom.* 3. *de virtut. Relig. & ei annexis, tract.* 16 *disp.* 2 *punct.* 5. *nu.* 2. & 3. multò magis reddit involuntarium consensum de novo præstitum in matrimonio nulliter contracto, quod summam expoſcit libertatem Sic cum Navarr. Sylvest & alijs Sanch *l.* 1 *de matrim disp* 16. *numer.* 7. *in fine*: ergo necessariò mulier certioranda est, de nullitate prioris consensus, & matrimonij.

32 Difficultas tamen non levis est, quomodo hæc certioratio facienda sit? Et tres circumferuntur sententiæ 1. asserit non esse necessarium, quòd conjux ignarus impedimenti, certior fiat de nullitate matrimonij, sed sufficere, quod consensus utriusque de novo præstetur, hoc modo: si v. g. mulier obtineat à viro, nullitatis prorsus ignaro, ut pro sua, scilicet mulieris, consolatione, renovet consensum, jam factum & renovante viro, etiam ipsa mulier renovet. Probat quia cùm jam sint habiles per dispensationem obtentam ad matrimonium contrahendum; si contrahant, & consentiant, validus, & legitimus est consensus. Sic. Sot. Cordub Caiet. Rodrig. Henriq. Ledesm. & alij apud *mox citandos.*

33 Secunda sententia convenit cum prima in eo, quod non sit necessarium, admoneri ignarum de nullitate matrimonij, nec etiam in confuso. Dissentit tamen ab illa, quia non requirit utriusque novum consensum, sed asserit, sufficere, quod conscius nullitatis per aliquem actum externum sive verbis, sive factis, v. g. per copulam maritali effectu habitam, præstet consensum. Probat, quia sufficienter matrimonio præstatur consensus, quando ex parte unius datur reditio, & ex parte alterius adest petitio. Sic Ledesm. & alij apud Tambur. *citandum.*

34 Hæ duæ sententiæ in aliquibus occasionibus admittuntur à Sanch. Bocio Castr. Palao, & Dicastill. adducendis *num. sequenti*; prima, si probabiliter timeatur ex admonitione gravia incommoda, scandala, aut infamia, oriri posse; puta, si vir à fœmina de nullitate admonitus denuo contrahere nollet, manente fœmina remedio destituta; secunda, si vir ad consensum induci non possit, pro ut in prima explicatur sententia, tunc posse licitè excipi, & sequi secundam sententiam. Hoc maxime confirmant ea, quæ scripsit doctissimus quidam P. ex confessarijs Collegij S. Pœnitentiariæ 21. Octob. anni 1671. hoc in suo scripto dicens, verè, & certò probabile; & forte probabilius. Sic testatur Gobat *tom. 3. tract. 9. post n. 561. in tit. Appendicula Romanæ praxis:*

35 Tertia tamen, & tenenda sententia defendit, debere conjugem nullitatis matrimonij insciam, certiorem fieri de ipsa nullitate, ut uterque de novo consentiat, & legitimè contrahere intendat. Sic Sanch. *l. 2 de matr. disp. 36 n. 3* Basil. Pont. *l. 4 cap. 25.* Castr. Palaus *tom. 5 disp. 3 punct. 7. §. 2. n. 3.* Dicastill. *tom. 3 de Sacram. disp. 2. dubit. 10. n. 85.* Tambur. *tom. 2. l. 8. de matr tract. 4 cap. 7 §. 2. n. 6* Marc. Paul. Leon. *in praxi Pœnit. part. 1. fol. 253. vers. Ideo tertiam*, & alij, quos afferunt. Ex his, aliquas aliqui huic sententiæ addunt limitationes in quibus primam, & secundam admittunt opiniones, ut *dictum est num. 34.* Probatur hæc sententia, quia est magis conformis menti M. Pœnitentiarij in formulis ad has dispensationes pro foro conscientiæ, hac clausula utentis: *Ut dicta muliere de nullitate prioris consensus certiorata, sed ita cautè, ut latoris delictum nunquam detegatur, &c.* Sed admissa prima, aut secunda sententia etiam cum limitationibus, nunquam impedimenti ignarus certior fit de nullitate prioris matrimonij, sed tantùm in hac tertia: ergo hæc tantùm, & non prima, aut secunda sententia est tenenda. Ita Basil. Pont. Averl. quos affert, & sequitur Tambur. *proximè nn. 8.* quibus adde Marc. Paul. Leon. *cit.* Hanc sententiam astruunt dicta *supra n 31*

36 Modus autem, quo unus conjux potest alterum ignarum nullitatis matrimonij, certiorem facere, est hic allatus à P. Marc. Paul. Leon. *cit. fol. 252. Vers. Melius: Dicat ignoranti sciens impedimentum, ubi primum commode potuerit; se invalidè ab initio consensum præstitisse, & ideo ex doctorum virorum consilio, ad procurandam utriusque animæ salutem, opus esse, ut se invicem per novum, & independentem a primo consensum in conjuges recipiant; & sicut ex amore, quo illam semper prosecutus est, liberè de præsenti eam recipit in uxorem, ita etiam eam precatur, ut etiam libere eum de præsenti recipiat in maritum. Et si instet insciа pro sciendа causа invaliditatis consensus, poterit respondere facillimè his verbis; v. g. Intentionem non fuisse sufficientem, vel quid simile.* Hactenus Marc. Paul. Leon. Hæc enim licita sunt, & vera; nam quando in facie Ecclesiæ nulliter, propter aliquod impedimentum matrimonium contrahitur utriusque consensus est nullus; quia fuit inter personas inhabiles ex allato impedimento.

37 Advertat 2. confessarius, non esse necessariam præsentiam Parochi, & testium in illis matrimonijs quæ nulliter propter aliquod impedimentum, jam in præsentia Parochi, & testium fuerunt celebrata, quando occultè revalidantur, ex dispensatione obtenta à Sacra Pœnitentiaria, vel ab Episcopo, aut Nuntio, juxta *supra* dicta. Secus dicendum, quando matrimonium non fuit celebratum in præsentia Parochi, nec alterius sacerdotis, licentiam Parochi habentis, & testium; nam in isto casu, etiam occulto matrimonium de novo in præsentia Parochi, vel confessoris, de licentia ipsius Parochi, & testium, qui cauti sint, celebrandum est. Licentia ad hanc assistentiam ab Ordinario, Vicario generali, aut à proprio Parocho impetranda est, tacitis contrahentium nominibus, si casus, aut necessitas id exposcat

38 Ratio hujus discriminis ex formulis Pœnitentiariæ desumitur. Nam quando ab illa dispensatio impetratur, antequam matrimonium in facie Ecclesiæ sit celebratum, M Pœnitentiarius utitur hac clausula: *Vterque inter se publicè servata forma Conc. Trident. contrahere, & in eo post modum, &c.* At quando in facie Ecclesiæ nulliter matrimonium est contractum; hac utitur: *Vterque inter se de novo secretè ad vitanda scandala, promissis non obstantibus, contrahere, & in eo post modum &c.* Vides differentiam, qua utitur M. Pœnitentiarius in his rescriptis ad expediendas has dispensationes pro foro conscientiæ: ergo quidquid dicant aliqui gravissimi DD. hæc in praxi sunt sequenda. Vide Marc. Paul. Leon. *in praxi Pœnit. pag. 234. col. 1. Vers. Publicè servata.*

QUÆS-

QUÆSTIO XXXVIII.

An supplicantes à S. Pœnitentiaria pro dispensatione criminis adulterij, & fidei ad invicem datæ contrahendi matrimonium post mortem conjugis, & impetrata cum errore machinationis conjugis mortis, & matrimonij jam in Ecclesia celebrati, subreptitiam dispensationem obtinuissent?

SUMMARIUM

1 *Facti species.*
2 *Non fuit subreptitia ex falsò allegatis.*
3 *Nec etiam ex eo quòd in supplica non sit mentio de impedimento ad dispensationem supplicato; quando in allegato falsò comprehenditur.*
4 *Multa falsò composuit solicitator Romanus.*
5 *S. Pontifex dispensavit ex scandalis orituris, undequaque illa oriantur.*
6 *Valida est dispensatio, data causa, fœminam manere innuptam defectu dotis, licet non defectu dotis, sed ex alio maneat innupta.*
7 *Error à solicitatore Rom. commissus, non nocet oratoribus.*
8 *Falsitates allegatæ difficiliorem reddentes Pontificem non veniunt in considerationem.*
9 *Quando dubitatur de dispensatione, an sit invalida, censetur valida.*
10 *Idem est nulliter esse contractum, ac non esse contractum.*

1 MArcellinus conjugatus copulam habuit cum Petronilla, sibi quarto consanguinitatis gradu conjuncta, fide ad invicem data, matrimonium contrahendi, mortua uxore ipsius Marcellini. Hàc mortua & utraque dispensatione obtenta; tam in Dataria pro consanguinite publica, quam in Pœnitentiaria pro impedimento criminis. In impetrata à Pœnitentiaria hi duo obrepserunt errores, 1. Quòd ambo inhonestè viventes, mortem uxoris ipsius Marcellini cum effectu sunt machinati, ut inter se matrimonium contraherent. 2. Quòd obtenta, & expedita Datariæ dispensatione consangnitatis, bona fide in facie Ecclesiæ matrimonium contraxerant cum his criminum impedimentis. Ad hujusmodi dispensationem nulla allegabatur causa, nisi *Ad evitanda scandala, quæ si divortium inter ipsos fieret, exoritura essent.*

RESOLUTIO.

2 Hanc dispensationem existimavi non subreptitiam, imo dandam esse executioni, ex his rationibus. 1. Quia in hoc impetrato rescripto tria supponuntur S. Pontifici fuisse narrata, inter se separata, aut saltem separabilia; 1. fides ad vicem data contrahendi matrimonium, post mortem uxoris Marcellini, præcedente, aut consequente adulterio, quod bene, & certo colligitur ex illis verbis, *Inhoneste viventes, mortem uxoris ipsius Marcellini cum effectu sunt machinati, ut inter se matrimonium contraherent* 2. Machinatio mortis cum effectu ab utroque; 3. Matrimonium jam contractū in facie Ecclesiæ celebratum; primum est certum; secundum & tertium sunt falsa: sed quando impedimenta sunt separabilia, subreptio, seu falsitas contingens in duobus impedimentis, seu partibus, non vitiat primum, aut primam in qua non est subreptio seu falsitas, nam utile per inutile non vitiatur, *Regul. utile, de regul. jur. in 6* ut relatis Sanch. Panormit. Felin. Laym. Filliuc. tradit Bonac. *tom. 2 tract. de leg. disp 1. q 2 punct. 4 num. 14. 15. & 16.* ergo quamvis Pontifici duæ partes falso fuissent narratæ, rescriptum, quoad primam, in qua non est falsitas non est subreptitium.

3 Nec dubium ingerant verba: *Inhoneste viventes, mortem uxoris ipsius Marcellini cum effectu sunt machinati, ut inter se matrimonium contraherent*, quæ unum tantum videntur impedimentum continere; nempe machinationem mortis cum effectu ab utroque commissa, animo expresè ostenso, ut inter se matrimonium contraherent, quod est falsum. Non, inquam, dubium ingerant; quia in illis verbis duo distincta criminis impedimenta comprehenduntur; primum machinatio mortis ab utroque cum effectu sæcutæ, absque adulterio, ut inter se matrimonium contraherent, ut probatur *ex cap. Laudabilem 1. de convers. infidel* Sanch. *l. 7 de matr. disp. 79. nu. 9* Castr. Pal. *tom. 5 disp. 4 de Sponsp punct 12. n. 3* Leand. *tom. 2. tract. 9 disp. 14 q 4.* & alij quos citant. Secundum est adulterium, cum promissione ad invicem matrimonij, mortuo conjuge, ut expresse habetur *in c. per venerus*, & *c. p. fin de eo, qui duxit*, &c. & *cap Relatum 31. q. 1.* & cum communi DD. Sanch. *l. 7 de matr. disp. 69 num. 2* Basil. Pont *l. 7. cap 45 num 1.* Bonac. Candid. Torr. blanca, & alij, quos affert, & sequitur Leand. *proximè q. 8.* sed in allatis verbis fit mentio de adulterio, ibi: *Inhoneste viventes*, & de promissione matrimonij ad invicem, mortua uxore, ibi: *ut inter se matrimonium contraherent* mortua uxore: ergo in dictis verbis duo comprehenduntur criminis distincta impedimenta, unum falso, & alterum vere narratum: si enim hoc secundum in primo non comprehenderetur; quare facta est mentio in illo de adulterio, nam sine adulterio, datur illud impedimentum, non tamen sine illo datur secundum.

4 Nec etiam secundò, dubium ingerat: Quòd oratores pro dispensatione sui impedimenti, allegarunt pro causa scandala, quæ oritura erant, si matrimonium non inirent; nam dispensatio à Daria impetrata ab officiali Diœcesano jam erat expedita, & denuntiatio-

nes in Ecclesia publicatæ, & si matrimonium non inirent, mors uxoris Marcellini ab ipsis præsumeretur machinata, cum ita non fuerit; nec in foro externo ea dabatur præsumptio; At solicitator Romanus, ex his allegatis existimans, matrimonium jam in facie Ecclesiæ esse celebratum, [cum non esset] & datum fuisse etiam impedimentum criminis, machinationis mortis ab utroque; [cum non esset;] utrunque criminis impedimentum in dictis verbis *num. præcedenti*, & alia narrata involvit; & pro utriusque criminis impedimento, eandem causam *supra* allegavit, nempe *scandala exoritura*; & deinceps allegatam ab Oratoribus; sic ex suo Marte compositis, *quæ, si divortium inter illos fieret, exoritura essent.*

5 Non, inquam: hæc dubium ingerant; 1. quia S. Pontifex motus fuit ad dispensandũ utrunque impedimentum criminis, tàm verũ, quàm falsum ex scandalis orituris, sive scandala oritura essent ex non ineundo matrimonium, sive ex matrimonij dissolutione; id enim videtur per accidens: ergo cum gratia sit concessa ex causa scandalorum, quæ essent oritura, valida fuit. Antecedens probatur. 1. Quia DD. causas finales ad matrimonium numerantes, numerant evitationem scandali; extinctionem magnæ litis, paupertatem, &c. ut videre est apud Sanch. *l.* 8. *de matr. disp.* 19. *num.* 10. Filliuc. *tract.* 10. *cap.* 10. *num.* 362. Leand. *tom.* 2 *tract.* 9 *de matr. disp.* 24. *q.* 23. Tambur. *l.* 8. *de matr. tract* 2. *cap.* 7. §. 2. *nu.* 1. vide *infra q.* 42. *nu.* 6. ergo sicut allegata paupertate cum aliquo addito, quæ datur, censetur allegata causa ad dispensationem, sic etiam allegato scandalo orituro sine addito, quod datur, seu dabitur, censetur allegata causa ad dispensationem.

6 Secundò probatur idem antecedens; Quia valida est dispensatio, in cujus libello supplici, pro causa allegatur, fœminam innuptam manuram defectu dotis; etiam si non defectu dotis, sed ex eo, quod sit deformis, vel ex aliquo crimine diffamata, aut ex alio aliquo capite maneret innupta, ut docent Leandr. *proxime q* 52. Dian *part.* 10 *tract.* 11. *resol.* 42. & apud ipsum Martin. de S. Ioseph: Gobat. *tom.* 3. *tract* 9 *num.* 664. & 665. Escobar *tom.* 3. *Theol moral. l.* 27 *sect.* 2 *dub.* 201. *n.* 786. Sanch. *l.* 8. *de matr. disp.* 19. *n* 29. Licèt oppositum doceat *in sum. l.* 4 *cap.* 47 *à num.* 17. & Tamburin. *l.* 8 *de matr. tract.* 2. *cap.* 7. §. 2. *num.* 16. & *cap.* 10. §. 3. *à num.* 2. cum Gutierr. Conrad. Barbos. & alijs: ergo etiam valida erit dispensatio in cujus libello supplici allegatur, fuboritura esse scandala ex dissolutione, vel separatione, oratorum, etiam si non ex separatione Oratorum, sed ex eo quod matrimonium non ineant, aut ex alio capite scandala oriantur. Sed in nostro casu certum est, scandala suboriri, si matrimonium non contrahant hi, qui gratiam impetrarunt ergo.

7 Secunda ratio: Quia Oratores solum scandala oritura ex non ineundo matrimonium, pro causa sui impedimenti, allegarunt, ut fatentur: sed *q. præcedenti num.* 7. dictum est, non vitiari dispensationem per errorem à procuratore Romano, aut ab scriba commissum, quando probetur ab oratoribus coram officiali Diæcesano, errorem nec ab illis, nec à bancario fuisse commissum: contra graves DD. quos refert, & sequitur Tambur. *l.* 8. *de matr. tract.* 2. *cap.* 12. §. 3. *num.* 12. ergo idem dicendum in expeditione hujus rescripti, in qua confessarius procedit auditis tantùm Oratoribus in foro Sacramentali.

8 Tertia; Quia falsitates libelli supplicis hujus rescipti, & falsitate commissa in causa finali, S. Pontificem difficiliorem reddebant, ad eam dispensationem concedendam, & faciliorem, sic hic casus, & illius causa exprimerentur expresè, & sine additis, ut in se erant ab oratoribus allegata: ergo per addita falsa vitiari non potuit.

9 Quarta: Quando dubitatur, dispensationem alicujus impedimenti esse, aut non esse validam Censendam esse validam sustinent Salas, Sanches, & alij, quos afferunt & sequuntur Bonac. *de leg disp* 1. *q.* 2. *punct.* 10. § 1. *num.* 10 & *q.* 1. *punct* 6. *n.* 4. *in fine*, Dian. 3 *part. tract.* 6. *resol* 9. & *part.* 4. *tract.* 3 *resol.* 45. & 64. ergo si in validitate dictæ dispensationis aliquod datur dubium, dispensatio expedienda est, ut valida.

10 Nec obstat, quòd hoc rescriptum à Pœnitentiaria impetratum, erat ad revalidandum matrimonium nulliter in facie Ecclesiæ celebratum: at hoc matrimonium in facie Ecclesiæ celebratum non erat. Non, inquam hoc obstat; nam dispensatio hujus rescrtpti erat, ut hoc matrimonium validè contraheretur. Quòd vero in rescripti supplicatione diceretur invalidè contractum adhuc finis dispensationis obtineri potest: idem enim est nulliter contractum, ac non esse contractum Vide DD. apud Barbos. *tract. de axiomat.* 164. *n. num.* 1. 2. & 3.

QUÆSTIO XXXIX.

An rescriptum á Pœnitentiaria cum errore gradus affinitatis impetratum, sit subreptitium?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Probabilius est non esse subreptitium.*
3 *Maior enormitas peccati subreptitiam non reddit dispensationem.*

1 BArnabas à S. Pœnitentiaria rescriptum obtinuit, in cujus libello supplici cõtinebatur, supplicantem cognovisse sororem

sororem illius, quam ducere intendebat, cum non sororem, sed matrem cognovisset. Quæritur an rescriptum sit subreptitium.

RESOLUTIO.

2 Respondeo cum probabiliori opinione, non esse subreptitium; & sic executioni mandari posse. Ratio est, quia hic error est accidentalis, maximè quando affinitas oritur cum ea, quæ ducenda est ex copula fornicaria, ut in præsenti casu. Sic expresè Sanch. *l.8.de matr.disp.24.num.14. in fine*, ibi: *Id tamen non reputarem necessarium exprimere in affinitate ex copula fornicaria. Quia ex ea copula non oritur notabiliter specialius vinculum, aut notabiliter maior reverentiæ obligatio affinibus ex linea recta, quam ex transversa.* Idem tenet Escobar *tom.3.l.27.sect 2.dub.194 num.155.* Basil.Pont *l.8.cap.17.§ 5.num.27.* id asserens tam de affinitate orta ex copula illicita, quàm de licita contra Sanch quoad licitam & Bonac. & Escobar Basil sequitur Leand. *tom 2. tract. 9 disp 24.q.41* Si ergo plures DD. docent non esse necessarium eam exprimere in supplica propinquitatem gradus affinitatis, an sit in linea recta, aut transversa, quando affinitas oritur ex copula illicita, à fortiori idem dicendum, quando ex copula illicita oritur.

3 Nec obstat Tamburin. *l.8. de matr. tract. 2 cap.9 §.6. num.2* asserens in dicto casu proposito contra Sanch. *cit.* esse necessarium explicare copulam fuisse cum matre, & non sufficere, quod dicatur fuisse cum sorore, propter maiorem peccati enormitatem, & difficiliorem dispensationem. Non, inquam, obstat, quia maior enormitas est tantum accidentalis; nec dispensatio est difficilior ex maiori, vel minori enormitate peccati, sed ex maiori, vel minori propinquitate gradus, quæ hic non datur; licet etiam hæc dum oritur ex copula illicita, juxta Sanch. non videatur explicanda.

QUÆSTIO XXXX.

An dispensatio sit nulla, si taceatur matrimonium prævijs denuntiationibus ignoranter cum impedimento fuisse contractum?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Non est nulla dispensatio: ut ex Trid. colligitur.*
3 *Matrimonij contracti facienda est mentio, quando inter gradus prohibitos, & ignoranter omissis denuntiationibus, est contractum.*
4 *Ante concil.Trident non nocebat impetrationi dispensationis tacere in supplica matrimonium fuisse initum scienter cum impedimento.*
5 *In supplica necessario facienda est mentio de illis qualitatibus, quas ipsum jus, aut stylus Curiæ exprimi juvent.*
6 *Prædictæ dispensationi non nocet expressio copulæ, sive esset licita, sive illicita.*
7 *Admonitio ad similem casum occurrentem.*

1 ANtonius ignoranter, & prævijs denuntiationibus matrimonium cum credentia ejus consanguinea, in facie Ecclesiæ contraxit, & ambo in eo matrimonio per sexennium permanserunt. Detecto consanguinitatis impedimento, Ordinarius eos separare, & dispensationem obtinere mandavit. Separatione facta, quoad thorum tantùm, & facta supplica, in ea narrarunt consanguinitatis impedimentum cum copula, nullâ aliâ factâ mentione de matrimonio bonâ fide, prævijs denuntiationibus contractum nec de sexennio matrimonij putati; dispensatione obtentâ, officialis Diœcesanus à me quæsivit, an non obstantibus ijs defectibus, executioni mandandam esse dispensationem.

RESOLUTIO.

2 Respondi, non esse nullam dispensationem; & executioni esse mandandam, nullo authore pro eo tempore nixus; postea tamen inveni Tamburin. *l.8. de matr.tract 2.cap.9 § 4. num.3* id expresè dicentem, ibi: *Si quis dictum matrimonium bona fide cum ignorantia impedimenti in facie Ecclesiæ contrahit; poterit hujusmodi contractionem tacere, quia ejusmodi matrimonium bona fide contractum, dispensationi non nocet, nec difficiliorem reddit. Imo quia reddit faciliorem; consilium tibi do, ut illud exponas, nam sic facilius gratiam impetrabis.* Probatur 1. quia matrimonium, in facie Ecclesiæ bona fide cum ignorantia impedimenti, & prævijs denunciationibus contractum, non nocet dispensationi obtentæ, nec eam difficiliorem, sed faciliorem reddit, ut inquit *Trident sess, 24 de reform matr cap 5* ib.: *Si verò solemnitatibus adhibitis, impedimentum aliquod postea subesse cognoscatur, cujus ille probabilem ignorantiam habuit, tunc facilius cum eo, & gratis dispensare poterit*: ergo executioni mandanda est.

3 Secundò probatur, quia tunc necessariò in supplica facienda est mentio matrimonij contracti, quando scienter intra gradus prohibitos, aut ignoranter omissis denuntiationibus fuit contractum, ut cum communi docent Sanch. *l.3 de matr disp 45. num. 3 fine*, & *disp 25.n.23.l.8* Gutierr. *in qq.Canon l 2.cap. 15 num* 135. & 136. Navarr. Covarr. & alij, quos sequitur Filliuc *tract. 10 part. 2 cap. 10. num.339* Tambur. *cit.num. 2. & 3 in fine* cum Averi Gobat *tom 3.tract. 9 num. 625* citans Perez *disp.46 sect.7.num 6* Castr Palaus *tom.5. de Sponsal disp 2 punct 12.§.ult num.8* loquens de matrimonio in facie Ecclesiæ contracto omissis denuntiationibus. Ratio hujus faciendæ

dæ mentionis in supplica est, quia *Trid, loco cit.* inquit: *separetur, & spe dispensationis careat.* Quod idem est, ac difficulter cum his dispensetur: sed in præsenti casu matrimonium scienter non fuit contractum inter gradus prohibitos, nec ignoranter, omissis denuntiationibus: ergo in supplica necessariò non erat facienda mentio de matrimonio contracto bonâ fide, & non omissis denuntiationibus.

4 Tertiò, quia ante Concil. Tridentin. impetrationi dispensationis non nocebat, tacere in supplica matrimonium fuisse contractum scienter cum impedimento, eo quod non dabatur Tridentini Decretum hanc dispensationem difficulter concedens, ut cum Petro Ledesm. inquit Sanch. *dict. l.* 8. *disp.* 25. *n.* 23. *in fine*: ergo etiam non nocet dispensationi adductæ taciturnitas matrimonij contracti, quia fuit contractum bona fide, & non omissis denuntiationibus, quæ faciliorem reddebant dispensationem.

5 Quartò, quia de illis tantùm qualitatibus in supplica necessariò facienda est mentio, quas ipsum jus, seu stylus Curiæ exprimi jubent, ut cum pluribus sustinet Sanch. *l.* 8. *de matr. disp.* 21. *a num.* 13. & cum alijs Leand. *tom* 2. *tract.* 9. *disp* 24. *q.* 48. quamvis quo ad stylum Curiæ æque probabile oppositum dicat: sed nullum datur jus, aut stylus Curiæ, qui in supplica exprimi jubeat dictum matrimonium bona fide cum impedimento initum: ergo. Minor patet ex allatis à Filliuc *tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 10. *a num* 327. ubi qualitates referens ad dispensationem consanguinitatis in supplica necessariò exprimendas, de hac nullam facit mentionem, sicut nec cit. DD.

6 Nec prædictæ dispensationi obtentæ nocet expressio copulæ illicitæ in supplica narratæ: nam si habita fuit, dum impedimentum ignorabatur, & illa existimabatur licita; adhuc existebat infamia Crescentiæ, & publicũ scandalum, si matrimoninm non contrahere tur, & illa falsò narrata, hæc verè dabatur sufficiens; ut cum Sanch. Bonac. Leand. & alijs defendit Dian. *part.* 10. *tract.* 2. *resol.* 43. vide *supra q.* 40. *num.* 5. Si tamen copula habita fuit; quando jam sciebant, adesse impedimentum, cum allegata sit, dispensatio valorem non amittit.

7 Ad calcem hujus quæsitionis adverto, occurrente hoc, aut simili casu, sanum consilium esse, illum S. Pontifici expressè exponere, nam sic facilius, & gratis dispensatio impetrabatur. Ut hæc tamen gratia impetretur, debet supplicans, quando matrimonium contraxit cum impedimento, habere illius invincibilem, aut probabilem ignorantiam, ut loquitur Trident. *cit.* Ignorantia autem probabilis excludit vincibilem, crassam, & affectatam, nam cum illa non datur peccatum, ut patet in duabus opinionibus probabilibus, quarum una est materialiter falsa; & tamen operans juxta illam non peccat, & tamen operatur cum ignorantia probabili; secus dicendum de alijs ignorantijs. Vide Moyam *in qq. salut. tom.* 1. *tract.* 1. *q.* 5 *num.* 19 & 20. Hoc tamen advertendum duxi hoc loco; quia juxta Trident. aliud potest sustineri circa ignorantias vincibiles, & crassas, quando dantur sine temeritate in eo, qui ignoranter cum impedimento, vel omissis denuntiationibus, cõtraxit.

QUÆSTIO XLI.

An subdiaconus dispensatus ad contrahendum matrimonium, viduus factus secundas nuptias contrahere possit, & privilegia militibus Lauretanis sibi concessa, retinere?

SUMMARIUM

1 *Facti species.*
2 *Subdiaconis numquam fuit licitum, matrimonium contrahere.*
3 *S. Pontifex potest cum subdiacono dispensare, ut matrimonium contrahat.*
4 *Beneficia, & pensiones Ecclesiasticæ, per matrimonium de præsenti contractum amittuntur.*
5 *Laicus duo matrimonia contrahens, & consummans cum duabus mulieribus, sive virginibus, sive viduis est vere bigamus, & interpretativè, si cum vidua, ab alio cognita, & corrupta contrahat.*
6 *Subdiaconus dispensationem obtinens ad contrahendum matrimonium, non exinde illam obtinet ad pensiones retinendas, quas acquisivit ex permutatione suæ præbendæ.*

1 HIlarion Canonicus præbendatus in ordine subdiaconatus constitutus, præbendam propensionibus Ecclesiasticis mutavit, & à Sede Apostolica dispensationem pro subdiaconatu obtinuit, ut matrimonium contraheret; & pariter obtinuit privilegium militum Lauretanorum, *vulgo Cavalleirato*, ad dictas pensiones in statu matrimonij retinendas. Uxorem virginem duxit, habitum clericalem in habitum ordinis militaris S. Iacobi mutando. Mortuâ hâc uxore, secundam jam viduam duxit, prædictas pensiones adhuc recipiens. Quæritur 1. An dispensatus ad primam ducendam uxorem, ad ducendam secundam censeatur dispensatus? 2. An per hoc secundum matrimonium, pensiones amiserit? 3. An per dictum privilegium possit retinere eas pensiones ultra quantitatem ducentorum aureorum.

§. I.

Præmittuntur aliqua ad resolutionem præsentis casus.

2 Primò præmitto, Clericis ordinis Epistolæ,

tolæ, [qui Subdiaconatus dicitur *in cap. Perlectis, 25. dist. cap. Subdiaconatus, 23. dist. cap. si subdiaconatus, 24 dist. cap. De multis, de ætate, & qualit. cap. Miramur, de servis non ordin.* cum similibus] nunquam fuisse licitum, nec in orientali, nec occidentali Ecclesia matrimonium contrahere. Vel quia à primitivæ Ecclesiæ tempore ordini subdiaconatus votum continentiæ, seu Castitatis jam erat annexum, ut aliqui volunt DD. licet sacer non diceretur per *text. in d cap. Miramur*; vel quia à tempore Gregorij 1 Sacer incepit nominari, à sanctimonia Castitatis, & continentiæ, quâ includit, ut volunt alij. Extra ordinarios Covarr. *de Sponsal 2. part.cap 6.§.3.n. 2.* Henriq. *de Sacram.ord.cap.14.* Valq. *de ord.disp.238. cap.6. & disp 240. cap.3.* Azor. 1 *part.l. 13.cap 12.q.3.* Card Belarm *cap.tom.2 de Sacr.ordin.cap. 7. & 8. & in controv l 1.de cleric.cap.18* Soar. *tom. 3. de relig.cap.16.& 17* Sach. *l.7.de matr.disp. 27.n. 5.* Illustriss Dom D Roder. à Cunha *ad 1.p. Decret.dist.34 super cap si subdiaconus, cit. fol. 268. & in cap siquis eorum, 32 dist.a nu.2. usque ad 7.* Illustriss Sebastian. Cesar è Meneles *in tract.de Hierarch.Eccles.disp. 10 §. 2 per totum.* Tambur. *de Sacram. l 7 cap. 3. §. 3.* & alij communiter, asserentes subdiaconum non posse matrimonium contrahere. An verò hæc obligatio ex voto Castitatis, aut ex præcepto Ecclesiæ proveniat, vide Tambur *cit.* qui aliquas refert opiniones, & earum AA.

3 2. Præmitto, esse prohibitum subdiacono matrimonium contrahere, ut dictum est. Potest nihilominus S. Pontifex cum illo dispensare, ut licitè, & validè matrimonium cõtrahat, interveniente justâ causâ, & illâ non interveniente, illicitè, ut communiter notant DD. *in cap. Proposuit, 4. de conces. præbend.* Et expresse probat *text juncta Gloss verb. Damus in cap. De illo, 32.dist* ubi illustriss. Cunâ *in illius remission n 2.3.& 4* Sanch *l.2.de matr.disp. 29. num.9.& l 8 disp.2.n.4 & 7. & tom.2. decal.l. 5. cap.2 n. 3.& 4.* Filliuc. *tom. 1 tract. 10.à n. 120.* Bonac. *tom.1 in tract.de matr.q.3 punct. 9. vers. de hac causa*, Soar. *d tom.3.l.9 cap 20.n 3 & 11* & cum pluribus relatis Dian. *part.8.tract. 1. resol.72.* A quibus adducuntur plura exempla, & casus in quibus S Pontifex dispensavit.

4 Tertio præmitto, clericos in minoribus constitutos beneficia, aut pensiones Ecclesiasticas habentes quæ titulo clericali, seu loco beneficij dari solent, illos amittere, ubi primum matrimonium de præsenti contraxerint, ut per DD. *in cap.2 de cleric conjug.* Tum quia per matrimonium, statum incompatibilem cum statu clericali proprio facto, illis renuntiaverit, illaque habere noluit pro derelicto, *argum.text in l.1.C. de furt. l. Quod in hærede §. Eligere de tribut act.juncto text.in cap. Ex transmissa de renunt & cap cum renuntiatur 32. q. 1.* Tum quia cum dictæ pensiones subrogantur loco beneficij, & subrogatum naturam sapiat illius, in cujus loco subrogatur *l. Parobolani 28. C.de Episc.& cleric.l. si cum §. Qui injuriarum ff si quis caution.* cum similibus, sicut illa amittuntur ipso jure per matrimonium, ita etiam, & pensiones; sequuntur Gigas *de pens.q.54. n. 4.& 5.* Covarr *de Sponsal 2 part cap 6 § 3. n 3.* Flamin. *de resign.benef.l. 1 q.1 num. 15.* Cevall. *commun.contra comm q.147 n. 3* Sanch. *l. 7. de de matr. disp.44 n.5.* Garcia *de benef 1.part. cap. 5.a n 108.* Soar. *dict.l 9.cap 18.n.1.& 13,* & expressius *n.21. & 22.* Malcard. Barbos. Gonzal. Lessius, Azor, & alij plures, quos affert, & sequitur Castr. Palaus *part.2 tract 13. de benef. disp 6.punct.8 § 6 num 3.* Asserentes clericos habentes pensiones, matrimonium contrahentes absque dispensatione, habentes tantum ordines minores, aut cum dispensatione sacros ordines habentes, ut *supra* dictum est, illas amittere, & eas non posse retinere, nisi per dispensationem, aut privilegium, ut per Sanch. *dict.disp.44 num 7.& 9.* & ut certum supponitur à Garcia *d. cap.5.n.248* Gonsal. *dicta Gloss. 11 num 85.*

5 Quartò præmitto, laicum duo matrimonia ineuntem, & consumantem cum duabus fœminis, sive virginibus, sive viduis esse vere bigamum, sicut etiam est interpretativè ille, qui matrimonium inijt cum vidua, ab alio cognita, & corrupta, ut communiter docent DD. *ad tit. de bigamis, & in cap. Una, 26. dist.cap si quis viduam, cap Valentino, 55. dist.* Flamin. *cit. loco l.5 q.3.a n 188* Sayr. *de Cens. l.6.cap.4.n 6.* Soar *ibidem disp 42 sect. 1.num.1. & sect. 3.n. 1.* Garcia *cit part 7 cap.2 numer.15.* Sanch *citat.l 7.disp 83 n.1.* Castr. Palaus *part.6. de Cens. disp 6 punct 8 n.2 & 3* Leand. *tom.5. de irregul.tract.2 disp.6 q 2.& 12* & alij, quos afferunt. Et cum bigami sive proprie, sive interpretativè sint irregulares, ut fatentur cit. DD. consequenter inhabiles manent ad beneficia, & pensiones Ecclesiasticas obtinendas. Et ita de stylo Curiæ observari testantur Navarr. *consil 34 in 3. sub tit. de homicidio verb. de stylo Curiæ*, Garcia *d cap.2.n 19.* Flamin. *cit.l.4. q.3.num.37.& l 5.q 3.num. 182.* qui cum alijs, quos adducit, resolvit Bigamo, & irregulari beneficia non posse conferri; nec etiam pensiones absque Pontificis dispensatione, & quòd si illa, vel illas antea habuisset, illis privari posse.

6 Quintò præmitto, Hilarionem, quamvis dispensationem obtinuisset ad contrahendum matrimonium, quia sacris erat initiatus, non illam obtinuisse ad retinendas pensiones quas habuit ex mutatione suæ præbendæ Tãtummodoque obtinuit privilegium militibus Lauretanis concessum, ac innovatum *per Cost. Sixti V. 35* incipientem: *Postquam anno secundo*, editam *anno 1586.* de quo in particulari mentionem faciunt Illustriss. Cuña 1 *part Decreti in cap Generalis 54. dist.n. 135 fol mihi 482.* Azor. *part.2.l.8.cap.7.q.3 in fine* Garcia *cit part 1.cap. 5.n.254.*

5 *num.* 254. Flamin *jam allatus l.* 6. *q.* 4. *num.* 11. Castr. Palaus *tom.* 2 *tract.* 13 *disp* 1. *punct.* 11. §. 10. *num.* 6. asserentes primo *cit.* usque ad Azor inclusivè; solùm illas retinere posse milites Lauretanos usque ad quantitatem ducentorum aureorum auri de Camera, etiam si sint laici, & conjugati, ut patet ex verbis *dictæ Const.* ibi: *Etiam si mere laici, & conjugati fuerint*, &c. & ibi: *Etiam si eos pro tempore conjugatos fieri contigerit.* Et ibi: *Hujusmodi Summam ducentorum ducatorum auri de Camera non excedens.* Et ibi: *Illos etiam si matrimonium contraxerint, usque ad Summam ducentorum ducatorum*, &c. His præmissis. Sit.

§. II.

An dispensatus ad primam ducendam uxorem ad ducendam secundam censeatur dispensatus?

SUMMARIUM.

7 *Proponitur ratio dubitandi.*
8 *Potest quis secundas inire nuptias, si dispensatio fuit absolutè, & totaliter concessa.*
9 *Quando S. Pontifex vult restringere dispensationem ad primum matrimonium in litteris dispensationis, id exprimit.*
10 *Dispensatus in voto Castitatis ad matrimonium contrahendum; dispensatus censetur ad secundum contrahendum.*
11 *Rationi dubitandi, num.* 7. *allatæ respondetur.*

7 Non procedit quæstio præsens de primo matrimonio contrahendo, nam ad illud contrahendum, obtinuit Hilarion dispensationem à S. Pontifice, non obstante, quòd in subdiaconatu esset ordinatus, cui ex præcepto Ecclesiæ votum castitatis est annexum, ut *dictum est num.* 2. & 3. Tota dubitatio est de secundo matrimonio, absque nova dispensatione? Et ratio dubitandi est, quia dispensatus in uno matrimonio, ad aliud non censetur dispensatus, juxta doctrinam Glos. *Verb. Antiqui, ad finem, in cap. Antiqui*, 33. *q.* 2. & Glos. *Verb. Nisi, in cap. si autem* 36. *q.* 2. Sicut etiam ad unam dispensatus dignitatem, ad aliam dispensatus non censetur; & dispensatus ad unum ordinem, ad alium non est dispensatus; & sic de alijs, ut notant DD. ad *text. in cap. Non potest* 21. *de præbend. in* 6. ubi dispensatus ad duo beneficia incompatibilia, cui legitimè fuerunt collata, non potest virtute talis dispensationis, alia obtinere. Sic Gonzal. *in regul.* 8. *Canull. glos.* 11. *nu.* 81. & *seqq.* & pluribus relatis Tiraquel. *in l. Boves* §. *Hoc sermone a num.* 36. *ff. de verbor. signif. appellat.* 89. *n.* 3. & *appell.* 32. *n.* 12. & 179 *numer.* 2. & Dian. *part.* 8 *tract.* 3. *resol.* 36. & *seqq* ergo etiam Hilarion ad unum contrahendum matrimonium, ad secundum contrahendum non censetur dispensatus.

8 Ut certa adhibeatur resolutio, necessariò videnda erant verba dispensationis: nam si fuerunt limitata, & restricta ad ducendam fœminam, quam primâ vice duxit, vel ad unum tantum matrimonium, ex ea dispensatione, secundum inire nequit: nam limitata causa limitatum producit effectum, *l. In agris ff. de acquir. rerum domin.* Vide Sanch. *l.* 8. *de matr. disp.* 31. *num.* 2. Si tamen dispensatio non fuit limitata, sed absoluta, & totalis, probabilius est, potuisse Hilarionem, soluto priori matrimonio, inire secundum, & sic dispensatio pro prima vice non fuit extincta. 1. Quia dispensatio absoluta, & totalis in nostro casu, nihil aliud est, quam relaxatio voti, seu obligationis illius: sed relaxato voto castitatis, & illius obligatione, non est, quid impediat transitum ad secundas nuptias: ergo si dispensatio Hilarioni concessa ad ducendam fœminam fuit absoluta, & totalis, ut non impeditus ad secundas nuptias potest transire.

9 Secundò, quia ex stylo Curiæ Romanæ, qui omnino servandus est, *cap. Quam gravi in fine, de crimin. falsi*, Flamin. *de resign. tom.* 1. *l.* 1. *q.* 2. *n.* 8. & *l.* 6. *q.* 2. *n.* 15. Sanch. *de matr. l.* 3 *disp.* 29. *n.* 17. & *l.* 8 *disp.* 21. *n.* 16. constat, quando Sum. Pontifex dispensationem restringere vult ad primum matrimonium, id exprimit in litteris dispensationis, ut testatur Sanch. *d. l.* 8. *disp.* 31. *num.* 2. prope finem, & *num.* 11. ergo si in litteris dispensationis ab Hilarione obtentis, ea expressio non fuit exhibita, ad secundas nuptias transire poterat. Hanc sententiam docet Sanch. *dict. disp.* 31. *num* 8. 11. & 12. Stunic. *in tract. de vot. q* 6. *nu.* 125. ubi inquit, professum, cum quo dispensatum est ad matrimonium contrahendum, posse viduum ad aliud transire.

10 Addo non solum, quando dispensatio fuit totalis, potuisse Hilarionem transire ad secundas nuptias, dissolutis primis; sed etiam quando fuit partialis, v. g. in voto Castitatis ad contrahendum matrimonium, ut in nostro casu. Ratio est 1. quia dispensatio videtur excludere, ne voto castitatis ligatus, excusetur à sacrilegio fornicando, non autem excludere videtur transitum ad secundas nuptias, prioribus dissolutis. 2. Quia cùm dispensatio ad matrimonium sit absoluta, absolutè tollit vinculum matrimonio obstans, sic Sanch. cum aliquibus *cit. num.* 10.

11 Nec obstat ratio dubitãdi *n.* 7. adducta, Nam quando aliquis expressè dispensatur ad unum matrimonium contrahendum, bene infertur ad alia nõ manere dispensatus; idẽ dicendum, quando absolutè aliquis dispensatur in castitate ad ineundum matrimonium. Sic etiam dispensatus ad ordines, non censetur ad maiores dispensatus; & dispensatus ad unam dignitatem, ad aliam dispensatus non censetur, & sic de alijs adductis exemplis. Secus dicendum si dispensetur in irregularitate ad ordi-

ordines, aut dignitatem, nam sublatâ irregularitate, quæ erat impedimentum, per dispensationem, jam ad alios ordines, & dignitates non datur impedimentum. Vide Sanch. *citat. num.* 8.

§. III.

An Hilarion per dictum privilegium Lauretanum retinere possit eas pensiones ultra quantitatem ducentorum ducatorum?

SUMMARIUM

12 *Potest eas retinere pensiones, etiam secundis nuptijs celebratis.*
13 *Confirmatur authoritate P. Castri Palai.*
14 *Bigamia incursa in hoc casu nihil operatur.*
15 *Quæ dicunt DD. juxta jus commune, ad hunc casum non extenduntur.*
16 *Privilegium Lauretanum prohibet, ne recipiantur pensiones ultra quantitatem ducentorum ducatorum auri de Camera.*

12 Respondeo, posse Hilarionem eas recipere pensiones, etiam post secundas nuptias celebratas, quia privilegium obtinuit Lauretanum, ut dicitur *numer.* 1. Non tamen eas recipere potest ultra quantitatem ducentorum ducatorum Cameralium. Prima pars ostenditur, quia illas non recipit ex dispensatione obtenta, sed ex privilegio Lauretano sibi concesso: privilegium autem multum differt à dispensatione, ut cum Vasq. & alijs tenet Castr. Palaus *tom.* 1. *tractat.* 3. *disp.* 4. *punct.* 1. *numer.* 5. Et etiam patet, nam quamvis plures Doctores, sentiant, dispensationem uno actu extingui, ut vidimus *supra numer.* 7. id tamen non est certum, quoniam id intelligi debet, juxta formam dispensationis, ex resolutis per Sanch. *cit. d. l.* 8. *disp* 21. *per totam*; privilegium autem uno actu non extinguitur; immo semper durat toties, quoties privilegiatus illo uti velit. Surd. *consil.* 514. *titul.* 15. *volum.* 4. Menoch. *consil.* 727 *numer.* 4. Gonzal. *in regul.* 8 *Canc. Gloss.* 9 §. 2. *numer.* 11. & *Gloss.* 21 *numer.* 31. Castr. Palaus *cit. disput.* 4. *punct.* 2. *nu.* 1. & 2. Et expresse in præsenti casu *tom.* 2. *tract.* 13. *disp.* 1. *punct.* 11. §. 10. *nu.* 6.

13 Loquens de privilegio Lauretano, ibi: *Caterum mihi probabilius apparet, te in perpetuum retinere posse. Sic Garcia docet nuper relatus. Ratio est, quia illa pensio a principio non fuit pro limitato tempore concessa, sed fuit concessa absolutè; debebat autem extingui matrimonio contracto, quam extinctionem suspendit facultas Pontificia pro uno anno concessa. Si interim suscepisti militiam Lauretanam, cui est concessa pensionum prorogatio, non obstante matrimonio, efficitur sane, tuam pensionem prorogari, quia superveniens militia impedit extinctionem, quam matrimonium causare debebat, sicut si post assumptam, matrimonium contraheretur.* Sic Palaus. Undè rectè infertur, Hilarionem hoc habentem privilegium in perpetuum, per secundas nuptias illud non amisisse.

14 Nec obstant 1. *dicta n.* 5. Nam bigamia per secundas nuptias incursa, in præsenti casu nihil operatur; nam privilegium Lauretanum concedit, quòd inhabilis ad dictas pensiones, illas retineat, ut est qui matrimonium contraxit, quanvis bigamus non esset; & cum privilegium sit absolutum, & generale, ad non bigamos restringi nequit.

15 Nec obstant 2 text. & DD *nu* 4. allati; nam loquuntur de jure communi, & non de hoc privilegio. Nec decisio Garciæ; *ibi cit. part.* 1. *cap.* 5. *n.* 108. & 109. nobis est contraria, quia loquitur in casu valde diverso.

16 Secunda pars resolutionis *n.* 12. probatur, quia expresse *in cit. const. Sixti V.* dicitur nō posse dictos milites Lauretanos pensiones ultra ducentos ducatos auri de Camera; ut constat ex verbis *dict. const n.* 6. relatis, & DD. citatis, quibus addo Azor. *part.* 2. *l.* 8. *cap.* 7. *q* 3. *in fine.*

QUÆSTIO XLII.

An conjugatus, qui non adimplevit pœnitentiam quatuor mensium à Pontifice designatam, valide matrimonium contraxerit, & quid gerere debeat, ut maneat tutus in cōscientia?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Valide matrimonium contraxit; quia servitium non fuit impositum ut forma, aut conditio.*
3 *Clausula: si ita esse, &c. non inducit formam, aut conditionem.*
4 *Tambur. oppositum sentiens non illud probat.*
5 *Dictio ut in principio tertiæ clausulæ impositæ, non inducit conditionem, sed modum.*
6 *Verba publicè peracta pœnitentia, non de servitio Ecclesiæ, sed de pœnitentia publica in Ecclesia intelliguntur.*
7 *Marcus tenetur pœnitentiam servitij in conscientia satisfacere, nec per inferiorem S. Pontifice, dispensationem, seu commutationem potest obtinere.*

1 MArcus à S. Pontifice dispensatus ad matrimonium cum consanguinea contrahendum, illis tamen pœnitentiâ impositâ, ut in Ecclesia publicâ adessent sacro cum candelis in manu accensis, & ut vir, seu Marcus per quatuor menses servitium in aliqua Ecclesia, à delegato designanda, exhibuisset. Primam peregerunt, servitium tamen in aliqua Ecclesia, à Marco peractum non fuit. Matrimonium in facie Ecclesiæ cōtraxerunt, & filios habent. Quæritur *ut in tit. q.*

RESOLUTIO.

2 Quoad primam tituli quæstionis partem; Respondeo matrimonium fuisse validum; quia pœnitentia Marco imposita illorum quatuor mensium, non fuit per modum conditionis, aut formæ, sed per modum supplicij ob culpam commissam. Probatur 1. ex eo, quòd communiter dicunt Doctores circa dispensationem commissam sub hac clausula: *Injunctâ ei pœnitentia salutari*, quæ non formam, aut conditionem, sed satisfactionem ob culpam importat, ut colligitur ex Sanch. *l.* 8. *de matrim. disp.* 34. *num* 28 & 29.

3 Secundò probatur, quia clausula: *Si ita esse per diligentem latoris examinationem, ac post monita, & consilia opportuna illi præstita inveneris*, non inducit formam, aut conditionem, sed institutionem, aut medicinam, ut expressè docet Sanch. *proxime numer.* 27. & in nostro casu eadem militat ratio, cùm post hanc clausulam, addatur clausula *numer. præcedenti allata.*

4 Nec obstat primò Tamburin. *l.* 8. *de matrim. tractat.* 2. *capitul.* 13. § 3 *numer.* 11. oppositum docens ibi: *Quid, si deinde orator jam dispensatus omittat servitium? Respondebis; illicitè omittet, sed valide persistit dispensatio. Audio: sed hoc non satis esset, ad difficiles reddendas ejusmodi dispensationes, & ad exemplum aliorum, quæ est intentio Ecclesiæ; ergo dicendum est, non solum illicitè agi, sed invalidè* Sic Tambur. Non, inquam, placitum hujus Doctoris obstat, quia ex ea difficultate, aut aliorum exemplo, non probat, servitium non impletum inducere formam, aut conditionem ad dispensationem requisitas, quod erat necessarium, ut dispensatio esset invalida, eo deficiente servitio Ecclesiæ. Addo, omittentem hoc servitium in pœnitentiam impositum, teneri quam primum illud implere, ut mox dicemus *numer.* 7. & sic hoc satis erit ad reddendas has dispensationes difficiles, & ut cesset malum exemplum.

5 Nec obstat secundò, quod dictio, *ut* in principio illius clausulæ; *ut vir conferat servitium alicui loco pio per quatuor menses* in rescripto posita significat conditionem, ut ex surdo notat Conrad. *in praxi disp.* 1. *disp.* 1. *l.* 8. *capitul.* 6. *numer.* 54. quem citatq; approbat, Tamburin. *citat. d. l.* 8. *tract.* 2. *capitul.* 13. §. 3. *numer.* 8. Additur, quod Thesaurus *in praxi de pœnis part.* 1. *capitul.* 2. apud Dian *part.* 7. *tract.* 10 *resol.* 9. asserit, pœnas à Dataria impositas sapere formam: ergo si pœnitentia servitij Ecclesiæ, Marco imposita inducit formam, & conditionem, matrimonium celebratum, eà non impletâ conditione, & formâ, fuit nullum. Non, inquam, hæc obstant: non primum, de dictione *Ut*, quia hæc dictio non inducit conditionem, sed modum, quia eundem sensum facit, quem dictio *Dummodo*, quæ non facit conditionem, sed modum regulariter loquendo, ut eleganter Sanch. *l.* 3. *de matrim. disput.* 33. *numer.* 2 *propè finem.* & Barbos. *tractat de dict. usufrequent dict.* 439 ubi de hac dict. *Ut* agit, supra 20. Doctores *numer.* 2 citat, docentes hanc dictionem, *ut* non conditionem, sed modum importare; & cum sit diligentissimus, nullum assignat sensum, in quo per se solam, conditionem significat. Nec etiam secundum, quòd pœnitentiæ impositæ à Pontifice sapiant formam: nam si formam sapere censerentur; nec in urgentissimo casu ab Episcopo in aliud opus æquipollens, mutari poterat; quod tamen concedit ipse Thesaurus, & apud Tambor. *citat. numer.* 3 *fine.* Tancred. 2. *part. qq. moralium tract.* 5. *q.* 21.

6 Non obstat Tertiò, quòd in his rescriptis dicitur primò, quòd delegatus oratores separet, si forte simul habitent. Secundò, ut imponat eisdem pœnitentiam publicam, assistendi in Missa cereis accensis. Tertiò, ut vir conferat servitium alicui loco pio, per quatuor menses, quibus præscriptis, concludit rescriptum. *Et peracta publica pœnitentia, dispenses, &c.* ergo necessarium est, quòd illa tria ante dispensationem peracta sint. Non, inquam, obstat, quia consequentia non rectè infert; quia verba: *peracta publicè pœnitentia, dispenses*, &c. Intelliguntur de pœnitentia publica in Ecclesia peracta, quam Summ. Pontifex vult ante dispensationem peractam peragi, & non de servitio Ecclesiæ, quod occultum esse poterit; illo tamen omisso, adhuc valida erit dispensatio.

7 Quoad secundam partem *titul. quæst.* in qua Marcus inquirebat, quomodo se gerere debeat, ut tutus maneat in conscientia? Respondeo, teneri pœnitentiam quatuor mensium servitij adimplere; & dum eam non adimplet, iniquâ, & peccaminosâ mortaliter versatur conscientiâ. Ratio est, quia in pœnitentia à Summ. Pontifice imposita, nemo potest dispensare, nec eam commutare, ut ex Gloss. *in cap.* 2. *de sortil.* ibi: *Pœnitentiam imponimus, quod per annũ, &c* & *ex cap. De causis, de offic. deleg.* probat Sanch. *cit dict. l* 8. *disp* 34. *numer.* 32. & 33 & Pyrrhus Conrrad. & Bard. quos affert, & sequitur Tamburin. *cit. num.* 5. ubi, inquit, P. Bardi asserere *in select. l* 4 *q.* 5. dispensationem, seu commutationem dictæ pœnitentiæ ab inferiori factam, reddere dispensationem nullam, sed plures oppositum docent, *ut supra* manet dictum.

QUÆS-

QUÆSTIO XLIII.

An à teste non integro matrimonium impediri possit, juramento impedimentum confirmante?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Sufficit unus testis ad matrimonium impediendum.*
3 *Hoc impedimentum purgari potest.*
4 *Ratio principalis adducitur; judicis arbitrio standum est.*

1 NIcolaus, & Lucia sponsalia jurata ad matrimonium contraxerunt. Quidam tamen Nicolai patruus, illius patris frater, ad denuntiationes exivit, dicens, se semel, ac iterum cum dicta Lucia desponsata copulam habuisse, & hoc dictum juramento deposuit. Hic patruus hoc matrimonium ægrè ferebat; & ubi primum de illo notitiam habuit, asseruit, se illud impediturum, & alios ad suam sententiam inducere statuit. Quæritur; An dicta Lucia desponsata dictum purgare possit impedimentum; quia fatetur esse falsum, & illatum, ut illi matrimonium impediatur.

RESOLUTIO.

2 Respondeo, posse Luciam dictum purgare impedimentum: nam licet ad impediendum matrimonium unus sufficiat testis *cap. super eo 2. de testam. & attest.* & *cap. Præterea, 12. de Sponsalibus.* Et etiam quando sponsalia sunt juramento firmata, ut verius existimat Sanch *l. 1. matr. disp. 71. num. 8.* (quamvis oppositum cum pluribus, quos ibi allegat, censeat probabile) Cæterum solùm dicendum est, sufficere unum testem, quando testis est integer, ut docet idem Sanch. ibi *dict. n 8.* Quod probatur ex text. *in citat. capit. Præterea*, ubi in terminis præsentis casus, unus non sufficit testis, ex eo quòd integer non sit, ut inquit idem Sanches.

3 Et videtur esse evidens, quia testis de quo agitur *numer. 1.* haberi debet pro non integro, ex his rationibus: 1. quia turpitudinem suam allegavit; ut notat Sanch. *cit.* in teste text. *cap. Præterea* ibi: *Ille testis non erat omnino integer, quia allegabat turpitudinem suam*: & latissimè pluribus citatis Barbos. & de Axiomat. axiom. 221. *numer. 1.* ergo ex eadem ratione dictus Nicolai patruus non est testis integer.

4 2. Et principaliter, quia constat, tale matrimonium dicto patruo displicere, & illud dissolvere machinari; quod Doctores magno tribuunt defectui, ut videre est, apud Sanch. *citat. numer. 12.* ibi: *Hinc infertur judicem considerare debere qualitatem personæ testificantis, & an sibi displiceat matrimonium, nec ne? & alias circunstantias, ut bene docent Hostiensis, & Calderin. capit, Præterea 2. de Sponsa. & ibi Ioann. Andreas numer. 4. Anton. numer 8. Ancharan. numer. 4 Gregor. Lop. l. 18. verb. de un. titul. 9. part. 4. Et ratio est, nam quæ sint veræ probationes, & quando testibus fides adhibenda sit, multum in judicis arbitrio versatur, ut latè tradit Menoch. de arbitr. l. 2. cantur. 1. casu 90.* Hæc Sanch.

QUÆSTIO XLIV.

An qui vocum castitatis absolutum emisit, & ratione illius periculosas patitur infirmitates, possit absque dispensatione uxorem ducere? Et an possit cum eo Episcopus dispensare?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Conjugato habenti votum castitatis non cessat votum per matrimonium.*
3 *Habenti votum Religionis non cessat votum per morbum incurabilem.*
4 *Plures DD. sentiunt cessare.*
5 *Votum Castitatis non cessat propter vehementia incontinentiæ pericula.*
6 *Votum cessat, quando illius materia reddita est mala, vel est impeditiva maioris boni.*
7 *Convenientia, & pericula incontinentiæ conjugum votum non dissolvunt.*
8 *Quando dubitatur de malitia materiæ voti, aut de impedimento maioris bonitatis, non cessat votum.*
9 *Votum Castitatis absolutæ non cessat ex gravi detrimento non præviso, licèt cessent aliqua vota ob periculum vitæ, honoris, aut gravis detrimenti non prævisi.*
10 *Non valet dici, si hæc pericula prævidissem, votum non emisissem.*

1 AMbrosius votum castitatis emisit absolutum. Post aliquod tempus morbum contraxit, illi in spatio quinque, aut sex amorum, per quatuor, aut quinque vices repetens. Et talis est qualitatis, quod non obstantibus varijs medicaminibus à medicis applicatis; pro qualibet vice, qua hoc morbo impetitur, per duos aut tres menses perfecto caret judicio. Medicis videtur opportunum, seu melius hujus infirmitatis remedium esse conjugis statum. Et iteratâ per aliquas vices hâc infirmitate, prudenter, & probabiliter timere potest judicio amissurum. Ad statum Religiosum etiam ob eam causam censetur, se inhabilè esse. Addit, suas in castitate pati fragilitates,

eò quod vitam degat, ubi in periculo versatur, & difficile est alibi vivere, ubi in eo non versetur. Quæritur 1. si his consideratis causis, teneatur ad observantiam voti castitatis; & absque dispensatione uxorem ducere possit? 2. Si in casu, quo votum non cesset, ad dispensationem dictæ causæ sufficiant? 3. Si potest Ordinarius, in his terminis, dispensationem concedere, ob moras Romam recurrendi, & ob morbi repetitionis periculum.

§. I.

An ijs consideratis causis teneatur Ambrosius ad castitatis observantiam, & possit absque dispensatione uxorem ducere?

2 Respondeo, & teneri ad observationem voti castitatis, & non posse absque dispensatione uxorem ducere. Ratio est, quia ut dicitur *numer.* 1. votum fuit absolutum: votum autem absolutum nullam admittit limitationem. Nec est idem dari urgentem causam ad dispensandum in voto castitatis absoluto, ac cessare illius obligationem. Ut varijs exemplis ostenditur.

3 Primum sit de conjugato votum castitatis habente; ratione cujus non potest petere: & tamen cum uxore vivit cum periculo morali petendi. Et hoc periculum morale est causa urgentior, quam illa Ambrosij de infirmitate: & tamen obligationem non dissolvit, sed tantum est causa, ut habeatur dispensatio. Ut dicunt Sanch. *l.* 4. *decal. cap.* 45. *num.* 40. Soar. *tom.* 2. *de Relig. l.* 6. *cap.* 17. *num.* 9.

4 Secundum exemplum sit de emittente votum Religionis, cui postea supervenit morbus incurabilis, & talis, quòd illi impedit Religionis observantiam. In quo casu, licet urgentiore casu Ambrosij, dicunt aliqui Doctores non manere liberum à voto, & tantum habere causam, ut dispensetur; ut videre est, apud Sanch. *citat. num.* 43. ibi: *Deducitur, esse justam causam dispensandi in voto Religionis morbum continuum, cujus salus desperatur, quando talis est, ut observantias Regulares impediret.* Vide illum.

5 Tertium exemplum urgentioris causæ est, quando habens tale votum, aut votum non nubendi, experientiâ compertum habet, se vix posse continere; & ex suo vivendi modo versatur in periculo incontinentiæ vehementi, & tamen Doctores communiter sustinent, non cessare obligationem voti, sed solùm dari causam ad dispensandum. Sic Lessius *l.* 2. *de just. cap.* 4. *dub.* 12. *numer.* 101. Sayr. *in clavi Reg. l.* 6. *cap.* 12. *numer.* 30. Soar. *proximè cap.* 17. *num.* 9. Sanch. *citat. numer.* 44 Castr. Palaus *tom.* 3. *tract.* 15. *disp.* 1. *de voto punct.* 20. *numer.* 4. Dian. 4 *part. tract.* 4. *resol.* 102. & alij quos refert, & sequitur Leandr. *tom.* 7. *tract.* 1 *disp.* 13 *q* 6. contra alios.

6 Confirmatur, quia votum solùm cessat, quando illius materia reddita est mala, aut impeditiva maioris boni: at in præsenti casu, non est malum, quod Ambrosius observet castitatem, non obstante suo morbo, & se potius mori desinat, pro castitatis observatione, non est malum, sed actus virtutis; ut in terminis hujus casus expressè inquit Sanch. *l.* 8 *de matr. disp.* 20 *n.* 26 ibi: *Continentia etiam cum individui periculo, est actus virtutis, nec illius fractione matrimonium ineundo necesse est saluti corporeæ mederi, &c.* Hæc quoad infirmitatem.

7 Nam quoad convenientias conjugiorum, & pericula incontinentiæ, ex dictis bene sequitur, relatis esse minora, & solum concludi esse causas ad dispensandum, & non ad dissolvendam obligationem voti. Et in terminis præsentis casus ita sentit Sanch. *cit. numer.* 26.

8 Dixi: *quando materia voti certò reddita est mala*; nam si id certum non est, sed solùm dubium, nec tunc cessat votum, sed tantùm adest causa, ut in illo dispensetur, ut cum communi Doctores docet Sanch. *cit. dict. l* 4. *decal. cap.* 45. *nu.* 39. Et hujus ratio est, quia possessio stat pro voto, qua proinde non debet spoliari in dubio. Et in nostro casu, dicto suppositio, quod amplius pro parte contraria allegari poterant, viderentur illam in dubium adducere. Non tamen dificiam illis, quæ ab aliquibus in oppositum solent adduci.

9 Non obstat 1. quod Doctores communiter conveniunt, cessare votum ob periculum vitæ, honoris, aut alterius gravis detrimenti non prævisi; non tamen cessare, si prævisso illo gravi periculo, &c. adhuc votum emitteretur. Sic Soar. *tom.* 2 *de Relig. l.* 4. *de oblig. vot. cap.* 20. *numer.* 1. *cum pluribus*, quos citat, & cum limitationibus *à numer.* 3. Castr. Palaus *citat. tom.* 3. *tract.* 15. *disp.* 1. *de vot. punct.* 20. *nuuer.* 5. Fagund *l.* 2. *decal. cap.* 31. *a numer.* 4. Tambur. *l.* 3. *decal. cap.* 16. *à numer.* 1. & alij, quos refert, & sequitur Leand. *cit. dict. tom.* 7. *tract* 1. *disp.* 13. *quæst.* 8. Ex hac ratione, quia in 1. parte res voto promissa notabiliter mutatur, non tamen mutatur in secunda conclusionis parte: at Ambrosius in observatione sui voti patitur periculum vitæ, & suæ salutis, & grave detrimentum non prævisum in emissione voti, ut constat *ex dictis numer.* 1. ergo illud votum cessat, & potest sine dispensatione uxorem ducere. Non, inquam, hæc obstant, quia cit. DD. non loquuntur de nostro casu: ideo enim diximus *n.* 2. nos loqui de voto castitatis absoluto, quod nullam admittit limitationem. Sicut etiam dicitur de voto absoluto non nubendi, quod non cessat, etiam cum prædictis periculis, ut videre est apud Leand. *proximè q.* 6. Et de voto serviendi perpe-

perpetuo alicui hospitali, quod non cessat ob vitæ periculum, ut inquit Soar. *proxime num.* 2. & in alijs

10 Nec obstat 2. dicere: Si aliquis vovens prævidisset illa pericula supervenientia, votum non emisisset. Non, inquam, obstat quia hæc conjectura est multorum cõtractuum destructiva: quis enim contraxisset matrimonium, si prævidisset, quæ postea supervenerunt; quanti non emisissent professionem, si præscirent, quæ postea eis evenerunt. Sic docent communiter DD. Caiet. Sot Castr. Palaus, Prado, Dian. apud Leandr. *proxime.* Quando vero doctrina illorum DD. habeat locum? Vide *in cit.* maximè Fagund. & Tamburin, & alijs, quos citant. Nec ratio illius doctrinæ nostro congruit casui, in quo materia voti nunquam redditur mala, nec illicita, nec imprudens, ut ex dd. constat.

§. II.

An causæ supradictæ ad concedendam dispensationem, sint sufficientes.

SUMMARIUM

11 *Sunt sufficientes.*
12 *At non sunt sufficientes ad dispensandum in voto solemni Castitatis.*

11 Respondeo affirmativè cum Sanch. *l.* 8. *de matr. disp.* 20. *num* 26. ubi in terminis agit de hoc casu, & ibi asserit, designatam esse justam causam ad dispensationem, & rationem confert: *Quia negari non potest, materiam voti notabiliter mutatam esse, gravissimamque difficultatem supervenisse, nec a vovente excogitatam; & quamvis jure optimo posset vitæ periculum eligere ob castitatis servandæ amorem: at res ita ardua est, ut meritò credendum sit, velle Deum, qui hujus voti creditor est, ut Ecclesia benignitate sua utens, ex hac causa partim relaxet, partim in alia opera commutet. Nec obstat alijs medicinis posse huic damno subveniri; quia satis est id anceps esse, & valde difficile; præsentaneum que medium, ac judicio medicorum certius esse cottum. Sicut quamvis urgentibus carnis illecebris possit alijs medijs prospici; quia tamen ea non ita præsentanea, ac efficacia sunt, humana fragilitate voventis attenta, ac costus, est justa causa illas pati, cum frequentis lapsus periculo, ut in voto castitatis dispensetur.* Hæ rationes P. Sanch. cum illius authoritate ad hanc resolutionem, sunt tanti ponderis, ut pro illa necessarium non sit aliquid aliud afferre. Adverto tamen, Sanch. dicere, hanc dispensationem esse faciendam adjuncta aliqua commutatione in operibus pijs, ut ita Suppleatur, quod forte deerit, ut causa dispensationis sit justa ad æqualitatem, & ita observetur stylus Curiæ, in quo in his dispensationibus aliquid relaxatur, & aliquid commutatur.

12 Nec obstat, quòd prædictus morbus non est sufficiens causa, ut dispensetur in voto solemni Castitatis, adhibito eo medicorum testimonio, ut dicunt, sentire D. Thom. 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 11. *ad* 3. & ibi Caiet. *in fine*, Durandum *in* 4. *d.* 38. *quæst.* 2. *fine* D. Anton. 2. *part. tit.* 11. *capitul.* 2. §. 9 ad finem, & alios; & tamen ratio votis simplicis, & solemnis castitatis inter se non distinguuntur, ut communiter tradunt Doctores ergo etiam non erit sufficiens causa ad dispensandum in voto castitatis simplici. Non, inquam, obstat, quia datur diversa ratio in voto solemni castitatis: quia ejus dispensatio cedit in notabile status Religiosi detrimentum, quod multo urgentiorem causam dispensandi requirit; & solùm petit causam boni communis, ut probat Sanch. *cit. d. l.* 8. *de matrim. disp.* 8. *num.* 2 & 8. & tenent omnes DD. apud Leandr. *tom.* 7. *tract.* 2 *de voto disp.* 4 *quæst.* 55. Ut vero dispensetur in voto Religionis. [aut castitatis] sufficit ille morbus, qui sane impedit observantias Regulares; ut docet Sanch. *cit. dict. disp.* 20. *numer.* 26. *in fine*, & alij communiter, mox citandi §. *seq.*

§. III.

An possit ordinarius in terminis præsentis casus dispensare cum Ambrosio ob mali repetitionis periculum, & ob moras recurrendi Romam?

SUMMARIUM.

13 *In præsenti casu potest ordinarius dispensare.*
14 *Probabilius est, non posse, quando adest aliquis, qui ex speciali commissione, aut privilegio potest dispensare.*
15 *Probabile est posse.*
16 *Capitulum Sede Vacante, potest dispensare.*
17 *Dispensatio non extenditur ad secundas nuptias, nec quòd peccatum contra castitatem non sit sacrilegium.*

13 Respondeo in terminis præsentis casus, posse dispensare. Sic Sanch. *l.* 8. *de matrimon. disp.* 9. *numer.* 22. ubi inquit posse Episcopum dispensare in voto castitatis absoluto, quando non patet facilis, nec commodus ad Summum Pontificem recursus, *eo quod ex mora grave incontinentiæ periculum consurgat.* Addit que: *Idem dicendum est, quamvis non immineat periculum incontinentiæ ex mora, si aliud quodcunque*

grave periculum immineat. Et in præsenti casu præter periculum incontinentiæ, adest periculum repetitionis simpthomatis cum perpetuitate, & periculum amittendi opportunitatem conjugis competentis. Idem Sanch. *l.4.decal.cap.40.num* 4 ait, Episcopos posse in sua Diœcesi omne id, quod S. Pontifex in tota Ecclesia, exceptis specialiter reservatis, [quod ex professo probat. *l.1 de matr.cap.* 61. *num.*3.] Inquit etiam non esse verisimile, S. Pontificem sibi reservasse dictum votum in periculis, & inconvenientibus allatis. Idem ob eandem rationem tradunt, & dicunt Lessius *l.2.de just cap.4 dub.*13.*n.* 106. Soar.*tom.* 2. *de Relig.tract. de voto l.6.cap* 26 *n* 9. Idem cum multis tenet Barbos.*in collect.ad cap.Veniens* 5. *qui cleric,vel vovent.n.*5. ibi: *Multo probabilius est, posse Episcopum dispensare in voto continentiæ, si detur urgens causa, seu gravis necessitas, prout est grave periculum incontinentiæ, vel simile, & interveniat simul morale, vel grave impedimentum adeundi Pontificem, & ita detur probabile periculum in mora, in quo casu potest Episcopus dispensare, &c.* Quod probat ex *dict.text in cap veniens*, Barbosa *part.2 de potest.Episc alleg.*37. *n.*8. Idem cum Basil. & Laym. sustinet Castr. Palaus *tom* 3 *tract.*15.*disp* 2.*punct.*12 *n* 4 Idem defendunt Tambur.*l.*3.*decal cap* 16 § 4. *num.* 37.& Leand. *tom.*7.*tract* 1.*de Iuram.disp.*17 *q.* 117. qui post *cit.* pro parte adversa Rodrig. & Ludovic.Lop.sic sentit: *Sed longe multo verius, imo & certissimum mihi, respondeo, posse Episcopum dispensare in dictis votis* (nempe Castitatis perpetuæ, & Religionis] *quando urget magna necessitas dispensationis, nec Pontificis responsum expectari potest, absque gravi periculo corporis, vel animæ. Quia non est credendum velle Pontificem in hoc casu, sibi reservare hæc vota, eorumque dispensationem sed potius Prælatis inferioribus concedere, eo quod id rectæ gubernationi conveniat*; & ultra citatos affert Petr. Ledesm. Henriq. Trullech. Navarr. Dian. Fagund. Basileum: Cum ergo pro dicta resolutione tot sint graves DD. ordinarius dispensare non recusabit.

14 Hic tamen interponimus dubium, An quando aliquis ex speciali commissione, vel privilegio adest, qui potest dispensare, possit nihilominus Ordinarius, nempe Episcopus dispensare? De quo dubio agimus supra *q.* 39 *n* 21 & 22. Ne tamen deficiat responsum eo tempore, quo fuit hæc quæstio interrogata, illam iterum adducimus, aliquibus DD. adhibitis. Ad dubium ergo propositum, respondeo communiter negare DD. quia Episcopus potest dispensare, quando adest urgens necessitas, & non potest adiri Pontifex: sed quando adest Nuntius, aut alius, qui potest ex privilegio dispensare, cessat necessitas: ergo: Sic Sanch. *l.2.de matr.disp.*40. *n* 8.& *l.*8.*disp* 9.*n.*25.& *l.*4 *decal.cap* 40.*n.*38 Soar *d l.*6.*de voto cap.*26. *n.*15. Castr. Palaus *cit. dicta disp.*2.*punct.*12.*n.* 5. Basil. Pont. Less. Laym. Trullench. Navarr. & alij, quos affert, & sequitur Leand. *cit. dict. disp* 17.*q.* 134.

15 Probabile tamen est, adhuc in eo eventu posse Episcopum dispensare, ut tradunt Henriq. *l.*8.*de panit.cap* 10 *n.*1.& *l.*12.*de matr. cap.*3.*n.*1 Avil.*de cens* 2 *part.cap.*7.*disp.*1 *dub.*6. *notab.*3. Tambur.*l.*3 *decal cap.*16.§.4. *n.*38.& alij citato loco adducti: Ratio est, quia per accidens est, quòd ille delegatus habeat hanc potestatem. Nec inde tollitur potestas, quam in his casibus, censetur concedi Episcopo Additur, quod nescio, quòd hæc potestas dispensandi in voto castitatis soleat concedi Nuntijs, & cum hæc potestas illis ignoretur concessa, facilius est ad Episcopos recurrere, qui præstò sunt ad eas concedendas dispensationes, in ijs urgentibus casibus. Nam præsentibus Nuntijs, præcisa ea speciali potestate, ut inquit Leand *proxime*, *q.*123 posse Episcopos dispensare, certum est. Quia licet Nuntius sit Legatus à latere, tantum potest vi suæ dignitatis circa dispensationes in sua Provincia, quantũ Episcopus in suæ Diœcesi, ut inquit idem Leand. *cit. q.*53. ergo cùm maiori potestate non gaudeat, facilius est ad Episcopum recurrere Ita Sanch. *l* 8.*de matr.disp.*9. *nu.* 15. ubi inquit oppositum carere fundamento, & *l.*4. *decal.cap.*40.*n.*38. citans Soar. & Avil. Et videri potest Leand. asserens *cit. loco*, aliquos DD. citatos à Rodrig. pro opposita sententia, illam non docere.

16 Duo tamen sunt omnino certa. Primum, posse Capitulum sede Vacante, in his dispensationibus omne id, quod in illis potest Episcopus. Quia omne id, quod Episcopo competit potestate ordinaria, transit ad capitulum Sede Vacante *cap.cum olim*, 14. *de maior.& obedient.* Ita Molin.*tom.*1 *de Iust.disp.*250 Sanch.*l* 8.*de matr.disp* 2.*n.*10.Barbos. *de potest. Episc.alleg.*39 *nu* 16 Dian.4 *part.tract* 4.*resol.* 211.*cum pluribus*, & iterum *part.*7. *tract.* 2. *resol.* 3. *cum multis alijs*, & *alijs cit.* Leand. *dict. tom.*7.*disp.* 17.*q* 69. Et cum hæc potestas competat, ut dixi, Episcopis jure ordinario, inde sequitur secundum: Posse non solum Episcopum, sed etiam Capitulum Sede Vacante, [ut inferunt citati DD delegare, & committere, cui voluerint, dictam dispensationem.

17 Unum denique adverto, hanc dispensationem extendi non posse, nisi ad id, quod duntaxat necessitas infirmitatis postulat. Quare Ambrosius ad matrimonium contrehendũ ab Episcopo dispensatus, eo matrimonio soluto, ad secundas nuptias, sine alia dispensatione á Pontifice, transire non potest; Est enim hæc dispensatio multum diversa, quamvis absoluta, ab illa, de qua egimus *supra q.*43.*n.*9. & 10. Et dum conjugatus extiterit, si aliquod peccatum contra castitatem commiserit, malitiam sacrilegij contra votum incurret. Sic. Soar. *cit. dict cap.*26. *numer.* 13. *in fine* Sanch. *l.*4 *decal. capit.*40 *numer.* 40. *etiam in fine.* Castr.

Palaus

Pal Basil Navarr Less' Laym. quos refert, & sectatur Leand *proximè q* 120.

QUÆSTIO XLV.

An fœmina ante annum duodecimum voto Religionis, aut in dubio anni duodecimi, emisso obligetur; & post matrimonium contractum, quinam illud irritare, aut dispensare possint?

SUMMARIUM

1 *Facti species.*
2 *Aliqui existimant, votum ante duodecimum annum emissum, non esse validum.*
3 *Certum est, illud votum esse validum.*
4 *Pater potest votum Religionis ante duodecimum annum emissum irritare.*
5 *Etiam potest illud irritare, post duodecimum annum post emancipationem, & postquam filia a patria potestate egressa est.*
6 *Et etiam in dubio, an votum emissum fuisset ante, vel post duodecimum annum.*

1 LUcia virgo in domo paterna emisit Religionis votum, dubitat tamen, an quando id votum emisit, jam completus esset duodecimus annus? Post aliquos annos nupsit, & hodie cum marito vitam agit, parentes non habens. Quæritur 1. an votum fuisset validum, & à parentibus irritari potuisset? 2. Si parentibus careat, á quibus possit irritari, id votum? 3. An Episcopus possit illud votum irritare, aut dispensare.

§. I.

An votum Religionis ante duodecimum, aut in dubio duodecimi anni emissum, fuisset validum; & à parente potuisset irritari?

2 Respondeo, non deesse DD. negantes esse validum; quia existimant impuberes legitimam vovendi ætatem non habere. Hi sunt D. Thom. D. Bonav. Sylvest Angel. Palacios, Greg. Lopes, & his favent alij omnes apud Leand. *tom. 7. tract. 1. disp. 43. q. 12.*

3 Dicendum tamen est, si Lucia dubia est an duodecim annos completos habuerit, quando illud Religionis votum emisit, votum in illa dubietate ætatis emissum, fuisse validum. Quia in ea ætate jam habebat usum rationis sufficientem ad culpam mortalem cõmittendam, quod tantùm sufficit ad quodcunque votum validè emittendum. Ut communiter tradunt DD. Sanch. *l. 4. decal. cap.* 18. *n.* 18. dicens hanc sententiam verissimam, & *cap* 35 *n.* 5 citans D. Thom. 22. *q. ult. art.* 3. *ad* 3 & *q.* 88 *art.* 9. *ad* 1. & Caiet. §. *Ad hoc dicitur*, & alios. Soar. *tom.* 2 *de Relig. l.* 1. *de essent. & honest. voti, cap* 9. *n.* 4. citans D. Th. Caiet. Palud. Sylvestr. Angel. Sot. & alios; Unde patet pro opposita sententia, non rectè fuisse citatos à Narbona apud Leand. *cit.* qui alios affert, & sequitur, & inquit, hoc sibi esse certum.

4 Ad secundam tituli quæstionis partem, respondeo, potuisse patrem Luciæ dictum votum irritare, casu, quo fuisset emissum tempore impubertatis, hoc est ante duodecimum annum completum: quia ob potestatem dominativam, qua pollebat in filiam Luciam, cæterosque filios, sive legitimos, sive illegitimos, potest eorum vota ante pubertatem emissa irritare; sic habetur expressè *in cap. mulier* 32. *q.* 2. & *in Concil. Tolet.* 10. *cap.* 6. & refertur *cap.* 1. 20. *q.* 2. & *in Concil. Tribuetensi cap.* 24 & *refertur. cap.* 2 20. *q.* 2. & tradunt communiter DD. quos latè referunt, & sequuntur Sanch. *l.* 4. *decal. cap.* 35. *n.* 7. Castr Palaus *tom* 3. *tract.* 15. *disp.* 2. *punct.* 3. §. 3. *n.* 5. Tambur. *l.* 3 *decal cap.* 16 § 3 *num.* 9 Leand. *tom.* 7. *tract.* 1. *de juram. disp.* 16. *q.* 72.

5 Et hoc votum Religionis poterat pater Luciæ illi irritare, etiam post pubertatem, nempe post duodecimum annum, post emancipationem, & post egressam patriam potestatem, dummodo tempore pubertatis dictum uotum legitime non ratificaverit. Ita *Soar. tom.* 2. *de Relig, tract. de vot. l.* 6. *cap* 6. *n.* 11. Sanch *dict l.* 4. *decal. cap.* 30 *n.* 9 & 14. Tambur. *proximè dict. n.* 9. & 10 & pluribus relatis Castr. Palaus *proximè n.* 5 & alij.

6 In dubio autem, an votum fuerit emissum ante, vel post pubertatem, hoc est ante, vel post ætatem duodecim annorum; adhuc pater irritare poterat votum emissum à sua filia Lucia. Ratio est, quia in dubio non est quis possessione sua spoliandus, *cap. Impari, de reg jur. in* 6. & *l. In pari ff. de reg. jur.* Soar. *tom.* 2. *de Relig. tract. de voto l* 4 *cap.* 6. *num.* 1. & *l.* 6. *cap.* 6. *n.* 4. *in fine* Sanch. *l.* 4 *decal cap.* 32 *n.* 2. & *l.* 2. *de matr. disp.* 41. *n.* 39. & alijs relatis Dian. 4. *part. tract.* 3. *resol.* 37.

§. II.

An votum Religionis à Lucia, patrem non habente, emissum, ab aliquo irritari possit?

SUMMARIUM.

7 *Probabile est à marito posse irritari.*
8 *Etiam in casu dubij, an fuerit emissum ante, vel post duodecimum annum.*

7 Respondeo, probabile esse votum Religionis à Lucia emissum, in dubio emissionis ante, vel post pubertatem adeptam, posse à suo marito irritari, ut docet Sanch *l.* 9. *de matrim. disp* 41 *n.* 4 ibi: *At si ea vota personalia emiserit, tunc ante pubertatem, vel realia post pubertatem, minor tamen* 25. *annis absque patris, aut tutoris, sub quorum erat potestate, beneplacito,*

posse virum ea omnia perfectè irritare, ita ut jam non reviviscant; & quamvis transacta sit ætas, in qua pater poterat, si non sint pos. illam vota ratificata; quia succedit in eandem potestatem, &c. Idem tenet Less. *de just. cap.* 40. *dub.* 15 *n.* 92. ibi: *Unde sequitur, si puella emisit votum castitatis, aut Religionis ante pubertatem, vel realia post pubertatem ante vigesimum quintum annum expletum, absque eorum, sub quibus erat, facultate, maritum posse ea irritare, etiam ante consummatum matrimonium, quia statim per ipsum contractum matrimonij rati, succedit in illorum potestatem. Ita Sanch. l.* 9. *matr. disp.* 41. *numer.* 4. *Quæ omnia rectè procedunt secundum priorem sententiam, quæ marito plenam potestatem in omnia uxoris vota concedit, quam diximus satis probabilem.* Idem asserit Tambur. *l.* 3 *decal.* § 3. *num.* 52. ibi: *Probabile enim est, vota personalia fœminæ, vel servi facta in impubertate, vel facta dum minores sunt, posse irritari à superveniente marito, vel domino; sic Less. l.* 2. *de just. cap.* 40. *dub.* 15. *num.* 92. *& Sanch. l.* 9. *matr. disp* 41. *n.* 4. Ratio, est, *quia maritum, & dominum succedere uxori, & servo vice parentis, vel tutoris, curatorisve, quando ij ordine prædicto non adsunt, non est improbabile.* Ex his tam gravibus DD. infertur, posse maritum, Luciæ illi votum Religionis factum in impubertate irritare.

8 Nec obstat, quòd de hoc voto datur dubium, an fuerit emissum ante, vel post pubertatem. Non, inquam, obstat, quia cit. DD. dicunt maritum succedere in potestatem patris; sed *supra num* 6 dictum est cum gravibus Doctoribus potuisse patrem, non obstante eo dubio, emmissi voti, ante, vel post pubertatem, dictum votum irritare: ergo etiam id ipsum poterit maritus, cum ad illum eadem patris potestas transacta sit.

§. III.

An Episcopus, aut Capitulum Sede Vacante dictum votum Religionis possint irritare?

SUMMARIUM.

9 *Affirmarunt aliqui DD.*
10 *Hoc tamen communiter reprobatur.*
11 *Lucia, hoc matrimonio dissoluto, ad secundas nuptias absque alia dispensatione transire potest. Non peccavit post contractum matrimonium, & consummatum, petendo, nec reddendo debitum.*

9 Aliqui affirmarunt DD Gutierr. *l.* 2. *canon. qq. cap* 22 *n.* 49. & alij apud ipsum, & Acacius, March. *tom.* 2 *verb. voto resol.* 449. *num.* 1. apud Leand. mox citandum; probant, quia vota, quæ emittuntur à subjectis dominativæ potestati facile solvi possunt irritatione; ergo credendum non est S. Pontificem illa sibi reservasse.

10 Hoc tamen assertum communiter à DD. reprobatur. Quare dicendum est, non posse Episcopum, nec Capitulum Sede Vacante, votum Religionis a Lucia emissum dispensare. Ratio est, quia potestas dispensandi est diversa à potestate irritandi: ergo inferri non potest à facilitate quam habent parentes, & alij ad vota irritanda, quòd Pontifex eam non reservasset, & sic posse Episcopos illa dispensare, nam id esset, illa irritare; quod illis non conceditur. Sic Sanch. *l.* 8 *de matr. disp.* 9. *n.* 4. *& l.* 4. *decal. cap.* 40 *n.* 28. *Soar. l.* 6. *de vot. cap.* 26. *n.* 3 Tambur. *l.* 3. *decal. cap.* 16. § 4. *numer.* 41. Castr. Palaus *tom* 3. *tract.* 15. *disp.* 2 *punct.* 12. *nu.* 12. Leand. *tom.* 7. *tract.* 1. *disp.* 16 *q.* 11. Et Angel. Boss. *de Iub sect.* 2. *casu* 15. *n.* 2. cum Faust. & alijs, inquit, tale votum virtute Iubilei nó esse commutabile; Unde ex his DD. sequitur, nec illud Episcopum posse commutare; ergo nec dispensare.

11 Ex dictis per totam hanc quæstionem, duo infero. Primum, Luciam, viduam factam; posse absque aliqua dispensatione ad secundas transire nuptias, quia illius votum Religionis à suo marito irritum fuit redditum, non solùm pro tempore primi matrimonij, sed pro semper, ut dixi *supra nu.* 7. & 8. cum DD. ibi *cit.* secundum, non peccasse Luciam, post contractum, & consummatum matrimonium petendo, & reddendo debitum, quia votum Religionis solùm obligat ad Religionem cùm illam ingredi poterat, at post consummatum matrimonium, illam ingredi nequit, nisi de consentu mariti, vel facto divortio perpetuo, qui eventus ante irritationem à marito factam, non supervenerunt. Ita cum pluribus Sanch *l* 9. *de matr disp* 33 *n.* 15. *& disp.* 35. *n.* 10. Soar. *tom.* 3 *de Relig. l.* 4. *cap* 4. *n.* 6. Less. *l.* 2. *de just cap* 41 *dub* 5. *n.* 47. *in* 2. *edit.* Castr. Palaus *tom.* 3. *tract.* 16. *disp* 1. *punct* 5. *n.* 3. & alij.

QUÆSTIO XLVI.

An ad matrimonium admitti debeat illa, quæ in litis actibus formavit, se habuisse copulam, & in examine libelli supplicis, coram Officiali Diœcesano, cum juramento deposuit, se illam non habuisse copulam?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Aliqui existimant non posse dictos dispensatos absque nova dispensatione matrimonium contrahere.*
3 *Alij affirmant. Error Advocati parti non nocet*: ibi.
4 *Vicarius Generalis executioni mandare debet dispensationem.*
5 *Testimonium viri matrimonium recusantis, fortius est.*

1 Anto-

1 ANtonia litem adversus Thomam intendit, quia, promisso matrimonio, illam defloraverat. Thomas promissionem matrimonij confessus fuit; & in eum lata est sententia, ut Antoniam duceret. Publicatis denuntiationibus de jure, & more, repertum est, in quarto consanguinitatis gradu esse conjunctos. Obtento dispensationis rescripto cum solita clausula: *Dummodo inter eos copula non intercesserit.* (De illa enim in libello supplicationis mentionem non fecerant.] Facta verificatione â Vicario Generali, circa dictam clausulam, cum juramento deposuerunt, se non habuisse copulam. Nec aliquis alius testis deposuit de tali copula, nec de illius fama. Quæritur: An Vicarius Generalis dictam dispensationem expedire debeat?

RESOLUTIO.

2 Nonnulli viri doctissimi de hoc consulti casu, existimarunt, Thomam, & Antoniam non posse absque nova dispensatione matrimonium contrahere; nam obtenta fuit subreptitia 1. quia in illa suppressa fuit copula, quæ in actis expressè fuit confessa, & confessio in actis illis præjudicat *l. cum precum C. de liberali causa.* 2. Nam qui fatetur impedimentum matrimonij illud exoptans contrahere, illud impedit; ut cum communi DD. Sanch. *l 1. matr. disp. 72. n. 3.* Sed Antonia in actis confessa fuit copulam; ergo matrimonium impedivit.

3 Alij viri doctissimi in oppositum asserebant, Vicarium Generalem debere expedire dispensationem, juxta juramentum, in quo dicti impetrantes deposuerunt, se non habuisse copulam. 1. quia Antonia fatetur, se non mandasse copulam in articulis formare, sed solus advocatus, ut facilius pro ea sententiam impetrare: error autem advocati parti non præjudicat, si de veritate constat; ut deciditur *in l. 2. C. de errore advocator.* & ibi cum communi DD. Barbos *in Collect. add dict. legem.* 2 Quia Antonia examinata [cum sit syncera] si copula præcessisset, illam confiteretur.

4 His subscribo, censeoque Dominum Vicarium Generalem eam dispensationem, ut validam debere pronuntiare; & jubere, ut dicti impetrantes matrimonium contrahant. Probatur 1. quia *in gloss. dict. l. 2. Cod. de error. advocat. Verb. Intercessisse*, sic habetur: *Quomodo probatur negativa? R. eo quòd non probatur contra*: Sed Antonia fatetur, se in actis non jussisse copulam articulari; nec contra illam oppositum probatur. Imo Parochus requisitus, in sua informatione asserit, se publicasse, omnia, & nullum talem copulam denuntiasse.

5 2. Probatur quia in circunstantijs nostri casus, magis qualificatum est testimonium Thomæ, quam testimonium Antoniæ; nam nam ille repugnabat, hoc contrahere matrimonium, & illi magni intererat, ad hunc finem allegare copulam; ut sic matrimonium non contraheretur; & tamen ille cum juramento deposuit, illam non fuisse habitam. Addo ex doctrina Sanch. *cit. dict. l. 1. disp. 72. n. 3.* testantis, sufficere, quòd pars optans celebrare matrimonium, impedimentum fateatur; & *n. 4.* negat, quando pars repugnans, illud negat: ergo si Thomas fatetur, habitam non fuisse copulam, illius testimonio standum est. Hæc in judicio ponderanda sunt, ut matrimonium, alio non obstante impedimento, ut non obstat, contrahatur.

QUÆSTIO XLVII.

An defloratus fœminam sub promissione matrimonij, & illam in facie Ecclesiæ ducens, & mox Religionem ingrediens, validè, & licitè professionem emittat?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Occasio hujus quæstionis tractandæ.*
3 *Distinctione utitur in hac quæst.*
4 *Ex jure ostenditur, validam fuisse professionem.*
5 *Idem ostenditur authoritate DD.*
6 *Licitè non ingressus est Religionem, nec licitè professionem emisit.*
7 *Nec etiam habens votum Religionis.*
8 *Rejicitur consilium a Corduba datum.*
9 *Basilij Pontij placitum rejicitur.*
10 *Licitè non ingreditur Religionem, famina manente infamata, aut defforata sine emissione seminis. Validè tamen.*
11 *Et contra Sanch. probabilius est oppositum.*
22 *Si Emmanuel dispensetur, ut matrimonium contrahat, ad Anastasiam non potest redire.*
13 *Admittentes eum ad professionem, graviter peccarunt; Et Anastasia interpellans Iudicem esset audienda.*

1 EMmanuel vir nobilis sub expressa matrimonij promissione Anastasiam ejusdem qualitatis, & conditionis defloravit, & in effectu in facie Ecclesiæ, juxta Tridentini solemnitates, cum ea matrimonium celebravit. Hac solemnitate completa, mox ingressus est Religionem quandam Monachalem, in ea que professionem emisit, ac ordines sacros, etiam Presbyteratus suscepit. Quæritur 1. An validè, & licitè professionem emiserit, & teneatur iterum ad Anastasiam, ut ad suam uxorem redire?

RESOLUTIO.

2 Quamvis hujus casus resolutio facilis videatur, talis visa non fuit viro sapientissimo, qui

qui in uno consulto asseruit, eam professionem fuisse invalidam, & teneri Emmanuelem, relicta Religione ad Anastasiam, ut ad suam uxorem redire. Consulti sui resolutio nec mihi, nec alijs placere potest: non enim definitioni Ecclesiæ, juri communi, nec DD. communi sentui satisfacere potest. Quare breviter proponam, quid sit tenendum in præsenti casu, & ultimo loco aliquas rationes dicti viri solutas.

§. I.

Resolutio Authoris ad præsentem casum.

3 Respondeo cum distinctione, Emmanuelem validè emisisse professionem, non tamen licitè, & præcisis ordinibus sacris, & ante illos susceptos, si ex justa causa in professione cum illo dispensaretur, ut possit matrimonium inire, non teneri ad redeundum ad matrimonium cum Anastasia prius celebratum, præciso alio inconvenienti. Tres partes in hac resolutione continentur. Quoad primam.

4 Respondeo, Emmanuelem validè emisisse professionem. Probatur 1. ex ipso jure *in cap. Ex publico, & cap. Ex parte 2. de convers. conjug* ibi, post medium: *Antequam matrimonium sit per carnalem copulam consummatum, licere alteri conjugum, reliquo inconsulto, ad Religionem transire, ita quod reliquus ex tunc legitimè poterit alteri copulari, &c.* Et *ex Consil Trid sess. 24 de matr. can* 6 definitur, fuisse validam eam professionem, & per illam matrimonium dirimi, ibi: *Si quis dixerit, matrimonium ratum non consummatum per solemnem professionem alterius conjugum, non dirimi, anathema sit.* Et ex quadam S. Congreg. declaratione, quam referunt Barbos *in Collect. Bull. Verb. matrimonium*, & *in collect ad cit. can. Trid nu* 9 Navar. *in Enchir. Regul Verb. matrimonium n.* 1. Lesan. *in summ. qq Regul tom.* 4 *Verb. matrimonium n.* 1. & alij, in qua refertur decisum sub die 18 Novembris 1618. *Matrimonium reputari ratum, & non consummatum, ad effectum, ut unus ex contrahentibus alio contradicente possit ingredi Religionem, si post illud contractum coram parocho, & testibus copula non intercessit, quamvis prius non semel, etiam cum promissione de contrahendo, fuisset fornicati.* Sic Declaratio: ex quibus verbis expresse deciditur præsens casus; nam Emmanuel non semel copulam habuit cum Anastasia sub promissione matrimonij, & matrimonium coram Parocho, & testibus in facie Ecclesiæ contraxit, & quin aliò divertisset, Religionem ingressus, & in illa professionem, Novitiatus completo anno, emisit: ergo validè. Et ex alijs juribus apud Sanch. *l. 2. de matr disp.* 18. *n.* 3.

5 Secundò probatur authorite DD asserentium in terminis præsentis casus, matrimonium non consummari per copulam antecedentem fornicariam, sed per illam, quæ matrimonium subsequitur, & cum hæc non subsequitur, matrimonium hoc dicitur ratum, & dissolubile, per professionem Religiosam. Sic pluribus citatis tradit Sanch. *l. 2. matr. disp.* 18. *cit. n* 3. *& disp.* 21. *n.* 13. & Basil. Pont. Ochag. Hurt. Villal & Ægid. Coninch. quos refert, & sequitur Leand. *tom. 2. tract 9. de matr. disp. 5. q. 9 & 31.* & alijs pluribus citatis, Castr. Palaus *tom. 5. disp. 3. punct. 2. §. 1. nu. 1. in fine.* Ex his satis probata manet prima pars nostræ resolutionis *n.* 4 Ad secundam.

4 Respondeo, Emmanuelem licitè Religionem non fuisse ingressum, nec in ea licitè professionem emisisse. Ratio 1. est, quia tenebatur Anastasiam ducere non solùm per matrimonium ratum, sed etiam per matrimonium consummatum; quia tenebatur ex justitia resarcire ejus injuriam, & famam; & per matrimonium ratum huic obligationi non satisfecit. Imo sic contrahere fuit actus otiosus, qui non caret culpa gravi. Ut probat Sanch. *l. 1. de matr. disp.* 43 *in fine.* Et hanc nostram resolutionem expresse tenet cum Lopes ibi *disp.* 44. *n.* 7 & communiter DD. Lessius *l. 2. de just cap.* 41. *n.* 30. Peyrin & alij quos refert, & sequitur Pellizzar. *in Man. Regul. tom. 1. tract. 2. cap.* 4. *nu.* 25. & alij.

7 Secunda ratio, quia communiter docent DD. habentem fœminam, sub promissione matrimonij, teneri illam ducere, non solùm per matrimonium ratum, sed etiam per consummatum; quia vinculum justitiæ fortius est vinculo Religionis Sic Sanch *cit. dict. l. 1. disp.* 45 *n.* 3 Basil. Pont. *lib.* 6 *de matr. cap.* 12. *nu.* 10. Pellizzar. *proximè cit.* Vasq. Azor. Reginald. Rebell. Ægid. Coninch. Bonacin. Lublin Filliuc. Dian. Machad. quos refert, & sequitur Leand. *tom. 2 tract 9 disp. 2 q. 5.* ergo à fortiori non habens votum Religionis, ut non habebat Emmanuel, tenebatur, ducere Anastasiam paris nobilitatis, quam sub promissione matrimonij defloravit, non solùm per matrimonium ratum, sed etiam per consummatũ.

8 Nec obstat Anton. à Cordub. *in sum. q.* 182. apud Sanch. *cit. dict cap.* 44. *num* 7. consulens quemdam, qui fœminam notabiliter infamaverat, non tamen defloraverat, ut illam duceret, & antè consummatum matrimoniũ Religionem ingrediatur: ergo (cum infamatio fœminæ æquipolleat defloration,] potuit Emmanuel ducere Anastasiam, quam defloraverat, & ante consummatum matrimoniũ Religionem ingredi. Non, inquam, obstat; quia Sanch. *loco cit.* inquit non esse audiendũ Cordub. in tali consilio; vel intelligendum, quando sic contrahendo, resarciretur honor dictæ fœminæ, quod rarissimè continget, imo tunc graviori suspicioni notæ afficietur fœmina; id tamen concedit, quando eo ingressu Religionis cessaret infamia, quæ in nostro casu non cessat.

9 Nec

9 Nec obstat 2. Basil. Pont. *cit. dict. n.* 10. qui *n.* 9. affirmaverat; probabile esse, habentem votum castitatis, qui postea fœminam defloraverat, sub promissione matrimonij, posse illam ducere, & ante consummationem, ad Religionem transire; quia sic potest utrique obligationi satisfacere. Iustitiæ, contrahendo voto autem, transeundo ad Religionem. Hunc authorem afferunt Dian. 3 *part. tract.* 4. *resol.* 203 & Leand. *cit dict. disp.* 2. *q.* 5. non approbantes, nec consentientes illi probalitati; additque Leand. idem sentire Bacens. *tract.* 12 *de matr. q* 19. *assert* 3. Trullenc. *l.* 7. *de Sacram. cap.* 2. *dub.* 1. *nu.* 8. Castr. Palaum *tom.* 5. *disp.* 1. *punct.* 18. *nu.* 9. Laym. Chapeavill. & alios citantem ergo etiam in nostro casu, potuit Emmanuel saltem probabiliter, satisfacere obligationi Iustitiæ, Anastasiam ducendo, per matrimonium ratum. Non, inquam, hoc obstat, quia illud placitum Basilij, non videtur probabile, quia justitiæ fœminæ, sub promissione matrimonij defloratæ, non satisfit, per matrimonium ratum, sed per consummatum, ut tenent communiter DD. & ipse Basil *citat. num.* 7. nam æquitas non patitur, ut cum tanto damno fœminæ, liberalis ostendatur, ut inquit idem Palaus *male cit.* a Leand. pro placito Basil sicut etiam ab eo male citantur pro eo placito, *cit* ab ipso Palao; nam citantur pro sententia communi *n.* 7. *allata* Sicut etiam male citatur Trullench nam in dicto *dubio* 1. non habet *n* 8 & *in cit. n.* 7. stat pro sententia communi, Pacens ad manum non habeo. Et quidquid sit de eo; nam certum est, illud placitũ Basilij; quod inquit probabile, esse contra communem DD. sententiam, & non probabile; quia ratione probabili non nititur: ergo consequentia objectionis, ut improbabilis, non est admittenda.

10 Tertia ratio, qua ostenditur, Emmanuelem illicitè Religionem fuisse ingressum, & illicitè in ea emisisse professionem, est. Quia ut docent Henriq *l.* 11. *cap.* 8 *nu.* 8. Ægid. Coninch *de matr. disp.* 26. *n.* 51. Dicastill. *tom.* 3. *de Sacram. tract* 10. *disp.* 2 *dubit* 34. *n.* 437. & relatis Palatio, & Fabian. Bossius *tract. de effect. matr. cap.* 1. *n.* 105 *prope finem*, & alij asserentes, nam habere jus ad ingrediendam Religionem, nec ad emittendam in ea professionem, illum, qui post matrimonium ratum, tactus habuisset cum sponta, ut inde nota incurretur fœmina, & multum difficile alias possit habere nuptias. Et etiam, si bonâ fide putando consummare matrimonium, virginem defloraſſet, sine consummatione; nam licèt validè possit Religionem ingredi, & in illa professionem emittere; non tamen potest licitè, propter magnum fœminæ dispendium: ergo etiam licet Emmanuel validè Religionem ingrediatur, & professionem in ea emittat, illicitè tamen eam ingreditur, & in ea profitetur propter magnum dispendium, quod supereſt Anastasiæ defloratæ, quod non resarcitur per matrimonium ratum.

11 Nec obstat Sanch. *cit. l.* 2. *de matr. disp.* 21. *num.* 7. existimans validè, & licitè ingredi Religionem, & in ea professionem emittere illum. qui post matrimonium ratum, accessit ad sponsam animo consummandi, & non potuit, propter debelitatem, aut quia tunc alius casu hic pervenit, & ideo impeditus fuit ratione honestatis, vel quia forte in ipsomet actu, spiritus Religionem inspiravit, & tunc ante consummationem, se retraxit; si enim hic nullo habito respectu ad statum, in quo manet sponsa defloratа, potest licitè, & valide Religionem ingredi, etiam Emmanuel poterat, nullo habito respectu ad statum, in quo manet Anastasia defloratа, ingredi licitè, & validè Religionem. Non, inquam, hoc obstat, quia probabilius videtur non posse eum sponsum licitè ingredi Religionem, propter damnum sponsæ illatum, nam in ea copula intercedit pactum, quale intercedit inter sponsos de futuro, quando sponsus sub promissione matrimonij sponsam defloraverat; qui non satisfacit suæ obligationi, contrahendo matrimonium ratum, propter damnum illatum, sed tenetur per matrimonium consummatum, ut docuit idem Sanch. Et hæc sentiunt Henriq. & Dicastill. *nu. præcedenti locis citatis.* Probata hac secunda parte nostræ resolutionis *num.* 3. Ad tertiam.

12 Respondeo, in qua dicebam, præcisis ordinibus sacris, vel ante illos susceptos, si Emmanuel dispensetur in professione ut possit matrimonium inire; non teneri ad redeundũ ad matrimonium jam in facie Ecclesiæ cum Anastasia celebratum. Quia illud fuit extinctum per professionem in Religione emissam; ita ut Anastasia licitè potuisset, alias nuptias in facie Ecclesiæ celebrare. Addo, data ea dispensatione, si uterque velit copulari; debere iterum, contrahere de novo Sacramentum, & contractum celebrando. Hæc patent ex dictis, & habentur apud Gobat *tom.* 3. *tract.* 10. *n.* 685. *in fine*, & expressius apud Dicastill. *sup. num.* 395.

13 Ad calcem hujus quæstionis duo adverto. 1. Religiosos admittentes Emmanuelem ad Religionem, & professionem, peccasse graviter contra justitiam. Quia non poterant in ijs circunstantijs eum admittere. Sic clare colligitur ex Pellizzar. *supra cit. dict. tract.* 2. *cap.* 4 *num.* 25. & alijs, quos ibi citat; ratio est quia cooperatores fuerunt damni Anastasiæ illati juxta communes restitutionis regulas. Videatur Cardin. de Lug. *tom.* 2. *de just. disp.* 19 *a num.* 3. *& a num.* 77. Secundò adverto, potuisse Anastasiam intercedere apud judicem Ecclesiasticum, contra dictum Emmanuelem, & Prælatos Regulares, illum ad suam Religionem, admittentes pro injuria, & injustitia sibi illata. Et ex DD. *supra adductis* ante professionem

fessionem emissam, absque dubio esset exaudienda.

§ II.

Solvuntur rationes à doctissimo viro adductæ.

SUMMARIUM.

14 *Intentum doctissimi consulentis.* Et 1. illius ratio.

15. & 16. *Suum intentum intendit probare.*

17 *Trident privilegium est absolutum, & declaratur à S. Congreg.*

18 *Emissa professione, nullus tenetur ad tradendam suam personam; Nec debitores emissa professione, ad solvendum creditoribus, nec Prælatus ad concedendam licentiam, ut in sæculo satisfaciant.*

19 *Filius, per professionem non desinit esse filius sui parentis. Et Uxoratus, matrimonio rato, per professionem desinit esse uxoratus.*

14 Hic vir in suo doctissimo consulto effusé, latè que extenso, duo ostendere intendit. Primum, professionem Emmanuelis fuisse nullam, invitâ Anastasiâ. Secundum, in casu, quo fuisset valida, debere cum Anastasia, eum petente, cohabitare, ut cum viro suo. Rationes, quibus utitur, paucis comprehendam, ut tædium effugiam; & illarum repetitionem.

Prima ratio est, quia si Emmanuel privilegio Christi Domini, aut Ecclesiæ, matrimonio rato concesso, gauderet, mortaliter non peccasset, ingrediendo Religionem; & in ea emittendo professionem: sed mortaliter peccavit ob injuriam illatam Anastasiæ, quam ducere tenebatur, per matrimonium consummatum; ut docent DD. communiter, quos *supra a num* 6. citavimus: ergo.

15 Secunda ratio: Quia Christus, aut Ecclesia privilegium ingrediendi Religionem matrimonio rato concedens; obligationes naturales damni, jacturæ, & contractus non abstulit: ut omnes docent. Ex qua doctrina sequitur, Religiosum teneri ad restitutionem, non tolùm, per solutionem pretij, sed per restitutionem, & traditionem ipsiusmet rei in substantia, & in specie, si adhuc extet, & si sua industria eam tradere potest; ut omnes sentiunt TT. & Iuristæ justa doctrinam *l.* 2. § *Mutui ff si certum petatur*, & *l. Nec annus*, *C. de emancip. liber.* Sed Emmanuel Anastasiam æqualis qualitatis deflorans, sub expressa matrimonij consummati promissione [nam nec ille, nec illi matrimonium ratum, sine cohabitatione intellexerunt] & sic tenetur illi tradere suam personam, non per matrimonium ratum, sed consummatum, in maritali cohabitatione: ergo cùm possit, ad hanc restitutionem tenetur. Minor patet, quia Emmanuel non intellexit matrimonium sine pretio, aut matrimonium absque cohabitatione, nam hujusmodi matrimonium, in certo modo, est fraudulentum, & sine realitate; quæ in similibus casibus intenditur, ut latè probat Sanch. *cit. l.* 1. *de matrimonio disp.* 43. *in fine* post Ledesm Rodrig. Navarr. Soto Sylvestrum, & Lopes citat. ergo necessariò concedendum est, Emmanuelem deflorando Anastasiam, per contractum matrimonij, teneri tradere suam personam propriam, per matrimonium consummatum, eo modo quo Anastasia intellexit, quando in defloratione consensit. Ut concludunt DD. quando agunt de contractu oneroso, & oneribus, quæ ex illo oriuntur, ut videre est, apud Sanch. *cit. dict. l.* 1. *disp.* 10. *n.* 3 & alios.

16 Tertia ratio: Filius, emissâ professione, monasterio tenetur egredi ad succurrendũ parentem, gravi necessitate oppressum, quando ea gravis necessitas professionem præcessit, quia injustè emisit professionem, relinquens parentem in ea gravi necessitate, ut cum communi DD. opinione tradunt Sanch. Soar. Fagund. Navarr. & alij plures, quos affert, & sequitur Leand. *part.* 7. *tract.* 1 *disp.* 23. *q.* 11. & *part.* 8. *tract.* 1. *disp.* 5 *q* 14. cum pluribus inquit, filium graviter peccasse, parentem relinquendo in ea gravi necessitate: ergo etiam Emmanuel tenetur Religione egredi, ut cohabitet cum Anastasia, quia injustè emisit professionẽ, illam in sæculo relinquens, injuria affectam, quæ injuria adhuc durat. Alijs supersedeo, ut minoris momenti. Restat, ut dissolvamus dictas rationes.

17 Ad primam *n.* 14. *allatam.* respondetur negando maiorem, quia privilegium à Christo concessum ingredientibus Religionem, stante matrimonio rato, est absolutum, ut constat ex *Trid. cit.* & alijs juribus *n.* 4. & 5. adductis; nullâ habitâ ratione injustitiæ, ut explicatur à S Congr. eo *n.* 4. *& allata*, ibi: *etiam cum promissione de contrahendo, fuissent fornicati.* Ubi non obstante quòd sub promissione matrimonij fornicati fuissent, validè emissa est professio, quæ dependere non poterat à peccato mortali, contra justitiam, quod Emmanuel commisit, relinquendo Anastasiam ea injuriâ affectam.

18 Ad secundam *n.* 15. adductam, concedo maiorem; ad minorem dico, teneri Emmanuelem ante professionem suam propriam personam per matrimonium consummatum, Anastasiæ tradere, quod non faciens, graviter deliquit contra justitiam; at emissâ professione ad traditionem jam non tenetur. Et hoc ostendo his exemplis, quæ alias illius Doctissimi viri ibi adductas rationes enervant. 1. sit: Conveniunt DD. non posse gravatum debitis, aut ex delicto, aut ex contractu oneroso ortis Religionem ingredi, & peccare mortaliter, ingrediendo, quando per biennium, aut quinquennium creditoribus moraliter satisfacere

potest

potest. Sic Petr. Navarr. *l. 4 de restit. cap. 4. diff. ult. n* 79. Sanch. *l* 4 *decal. cap.* 19 *num.* 8. Castr. Palaus *tom.* 3. *tract.* 16 *disp.* 1 *punct.* 7. §. 4. *numer.* 7. & alij 2. Conveniunt etiam, non posse ingredi Religionem debitorem, & peccare mortaliter, qui brevi tempore detentus in sæculo, sperat satisfacturum creditoribus, si interim grave, & extraordinarium periculum committendi aliquod peccatum mortale non immineat. Sic Sanch. & Petr. Navarr. *ll. cit.* Soar. *tom.* 3 *de Relig. l.* 5. *cap.* 7. *numer.* 2. Less. *l* 2 *de Iust. cap.* 41. *dub.* 3. *numer.* 32. Azor. Navarr. quos affert, & sequitur Castr. Palaus *proxime num.* 3. Si tamen hic, vel ille his contemptis obligationibus [in quo graviter peccant] Religionem ingrediantur, & in illa emittant professionem, professio absque ullo dubio est valida, & Prælatus illis non tenetur licentiam concedere, nec illi, illa uti, habitum Religionis deferentes, ut extra claustra creditoribus satisfaciant, ut defendunt Sanch *l* 4 *decal. cap.* 19 cum pluribus, & Castr Palaus *cit. num.* 14. alios citans. Et hæc à fortiori habent locum in Emmanuele, qui ante professionem tenebatur, redire ad Anastasiam, cui per injuriam illi allatam, tenebatur suam restituere propriam personam; at emissâ professione, cum per illam dissolutum sit matrimonium ratum cum illa contractum, jam Anastasiæ suam non debet personam, quia jam non est suus vir, nec sponsus.

19 Ad tertiam *num.* 16. *adductam*, respondetur eum filium jam non posse à monasterio egredi; nisi petita licentia à suo Prælato, quia per professionem emissam, est verus Religiosus, & sic tenetur suo Prælato obedientiam præstare, ut probabilius docent Sanch. *l* 4. *sum cap.* 20. *numer.* 19. & expressius Soar. *tom.* 3 *de Relig l.* 6. *cap.* 9. *numer.* 28. & 29 Castr. Palaus *tom.* 3. *tract.* 16. *disp.* 2. *punct.* 2. § 6. *num.* 8. & alij plures quos refert, & sequitur Leandr. dict. *tom.* 7. *tract.* 1. *disput.* 23. *quæst.* 11. quia ipse filius tenetur succurrere suo parenti in ea necessitate constituto & Prælatus eâ tenetur concedere licentiam, nam filius per professionem Religiosam non desivit esse filius. Vide Castr. Palaum *cit. dict. punct.* 2. §. 6. *nu.* 9. Less. *cit. num.* 34. *Vers. si filius*, & alios jam cit. Vide *dicenda infra disput.* 4. *q.* 111. At Emmanuel emissâ professione, quamvis illicitè, nec tenetur licentiam à suo Prælato petere, nec Prælatus eam concedere potest; nam dissoluto matrimonio, jam Anastasia non est sua uxor, nec ille suus vir.

QUÆSTIO XLVIII.

An pater filiam sua legitima, & maioratu à se, uxore, & fratre instituto, exhæredare possit, quia indigno in parva differentia absque patris consensu nupsit?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Non potest, nam lex Lusitana per jus Canon. revocata est.*
3 *Nec juxta opinionem oppositam exhæredare potest filiam.*
4 *Nec juxta Regiam legem Lusitanam in suo rigore observatam.*
5 *Ea exhæredatio requirit sententiam, seu scripturam publicam.*
6 *Facta cum patre reconciliatione fratres non possunt hæreditatem adire.*

1 FRanciscа, defunctâ matre, & ad secundas nuptias patre transeunte, absque ipsius patris consensu, ante vigesimum quintum annum viro æquali, aut parum inæquali in qualitate nupsit. Eam vult pater legitima, à se post mortem habitura exhæredare, & maioratu à se, sua prima uxore, & fratre instituto, privare; cum ante hanc exhæredationem sit cum sua filia Francisca reconciliatus. Quæritur 1. An legitima, post mortem patris habitura possit Francisca à patre exhæredari? 2. An legitima à matre defuncta jam acquisita, & maioratu?

§. I.

An Francisca ante 25. annum nubens viro in parva differentia inæquali, absque cõsensu patris, possit ab eo legitima, post mortem habenda, exheredari?

2 Respondeo, non posse; 1. Quia licet *l. Reg. Lusitan.* disponat. *l.* 4 *Ordin tit.* 88 §. 1. *&* 2. posse patrem exhæredare filiam nubentem, ante vigessimumquintum annum, absque illius consensu; nec ab ipso patre ad hæreditatem posse admitti, absque consensu aliorum fratrũ. Plures tamen DD. tradunt, hanc; & similes leges ab Ecclesia esse revocatas, ut pote tollentes libertatem matrimonij requisitam; ut probatur in generali *ex cap. Tuam. de ordin. cognit. & cap. causa, de sponsalibus*, & in particulari ex praxi *in cap. super illa, & cap. secundum Apostolum de secund. nupt. cap. Gemma eod. tit.* & definitione *Concil. Trid. sess.* 24. *de reform. matr. cap* 9. & DD Navarr. *in sum. cap.* 14 *nu.* 15. Covarr. 2. *part. de matr. cap.* 3. § 8. *n.* 6. Victor. *in sum. de matr. n.* 269 Ledesm. 2 *part. q.* 49. *art.* 6. Alphôs. à Vera Cruce 3 *part. specul. art.* 20. *conclus.* 3 Cordub. *in sum q.* 171. Henriq. *l.* 11. *de matr. cap.* 6. *n.* 2. *in fine*, Instruct conscient. 1. *part cap.* 294. *Vers. sequitur, in* 2. *edit.* Philiarch *de off sacerdot. tom.* 1. *part.* 2. *l.* 4. *cap.* 2 Sanch *l* 4 *de matrim. disp.* 25 *nu.* 2. Azor. 2. *part. Instit. moral. l.* 2, *cap.* 2. *q* 7. Cabedo 2. *part. decis* 5. Iulius Clarus §. *Testamentum, q.* 4. Andr. Fachinet. *l.* 3. *cap.* 64. Vasq. *in* 3. *p. tom.* 4. *disp.* 4. *de matr. cap.* 2 *n.* 4. & alij quos citat, & sequitur Dian. 1. *p tr.* 2 *resol.* 105. *&* 7. *p tr.* 1 *resol.* 26. *n.* 12. & alij quos affert, & sectatur Leandr. *part.* 8. *tr.* 1. *disp.* 11. *q.* 12. *vers. sit dubium.*

3 Et quamvis non pauci juristæ, & TT tenent oppositam sententiam, affirmantes, posse Principes justam legem ferre contra filias nubentes contra voluntatem & consensum parentum, ut Doctor. Petr. Barbos. *l.* 1 *part.* 4 *numer* 36. *ff. solut. matrim.* Molin. *tom.* 1. *de just. tract.* 2 *disp.* 176. Rebell. *de oblig. Just. part* 2 *q.* 14. *sect. ult.* Basil. Pont. *de matr. l* 2. *cap.* § 3 *num.* 29. Fagund. *l* 4. *decal. cap* 3. *num* 5. Fragos. 1 *tom. l* 2 *disp* 4. §. 2. *a numer.* 282. quamvis *n.* 286 *vers. Quando vero*, dicat non posse filias exheredari, juxta jus canonicum, & aliquos citant.

4 Ex his non pauci hanc limitant sententiam, ut non procedat in casu, quo filia nupsit viro æquali, aut inæquali cum parva differentia secundum communem existimationem, ut ostendunt Sanch. *loco cit.* Rebell. *sect. ultim. numer.* 30. Fagund. *l.* 6. *de just. cap.* 16. *numer.* 20 ibi: *Re tamen bene considerata, mihi videtur id, quod tunc visum fuit, illas scilicet leges civiles, nec temere damnandas, nec sine moderatione recipiendas. Est autem moderamen, ut procedant, quando filia illo modo nuberet, cum notabili deordinatione, & injuria parentum, consideratis circunstantijs, & parentum qualitate.* Hæc sunt deducta ex principijs Sot. *in* 4. *dist.* 29 *q.* 1. *art.* 4. & ex Glos. *in cap. De raptor. Vero. Excusata*, 36 *q* 1. & contentit Covarr. apud Fagund *proximè*, & Fragos. *cit. dict. num.* 286. Quare jam legistæ RR fatentur, hanc sententiam, inter illos, esse communem, & contrariam *num.* 3. *allatam* ad praxim non esse deducendam, ut videre est apud Molin. *l.* 2. *de primog. capit.* 16. *num.* 6. Montalv. *l.* 10. *tit.* 1. *partit.* 4. Gregor. *ibidem* Azeved. *l.* 5. *recept. titul.* 1. *l.* 2 *n.* 5. Matienz *ibid. Gloss* 4 *numer.* 2. Villal. *in commun. lit. M. n.* 60. & Iulium Clar. *in praxi q.* 62. *trat.* 3.

5 Ex allatis duabus sententijs, quæ sunt probabiles, & probabilissimæ juxta suos AA. infertur Franciscam non posse à suo parente exhæredari, data quacunque opinione. Quia per negantem, *l. Regia* est revocata; & per affirmantem, ex dicta moderatione, non fuit in ea *l. Regia* comprehenda: quia nupsit viro æquali, & si inæquali, in tali differentia; quæ in considerationem venire, non debet.

6 Probatur secundo eadem resolutio, etiam in casu, quo concedamus, l. *Regiam Lusit.* in suo rigore esse observandam. Quia dicta l non procedit in nostro casu; ut ostendo Quia ea lex statuta fuit cum aliquo respectu ad ea, quæ in similibus casibus disponit ius commune, & civile; & per consequens admittit omnes limitationes, quas ipsum jus admittit: At ipsum jus admittit, non posse exheredari filiam, quando pater ante exhibitam exheredationem cum ea filia, reconciliatur, ut constat *ex l. Filio, quem pater ff. de liber. & posth.* & alijs, & consentiunt Doctores Covarr. *in capit. Raynuntius, in princ. numer.* 17. Doct. Petr. Barbos. *l.* 1. *part.* 4. *ff. solut. matrim. numer.* 47. Rebell. *cit. dict. q.* 14 *numer* 27. quos refert, & sequitur Emman. Barbos. *in Remiss. ad cit. l. Lusit.* §. 1. *numer.* 17. Accedit Emman. da Cost. §. *Et quid si tantum*, 3. *part. numer.* 189 Et ita habet praxis; non enim apparet exemplum, in quo filia nubens sine consensu patris, exheredata mansisset, post reconciliationem à patre habitam: ergo cum Franciſca cum patre fuisset reconciliata, ante factam exheredationem, deducendo eam ad propriam domum: jam pati non potest exheredationem.

7 Nec obstat *l. nostra Lusit. supra*, hanc non admittens limitationem, quatenus expresse inquit, parentem alios habentem filios, non posse filiam legitimam sic nubentem, adhereditatem admittere absque eorum consensu; & quamvis per reconciliationem patris, hæreditatem non amisisset; illam tamen amisit, quia fratres consensum non præstiterunt. Non, inquam, hoc obstat, quia respondetur primo hanc legem non procedere, nisi post factam exhæredationem, ut communiter docent Doctores *jam cit.* Nec oppositum videtur, docere Molin. *tom.* 1. *tract.* 2. *disput.* 176 *Vers. De jure hujus Lusitaniæ*, nam ibi inquit, ipso facto manere exhæredatam, ac excluſam ab omnibus patris bonis; semper tamen requiritur sententia exheredationis; nam lex est pænalis, ut statim fatetur. Videatur Fragos. *part.* 3. *l.* 2. *disput.* 5 §. 2. *numer.* 32. Respondeo 2. Hanc exheredationem non esse habendam ipso facto pro completa, nec hoc jus pro filijs acquisitum, nisi postquam ipse pater filiam exheredavit per scripturam publicam, & contra illam lata sit sententia, ut concludit Molin. *cit. Vers. Illud universim*, ex eo quod dictæ leges sint pænales, & ante latam sententiam, nullum sortiri possint effectum. Unde cum pater in reconciliationem admiserit, & in suam domum deduxerit suam filiam Franciscam, ante exheredationem per sententiam, & scripturam publicam, evidenter infertur non fuisse exheredatam; & fratres non posse adire hæreditatem, nec illam prætendere. Videatur Rebell. *dict.* 2. *part. l.* 2. *q.* 14. *nu.* 24. *statim post principium.*

§. II.

An Franciſca à Patre exheredari possit à legitima à matre jam defuncta ante connubiũ, & Maioratu obtenta.

SUMMARIUM

8 *Non potest excludi à legitima, à matre jam acquisita.*

9 *Nec ab ipso maioratu.*

10 *Ma-*

10 *Maioratus fuit institutus per contractum inter vivos, ante matrimonium patris instum.*

11 *Conditiones matrimonij impeditivæ, pro non appositæ habentur.*

8 Respondeo ad primam tit. quæstionis partem, non posse Franciscam, per patrem excludi a legitima debita, ex parte matris jam defunctæ, antequam ipsa Franciscа nuberet. Sic expresse Molin. *tom. 1. de Iust. disp. 176. Vers De jure hujus Lusitaniæ*, ibi. *Quoniam si mortuus alter jam erat tempore delicti, a bonis solum superstitis excludetur.* Idem tenet Rebell. *de oblig. Iust. part 2. l. 2. quæst. 14. sect. ult. numer.* 30. Probatur primo, quia hæc legitima, quando Franciscа nupsit, ab ea jam erat acquisita: lex autem Regia solum loquitur de legitima acquirenda ex hæreditate patris, aut matris absque eorum consensu a filia nupta, & mortua non est expectandus consensus. 2. Nam quando unus semel factus est heres, non potest desinere esse heres, *l. In substitutione ff de vulgar. & pupill. substit.* & §. 1. *inst de fideicommiss. hared.* Menoch. & alij, quos refert, & sequitur *Fragos. 3. part. l. 5 disp. 8. § 13 numer. 402.* At Franciscа quando nupsit sine voluntate patris, jam suæ matris facta erat heres.

9 Ad secund. titul. quæst. partem: Respondeo, non posse Franciscam, quia nupsit absque patris consensu, excludi à maioratus successione, quem illius pater, & mater ex suis tertijs per contractum matrimonij inter vivos instituerunt, ingrediente cum parte suorum bonorum fratre ipsius patris, & Franciscæ patruo; & cum hæc maioratus successio, alio non extante filio ex eo matrimonio, debebatur Franciscæ ex eo contractu inito; pater illi præjudicare nequibat; nec in eo l. Regia effectum habere poterat; quamvis lex Regia in suo accipiatur vigore, contra à nobis supra dicta.

10 Nec obstat primo: Quòd mater Franciscæ nunc jam defuncta, in suo disposuit testamento; quòd sua Filia Franciscа in eo maioratu non successisset, nisi de sui patris consensu nupsisset. Non, inquam, obstat primo, quia hæc conditio posita non fuit in prima maioratus institutione, non facta per testamentum revocabile, sed per contractum inter vivos irrevocabile. Et cum posita fuisset, pluribus jam transactis annis, in eo testamento, quando jam Franciscа jus acquisitum habebat, ad succedendum absolute absque ea conditione, ea conditio nihil operatur.

11 Non obstat secundo, quia eæ conditiones matrimonij sunt impeditivæ, & juxta Doctores & sententias in hoc Regno latas, apponi non possunt authoritate particularium institutorum, & pro non appositis habentur, ut concluditur *in l. cum tale §. rescriptum ff de condit. & demonst.* & *l. Turpia ff. de legat. 1.* & ex doctrina Arest. *ad eamdem leg. præsertim §, Si arbitratu, ampliat. ult. num. 2. & 3.* Molin. *l. 2. de primog. capit. 3. num.* 35. Gama *decis.* 314. Henriq. *l. 11. de matrim. cap. 6. num.* 6. Molin. Theol. *tom. 1. de just. tract. 2. disp.* 207. Sanch. *l. 1. de matr. disp.* 34. *num. 2. & 19.* Peralta, Cardin. Mantic. Palaes, & aliorum, quos affert, & sequitur Fragos. *part. 3. l. 9. disp. 19. §. 1. n. 19.*

QUÆSTIO XLIX.

Quo remedio occurrendum est illi, qui bona fide in facie Ecclesiæ cum filia matrimonium contraxit, & ex illa aliquos habet filios?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*

2 *Si forte authoritate Ordinarij in impedimento affinitatis fuerunt dispensati, invalide fuerunt dispensati, nec illis bona fides prodest.*

3 *Ex ipso jure remedium impartitur.*

4 *Filij ex eo matrimonio nati sunt legitimi.*

5 *Etiam, si ex parte unius contrahentis deesset bona fides.*

6 *Dicti filij non sunt irregulares ex defectu natalium.*

7 *In bonis parentum successuri sunt.*

8 *Nullo modo dicti filij de ea matrimonij nullitate sunt admonendi.*

1 PRocessus, cognita à se fæmina, dum esset adolescens, ex suo oppido ad quandam hujus Regni Conquistarum regionem profectus, post viginti, aut plures annos, ad suum oppidum regressus, matrimonium in facie Ecclesiæ cum Maria bona fide celebravit. Post aliquos annos jam aliquos habens filios Parochus ex facto examine in confessione de peccatis præteritis invenit tantum Processum copulam cum matre Mariæ habuisse; quod peccatum memoriâ exciderat. Recurrit ad Academiam; viros doctos consuluit; qui suis consultis, multis adductis rationibus, & DD. asserebant, posse Bullæ Cruciatæ Commissarium, in eo impedimento Affinitatis dispensare, quia impedimentum erat occultum, & matrimonium bona fide, saltem ex parte unius contractum; & non dabatur ad Pontificem aditus, & quamvis daretur; etiam illo præsente, ille poterat dispensare. Illustrissimus Commissarius Parochum, ex plurib⁹ leucis venientem, ad me remisit. Respondi, Lusitaniæ Commissarium eam non habere facultatem juxta *supra dict. q. 39. n. 26.* Illũ tamẽ Parochũ admonui, ut

per se ipsum, aut per aliquem ex illis viris doctis ad Ordinarium pro ea dispensatione recurreret; quam in ijs circunstantijs concedere potest, juxta a nobis *dicta supra quæst.* 30 *numer.* 9 *& quæst.* 34 *numer.* 6. *& quæst.* 39. *numer.* 15 Elapso mense, & paucis diebus, iterum redijt ipse Parochus ad Commissarium, dicens: facto de novo exacto examine, invenisse, Processum esse patrem Mariæ, quam insçius in facie Ecclesiæ bonâ fide duxerat; Hoc tamen esse omnino occultum, & quòd aliquos habebant filios; & se precari ab illustrissimo; ut de remedio opportuno, his ita conjugatis provideret. Illum iterum ad me remisit Hæc facti species. Quæritur 1. quomodo putato matrimonio remedio occurrendum sit? 2. An filij ex eo matrimonio nati legitimi censendi sint?

§. I.

Quomodo illi existimato matrimonio remedio opportuno occurrendum sit?

2 Respondeo, si dicti putati conjuges ex mea prima resolutione *num.* 1. ab Ordinario sint dispensati, in eo affinitatis impedimento tantum, in ea occasione proposito; vere non fuisse dispensatos, & matrimonium adhuc esse nullum Ratio est evidens, quia inter eos dabatur impedimentum consanguinitatis occultum in primo gradu lineæ rectæ, in quo nulla potest dari dispensatio; nec etiam authoritate Summ. Pontificis; quia nullibi ei invenitur hæc concessa facultas; cum id impedimentum sit ex jure naturali; ut docent Sanch. *l.* 7. *matrim. disput.* 51. *numer.* 7. Castr Palaus *tom.* 5. *disput.* 4. *punct* 6. *numer.* 6 Tamburin. *l.* 8. *de matrim. tract.* 1. *capitul* 5. §. 1. *numer.* 2. Leandr *tom.* 2. *tract* 9 *disput.* 13. *quæst.* 4 *& omnes* Nec bona fides, qua ignoranter cõtraxerunt, matrimonium in eo primo gradu, illud reddebat validum; quia bona fides, licet excuset à peccato, non potest reddere validum, quod ex sua natura nullum est. Ut *supra dictum est quæst.* 30. *numer.* 4 & *quæst.* 37 *numer.* 6 cum DD. ibi cit. Nec illa bona fides illis tribuit jus ad dispensationem; quia hic casus de se, est à potestate humana indispensabilis.

3 Quo autem remedio huic putato matrimonio occurrendum sit? Respondeo, dictos, parentem, & filiam, cùm contraxissent in facie Ecclesiæ matrimonium, & suum impedimentum sit omnino occultum, à parocho esse consulendos, ut separentur quoad thorum, non tamen quoad cohabitationem; secretum inter se observantes; in exteriori verò mutua sibi conjugatorum obsequia præstantes, ne scandala exoriantur; & viventes, ut sicut pater, & filia in eadem vitæ societate permanserunt. Hoc consilium rectè colligitur ex text. *in cap. Consultationi, & cap. Laudabilem de frigid. & maleficiat.* in quibus dicitur de illis, qui ob impotentiam [quæ jure naturali matrimonium dirimit] matrimonium nulliter contraxerant, quod à parochis permittantur, sicut fratres habitare, ne ex separatione scandala oriantur, ut constat ex verbis ipsorum textuum, *in capit. consultationi*, Sic: *Romana tamen Ecclesia consuevit in similibus judicare, ut quas tanquam uxores habere non possunt, habeant ut sorores.* Et *in cap Laudabilem*, ita: *Quòd si ambo consentiant simul esse, vir eam, si non ut uxorem, saltem habeat ut sororem*: ergo cum Processus ut uxorem habere nequeat suam filiam Mariam, illam habeat, ut suam filiam, & sororem; sic etiam *in cit. text. cap. Consultationi*, à Lucio Pontifice noster casus videtur decisus, ibi: *Consuevit in similibus judicare.* Deinde sicut *in citat. text.* deciditur in impedimento impotentiæ, quod jure naturali matrimonium dirimit, posse existimatos conjuges sicut sororem & fratrem habitare; à fortiori in nostro casu, in cujus separatione dabitur scandalum, & semper patri licitum est, cum filia, ut pater, habitare.

§. II.

An filij ex eo matrimonio nati legitimi censendi sint.

4 Respondeo affirmativè sic expressè constat ex ipso jure *in cap. cum inter, qui filij sint legit.* ibi. *Filij eorum non debent exinde sustinere jacturam, cum parentes eorum publice, & sine contradictione Ecclesiæ, inter se contraxisse, noscantur*; Idem decidit *in capit. Perlatum*, & *capit. Ex tenore, eod. titul* Et ratione ostenditur, quia matrimonium fuit contractum bona fide ex parte utriusque, præmissis denuntiationibus, ut constat *ex numer.* 1. Et in his terminis omnes etiam Doctores conveniunt, filios esse legitimos, Sanch. *l.* 8 *de matrim. disput.* 34 *numer.* 46. & expressius Basil Pont. *l.* 11. *matrimon. cap.* 8. *numer.* 2. cum Panorm. Fabien. Hugolin. Covarr. Avila, & alijs, & citatis alijs Barbos. *in collect. ad sit. cap. cum inter, numer.* 2. *& seqq.* Gobat. *tom.* 3. *tract.* 8 *numer.* 438.

5 Hæc resolutio etiam habet locum in casu, quo dictum matrimonium bona fide solùm ex parte unius fuisset contractum, in favorem, & respectu filiorum, non tamen parentis, malam fidem habentis. Sic Sanch. *proximè* cum Lasta, Martinez. & cum Duen. servant. Gabriel. Gutier.

Sanctar.

UNIVERSIDADE LIVRARIA DA

Sanctarell. & alijs Barbos. *cit. numer* 9. Et in collect. *ad cap Ex tenore, cit. numer.* 4. addit eos filios censeri legitimos, etiam quoad parentem, qui malam habuit fidem, cum Avendan. Gutierr. & Cevall, & sic ijs filijs succedere potest.

6 Ex his sequitur primo dictos filios posse ad ordines promoveri. Quia, filij nati ex parentibus cum bona fide ex matrimonio putato valido, & in facie Ecclesiæ contracto, non sunt irregulares ex defectu natalium. Soar. *tom. 5. de Censur. disp. 1. sect. 1. numer. 6 & seqq.* Sayr. ibi *l. 6. cap. 10. a numer. 31.* Avila *etiam de Cens. part. 7. disp. 3 dub. 6.* Bellet. *disquis. cleric. part. 1. titul. de discip. cleric. §. 3. numer. 23.* quos citat Barbos. *in Collect ad dict. cap. Cum inter, num. 5.* Gobat. *supra cit.* & satis colligitur ex dictis.

7 Secundò sequitur, eos filios parentibus in bonis illorum hæreditarijs esse succesſuros, ut deciditur in *cit. cap. cum inter* ibi: *In bona paterna hæreditario jure succedant*; & tradunt Gomes, Corras, Molina jurista, Azor, & alij, quos refert Barbos. *in collect. ad cit. cap. numer. 14* contra aliquos sustinentes originem successionis ex jure Civili provenire; & hoc jus hos ad succedendum inhabiles reddit. Sed meo judicio non rectè, quia matrimonium, non jure civili, sed canonico judicatur, & disposito, ab hoc standum est.

8 Tertiò sequitur, hos parentes nullo modo debere suos filios de ea matrimonij nullitate admonere; imo non bene se gerent, si eam nullitatem manifestent. An vero peccent mortaliter, si eam manifestent? Affirmativè censeo, quia manifestatio generat scandalum, & finem ullum licitum habere nequit.

QUÆSTIO L.

An jussus sub pæna excommunicationis ipso facto, ducere, illam, quam certo mortaliter scit, esse suam sororem, illam ducere debeat?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Metus excommunicationis injustæ, est metus cadens in Constantem virum.*
3 *Non peccat cum eo metu contrahens, nec alia contrahitur excommunicatio.*
4 *Stare non potest pro sententia, quæ non materialiter, sed formaliter est vera.*
5 *Debent separari quoad thorum, & quoad cohabitationem juxta scandalum.*
6 *Summus Pontifex nunquam dispensat in primo gradu consanguinitatis lineæ transversalis, etiam data sententia hodie probabiliore.*

1 PAulus nobilis, dives, jure Canonico graduatus, ægretudinibus laborans, illarum causa, præmia graduatis debita, non persequens, statuit uxorem ducere, non æqualem in civitijs, & nobilitate, sed talem, quæ suis ægretudinibus proficua, & suæ domus gubernationi commoda fuisset. Sibi elegit filiam [sic communiter existimatam] cujusdam agricolæ ob suam indolem, honestatem, & maturum judicium. Cujus parentes patri suo viventi ministeria, tam intra, quam extra domum exhibebant. Cum ventum fuisset ad denuntiationes, quidam testis protulit, adesse impedimentum primi gradus consanguinitatis lineæ transversalis: nam Paulus, & ea agricolæ filia existimata, erant fratres ab eodem patre geniti, Impedito matrimonio, & deducta causa ad Vicarium Generalem, sententiam tulit, esse legitime impeditos. Appellatione interposita ad Nuncium, per filiam agricolæ; hic revocata sententia Vicarij Generalis, sua sententia pronuntiavit, posse dictos matrimonio conjungi, quia non satis probabatur, conjungendos esse ab eodem parente genitos. At Paulus cum sit homo timoratus, & doctus, alias notitias, & occasiones habitas scrutatus, & testes fidos, ex quibus moraliter certus redditus est, eam, quam ducere intendebat, esse suam sororem. Quærit quomodo se habere debeat, si à Prælato sub pæna excommunicationis jubeatur, illam recipere, quæ existimatur sua soror.

RESOLUTIO.

2 Respondeo, posse Paulum jussum a Prælato sub pæna excommunicationis ipso facto ducere illam, quam moraliter certo scit, suam esse sororem, sine animo tamen consummandi matrimonium, nec habendi eum illa aliqua turpia, & peccaminosa. Ratio est quia metus excommunicationis injustæ, [qualis illa erit] est metus cadens in virum constantem, est enim pæna gravissima, &, quanvis injusta, est timenda, *cap. 1. ll. q. 3* generat infamiam saltem apud illos, qui illius injustiam non percipiunt, quia ab Ecclesia separat. *cap Nihil 11. q. 3* & ab hominum consortio *l. sfiqui Sanctam C de apostat*, ut pluribus relatis tradit Sanch. *l. 4 matrim disp. 5. numer. 17.* & alij. Et hic metus in præsenti casu locum habebit, quia Paulo occurri non potest medium, quo ab illa liberetur excommunicatione, quia appellationem ad ordinarium interponere non potest, quia Nuntio est inferior; nec ad ipsum Nuntium, ratione cujus sententiæ excõmunicatio profertur; nec in promptu est S. Põtifex; nec etiã absens per procuratorem illũ

audiet ex lata sententia à Nuntio pro matrimonio contrahendo; & in his terminis metus excommunicationis est metus cadens in constantem virum; sic pluribus *cit.* Sanch. *proximè num.* 18.

3 At quando matrimonium contrahitur ex metu gravi cadenti in constantem virum, licet sciat matrimonium irritum celebrare, peccatum non committit, quia ipse Paulus non illud irritat, nec ad irritationem cooperatur; ut docet Sanch. dicto *l.* 4. *matr, disp.* 16. *n.* 6. ergo si Paulo excommunicatio imponatur, ut matrimonium contrahat cum illa, quam scit suam esse sororem, contrahere poterit, quin peccet, aut aliquam incurrat excommunicationem.

4 Nec obstat, quòd Paulus tenetur stare pro sententia Nuntij judicantis non esse fratrem illius fœminæ, ut docent communiter DD. Non, inquam, hoc. obstat: quia Nuntius ex actis eam tulit sententiam; at Paulus alia plura, quæ in actis allata nō fuerunt, apprime cognovit, quæ si ad acta deducta fuissent, eam non ferret sententiam Nuntius; & cum agat de vitando peccato in futurum, stare non potest pro sententia, quæ licet rectè sit lata formaliter, materialiter non est vera. Et hoc confirmari potest, quia jus in foro etiam externo impedit matrimonium, quando unicus tantum datur testis integer, de impedimento testimonium ferens, ut patet ex textu *in cap. super eo* 2. *de test. & attest.* & *cap. Præterea* 2. *de Sponsal.* Vide Sanch. *l.* 1. *de matr. disp* 71. *à n.* 1. & ea quæ diximus *supra q.* 45. & Paulus non solum unum testem habet integrum, sed alios de alijs conjecturis efficacibus testificantes, apud se ipsum, & alia conducencia ad idem intentum ab ipso accepta.

5 Persistente autem Paulo in ea morali certitudine, post matrimonium contractum, ex eo metu cadente in virum constantem, debet quoad thorum separatus vivere, & non quoad cohabitationem, juxta ea, quæ diximus *q. precedente n.* 3. ut cesset aliquod scandalum si forte detur ex non cohabitatione; si tamen vice versa ex cohabitatione detur scandalum, vel deponendum est ex sententia lata, ut debet, vel authoritate judicis Ecclesiastici separari debent.

6 Adverto tamen pro dispensatione hujus matrimonij ad Summ. Pontificem, non esse recurrendum; quia jam requisitus nunquam voluit dispensare; etiam si hodie communis, seu probabilior sententia affirmet, non esse prohibitum jure naturali matrimonium in primo gradu consanguinitatis lineæ transversalis. Doctores pro utraque sententia pugnantes videri possunt apud Leand. *tom.* 2. *tract.* 9. *disp.* 12. *quæst.* 9. Dicastill. *tom.* 3. *de Sacrament. tract.* 10. *disput.* 7. *dub.* 23. *à n.* 220.

QUÆSTIO LI.

An validum sit matrimonium, in foro externo illius, qui illud in utroque foro fatetur, noluisse celebrare?

SUMMARIUM

1 *Facti species.*
2 *Matrimonium validum non fuit, ex defectu consensus.*
3 *Validum etiam non fuit ex revocatione facultatis procuratoris.*
4 *Non tamen fuit invalidum; quia ratificatum non fuit coram parocho, & testibus.*
5 *Nec, quia illud non consummavit.*
6 *Nec quia procuratorem coram parocho, & testibus non constituit.*
7 *Nec quia amore libertatis fœminam duxit.*

1 Franciscо, ob defloration em cujusdam fœminæ carcere incluso, promisit Petrus; si cum sua filia matrimonio conjungi vellet, dotem daturū, & si doti fœminæ defloratæ tribuendæ, sit condemnatus, eam etiam soluturum. Hoc inito pacto. A Prælato obtinuerunt, quod omissis denuntiationibus matrimonium per procuratorem celebraretur. Matrimonio celebrato, dissidia inter ipsos Franciscum, & Petrum ex orta fuerunt. Elapso anno è carcere Franciscus solutus, ad sibi nuptam videndam; illa non visa, per aliquos annos ab eo oppido discessit; & rediens, matrimonium celebratum annullare intendit, ex his rationibus. 1. quia post celebratum, illud ratum non habuit coram parocho, & testibus. 2. quia illud non consummavit. 3 Quia procuratorem coram parocho, & testibus non constituit. Quia ante matrimonium celebratum, procuratorem, & tacitè, & expresè revocavit; licet hanc revocationem probare nequeat. 5. quia non ex voluntate, sed molestia, & afflictione carceris consensum fictum illi præstitit matrimonio. Quæritur 1. An matrimonium fuisset validum? 2. An illud annullare valeat, quanvis procurationem factam revocare nequeat? 3. Si nuptæ putatæ alimenta debeantur?

§. I.

An dictum matrimonium fuisset validum?

2 Respondeo, non fuisse validum. 1. quia sine partium consensu stare nequit matrimonium: est enim contractus civilis à Christo Domino elevatus ad rationem Sacramenti, ut omnes docent, Sanch. *l.* 2. *de matr. disp.* 25. *n.* 1. Basil. Pont. *l.* 2. *de matr cap.* 2 *à n.* 1. Tamburin. *l.* 8. *de Sacr. tract.* 4. *cap* 2 § 1. *n.* 1. Leand *tom* 2. *tract.* 9. *disp*, 7. *à q.* 1. & *alij* quos citant: sed Fran-

Franciscus asserit, se non habuisse animum ducendi filiam Petri: ergo validum non fuit matrimonium.

3 Secundò, quia asserit, se revocasse commissionem suo procuratori factam; & tacitè, & expresè ante celebrationem matrimonij: sed revocata procuratoris commissione, ad ducendam aliquam fœminam, sive ea revocatio sit tacita, sive expressa, matrimonium ab eo procuratore initum, etiam illo ignorante eam revocationem, non est validum; quia deficit unius consensus, cum utriusque sit necessarius; ut tenent Sanch. *dict l.2 disp.11.a n.3.* Basil. *l.2.cap.15* Bonac. *de matr.q.2.punct.5.n. 6.& 7.* Castr. Palaus *tom.5.d.sp.2 punct 9.n. 2.* Tambur. *dict.l.8 tract 4 §. 1.n 5 & 6.* Leand *cit.tom. 2.tract 9.disp.4 quæst. 16.* & alij, quos referunt: ergo.

4 Non tamen est nullum ex rationibus, quas ipse Franciscus affert *num. 1.* Non ex 1. quia scilicet postea matrimonium, coram parocho, & testibus, non ratificavit. Nam licet id sit faciendum, & consulendum; non tamen ad validitatem matrimonij est necessarium, ut defendunt Sanch. *cit dict disp. 11 n.31.* Bonac *cit q.2 de matr punct.5. n.4. Vers. Respondeo cum* Sanch Tambur *dicti l.8 tract.4 §.1. n. 20.* Gutierr. & alij ab ipsis adducti.

5 Nec ex 2. Nam ex eo, quòd matrimonium non consummavit; non est nullum. Quia matrimonium ratum est indissolubile, ut constat ex varijs scripturæ locis, *Genes. 2. Propter hanc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ.* Matth. 19. *Quod Deus conjunxit, homo non separat. Ad Rom.7. Mulier, vivente viro, alligata est legi.* Et ex *cap. Fin. de condit.appos.* & *ex Trid.sess.24 de reformat. matr. in principio*, & ex DD. Castr. Palao *tom. 5. disp.3 punct.2 §.1 n.5.* Leand. *tom.2.tract 9.disp 5.q.2* & omnibus. Et solum per professionem solemnem in Religione approbata potest dissolvi. Trident *dicti sess 24 can.6* & DD Sanch *l.2 de matr.disp.24 n.27.* Tambur. *l.8 de matr. tract.5.cap 6 §.2 n.1.* Ego *supra q 49. a n. 1* & omnes. An verò authoritate Pontificis? Non conveniunt DD. Vide Sanch. *disput.15.* Basil, Pont *l.9.cap 3.* Castr. Palaum *tom 5.disp.3.punct. 2.§ 4.* Tambur. *cit.dict.cap.6 §.1 n. 1.* & ab illis allatos.

6 Nec ex 3. quia necesse non est, quod procurator coram parocho, & testibus constituatur. Sanch *cit d.l. 2.disp.11 n.23.* Castr. Palaus *proxime disp.2 punct 9. numer. 5.* Tambur. *tract 4 cap.4 §.1.n.4* Leand. *tom.2 tract 9. disp. 4.q. 107.* & alij plurimi; quamvis aliqui apud Castr. Palaum *n.4.* oppositum defendant.

7 Nec ex 4. Quia matrimonium non fuit nullum ex eo, quod, amore libertatis, & desiderio se videndi à carcere liberum, duxisset filiam Petri; nec ex dissentionibus cum Petro habitis: Nam Petrus ei nullam vim intulit, ut filiam suam duceret; nec oppressio carceris ab eo fuit illata, nec dissentiones habitæ fuerunt ante matrimonium contractum, & per consequens non in ordine ad illud contrahendum. Et quando vis non incutitur ad matrimonium contrahendum, illud non reddit nullum, etiam in casu, quo ipsa jus fuisset injusta Sanch. *l.4.de matr.disp.12.n.3 & 9 & l.4 decal cap.3.n.* 4. Tambur *dict tract.4 cap.6 §.2.n.10.& 11.* & alij communiter.

§. II.

An Franciscus dictum matrimonium annulare valeat, quamvis procuratoris commissionem, revocare non possit?

SUMMARIUM.

8 *In foro externo non sufficit testimonium ipsius contrahentis, ut dissolvatur matrimonium. Aliquæ conjecturæ afferuntur.*

9 *Indicia à Francisco adducta non sunt sufficientia; quamvis esse ponerint.*

8 Pro foro conscientiæ facilius ostenditur testimonium contrahentis sufficere, ut matrimonium reputetur invalidum; at ut habeatur in foro externo invalidum, non sufficit illud testimonium; nam hoc eliditur, matrimonio exterius contracto, ut colligitur ex *cap. Per tuas, de probat.* Aliquas adducunt DD. conjecturas, ex quibus probari potest matrimonium fictè fuisse contractum. Ut videre est apud Sanch. *l.2 de matr.disp 45* Castr. Palaum *tom. 5. disp 3 punct. 2.§.6 n 3.* Et in præsenti casu, tres possunt venire in considerationem. Prima si Franciscus potuisset probare, se expresè revocasse commissionem factam suo procuratori ad recipiendam filiam Patri, suo nomine; & quamvis non esset ante contractum matrimonium, sufficiebat, si audito nuntio de matrimonio jam contracto, dixisset, se procuratorem ferò non constituisse nec ejus consensum ad matrimonium verum sed fictum fuisse. 2. conjectura ficti consensus est, quoad Franciscus est disparis conditionis à filia Petri, in divitijs, & nobilitate; & hic præsumi potest suũ consensum fuisse fictum. Hanc conjecturam admittunt Menoch. Covarr. Victoria, & Palatios apud Castr. Palaum *cit.dict nn.3.* & Sanch. eam admittit dicta *disp.45 n.8* licèt Castr. Palaus, & alij eam non approbant. 3. Conjectura, & efficacior in nostro casu est, quia metus carceris gravis, quem Franciscus in carcere patiebatur, licet insufficiens ad irritandum matrimonium, ut dictum est supra *n 7* sufficiens tamen videtur ad præstandum fictum consensum, ad matrimonium cum, filia Petri; nam sic sibi consulebat, aliud non habens remedium, ad facilius è carcere egrediendum. Et hanc conjecturam admittunt, ut sufficientem, relatis Sot. Barthol. & Ledesm & alijs Sanch. *cit. n.11.* Conich. *disp.26 dub.6.n.7.* Castr Pal. *cit.*

9 Ad quæstionem ergo propositam respondeo, Franciscum probantem in foro externo illas tres conjecturas *num. præcedente* adductas, aut quamlibet illarum, probare suum consensum fuisse fictum; si aliæ non opponantur, quibus adductæ elidantur; nam semper standum est verbis contractus, quæ voluntatem animi demonstant, & non admittunt aliquam conjecturam, nisi talis sit, quæ animum prudentis faciat acquiescere; ut late ex legib. & DD. ostendit, Barbos. *tract. de axiom. 222. n 2. & 32.* Et circa præsentem casum inquit Sanch. *cit. nu. 9.* hæc verba: *Sed credo magna debere esse hujusmodi signa, & talia, ut vir prudens acquiescat omnino; & rarissime hoc sufficere.* Sic Sanch. Et cum Franciscus dicat se tacitè, & expressè revocasse commissionem procuratori factam, illi onus probandi incumbit; alia verò indicia, & conjecturæ non sunt ita clarissima, ut ex illis probetur, non ad fuisse animum ducendi filiam Petri. Sic Sanch. *l. 2. de matr. disp 11. n. 9.* Laym. *in Theol. moral. l 5. tract. 10 part 2. cap 6. n. 3.* Gobat. *tom. 3. tract. 10. num. 430.*

§. III.

Anâ Francisco nuptæ alimenta debeantur?

SUMMARIUM.

10 *Non tenetur nuptæ alimenta præstare, quia dos non est soluta.*

11 *Cum illa non tenetur cohabitare, nec illi alimenta præstare.*

12 *Dote promissâ, & non solutâ, non tenetur vir in suam domum eam traducere.*

13 *Vir pendente lite, tenetur uxori ea alimenta præstare, quæ ante litem tenebatur.*

10 Respondeo, non deberi: ex his rationibus. 1. Quia dos quasi in pretium datur, ut ex ejus fructibus maritus onera matrimonij sustineat, uxoremque alat *l. Pro oneribus, C. de jur. dotium, l. doctis fructus ff. eod.* Sed Francisco dos fuit promissa, & adhuc non soluta; ergo ei nuptæ alimenta non debentur; nec ea tenetur Franciscus præstare. Hanc conclusionem tenent *Gloss. in Authent. de non eligendo secundo nubentes, §. fin. Verb. Onera,* Sanch. *l. 9. de matr. disp. 5 numer. 2* dicens esse omnium. Eamdem defendunt Bald. Iason. Gomes, Arias, quos refert, & sequitur Fragol. *tom. 3 reip. Christ. l. 3 disp. 6 n. 7. vers. Probabilius, in medio.*

11 Secunda ratio, quia Franciscus certus est, illi matrimonio consensum non præbuisse, & se revocasse facultatem procuratori commissam, ad ducendam suo nomine filiam Petri, sive ea revocatio fuisset tacita, sive expressa; & hac data certitudine Petrus tenetur non habitare cum ea putata nupta filia Petri, ut tradit Sanch. *l. 2 de matr. disp 41. nu. 50. 52. & 53.* Sed quando vir absque sua culpa nuptæ non cohabitat, illam non tenetur alere *cap. Hæc imago 33. q. 5.* Fragol. *cit. n. 8. Vers. limitatur primo* in principio: ergo.

12 Tertia, quia dato, & non concesso, quòd Franciscus possit cum ea sibi nupta cohabitare, ex eo quòd dos promissa non est soluta, non tenetur eam in suam domum traducere, quoniam in eam nunquam fuit traducta: sed in his terminis eam non tenetur alere, ut plures asserunt DD. apud Sanch *l. 9. de matr. disp 5. num. 11. & 16.* Nec oppositum docet Sanch. *ibi n. 17.* quia licet defendat, virum teneri in suam domum uxorem traducere, dote promissa non soluta; non tamen defendit, quod teneatur eam alere: ergo juxta DD. à Sanch *citatos*, non tenetur eam in domum traducere juxta eos DD. & Sanch.

13 Quarta, quia pendente lite, tenetur vir alimenta uxori præstare, quando ante litem, eam alere tenebatur, argum. *l. si neget ff. de liber. agnosc.* ubi dicitur, teneri virum filios alere, quando agitur de valore matrimonij, ut cum Innoc. Abbat. Anchar. Ioan. Andr. & alijs docet Sanch. *l. 2. de matr. disp. 41. numer. 51.* Sed ante motam litem Franciscus non tenebatur eam sibi nuptam alere: ergo nec mota lite. Et etiam dato, quod ante litem eam alere teneretur, in præsenti casu eam alere non tenebatur, quia certus non est adesse matrimonium; ut inquit Angel. *verb. matrimonium 3. impedimentum 4. num 9.* Nec contra hanc resolutionem stat text. *in l. cit.* si neget; quia lex loquitur de obligatione filios, & non uxorem alendi, quando mota est lis, circa valorem matrimonij.

QUÆSTIO LII.

Quo remedio occurrendum sit duobus, qui matrimonium in facie Ecclesiæ fictè contraxerunt?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*

2 *Absque consensu non datur matrimonium.*

3 *Sufficit confessio dissensus utriusque, absque collusione.*

4 *Cessat collusio, declarata causa, & fine consensus ficti secretò officiali Diœcesano.*

5 *Vicarius Generalis cessare potest in processu de impedimento, quando scit à Pœnitentiaria fuisse obtentam dispensationem.*

6 *Cessat etiam collusio ex juramento, ut ex jure sit in causa impotentiæ.*

7 *In causa impotentiæ requiritur testimonium matronarum de virginitate, & non in hoc.*

8 *Aliud remedium est, si uterque emittat professionem in Religionibus.*

9 *Aliud est, vita cælibata, & Vicarius Generalis inter illos illam non permittet.*

1 Lau-

1 LAurentius, & Lucretia inductione cujusdam potentatus conscientiæ nequissimæ, matrimonium fictum in facie Ecclesiæ celebrarunt, ob quem finem? Satius reor, illum tacere. Elapsis tribus circiter annis, ex quibus per aliquos menses in eadem domo cohabitarunt, quin illud fictum matrimonium consummassent, nec alia turpia inter se habuissent, data semper quoad thorum separatione. Hoc matrimonium de novo nolunt, maximè Laurentius, contrahere. Pro foro tamen externo; sicut sunt in interno, exoptant se liberos manifestare, nequeunt tamen sine manifesto vitæ periculo causam, & finem illius ficti matrimonij celebrati, ostendere. Quæritur de remedio, quo possint pro foro externo suam antiquam consequi libertatem, absque vitæ periculo?

RESOLUTIO.

2 In primis certum est, contractum matrimonium absque consensu contrahentium nulla potentia, etiam divina fieri posse; quia illius essentia in consensu consistit, signis exprimentibus illum, sicut homo & anima rationali, & corpore constat. Sic Sanch. *l.2. de matr. disp.27.n.2.& 5.* Basil.& alij quos refert, & sequitur Leand.*tom.2.tract.9.disp.6 quæst.2. & 3.* Dicastill.*tom 3.de Sacramentis tract. 14 disp 2 dub.6. n.30.* Certum etiam est, validum non contrahi matrimonium, si deficiat consensus, quamvis dentur signa illum exprimentia; nam sine consensu ad matrimonium, jam non datur ejus essentia, sic omnes Certum est etiam, Laurentium & Lucretiam validum non contraxisse matrimonium; quia antequam signa expressissent matrimonij in facie Ecclesiæ, inter se convenerunt, se non habere consensum ad ipsum matrimonium contrahendum; in quo graviter peccarunt.

3 Quo ergo remedio possunt uti, ut suam acquirant libertatem, pro foro externo absque vitæ periculo, nam sine illo, finem illius contracti matrimonij ficti detegere nequeunt? Respondeo, aliqua illis remedia designando. 1. fit, Conveniant officialem Diæcesanum, & coram illo dicant, se ipsos ficté nec hactenus hoc matrimonium fictum consummasse, nec alia conjugibus concessa, exhibuisse. Et quòd in præsenti casu sufficiat utriusque conjugis confessio, tenet Bald. *l.fin. num.21.C.de hered instit.* Idem admittunt Gregor,Lop.*l 5.Verb la Iglesia titul.2.p.4.* & Sanch. *l.2 de matrim l.2 disp. 45 num. 15.* cum hac limitatione: *nisi collusionis præsumptio adesset.* Nec oppositum docet Ægid. *disp.26 dub.4.num.72.* nec Castr.Palaus *tom.5.disp.3 punct.2.§.6.nu.3.* quia tantùm hoc absolutè non fatentur; quia in ea confessione, aliquam collusionem præsumunt. Si ergo hæc cesset, poterit officialis Diæcesanus in suum favorem ferre sententiam. Hæc tamen collusionis præsumptio dupliciter cessare potest,

4 Primo, detegendo Officiali Diæcesano summo secreto, quomodo suum matrimonium fictum initum fuisset, & hoc absque testibus, & tacito nomine inducentis, ad tantum crimen, & dicentes se nolle tale matrimonium ratificare, nec illo uti, sicut hactenus illo non usi fuerunt. Et Officialis Diæcesanus habita hac informatione, & cognoscens, illos veritatem fateri, & in actis illa non posse manifestari; poterit cum supra dictis DD. declarare illud matrimonium, sine consensu initû, nullum; quia jam cessat collusio, quæ in eo matrimonio præsumi poterat.

5 Confirmatur, quia officialis Diæcesanus, aut parochus possunt cessare in processu, de inquisitione facienda super impedimento occulto, quando illis à viro Religioso dicitur, in foro interno, quoad super ipsum impedimentum occultum, à S. Pœnitentiaria obtenta fuit dispensatio, quæ jam executioni mandata est. Ut cum Henriq. tradit, Sanch. *l. 3. de matr.disp. 15. numer.14.* Gutierr. *in qq can. cap.60.n.5* Coninch.*disp.27.n.64* Hurt. *de matr.dub 5.aefsic.21 n.77.* & Bosius *de matr. contract.cap.7.§.47. nu.208.* Vide illum. Et hoc non semel deductum fuit ad praxim: ergo etiam in nostro casu, sic procedere potest officialis Diæcesanus,declarando matrimonium fuisse nullum ex confessione supradictorum, & ex authoritate DD *locis cit.*

6 Secundo cessare potest ex juramento utriusque, & ex juramento in eadem domo, vel vicinia habitantium, & testimonium ferentium, se credere Laurentium, & Lucretiam verum dicere. Si enim in causa impotentiæ, sufficit juramentum utriusque conjugati, jurantium, se per triennium non potuisse coire, adjuncto testimonio septimæ manus, ut jura loquuntur. Ut *ex cap. Laudabilem, de frigid. &c.* tenent Sanch.*l.7.de matr disp.*107.*n.7.* & 8 Basil.Pont. *ibid.l 7.cap.66.n.5* Castr.Palaus *tom.5.disp.4 punct* 14 § 9 *n.*11.Sot. Averf. & alij plures, quos afferunt, & sequuntur Tambur. *l.8.de matr.tract.1.cap* 13 §.4 *num.* 4 Leand.*tom.2.tract.9 disp,21 q.45.* Si enim, inquâ, in causa impotentiæ hæc sufficiunt testimonium declaretur nullum, etiam sufficient in causa dissensus, ut declaretur nullum.

7 Nec obstat, quod in causa impotentiæ ultra ea testimonia, requiritur testimonium matronarum deponentium de Virginitate fœminæ; quod testimonium non datur, nec requiritur in Lucretia. Non, inquam,hoc obstat, quia in causa impotentiæ illud requiritur testimonium à *textu cit.* ut omnis collusio extingatur; at in nostro casu non datur textus illud testimonium requirens & DD.*cit. nu.*3. solùm in causa dissensus matrimonij requirunt confessionem ipsorum ficté contrahentium, & quod non adsit præsumptio collusionis,quæ ex dictis cessat. Alijs supersedeo solutionibus

8 Secun-

8 Secundum remedium sit: Quòd Laurentius, & Lucretia de mutua licentia Religionem ingrediantur, & uterque in sua emittat professionem. Et quamvis per utriusque, aut alterius professionem matrimonium in foro externo non censeatur dissolutum; quia hoc matrimonium in eo foro censetur validum, & consummatum. Proderit tamen hoc remedium, ut à societate utriusque eximantur. Circa hoc matrimonium vide Sanch. l. 7. *disp.* 32. Basil. Pont *l.* 9. *capit.* 12. Castr. Palaum *tom.* 5. *disp* 3. *punct.* 6 §. 11. *num.* 9. Existimo tamen hoc remedium Laurentio non placere, quia uxorem ducere vult, nullo tamen modo, Lucretiam.

9 Tertium remedium sit: Quòd de mutuo consensu; ut scandalum in toro externo cesset, cælibem agant vitam. At quia sunt juvenes, Iudex Ecclesiasticus non eos permittet separatos vivere, propter incontinentiæ periculum Sanch. *l.* 9 *de matr. disp* 4 *num.* 5. Et ex ea ratione, quia sunt juvenes hoc remedium nolunt admittere, maximè Laurentius. Quare si primum remedium illi non placet, nec alia, abeat in terras longinquas, & ibi incognitus uxorem ad suum placitum ducat; si quidem suum dissensum probare nequit, aut non vult.

QUÆSTIO LIII.

An lata sententia contra stupratorem fœminæ sponte consentientis, in foro conscientiæ eam ducere teneatur; & etiam in casu, quo ejus pater de ducenda ab eo, votum emiserit; si stuprator eam virginem non invenit; & scit post latam sententiam rem cum altero habuisse?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Iustè pro foro externo lata fuit sententia.*
3 *Fundamentum primum id probat.*
4 *Secundum idem probat.*
5 *Et etiam tertium.*
6 *Ea data sententia, tenetur Felix in foro conscientiæ Rusinam ducere.*
7 *Quem confirmatur ex iterata copula postea cum illa habente.*
8 *Potest Felix coram judice secretam copulam cum altero habitam a Rusina detegere cum limitatione.*
9 *At non potest, quando id probare nequit.*

1 FElix nobilis adolescens cognovit Rufinam æqualis nobilitatis, se virginem profitentem, nulla facta matrimonij promissione; & percipiens, eam non esse Virginem, adhuc eam aliquoties cognovit. Et cum illam ducere repugnasset; Rufina adversus eum à judice sententiam obtinuit. Post latam sententiam asserit Felix, illam alteri sui corporis copiam fecisse. Hæc sciens Pater Felicis, Deo vovit, filium suum Rufinam ducturum esse Quæritur 1. An teneatur eam ducere? 2. An ratione voti à patre emissi?

§. I.

An Felix tam in foro externo, quàm interno teneatur Rufinam ducere?

2 Quod attinet ad forum externum; respondeo, teneri illam ducere, quia ad illam ducendam à judice fuit condemnatus; quia non probavit tria, quæ ab ipso erant probanda, & ab eo adducta contra Rufinam: Primũ, quòd ab alio fuisset defloratа. Secundum, quòd copula ab eo habita cum Rufina fuisset ex suo spontaneo consensu. Et tertium etiam non probabit, nempe, quòd post latam sententiam cum altero fuisset fornicata; Et his non probatis justè lata est sententia.

3 Ostenditur, quia ut probaret primum, debebat ex alijs scire Rufinam ab alio fuisse defloratam: sed Felix nec etiam privatim, nec ab alijs scivit, illam fuisse defloratam: ergo ipse Felix, ut alij illam pro Virgine habere debet, ut inquit Gobat *tom.* 3 *tract.* 10. *num.* 225. Additur, quia nisi Felix certò sciat Rufinam nó esse Virginem, ut virgo apud eum habenda est: sed hoc certò scire non potest, ex copula cum ea habita, nam hoc non est facile cognitu, nam plures uxores à maritis existimatæ sunt corruptæ, cum tales non essent, nec ipsæ obstetrices id probe cognoscunt, cum sæpe fallantur, videatur Sanch. *l* 7. *de matr. disp.* 113 *n.* 10 ergo cum certò id ex copula scire non possit, eam non esse Virginem, ut virgo est habenda; quia virginitas possidet, cum ab omnibus putetur virgo. Tamburin. *l.* 1. *decal. cap.* 3 §. 7 *Verb. Virgo, in principio vers. Certo,* & *l.* 7. *decal. cap.* 3 §. 3 *n.* 31. Quare ex hoc capite rectè fuit condemnatus.

4 Et etiam ex secundo, quia non præsumitur de fœmina honesta, nobili, & bonæ famæ, se juveni paris conditionis sui corporis feciſſe copiam, nisi promisso matrimonio, ut satis colligitur *ex reg in obscuris, ff. de reg. jur.* & ex dictis à Menoch. *l.* 3. *præsumpt.* 1 *num.* 80. Perez *disp.* 12 *de matr. sect.* 4. Gobat *d. tract.* 10. *nu.* 82. & 276. Sed Rufina est fœmina honesta, ac boni nominis, & Felici paris conditionis: ergo præsumendum non est, se usuram sui corporis toties concessuram, nisi sub stipulatione facta de matrimonio.

5 Et etiam ex tertio, quia Felix ex alijs non probat, Rufinam cum altero rem habuisse, & onus probandi id ipsi asserenti incumbit, nullusque in re propria testis idoneus intelligitur *l. Nullus ff. de test.* Addo, non dari scandalum, si Felix Rufinam ducat, quia est paris nobilitatis, & quia ejus pater hoc summè desiderat, & de illa ducenda votum Deo emisit.

misit Hæc quo ad forum externum.

6 Quod attinet ad forum internum, existimo Felicem post latam sententiam à judice Eccl. siastico de ducenda Rufina, etiam in foro interno illam ducere teneri. Ratio est, quia licet DD. communiter doceant, stupratorem non teneri ducere illam, quæ sine metu, vèl fraude, aut promissione matrimonij annuit petitioni stupratoris; id docent antequam lata sit sententia de illa ducenda; at post latam sententiam de illa ducenda, id non docent. Et si aliquid absolutè docent, intelligendi sunt de obligatione illam ducendi, ante judicis sententiam, & non post illam. Sic Lessius *l.2 de just. cap.*10.*n.* 12.*dub.*2. ubi postquam *n.*9 inquit, nô teneri stupratorem ducere illam, quæ simplici petitioni illius annuit; in *n.*11. respondendo ad argumentum, in quo dicebatur illum teneri eam dotare, & simul ducere, sic ait: *Resp. Hæc intelligeda esse post sententiam judicis, ut recte docet Sylvest. supr. ante enim sententiam no tenetur, &c.* Molin *tom.*4.*de just. disp.* 106.*n.* 1. ibi idē docēs, sic ait: *Hæc conclusio est adversus* Navarr. *in man. cap.*16 *n* 16.*& adversus alios quosdam, qui dispositiones pœnales juris humani, de quibus disput.* 104. *est dictum, confundunt cum obligatione in foro conscientiæ restituendi pro stupro nulla expectata sententia.* Sic Molin. ergo latâ sententiâ, in foro conscientiæ datur obligatio. Idem Card. de Lug. *tom* 1 *de just. disp.* 12.*n.*2.ibi: *Contrarium tamen in foro conscientiæ dicendum esse, quidquid sit de juris humani dispositione, quæ ante sententiam non obligat, docent communiter DD. &c.* Sic Cardin. Idem Vasq. *de restit. cap* 3 § 2 *nu.* 1. ibi: *Sylvest. asserit, quod Angel. sensit, hæc omnia ante sententiam in conscientia obligare propter dispositionem c.* 1. *&* 2. *de adult. Mihi hæc sententia non placet, quia dispositio illius cap. locum habet in exteriori foro, quoad sententiam ferendam in conscientia.* Idem Tambur. *l.*7.*decal. cap.*5. §.3. *n.*7. ibi: *Dixi autem num.*5.[*nihil deberi in conscientia:*] *nam in foro externo, qui defloravit virginem, etiam volentem*; *cogitur a Iudice eam dotare, lege sic statuente, ut notavit Lessius l.*2 *cap.* 7.*n.*44 *propter bonum commune.* & alij plures, à nobis allati & cit ergo licet Felix ante latam sententiam non teneretur ducere Rufinam, quia illi matrimonium non promisit, illam ducere tenetur, quia ad illam ducendam, à judice lata est sententia.

7 Addo, Rufinam simplici petitioni stupratoris Felicis non annuisse, ut procedit sententia *num.præcedente* sed sub promissione matrimonij; si non expressè, saltem tacita, ut constat ex dictis *n.* 1. nam cum Felix ad illam voluisset accedere, illum à se amovit, dicens se esse virginem; & quamvis expressè non illam defloraſſet, sub spe matrimonij, attamen talibus verbis eam suasit, ut ipe rectè intelligebat, illam sub spe matrimonij, se tradidisse deflorandam; & hac de causa aliquoties illum ad illud commertium admisit. Unde lata sententia', illam in foro conscientiæ tenetur ducere. Nam illius commertij iteratio illum constituebat in promissione matrimonij tacita quam non ignorabat in Rufina adesse, ut rectè colligitur *ex text. in cap. Per tuas de condit. appos.* Vide atur Sanch. *l.*1.*disp.* 66.*& alij*, quos refert,& sequitur Castr. Palaus *tom.*5.*disp.* 1.*punct* 29 Leand. *tom.*2.*tract* 9.*disp.*2.*q.* 54.

8 Nec obstat contractioni hujus matrimonij, quod Felix scit, Rufinam post latam à judice sententiam, alteri fecisse sui corporis copiam, & quamvis hoc peccatum sit occultum, est sufficiens causa ad eam non ducendam, si judici detegatur, ut docent communiter DD. mox citandi. Non, inquam, hoc obstat, quia respondetur cum distinctione. Si Felix eam cum altero copulam potest in Iudicio probare, prius per aliquem virum Religiosum Rufinam admonere tenetur, ut desistat, & aliam evitet infamationem; quod si non acquiescat, poterit ad judicem eum defectum deferre: quia deferendo, jure suo utitur cum alium non habeat modum se defendendi, ut aliquibus relatis rectè docent Sanch *l.* 1. *de matr. disp.*7. *n.*2 Layman *l.*5.*Sum. Theol. moral. tract.*10 *part.*2.*cap.*2 *n* 12.*Vers. Quæres*, Basilius Pont. *de matr. l* 12.*cap.*18 *n* 8. Ægid. Coninch. *disp* 23 *dub* 11. *nu.* 93. Rebell de oblig. just. *l.*4.*q* 8.*sect* 9.Castr Pal. *tom* 5.*disp* 1 *punct.* 31.*n.*4 Leand *tom.*2.*tract* 9 *disp.*2.*q* 61.& alij.

9 At Felix eam copulam, ut inquit, probare nequit, quia est adeo occulta, ut uni tantum sit nota, qui testimonium ferre recusat, & cum Felix alia jam dicta in judicio non probasset, nec etiam hac defectum probabit; & à judice stare sententia lata, cogetur; qua non tenetur, si certò sciat eam copulam cum alio fuisse habitam & post latam sententiam juxta supra dicta ab aliquo judicabitur, se teneri etiam in hoc casu illam ducere. Quamvis oppositum absolutè teneant Sanch. *d l.*1. *disp.* 69. *n.*7. Laym *dict. l.*5.*tract.* 10.*part* 1 *cap.*2 *nu.* 12. Castr. Pal. *proximè*. Quare cessandum est ab interpellando judice, cum interpellatio nullum possit sortiri effectum?

§. II.

An ratione voti à patre emissi teneatur Felix Rufinam ducere.

SUMMARIUM.

10 *Non tenetur illam ducere ratione voti.*

11 *Pater omnem diligentiam adhibere tenetur, ut filius Rufinam ducat.*

12 *Facta à Patre ea diligentia filius non tenetur obedire.*

13 *Pater filium non potest cogere, ut hanc, vel illam ducat.*

14 *Si filius voto parentis consensit, aut ratificavit post latam sententiam, & post scitam copulā commissam, ad illam ducendam tenetur.*

15 *Non*

15 *Non tenetur ad restitutionem.*

10 Respondeo, non teneri. Ratio est, quia in hoc voto, cùm sit personale, non alienum, sed factum proprium promittitur. Ita Soar. *tom.* 2 *de Relig. tract* 6 *de voto l* 4. *cap.* 9. *n.* 4. *& cap* 2. *n.* 2 *& seqq.* Sanch. *in sum. l.* 4. *cap.* 15. *n.* 22 Laym. *in Theol. moral. l* 5. *tract.* 4 *cap* 3 *n.* 7. Tambur. *l* 3 *decal. cap.* 12. § 4 *n.* 1. Gobat. *tom.* 3. *tract* 11. *n.* 39 & 40 alijsque.

11 At, quamvis hoc votum, utpote personale non obligat Felicem; obligat tamen illius patrem voventem, ut bona fide præscisa omni fraude, & fictione, omnem diligentiam adhibeat, ut illius filius Felix Rufinam ducat. Si tamen filius huic diligentiæ abnuat, parens hoc modo suo voto satisfecit; quia hæc tantùm, & non voti executio in sua est potestate. Sic Sanch. *cit. cap.* 5. *n* 9. Tambor. & Layman *lib.* 11.

12 Nec Felix factà à parente eâ diligentiâ ei obedire tenetur; nam licet Sotus *l.* 7. *de just. q.* 2. *art.* 1. *ad ult.* Metin. 1. 2. *q* 90. *art.* 3. *colum.* 3. *paulo ante vers. Ad primum*, & alij dicant, teneri filios ex obedientia filiali parentibus debita, exequi vota emissa; hoc intelligendum est, quando ea vota pertinebant ad bonos mores circa domus, & rei familiaris gubernationem: nam in his solis, tenetur filius parentibus obedire, ut rectè tradunt Angel. Tobien. Armill. Navarr. quos refert, & sequitur Sanch. *dicto cap.* 15. *n* 22.

13 At circa matrimonium, vel tale, aut tale matrimonium filium non potest cogere pater, ut omnes fatentur cum D. Th. *in* 4 *dist.* 29. *q. unica art.* 4. & Sanch. *l.* 4. *de matr. disp.* 22. *nu.* 4. Ex ea ratione, quia matrimonium est quædam servitus perpetua; & ad eam non potest pater filium compellere; cum filius liberæ sit conditionis. Et quamvis in necessitate constitutus filium vendere possit, & libertate privare *l.* 2. *C. de patr. qui fil. suos distr.* Hæc tamen servitus non est perpetua, quia potest redimi, nec amorem exigit mutuum, quæ in matrimonio secus se habent. Vide Sanch. *cit. disp.* 23. *per totam*, ubi circa præsentem casum plura invenies.

14 Et quid dicendum, quando Felix voto parentis consensit, vel postea ratificavit? Respondeo cum distinctione: Si hic consensus, aut ratificatio fuit post latam sententiam, & scitam copulam à Rufina cum altero commissam: Dico teneri ad illam ducendam; quia sic non alienum, sed potius proprium votum exequitur; ut in simili notavit Gloss. *in §. si quis alium, inst. de inutil stipul* & colligitur ex DD. *n.* 10 *cit.* At si hic consensus, & ratificatio fuit antequam sciret de copula à Rufina commissa; censeo non teneri ad illam ducendam. Ratio est quia conveniunt DD. cessare votum, quando in materia promissa datur notabilis mutatio, v.g. in qua leges non solent obligare, ut inquit Soar *tom.* 2. *de Relig. tract.* 6. *l.* 4. *capit.* 19 *num.* 15. seu datur tanta mutatio, ut apud hominum æstimationem notabilis censeatur, Sanch. *l.* 4. *decal. cap.* 2. *n.* 10. Molin. *de just. tract.* 2 *disp* 272. & pluribus allatis Gobat *tom.* 3. *tract* 11. *n.* 114. & 115. & *n.* 338. Tambur. *l.* 3. *decal. cap.* 16. § 1. *n.* 1. Sed in Rufina ex voto ducenda à Felice, post fornicationem cùm alio habitam, datur notabilis mutatio, & talis, ut leges aliquem non obligent ad illam ducendam, & in æstimatione hominum, censetur notabiliter mutata: ergo si voti consensus, aut ratificatio fuit antequam à Felice sciretur cum altero fornicatio, non tenetur ex voto, aut ratificatione Rufinam ducere.

15 Sub inquires; An Felix jussus à Prælato ducere Rufinam ex sententia lata, teneatur ad aliquam restitutionem faciendam Rufinæ in casu, quo illam ducere non vult? Respondeo ad nullam teneri, nec in foro conscientiæ, nec in foro externo: non in foro conscientiæ, quia ille nolens eam ducere, non fuit causa copulæ cum alio habitæ. Deinde illa copula est adeo occulta, ut illam Felix probare non potuerit, nec ex illa ullum Rufinæ damnum sequitur; unde in foro externo ad nullâ restitutionem tenetur. Nec etiam tenetur in foro externo, non obediendo Prælato præcipienti, Rufinam ducere ex sententia lata; quia ex copula cum altero habita post latam sententiam, illam non tenetur ducere; & quamvis Prælatus juste præcipiat, Felix etiam juste nõ obedit. Nec datur bellum justum ex utraque parte, quia Prælatus non præsumit, habitam fuisse copulam post latam sententiam cum altero, & Felix certo scit, ut inquit, fuisse habitam. Et licet forum internum, & externum idem observent, id habet verum ubi cessat falsa præsumptio Sanch. *l* 1. *de matr. disp.* 5. *n.* 20. *& disp.* 21. *n.* 2 & Marc. Paul. Leon. in praxi Pœnitentiariæ *part.* 1. *de forma vot. pag.* 60. *vers. neque audiendus* cum sex & Covarr. at ex parte judicis datur falsa præsumptio. An vero teneatur ad restitutionem in utroque foro, licèt obligari non possit, ille qui copulam habuit cum Rufina, & illam detexit Felici, & fuit in causa, ne Felix illam duceret post latam sententiam; quanvis jam repugnasset? Alibi dicetur, nam in præsenti de hoc non interrogor.

QUÆSTIO LIV.

An validè contraxisset matrimonium cum filia sororis illius, quam sæpius cognovit, illa seminante in congressu, ille vero consulto se retrahens, dubitat tamen, aut scrupulis angitur, an aliquando intra vas seminaverit?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*

2 *Cum*

2 *Cum eo dubio aut scrupulo contrahens, mortaliter peccavit.*

3 *Ex seminatione fœminæ cum filia sororis non contrahitur affinitas.*

4 *Ex mero scrupulo non est curandum; sed de dubio practico, quod in præsenti intervenit.*

5 *Quando evidentissime non constat, virum non seminasse intra vas, pronunciandum est, affinitatem fuisse contractam.*

6 *In dubio præsumendum est pro impedimento affinitatis.*

7 *Non ex oblivione, sed ex communiter accidentibus colligitur seminatio.*

1 FErdinandus uxorem duxit filiam sororis Antoniæ, cum qua Antonia ante ipsum matrimonium consuetudinem habuerat, illa sæpius in congressu seminante, ille vero consultò semen extra vas emittebat. Hoc tamen fœdissimum commercium cum per longum duraſſet tempus, scrupulis angitur, meritoque dubitat, an aliqua vice intra vas semen emisisset? Cum his scrupulis, & dubitatione matrimonium celebravit cum dicta filia sororis Antoniæ; & in eo vitam agit. Quæritur 1. An seminante Antonia in congressu, & scrupulante, seu dubitante Ferdinando de seminatione intra vas, contracta sit affinitas? 2 A quo, & quomodo dispensationem obtinere debeat?

§. I.

An seminante Antonia in congressu, & scrupulante, seu dubitante Ferdinando de seminatione intra vas, contracta sit affinitas cum filia sororis Antoniæ?

2 Respondeo 1. Ferdinandum cum eo scrupulo, aut dubio de affinitate contracta cum filia sororis Antoniæ peccasse mortaliter, cum illa contrahendo matrimonium. Ratio est, quia contrahens matrimonium cum dubio impedimenti matrimonij, manifesto se exposuit periculo illud invalidandi, quod est intrinsece malum: sed operari cum practica cõscientia dubitante, an hic, & nunc hoc validũ sit, est intrinsecè malum, ut bene colligitur ex doctrina Vaiq 1.2. *disp.* 65 *cap.* 1. *n* 4. Thom Sanch. *l.* 1 *decal. cap.* 10. *in principio*, Soar. *tom.* 6. *in* 3 *part disp.* 40 *sect.* 5. *num* 2. Castr. Palai *tom.* 1. *disp.* 3. *de consc. dubia punct.* 1. *n.* 5. ergo. Et hoc etiam habet verum in operante cum scrupulo illum non deponente, quia temeraria cum illo matrimonium contraxit cum filia sororis Antoniæ, ut apertè colligitur *ex decis. cap. Inquisitioni, de sentent. excommunic.*

3 Secundò respondeo, affinitatem cum filia sororis Antoniæ non fuisse contractam ex seminatione Antoniæ in congressu cum Ferdinando habito. Ratio est; quia illa copula requiritur ad contrahendam affinitatem, per quam vir, & fœminæ fiunt una caro, nempe, quæ sufficiat ad generationem: sed copula in qua fœmina seminat non seminante viro, [ut in præsenti casu] non est sufficiens ad generationem: ergo per illam affinitas non contrahitur. Sic contra Medinam, cum communi Doctores Sanch. *l.* 7. *de matr. disp* 64. *num.* 10 Basil. Pont. Bonac. Hurt. Candid. Cornejo, & alij, quos refert, & sequitur Leand. *tom.* 2. *tract* 9. *disp.* 20. *q.* 5. quibus addo Dicastill. *tom.* 3. *de Sacram. disp.* 7. *dubit.* 34. *n.* 362. Gobat. *tom.* 3 *tract* 9. *n.* 392.

4 Tertio respondeo; si Ferdinandus solo mero scrupulo angeretur, & de illo non curaret, ut ex levibus rationibus, & fundamentis orto, sane peccatum non committeret, quia agere contra scrupulum non solùm licitum, sed laudabile est, ut cum communi DD. defendit Castr. Palaus *cit. disput.* 4. *de conscientia scrupulosa punct.* 1 *n.* 2. At Ferdinandus non erat mere scrupulosus; nam licet de nullo actu recordaretur, quo intra vas fœminæ seminasset; quia tamen tempus, quo hac turpissima consuetudine usus fuit, longum fuit, & per multos annos durans, dubitabat, & meritò an inadvertenter, & vi appetitus sensualis alienatus, semen intra vas fœminæ emisisset. Et hoc scrupulum videtur superare. Quare.

5 Respondeo quartò Ferdinandum affinitatem contraxisse, quod ostendo duabus rationibus, prima, qua utitur Tambor. *l.* 8. *de matr. tract.* 1. *cap.* 12. §. 4. *num.* 6. loquentes de fœmina semen fœmineum non amittente, & sic inquit: *Nisi evidentissimè constet, virum non seminasse in praxi; tum in foro fori, tum in foro conscientiæ est pronunciandum, affinitatem esse contractam*: Sed Ferdinando evidentissimè non constat, nunquam seminasse, imo ex cõmuniter contingentibus, intra tam longum tempus dubitat: ergo pronunciandum est, affinitatem contraxisse cum filia sororis Antoniæ.

6 Secunda ratio deducitur ex Sanch. *l.* 8. *de matr. disp.* 6 *n.* 18. Sic dicente: *Quando vir in copula cum fœmina dubitat, an intra, extràve seminarit, præsumptio urget, ex communiter accidentibus, pro impedimento affinitatis*: Sed Ferdinandus dubitat, an extot congressibus intra, extrave seminarit: ergo affinitatem cum filia sororis Antoniæ contraxit.

7 Nec obstat, quòd Ferdinandus non recordetur ex tot congressibus seminasse intra vas: ergo ex communiter contingentibus, censendus est non seminasse. Non, inquam, obstat, quia ex non recordatione, non bene colligitur non seminasse aliqua vice, quia per multum tempus vacavit illis congressibus, & ex appetitu allectus, poterat non advertere ad ea, quæ ex naturæ inclinatione communiter eveniunt.

§. II.

A quo, & quomodo Ferdinandus dispensationem obtinere debeat?

SUMMARIUM

8 *Quid sentiant, Sa, & Barbosa.*
9 *Episcopus jure ordinario non potest in ea dispensare affinitate.*
10 *Potest ex præsumpta Pontificis voluntate, remissive.*

8 Quoad primum, respondeo, Sa *Verb. dispensatio n.* 1. dicere, in dubio. an res indigeat dispensatione, posse Episcopum, juxta quorundam probabilem opinionem, declarare; dispensationem non desiderari, vel ad cautelam dispensare. Barbos. 2 *part. de potest. Episc. alleg.* 35. *n.* 19. specialiter loquentem de dispensatione impedimentorum, duo asserere: Quãdo dubium consistit in facto, [ut in præsenti casu] dupliciter potest evenire; vel res est omnino dubia, vel pro una parte præsumptio præponderat: In primo casu non est opus dispensatione, quia in illo præsumptio est pro libertate ad contrahendum; in secundo vero, ad cautelam poterit dispensare; quia in illo dispensatio requiritur: sed Ferdinandus est dubius, & licèt præsumptio pro affinitate præponderet, ad cautelam requirenda est dispensatio Episcopi.

9 Dicendum tamen est, non posse Episcopum jure ordinario in ea affinitate dispensare, ut Ferdinandus maneat in ipso matrimonio, aut ut illud revalidare possit inter ipsum, & filiam sororis Antoniæ. Ratio est, quia in hoc casu non est res omnino dubia, cùm præsumptio urgeat pro impedimento, ut constat ex dictis. Sic Sanch. *l.* 8 *de matr. disp.* 6. *n.* 18. Tãbur. *l* 1 *decal. cap.* 3 §. 7. *verb. dispensatio n.* 4. & apud ipsum Meroll. *tom.* 1. *disp.* 3. *dub.* 2. *n.* 135.

10 Dixi *non posse Episcopum jure Ordinario dispensare*, nam ex præsumpta Pontificis volũtate, in casu urgentissimæ necessitatis, poterit cum his dispensare, quia dantur eæ circunstãtiæ, quæ ad hanc dispensationem requiruntur. Vide dicta *supr. q.* 30. *n.* 9. *q.* 34 *n.* 6. & *q.* 39 *n.* 15.

QUÆSTIO LV.

An sponsalia validè contracta cum sorore maiori, mutuo consensu possint dissolvi, & sic dissolutis, possint alia validè contrahi cum sorore minori?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Publica honestas ex sponsalibus orta dirimit matrimonium in primo gradu tantum.*
3 *Sponsalia inter patrem, & generum futurum celebrata, sunt valida, si gener mittat sponsæ jocalia, si illa sciens de contractu illa acceptet.*
4 *Sponsalibus cũ sorore maiori contractis, mutuo illius consensu, & sponsi, & dissolutis; impedimentum non cessat ex declar.*
5 *Id jam antea ab ipso jure erat dispositum.*
6 *A DD. etiam solidis rationibus firmatum.*
7 *Oppositam sententiam sequuti fuerunt plures, & gravissimi DD. at per Declarationem Emin. Cc. jam manet inveterata.*
8 *Hanc sententiam ad praxim deduxerunt Prælati doctissimi.*
9 *Ipsi opinioni gravissimi subscripserunt TT. in suis consultis.*
10 *Author non bene consuluit eam opinionem, at nunc non eam consulet.*

1 MOdestus duas filias nubiles habens, maiorem natu de illius cõsensu nobili adolescenti disponsavit, qui inito hoc contractu, sponsæ jocalia misit, sponsaque libenter acceptavit. Elapso bimestri, Modesto, ex aliquibus cõvenientijs illecto, placuit, quòd matrimonium cum minore filia iniretur; & ne ad Pontificem pro dispensatione impedimenti publicæ honestatis adirent, sponsalia sponte inter adolescentem, & filiam maiorem contracta, mutuo consensu sunt dissoluta, & cum Minore celebrata. Ordinarius absque dispensatione S. Pontificis, matrimonium celebratum iri renuebat; at ex me consulente & allatis DD. celebrationi ejus matrimonij annuit, nullâ dispensatione desideratâ. Elapsis aliquibus annis inveni, S. Emin Cc congregationem declarasse, sponsalia semel valida & mutuò sponsorum consensu dissoluta, impedimentum tamen non cessare, nec cessasse, & facta relatione ad Alexandrum VII resolutionem Congr. probavit, eamdemque precepit, in dubium deinceps non revocari. Quæritur 1. An sponsalia valida mutuò sponsorum consensu dissolvi possint? 2 An tutus in conscientia sit ille, qui ante dictam Declarationem, sponsalia cum maiore sorore celebrata, mutuo cõsensu dissolvit & matrimonium cum sorore minore contraxit? 3. Quando illa Declaratio obligare incepit?

§. I.

An sponsalia valida mutuò sponsorum consensu dissolvi possint?

2 Ad hujus quæstionis delucidationem duo tantùm præmitto. Primum, impedimentum Publicæ honestatis ex sponsalibus ortum, in primo tantùm gradu, matrimonium dirimere. Sic ex jure novo Trid *sess.* 24. *de reform. cap.* 3. Dixi *ex sponsalibus ortum*; nam si ex matrimonio rato oriatur, dirimit matrimoniũ usque ad quartum gradũ inclusivè, ex Trid. *cit* & expressius ex declaratione B. Pij V. *edita anno* 1568.

1568. & incipiente: *Ad Romanum.* Vide Sanch *l. 7. de matr disp.* 68.

3 Secundò præmitto, sponsalia celebrata ab eo adolescente cum filia maiore Modesti, fuisse valida; quia illa sciente de eo contractu, iocalia missa ab eo libenter acceptavit; & hoc reputatur signum sufficiens sponsalium, ut relatis *Gloss. in cap. tua, de sponsal. verb. verba* Cordub. Henriq. Rosell. & Paludan. tenet Sanch. *l. 1. matr. disp. 22. n. 5.* & alijs Leand. *tom. 2. tr. 9 de matr. disp. 1. q. 43* His præmissis.

4 Ad quæstionem respondeo, sponsalia valida ex mutuo sponsorum consensu, posse dissolvi, at per illam dissolutionem non tolli impedimentum publicæ honestatis: ostenditur: *Nam jubente Sanctiss. D. N. Alexandro VII. propositum fuit in Sacr. Congr. Concil. An sponsalibus ab initio valide contractis, deinde mutuò consensu dissolutis, sit sublatum impedimentum justitiæ Publicæ honestatis? Et pluries proposito dubio, ac maturè examinato, tandem sub die 6. Julij* 1658. *Eminentissimi PP. in antiqua ejusdem Concilij sententia consistentes, censuerunt non esse sublatum. Cujus sententiæ una cum rationibus hinc inde deductis, & recentioribus ejusdem Congregationis, in hac materia responsis, facta relatione ad Sanctissimum, sanctitas sua die 10. ejusdem mensis, prædictam Congregationis resolutionem probavit, eamdemque jussit in dubium deinceps non revocari.* Hæc verba sunt ex Prosper. Fagnan. juris Cons. Romano *in Comment. ad Decretal. Commentar. in cap. ad audientiam, de Sponsal. & matrim. num.* 29. ut ex illo, ea refert Gobat. *tom.* 3 *de Sacram. tract.* 9. *numer.* 359. citatque etiam pro eadem Declaratione Tamburin. *in ultimo fol. octo librorum de Sacram. editionis posterioris Venetæ anno* 1661. Et quamvis fidem adhibeo Patri Gobat, eam declarationem non inveni *in eo octo librorum opere de Sacramentis editis Lugduni, anno* 1669 *Posita autem* [verba sunt Gobat *num.* 362.] *quod illa Declaratio, de qua hic sermo, ut vere authentica, nemo sanus dubitabit, quin sit ea standum.*

5 Hæc resolutio jam ex ipso jure erat decisa, ut apertè constat *ex textu in cap. sponsam de sponsal. & matr.* ibi: *Sponsam alterius nullus consanguineorum aliquo modo potest sibi matrimonio copulare*; & *ex cap. siquis desponsaverit, 27. q. 2* ibi: *Neque ejus superstes frater, neque ullus de consanguinitate ejus, eandem sibi tollat in uxorem, ullo unquam tempore.* In quibus textibus nota primò verba: *aliquo modo*, & *ullo unquam tempore*, quæ sonant, & inducunt perpetuitatem. Nota secundò, textum *in cap. si quis desponsaverit, cit.* non loqui tantùm de casu, in quo mortua fuit sponsa, ut deciditur, in præcedente textu *capit. si quis uxorem*, sed etiam de quocunque alio casu, ibi: *sive præveniente die mortis, sive irruentibus alijs causis.* Tertio nota, textum etiam loqui de sponsalibus, ut ex illo patet, & tenet Glossa hujus, & præcedentis capitis: ergo ex ipso jure inferebatur, sponsalia initio valida, mutuo sponsorum cõsensu non posse dissolvi.

6 Hanc etiam resolutionem tuebantur plures DD. aliqui ut certam, & indubitatam, & alij, ut probabiliorem, Sotus *in 4. dist. 41. q. unic. art. 2. Vers. secunda conclusio*, Sanch. *l. 7. de matr. disp. 68. num.* 21. Bonac. *tom. 1. q. 3. de matr punct. 11 num. 7* testans idem sensisse Recentiores nonnullos magistros peritissimos societatis IESU à se in hac re consultos, & probabilitatem, quam oppositæ sententiæ in prima editione, ex quadam Card. Declaratione concessit, negat ex alia Cc. Declaratione Layman. *l. 5. tract. 10 part 4. cap. 9 num* 3 Martin. Perez *de matr. disp.* 32 *sect. 2. num.* 2. Pialecius *in praxi Episc. part. 2. capit.* 4. Candid. *disquis.* 28. *art.* 11. *dub.* 2. Averl. *de matr. q.* 17. *sect. 5. Vers. Addit Bonacina.* Dicastill. *tom.* 3. *de Sacram. disp. 7. dubit.* 39. *n.* 406. Ratio est, quia impedimentum matrimonij non dependet à voluntate contrahentium, sed ab Ecclesia: quæ constituit, ut tale impedimentum consurgat ex sponsalibus validis; sponsalia autem vere fuerunt valida, & si postea dissolverentur mutuo consensu, sequeretur, quòd impedimentum publicæ honestatis non esset perpetuum, contra id quod num. præcedenti dicebam *ex cap. Sponsam, & capit. si quis dispensaverit.* Et quamvis hæc ratio confirmet tradita *num.* 4 ex mandato S. Pontificis à S. Cc. Congreg. lubentis hanc resolutionem in dubium deinceps non revocari, quæstionem resolvit quo ad impedimentum publicæ honestatis.

7 Oppositam sententiam asserentem, posse sponsalia mutuo consensu sponsorum dissolvi, & postea matrimonium iniri cum sorore, aut fratre, cum matre, aut patre illius, qui sic sponsalia mutuo consensu dissolvit, tenuerunt, (ante editam Declarationem S. Congr. Cc. de mandato Alexandri VII.) plures, & gravissimi DD. Sa *Verb. Matrimonium, de impedim. num* 12. Gutierr. *ibid. cap.* 103 *num.* 11 Cornejo *disp. 7 dub.* 39. *q* 5. Basil. Pont. *l. 7 de matr. cap* 36. *n.* 9 Rebell *de restit. part. 2. l. 3. q.* 14. *n.* 3. G. Hurt. *disp* 21 *diff. 1. nu* 1. Barbosa, *de off. & potest. Episc. part. 2. alleg.* 51. *n.* 188. & *in collect. ad cit. cap. 3 de reformat. matr. n.* 7. Gallemarte *in cit. cap. Trid.* Armendaris *in recopal. legum Navarr. addition. l* 4 *titul.* 5 *l.* 1. *de matrim. in declar. numer* 86. & 72. Castr. Palao *tom.* 5. *de Sponsal. disput* 4. *punct* 10 *num* 9 apud ipsum Farinac. Iur. Cons. Romanum, Tener. *tom.* 4 *disput.* 8 *q.* 4. *numer.* 109. Gobat *dict tom.* 3. *tract.* 9 *n.* 372. *Diana part.* 3. *tract.* 4. *resolut.* 22. Leandr *tom.* 2. *tract.* 9 *de matrim. disp.* 19. *q.* 4. Etcobar. *tom.* 3. *l.* 27. *sect.* 2. *de impedimentis dub.* 88. *n.* 412. immeritò arguens Sanch. quia Sa doctissimus, non allato fundamento, contrarium asseruisset, & eundem Sanch. quia Declarationem Card. non legisset. Hanc etiam sententiam, ut æque probabilem, ac præce-

dentem, sequutus fuit Tambur. *l.* 8, *de matr. tract.* 1 *cap.* 11. §. 2. *num.* 6. In primam tamen, seu præcedentem videtur inclinare, quia inquit, si hæc secunda pro se Card. Declarationem affert, etiam prima seu præcedens *num.* 6 pro se aliam Card. Declarationem inducit, & insuper stylum Curiæ Romanæ, per quem obtineri in ejusmodi casu dispensatio solet. Declaratio Card. qua hæc nitebatur sententia, sic habet: *Si sponsalia solvuntur de consensu. Congregatio censuit esse invalida.* Hæc tamen sententia licet tantis, & tam gravibus DD. vallata illa Declaratione S. Emin. Cc. congreg. de mandato S. Pontificis Alexandri VII. manet inveterata, & deinceps non potest sustineri, ut inquit ipse S. Pontifex, dum resolutionem oppositæ jussit *in dubium deinceps non posse revocari*, quoad impedimentum publicæ honestatis, ut dictum est *supra n.* 4.

8 Ante hanc S. Congreg. Declarationem, sententia proximè ad praxim deducta fuit per Episcopum Argentinum, & Archipresbyterum Sambacensem teste Tambur. *l.* 8 *de matr. tract.* 1 *cap.* 11. §. 2. *num.* 7, & me consulente, Vicarius Generalis Portugallensis, casum *supra num.* 1. propositum admisit; & de alio deducto ad praxim mentionem facit P. Gobat. *cit. dict. tract. n.* 375.

9 Circa eandem opinionem plures TT. consulti, responderunt cum aliquibus ex citatis DD *num.* 7. posse reduci ad praxim, sic de se ipso testatur Gobat. *cit. n.* 373 & apud ipsum Pax Iordanus *tit.* 7. *tom.* 1. *elucub. l.* 3. *n.* 307. & teste Tambur. *proximè cit.* P. Petrus Mustica doctissimus Theologus, & Dian *supra cit. dict. part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 222. fatetur, eandem consuluisse sententiam, & in eam multos attraxisse viros doctos ex Dominicanorum familia, & ex nostra Societate IESU.

10 Ex dicta Declaratione Emin. Card. constat, me non rectè respondisse doctissimo Vicario Generali; non tamen erubesco, quia ego minimus, illam ignorans, sequutus fui sententiam tot virorum doctissimorum: imo fateor si ad manum habuissem ea exempla supra adducta meliori modo meum consultum roborassem. At modo non ita consulerem, utpote certus de illa novissima Card. Declaratione de mandato S. Pontificis factâ, & ab eo approbata, ac jubentis, ne indubium deinceps resolutio S. Congr. revocetur.

§. II.

An tutus sit in conscientia ille, qui ante dictam declarationem, sponsalia cum maiore sorore celebravit, & illis mutuo dissolutis, matrimonium cum minore contraxit?

SUMMARIUM

11 *Ratio dubitandi proponitur.*

12 *Qui sic contraxerunt, sunt in conscientia tuti.*

13 *Matrimonia ex authoritate S. Congreg. & DD. gravium contracta non dirimuntur.*

14 *Opinio probabilis errori communi æquiparatur.*

15 *Opinio ante dictam S. Congreg. erat ita probabilis, ut prælati, & viri docti illi potuissent assensum præbere, & ad praxim reducere.*

16 *Rationi dubitandi sit satis.*

11 Ratio dubitandi, *ut* in conscientia non sit tutus, est quia ille, qui bona fide matrimonium cum impedimento dirimente contraxit, v. gr. cum affinitate, consanguinitate, &c. cognita veritate tenetur separationem facere, & dispensationem obtinere, ut in eo matrimonio permaneat: ut constat ex dictis *supra q.* 30. *n.* 4 *& q.* 37. *n.* 6. *& q.* 51. *num.* 2. ergo non obstante bona fide matrimonij contracti ab eo adolescente, & sorore minore, separandi sunt, & dispensationem obtinere ab impedimento publicæ honestatis, cum quo matrimonium contraxerunt. Neque dicas datum fuisse errorem communem. Non, inquam, hoc dicas; quia non sufficit, quod datus fuisset error cõmunis, circa alia impedimenta, ut matrimonia desinant esse nulla: ergo etiam, quanvis datus sit error commuis, quod sponsalia mutuo consensu sponsorum possint dissolvi, cognito hoc errore, per Declarationem S. Congreg. de mandato S. Pontificis, matrimonium cum sorore minore, separari debet, & dispensatio obtineri.

12 Hac non obstante ratione, censeo dictum adolescentem, & sororem minorem, & omnes alios, qui sic contraxerunt, esse tutos in conscientia. Sic Gobat. *cit. dict. tract.* 9 *num.* 377. Probatur primò ex ipsa S. Pontificis ad eam Declarationem approbatione ibi: *Prædictam Congregationis resolutionem probavit, eamdemque jussit in dubium deinceps non revocari*: ergo si jubet, hanc resolutionem deinceps in dubium non posse revocari, ante illam poterat, & sic poterat opinio contraria observari.

13 Secundò, quia non est visitatum, quòd dirimantur matrimonia, quæ ex tot, tamque gravium DD sententia sunt contracta; maximè, quando authoritate ipsius Sacr. Congreg. nitebatur: sed matrimonia antea contracta ex sententia gravium DD. authoritate S. Congreg. nitentium fuerunt contracta: ergo.

14 Tertio, quia opinio probabilis, licet re vera sit falsa, æquiparatur errori communi, seu est idem, quod error communis, ut communiter, docent Doctores Sanch. *l.* 3. *de matrim. disp.* 22. *num.* 65. *citato* Henriq. *l.* 5. *de panit. capit.* 14. *numer.* 4. *& l.* 1. *decal. cap.* 9. *num* 35. Castr. Palaus *tom.* 1. *tract.* 1. *disp.* 2 *punct* 5. *n* 9. Cardin. de Lug *de panit. disp.* 19. *num.* 29. Basil Pont. *de matr. l.* 5. *cap.* 20. *numer.* 7. Tamburin. *l.* 5. *de panit. capit.* 4. §. 8. *a numer.* 3. Dian. *part.* 2.

part.2.tract.13.resol.2. & part 8 *tract. 1.resol.* 93. & alij, quos afferunt : sed gesta per errorem communem sunt valida *ex l. Barbarius ff. de offic. Prator.* & *ex cap. Infamis, 3. q. 7.* quæ *lex Barbarius* maximé obtinet vim [ut inquit Gobat. *cit.*) in contractibus, & singularissime in matrimoniali : ergo matrimonia in illa opinione fundata, fuerunt valida.

15 Quartò, quia negari nequit, opinionem, quæ tot gravissimos habebat DD. & pro se S. Card. Congr fuisse adeo probabilem, antequam hæc novissima Declaratio de mandato, & probatione S. Pontificis in lucem prodiret; ut ex illa Prælati Illustrissimi potuissent prudenter consensum, ad contrahendum matrimonium præbere; ut consulentibus P. Petro Mustica, P. Gobat, & alio Theologo, & me ipso fuerunt Episcopus Argentinus, & Frigurensis, ac Vicarius Generalis Portugalensis: ergo dici nequit tam prudenter contracta matrimonia fuisse nulla cum damno innocentium.

16 Ad rationem dubitandi *nu.* 11. adductam, respondeo merito teneri, dictos bona fide contrahentes, cognita veritate separari, & dispensationem obtinere, ut omnes dicimus, ut in eo permaneant matrimonio; nec bona fides illos immunes reddit, ut hos reddit, qui ex opinione probabili DD. ab impedimento excusantur. Et hujus ratio est, quia ea data opinione habet locum *l Barbarius cit.* & ex ea præsumitur, S. Pontificem velle, quòd tale matrimonium persistat, quia absque impedimento juxta opinionem probabilem eo tempore, contraxerunt; ut in alijs pluribus casibus, nos docet experientia : nam si dentur opiniones probabiles oppositæ inter se, an aliquis sit matrimonij aut confessionis legitimus minister; vel licentia illi concessa, sit legitima, vel an revocatum sit privilegium Bullæ Cruciatæ, vel minime extendi ad illum casum, sint coram Deo veræ; dum tamen illa veritas latet, & ex probabili sapientum opinione reputatur probabilis adversa opinio; confessiones factæ, & matrimonia celebrata, coram tali ministro, vel virtute talis licentiæ, aut privilegij, valent Quia datur error communis, titulusque præsumptus, collatus à legitimo superiore; & defectum illum jurisdictionis ministri, aut licentiæ jus humanum supplere potest In quo valide esse gesta ratione erroris cõmunis, dicunt Soar. & Card de Lug *ll. cit.* & alij, quos *n.* 14 citavimus. Quibus adde Gobat. *tom. 1. tract 7. n.* 107. & 108 ubi alios plures affert: At quando bona fide contractum est matrimonium, cum impedimento dirimente affinitatis, consanguinitatis, &c. non habet locũ *l. Barbarius cit.* nec error communis, quia non dabatur opinio communis asserens non inesse ea impedimenta, quæ certò inerant; nesciebatur tamen inesse; & hæc ignorantia, & error paucarum erat personarum, & non totius communitatis; nam solùm paucæ personæ impedimentum abesse judicabant DD. tamen *cit.* declarantes errorem communem, requirunt, quod error sit totius communitatis, ut in eo *dict. l. Barbarius* habeat locum.

§. III.

Quando dicta S. Congreg. Declaratio obligare incipiat?

SUMMARIUM.

17 *In præsenti non agitur de vi, quam obligandi obtinent Declarationes S. Congreg.*

18 *Dicta Declaratio in utroque foro obligat.*

19 *Incipit obligare in loco, ad quem certa, & publica pervenit notitia.*

20 *Non obligat in civitate, ad quam nulla pervenit notitia.*

17 In præsenti agere non intendo de vi obligandi, quam habent S. Congreg Declarationes. De illa enim egi in *Expos. Bull. Cruciat. disp. 1. à n. 95. usque ad finem sectionis*, & ultra DD ibi citatos videri possunt Escob. *tom. 1. Theol moralis l. 5. sect. 2. capit.* 12 *problem.* 3. Gobat *tom. 1. tract.* 3 *nu.* 604. *& seqq.* & alij, quos citant.

18 Circa dictam, & præsentem Declarationem, certum mihi videtur in utroque foro obligare. Ratio est, quia non solum est munita conditionibus ad valorem requisitis, à nobis explicatis *in cit. loco Bullæ*, & DD. ibi, & *proximè allatis*; sed etiam de mandato S. Pontificis Alexandri VII. edita, & probata fuit, & jussa, in dubium deinceps ne revocetur. Confirmatur, quia si Decreta S. Congreg. de celebratione Missarum in toto terrarum orbe obligãt, quia de mandato Urbani VIII. edita fuerunt; ita etiam hæc Concil. Trid. Declaratio ab Emin. S. Congr. Cardin. in toto terrarum orbe obligabit, quia edita fuit de mandato Alexandri VII. Et hanc Declarationem fuisse authenticè editam Romæ, testantur Prosper Fagnanus, & P. Thomas Tamburin. apud Gobat. *dict. tom. 3. tract. 9. n. 361. & n. seq.* 362. Sic inquit *Ut proinde censeam; me fore pertinacem, si dubitarem, utrumne vere sit ejusmodi Declaratio edita à S. Congreg. approbataque à sua sanctitate, & proinde munita conditionibus requisitis ad valorem, atque explicatis supra tract. 3 nu.* 604. *&c.* Ex quibus satis constat, illi Declarationi standum esse.

19 Quando autem obligare incepit hæc Declaratio, quod in præsenti inquiritur quæstione? Respondeo cum Gobat. *cit. num.* 362. citante Paschal. *comment. in Laurent. de Franchis n.* 1462. obligare incepisse in hoc, vel illo loco, cum adhunc, vel illum locum notitia certa, & publica provenit. Et idẽ *cit.* Solas, Garcia, supr & cũ alijs videtur sẽtire Cast Pal. *to.* 1.

tract. 3 disp 5 punct. 3. §. 1. num. 5. & 6. dum inquit, has Declarationes obligare quando de illis authenticè constat, & Hurt. *Var. tom. 1. tract. 3 cap. 6. resol. 45. n. 160. & seqq.* apud Dian. *part 11. tract 2. resol. 42 vers. Quarta conditio.*

20 Ex his sequitur dictam Declarationem non obligare in ea civitate, in qua nulla est notitia certa, & publica de ea Declaratione. Ratio est, quia data ea opinione asserente, ex sponsalibus initio validè contractis, & mutuo consensu sponsorum dissolutis, non oriri impedimentum publicæ honestatis, datur in ea civitate error communis, ut patet ex *d. l. Barbarius*; hic enim Romæ notus erat servus; quia tamen in loco, ubi præturam gessit, erat ignotus, ejus gesta pro omni loco valida fuerunt reputata: Sic in nostro casu, quamvis dicta Cara. Declaratio sit nota Romæ publica, & certa, non obligat ex citata ratione in ea civitate; quia ex ea opinione datur error communis, & connubia ex eo errore contracta valida sunt. Sic colligitur *ex cit. DD.*

QUÆSTIO LVI.

An validum fuisset matrimonium contractum cum ea, cui adulter, post plures annos ab adulterio commissio, sic fuit loquutus: *Si uxor mea è vivis decedat, & ego aliquam ducturus essem, te solam ducerem*?

SUMMARIUM

1 *Facti species.*
2 *Proponitur distinctio conditionis dictæ promissionis, & in quo sensu promissio procedat.*
3 *Validum fuit matrimonium.*
4 *Probabilis est opposita sententia.*
5 *Ex illa temporis intercapedine videtur fuisse validum.*
6 *Non fuit tamen validum ex ea temporis intercapedine.*
7 *Idem ostenditur ex ipso jure, & DD.*
8 *Satisfit rationi dubitandi.*

1 JOannes conjugatus rem habuit cũ quadam fœmina; elapso circiter quadriennio, colloquium cum illa habens, & absque alio adulterio commisso, sic loquutus fuit: *Si uxor mea è vivis decedat, & ego aliquam ducturus essem, te solam ducerem.* Defuncta uxore absque aliqua dispensatione eandem duxit Post aliquod tempus. Quæritur an circa hoc matrimonium sit tutus in cõscientia; aut aliqua dispensatione indigeat?

RESOLUTIO.

2 Ad illum præmitto, in verbis allatis *si uxor mea, è vivis decedat, & ego aliquam ducturus essem, te solam ducerem*, duplicem includi conditionem. Primam in verbis: *Si uxor mea è vivis decedat*, secundam in verbis: *Et si ego aliquam ducturus essem.* De prima nihil curandum, quia licèt sit conditionata, non æquivalet absolutæ, nec illi, quam jura supponunt expressam & virtute inclusam in ea promissione: *Si uxor mea è vivis decedat, te solam ducam*; sed est valde diversa, & simul includit secundam conditionem, & facit hunc sensum: *Si uxor mea è vivis decedat, & si ego aliquam post illius mortem ducturus essem, te solam ducerem.* Quare conditio, quam jura supponunt, per mortem uxoris, transire in absolutam, & inducere impedimentum hic non datur nec in verbis promissionis includitur. Quare

3 Ad quæstionem respondeo, validum fuisse matrimonium; quia contractum fuit, sine eo impedimento criminis. Probatur 1. quia ut detur hoc impedimentum, promissio debet esse pura, vel purificata ante mortem conjugis: sed promissio facta à Ioanne purificari non poterat, ante mortem suæ conjugis, quia solum post mortem illius, de conjugio deliberare poterat; & post deliberationem factam, promissio conditionata ducendi eam fœminam purificabatur: ergo validum fuit matrimonium; quia ante mortem conjugis Ioannis promissio non fuit purificata. Maior est communis inter DD. illam docent Ægid. Coninch *disp. 31. de matr. dub. 5. n. 59. Vers. Et hoc credo, G* Hurt. *disp 23 diff. 2 num.* 10. Laym. *l. 5. Summ. tract. 10. part 4. cap. 10. vers sexta conditio*, Castr. Palaus *tom. 5. disp 4. punct. 12. n.* 13. Tambur. *l 8. de matr. tract. 1. cap. 6 § 3 numer 4.* Perez *de matr. disp* 33. *sect* 4. Dicastill *tom. 3. de Sacram. disp. 7. n. 643* Gobat *tom. 3 tract. 3. num.* 198. Minor constat ex verbis fœminæ à Ioanne dictis: *Si uxor mea è vivis decedat, & ego aliquam ducturus essem te, solam ducerem.* Consequentia recte infertur 2 probatur, quia ad hoc impedimentum criminis requiritur simpliciter, & absolutè promissio, ut constat ex ipso jure *in cap. significasti, & cap. Veniens, de eo, qui duxit &c.* at non est simpliciter, & absolute promissio ea, quæ non purificatur per mortem, aut ante mortem propria uxoris.

4 Fateor oppositam sententiam, asserentem sufficere promissionem conditionatam, etiam si post mortem conjugis purificetur, esse probabilem; quia ex illa concipitur spes futuri matrimonij, & datur ansa machinationis mortis conjugis, quæ est ratio inducendi impedimenti. Et eam defendunt Navarr. *lib. 4 consil 2. de eo, qui duxit*, Rodrig *tom. 1 sum. in 2. edit cap. 129. conclus. 5. in fine*, Sanch. *l. 7 matrim. disp* 39 *n.* 11. Veg. *tom. 2 sum. cap* 34. *cas. 70 in fine.* At proximè allata est communior, & probabilior; & ad rationem proximè adductam recte respondit, quia esto ex prædicta promissione detur ansa machinationis mortis conjugis, in pœnalibus autem textibus, requirentibus promissionem veram, fieri non debet extensio ad eam, quæ nõ est promissio simpliciter,

&

& absolutè. Præterquam, quod ex promissione conditionata, ante mortem conjugis adimplenda post illius mortem, non æque datur occasio occidendi conjugem, sicut ex promissione absoluta; siquidem ex promissione in nostro casu non absoluta, sed sub dubio de futuro eventu, ibi: *Si uxor mea è vivis decedat & aliquam ducturus essem, te solam ducerem*; ea non datur occasio.

5 Ex dictis habetur, Ioannem validum contraxisse matrimonium cum ea fœmina, cũ qua, vivente uxore, commisit adulterium; quia ea promissio matrimonij solum purificata fuit, & impleta post mortem conjugis; & non ex eo, quòd adulterium patratum fuit, antequam promissio facta esset, intercedente inter utrunque quadriennio. Nec dubium ingerant aliqui DD. dicentes, adulterium, & promissionem simul debere concurrere; ut hoc detur impedimentum; Escob. *tom.3.l 27 sect. 1.cap 7 num* 40 ibi: *Ut cum adulterio concurrat promissio, etiam simplex*; Dicastill. *tom* 3 *de Sacram. disp 7 n.*651 ibi: *Quod cum adulterio concurrat promissio*, Leand *tom.2.tract.9 disput.24. q.7* ib.: *An ut adulterium dirimat matrimonium sit necessarium, quod cum illo jungatur promissio contrahendi cum adultero, post mortem conjugis? Respondeo id esse necessarium.*

6 Non, inquam hæc verba dubium ingerant, quia ut hoc detur criminis impedimentum, sufficit quòd durante eodem conjugio, & commissum sit adulterium, & facta sit promissio; licèt inter utrumque plures transissent anni; ut constat *ex text in cap. fin. de eo qui duxit, &c.* ibi: *Dum vixerit uxor illius*; & *ex cap. Proposuisti*, 1 *eodem tit* ibi: *& illam maxime, cui fidem dederat uxore sua vivente.* Et tenent Sanch *cit. dict. disp* 79 *numer* 6. Basil. Pont. *l.7. de matr. cap* 45. *n.*2. Bonac. Cand. Rebell. Peres Trullench. & alij, quos refert & sequitur Leandr. *supra dict. tract* 9. *disp.*14. *q* 16

7 Et in hoc sensu intelligendi sunt DD. *cit n.*5. quia non loquuntur de concursu adulterij, & promissionis pro eodem tempore, sed de concursu eodem persistente matrimonio; sive promissio sit prior adulterio, sive posterior; ut docent communiter DD.

QUÆSTIO LVII.

An validum, fuisset matrimonium contractũ à Paulo cum Ioanna habente ætatis suæ annos decem, & circiter novem menses?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Fuit validum; quia primò habebat annos pubertati proximos.*
3 *Secundo; quia in Ioanna malitia supplebat ætatem.*
4 *Ex doctrina Dicastill. fuit validum.*
5 *Pubertas non ex numero annorum, sed ex habitu corporis ostenditur.*
6 *Arbitrio judicis resoluta est causa.*
7 *Dispensatio a Vicario Generali per Paulum obtenta est nulla.*
8 *Quando non datur atas legitima, & dubitatur, an malitia suppleat atatem, à S. Pontifice dispensatio est obtinenda.*
9 *De licentia, & non de dispensatione loquuntur DD.*
10 *Licentia non fuit cõcessa ex atate falso allegata, sed quia malitia supplebat atatem.*

1 PAulus mala fide matrimonium contraxit cum Ioanna ætatis suæ decem annos, & novem circiter menses habente. Ante contractum initum, coram officiali Diœcesano, Sede Vacante, probatum bona fide fuit, Ioannam suæ ætatis habere undecim annos, ad quos pauci deficiebant dies. Paulus eâdem malâ fide [nam probè ætatem Ioannæ exploratam habebat] à Vicario Generali petijt, & obtinuit licentiam, ut dictum matrimonium iniret. Quæritur: An illud matrimonium fuisset validum?

RESOLUTIO.

2 Respondeo fuisse validum. Ratio est, quia in præsenti casu, duo requirebantur ad validitatem illius matrimonij, primum, ætas duodecim annorum in fœminis *ex textu in cap. Continebatur, de dispensatione impub.* & DD. juxta *cit textum*, sufficit ætas pubertati proxima: at ætas pubertati proxima est illa, quam Ioanna habebat, ut asserunt Accurtius, Bartol. Angel. Aretin. Rosell. Sylvest. & alij quam plures apud Narbon. *ann.*10 *q.*2 *nume.*1. & 14. quos ipse sequitur, & omnes habentur apud Leand. *tom.*2. *tract.*9 *disp.*21 *q.* 39. Nam Ioanna annos decem, & novem circiter menses habebat & hi DD. dicunt ætatem pubertati proximam esse, quando puella novem annos cum dimidio excessit. Et cum hæc sententia sit tantorum, tamque gravium DD. est probabilis: ergo juxta illam validũ fuit matrimonium.

3 Data hac proximitate ad pubertatem, communiter dicunt DD. ad contrahendum matrimonium requiri secũdum, nempe, quòd malitia suppleat ætatem, juxta textum in *cap. continebatur*, & *cap. De illis, de desponſ. impub.* Quid autem hic veniat nomine *malitiæ*? Respondeo, venire maturitatem judicij, ut contractus matrimonij celebrari possit, & potentiam ad generandum, quæ ex corpulentia conjecturari potest. Et si fœmina jam menstrua patiatur, datur signum sufficiens ad probandam aptitudinem ad generationem, ut inquit Sanch. *l.7 de matr. disp.* 104. *n.* 34 cum aliquibus PP. Aristot. & TT. ac Filliuc. *tract.* 10. *part.*2. *cap.*3. *n.*88. Et Ioanna judicij maturi-

tate pollebat, ut ex colloquijs, & discretione ostendebat; deinde ex corporis aspectu representabat, se jam sexdecim annos habere, & denique jam menstrua patiebatur: ergo in ea malitia supplebat ætatem ad matrimonium valide contrahendum.

4 Secundam rationem deduco, ex doctrina Dicastill. *tom. 3. de Sacram, disp. 1 dubit. 19 n. 285.* asserentis 1. se non videre quomodo DD. communiter colligant. *ex text. cit Continebatur & cap.* De illis, quod tempus proximum pubertati, & non quodcunque, est illud in quo malitia suppleat ætatem, idest detur discretio, & potentia ad generandum, quod tamen ex illis textibus clare, non ita colligitur, ut ipsi putant. Secundò, quia si in sponsalibus multo ante septennium, malitia suppleat ætatem: idest usus rationis, sponsalia erunt valida, ut cũ D. Thom. Sanch Basil. Coninch. Rebell. Reginald. Card. Thusc Sa, Perez & alijs pluribus tenuit *loco cit. n. 251* ergo etiam matrimonium erit validum, si multo ante ætatem legitimam adesset tum discretio requisita ad matrimonium contrahendum, tum potentia generandi. Neque aliud colligitur *ex cap. de illis, & 2.* neque *ex capit Puberes, neque ex capit. ultim. de sponsal. impub.* Tertio ex Sanch. *dict. disp, 104 n 5.* absolutè affirmante, validum esse matrimonium, ante ætatem jure præscriptam initum, si tunc adsit potentia generandi, & sufficiens discretio ad se obligandum. Quia ideo jus ætatem præscribit, quia præsumit tunc pueros, & non antea habere sufficiens judicium, & potentiã generandi; *Quando ergo* [inquit Sanch.] *antea hæc esse constat, cedet præsumptio veritati*; Et ita videtur sentire Martin Perez *disp. 37. sect. 12 nu. 5.* Hæc Dicastillus; Ex quibus rationibus recte inferre possumus, quòd licet Ioanna proxima non esset pubertati, juxta opinionem multorum, apud Sanch. & Leand citatorum, poterat matrimonium contrahere, quia in illa dabatur tum discretio ad se obligandam, tum potentia ad generandum.

5 Confirmatur, quia pubertas, non ex annorum numero quærenda est, quando ex habitu corporis dari ostenditur, ut habetur expresse *in cap. Puberes*, ibi: *Certum autem est, cum puberem esse, qui ex habitu corporis pubertatem ostendit de desponsat. impub.* & DD. apud Barbos. *in collect. ad d. cap. n, 1. & 3.* Sed Ioanna ex habitu corporis repræsentat [ut dictum est *n. 3.*] ætatem sexdecim annorum: ergo.

6 Tertia ratio est, quia DD. communiter docent, hoc judicium relinquendum esse arbitrio Ordinarij, ut plur bus cit. sentit Sanch. *dict l 7. disp. 104 n 40* Basil. Pont. *de impedim. matrim. causa 33 q 1 § 5. & l. 7. de matr. cap. 65. n 5* Leand *tom. 2 tract. 9. disp 21 q 39.* Dicastill. *dict tom 3 de Sacram. disp. 1. dubit. 19. num. 286.* Barbos *in collect. ad cap. continebatur cit. n. 6.* plu tribus relatis. & alij dicentes, hoc arbitrium non esse computandum, tam ex annorum numero, quam ex pueri discretione, conditione personæ, & qualitate regionis, in qua natus est puer, de quo videri potest Sanch. *cit. nu. 29.* ubi plura signa congerit: Sed Vicarius Generalis hujus causæ judex, & Sede Vacante habens ad illam à Capitulo omnem facultatem, non ex annorum numero, qui falso illi dicebatur; esse undecim circiter annorum, sed ex puellæ discretione, corpulentia, vita delicata, & regione Interãnem si in qua nata, educata, & vitam degebat, ubi fœminæ sunt fœcundissimæ, ut experientiâ exemplis quotidianis cõpertum est, sententiam protulit: ergo suæ sententiæ standum est; non obstante, quod testes bonâ fide de uno anno minus deposuerunt.

7 Non obstat, quod Paulus dispensationem petijt à Vicario Generali super defectum unius anni & aliquorum dierum ad ætatem jure requisitam, & illam subreptitie obtinuit, quia supressit veritatem, & falsitatem expressit, dicens, Ioannam suæ ætatis habere undecim annos, aliquibus diebus minus, cum tantum haberet decem annos, & novem circiter menses; quæ falsitas si a Vicario Generali cognoscceretur, dispensationem non concederet; & in his circunstantijs dispensatio est subreptitia, & matrimonium ex illa contractum nullum, ut cum communi Sanch. *l 8 de matr. disp 21 n 32 & seqq* & cum omnibus sentit etiam Leand. *tom. 2 tract. 9 disp. 24. q. 24.* Non, inquam; hoc obstat, ut ex seqq rationibus constabit.

8 Prima, quia ut hoc contraheretur matrimonium, dispensatio necessaria non erat, quia in Ioanna ex dictis, malitia supplebat ætatem, quod à jure requiritur. Ex textu *in cap. 2. de desponsat impub. cit.* ex quo colligunt DD. necessariam esse Episcopi dispensationem; intelligendus est de eo, qui est prope ætatem legitimam, & dubitatur, an malitia suppleat ætatem, ut habetur apud Henriq *l. 11. cap. 13. num. 12.* quem alij sequuntur. Nam circa eum, qui non est ætate propinqua, nec malitia supplet ætatem, non ad Episcopum, sed ad S. Pontificem pro dispensatione recurrẽdum est; ut de facto apud Navarr. *const. 4. de desponsat. impub.* quem refert Gobat. *tom 2. tract. 9 nn 610.* recursum fuit, pro matrimonio de præsenti contrahendo inter filios quorundam magnatũ.

9 Secunda, quia post axactum examen super malitia supplente ætatem, à Vicario generali, data fuit dispensatio super dictam, & probatam falsò ætatem, & licentia concessa ad matrimonium contrahendum; & hæc tantùm, præcedente examine, & probatione erat necessaria: De licentia enim, & non de dispensatione, loquuntur non pauci DD. ut Hostiens. Andr. Alexand. de Nevo, Navarr. Palud. Angel. Sylvest. Fabien. apud Sanch. *dict. disput. 104. n. 12.* & Tambur. *l. 8. de matr. tract. 1. capit. 13 § 2. nu. 22.* Et nomine dispensationis apud Henriq.

Henriq *proximè cit.* licentia intelligi debet, ut loquuntur DD. quos *in marg. litt. y.z. cit.* pro sua sententia.

10 Tertia, quia dato, quòd nec ea licentia à Vicario generali concederetur, si cognosceret eam ætatem falsò probatam; ea tamen ab ipso concessa non fuit, ob ætatem falsò allegatam, sed quia invenit Ioannam ex *allatis num.* 6. malitiâ supplere ætatem, ut ex DD. ibi dictum est, & hac datâ probatione, matrimonium, iniri approbavit. Et sic ex dictis ille contractus fuit validus.

QUÆSTIO LVIII.

An validum fuisset matrimonium conjugatorum, qui triennio duplicem habuerunt filiam, numquam penetrato vase fœminæ, per solam seminis à matrice attractionem?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Validum fuit matrimonium.*
3 *Matrimonium, quod consummatur, est validum absque dubio.*
4 *Matrimonium, in quo receptum est semen, salva integritate, professione non dissolvitur.*
5 *Affinitas contrahitur, quacumque arte semen sit receptum intra vas, si generatio sequi possit.*
6 *Idem ostenditur ex cap. 2. de convers. conjugat.*
7 *Oppositum ut certum docent gravissimi DD.*
8 *Quamvis oppositum doceant, in re non docent.*
9 *Si certò, & evidentissimè non constet, matricem semen attraxisse, non est validum matrimonium.*
10 *Non sufficit ad validitatem matrimonij, quòd semen aliqua arte in vas fœmineum immittatur.*
11 *Non bene dicitur, valorem matrimonij, non pendere ex casu raro, & fortuito.*
12 *Attractio seminis a matrice, non est casus per accidens, nec semper peccatum mortale.*
13 *Probabile est, affinitatem non contrahi per attractionem seminis a matrice; at oppositum est probabilius.*
14 *Opinio communis nullum hominibus injicit scrupulum.*
15 *Semen a matrice attractum, ut ex eo contrahatur affinitas, supponitur, esse verum, & tale non est semen eunuchorum.*

1 EMmanuel, & Praxedis matrimonio conjuncti, communi per annum utentes lecto, copulam non habuerunt perfectam; ille enim ob caliditatem, & debilitatem, vas fœmineum penetrare non valebat, semen tamen verum in os vasis effundebat. Post annum salva integritate, Praxedis ipsa, & concepit, & filiam peperit, attrahente semen matrice. Post puerperium, & illo Praxedem corruptam; Emmanuel adhuc vas illius penetrare non valuit, ea tamen obscœna turpetudine continuabat; & post triennium à conjugio celebrato, iterum Praxedis concepit & alteram peperit filiam. Nec hoc rarum, ut ab aliquibus putatur, videri potest. Nam à duabus non conjugatis accepi, ut suum peccatum occultarent, & vitarent infamiam, ac statum matrimonij non impedirent, cum suis amasijs eodem modo quo Praxedis, commiscebantur, & salvis integritatibus conceperûnt, & filios masculos pepererûnt. Circa propositum casum: Quæritur 1. An dictum matrimoniû sit validum? 2. An Praxedis, stante eadem Emmanuelis impotentia, & graviditatis eventu, in eam turpitudinem deinceps consentire possit?

§. I.

An dictum matrimonium sit validum.

2 Respondeo, esse validum, licèt data non fuisset vasis penetratio, sed tantum à matrice seminis attractio, ex qua fœmina facta est gravida. Probatur 1. Ideo enim non esset validum, quia ex copula sic habita non fiunt conjuges una caro, idest non fiunt principium unius carnis, ut plures explicant, Tambur. *l.* 8. *tractat.* 1. *cap.* 13. § 4 *n.* 3. Emmanuel, & Praxedis facti sunt una caro, nempe principium unius, & alterius filiæ, ut constat ex *dictis n.* 1. ergo illorum matrimonium fuit validum.

3 Secundò probatur, quia matrimonium consummatum est validum, & tale, ut dissolvi non possit per professionem Religiosam: sed matrimonium consummatur, quocunque modo semen intra vas naturale recipiatur, absque illius penetratione; quia ea copula sufficiens est generationi, & per eam conjuges una caro efficiuntur, ut his verbis inquit Sanch. *l.* 2. *de matr. disp.* 21. *n.* 2. & 5. & convenire DD. ex quibus citat D. Anton Cordub. Coron. confess. Henriq. Alexand. de Nevo; Rosel. Sylvestr. Fabien. Greg. Lop. & *ibidem nu.* 2. addit hoc verum esse, etiam si ope dæmonis semen viri in vase debito recipiatur, citans Rosell. Sylvest. & Fabien. Sed Emmanuel, & Praxedis facti sunt una caro, per attractionem Seminis à matrice, ex qua attractione duas genuerunt filias intra triennium: ergo validum est illorum matrimonium.

4 Tertiò probatur ex eodem Sanch. *l.* 7. *de matr. disp.* 99. *n.* 37. *ante medium*, asserente, esse maximè attendendum, an virgo illa, [de qua *in cap. Fraternitatis, de frig. & malef.*] quâ Ecclesia arctam judicavit, & nunc experientia invenitur apta priori viro, salva integritate, receperit semen illius prioris intra vas quacunque arte, aut matrice attrahente, tunc enim cum consummatum fuerit matrimoniû, minimè dissolvetur, quod bene advertit Henriq. *l.* 12. *de matr. cap.* 7. *in Comment. penult.* Sic Sanches. Ex qua doctrina sic infero [quidquid

statim

statim sibi contrarius dicat:) si enim illud illius virginis prius matrimonium non fuit dissolutum, quia matrimonium tenuit, cum fuerit consummatum attrahente semen matrice, salva integritate; ita in nostro casu, in quo certo constat, matricem, salva integritate, semen attraxisse, erit consummatum, & in utroque foro dissolvi non poterit.

5 Quartò probatur, quia DD. communiter docent cum Sanch *l.7 de matr. disput.* 64. *n.15* Bonac. *q.3 punct.12 n.14.* Aversa *q.17 sect. 1. vers. Dubitari etiam*, Perez *de matr. disp.* 31. *sect. 1. n.4.* Gasp. Hurt. *disp.20. de matr. diff. 1. n. 3.* quos refert. & sequitur Tambur. *l.8 de matrim. tract. 1. cap 12 § 4 n.5.* Dicastill. *tom. 3. de Sacram. disp.7 n 352 prope finem*, contrahi affinitatem, si semen emittatur extra vas, & matrix illud sibi attrahat, ex ea ratione; quia adest verissima seminum commixtio, ut inquit Tãbur. *proxime*, & quia ferè sit certum, quacunque arte in vas fœmineum, semine recepto, posse generationem sequi, ut loquitur Escobar *tom. 3. l.27. sect. 2. dub.* 108. *n.* 477. sed hæc tantùm desiderantur, ut matrimonium sit validum: ergo vel dicendum est non contrahi affinitatem, quod non admittetur á sententia communi, & probabiliori, vel matrimonium sic consummatum, esse validum. Unde miror, hos DD. concedere affinitatem eo modo contrahi, & negare posse matrimonium esse validum, & consummari.

6 Quintò probatur *ex cap. 2. de convers. conjug.* ubi Alexander III. inquit, posse conjugem ante copulam ad Religionem transire; & subdit rationem *quia cum non fuissent una caro simul effecti*: ergo si conjuges una caro efficiantur, per receptionem seminis intra vas fœmineum, matrimonium erit consummatum; ut in nostro casu in quo conjuges facti sunt una caro, idest principium filiæ, & filiarum, & sic ad Religionem transire nequeunt.

7 Nec obstat 1. Castr. Palaus *tom. 5. de Sponsal. d.sp. 4. punct. 14 § 2 n. 1.* sic dicens: *Certa sententia est fere omnium DD. impotentiam perpetuam, & absolutam vas fœmineum penetrandi, ibidemque semen effundendi de se generationi aptum, esse impedimentum dirimens matrimonij contrahendi.* Idem tenet Sanch. *cit. dict. l.7. disp.99. n.37.* ubi: *Quod si re vera fœmina ita arcta sit, & vir ita debilis, aut calidus, ut non possit cum fœmina hac coire, ut semen intra vas emittat, sed foras fundat: in quo casu, quando sic judicatur perpetuum, & immedicabile impedimentum, diximus disp 92.n 7. & seqq. matrimonium esse nullum, mihi persuadeo [quamvis in nullo authore invenerim] adhuc esse vere irritum, ac proinde non consummari, licet arte aliqua absque viri penetratione sit receptum semen intra vas, aut per matricis attractionem, quia valor matrimonij non potest pendere ex casu raro, ac fortuito. Deinde quia verificatur virum esse impotentem ad seminãdum intra vas.* Sic Sãch. Et Leand. *tom. 2. tract. 9. disp 21. q. 10.* citatis Candid. & Hurt. ut certum idem sequitur; & ex Hurt. & Castr. Palao, inquit, talem seminationem absque peccato mortali fieri non posse.

8 Non, inquam, hoc obstat, quia cit. Doctores nostro non contradicunt casui quia Castr. Palaus *cit. d.disp. 4. punct. 8. nu. 2.* cum aliquibus, quos ibi citat, asserit affinitatem oriri ex copula, qua matrimonium consummatur, aut ex illa, quæ ex se generationi apta est; citatque Sanch. *l.7. disp. 64. n. 8.* in quo loco Sanch. inquit matrimonium consummari absque vasis penetratione, si semen virile intra vas fœmineum recipiatur; & ex ipso Sanch. *cit. n. 3. 4. & 5.* vidimus, matrimonium consummari per semen attractum à matrice, & de Praxede constat ex dictis *nu. 1.* sic consummasse suum matrimonium cum Emmanuele; ergo non dubitandum, esse validum. Deinde per eam seminis virilis attractionem facti sunt una caro, idest principium duplicis filiæ.

9 Quare eam DD. citatorum sententiam veram existimo, quando certò & evidentissimè constare non potest; semen virile à matrice esse attractum; at si certò, & evidentissimè constet, in quocunque matrimonio matricem fœminæ, non penetrato vase attraxisse semen virile, validum est censendum ipsum matrimonium. Quia tamen hoc constare nequit, nisi quando conjuges fiunt una caro, idest principium unius carnis, seu filij, per graviditatem fœminæ supervenientem, hac non supervenient, censetur vir esse impotens, & sic matrimonium, ut nullum est declarandum. Ratio est, quia etiam in dubio non præsumitur, fœminæ matricem semen attraxisse, & pro impotentia certa, non penetrandi vas, stat possessio: nam licet quando vas penetratur, & datur dubium de seminatione intra, possessio stet pro actu, & pro seminatione intra vas, ex communiter accidentibus, ut inquit Sanch. *l.8. de matr. disp.6 n.18* qui etiam videri potest *l.7. disp.64. n 9.* at quando vas non penetratur, & datur dubium, an matrix semen attraxerit, ex communiter contingentibus, præsumendum est illud non attraxisse. Vide *supr. q.56. n.5. & 6.*

10 Ex hac ratione etiam censeo, non sufficere ad validitatem matrimonij, quòd semen aliqua arte intra vas fœminæ immittatur: nam ex ea introductione seminis aliqua arte facta, numquam conjuges possunt fieri una caro, idest principium unius carnis, nam semen facile corrumpitur, & dum arte immittitur, jam est corruptum, & sic ineptum ut conjuges fiant una caro, licet oppositum colligatur ex Escobar *tom. 3. l.27. sect. 2 n.441.*

11 Ad illud quod adducebatur à Sanch. Castr. Palao, Leand. & alijs, valorem matrimonij ex casu raro, & fortuito pendere non posse. Respondeo, hunc casum non posse dici rarum, nam ex *dictis numer. 1.* sæpius evenisse, constat,

constat, & pro comperto habeo sæpissimè evenire. Et si casus fortuitus dicitur, qui ut plurimum non solet contingere, & à providentiâ humanâ præcaveri non potest, ut cum pluribus tenet Barbos. *tract. de Appellat. Verb. appell* 42. *n* 8. hic præsens casus non dicetur rarus, & fortuitus. At dato, quòd sit casus fortuitus, stat contra; quia valor affinitatis oritur ex eo, quòd casu fortuito semen intra vas fœmineum recipiatur; ut cum Sanch. & pluribus alijs defendit Escobar *tom.* 3. *l.* 27. *sect.* 2. *dub.* 97. *n.* 441. ergo valor matrimonij, etiam orietur ex illo, quòd casu fortuito contingit. Dixi *dato*, quia nego, valorem matrimonij sequi ex casu fortuito, & à casu raro; sed dependebit ab eo, quòd conjuges fiant una caro, ut dicitur *in cap Laudabilem*, *de frigid. & malefic.* & alijs in juribus: ergo si conjuges una efficiantur caro, hoc est principium unius carnis, aut in filio [ut plures explicant,] hoc casu raro, & fortuito matrimonium absque dubio erit validum, quia habet omne id, quod jus, & ratio ad illius valorem requirit.

12 Ad aliud, quod dicebant Castr. Palaus, & Leand attractionem seminis à matrice esse per accidens, & talem modum seminandi esse peccatum mortale. Respondeo 1. non esse per accidens, ut jam ostendi. Secundò, nec esse peccatum mortale in dictis conjugatis Emmanuele, & Praxede, quia intra illos durat triennium experientiæ, quod illis à jure conceditur, *in cap. fin de frigid. & malefic.* & traditur ab ipso Castr. Palao *dicta disp.* 4. *punct.* 14. § 3 *n.* 5 cum Sanch. & a Leand. *dict. disp.* 21. *q.* 44 An verò post triennium vacare possint illi commixtioni obscænæ, dicetur § *sequenti.*

13 Nec obstat 2. quòd affinitas non contrahitur per copulam extra vas, etiam si virile semen quacunque arte, vel matrice fœminea illud attrahente, in vas fœmineum subintret, ut sustinent Basil. Pont. *l.* 7. *de matrim. cap.* 33. *num.* 2. Leand *cit. dict. tract.* 9. *disp.* 20 *q.* 7. & alij penes ipsum, ex ea ratione: Nam licet ex copula eo modo habita possit aliquando proles generari, ut docuerunt ex experientijs D. Thom. D. August. Sanch & Soar affinitas tamen non contrahitur, nisi per copulam perfectam, & carnalem: ergo si tantùm per hanc copulam affinitas contrahitur, & non per aliam, in qua matrix semen attraxit, nec etiam per illam dabitur matrimonium consummatũ. Non, inquam, hoc obstat, nam licèt ea opinio sit probabilis, probabilior tamen, & communissima est opposita asserens per eam attractionem seminis à matrice factam, eam contrahi affinitatem. Hanc relatis usque ad 20. DD. sequitur Sanch. *l.* 2. *de matr. disp.* 21 *n.* 2. & *l.* 7. *disp.* 64 *n.* 15. Bonac. G. Hurt. Candid. Filliuc. Gutierr. Lubdin. Rebell Cornejo, Trullench. apud Leãd *cit.* Quibus addo Escob. *tom.* 3 *l.* 27. *sect.* 2 *dub* 97 *n.* 441 Dicastill. *tom.* 3. *de Sacram. disp.* 7 *n.* 354 Perez *disp.* 31 *de matr. sect.* 1. *nu.* 4. Tamburin. *l.* 8. *de matr. tract.* 1 *cap.* 13. § 4. citans Aversa. *q.* 17. *sect.* 1. *vers. Dubitari*, & alij communiter; ex hac ratione, quia datur verissima seminis commixtio ad generationem sufficiẽs. Alias dicent cit. DD. Emmanuelem, & Praxedem, habentes ex ea copula imperfecta duplicem filiam, non contraxisse affinitatem cũ utriusque consanguineis, quod à nullo admittetur, nec ab ipsis.

14 Nec ea opinio intentum probat: Duo enim ad sui probationem adducit Basil. Pont. quem laudat Leand *proxime.* Primum, quia si semen alicujus viri ope dæmonis deferatur in uterum fœmineum, probabile est non contrahi affinitatem, quia non sunt facti una caro, nec sibi adhæserunt; & alias innumeros scrupulos injiciret ea opinio, dubitantibus hominibus, an ab illis dormientibus, decisum semẽ raptum à dæmone alioque delatum esse. At dicendum est, posse fieri unam carnem, si semen virile ita aptum, & temperatum à dæmone deferatur. & tempore, quo ipse cum aliqua fœmina in phantastica hominis effigie copulatur, illud intra vas fœminæ immittat, fiant una caro, non dæmon cum fœmina, sed fœmina cum illo, ex quo ascitum est semen, & sic orietur affinitas inter illum hominem, & fœminæ consanguineos. Et sic plures fuisse generatos, historiæ referunt. Videatur Fagund. *in* 6. *Decal præcept. l.* 6. *cap.* 9. *nu.* 29. & alij, quos refert. Nec ex allata opinione illi oriuntur scrupuli, quia nullus habet fundamentum ad dubitandum, an ab illo sit raptum semen, nec norit fœminam, ad quam fuit delatum. Et quamvis de his dubitaret, adhuc affinitatem non contraxisset; ut ex omnibus est constans; nam in dubio pro illo est possessio, non contrahendo illud impedimentum. Et dato, quod ex ipso dæmone id accepisset; adhuc scrupulis non angetur; nam cum dæmon mendacij sit pater, illi fides non est adhibenda. Et sic bene arguitur ex communi opinione, illam hominibus innumeros non injicere scrupulos.

15 Secundum, quod idem adducit Author, est. non contrahi affinitatem in casu, quo uterus fœmineus semen viri cum ea ludentis attraheret. Ex hac ratione, quia in ea copula requiritur effusio veri seminis, qua ratione ex copula eunuchorum non oritur affinitas. Hæc ratio etiam nihil probat; quia DD. citati supponunt, semen virile, quod matrix fœminæ attraxit, esse prolificuum, & tale, ut ab eo generatio subsequi possit; quod in semine eunuchorum non datur. Melius ergo ad hominem probari poterat ex dictis *nu.* 5.

§. II.

§ II.

An Praxedis, stante eâdem Emmanuelis impotentia, & eventu manentis gravidæ ea cõmixtione, deinceps in eam consentire valet?

SUMMARIUM.

16 *Matrimonio consummato superveniente impotentia penetrandi vas, & fundendi semen intra illud, possunt conjuges copulæ vacare; si tamen cesset spes, non possunt. Illis tamen sunt licita oscula, tactus, &c. dummodo pollutionis cesset periculum.*
17 *Non possunt, Praxedis, & Emmanuel vacare illi commixtioni.*
18 *Possunt uti tactibus, osculis, & amplexibus.*

16 Ut resolutio præsentis quæstionis appareat; suppono convenire DD. Quando matrimonio valido, & consummato supervenit impotentia penetrandi vas fæmineum, & fundendi semen intra illud, sive hæc impotentia proveniat ex imbecilitate, seu alio morbo viri, sive exaretitudine fæminæ, quæ semen recipere nequit, posse eos conjuges, cum impotentia est dubia, copulæ vacare, licèt semen sæpe extra vas effundatur: quia ea effusio, in eo casu per accidens contingit; nam conjuges operam dant rei licitæ, procurantes copulam sibi possibilem, & permissam. Atsi ei certò moraliter constet, nullam subesse spem intra vas seminandi; ab eo puncto, quòd id constiterit, ab ea commixtione abstinere, tenentur Quia sola conjugalis, & apta generationi illis permittitur, & non extra vas seminatio, quæ non est apta generationi, & peccatum contra naturam. Illis tamen licita erunt tactus, oscula, & amplexus, dummodo pollutionis abiit periculum. Sic Sanch. *l.* 9. *de matr. disp.* 17 *an* 20. Basil. Pont *l.* 10. *cap* 11 *n.* 6 Henriq. *l.* 11 *cap.* 15 *n.* 4. & *cap.* 10. *nu* 6. Castr Palaus *tom.* 5. *disp.* 3 *punct.* 4 § 3 *n.* 7. Escobar. *tom.* 3. *l* 27. *cap.* 14 *n* 90. Bonac *tom* 1. *q.* 4 *de matr. punct.* 6 *n.* 18 & 19. Gobat. *tom* 2 *tract.* 9. *n.* 421. Leand. *tom.* 2. *tract.* 9. *disp.* 25. *q.* 44 Tambor. *l.* 8. *de matr. tract.* 1. *cap.* 13. §. 5. *remissive*, & *alij*.

17 Cæterum in nostro singulari casu, in quo per triennium, & quadriennij partem nul quam data fuit vasis penetratio, nec etiam post fæminam puerperio corruptam; ex semine tamen per matricem attracto duplex proles, quæ in lucem edita fuit, licet occasionem videatur præbere aliter philosophandi. Dicendum est, licitum non esse dare operam dictæ copulæ, quia in singulis seminationibus datur seminatio extra vas, quod est illicitum, & nullo modo admittendum.

18 Quia tamen per duplicem prolem, imo per solam primam matrimonium fuit cõsummatum, illis licitum est uti tactibus, osculis, & amplexibus, si absit pollutionis periculum. Hoc enim cit. DD. dicunt de illis, quibus impotentia, post consummatum matrimonium supervenit.

QUÆSTIO LIX.

An uxor suum maritum instituere possit hæredem suæ dotis conditionatæ, legitimam non excedentis, & maritus ex consilio advocati jurare, se eam dotem non recipisse, id intelligendo, quia fuit titulo compensationis?

SUMMARIUM

1 *Facti species.*
2 *Non potest in excessu dotis super legitimam instituere.*
3 *Idem ostenditur ex ipso jure.*
4 *Etiam post Authent. Ut cum, de appell.*
5 *Lex si pater dotem, non est contra resolutionem*
6 *Ea lex non habet locum in Hispania, nec Portugallia.*
7 *Secus dicendum erat, si dos legitimam non excederet.*

1 ABdon, & Ignatia conjugati duos habentes filios, & filiam unicam, & in bonis, duodecim millia ducatorum; filiã in matrimonio cum Petro collocarunt, illi dotem constituentes quatuor millia ducatorum, hac conditione: *ut si filios habuissent, in ea dote succederent, sin autem ad ipsos parentes, si adhuc essent vivi; & si defuncti, ad suos dos rediret heredes* Dote mox traditâ, & mortuâ uxore sine filijs, defunctis jam parentibus, maritum suorum bonorum instituit hæredem. Quia à judice sub juramento interrogatus, an totam jam dotem recepisset? Ex advocatorum consilio respondit, non recepisse. Dicebant enim illi juris consulti, sic posse respondere; quia dotẽ sibi in testamento relictã, nec in totum, nec in partem poterat imperare judex tradi hæredibus suorum locorum; quia illorum hæredes duo fratres suæ uxoris inæqualibus successerunt portionibus, nempe in octo millibus ducatorum, & illius uxor in quatuor. Quæritur 1. An Maritus ea quatuor millia ducatorum ex testamento tutâ conscientiâ possit sibi retinere? 2. An potuerit, utendo æquivocatione jurare, se totam non recepisse dotem.

§. I.

An maritus tutâ conscientiâ illa quatuor millia ducatorum possit sibi retinere?

2 Respondeo non posse. Supponebatur enim in bonorum cumulo parentum, dari duodecim millia ducatorum, tum mortis tempore parentum, adductis ad collationem illis quatuor in dotem traditis, tum quando marito consti-

constituta fuit dos illorum quatuor millium ducatorum. Et in tota hac summa, tertium parentum, de quo libere poterant disponere juxta *Ordin. l. 4 tit. 97. §. 3.* constabat quatuor millibus ducatis; & alij octo millia ad legitimas duorum filiorum, & filiæ uxoratæ pertinebant, juxta æquales portiones. Hoc supposito ut certum. Dos tradita genero in quantitate quatuor millium ducatorum excedebat legitimam suæ uxori debitam in non paucis ducatorum centenis, ut patet. Et totus hic excessus debebatur duobus filijs Abdomis, & Ignatiæ suis hæredibus. Et hoc facile ostenditur, quia ex dictis *numer.* 1. constat, inter parentes, & generum, sic fuisse conventum: *Si filios ex eo matrimonio generassent, ipsi filij in ea dote quatuor millium ducatorum succederent; sin autem ad ipsos parentes, si vivi essent, & si defuncti, ad suos hæredes redirent*: at ex dicto matrimonio nulli nati sunt filij, & parentes dotatores jam erant defuncti: ergo ad eorum duos filios hæredes redire debebant non in totum illa quatuor millia ducatorum, sed excessus supra legitimam, quã filia per mortem parentum acquisierat.

3 Et quòd parentes, & gener ita poterant convenire, patet ex *Ordin. Reg. l. 4. tit. 96. §. 4. in fine*, & *ex l. Scimus, §. cum autem ff. de inoffic. test.* ibi: *Reliquum autem, quod post legitimam portionem restat, tunc restitui, quando testator disposuit.* Ex quo textu colligunt Doctores gravamen conditionis, circa legitimam rejiciendum, residuum verò consequatur, posita conditione: ergo cum in legitima gravamen imponi non possit, reliquum ex legitima ex posita conditione hæredibus parẽtum, nempe duobus fratribus tribuendum est.

4 Et licet dispositum in *cit.* §. *Cùm autem* nihil valeat post *Auth. Ut cum, de appell. cognosc.* §. *Aliud quoque capitulum*, ut notavit Barthol. & alij Doctores apud Molin. *tract. 2. de Iust. disput. 177. vers. usque adeo*, quo ad nostram conclusionem videtur valere, ut sustinent ipse Molin. *cit.* & alter Molin. *de primog. l. 2 capitul. 1. numer. 29.* Anton. Gomes *var. tom. 1. capitul. 3. numer. 18. & capitul. 11. numer. 24.* ac plures, quos affert & sequitur Barbos. *in collect. ad citat. l. Scimus*, § *Cum autem numer. 20. & 21.* ergo bene sequitur hæredibus dotatorum excessum supra legitimam deberi. Sicut etiam deberetur tota dos integra dotatoribus, si eo tempore mortis filiæ dotatæ, vivi fuissent, quia adhuc filiæ legitima non debebatur; quæ solum post mortem parentum debetur; ut infra dicetur *n. 7.*

5 Nec obstat, quòd uxor defuncta in suo testamento suum maritum omnium suorum bonorum instituit hæredem: sed ea dos integra in suis bonis continebatur: ergo non solùm legitima, sed etiam illius excessus ad maritum pertinebat. Minor ostenditur *ex l. Si pater dotem 7. & ult. C. de dotis promiss. &c.* ubi dicitur, dotem filiæ à patre donatam, præsumi donatam ex proprijs bonis ipsius patris, & consentiunt Doctores apud Barbos. *in collect. ad cit. l. numer. 19.* Sed tertium bonorum dicitur parentum, de quibus ipsi libere disponere possunt: ergo dos integra etiam quoad excessum legitimæ ex testamento uxoris ad maritum pertinebat. Non, inquam, hæc obstant, quia ad argumentum respondetur, negando minorem; quia non integra dos absolute in suis bonis continebatur, sed tantùm legitima, de qua tantùm disponere poterat; & non de illius excessu, qui à parentibus suis hæredibus erat donatus.

6 Ad *l. Si pater*, respondetur 1. eam non esse contra nostram resolutionem, quia licet demus, eam dotem fuisse à parentibus donatam ex proprijs bonis, nempe ex illis, de quibus libere disponere poterant, cum fuissent sub conditione donata juxta eam legem, integra ad hæredes parentum redire necessariò debent. Resp. 2. eam legem locum non habere in Regnis Portugalliæ, & Castellæ; de his enim aliud disponitur *l Tauri* 53 quæ hodie est *l. 8. tit 9. l. 5 nova recopil.* de illis, in *Ordin. cit.* in qua aliud invenitur dispositum; ut docet Doct. Petr. Barbos. *in l. 1. ff. solut. matr. part. 4 a n.* 146. Vide Augustin. Barbos. illum citantem *in collect. ad d. l. in argumento adductam n. 21.*

7 Secus dicendum erat, si ea dos, quæ à parentibus debetur filijs *l. fin & ibi* Bartol. *ff. de liber. agnosc.* Ioannes de Carvalho *in capit. Raynald. de testam. part. 1 n. 29.* & omnes; non excederet portionem legitimam, tunc enim mortuis parentibus eam marito poterat relinquere uxor. Quia legitima portio à parentibus gravari non poterat; ut habetur expresse *l. Quoniam in prioribus*, 32. *C. de inoffic. testam.* & docetur communiter à DD. plures refert, & sequitur Barbos. *in collect. ad cit. l. n. 2* Molin. *de just. tom. 1. tract. 2. disp. 177. Vers. legitimæ debitæ.* Ioann. de Carvalho *proximè nu.* 44. & 45. Sed dos necessariò sumitur ex legitima, quando parentes non exprimunt, se velle, eam in suo tertio sumere, de quo libere disponere possunt, ut satis colligitur *ex Ordin. l. 4. tit. 97 §. 3. 4. & 5.* & expresse asserunt Molin. *cit. disp. 238. Vers. De dote filiæ*, dicens omnes in hoc convenire; idem tenent Aiora, Valasc. Menchac. Mangilius Picard. Decius, Paul. Picus, Ripa, Peregrinus, Corraz. Cæsar, Castill quos congerit, & amplectitur Doct. Ioann. de Carvalho *supra part. 4. cap. 1. nu. 54.* ubi ante medium asserit, sic præsumi ex mente dotem constituentis; ergo in his terminis illam dotem poterat uxor in suo testamento marito relinquere.

§ II.

An maritus jurare potuisset æquivocatione utens se non recipisse dotem, id intelligens, quia utebatur titulo compensationis?

SUMMARIUM.

8 *Non potuit, quia id illi erat prohibitum per Innocentium XI. in propositione damnata.*

9 *Nec etiam potuit jurare, quia nullum ei damnum injustum imminebat.*

10 *In eo juramento peccavit contra obedientiam, & justitiam.*

11 *Non excusatus fuit propter consilium advocatorum.*

12 *Nec ex eo quod fratres suæ uxoris in hæreditate paterna habuerunt æqualem portionem illi, quam sua uxor habuit in dote tradita.*

13 *Consilium advocatorum fuit iniquum, quia fuit contra conditiones ad compensationem licitam requisitas.*

14 *Nec excusantur, quia datum fuit consilium, juxta opinionem probabilem, aut probabiliorem.*

15 *Quando debitum recuperare potest coram judice absque magna difficultate, litibus, &c. non datur locus compensationi.*

8 Respondeo non potuisse jurare, se non recepisse integram dotem, cum illam recepisset; nec excusatur æquivocatione utens, retinens in mente, se dotem non debere, quia ab uxore sibi fuit relicta; quia mentitus fuit, & perjurus. Nam Innocentius XI. quarto Martij anni 1679. ut minimum, tanquam scandalosam, & in praxi pernitiosam hanc damnavit propositionem, quæ inter alias damnatas, est 26. & sic habet: *Si quis, vel solus, vel coram alijs, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocunque alio fine juret, se non fecisse aliquid, quod re vera fecit, intelligendo inter se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, re vera non mentitur, nec est perjurus.* De hac propositione vide à me dicta *in Exposit: Bullæ Cruciatæ disp* 18. *a n.* 227.

9 Etiam præcisà omni amphibologiâ, & æquivocatione, non poterat maritus jurare, se integram dotem non recepisse. Quia ex juramento cum veritate prolato, nullum ei damnum injustum imminebat: nam judex ad indagandam veritatem, illud juramentum requirebat, alijs non apparentibus probationibus, ut suum unicuique tribueret, juxta juris dispositiones: sed quando Iudex legitimè, & juridicè interrogat, interrogatus veritatem negans, & peccat mortaliter, & ad restitutionem tenetur. Sic cum D. Thom. Caiet. Aragon. Salon. & Valent. affirmat Frigoss. *tom.* 1. *de republ. Christ. l.* 5. *disp.* 5. *n.* 299. & omnes id fateri tenentur.

10 Et hac conclusione sequitur, maritum ex hoc falso juramento, & peccasse contra obedientiam judici debitam; quia ex justitia legali tenebatur obedire judici justè, & juridicè præcipienti: quia ei constabat, juridicè interrogare; Et peccasse contra justitiam commutativam. 1. Quia negavit, cum damno hæredum sui soceri, se integram recepisse dotem, 2. Quia damnum notabile intulit famæ heredum, asserentium illum, totam dotem recepisse; cum teneretur, in hoc casu dicere veritatem; & injustè illam negando, palam affirmavit, illos fuisse mentitos. Et sic tenetur ad restitutionem ducatorum, quos suprà excessum legitimæ recepit; & ad restitutionem famæ heredum, quam suo perjurio denigravit.

11 Nec ex causa compensationis poterat dictus maritus jurare, se totam dotem non recipisse; nam licèt bona fide jurans ex consilio advocatorum, non peccasset eorum tamen consilium non erat sanum, asserentium eo juramento, se posse servare indemnem, casu, quo Iudex illi tantùm legitimas parentum uxoris ad judicasset. Hoc tamen consilium erat injustum, & inquum: erat injustum, quia ex contractu dotali, & conditionato constabat uxorem non potuisse disponere de excessu legitimæ portionis, qui excessus utpotè ad tertium parentum pertinens, ad eorum parentum heredes devenire debebat, juxta pactum initum.

12 Nec obstat, dicere, etiam uxorem fuisse heredem illius excessùs in morte parentum, nam eo tempore vitam agebat, & sicut duo illius fratres in æqualibus portionibus parentibus successerunt, nam unusquisque in quatuor millibus ducatorum successit, sic etiam illorum soror ijsdem parentibus, in alijs quatuor millibus ducatis succedere debebat; & hos tantùm ab uxore maritus hereditavit. Non inquam hoc obstat, quia cum ea sorore, marito, & illius soceris contractus præcesserat, eam dotem quatuor millium ducatorum ad ipsos parentes esse reversuram, si vivi fuissent; & si jam defuncti (ut de facto erant, cùm filia vita decessit) ea dos ad suos heredes deveniret; cum verò ex dictis, tota dos ad eos devenire non poterat; quia in ea dote portio legitimæ continebatur, super quam filia gravari non poterat; & quoad excessum poterat: ergo fratribus non poterat soror in portionibus hereditatis parentum, esse æqualis.

13 Fuit etiam iniquum consilium advocatorum, quia expressè fuit contra duas conditio-

conditiones [alijs omissis] ad compensationem licitam requisitas. Contra primam, quæ requirit, quòd debitum, pro quo compensatio est facienda, sit certum, & liquidum. In qua conditione conveniunt omnes DD. ut inquit Card. *de Lug. tom. 1. de Iust. disput. 16. sect. 5. numer. 94.* Unde ortum habuit hoc axioma; *In materia Iustitiæ a non liquido ad liquidum non dari compensationem*; & certum erat, eam hereditatem quoad integram dotem non esse liquidam. Et quamvis ipsi advocati existimassent, maritum à sua uxore institutum hæredem, habere pro se opinionem probabilem, imò & probabiliorem, consulere non poterant, maritum falsò jurare; ut sic compensationem obtineret: quia opinio probabilis, imò & probabilior licitam non facit compensationem, ut sustinent Sanch. *in Sum. l. 6. cap. 3. numer. 7.* Soar. *de leg. l. 5. cap. 18. numer. 20* Castr. Palaus *tom. 7. disput. 1. punct. 6. § 3* Laym. *in sum. l. 1. tract. 1. cap. 5. numer. 21.* Giunipar. *de Iure Pontif. disput. 6. quæst. 6. capitul. 3. numer. 51.* quos refert, & sequitur Dian. *part. 9. tract. 9. resol. 44. in fine.*

14 Et quamvis aliqui dentur Autores affirmantes licitam esse compensationem, datâ opinione probabili, aut probabiliori, id affirmant quando ea opinio probabilis versatur circa jus, & illud coram Iudice defendi non potest; ut opinantur Stephan. Spinul. *de elect. opin. disput. ultim. sect. 7.* Francisc. de Lug. *in princip. Theolog. moral. part. 1. capitul. 3. quæst. 13. numer. 100.* Ioann. Sanch. *in select. disput. 33. numer 42. & disp. 43 n. numer. 54. & seqq.* & inclinat Card. de Lug. *disput 16 de Iust. numer. 99.* At in præsenti casu, ea opinio non versatur circa jus, sed circa factum. Et dato, quod sufficiat opinio probabilis circa factum ad compensationem; in præsenti casu nullo modo potest admitti, nam dabatur scandalum, & causa ad forum contentiosum erat deducta. Et hoc sufficiebat, ut dicti advocati id non consulerent. Et licèt ei sententiæ probabili id concederent; lata tamen à judice sententia, illi erat standum, dum manifeste non constabat esse injustam.

15 Secunda conditio ad compensationem licitam requisita est, quòd debitum recuperari non possit coram judice, nisi magna cum difficultate, litibus, molestijs, jactura, & gratia, &c. ut communiter docent Doctores & novissimè G. Hurt. *de just. disput. 13. diff. 6.* At in præsenti de justitia dictæ dotis coram judice agebatur, qui suum unicuique parti tribuere intendebat. Nec contra illum aliqua sinistra urgebat suspicio, aut præsumptio. Ex dictis sufficienter constat ad quid in conscientia teneatur prædictus maritus.

QUÆSTIO LX.

An filius ex legitimis parentibus Religiosis natus in illarum bonis succedere debeat?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Filius natus est legitimus.*
3 *Parentes peccarunt contra votum, non contra Iustitiam.*
4 *Votum simplex, & solemne castitatis specie non differunt.*

§. I.

An filius natus ex parentibus conjugatis, & Religiosis sit legitimus?

1 COnjuges, post consummatum matrimonium nullos habentes filios, de mutuo consensu, & alijs juxta consuetudinem observatis, professionem in Religionibus approbatis emiserunt. Paucis elapsis annis uxor Religiosa periculosæ infirmitatis causâ de consilio medicorum, & superiorum licentia ad balnea Reginæ migravit, ibique à marito Religioso visitata, & cognita filium summo silentio, & secretò peperit, & educare fecit. Quia tamen omnia istorum conjugum bona non fuerunt consumpta in donationibus, & dote Religiosa; nam aliqua existebant prædia, & domus, ex quorum redditibus monasterium obligabatur ad solvendam certam portionem annuam uxori Religiosæ, dum vitam ageret, & post illius mortem, ad monasterium reversura. Quod monasterium jam illorum bonorum possessionem ceperat. Quæritur 1. an dictus filius natus sit legitimus? An sit successurus in dictis bonis extantibus, & si donatis? 3. Quid circa hanc restitutionem sit consulendum?

§. I.

An dictus filius natus, sit legitimus?

2 Respondeo esse legitimum. Probatur 1. quia natus est ex parentibus matrimonio in facie Ecclesiæ celebrato conjunctis: sed filius natus ex parentibus matrimonio in facie Ecclesiæ celebrato conjunctis, est legitimus: ergo. Minor est certa, maior ostenditur. Quia matrimonium consummatum ita est indissolubile, quoad vinculum, ut nullo modo, nec per professionem Religiosam, sed à solo Deo possit dissolvi, ut definitur in *Concil. Trid. sess. 24 can. 7. de matr.* & tradùt omnes DD. Catholici, Dicast. *tom. 3. de Sacram. disp. 2. n. 345.* Gobat

tom.2.disput.10.n.684 Sed d. filius natus est ex parentibus, qui mutuo consensu, post matrimonium consummatum in Religionibus approbatis professionem emiserunt: ergo est legitimus.

3 Secundo probatur; quia licet ij parentes peccassent contra votum, copulam habentes, ex qua conceptus est filius, non tamen peccarunt contra justitiam, quia vinculum erat indissolubile, & illa adhuc sua, & ille suus erat, ut loquuntur omnes, Castr. Palaus *tom. 5.de sponsal.disp.2.punct.1.n* 3. Tambur *l.* 8. *de matr.tract.7.cap* 4.§.1.*n.*6 ergo cum ibi tantũ datum fuerit peccatum contra votum, & non contra legem matrimonij, filius ex illis natus erat legitimus.

4 Tertiò, quia si dicti parentes ante ingressum Religionis in propria domo habitantes de mutuo consensu post matrimonium consummatum, votum castitatis simplex emisissent, & copulam contra votum habuissent, ex qua proles genita fuisset, ipsa proles absque ullo dubio esset legitima, & ut talis in bonis parentum erat successura, non obstãte, quòd copula fuisset sacrilega, utpote contra votum: ergo etiam idem de prole genita à parentibus in Religione approbata, professionem emittentibus: nam votum simplex, & solemne castitatis specie non differunt, ut tenent communiter DD. Sanch. *l.7.de matrim. disp* 25.*&* 27. Castr.Palaus *tom* 1.*disp* 3.*de peccat. punct* 3. Dian. 1.*part.tract.7.resol.* 3. *&* 3. *part.tract.*4 *resol.* 67.& alij.

§. II.

An dict. filius in bonis extantibus, & si donatis sit successurus?

SUMMARIUM

5 *Successurus est ex ipso jure, & DD.*
6 *Etiam ante latam sententiam, dummodo repetatur.*
7 *Dicta non videntur habere locum in præsenti casu, ut rationibus ostenditur.*
8 *At eæ rationes non urgent.*
9 *Data morte civili parentum, probabilius est, posse filium agere contra donatarium, licet oppositum si communius.*
10 *Donatio Ecclesiæ facta per nativitatem filij revocatur tantum quoad legitimam.*
11 *Ad collationem venit dos, vestes, lectum, & reliqua supellex.*

5 Respondeo affirmativè. Ratio est, quia non præsumitur, hos conjuges Religiosos voluisse instituere suorum bonorum monasterium donatarium, si existimassent, se filium habituros. Et ex ipso jure ea donatio censetur revocata. Sic deciditur *l. si unquam C. de revocand. donat.* & tradunt DD. communiter, quos afferunt, & sequuntur Molin. *tract.* 2 *de just. disp.* 282. *à principio*, Fragos. *tom* 3 *Reip Christ.disp.*4 § 5. *nu.* 101. Castr.Palaus *tom.7.disp.*2 *punct* 29 § 1 *numer.* 1. Doct Ioann. de Carvall. primarius Iuris Cæsar. lector. *ad cap Raynaldus de testam. part.* 5 *cap.*3 *num* 133. Dicentes, donationem factam extraneo, in totum revocari nato filio; at si facta sit ascendenti revocari, quoad excessum: sed in præsenti casu donatio facta fuit extraneo, nempe monasterio, ergo in totum censetur revocata. Vide *limitationem numer* 10.

6 Et hoc ita est verum, ut nulla judicis sententia expectetur declaratoria, ut donatum ad donantes revertatur, ut habetur *dict. l. Si unquam*; & cum pluribus docet Molin. *cit. Vers. Quando autem.* Aliqui tamen, ut Less. *l* 2 *cap.* 18. *dub.*14. *numer.* 111. & Castr. Palaus *cit. n.* 5. *in fine* hoc intelligendum putant; si à donatore repetatur; dum vero non repetitur, ex præsumpta donatoris voluntate, potest retineri.

7 Hæ tamen in nostro casu non videntur posse habere locum 1. quia donatores cum facti sint Religiosi, post donationem, & dominium translatum, nec ipsum dominium, nec possessionem illorum bonorum possunt iterum repetere, cum per professionem redditi sint incapaces. 2. Quia parentes non possunt suo filio ea bona repetere; nam filij sui tutores esse nequeunt, cum sint Religiosi, & hoc munus in nostris *Ordin. l.*4 *titul* 102 §. 1. Religiosis prohibetur.

3 Nec etiam alius extraneus hoc munus poterit exercere, quia sicut datâ morte naturali parentum, quando ab illis in vita donatio non fuit revocata, filius non potest ad revocationem agere contra donatarium ex *d. l. Si unquam*, ut plures defendunt, apud Ioann. de Carvalho *cit. numer.* 134. ergo etiam datâ morte civili parentum, nempe professione Religiosa (professio enim est mors spiritualis *l.fin. C.de Episc. & cleric, & capit.Placuit* 16. *q* 1] non poterit alius. nec ipse filius agere contra monasterium donatarium.

8 Hæc tamen non urgent: Non primum, nam repetitio bonorum donatorum, ut alius illis alatur, non est contra votum paupertatis emissum: Attamen pro alimentis jam parentes secreto suo filio consuluerunt. Et quamvis, ne scandalum sequatur, loqui nequeant, monasterium pro nunc in eorum bonis nihil utilitatis habet; uxor enim in ijs bonis monasterio donatis, dum vivit, habet redditus annuos, cum licentia superiorum. ut jam dictum est. Nec etiam urget secundum; nam si non obstaret infamia, tutor ex proximis consanguineis non deficeret. Nec ad manifestandam revocationem munus tutoris requiritur.

9 Nec tertium urget, nam licet illius antece-

antecedens á pluribus defendatur Doctores oppositum tamen æquales numero, & gravissimi sequuntur DD. quos refert, & amplectitur Doct Ioann. de Carvall. *cit. num.* 135 & validissimis tutatur fundamentis. Et addit ibi, se ab hac sententia nec judicando, consulendo, nec in scholis defendendo unquam recessurum. Eandem sequitur pluribus allatis Castr. Palaus *cit. dict. tom.* 7. *disp.* 2 *punct.* 25. § 4. *num.* 3. Concesso tamen antecedente, negatur consequentia: Nam sicut donatio conjugis Religiosi monasterio bonorum capaci ante professionem, & post matrimonium consummatum non firmatur ipsa professione, sed tantùm morte naturali, ut pluribus relatis docent Sanch. *l.* 6. *de matr. disp.* 17. *num.* 6 Castr. Palaus *cit.* §. 3 *num.* 3. Ita etiam morte civili, nempe professione, non firmabitur donatio facta monasterio bonorum capaci, sed poterunt parentes illam in favorem filij, post illorũ professionem nati, revocare.

10 Addo præterea, veriorem sententiam docere per nativitatem filiorum, donationem Ecclesiæ factam, non revocari per *cit. l. Si unquam* in totum, sed tantum usque ad legitimas filiorum. Ex ea ratione, quia Ecclesia habetur loco filij: sed donatio filio facta, per nativitatem aliorum filiorum non revocatur in totum, sed tantùm quoad legitimas, juxta textum *in l. si totum C. de inoffic. donat.* Et ex authoritate S. August. relati *in cap. fin.* 17. *q.* 4. asserentis donationem prædictam, specto juris civilis rigore, non revocari in totum, sed solùm quoad eam partem, quæ filiorum legitimam attingit: ex pietate tamen naturali, & æquitate in integrum revocari. Hanc sententiam defendunt cum Bartol. Panormit. Iulio Clar. Anton. Gomes, Gama, Covarruv Molin. *tract.* 2. *de Iust. disp.* 282. *Vers. Dubium alterius est*, & cum Tiraquel. Ripa Gregor. Lopes, Less. Fachin. Layman. Castr. Palaus *tom* 7. *disp.* 2. *punct.* 29. § 3 *num.* 1. Fragos. *tom.* 3. *de Regin. Desp. Christ. disp.* 4. §. 5. *numer.* 102 Emman. Barbos *in remiss. ad Ordin. l.* 4. *tit.* 97. *ad princip. numer.* 5. At donatio in nostro casu facta est monasterio, quod nomine Ecclesiæ venit, ut dicunt cit. DD. ergo saltem quoad legitimam filio debitam nato, post eam donationem factam, revocanda est.

11 Dixi *Saltem quoad legitimam*, nam videtur in totum esse revocandam, Nam si ad collationem venire debet dos cum vestibus, lecto, & reliqua supellectili filiæ data ad ingrediendam Religionem, ut cum Barthol. Menchac. Gomes, Menoch. Gutierr. & alijs plurimis tenet Fragos. *cit. disp.* 8 §. 10. *nu.* 313. quare etiam ad collationem non veniet dos cum vestibus, lecto, & supellectile, quam mater Religiosa monasterio contulit in suo Religionis ingressu. Additur, dotem dici donationem ob causam; at donationes ob causam etiam nativitate filiorum revocantur. Conferretur ergo hæc dos, si filius in bonis monasterio donatis suam possit habere legitimam, & si ea dos, omissis fructibus prædiorum, & domorum ad matrem alendam, non excedat tertium bonorum, de quo parentes ad libitum poterant disponere, imo excedatur donatione monasterio facta, hoc excessus ex rigore juris ad monasterium pertinebit, sin autem ea donatio in totum revocabitur, & ad filium loco legitimæ pertinebit.

§. III.

Quid circa restitutionem in præsenti casu sit consulendum?

SUMMARIUM.

12 *Nullus tenetur cum jactura propriæ famæ alienas divitias restituere.*

13 *Quando maius est damnum, quod patitur creditor ex non restitutione sibi debita, quam sit damnum jacturæ famæ apud limitatas personas, tenetur debitor facere quod in se est, ut fiat restitutio.*

14 *Infamia, etiam apud paucas Moniales, æstimatur damnum omnibus thesauris notabilius*

15 *Adultera cum periculo suæ famæ non tenetur suum prodere peccatum, etiam si legitimi heredes, maxima hereditate sint privandi.*

16 *Famina sunt variæ, & mutabiles, & prudenter illis non manifestatur peccatum secus dicendum de viris Religiosis.*

17 *Possunt conjuges ex bonis, de quibus cum licentia suorum superiorum possunt disponere in licitis, & honestis, legitimam filijs compensare, & n.* 19 *ponitur resolutio.*

18 *In aliquibus fœminarum monasterijs ex consuetudine recepta, & licentia superiorum, habent Moniales annuos redditus.*

19 *Etiam adulteræ tenentur resarcire damnum legitimis filijs illatum, ex eo quod proles adulterina æqualem habet legitimam.*

20 & 21. *Mater Religiosa potest occultè, & absque scandalo accipere a monasterio, cui sua bona donavit tantum, quantum sit necessarium, ut legitima filij maneat compensata.*

22 *Debitum pro quo hic fit compensatio, est liquidum, & certum.*

23 *In hoc casu in quo monasterium nescit ex nativitate filij, & revocatione donationis, non habet locum doctrina Lessij, & Castr. Palai.*

24 *Ad hanc compensationem dantur circunstantiæ ad licitam, & occultam compensationem requisitæ.*

12 Respondeo non esse consulendum, quòd manifestetur sacrilegium, ut sic filius natus suam acquirat legitimam, & donatio monasterio facta, revocetur. Ratio est quia nullus tenetur cum jactura propriæ famæ alienas divitias restituere, ut

communiter docent DD. Caiet. 2.2 *q.* 62. *art.* 3. & 6. Bannes ibi *dub ult.* Navarr *cap* 16. *n.* 44. & *cap.* 17. *n* 57 Petr. Navarr. Plures referens *l.* 2 *part.* 2. *cap* 4. *n.* 264. Less. *l* 2 *de just. cap.* 11. *n.* 86. & *Verb. Restitutio n* 26 Laym *l* 3 *jum. sect.* 5 *tract.* 2. *cap.* 12. *n* 2. & alij, quos affert, & sequitur Castr. Palaus *tom* 7. *disp* 1, *punct.* 17. §. 3 *n.* 3. Sed dicti conjuges gravem famæ jacturam patientur, si sacrilegium ab ipsis commissum prodant, sine cujus manifestatione, coram plu ribus monasterij Monialibus filius legitimam ex donatione monasterio facta obtinere non potest: ergo cum fama excellentius bonum sit, quàm divitiæ, ut dicunt DD. citati, non tenentur conjuges cum famæ jactura agere de restitutione legitimæ filio debitæ, ex donatione monasterio facta.

13 Nec obstat maius damnum esse, quod patitur filius ex non acquisita legitima, quam esse jacturam famæ, quam possunt habere parentes ex manifestatione sui sacrilegij illud tantum manifestantes coram ijs Monialibus, quibus attinet de bonis monasterij agere, & curam habere: sed quando maius est damnũ, quod patitur creditor ex restitutione sibi debita, quàm sit damnum jacturæ famæ, apud certas, & limitatas personas, tenetur ex suo delicto obligatus, facere quod in se est, ut fiat restitutio, ut in simili cum communi DD. placito defendunt plures, apud Castr. Palaum *proximè n.* 5. ergo tenentur parentes suum manifestare sacrilegium, ut filius suam acquirat legitimam. Maior ostenditur, quia non acquisita legitimâ, cogetur filius vitam vivere rusticam, laboribus, & ærumnis refertam: sacrilegium verò parentum, sub secreto illarũ Monialium, quibus interest bona monasterij defendere, inviolatum manebit.

14 Non, inquam, obstat, quia respondetur, negando maiorem, & illius probationem, nam infamia parentum ex detecto sacrilegio, etiam coram illis paucis Monialibus, æstimatur damnum omnibus thesauris notabilius, nam *Eccles.* 41 *n* 15 dicitur: *Cura de bono nomine; hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri pretiosi, & magni.* Idem *Proverb.* 22. *Melius enim est bonum nomen, quam divitiæ multæ.* Et si sacrilegium coram illis graviſſimis Monialibus detegatur, bonum nomen erga illas non permanebit.

15 Confirmatur ex simili de adultera habente prolem adulterinam ad hæreditatem cũ legitimis vocatam, quæ cum periculo suæ famæ non tenetur suum prodere peccatum, etiam si maxima hæriditate hæredes legitimi sint privandi, ut docent plurimi; & colligitur ex text. *in cap Officij, de pœn. & remiss.* Videantur Less. *l.* 2 *cap.* 10 *dub.* 7. *a n.* 50. & *cap.* 11. *dub.* 15. *n.* 87. *Vers. Quarto* Laym. *In Theolog moral. l.* 3. *sect.* 5 *tract.* 3 *part.* 3. *cap.* 14 *plures citans*: ergo etiam dicti conjuges, ut filius acquirat legitimam, non tenentur suum declarare sacrilegium, etiam illis paucis Monialibus, quia prudenter dubitare possunt, an illis secretum sit dandum; & dum dubitant, melior est eorum conditio; suam bonam famam possidentium.

16 Dixi, *prudenter posse dubitare, an secretum sit illis celandum*; nam fœminæ sunt variæ, & mutabiles, ut habetur *in cap. Forus* § *fin. de verb signif.* Ubi Gloss. *Verb. Varium* hoc distichon refert.

Quid levius fumo? Flamen. Quid flamine? Ventus.
Quid vento? Mulier. Quid muliere? Nihil.

Quare fateor, si de hac restitutione cum viris Religiosis ageretur, potuisse forsan habere locum hanc sacrilegij revelationem, si de illis certò moraliter præsumeretur secretum servaturos; illos tamen non obligarem, ut suum secretum revelarent.

17 Ex hac agitata quæstione duo suboriuntur dubia. Primum, an dicti conjuges, quamvis suum sacrilegium revelare non teneantur, ut filius suam recipiat legitimam ex bonis monasterio donatis; obligentur ex bonis: de quibus cum licentia suorum superiorũ in licitis, & honestis possunt disponere ad cõpensandam filio legitimam?

18 Ut respondeam, suppono in aliquibus Religionibus maxime fœminarum, consuetudinem esse receptam, habendi annuos redditus de licentia suorum superiorum, ut necessitatibus occurrentibus, & decentiæ sui statùs consulant; & habere hos redditus non esse contra *Conc Trid. sess* 25. *cap* 2. *de Regul* defendunt Sanc. *l* 7. *decal. cap.* 22 *n* 11. Soar *tom* 3 *de relig. l* 8 *cap.* 14 *n.* 13 Lezan. *tom* 1 *cap* 6. *nu* 21. Castr. Palaus *tom.* 4. *tract* 16. *disp* 3 *p* 7. *a num.* 3. *usque ad finem* & alij, quos citant. Etiam in aliquibus Religionibus conceditur, quòd ea, quæ proprio labore, industria, aut donationibus Religiosi acquirunt, in usus necessarios, & honestos expendere possint, sic cum Vallent & Graff. Lezan *proxime n* 24. in alijs, etiam illis conceduntur aliquæ Missarum & concionum eleemosynæ, ut ex praxi aliquarum Religionum accipitur. Hoc supposito.

19 Ad dubium respondetur, teneri dictos conjuges Religiosos ad compensandum filio damnum, quod patitur in sua legitima; ex eo quod ab ipsis revocari non possit donatio monasterio facta Nam licet non teneantur suum revelare sacrilegium, ut filius suam habeat legitimam, tenentur illam resarcire, si aliunde habeant, unde resarciant; sicut tenetur adultera filijs legitimis resarcire damnum, quod patiuntur, ex eo quod proles adulterina cum illis habet æquales portiones, si aliunde habet; & ob infamiæ periculum suum, non potest manifestare delictum; ut tuenter communiter DD. Less *dict l* 2. *cap.* 10 *num.* 47. Card. de Lug. *tom.* 1 *de just disp* 13. *n* 41.

20 Secundum dubium: An possit mater Religio-

Religiosa accipere occultè, & absque scandalo de bonis conventui donatis, quantum sit necessarium ut legitima filio debita compensetur? Respondeo affirmativè, & probatur ex casu simillimo: Nam, ut inquit Molina *tom. 4. de Just. disp. 102. n. 15.* potest adultera occultè accipere de bonis, quæ deventura sunt ad filium adulterinum, aut quæ jam ad eum devenerunt, quantum potuerit tutò, ut ex illis compensationem occultam in restitutionis modum filijs legitimis efficiat, qui damnum propter eundem adulterinum patiuntur injustè. Idem videtur approbare Card. de Lug. *cit.* quia hæc referens non improbat: ergo etiam mater Religiosa poterit occultè de bonis accipere, quæ per donationem ad monasteriũ devenerunt, quantum tutò potuerit, ut ex illis compensationem occultam in restitutionis modum filio suo legitimo efficiat, qui damnũ propter idem monasterium patitur injustè. Hæc consequentia bene infertur ex antecedente P. Molin. à Card. de Lug approbato.

21 Cæterum quoniam hæc mater Religiosa ex bonis donatis, prædijs, & domibus constantibus nequit accipere, quia monasterium jam in illius possessionem habet, & justam causam pro foro externo, ne illis privetur, poterit fieri compensatio ab ipsa matre Religiosa in bonis ipsius monasterij, servata æqualitate, quoad valorem respectu rerum donatarum Sic idem Molin. *tract. 2. disp. 691. vers. sexta*, & Card. de Lug *disp. 16. de just nu. 92.* cum Vasq. & alijs, quibus adde Valerium, Petr. Navarr. & Rebell. quos refert, & sequitur Dian. *part. 2. tract. 16. resol. 46. vers. Notandum est*, Castr. Palaum *tom 7. disp. 1 punct. 16 §. 3 n. 7*

22 Probatur secundò, quia in hac compensatione debitum, pro quo fit compensatio, est liquidum, & certum, quod ad licitam, & occultam compensationem requirunt communiter DD. Molin. *cit. vers. Prima* Card. de Lug *proxime n. 94.* Castr. Palaus *supra num. 6.* Gobat. *tom 1 tract. 7 n. 222* contra Diana asserentem *part. 3 tract. 5 resol. 30.* sufficere probabilitatem debiti, juxta dicta *q. præced. n. 13. & 14.* Sed per nativitatem filij revocari donationem ita est certum [ut dictum est *supra n 6*) ut nulla expectetur judicis sententia declaratoria: ergo mater licitè, & occultè in foro conscientiæ de bonis monasterij eam facere potest compensationem.

23 Nec obstant Less & Castr. Palaus *citati supra n 6.* asserentes posse donatarium retinere rem donatam, dum à donatore non repetitur, & á parentibus res monasterio donatæ non repetuntur. Non, inquam, obstant quia illorum doctrina solùm habet verum, quando donatarius certò scit, donationem per nativitatem filij fuisse revocatam; & in hoc casu, in quo monasterium ignorat nativitatem filij, & donationis revocationem, & convenit ea ignorare, ut patet ex dictis.

24 Tertiò probatur, quia aliæ conditiones ad licitam, & occultam compensationem requisitæ rectè observantur, servatâ famâ horum conjugum Religiosorum; quæ omnino observari debet. Et hac de causa nativitas filij monasterio revelanda non est, nec coram judice petenda est donationis revocatio. Et hæc compensatio ita fieri debet, ut nullus patiatur damnum. Nec potest contingere periculum revelationis sacrilegij, nec præsumptio illius, ita ut sit necessarium, quòd bona donata monasterio filio reddantur, cum hoc secretum in solis conjugibus existat; & sic cessant pericula, quæ compensationi obstare poterant.

QUÆSTIO LXI.

An filia nata ante septimum mensem à conjugio matris, dicenda sit filia mariti, aut illius, cum quo ante conjugium mater consuetudinem habebat in occasione dispensationis ad matrimonium?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Judicis arbitrio hoc committitur judicium.*
3 *Possunt sponsi recurrere ad Nuntium data certitudine morali.*
4 *Quando detur certitudo moralis.*
5 *Datur certitudo moralis ex nativitate filiæ ante septimum mensem.*
6 *Ex fama publica, & testimonio matris datur certitudo moralis.*
7 *Ostenditur ea certitudo ex non cohabitatione, nec frequenti visitatione cum marito, habita tamen cum parocho.*
8 *Possunt recurrere sponsi ad S. Pontificem pro tertio gradu, & in hoc continetur quartus.*
9 *Filia ut legitima educata, & in vita tractata, præsumitur legitima.*
10 *Fama sæpius est fallibilis, & testimonium matris in præsenti, si alijs non vestiatur indicijs.*
11 *Libro baptizatorum fides adhibetur in multis, non tamen quoad parentes baptizati in eo scriptis.*

1 MUlier infamata de mala consuetudine, quam habebat cum suo Parocho, ut suum honorem resarciret, cuidam homini nupsit, & ante septimum mensem octo diebus, fœminam peperit, & post illam, alios filios mense nono consueto. Omnes in libro Baptizatorum patrem habuerunt illum, cui nupserat. Hanc filiam à conjugio natam ante septimum mensem volens quidam adolescens ducere; dubitatum fuit de parente illius filiæ in ordine ad dispensationem; nam si filia esset genita à matris suæ marito cum illo adolescente in tertio consanguinitatis gradu erat conjuncta; & dispensatio maioribus sumptibus, & maiori interposito tẽporis intervallo à

Romana Curia obtinenda erat; sin autem à Parocho, ante celebratum matrimonium cõcepta, genita fuisset, cum illo adolescente in quarto gradu consanguinitatis erat conjuncta; & à Nuntio absque tanta dilatione, & sumptibus dispensationem obtinere poterant. Hæc considerantes mater, & filia, & cum jam essent defuncti, & maritus illius & dictus parochus, spreto bono nomine, si forsan aliquod bonum retinebant, Vicario Generali petitionem interposuerunt, ut matrimonium celebraretur inter filiam, & eum adolescentem; & in ea asserebat mater filiam suam filiam esse parochi jam vita functi, & conceptam priusquam suum matrimonium esset cum suo marito celebratum, ut fuerat; & erat famæ constans in ea parochia, quod facile probatura, & testibus, & proprio juramento; & filiam suam nõ in tertio, sed in quarto consanguinitatis gradu cum eo adolescente futuro sponso esse conjunctam. Quæritur.

An pro dispensatione quarti gradus possint dicti sponsi ad Nuntium recurrere, omissa dispensatione pro tertio gradu S. Pontificis?

RESOLUTIO.

2 Respondeo primo loco, hanc resolutionem dependere ab arbitrio Iudicis, qui consideratis testium dictis, & dictæ matris juramento, & alijs conjecturis, quæ efficiant certitudinem moralem, illam fœminam esse filiam parochi, & non mariti propriæ matris, judicium proferet. Nam quando de aliquo impedimento matrimonij dubitatur, illius dubij judicium ad judicem Ecclesiasticum pertinet. Ut ex Sanch. *l.2. matr. disp.45. n. 5. & disp. 46. n.7* colligitur, & alijs apud ipsum Sanch.

3 Secundo loco respondeo, posse dictos futuros sponsos recurrere ad Nuntium pro dispensatione quarti gradus consanguinitatis, omissa dispensatione S. Pontificis pro tertio. Ratio est quia data certitudine morali, hanc esse filiam parochi, & non mariti propriæ matris, in utroque foro dicendum est, esse filiam parochi, & non proprij mariti ipsius matris, ut expressè docet Molin *tom 4. de just. tract. 3. disp 101. n.2. prope finem*, loquens de filio adulterino, ibi: *Sunt autem semper in ejusmodi eventibus attendendæ circunstantiæ omnes occurrentes, & quidem si tales sint, quæ moraliter, secluso dubio persuadeant, eum filium esse genitum ex adulterio, talis est reputandus, etiam ut excludatur ab hæreditate mariti, & uxoris, & ut spurius, quoad omnia habeatur: in dubio vero qualicunque, quod vere rem minimè moraliter certam esse sinat, &c.* Idem tenent, & supponunt ut certum plures: sed datur certitudo moralis, quod dicta fœmina sit filia parochi, & non mariti propriæ matris: ergo. Maior est communis.

4 Minor probatur, quia illa dicitur certitudo moralis apud Sanch *l.2 de matr. disp. 45. n. 4* qua vir prudens attentis circunstantijs redditur certus; Idem Tamburin *l. 8. de matr. tr. 1. cap. 10. n. 3* & Lessius *l.2 de just. cap 10 n. 39.* illam intelligit, quando prudenter ita creditur, ut contrarium nullo modo videatur probabile, & Bonacin. *tom. 1. de matr. q. 3 punct. 10 num. 11.* illam, quæ prudentis arbitrio sufficit, ad credendum priorem conjugem esse mortuum; & nos dicamus, quæ prudentis arbitrio ad credendum sufficit, hanc fœminam esse filiam parochi, nulla habita ratione verisimilitudinis, probabilitatis, & multo minus dubij negativi: sed hæc certitudo moralis concurrit ex circunstantijs in hoc casu, quòd illa matris filia parochi sit filia: nam certitudo methaphysica haberi nequit, cum ea pendeat à facto matris, quod Deo solùm notum est.

5 Quòd verò hæc certitudo moralis ex circunstantijs detur in præsenti casu, probatur. Quia ex ipso *lib. baptizat. & l Matrim. celeber.* constat, eam filiam natam fuisse ante septimum mensem à die celebrati matrimonij: sed ex communi medicorum opinione apud Francisc. Valesium *l.2 controv cap.9* partus, non nasci perfectos ante septimum mensem, sed tantum absoluto septimo, nono, & decimo. Idẽ sentit Gobat. *tom.2. Experient. Theolog. tract. 8. n.437.* ibi: *Quamvis natus sis septimo mense, post nuptias tuorum parentum, vel duodecimo mense, post mortem mariti matris tuæ, non ideo tamen dicendus est, esse furto genitus, rationem attuli in cit. l. cap.28 n 97. & seqq.* sed dicta filia perfecta nata est ante septimum mensem à nuptijs parentum: ergo non à marito matris, sed à parocho genita fuit. Ut hæc tamen ratio vim habeat, duo illi addenda sunt, quæ data fuerunt. Primum, quod accedat fama publica. Secundùm quod maritus ante celebratum matrimonium cum matre non cohabitasset, nec frequenter eam visitasset.

6 Probatur primum: quia mater hujus filiæ ante celebratum matrimonium infamiam cum ipso parocho patiebatur, & erat fama constans, per totam parochiam, filiam non ex proprio marito, sed ex ipso parocho, esse genitam: sed hæc cum testimonio matris jurato, moralem inducunt certitudinem, eam filiam non mariti, sed parochi esse filiam.

7 Secundum necessariũ ad certitudinem moralem est, maritum non cohabitasse, nec frequenter visitasse matrem dictæ filiæ, quam ducere intendebat, & è contra, constat matrẽ pro eo tempore cum parocho cohabitasse, aut illius domum frequentasse, aut parochum ipsius matris domum: & si dicitur, hæc evenire erga parochum, & non maritum, datur certitudo moralis, eam filiam non mariti, sed parochi esse filiam. Ex dictis satis constat, dispensationem à Nuntio esse obtinendam, si ad S. Pontificem nolint recurrere, quia data certitudine morali, ut dicta probant, sponsi futuri

turi non in tertiò, sed in quartò consanguinatis gradu sunt conjuncti.

8 Dixi, *Si ad S. Pontificem recurrere nolint*: nam in præsenti casu possunt narrantes ijdem sponsi, se esse in tertio consanguinitatis gradu conjunctos, nam quamvis detur certitudo moralis, sponsos esse tantum quarto consanguinitatis gradu conjunctos, quod in præsenti sufficit; non datur tamen certitudo methaphysica; & obtenta in eo tertio gradu dispensatione, etiam in quarto manent dispensati; nam quartus gradus in tertio continetur, ut cum Sanch. Basil. Ochag. Hurt. & alijs tradit Leand *tom. 2. tract 9 de matr. disp 24. q. 45.*

9 Nec contra supra dicta obstat 1. quòd dicta filia semper fuit tractata, & habita, ut legitima ab ipso marito, & illius uxore, & matre dictæ filiæ: sed ubi hoc datur, tam fortis assistit præsumptio, ut non elidatur assertione matris in contrarium, etiam jurata, & jam in articulo mortis, ut affirmat Navarr. *l. 1. consil. de filijs presbyt.* quem sequitur Gobat. *tom. 2. tract 8. n. 432.* & in dubio sic præsumitur, Gobat. *ibi n. 436* cum Covarr & Mascard. *& tract 9. n. 449 in append. lit. Cc. & seqq.* Non, inquã, hæc obstat, quia non habent locum, quando dantur supradicta, quæ certitudinem moralem inducunt.

10 Non obstat 2. quia non videtur sufficere fama asserens eam esse filiam parochi, cum juramento ipsius matris; quia fama sæpe oritur ex authore incerto, & fallaci, aut ex suspicione, vel auditis à matre nunc, quando vult filiam nubere, ut minores fiant sumptus. Deinde fama, ut probet, per maiorem parochiæ partem serpere debet, si autem per minorem, v. g. tertiam, vel quartam partem, jam non dicitur fama, sed rumor, qui non probat. Sanch *l. 1. de matr. disp. 71. n. 18.* Nec matris juramento fides adhibenda est, cùm sit unius tantùm, ut habetur *in l. Maritus ff. de quæst.* & expresè tenet Molin. *dict. tom. 4. disp. 101 n. 3.* & ut matrimonium contrahatur, unius non est standum testimonio, quamvis ne contrahatur, sufficiat; nam in negatione matrimonij contrahendi agitur de vitando peccato Sanch. *dict. disp 71 n. 4 juncto num. 10* Dicastill *tom. 3 de Sacram disp. 3. nu. 291.* Gobat. *dict. tom. 2. tract 9. n. 66.* Addo, mulieri suo testimonio suam prodenti infamiam in judicio, ut minores in dispensatione fiant sumptus, nullam fidem esse adhibendam. Non, inquam, hæc obstant; nam respondetur, ea omnia vera esse, cũ tamen sint vestita talibus adminiculis, & conjuncturis [de quibus supra] quæ moralem certitudinem efficiant, standum est, & judicandum, quòd dicta filia, non mariti, sed parochi sit vera filia.

11 Non obstat 3. quod liber baptizatorũ plenam facit probationem in quocunque tribunali: sed in libro baptizatorum hujus parochiæ, dicta filia pro patre habet maritum propriæ matris: ergo. Non, inquam, hoc obstat, quia concedo, plenam libro baptizatorum dari fidem, quando agitur de ipso baptismate vere collato, de ætate, & patrinis, ut bene docent cum Mascard. Rebuff Francisc. Molin. & alijs plurimis Barbos. *de potest paroch part. 1. cap. 2. n. 4.* Quintanãd. *tom. 1. singul. tract. 2. singul. 12 n. 2.* Gobat *tom. 1. tract 2. cas. 17. nu. 590. & 591.* At illi non datur plena fides, nec probat de parentibus in eo libro filijs datis; quia parochi sæpius illos ignorant, & si norant propter scãdalum, aut alicujus infamiam, illos non scribunt, sic Quintanad. *cit. n. 6. in fine.* Gobat *dicto n. 591.* Imo *n. 592* addit, aliquos viros doctos reprehendere parochos, qui absque reverentia status sacerdotalis, & Religiosi, illos pro parentibus in eo libro scribunt, à qua scriptura præstat abstinere.

QUÆSTIO LXII.

An Ordinarius Diæcesis Portugallensis possit Diæcesano Conimbricensi incarcerato, & ad mortem damnato dare licentiam, ut matrimonium valide contrahat coram parocho incarceratorum, & in denuntiationibus dispensare?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Valde probabile est, & posse; & dispensare in denuntiationibus.*
3 *Habens animum habitandi per maiorem partem anni in aliqua civitate, licet ea medietas transacta non sit, potest coram illius parocho matrimonium valide celebrare.*
4 *Proprius parochus ad matrimonium dicitur, qui est proprius ad confessiones audiendas, ex Sanch.*
5 *Obtinens Conimbricæ domicilium, migrans ad Civitatem Portuensem brevi rediturus potest coram parocho Portugallensi matrimonium celebrare.*
6 *Opposita sententia est probabilior; probabilis tamen tradita.*
7 *Invitus potest quis domicilium mutare.*

1 PEtrus Conimbricensis incola, in hujus civitatis carcere vinctus, ob capitale crimen, ad civitatem Portugallensem authoritate Relationis missus fuit. Illum secuta fuit Maria, cum qua per aliquod tempus turpiter vixerat, & filiolum habebat, ut illi in carcere detento, foris inserviret. Post duos aut tres menses Petro sententia mortis intimata, vult Mariam ducere, ut honorem deperditum resarciat, & filiolum legitimet. At in illius tridui brevissimo tempore, quod damnatis conceditur ad animæ salvationem, ad Civitatem Conimbricensem pro licentia ad contrahendum matrimonium coram alio sacerdote,

cerdote, & denuntiationum dispensatione recurri nequit. Quæritur: an Vicarius Portugallensis generalis eam possit cõcedere licentiam, & dispensationem; & parochus incarceratorum illi matrimonio valide assistere?

RESOLUTIO.

2 Respondi posse, & dispensare in denuntiationibus, & jubere Victoriæ parochiæ Abbati, incarceratorum etiam parocho, ut illi matrimonio assisteret, alijs adhibitis testibus, juxta *Trid. sess. 24. de reform. matr. cap.* 1. Ad dispensationem denuntiationum brevitas urgebat temporis. Ut assisteret parochus illi matrimonio; hæc eum movebant probabiles rationes.

3 Prima, quia Petrus incarceratus animũ habuit habitandi per maiorem anni partem in civitate Portugallensi, nam ejus negotium, cum esset capitale, minorem non exigebat habitationem. Similiter Maria, quia eum deserere, non intendebat, dum vita fungeretur: sed qui habent animum habitandi per maiorem anni partem in aliqua parochia, licet non sit transacta medij anni pars, possunt coram parocho suæ habitationis, & testibus valide contrahere matrimonium, ut aliquibus citatis asserunt Sanch. *l.* 3 *de matr. disp.* 23. *n.* 13. & ad intentum *n.* 14. Card. de Lug *in respons. moral. l.* 1. *dub.* 37. *n.* 4. Hurtad *de matr. disp.* 5. *diff.* 10. Tambur. *l.* 8. *de matr. tract.* 6 *cap.* 2 § 5 *num.* 10. Barbos *in Collect. ad cit. locum Trid. pluribus latè cit. n.* 6 & 15. Dicastill. *tom.* 3 *de Sacram. disp.* 3. *n.* 47. Basil Pont. *l.* 5. *de matr. cap* 13 *n.* 1. Leand. *tom.* 2. *tract.* 9. *de matr disp* 7 *q.* 18 Bonac *tom* 1. *q.* 2. *de matr punct.* 8. *n.* 1. & alij, quos citant; ergo dicti Petrus, & Maria, concessa dispensatione denuntiationum à Prælato, coram Abbate Victoriæ, incarceratorum parocho, validè matrimonium celebrare possunt.

4 Secunda ratio; quia ille dicitur proprius parochus ad aliquos matrimonio conjugendũ, & ad dãdũ alijs licentiã conjũgendi juxta *Conc. Trid cit dict. sess.* 24. *de reform. matr. cap.* 1. qui *in cap. Omnis utriusque, de panit. & remiss.* appellatur proprius sacerdos ad audiendas confessiones, & ad dandum alijs licentiam ad illas audiendas, ut pluribus relatis, docet Sanch. *citat. dict. l.* 3. *de matr. disp.* 23 *n.* 10. Sed Abbas Parochiæ Victoriæ est proprius sacerdos, & parochus incarceratorum Relationis ad audiendas eorum confessiones, & ad dandum alijs licentiam ad eas audiendas: ergo data dispensatione denuntiationum ab Ordinario poterit cum testibus assistere illi matrimonio incarceratorũ & validè illud contrahent Petrus, & Maria.

5 Tertia, quia ille, qui Conimbricæ obtinet domicilium, & migrat ad civitatem Portugallensem brevi rediturus, potest coram Portugallensi parocho matrimonium celebrare. Sic Sa expurgatus *Verb. Matrimonium n.* 2. & *verb. Parochus n.* 2. ibi. *Ad matrimonium sufficit, vel modica habitatio*, Basil. Pont. *l.* 5 *de matrim. cap.* 13. *n.* 4. & *seqq.* ubi pro hac parte duas affert Cardin. Declarationes, Leand *tom.* 2 *tract.* 9. *de matrim. disp.* 7. *q.* 20. hanc, & oppositam sententiam vocans probabilem; & satis esse probabilem, inquit Escob. *tom.* 3. *l.* 28. *sect.* 2. *dubio* 89 *n.* 456. Pro hac etiam sententia citari potest Barbos. *in Collect. ad cit. locum Trid n.* 12. ubi inquit, validum fuisse matrimonium cujusdam juvenis cum meretrice, qui dubitaverat in propria civitate contrahere, adhibendo Conc. Tid. solemnitates, eo quod juvenis parentes eis impedimentum de facili facturi erãt & propterea Romam venerunt, & coram parocho, & testibus in parochia; in qua aliquantulum permorati erant, matrimonium contraxerunt per verba de præsenti. Sic Barbos. citans Aldanum, attestantem decisum *in Senen.* 17. *Maij* 1660. ergo quamvis prædicti Petrus, & Maria domicilium Conimbricæ habuissent, & migrassent ad civitatem Portugallensem brevi rediturí, poterant coram parocho suæ habitationis, in ea civitate matrimonium validè contrahere.

6 Nec obstat 1. contra hanc tertiam rationem opinio communis, & probabilior, quã sequuntur plures DD. quos latè citant Leand. & Escobar. *ll. cit.* & sequuntur Dicastill. *tom.* 3. *de Sacram. disp.* 3 *n.* 48. Tambur *l.* 8. *de matr. tract.* 6 *cap* 2 § 5 *n.* 11 Gobat. *tom.* 2. *tract.* 9. *n.* 508 Barbos *cit. n.* 16. *ubi alios* affert à prædictis non allatos Et Card. de Lug *supra cit. n.* 12. inquit, sententiam Basil. communiter non admitti, & Castr. Palaus *tom.* 5. *disp.* 2 *punct.* 13. § 9. *n.* 8. *Vers. Caterum*, ait, sententiam Basil. Pontij nullam speciem probabilitatis habere: ergo illa tertia ratio à nobis in cõfirmationem nostri consulti adducta nihil probat, licèt aliæ allatæ id probent. Non, inquam; hæc obstant; nam licet fatear, oppositam sententiam esse probabiliorem, quia est communior, & plurium DD. authoritate munita; negari nequit traditam tertiâ ratione esse probabilem: habet enim pro se Declarationes Sacr. Card. Congr. ut vidimus *ex cit. DD.* Basil. & Aldan & insuper graves DD. qui vel illam sequuntur, ut Sa, Basil & Barbos. Aldan. vel illam probabilem dicunt, ut Leand. & Escob. & opinio, quæ hæc habet, improbabilis dici non potest. Ad id, quod de illa dixit Card. de Lug. respondet Escod *cit.* pace illius, sufficere sibi authoritatem P. Emm de Sa, nulla de Basil. facta mentione; De dicto P. Castr. Palai, notitiam non habuit; sufficiunt tamen jam dicta, quæ satis indicant, eam opinionem nõ posse dici improbabilem.

7 Nec obstat 2. quia Petrus, & Maria nõ mutarunt domicilium, quia Petrus invitus ad carceres Relationis Portugallensis fuit jussus, ut ibi sententia capitis in eum proferretur, & executioni mandaretur: ergo ex invita jussione matrimonium validè contrahere non poterant.

rant. Non, inquiam, hoc obstat 1. Quia negatur antecedens, nam invitus domicilium contrahit, ut patet in mancipijs à propijs laribus abstractis, ad hoc Regnum, in quo invicti domicilium contrahunt, & matrimonia celebrant. Et hoc aperte constat ex casu adducto à Barbos. *in Collect. ad Trid. citi loco num.* 11. de quadam muliere, ad quoddam oppidum jussu Principis secularis, translata, ad submovenda scandala, cum præcepto illinc non discedendi, donec aliud statutum non esset; & post quartum mensem in eo translationis oppido, coram parocho, & testibus matrimonium contraxit. Et fuisse validum defendit Aldanus *in compend. canon. resol. l. 1 tit. 8 n.* 10 & fuisse *decisum sub die 16. Junij* 1621. per doctrinam Decian. *tract. crim. l. 4. cap.* 16. & aliorum quos refert Sanch. *l. 3. cap.* 23. Sic in nostro casu: Petrus jussu Relationis translatus fuit, ex civitate Conimbricenci, in qua suum habebat domicilium, ad Civitatem Portugalensem, & illud perdidit domicilium, licet invitus, & hoc Portugallense acquisivit; & sic poterit secundo, aut tertio mense, coram parocho, suæ habitationis, & testibus, matrimonium valide celebrare. Addo, si Petrus sententiam capitis sibi timebat proferri, jam perpetuum habebat domicilium, ubi certò existimabat mortem subiturus. Respondeo secundo, quamvis requiratur proprium domicilium, licet inceptũ cum animo ibi permanendi, ut illius parochus dicatur proprius ad assistentiam matrimonij contrahendi; sufficit tamen, quòd contrahentes habeant quasi domicilium in eo loco, quod quasi domicilium tunc datur, quando datur animus ibi permanendi per medietatem anni, etiam intentione aliquod ibi gerendi negotiũ, ut *jam supr nu.* 4. cum communi DD. dictum est; & docet etiam Dicastill. ibi *cit. dict. disp.* 3. *n.* 47. Et hoc evenit in nostro casu. Ex dictis censui potuisse Ordinarium Portugallensem dispensare in denuntiationibus, & jubere Abbati Victoriæ incarceratorum parocho, ut illi matrimonio cum testibus assisteret.

QUÆSTIO LXIII.

A quo dispensatio ad petendum debitum pro foro exteriori obtineri debeat?

SUMMARIUM.

1. & 2. *Facti species.*
3 *Pœna privationis debiti, ab incestuosis, illam ignorantibus, non incurritur.*
4 *In foro externo non præsumitur illam ignorasse.*
5 & 6 *Spectata consuetudine, potest Episcopus pro foro interno, & non pro externo dispensare.*
7 *Commissarius Hispanus potest dispensare pro foro tantum interno, Lusitanus, nec etiam pro interno.*
8 *Mendicantes de licentia suorum Provincialium possunt, pro foro tantum interno.*
9 *An possint de licentia superiorum localium, ibi remissive apud Leandr.*
10 11. *Videntur Posse ex Bullis Nicolai Franqui, & Ludovici S. Marell. Cardin.*
12 & 13. *Nec obstat, quòd Bulla Ludovici præcesserit viva vocis oraculum, & quod fuisset declaratio oraculi Julij* 11.
14 *Occurritur remedio ipsis incestuosis pro foro externo ex jure, præsumpta Pontificis voluntate, & Mendicantium privilegijs.*

1 COntra Caietanum in judicio Ecclesiastico probatum fuit, non semel habuisse copulam cum sorore uxoris suæ, & mitius punitum, quem disponit *Ordin. Regia l. 5. Ordin. tit.* 17. §. 3. & per sententiam publice latam, jussum, ut dispensationem, ad petendum debitum, obtineret; & dum illam non obtineret, nullo modo cum propria uxore cohabitaret. Quæritur à quo possit hanc obtinere dispensationem?

RESOLUTIO.

2 De hoc casu olim fui interrogatus, & his diebus etiam similis occurrit calus. Et inveni à criminolo aliquos viros doctos fuisse consultos, quorum consulta non vidi. Accepi tamen à viro docto, Prælatum illorum, consultis non stetisse, ad quod facile me persuadeo, quia à DD. in his terminis hæc non agitur quæstio; quia eæ copulæ incestuosæ raro publicæ evadunt, vel probantur in foro exteriori.

3 Cæterum, quia hic casus non semel in praxi occurrit, ut constat *ex dictis num.* 1. & 2. quæritur quis possit pro foro externo dispensare ad petendum debitum; quæ petitio interdicitur conjugibus, qui copulam habuerunt cum consanguineis proprij conjugis in primo, vel secundo gradu, ex qua copula oritur affinitas cum proprio conjuge? Respondeo primò, incestuosos, hanc pœnam privationis debiti ignorante [ut ordinariè ignorant) illam non incurrere sic tenet communior, & probabilior opinio. Probatur, quia ignorantia, quæ excusat à culpa, etiam à pœna excusat, ut infertur *ex textu in cap. Cognoscentes, de constit. & ex cap. 2 de constit. in 6 & ex cap. Proposuisti dist.* 82. ubi agitur de clericis incontinentibus, & ibi inquit textus; *Ignorantibus venia non negabitur.* Hanc doctrinam extendunt DD ad delinquẽtem, de prohibitione actus scientem, ignorat tamen novum præceptum, pœnam inducens; quia dicunt solum delinquere contra præcepta, quorum habet notitiam, & non contra ea, quæ ignorat; & probant ex *cap. si vero 2. de sentent. excom. & ex cap. siquis cum duabus*, & *ex cap si quis cum matre* 34 *q.* 2 & convincitur *ex text. cit. in cap. Proposuisti, dist.* 82. Hæc latè videri possunt

possunt apud Castr. Palaum *tom. 1. tract. 2. disp. 1. punct. 17.* Sanch. *l. 9 de matr. disp. 32.* & Dian. *part 3. tract. 5. miscel. resol. 12.* ubi alios citat: ergo si prædicti incestuosi dictam pœnam privationis ignorabant; illam non incurrunt; sicut evenit his, de quibus hic agitur.

4 In foro autem externo non excusabuntur, quia ignorantiam allegantj onus incumbit probandi, quia lex publicè proposita ignorari nõ debet, & pro ipsa stat præsũptio. Sic cũ cõmuni Sanch. *l. 9 de matr. disp. 32. n. 4.* & pluribus relatis Barbos. *tract. de Axiom. 113. n. 12.*

5 Respondeo secundò, spectata consuetudine censetur verissimum, posse Episcopum dispensare, in petitione debiti, pro foro conscientiæ non solùm in necessitate, quæ non datur, cum facilis sit aditus ad Religiosos Mendicantes, ut inquit Castr. Palaus *tom. 5. disp. 4. punct. ult. §. 1. num. 15.* Sanch. *l. 8 de matr. disp. 12 n. 12* Sed absolutè, & semper. Non tamen potest pro foro externo. Quod possit pro foro conscientiæ absolutè, & semper, docent DD communiter [paucis exceptis] Paludan. Sot. Henriq. Petr. & Martin. de Ledesm. Sa. Rodrig. Tolet. & usque ad 27. DD. quos affert, & sequitur Sanch *cit. n. 13.* Castr. Palaus *proximè* Basil. Pont. *l. 8. de matr cap. 13. nu. 9.* Ioannes à Cruce *in sum. q. 4. de matr. art. 6. dub. 12. conclus. 3.* Machad. *libr. 4 part. 6. tract. 16. docum. 12. n. 3. & 4. & l. 6. part. 7. tract. 2. docum. 17.* Bonacin. *q. 3. de matr. punct. 15. n. 5.* Villal. *tract. 13. diff. 51 n. 5. & diff 52. n. 10.* Leandr *tom. 2. tract. 9. disp. 24. q. 15* Barbos. *de potest. Episc. 2. part. alleg. 35. n. 8.* Tambur. *l. 8. de matr. tract. 2. cap. 6 n. 2.* Fragos. *2 part. Regim. Reip. Christ. disp. 19 § 5. nu. 19.* Lumbier. *tom. 1. n. 196. & 197 pag. 347* quem citat, & sequitur Torrecill *de potest. & judicat. Episcop. tract. 1. q. 4. sect. 2. diff. 9. n. 101.*

6 Non tamen potest dispensare in ea petitione debiti, pro foro externo, quia nullus est textus, in quo ei ea potestas concedatur, & datur textus in quo prohibetur, nempe *in cap. Transmissæ, de eo qui cognovit consanguin.* Additur, quod hæc prohibitio oritur ex affinitate inter conjuges contracta, in qua solus Pontifex dispensare potest. Ex qua ratione, etiam plures DD. illi eam negant potestatem absolutè. G. Hurt. *disp. 26 diff. 2. n. 8.* Nicol. Garc. *part. 11. cap. 5. n. 355.* & alij quos citant. Et alij, qui eam concedunt ex recepta consuetudine, *n. præcedenti cit.* videntur intelligere, eam esse pro foro conscientiæ. Nam Sanch *supra nu. 12.* & Castr. Palaus *cit.* dicentes posse dispensare, quando non datur aditus ad commissarium Bullæ Cruciatæ, aut ad Mendicantes, certò explicant eam potestatem esse pro foro conscientiæ, nam Commissarius Hispanus Bullæ Cruciatæ, & Mendicantes solùm pro foro conscientiæ, eam habent facultatem; ut *n seqq.* dicetur. Et sic debent intelligi omnes alij DD. absolutè sequentes Sanch. non distinguentes de ea facultate, an sit solùm pro foro conscientiæ, aut etiam pro foro externo?

7 Respondeo 3. Commissarium Hispanũ, & non Lusitanum, posse dispensare in ea petitione debiti pro foro conscientiæ, non tamen pro foro externo; quia pro foro conscientiæ, & non pro foro externo illi ea conceditur facultas in sua Bulla, ibi: *Item Commissario datur facultas dispensandi in simili affinitatis impedimento, super debiti exactione in eodem foro conscientiæ tantum.* Tamburin. *cit dicta l. 8. de matr. tract. 2. cap. 6. n. 3* Dixi *Commissarium Hispanum & non Lusitanum*, quia Commissario Lusitano nec etiã pro foro cõscientiæ ea cõceditur facultas in Bulla Lusitana.

8 Respondeo quarto Religiosos Mendicantes de licentia suorum Provincialium in foro conscientiæ tantùm, etiam post ablata vivæ vocis oracula dispensare posse cum incestuosis, ut possint petere debitum; quia per bullam habetur hoc privilegium. De hoc privilegio fusè agunt Thom Hurt. *2 moral. qq. tract 12 cap. 1 a n. 1193.* G. Hurt *disp. 26. de matr. diff. 2. n. 8.* Lotth. *tract. 1. ref. q. 2. art. 5.* Dian. *part 11. tract 8, ref. 16. ubi, an extra confessionem*, Pellizar. *in Man. Regul. tom. 2 tract. 8 cap 3. nu. 274.* Hanc facultatem tradi à privilegio ex privilegio Bullato Iulij 11 tenet Leand. *tom. 2. tract. 9. disp 24. q. 16.* Stans pro privilegio B. Pij V. non Bullato, quia non fuit revocatum à Gregorio XV. nec ab Urbano VIII. quia ille non revocavit privilegia vivæ vocis oraculo concessa; quæ suum sortita sunt effectum, ante Const. revocatoriam ab eo latam, at hoc privilegium, jam suum sortitum erat effectũ. Et hic, nempe Urbanus revocavit vivæ vocis oracula, quæ mere talia sunt: at hoc privilegium non erat mere vivæ vocis oraculum. Et Hæc etiam approbat Card. de Lug. *in addit. manu scriptis super nostra privilegia, Verb. dispensatio, post §. 8. ut infra* dicetur.

9 An verò Regulares, non solùm de licentia suorum Provincialium, sed etiam de sola licentia suorum superiorum localium v. g. Gardianorum, Priorum, Rectorum &c. possint dispensare cum dictis incestuosis ad petendum debitum? Vide Leandr. *proximè q. 17.* ubi refert opiniones negativam, & affirmativam; ille verò mediam sequitur, nempe posse Priorem, seu Præsidentem eam licentiam concedere tribus, aut quatuor Monachis ejusdem conventûs, tam intra, quam extra monasteriũ, ad nutum revocandam.

10 Existimo tamen resolutionem affirmativam tradi *in Bulla Nicolai Francisci in Hispania Legatis à latere, 8. Iulij anni 1476.* quæ refertur in Bullario Fr. Emm. Rodrig. *inter Bullas Sixti V. n. 42.* Quæ bulla quamvis in individuo non loquatur de hac dispensatione ad petendum debitum; loquitur de absolutione omnium pœnarum; & prohibitio petendi debitum etiam est pœna, ut docet Sanch. *l 8 de matr. disp. 12. n. 13. & l. 9. disp. 32. n. 43.* Et hæc

Bulla

Bulla est concessa Conventibus S. Benedicti ad superiores locales, ibi: *Ut Abbates, & Monachi ab ipsis deputandi, & ad libitum amovendi, possint absolvere, &c.* ut possint per se, aut per suos subditos a dictis pœnis absolvere, & dispensare.

11 Et in Bulla Cardin. Ludovici de S. Marcello Sum. Pœnitentiarij *dat. Romæ sub sigillo Pœnitent. 4. Kalend. Augusti anno 1. Pontificatus Julij 11. & est 23.* Et Card. de Lug. hanc Bullam multis rationibus approbat *loco supra cit.* & asserit illius vi, posse Regulares dispensare cũ dictis incestuosis, habita licentia à suis Prælatis localibus, ut patet ex verbis ipsius Brevis, ibi: *Nos igitur authoritate D. N. Papæ, cujus Pœnitentiariæ curam gerimus, & de ejus speciali, & expresso mandato, super hoc vivæ vocis oraculo, nobis facto; ut tam vigore concessionis Apostolicæ prædictæ, quam verborum hujusmodi in ea appositorum, vos, & pro tempore existentes Abbates, & Monachi prædicti cum hujusmodi conjugatis, ut non obstante affinitate superveniente, debitum conjugale reddere, & exigere valeant dispensare libere, & licitè possitis, & possint perpetuo declaramus.* Ex quibus verbis colligitur, hanc facultatem omnibus concedi Religiosis absque licentia superiorum.

12 Nec obstat 1. quòd hic Cardin. Summ Pœnitentiarius hanc fecisset declarationem ex mandato S. Pontificis ex vivæ vocis oraculo facto. Non, inquam obstat, nam quamvis mãdatum ad hoc Breve fuisset oraculum, Breve, non illud est, nec potestas hujus Brevis est solum Pontificis mandatum, sed etiam specialis potestas ipsius Pœnitentiarij. Et dato, quòd alia non esset potestas, sed tantum concessum per hoc oraculum, adhuc non erat revocatum. Quia ut doctè inquit Card. de Lug *jam cit.* revocationem oraculorum, non revocare potestatem datam vivæ vocis oraculo, jam executioni mandato; & potestas hujus Brevis jam per multos annos erat executioni mandata, siquidem Breve jam erat factum, ut jam *supra dictum est.* Additur, potestatem adhoc Breve non fuisse privilegium, sed commissionem ad illud faciendum; & per revocationem privilegiorum, solùm ea revocantur; & non commissio ad illud Breve; maximè, quia jam erat executioni mandatum.

13 Nec obstat 2. dicere, hanc declarationem Cardin. Ludovici solùm fuisse declarationem oraculi Julij 11. & non concessionem; & declaratio nihil de novo concedit, sed tantùm ostendit, quòd concessum fuit; ut cum Bald. Ioann. Andr. Castr. Socin. & Decio ait *Rota Roman. decis.* 102. *numer.* 15. 1. *part.* apud Farinacium, *& in alijs tribus decis.* quas affert Tambur. *de jure Abbat. tom.* 2. *disp.* 13. *q.* 12. *numer* 5. Mascard. cum pluribus, *de probat. conclus.* 124. *numer.* 26. Stephan. Gratian *discept. forens. tom.* 4 *cap.* 754. *numer.* 27. & Doctores communiter. Non, inquam, hoc obstat; nam licèt hæc declaratio nihil de novo concesserit, nisi quod antea erat concessum per Iulium 11. attamen id concessit per modum novum; quia per Breve concessit, quod erat concessum solùm per oraculum à Iulio 11. Et equidem ita tenet Ioann. à Cruce *in Epitome de Stat. Relig. l.* 2. *cap.* 6. *dub.* 9. Dian. 3. *part. tractat.* 2. *de dub. Regul. res.* 14. *Vers. Nec peregrinos* Henriq. *l.* 11. *capit.* 15. *numer.* 11. *in Gloss. lit. T.* Mirand. *in Manual. Prælat. Regul. tom.* 1. *q.* 47. *art.* 1. *concluſ.* 1. Lezan. *tom.* 3. *Verb. Affinitas nu.* 4. Novar. *in Lucern. Regul. Verbo dispensare n.* 5.

14 Ex dictis constat, nullum, præter S. Pontificem posse pro foro externo dispensare in pœna petendi debitum, cum incestuoso, nam ut dictum est, non potest Episcopus, nec potest Nuntius; nam habet eamdem facultatem, quàm Episcopus, non potest Commissarius Generalis Cruciatæ, nec possunt Regulares, qui sunt judices tantùm pro foro interno. Quo ergo remedio pro foro externo dictis incestuosis occurrendum est? Respondeo, si detur urgens necessitas cohabitandi cum suis uxoribus, quia ipsæ petunt, & volunt ipsam cohabitationem, ut illis reddant debitum, ut tenentur ex Iustitia, non obstante, quod ipsi viri non habeant dispensationem pro foro externo, & in eo foro probatus sit incestus, & lata sit sententia à Iudice Ecclesiastico, quòd ipsi incestuosi dispensationem petendi debitum pro eo foro obtineant. Hæc resolutio exprimitur *in cap. Transmissæ, de eo qui cognovit consang. uxor. suæ.* ibi. *Non cognoscat eam quandiu vixerit, nisi ab ea fuerit requisitus: & tunc ad ipsam non sine gravi cordis dolore accedat.* Ubi duo ponderanda veniunt; Primum, hos incestuosos non posse reddere debitum suis uxoribus, nisi quoties lege justitiæ ad illud redendum adstringuntur: Secundum, quod illa verba textus: *non sine gravi cordis dolore*, important coactionem ab uxoribus lege justitiæ factam. Et ita habetur apud Sylvestr. *verb. matrimonium.* 8 *q.* 15. *dict.* 7. & Petr. de Ledesm. quos referunt, & sequuntur Sanch. *l.* 9. *de matr. disp.* 6. *numer.* 14. Barbos. *in collect. ad citat. text. Transmissæ, numer.* 5. Et cum ex hac uxorum exactione, incestuosi cogantur reddere debitum suis affinibus, tales factæ per copulam cum suis sororibus habitam, in qua exactione fortius est vinculum Iustitiæ, quàm incestus, quod committitur cum ipsis uxoribus affinibus factis. Et cum ex illa cohabitatione oriatur periculum incontinentiæ in ipsis viris, poterit Episcopus ex præsumpta Pontificis voluntate dispensare, ut ipsi petant; sicut potest ex urgentissima necessitate, dispensare in publica consanguinitate, ut dictum est *supra quæst.* 36. & sicut potest absolvere à crimine publico reservato Summo Pontifici eum, qui Summũ Pontificem adire nequit, ut cum pluri-

bus docet Leand. *tom.* 4. *tract.* 2. *disp.* 17. *q.* 58. Et data hac exacta petitione ex parte uxorum publica, ad cohabitandum cum suis viris, ut illis reddant debitum, quando ab ipsis uxoribus exactè, & ex debito justitiæ petatur: existimarem posse etiam dictos viros dispensationem petendi debitum obtinere, non à Comissario Cruciatæ Lusitano, quia eam non habet facultatem, ut *supra dictum fuit*, sed à Mendicantibus Regularibus confessarijs. Nam facta uxoribus publicè dicta petitione, ut illis cohabitent, ut illis reddant debitum, quando ab illis, ex debito justitiæ petatur, manet licentia in foro conscientiæ a Mendicantibus concessa, ut ipsi etiam petant.

QUÆSTIO LXIV.

Ad quid teneatur defloror Virginis serio illi matrimonium promittens, si parentes nolint, ipsâ volente, matrimonio tradere?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Defloror Virginis sub promissione matrimonij tenetur illam ducere per matrimonium consummatum.*
3 *Si parentes defloratæ recusent illi eam tradere, non potest alium sumere statum.*
4 *Hic non admittitur opinio Gravissimorum DD.*
5 *Nec opinio Vasq. & aliorum DD.*
6 *Tenetur ut probabilius defloror, inducere parentes ad præstandum consensum, si potest.*

1 HIppolitus copulam à fœmina nobiliore, & dictiore extorsit, illi seriò promittens, se eam ducturum. Stat promissioni, parentes tamen renuunt, etiam in suspicionem defloror venientes: Defloratæ animo firmo persistit, Hippolyto nubere volens. Hippolytus invitis parentibus non audet matrimonium contrahere, quia dotem non habebit, & cùm non sit dives, alia non levia patietur incommoda. Quæritur 1 An parentibus filiam suam tradere recusantibus, liber in foro conscientiæ ab hac obligatione contracta maneat? 2. Per quantum temporis spatium expectanda sit resolutio, ut ordines, aut alium statum suscipere possit?

§. I.

An parentibus filiam suam in matrimonium tradere Hippolyto recusantibus, ab obligatione contracta, & damno illato, in foro conscientiæ Hippolytus maneat excusatus?

2 Respondeo primo loco, defloratorem Virginis cum vera matrimonij promissione, teneri ad matrimonium contrahendum, & consummandum, etiam si votum castitatis, aut Religionis ante, vel post defloror emisisset. Sic Less. *de Just. l.* 2 *cap.* 10. *dub.* 3. & 4. Valq. *in opusc. de restit. cap.* 3. §. 2. *dub.* 6. Sanch. Ægid. Coninch. quos afferunt, & sequentur Card. de Lug. *tom.* 1 *de Just. disp.* 12. *sect.* 3 *per totam*, Gobat in Exper. Theol. *tom.* 2. *tract.* 10. *num.* 127. *& seqq.* Tambur. *l.* 7. *decal. cap.* 5. § 3 *numer.* 34. Dian. 3 *part. tract.* 4. *resol.* 280. contra aliquos, in prædictis omnibus non convenientes. Ratio est quia illa promissio cum ea conditione, fuit contractus onerosus, & posita conditione ex parte Virginis obligat promissio, quæ importat matrimonium, & illius consummationem. Vide dicta *supra q.* 49. *a n.* 6.

3 Secundo loco respondeo ad quæstionem, non posse statim defloratorem ordines suscipere, cum defloratæ parentes expressè recusant, illam ad matrimonium tradere; quia expressè illa inquit se illi nubere velle; quia sponsalia ab illis contracta, mutuo illorum consensu, & non consanguineorum dissolvuntur. Est communis DD. doctrina Dicastill. *tom.* 3. *disp.* 1. *numer.* 183. cum Sanch. *l.* 1. *matr. disp.* 62. *numer.* 2 & 6 Basil. Pont. *l.* 12. *capit.* 9. *numer.* 1. Castr. Palao *tom.* 5 *de sponsal. disp.* 1. *punct* 17. *numer.* 2. & Leandr. *tom.* 2. *tract.* 9. *disp* 2. *quæst.* 17. ergo cum hæc defloratæ adhuc persistat in suo consensu nubendi defloratori, non potest ille ordines suscipere, nec alium sumere statum, quamvis parentes expressè matrimonio repugnent.

4 Nec obstat 1. quòd graviissimi Doctores loquentes de defloratore fictè promittente matrimonium, volente promissionem fictam adimplere, si parentes efficaciter repugnent, asserunt, defloratorem ad nihil teneri, quia sufficit, esse paratum ad illam ducendam, hoc enim promisit, & sic tuæ satisfacit promissioni. Sic Sanch. *l.* 1. *de matr. disp.* 10. *num.* 15. Less. *l* 2. *de just. cap.* 10. *dub.* 3. *num.* 27. Gutierr. *in qq. canon cap.* 10 *num* 13 Molin. *tom.* 4 *de Just disp* 106. Bonac. *tom.* 1. *q.* 1. *de Sopnsal. punct.* 2. *num.* 10. Card. de Lug. *tom* 1. *de Just. disp* 12. *numer.* 29. Dicastill. *tom.* 3. *disput.* 1. *dub.* 11. *numer* 180. Tamburin. *l.* 7. *decal. cap.* 5. §. 3. *numer.* 48. Sed idem dicendum est de serio promittente; ut inquit ipse Tambur *num.* 42. *in fine*, & omnes cit dicere tenentur: ergo dictus Hippolytus defloror, ab obligatione ducendi defloratam manet liber; & potest ordines suscipere, & alium sumere statum. Non, inquam, obstat tot doctissimorum opinio, quia ex consensu defloratæ, ut proximè dictum est *num. præcedente*, & non ex repugnantia parentum, absque ulla culpa defloratæ, quæ defloratori expressè vult nubere, dici non potest, defloratorem manere liberum ad summendum quemcunque statum, manente defloratæ cum damno

no irreparabili absque sua culpa, & culpa defloratoris, qui tenetur expectare aliud commodius tempus, ut promissionem adimpleat, ut infra dicetur, & probabitur teneri. Si tamen hic deflorator consensum à defflorata obtineat, vel illa nolit, illi nubere, tunc ad nihil tenebitur, & de alio statu poterit curare; ut ipsi DD. citati rectè docent Cardin. de Lug. *n.* 28. Tambur. *n.* 48 *& etiam citati.*

5 Nec obstat 2. aliorum DD. placita dicentium, in præsenti casu repugnantiæ parentum, teneri defloratorum damnum relarcire, constituendo dotem defloratæ, ne absque sua culpa damnum patiatur. Sic Vasq. *in opusc. de restit.* § 1. *dub.* 3. *numer.* 22 *in fine*, & ante illum Navarr. *in sum. capit.* 16. Sylvest. *Verb. Luxuria q.* 5. *in fine*, Henriq. *l.* 11. *de matrim. capit.* 11 *numer.* 2 Turrian. *disp.* 30 *dub.* 4 *num.* 18. & alij plures. Non, inquam, hoc obstat, quia defloratur dotem non promisit, sed matrimonium; & defflorata expresè non vult dotem, sed matrimonium promissum. Et consentium DD. *supra citati.*

6 Nec obstat 3. dicere Card. de Lug. *citat. n.* 29. *in fine.* dictum defloratorem non teneri inducere parentes defloratæ, ad præstandum illi matrimonio consensum, etiam si facile possit, quia ad id non se obligavit, sed ad ducendam defloratam. Non, inquam, hoc obstat, quia probabilius videtur, teneri ipsum defloratorem, si facile potest, inducere parentes, ad illorum assensum obtinendum; nam qui aliquid promittit, implicitè etiam promisit, ponere media ordinaria, quæ faciunt ad implendam promissionem: artifex enim tenetur juxta suum statum ad laborandum, ut satisfaciat creditori. Sic Tambur. *cit. num* 48 *in fine* Et ita à defloratore factum est, ut suæ obligationi satisfaceret; at repulsus fuit. An verò ad alia teneatur? Ex § sequenti patebit.

§ II.

Per quantum temporis spatium expectare debet defloratur resolutionem, ut licite possit alium sumere statum?

SUMMARIUM.

7 *Longius tempus expectare tenetur, quam* [expectare tenetur *ille qui tantum contractum sponsalitium celebravit.*

8 *Si aliquis alicujus defloratur aliam ducat, viduus factus, tenetur ad prius matrimonium.*

9 *Nullo præfixo termino ad sponsalia finienda sunt quando petit illa, cui facta est promissio.*

10 *Quamvis aliqui dissentiant, non tamen in præsenti casu.*

11 *Stantibus sponsalibus, non consentiente sponsa, non est licitum suscipere ordines; Et ex omnium sententia, quando fuit defflorata.*

12 *Quando differtur matrimonium ex justa causa, tempus expectandum est juxta qualitatem sponsæ, & arbitrium prudentis.*

13 *Tantum tempus est expectandum, quantum sit necessarium ut impedimentum finiatur.*

7 Respondeo resolutionem præsentis quæstionis patere ex sequentibus conclusionibus. Prima sit, longius tempus expectare tenetur defloratur, qui sub matrimonij promissione virginem defloravit, quàm teneatur ille, qui tantùm sponsalia celebravit. Ratio est facilis, quia hic tenetur tantùm ratione contractus sponsalitis; at defloratur, & ratione contractus sponsalistis, & ratione damni illati, & geminata obligatio parit efficaciorem obligationem, ut cum Decian. & Card. Tusch. tradit Barbos. *tract. de axiom.* 105. *numer.* 13. ergo cum detur efficacior obligatio, expectandum est longius tempus, quando in brevi restitutio nocenda est creditori.

8 Secunda: Dum defloratur defloratam prædictam non ducit, suæ obligationi non satisfecit. Unde si hic, aut alius defloratur injustè aliud ineat matrimonium, & viduus efficiatur, non dum facta restitutione, tenetur ad prius matrimonium, non vi sponsalium, quia hæc fuerunt extincta, per subsequens matrimonium, sed rationi illati damni, cui non est satisfactum, & supereſt locus restituendi. Sic cum Adrian. Bartol. Henriq. & Ledesm. Sanch. *l.* 1. *de matr. disp.* 48. *num.* 5. Dicastill. *tom.* 3. *de Sacram. disp.* 1. *numer* 182. ergo in præsenti dum restitutio non fit nec condenatur, semper debetur.

9 Tertia: Quando sponsalia contracta sunt, nullo præfixo termino ad illa finienda, expectandum est tempus, quo petat illa impleri, cui matrimonij facta est promissio. Ita Sanch. *l.* 1. *de matr. disp.* 28. *n.* 2. Hurt *disp.* 1. *diffic.* 17. Villal. *tract.* 12. *diff* 9. *nu.* 2. Bonac. Perez Gutierr. quos refert Dicastill. *proximè dict. disp.* 1. *dubit.* 35. *n.* 529. & cum pluribus alijs Leand. *tom.* 2 *tract.* 9. *disp.* 1. *q.* 45. & Dian. *part.* 3. *tract.* 4 *resol.* 245. Ratio est, quia hoc est generale in omnibus debitis contractis, nullo præfixo solutionis termino, ex text. *in l. Debitores præsentes C. de pign.* Sed dictis sponsalibus nullus est præfixus terminus ad illa implenda, & defloratæ matrimonij facta est promissio: ergo expectandum est tempus, quo defflorata petat ut ad impleantur. Nec in ea temporis intercapedine poterit defloratur alium sumere statum.

10 Sententiam Sanch. & *citat.* tuetur Castr. Palaus *tom.* 5. *de sponsal disput.* 1. *punct.* 24. *numer.* 1. dissentit tamen, quia non sponsæ, sed judicis arbitrio id esse decernendum an mora sit sufficiens ad dissolvenda, aut finiēda sponsalia. At loquitur de sponsa non defflorata, & nō de nostro casu, in quo defflorata ex promissione defloratoris grave patitur damnū,

& ex sua parte adest impedimentum absque ejus culpa, ne mox sponsalia adimpleat. Idem pro nostro casu dicet Basil. Pont *l.* 12. *cap* 6 *nu.* 1. nam licet contra Sanch. sentiat; fatetur tamen dilationem esse concedendam, quando alter ex causa adimpletionem differre postulat ut patet in præsenti casu, in quo defiorata ex justa causa dilationem postulat.

11 Quarta: stantibus tantùm sponsalibus non est licitum suscipere ordines, non consentiente sponsa, quamvis licitum sit, Religionem ingredi propter illius perfectionem, ut alijs relatis, docet Sanch. *l.* 1. *de matr. disp* 47. *n.* 3. Ægid. Coninch. *disp* 23. *dub.* 3. *n.* 25 Rebell. *l.* 4. *de matr. q.* 9 *sect* 5 Castr. Palaus *tom* 5 *disput.* 1. *punct.* 19 *n.* 2 Dicastill *tom.* 3. *de Sacram. disp.* 1: *dubit* 32 *n.* 484 *in fine*, & apud ipsum Perez *de matr disp* 9. *sect.* 6. *a n* 4 & alij. Et quamvis cõtraria sententia sit probabilis, quam tuentur Basil. Pont. Ochag. Bonac Navarr. Sot. Dian. quos afferunt, & amplectuntur Aversa *q* 7. *de Sponsal sect.* 12. *Vers. Dici tamen*, Leand *tom.* 2. *tr.* 9. *disp.* 2 *q* 10. & Tambur. *l* 8. *de matr. tract.* 3. *cap.* 5 § 3. *nu.* 1. utramque sententiam judicans probabilem. At hi, & omnes DD dicũt esse illicitum, quando sponsa fuit defiorata sub promissione matrimonij, & non præstat consensum, non posse defioratorem suscipere ordines, nec ingredi Religionem; quia obligatio Iustitiæ præferenda est consilio, ut jam *supra n.* 2. & *q.* 49. *n* 6 dictum est: sed defiorata non præstat consensum, imo fatetur se velle defioratori nubere; ergo nec suscipere ordines, nec ingredi Religionem, nec alium sumere statũ potest defiorator.

12 Quinta ratio: Qui sponsalia cum aliqua celebravit, quæ justa de causa matrimonium differt, expectare tenetur tantum tempus; quantum, attenta qualitate sponsæ, & alijs circunstantijs, prudentis arbitrio sit decernẽdum, an sponsalia sit dissolvenda? ut tradit Sanch. *l.* 1. *de matr disp.* 54. *a n.* 10. & ex illo Ægid. Coninch. *disp* 23 *dub.* 6. *n.* 50 Rebell, *de rest part.* 1. *l.* 4 *q.* 8 *sect* 3 *n.* 15 Regin *l* 31 *n.* 261 Gutierr. *qq canon cap* 3 *n.* 6 Perez *de matr. disp.* 9 *sect.* 9. *n.* 1. Dicastill. *cit. d tom.* 3. *disp.* 1 *nn.* 531. & alij, quos citant. Idem tenet Castr. Palaus *tom.* 5. *de sponsal. disp.* 1 *punct.* 23 *n.* 3. id decernendum putans, non arbitrio prudentis, sed sententia judicis Ecclesiastici: quod admittendum non videtur, quando sponsalia non fuerunt jurata, docet Escobar *tom.* 3 *l* 24 *sect.* 2. *cap* 10 *n.* 271. Sed in præsenti casu datur justa causa ne matrimonium statim contrahatur; nam defioratori illud non vult contrahere absque voluntate parentum defioratæ, & parentes abnuunt; & ex parte sponsæ dantur tales circunstantiæ, nempe esse nobilem, & divitem, ex suis parentibus; quæ in hoc excessu non dantur ex parte defioratoris: ergo ex prudentis arbitrio cessare debet defiorator, ne ad alium statum divertatur; nisi prius, vel obtineat consensum defioratæ, vel à parentibus beneplacitũ ad matrimonium.

13 Quantum ergo tempus est expectandum? Respondeo, quantum sit necessarium ut impedimenta finiantur, ut dictum est; nam defiorando virginem nobilem, & se ditiorem, ad id se voluit obligare; debebat enim advertere parentes fenes illi matrimonio nunquam præstituros esse consensum; & si eam è domo parentis authoritate Iudicis Ecclesiastici extrahere non vult, propter incommoda secutura, expectet tempus, in quo impedimenta sint cessatura: existimet enim se in partem remotam v.g Brasiliã, post sponsalia discessisse, ad aliquod finiendum negotium, & si DD. non pauci, quos citat Dicastill *cit. n.* 539. ex *l. sape ff. de Sponsal.* dicunt teneri sponsam expectare; donec cesset negotium; quæ lex utpotè rationi consona, jure canonico *in cap. De illis, de Sponsa. & matr.* non est correcta; sic defiorator expectare tenebitur, donec cesset impedimentum, ob quod defiorata matrimonium differt; & paucis effluentibus annis non deerit mutatio in voluntatibus, & vita, ut possit hũc, vel illum sumere statum, tutâ conscientiâ.

QUÆSTIO LXV.

Supponũtur aliqua ad servorum matrimonia?

SUMMARIUM.

1 *Servi absque domini consensu validè matrimonium contrahunt.*
2 *Non tamen licitè; oppositum est probabile.*
3 *Domini mortaliter peccant matrimonium servorum impedientes, & illius usum, post initũ matrimonium.*

1 QUoniam de his servorum matrimonijs sæpius fui interrogatus, operæ pretium duxi, hanc quæstionem præmittere; quia aliqui domini, aliqua eorum ægre ferunt. Primò igitur suppono, servos invitis dominis, validè matrimonium inire. Constat expressè ex *text in cap.* 1. *de conjug. serv.* ibi: *Nec inter servos matrimonia debent ullatenus prohiberi; & si contradicentibus dominis, & invitis, contracta fuerint, nulla ratione sunt propter hoc dissolvenda; debita tamen, & consueta servitia non minus debent proprijs dominis exhiberi.* Sic textus. & DD. quos latè refert, & sequitur Barbos. *in Collect. ad citat. cap. n.* 1. Quibus adde Dian *part.* 7. *tract.* 7. *resol.* 36 Tambur. *l* 8 *de matr tract.* 1. *cap.* 3. § 1. *n.* 3 Leand. *tom.* 2 *tract.* 9. *de matr. disp.* 12. *q.* 13. *& alij, quos citant.*

2 Secundo suppono, servos illicitè irrequisita dominorum voluntate, matrimonium contrahere; à peccato tamen liberantur, si timeant à dominis sua matrimonia esse impedienda. Sic probabibius cum Philipp.

Philipp à Cruce, Candid. & Albis, tenet Leand, *cit. q.*14. Tambur *proxime n.* 8. Idem videntur sentire Sanch & Basil & tenet Ægid. Coninch *disp.*31 *de matr.n.*32.*ex cap.fin.* 29.*q.*2 Dixi *probabilius*, nam probabile est, licite posse servos matrimonium invitis dominis cõtrahere; ut tradunt Valasc. Azor, Flores. Cened. Henriq. & alij, apud Barbos. & Dian. *loc. cit.* & ita supponunt omnes (Inquit Leand. *q. allata.*)

3 Tertiò suppono, mortaliter peccare dominos servos impedientes, ne matrimonium ineant, & post initum, maritalem usum. Sic communiter Doctores Sanch Basil Pont. & omnes apud Barbos *cit.n.*2. Tamburin. *nu.* 7.Leand *q.*15. Quare servi à Iudice Ecclesiastico sunt protegendi. Vide Sanch. *l.*7 *de matr. disp.*21.*nn.*5. Dian. *cit.* cum Avers. asserentes, non teneri dominos plus benigne tractare servos, quàm ante matrimonium, Solebant. His suppositis ad illorum quæstiones singulares.

QUÆSTIO LXVI.

An liceat domino vendere servum, absque illius licentia, cum libera matrimonio conjunctum in Provinciam longinquam, aut extra Regnum?

SUMMARIUM.

1 *Quæstiones dissolvendæ.*
2 *Probabilius est peccare mortaliter contra justitiam dominum, vendendo servum in partem distantem, absque necessitate, & culpa servi, quando uxor illum sequi non potest.*
3 *Opposita sententia est probabilis.*
4 *Dominus peccat contra charitatem, vendens servum matrimonio conjunctum cum libera absque illius licentia, & illum emens, quando uxor cum sequi non valet.*
5 *Iudex Ecclesiasticus a servo compellatus, potest in hoc, & præcedenti eventu dominum cogere, ne servum vendat.*
6 *Data domini necessitate, servus vendi potest in partem distantem, quamvis uxor libera, eum sequi non possit.*
7 *Ex culpa servi, potest dominus illum vendere in partem longinquam, quamvis uxor libera eum sequi nequeat.*
8 *Uxor libera tenetur sequi servum venditum, si potest.*
9 *Secus dicendum, si ipsa non possit.*

1 SUb titulo hujus quæstionis, quæstiones quatuor sunt dissolvendæ. Prima, An dominus peccet mortaliter contra justitiam, vendens servum extra Regnum absque necessitate, & culpa servi, quando uxor eum sequi non potest. Secunda, An peccet contra charitatem? Tertia, An data necessitate, & culpa servi? Quarta; An uxor teneatur illum sequi?

2 Ad primam: Respondeo affirmativè. Sic cum Bonavent. Angel Sylvest. Soto, Ludovic. Lopes, & alij, Sanch *l.*7.*de matr.disp.*22 *nu.*13. ut probabilius, & sibi certum, & *disput.* 21.*n.*15. Basil. Pont.*l.*7.*de matr cap.*42.*nu.* 8. *in fine.* cum D. Thom. & alij passim. Probatur, quia sicut servus habet jus antiquius, in vito domino, matrimonium contrahendi, ita etiam habet jus illo utendi; hoc enim ex illo sequitur: sed jus conjugum potentius, & antiquius est jure domini: ergo non potest vendere servum absque necessitate, & culpa servi, in partem distantem, & extra Regnum, ubi hoc jure uti non possit.

3 Nec obstat opinio contraria, asserens dominum non peccare contra justitiam, quam docent Ægid. Coninch. *disp.*31.*de matr. dub.*2. *n.*37 Card de Lug *tom.*1.*de Just. disp.*3. *nu* 24. Perez *de matr.disp.* 21 *sect.* 7. Tambur. *l.*8. *de matr.tract.*1 *cap* 3.*n.*7 Ex hac ratione, quia juri domini jus conjugis præjudicium ferre nõ debet; sequeretur enim nullum posse retinere, aut sibi emere servum, quando multum distat uxor: sed hoc est contra praxim quotidianam; nam plures absque ullo scrupulo eos servos emant, videntes, quod eorum uxores illos sequi non valeant. Non, inquam, obstat ea opinio; quæ sane probabilis est, probabilior tamen est tradita, quia negari nequit jus conjugis esse potius, & antiquius domini jure; unde quando cætera sunt paria, jus domini posponendum est juri conjugis alterius, etiam ipso domino invito, ut dicunt merito DD. pro nostra resolutione adducti; nec ratio oppositæ sententiæ intẽtũ probat, ut videbitur *infra n.*8.

4 Ad secundam, in qua inquiritur, an peccet contra charitatem uendens servum in partem distantem, conjunctum cum libera matrimonio, quando illa eum sequi non valet? Respondeo, peccare, non solùm dominum vẽdentem, sed etiam eum servum ementem. Ratio est, qui charitas obligat ad succurrendum bono spirituali conjugum: sed qui absque necessitate servum vendit in partem distantem, impedit in perpetuum usum matrimonij, cum damno spirituali utriusque cõjugati: ergo. Sic tradunt DD. *cit.n.*2. & omnes asserentes, dominos, & ementes, vendendo, & emendo absque necessitate servos in partes distantes, peccare; non distinguẽtes, an peccent contra justitiam, aut charitatem; etiam si servi invitis dominis matrimoniũ contraxissent. Hi sunt Basil. Põt. *cit.dict. l.*7.*cap.*42. *num.* 5. Filliuc. Trullench. Ochag. Castr. Palaus, quos affert, & sequitur Leand *tom.*2.*tract.*9.*de matr. disp* 12.*q.* 16 & Barbos *supra in Collect. ad cit.cap.*1 *n.*3.*de conjug serv.* ubi pluribus cit. inquit hanc quæstionem esse dubiam. Nec mirum, quia non utitur distinctione, ut supra usus fuit.

5 In hac tamen doctrina, & præcedentis subquæstionis *num.* 2. conveniunt DD posse

Iudicem Ecclesiasticum à servo compellatum, dominum cogere, ne vendat servum ad locum ita distantem, in quo cum sua conjuge nequeat convivere; sic cum D Th. Basil. Pont. & alijs Tamburin. *proxime dict. n* 7.

6 Ad Tertiam, in qua quæritur: An data necessitate domini, aut culpa servi, possit dominus servum in partes longinquas vendere, quando uxor libera cum sequi non potest? Ad primam partem respondeo: Si necessitas domini sit ita urgens, & non inveniat in eodē oppido, vel vicino emptorem, nisi facta pretij notabili jactura, illum in partem distantem vendere potest. Ratio est, quia si servus sui juris esset, & aliqua premeretur gravi necessitate, quam aliter vitare nequiret, nisi in partes longinquas migrando, potest, relicta uxore, sibi consulere: sed dominus in gravi necessitate constitutus, non tenetur uxori servi tam stricto vinculo consulere, ut tenetur ipse servus: ergo si servus potest sibi consulere, migrando in partes distantes, quando premitur gravi necessitate, ita etiam dominus sibi consulens in gravi necessitate, servum vendere poterit in partes distantes, quando in eo oppido, vel ejus vicinia, non datur illius emptor.

7 Ad secundam partem de culpa servi, respondeo: si servus sit male morigeratus, parum fidelis, ebriosus, ita ut dominus illum retinere nequeat, absque periculo proprio, & rerū suarum, potest dominus illum vendere in partem distantem, quando in eo oppido, aut partibus vicinis, non invenitur emptor. Ratio est, quia jus servi non est extendendum, quādo in domino datur necessitas sibi, & rebus suis consulendi. Et uxor hanc ablentiam patiens, non domini iniquitati, sed mariti delictis, tribuere debet. Sic Sanch *l.* 9 *de matr. disp.* 22. *n.* 11. Basil *supra dict. l.* 7. *cap.* 42. *n* 6. Dian *part.* 7 *tract.* 7. *in fine* cum Averl.

8 Ad quartam, in qua inquiritur: An uxor libera teneatur sequi virum in partes distantes venditum? Respondeo cum distinctione: si potest, ad id teneri. Primò, quia conjuges tenentur ad mutuum obsequium, quod sibi præstare non possunt, nisi simul habitent. Sanch. *l* 1. *de matr disp* 41. *nu.* 2. & 3 Barbol. *in collect. ad cap pervenit n.* 3. *de conjug. Lepres.* Secundò, quia nubens servo absque domini voluntate, huic se exposuit periculo: prius enim considerare debuit, maritum suum futurum, esse servum, & à domino ad aliud oppidum posse vendi. Sic Sanch *l.* 7. *disp.* 22. *nu.* 9. Dian. *proxime.*

9 Dixi, *Si uxor libera virum sequi potest*, nam si eum commode sequi non possit, ad id non tenetur. Ratio est, quia sicut cum notabili suæ salutis jactura debitum reddere non tenetur; ita etiam cum notabili suæ salutis incommoditate non tenetur illum sequi, venditum in partem distantem. Sic Sanch *l.* 1 *de matr. disp* 41 *nu.* 3. & supponunt omnes, dum dicunt, uxorem debere sequi virum, quando commode potest. Dian. *proxime* cum Averl. Tambur *dict. l.* 8. *tract.* 1 *cap.* 3. § 1. *nu.* 7 Basil. Ægid. Coninch *supra cit.* ergo si uxor libera virum servum venditum in partem distantem commode sequi non potest, ad id non tenetur.

QUÆSTIO LXVII.

An liceat domino vendere servum in partem distantem, aut extra Regnum, quando servus ducit servam absque domini licentia?

SUMMARIUM

1 *Quando servus vendi nequeat absque uxore serva.*

2 *Ob interesse maius servus in Castellam vendi nequit.*

3 *Servus ob vitium tantùm ebrietatis in partes longinquas vendi non potest.*

4 *Quando dominus servorum vitia teneatur manifestare.*

1 EX dictis *in præcedenti quæstione* cōstat, quòd dominus peccet contra justitiam, aut contra charitatem vendendo servum in partem distantem, si eum uxor sequi non potest. Si autem uxor sit serva, certum est, cum sequi non posse; nisi ea sit serva ejusdem domini; nam in eo casu cogi potest, ne unum sine altero vendat. Si autem alterius domini sit serva, etiam cogetur, ut illam emat; si alius non detur in eodem oppido, ad quod vendat maritum, qui eam emat. Ita ut illi servi conjugati, sine periculo incontinentiæ in eodem oppido vitam degant. At si his datis, & intentis venditionibus, & emptionibus, serva uxor virum sequi non potest, præcisis casibus *supra allatis num* 6. & 7. in partes distantes, vendi non potest. Sic D. Thom. *in addit. ad* 3. *part. q.* 52 *art.* 2. Sot *in* 4 *dist.* 35 *art.* 4. Rebell. *de Iust. oblig. part* 2. *l.* 3 *q.* 3 *n.* 10. Sanch. *dict. l* 7. *disp.* 22 *n.* 12. Filliuc. *tract.* 28 *part.* 2. *cap* 4 *n.* 72 Bonacin *tom.* 1. *q.* 2. *de imped matr. punct.* 3. *nu.* 9. Azor *part.* 2. *l.* 2 *cap* 38. *q.* 6. Trullench. *in decal. tom.* 1 *lib.* 4. *cap.* 1 *dub* 6 *n* 4 Angel *Verb. matrimonium* 3. *imped.* 4 *n* 5. Sylvest. *Verb servus, q* 7. Dian *part.* 7. *tract.* 7. *resol.* 37 Basil. Pont. *de matr. l.* 7 *cap.* 42 *n.* 5. Castr Palaus *tom.* 5 *disp.* 4 *punct* 5. § 2. *n.* 7 Cardin. de Lug *tom.* 1. *de Iust. disp.* 3. *n.* 38 & alij, contra aliquos juristas & TT. apud Sanch. *cit. n.* 1.

2 Circa casus allatos *nu* 6. & 7. duo addo. Primum, non sufficere pro necessitate domini; si servum vendat, vel castellæ vendendū mittat, ex eo, quod in eo Regno maiori solito pretio, quam in hoc Regno servi emantur. Hæc enim venditio non necessitatem domini, sed maius interesse respicit; de quo in hac venditione non est curandum.

3 Secundum versatur circa culpam servi conju-

conjugati: non sufficit enim, ut cum vendat dominus in partes distantes culpa ebriosi, si sit fidelis & domino, & rebus suis. Nam hæc culpa in his mancipijs est tolerabilis. Si tamen alios habeat defectus, & non detur in civitate, aut locis vicinis emptor, qui eum juxta suũ valorem emat, potest in partes distantes mitti, ut ibi vendatur. Sic colligitur ex citatis DD.

4 Addo ulterius, si venditor horum servorum, illorum vitia emptori non manifestet, teneri, de pretio demere, quantum ratione vitij minus valent. Imo & si bona fide vendiderit, & cum ignorantia vitij, debet postea, re cognita, partem pretij restituere, quanti servi illi æstimarentur, si ijs vitijs carerent. Si tamen servorum vitia sint talia, ut ex illis grave damnum emptori, aut alijs provenire possit, tenetur venditor manifestare ea vitia; aliàs tenetur ea damna resarcire. Vide Card. de Lug. *de Iust. disp* 26. *n.* 126 & 127.

QUÆSTIO LXVIII.

An liceat domino vendere in partes remotas servum matrimonio cum libera conjunctũ, de licentia domini?

1 REspondeo licere; si uxor libera eũ sequi valeat, & velit. At si commode sequi non valet, non licet. Sic Sanch. *l.7. de matr. disp.22. n.* 8. Basil. Pont. *ibidem l.7. cap.42 n.5.* & alij *jam citati.* At si dominus aliqua urgentissima necessitate prematur, vel servus sit male moratus, parum fidelis, potest vendi, si in eo oppido, aut partibus vicinis nõ inveniatur emptor; juxta ea, quæ diximus *duabus præcedentibus qq.*

QUÆSTIO LXIX.

An liceat domino in partes remotas vendere servum matrimonio cum serva conjunctum de licentia domini inito?

1 REspondeo cum præcedenti distinctione, & juxta dicta *q.* 69. Eadẽ enim ibi allata, ad hunc casum extenduntur, nec DD. de his distinctionibus multum curãt.

QUÆSTIO LXX.

An dominus possit vendere servum, cui ad ducendam fœminam licentiam concessit, quin illi manifestet, eum esse vendendum ad aliam civitatem, aut locum distantem, ut sibi placuerit? Et si fœminæ hoc sit manifestandum? Et an inter liberam, & servam aliqua reperiatur differentia, quæ maiorem, aut minorem causare possit scrupulum?

SUMMARIUM.

1 *Non est necessaria ea manifestatio.*
2 *Aliqua datur differentia inter fœminas liberam, & servam.*

1 AD primum, & secundum in tit. propositum respondeo, non opus esse, eas facere manifestationes servo, & fœminæ liberæ ab eo ducendæ. Ratio est, quia si fœmina potest commode sequi virum venditum, ad id tenetur. Si autem commodè non potest; nec servus est malè moratus, nec parum fidelis, nec dominus ex urgentissima necessitate cogitur ad vendendum servum in partes longinquas, eum vendere nequit; quia per eam venditionem impeditur usus matrimonij, quem dominus impedire non potest; etiam si quando concessit licentiam, illis manifestatset, se suum servum esse venditurum in eum locum, qui sibi placuerit; quia etiam ea non concessa licentia, nec facta eâ declaratione, eũ vendere non poterat, ad loca distantia, præcisis culpâ servi, & necessitate domini, juxta *supra dicta q* 68. & 69. nam jus servi ad usum matrimonij est potius, & antiquius jure domini, ut *ex cit. qq.* constat.

2 Ad tertium in tit. propositum, respondeo, aliquam dari differentiam, inter fœminas liberam, & servam. Nam illa aliquando commodè poterit sequi suum virum, non tamen serva. Si tamen hæc à suo ematur domino, & vendatur in illud oppidum, ad quod illius vendatur vir, jam cessat differentia. Vide *dicta supra q.*69. *n.*1. Cessat etiam, si neutra cõmodè possit, suum virum sequi. Et sic servus, præcisis illis duobus casibus, vendi nequit ad locum, in quem illius uxor eum sequi non potest. Et quamvis leges civiles hactenus dictis resistant, per leges Ecclesiasticas revocatæ censentur; ad has enim causam matrimonij pertinet suscipere.

QUÆSTIO LXXI.

An dominus sponte sua possit vendere servum eâ tantùm ratione, quia ipse servus illi placere non potuit?

SUMMARIUM.

1 *Potest, si servus de matrimonio non tractat.*
2 *Potest etiam si de matrimonio tractat, adhuc tamen sponsalia non celebravit.*
3 *Post sponsalia contracta, non potest.*
4 *Opposita sententia non admittitur.*

1 HÆc quæstio procedit de servis solutis. nam de conjugatis *in præcedentibus qq.* satis dictum est. De servis solutis adhuc utendum est aliqua distinctione: Si servus sit solutus, nec de matrimonio ineundo tractat; certum est, posse à domino venundari, in quemcunque locum, etiam remotum. In hoc enim utitur dominus jure suo. Sic Sanch.

l.7. de matr. disput.22.n.17. in principio, & alij ab eo *cit.n.1.* Et Basil. Pont. *ibidem l.7. cap.42. n.5. in fine.*

2 Idem dicendum, quando servus tractat de ineundo matrimonio, adhuc tamen sponsalia cum aliqua non celebravit. Quia vendendo dominus suum servum in quamcunque partem, jure suo utitur, sine præjudicio alicujus tertij, & qui utitur jure suo, non dicitur fraudem, aut dolum committere; juxta *Regul. Nullus videtur 55. vers. Is tamen ff. de liber. hom. exhib.* ibi: *dolo malo non videtur habere, qui jure suo utitur.* Sanch. *cit. disp.21.n.9.*

3 Si tamen servus jam sponsalia cum aliqua fœmina contraxit, sive annuente, sive repugnante domino? Respondeo cum ipso Sanch. *mox citato*, non posse dominum illum vendere in quamcunque partem, nec etiam remotam. Ratio est, quia dominus jus alteri acquisitum, & à sua voluntate independens impedire nō potest: sed fœmina, cui facta est matrimonij promissio, jus ad matrimonium ineundum cū illo servo acquisivit, & hoc jus est a domino independens: ergo præcisis illis duobus casibus, de quibus *supra* servum non potest vendere dominus ad locum distantem, repugnante fœminâ, & non potente commode illum sequi.

4 Nec obstat, quod aliqui apud ipsum Sanch. *cit.* existimarunt posse adhuc dominum vendere servum in quamcunque partem, etiam remotam; quia, inquiunt, posse servum vendi inito matrimonio; ergo a fortiori post sponsalia. Non, inquam, hoc obstat, quia jam *supra* negavimus, posse dominum vendere servum post matrimonium initum, exceptis illis duobus casibus. At dato, quod possit vendi post matrimonium initum, adhuc datur diversa ratio: Quia matrimonio jam inito, illud nō impeditur ea venditione: quod si impediatur usus, sentiunt DD. admittentes eam licere, quia jus domini ad vendendum est antiquius jure usus matrimonij, non tamen ipsius contractus, atque adeo illi prævalere: at verò quando sponsalia sunt inita, impeditur antiquius, & potentius, ad matrimonium ineundum, invito domino. Sic Sanch. *cit.*

QUÆSTIO LXXII.

An votum peregrinationis Hierosolymitanæ conditionatum, & pœnale ab uxorato emissum, sit validum; & dato quod sit, possit per Bullam dispensari, & ab uxore irritari?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Probabile est, esse invalidum, probabilius oppositum.*
3 *Idem in hoc præsenti casu.*
4 *Dato, quod sit validum, virtute Bullæ commutari & privilegijs Monarchæ potest etiam dispensari.*
5 *Ab uxore potest irritari.*

1 Michael uxoratus in ludo, pecuniæ quantitatem emisit; post tres, aut quatuor dies, adhuc ægritudine affectus, adivit Ecclesiam, & coram Sacrario emisit votum, dicens: *Se Deo promittere numquam ludendi illum ludum, in quo perdiderat; & si luderet, promittebat adire nudis pedibus Hierosolymam, & neminem ab eo voto eum absolvere posse, nec ipsum S. Pontificem.* Quæritur 1 An hoc votum sit validum 2 An, si ita emissum, dato quod sit validum, virtute alicujus privilegij dispensari possit? 3 An supposito, quod sit uxoratus, illud votum ab uxore possit irritari?

RESOLUTIO.

2 Quantum ad primum: si dictum votū est validum? Respondeo, plures DD. dixisse, non esse validum, ut videre est apud Sanch. *l.4 decal. cap.23.n.9.* ubi remittitur ad ea, quæ dixerat *l.5. de matrim. disp.5.n.5.* quo loco pro hac opinione plurimos citat. Ipse tamen *dict.n.9.* existimat, esse validum. Idem tenet Soar. *tom.5. in 3. part. de censur. disp.22. sect.6. n.9.* Et quidem probabilius propter fundamenta, quibus ibidem innituntur. Ibi tamen advertunt tale votum absque licentia S. Pontificis adimpleri non posse, idque sub pœna excommunicationis, de qua latè Soar. *loco cit.* & bene Angelus Bossius *tract. de triplic. Iubil. sect. 2. casu. 8. numer. 8.*

3 Fateor tamen in præsenti casu, dari specialem rationem, ut tale votum non sit validū, supposito, quod illud emiserit uxoratus: nam DD. cit. loquuntur solum de voto peregrinationis Hierosolymitanæ absolute; nam quod emisit Michael, dum esset uxoratus, specialem habet difficultatem. Et plures DD. asserunt tale votum non esse validum; quos refert Sanch. *de matr. l.9. disp.3 nu 8.* Et quamvis adhuc probabilius sit, dictum votum esse validum, ut ostendit ipse Sanches *loco cit.* cum pluribus DD. dicendum est probabile esse non esse validum.

4 Quantum ad secundum, si votum ita emissum, & dato, quod sit validum, possit virtute alicujus privilegij dispensari? Respondeo posse, virtute Bullæ Cruciatæ commutari, non tamen dispensari. Ratio est, quia hoc votum, juxta communem DD. doctrinam, apud Sanch. *l.8 de matr. disp.10 n.1 & l.4. decal. cap.22.n.1. & cap 48 n.81.* est conditionale pœnale. Et quamvis plures DD. dicant tale votū conditionale pœnale, post ad impletam conditionem, manere S. Pontifici reservatum: probabilius tamen est, virtute Bullæ, tam ante, quam post conditionem impletam, posse commutari. Vide quæ diximus *in Expos. Bull disp. 21. a n 254.* Imo quilibet Societatis IESU cōfessarius de licentia sui superioris illud votum

potest

potest commutare, & dispensare; Et idem dico de quolibet alio Mendicantium confessario. Hæc est communior DD opinio, quos latè citant, & sequuntur Sanch. *l.* 8. *de matr. disp.* 10 *n.* 8 *& l.* 4. *decal cap.* 40 *n* 91. Soar *de Relig tom.* 2. *l* 6. *de voto cap.* 23 *n.* 31 Barbos *de potest. Episcop. alleg* 37 *n.* 7. Bonacin. *tom.* 2. *disp* 4. *in præcepta decal q.* 2 *punct.* 7. §. 4. *n.* 17. Possius *de triphic. Iubil sect.* 2. *casu* 10 *n.* 29. Vide *Expositi. dictam in Bull. Cruciat disp.* 19 *a n.* 28.

5 Quoad tertium supposito, quod sit uxoratus, si potest illius uxor tale votum irritare? Respondeo, posse. Ita communiter DD. apud Sanch. *de matr. l* 9. *disp* 42. *num* 2. ubi inquit, per voluntatem suæ uxoris, cui tale votum est nocivum, manere totaliter extinctum, & irritum in forma, ut si illa moriatur, votum nó iterum obligare. Vide *cit Expositi. Bull. disp.* 21. *num.* 29.

QUÆSTIO LXXIII.

An duo emittens vota, Religionis scilicet & Castitatis, & à S. Pontifice obtinens commutationem voti Religionis, tacito voto castitatis, & post expeditum Breve; sæpius voto Religionis repetito; validè vi ipsius Brevis in Religionis voto dispensari possit?

SUMMARIUM

1 *Facti species.*
2 *Cum ipso Brevi est tutus in conscientia.*
3 *Ratione repetitionis ejusdem voti Religionis nõ indiget novo Brevi.*
4 *Dispensatio in uno vinculo, absque mentione alterius, non est subreptitia in foro conscientiæ*
5 *Novam interponat supplicam pro voto Castitatis, in qua dicat, ex eadem causa, fuisse jam dispensatum in voto Religionis.*

1 HIeronymus adolescens jam ætatem quatuordecim annorum excedens, ut à Deo salutem cujusdam infirmitatis consequeretur, duo emisit vota, unum castitatis, & alterum Religionis, postea affluit libidine. Sentiensque sequasi incapacem conservandi continentiam à S. Pontifice supplicavit pro dispensatione voti Religionis, nullâ factâ mentione voti Castitatis; imo antequam Breve Apostolicum perveniret, post illius tamen expeditionem, dictum votum Religionis, non semel ratum habuit. Nunc pervenit. Quæritur 1 An in conscientia possit Hieronymus tutus esse, cum isto Brevi? 2. An supplicare debeat S. Pontificem ratione ratihabitionum, quas emisit, post expeditionem dicti Brevis? 3 Quo remedio usurus erit, ut à voto castitatis maneat absolutus? & si illi nocuit, in supplica pro voto Religionis, votum castitatis, quod jam habebat, non exprimere?

RESOLUTIO.

2 Ad primum respondeo; cum ipso Brevi posse in conscientia esse tutum. Ratio est, quia non esse unum juvenem continentem, & se sentire incapacem servandi continenti, est sufficiens causa ad petendam commutationem in voto Religionis, ut docent Sanch *l.* 8. *de matrim. disp.* 20 *n.* 18. & 19. Navarr. *in man. capit.* 12. *n.* 28. & habetur *in cap. veniens* 5. *Qui cleric. vel voventes.* Ubi dicitur tutius esse, quòd post votum continentiæ matrimonium contrahatur, quàm quòd fornicationis reatus contrahatur; minus enim malum tolerandum, ut maius evitetur, *cap si quid verius* 33. *q* 2. *capit. Riqui* 27. *q.* 1. *& cap considera* 22. *q.* 1. & minus malum est, unum Religionem non ingredi, quàm ingredi, & in illa continenter non vivere: ergo cum in Hieronymo, hæ concurrant rationes, bene sequitur, sufficientem habuisse causam ad petendam dispensationem sui voti Religionis, & cum illa potest esse in conscientia tutus.

3 Ad secundum, in quo inquirit, an supplicanda sit nova commutatio, pro ratihabitionibus ejusdem voti, quas emisit, post illius expeditionem? Respondeo, non esse supplicandam. Ratio est, quia ratihabitio voti, non est votum distinctum, sed confirmatio primi, ad quod nunc pervenit commutatio. Quare si hic vovens plura non habet vota, sed hoc tantùm sæpius repetitum, nec repetitiones sunt nova vincula, sed ratihabitiones primi, sicut plura chirographa ejusdem debiti: ergo in illis non datur, quid commutetur sed super votum, supra quod, illæ cadunt. Plus addit Sanch. *l.* 4, *decal. cap.* 55. *n.* 30. quia, inquit, si post factam commutationem, [quæ in præsenti adhuc non est exhibita, sed tantum datur licentia, ut fiat) ab eo, qui illam habuit, iterum suum votum ratum habeatur, absque intentione emittendi aliud distinctum, sed tantùm ad suum primum redeundi, nova commutatione non egere, sed cum jam facta, posse quiescere. Sic etiam Angel. Bossius *de Iubil sect.* 2. *casu* 28 *n.* 17. citans Sanch. Bonac. & alios.

4 Ad tertium, in quo quærit: Quo remedio uti debeat, ut à voto castitatis liberetur, & uxorem ducat? Et si illi nocuit, in supplica primi voti mentionem non feciſſe, hujus secundi castitatis? Respondeo in primis ad hoc ultimum: Quamvis Sanch *l* 8. *de matr. disp.* 23. *n.* 2. cum pluribus teneat, dispensationem in uno vinculo, absque mentione alterius, esse subreptitiam; oppositam tamen sententiam in conscientia esse tutam, ut tradunt Soar *de legib. l.* 6. *cap.* 24 Amic. *tom* 5 *disp* 6. *sect.* 8 *n.* 127. Dian. *part.* 8. *tract.* 3 *ceſol.* 25. qui rectè satisfaciunt textis, & fundamentis à Sanch. adductis.

5 Ad primum, quomodo se gerere debeat hic vovens, castitatis voto ligatus? Respon-

deo,

deo, Romam, illius supplicandam esse dispensationem, pro cuius allegando eandem, quam pro voto Religionis allegavit. Et dicat in supplica, quòd jam aliud Breve ad commutationem pro voto Religionis obtinuit; & hac dispensatione, seu Brevi ad illam, accendente, si jam habita sit commutatio voti Religionis, hanc castitatis obtineat, & licitè potest uxorem ducere; onera que in forma Brevium adimplere.

QUÆSTIO LXXIV.

An Vicarius Generalis Excalceatorum D. Augustini, possessionem habens nominandi confessarios ad Moniales ejusdem Ordinis, possit continuare, nominando, ex fata supplica ad S. Sanctitatem per S. Maiestatem contra Decretum S. Cc Congreg. oppositum disponens?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Potest ex facta supplica per Regem.*
3 *Potest, quia triennium præsentis confessarij adhuc finitum non est.*
4 *Potest nominare confessarios approbandos ab Ordinario ad confessiones earum Monialiũ, & Bullas Cruciatæ habentium, certa est juris dictio.*
5 *Potest, quia per tale Decretum suâ possessione privatus non mansit.*

1 VIcarius Generalis Excalceatorum S. Augustini possessionem habet nominandi confessarios ad Moniales ejusdem Ordinis, At Congreg Cc. S. statuit, quòd illos nominasset Generalis Calceatorum, & de facto quemdam nominavit, qui acceptare noluit. Rex interim supplicationem interposuit ad S. Pontificem, ut nominatio confessariorũ per Vicarium Generalem Excalceatorum, ut antea, curreret; Quæritur: An d. Vicarius, dum aliud à S. Pontifice non statuitur, possit confessarios addictas Moniales nominare?

RESOLUTIO.

2 Respondeo posse, ut certum ex seqq. rationibus. Prima, quia supplica per Regem ad S. Pontificem facta dictum Decretum, S. Cc. Congreg. suspendit; ut testatur Mendo *in Bullam Cruciat. disp. 24. cap. 129. prope finem, & n. 130. etiam prope finem*, sic inquit: *Scio constitutiones Pontificum solere in Curia Regia servari, ab eisque supplicari, & iterum non obligare.* At serenissimus Rex supplicavit pro Vicario Generali Excalceatorum S. Pontifice: ergo dum responsio non pervenerit, quæ prope dies sperator, Decretum S. Congreg. est suspensum, & Vicarius Generalis sua possessione potest uti contra Romum Generalem nullam possessionem habentem.

3 Secunda ratio, quia dictæ Moniales suum habent confessarium ad triennium per dictum Vicarium nominatum, quod triennium adhuc non est finitum; & abhoc ministerio per suos superiores ex admonitione Episcopi nec per ipsum Episcopum est amotus, juxta Constit. Gregorij XV quæ incipit: *Inscrutabili* apud Pellizar. *in man. Regul tract. 10. cap 10. n. 172.* Vide illum, nec absque culpa ad confessiones attinente potest triennium, ne finiatur impediri, maxime, quando non est alius, qui in suum locum ingrediatur; sic videtur conformius Bullæ Gregorij XV. & Declarationi S. Cc. Congreg Pellizarius *citat. dicto tract 10. cap. 10 n. 172.*

4 Tertia ratio: Quia potest Reverendiss. Vicarius Generalis, juxta possessionem, quam habet, nominare confessarium ad ipsas Moniales, qui ab Archiepiscopo ad illarum confessiones audiendas approbetur per tres, aut minus annos. Et hoc modo absque ullo scrupulo, cum confessario manent. Et hæc dispositio est juxta Bullam Gregorij XV. apud Pellizzarium *proximè n. 163.* Et si dictus, aut alius Religiosus etiam absque nominatione Reverendissimi Vicarij Generalis approbetur ab ipso Archiepiscopo ad audiendas confessiones earundem Monialium, & ipsæ Bullam habeant Cruciatæ, ipsi confessario absque ullo scrupulo confiteri possunt; quia Bulla jurisdictionem sic opprobatis jurisdictionem cõfert.

4 Quarta ratio, quia hactenus non percipio, quòd Reverendissimus Vicarius Generalis ab aliquo, sua possessione fuisset privatus, nam licet Decretum S. Cc. Congreg. statuisset; quòd Generalis Calceatorum confessarium nominasset dictis Monialibus, non tamen abstulit facultatem, quam antea habebat Vicarius Generalis: ergo cum facultas à S. Cc. Congreg. Generali Calceatorum sit suspensa per supplicationem a Rege factam, & possessio, quam habebat Vicarius Generalis, non sit ablata per Decretum S. Cong. potest, ut antea nominare dictum confessarium. Sic in similibus terminis respondet Dian. 3. *part. tract. 2 de dub. Regul. resol. 2. vers. Verum ergo* & nos *disp. 1. q. 6. n. 4. in fine.*

QUÆSTIO LXXV.

Decisio controversiæ inter duos Parochos super dissolutionem obligationis Communis Paschalis cujusdam Parochianæ.

SUMMARIUM

1 *Facti species.*
2 *Iustitia est pro Parochiano, licet sit Lusitana.*
3 *Consuetudo legitimè introducta dat jus.*
4 *Uxores privilegiſori gaudent meritorum, qua jure*

jure non exceptuantur.

5 *Uxor omnibus privilegijs favorabilibus gaudet mariti.*

6 *Leges extenduntur ad correlativa.*

1 ITali in hac Ulyssiponensi civitate habitantes anno 1518 Brevia á Sede Apostolica obtinuerunt, ut in sua Ecclesia Lauretana erigere potuisset Sanctissimi Sacramenti confraternitatem; & inter alia plura privilegia, quæ illis in dictis Brevibus conceduntur; extat hoc: Quòd ex suis cappellanis unum eligere possint, qui illis Sacramenta administret; & nominatim Sacram communionem Paschalem, & viaticum tempore mortis, Et etiam Extremam unctionem, & quod sepeliant sua corpora solitâ pompâ funerali; etiam si sint de universis Parochijs hujus civitatis, quibus alia jura Parochialia solvunt. Hoc privilegio uxores illorum utuntur, etiam si sint Lusitanæ. In hoc tamen præsenti tempore Paschali noluit Parochus *das Merces* recipere chirographum unius uxoris Lusitanæ, quæ cum suo marito Italo in Ecclesia Lauretana se exauthoriavit Imo supra hanc obligationis dissolutionem inter eos Parochos exorta fuit contentio, jura pro utriusque justitia allegantes. Denique ad mere recurrerunt, quærentes: An dicta uxor itali suæ satisfeciset obligationi, communicando In Ecclesia Lauretana, cùm esset incola Parochiæ *das Merces*?

RESOLUTIO.

2 In primis respondeo, utriusque R. Parochi responsa venerando, & rationes adeo urgentes laudando. Cæterum respondeo secundo, Parochum Parochiæ itali, & illius uxoris, [quam non vult admittere, quin in sua propria Parochia præsentialiter communicet, quia est Lusitana, & non Itala, quibus tantum ea privilegia conceduntur] posse cedere, & teneri illam non vexare uxorem, quia illi infert injuriam, & ratio, qua nititur, est nullius momenti, ut ex rationibus seqq. patefiet.

3 Prima sit, quia hæ Lusitanæ uxores, jam per consuetudinem privilegium acquisierunt, ut in ea Parochia Lauretana possint se exauthorare ab alia parochia ut ex *dictis n.* 1. evidens est: ergo quamvis demus, eas uxores, ratione suorum maritorum, nunquam obtinuisse id privilegium, datâ eâ consuetudine, illa gaudeant, tam pro foro interno, quàm pro externo. Est communis doctrina inter DD. Gloss. *in cap. Super quibusdam*, §. *Præterea Verb. Non actat de verbor signif.* & *cap Novit, De Iudic Verb consuetudinem, & in cap. conquestus* 9. *q.* 3 Innocentius *in cap. Constitutus de rescript.* Soar. *de leg. l* 8 *cap* 7. *a num.* 5 Romani *ibid disp.* 1 *q.* 3. *punct.* 1. *n.* 3 Salas. *ibi disp.* 17. *sect.* 2. *n.* 22. Castr Palaus *tom.* 1. *tract.* 3 *disp.* 4. *de privil. punct.* 2. §. 5 *n.* 2 ergo procedendo ea consuetudo, circa uxores Lusitanas eorum Italiorum observanda est, maximè si non desint juribus Parochialibus, ut ex dictis constat non deesse.

4 Secunda ratio, quia uxor sui mariti privilegio fori gaudet in ijs rebus, qua ipso jure non exceptuantur. Ut cum pluribus tamen DD Card. Tuscus *tom.* 8. *litt. V. conclus.* 387. per totam, Dian *part.* 6 *tract.* 8 *resol.* 6. *& part.* 8 *tract.* 7 *resol.* 23. *Vers. Sed audiamus*: Sed maritus hujus uxoris Italus gaudet privilegio se exauthorandi in Ecclesia Lauretana: ergo etiam illius uxor eo privilegio fori gaudebit, licèt sit Lusitana.

5 Tertia ratio, quia uxor gaudet omnibus privilegijs favorabilius quibus gaudet maritus, ut tenent cum Baldus, & alijs Card. Tuschus *cit. conclus* 388 *n.* 1. & 2. Accedunt plures DD. quos affert, & sequitur Barbos. *tract. de Appell. appell.* 139. *n.* 1. & *appell* 279. *nu.* 4. Hoc autem privilegium marito est favorabile, & ut tale, illo utitur maritus: ergo etiam uxor illo gaudere potest. Et addit Soar. sufficere, quòd animæ sit favorabile *de legib. l* 6 *cap.* 4 *n.* 1. & hoc animæ est favorabile.

6 Quarta ratio, quia leges favorabiles correlativis extenduntur, ut cum pluribus tenent Soar *proximè n.* 8. & ex ipso jure, cum pluribus alijs Barbos. *tract. de Axiomat. axioma* 61. *per totum, & in tract de locis commun. ad argum. loco* 29. *per totum* Sanch. *l* 6. *de matr. disp.* 21. *n.* 9 & constat *ex l. fin. C. de indict. vidui.* Et privilegium aliquibus concessum, est sicut lex. Castr. Palaus *tom.* 1. *tract.* 3 *disp.* 4 *punct.* 1. *n.* 1. Et mulier est correlativum mariti, ut ex ipsa constat lege, & omnes tradunt: ergo per bonam consequentiam sequitur, dictam uxorem gaudere posse privilegio, quod suo marito conceditur, & ulterius molestari non debere.

DISPU-

DISPUTATIO II

De Missis, & Capellanijs, & Legatis.

QUÆSTIO I.

An peccet mortaliter sacerdos Missam votivam celebrans diebus Dominicis, Duplicibus, vel quando prohibetur celebrari de festo Duplici?

SUMMARIUM.

1 *Occasio hujus tractandæ quæstionis.*
2 *Adducuntur Rubricæ circa dies, in quibus missæ votivæ dici possunt.*
3 *Affertur Decretum S. Card. Congr. ab Alexandro VII. approbatum, prohibens, ne dicantur Missæ votivæ defunctorum in Duplicibus.*
4 *Ex S. Rituum Congr. ab Alexandro VII. & a Clemente IX. approbata, possunt Duplicibus diebus, dici obitus dici Anniversaria, & Missæ cantatæ ex dispositione testatorum.*
5 *Corpore in Ecclesia insepulto potest dici Missa defunctorum in Duplici, ubi docendi eam datur consuetudo, ex dispositione S. Cong. cum limitatione dierum.*
6 *Ex alio S. Congreg. Decreto tolerantur Missæ in diebus Duplicibus, ut defunctorum voluntates adimpleantur.*
7 *De his duobus Decretis dubitat A. an vigeat.*
8 *A S. Congr. Decreto ab Innocentio XI. approbato prohibitum fuit, ne infra octavam Corporis Christi celebrentur quæcunque Missæ votivæ.*

1 INter viros doctos, & Religiosos magna fuit altercatio, an esset peccatum mortale, dicere Missas votivas in diebus prohibitis à Rubricis Missalis, vel à S. Card. Congregation. etiam si à Ss. Pontificibus approbatæ fuissent; alijs affirmantibus, & negantibus alijs. Quia tamen hæc quæstio in his terminis à Modernioribus non erat agitata, illam suscepi enodandam. Ut tamen hæc plene enodetur. Quæritur 1. Quid disponat ipsum jus circa Missas votivas? 2. Quibus diebus absque ullo peccato celebrari possit missa votiva? 3. An quando dissentiunt DD. 4. Proponitur communis sententia asserens, nullum committi peccatum à dicente Missam in Dominicis, & diebus prohibitis? 5. Iudicium Authoris.

§. I.

Quid disponat ipsum jus circa Missas votivas?

2 Respondeo 1 In Rubricis Missalis 4. *de Missis votivis*, disponi, Missas votivas posse dici quocunque die non Duplici, pro arbitrio Sacerdotis. Hæc non est contra id, quod disponitur in fine Missalis, in Rubrica antecedente Missas votivas de Sanctiss. Trinitate, & sequentes; ibi: *Sequentes Missæ votivæ, licet pro Sacerdotis devotione, quacunque die dici possint per hebdomadam, quando festum Duplex non occurrit: hoc tamen passim, nisi rationabili de causa fieri non debet, sed quoad fieri potest, Missa cum officio conveniat.* Et in Rubrica posita ante Missas votivas B. Virginis, sic habetur: *Quæ Missæ votivæ dici possint, quocunque die, nisi fuerit Dominica, vel officium Duplex.* Et in Rubricis Missalis, *De Missis defunctorum 5. in fine*, idem disponitur. Et eodem *n.* disponitur, quod in die depositionis defuncti, & in Anniversario pro defunctis dicatur Missa principalis pro illis, non obstante, quod dies sit Duplex, aut semiduplex &c. Quæ colligantur ex his Rubricis simul unitis à DD dicetur *infra n.* 10.

3 Secundo respondeo, emanasse Decretum S. Congr. 5. *Augusti* 1662. & ab Alexandro VII. approbatum, de non celebrandis Missis defunctorum in festis ritus Duplicis, ut Constat *ex Const.* 176. & ultima ipsius Alexandri VII. apud 5. *tom. Bullarij ab Angel. Lantusi. & Ioanne Paulo collectum fol.* 426.

4 Tertiò respondeo, aliud emanasse Decretum à S. Rit. Cong. & ab ipso Alexandro VII. approbatum *In una Novarien si. die 22. Novemb.* 1664. in quo disponitur, & declaratur: Anniversaria, & Missas cantatas defunctorum, ex dispositione testatorum, quotannis recurrenti ipsorum obitus die, celebrandas; tametsi dies obitus hujusmodi, in festum ritus Duplicis maioris incideret, non comprehendi in proximo allato Decreto, ut constat *ex eius Decreto*, & *ex Decreto Clementis IX. die 23. Novemb.* 1669.

5 Quartò respondeo de duobus alijs Decretis S. Rit Congr. mentionem facere DD. De primo Gavant. *In rubr. Missal. part. 1. tit. 5. n. 2. lit. x* Barbol *de off. & potest. Paroch. part. 1. cap. 11. n. 25.* Abreus *ibid. l. 4 cap.* 18 *num.* 146. Tamburin. *in Method. celeb. Miss. l. 2. cap. 6. § 1. num. 8. edicto 23. Maij* 1603. in quo disponitur, posse celebrari Missam de Requie, sic dictam, in Ecclesia in qua existit corpus insepultum, ubi consuetudo viget, sepeliendi simul cum Missa defunctos, licèt ipse dies sit festus, aut Dominicus Limitant tamen dicti DD. hoc Decretum, quod non habeat locum in die Resurrectionis, aut alio multum solemni, nam ob reverentiam eorum dierum, debet officiū sepulturæ in sequētem diem nō impeditū, transferri.

6 De

6 De secundo Decreto, etiam constat apud Gavant. *cit dict tit. 5. vers. Sacra tamen* Barbos. *proxime n.* 26 Abreum, *dict. n.* 146. Tambor. *cit. dict. cap.* 6. §. 2. *n.* 1. Pellizar. *in Man. Reg. tom.* 2 *tract* 8. *cap.* 2. *num.* 124. In eo que Decreto à S. Congr. disponitur posse in diebus Duplicibus, qui non sunt ex præcepto, tolerari, quòd Missæ de Requie celebrentur, ut testatorum voluntates adimpleantur.

7 De his duobus Decretis potest meritò dubitari, an vigeant post Decretum cit. Alexandri VII. quia de his nullam, sicut de alijs duobus præcedentibus, mentionem fecit. De his, & alijs egi *in Expos. Bull. Cruciat. disp.* 26. *à num.* 44. & *infra aliquid dicetur n.* 21.

8 Quintò respondeo, à S Congr prohibitum fuisse suo Decreto *die* 21. *Junij* 1670 edito, ne infra octavam Corporis Christi celebrentur quæcunque Missæ votivæ, vel pro defunctis, & facta ad Sanctissimum relatione, prohibitionem approbavit, & edi mandavit eadem die.

§. II.

Quibus diebus licitum sit Missas votivas celebrare?

SUMMARIUM.

9 *Quæ Missa dicatur votiva.*

10 *Missæ votivæ ex rubricis Missalis, simul unitis dici nequeunt diebus Dominicis Duplicibus, & illis, quibus prohibetur fieri de festo duplici*

11 *Anniversaria, & Missæ cantatæ ex dispositione testatorum die obitus recurrenti, in festo Duplici celebrari possunt.*

12 *Quot sint genera Duplicium.*

13 *Anniversaria non disposita à testatore, si incidant in festo de præcepto, in sequentem diem non impeditam differuntur.*

14 *Anniversaria aliquarum confraternitatum hujus civitatis in diebus Dominicis celebrantur.*

15 *Non est peccatum mortale celebrare Missam solemnem defunctorum, non tamen privatas in Dominica, & festis, quando corpus est præsens, & insepultum in Ecclesia cũ limitatione.*

16 *Consuetudo toleratur apud personas illustres, quod corpus insepultum in domo habitationis de licentia Ordinarij, dicantur Missæ in diebus Duplicibus occurrentibus.*

9 Ad resolutionem suppono, Missam votivam illam dici, quæ ex voto, hoc est, arbitrio sacerdotis alio die celebratur, quam rubricæ præscribunt; Missam verò de tempore, illam, quæ, eo die, quo in Missali ordinatur, recitatur, ex Gavant. *in rubric. Missal part.* 1. *tit.* 4 *lit. N.* Hæc Missa, vel est privata, vel publica, aut solemnis, principalis, seu Conventualis Idem Gavant. *part.* 2 *tit* 2. *num.* 5. Conventualis, est illa, quæ ex obligatione cantatur. Quare si non cantetur, dicetur privata, non publica, nec conventualis Idem Gavant. *p.* 1. *tit.* 15 *lit. X.* Gobat *tom.* 1. *tract* 3 *n.* 669.

10 Ex Rubricis *n.* 2. adductis, simul unitis colligunt DD. non licere dici Missas votivas in die Dominica, nec festo Duplici. Imo nec in illis diebus, in quibus prohibetur fieri de festo Duplici *ex S. Congr.* 28. *Augusti* 1628. nempe infra octavas Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes, in hebdomada Maiori, feria quarta Cinerum, in vigilijs natalis Domini, & Pentecostes. Sic Barbos. *de Offic. & potest. Paroch. part.* 1. *cap.* 11. *nu.* 28. Tamburin. *in Method. celebrand. Miss. l.* 2. *cap.* 6. §. 1. *n.* 4. Mascarenhas *de Sacram. tract.* 5. *num.* 135. Abreus *de Paroch. l.* 4 *capit.* 18. *num.* 146 Idem dicendum de infra octavam Corporis Christi, ex S. Congr. & approbatione S. Pontificis *juxta dicta num.* 8. Colligunt etiam arbitrium sacerdotis, ut celebret Missam votivam in aliquo die, qui non fuerit Duplex, Dominicus, aut exceptuatus, juxta *proximè dicta*, debere esse rationabile. Et non erit rationabile, si celebret votivam, eo quod sit brevior; ne dicat Prophetias in Sabbato quatuor temporum; aut ob aliquod laicorum arbitriũ. Ita Barbos. *cit. n.* 24 Abreus *dict. n.* 146.

11 Possunt tamen Anniversaria, & Missæ cantatæ ex dispositione testatorum, in festo Duplicis Maioris celebrari, si in eo eadem dies obitus recurrat. Sic constat *ex Decret. S. Rit Congr.* à Ss. Pontificibus Alexandro VII & Clement. IX. approbato, juxta dicta *supra n.* 4. Nam idem Clemens IX *in Decreto cit.* expressè declaravit, non comprehendi hoc Decretũ in alio Decreto S. Congreg. de non celebrandis Missis defunctorum, in diebus Ritus Duplicis. Ex hac Pontificis declaratione sequitur, non posse hæc Anniversaria, & Missas testatorum celebrari in diebus primæ, aut secundæ classis, etiam si in illis dies obitus recurrat; nam expresè dicitur, posse in die Duplicis Maioris ex qua dictione *Maioris* bene sequitur, posse ea Anniversaria, & Missas celebrari, etiam in alijs Duplicibus minoribus, juxta Reg. *Plus semper in se continet, quod est minus*, 35. *de Reg. juris in* 6. & si licet quod plus est, etiam, quod minus est, licet, juxta *l. Non debet ff. de Reg. juris.*

12 Ut hæc melius intelligantur, adverte cum Gavant. *in Rubric. Breviar sect.* 3. *cap.* 2 *nu.* 2. quatuor genera Duplicium esse instituta. Primum dicitur primæ Classis; secundum, secundæ classis; tertium vocatur duplex Maius per annum; Quartum Minus per annum. Declaratio de tertio, & quarto duplicium genere loquitur; nam in tertio, quartum includitur, ut dictum est, & ad alia non extenditur.

13 Si verò Anniversaria non sint ex dispositione testatorum, & incidant in festo de præcepto, existimat Gavant. *in Rubric. Missal. part.* 1. *titul.* 5. *numer.* 2. *lit. y.* dum loquitur absolutè de Anniversar. debere mutari in sequentem diem, non impeditam; Ex

S. Rituum Congreg. 17. Septemb 1608. *& die* 19. *Maij* 1614. Quod verum puto, quia non adversatur aliæ Declarationi *num* 4. *adductæ*; quæ est seavanda, ut approbata à Ss. Pontificibus Alexendro, & Clemente.

14 Fateor in hac civitate nō semel aliquæ Confraternitates, ut cum maiori populi concursu suorum defunctorum Anniversaria celebrent, eligunt diem Dominicam, aut aliam de præcepto, & in ea non solùm Missa solemnis, sed etiam privatæ dicuntur de defunctis. An satis congruenter? Ad Ordinarium id spectat, ut satis colligitur ex Bullis Ss. Pontificum. Nam quòd Missa solemnis, & principalis tam in die depositionis defuncti, quàm in Anniversario pro defunctis, fiat de Requie, videtur esse depositum *in rubricis Missal. tit. 5. de Missis defunctor. num.* 2. licet ea dies sit Ritus Duplicis, aut semiduplicis; de privatis id non habetur.

15 Addo non esse peccatum mortale celebrari Missam solemnem defunctorum [non tamen privatas] in Dominica, & festis, quando corpus est insepultum in Ecclesia, ut concedit *S. Rit. Congr.* 13 *Maij* 1603 ubi usus obtinuit, ne quis sepeliatur sine Missa. Sic Gavant *in Rubric. Missal part.* 1 *tit.* 5 *n.* 2 *lit. X & in Man Episc verb Missa num.* 27. & ex illo Tambur *in Method celeb. Miss. l.* 2 *cap.* 6. §. 1. *num.* 8 Nullo tamen modo in die Resurrectionis Domini *ex Rit. Rom. Pauli V.* nec in simili multum solemni ex Tambur. *cit.* nempe in die Ritus primæ Classis; sed debet officium sepulturæ in primam diem non impeditam, transferri.

16 Invaluit tamen consuetudo inter personas Illustres de licentia Ordinarij, quòd aliqua ex illis defunctâ, quando corpus est præsens, & insepultum, non in Ecclesia, sed in aliqua magna domo habitationis personæ defunctæ, dicantur plures Missæ privatæ, non de die Dominica, nec de Duplici, si forte ea die occurrerint; sed omnes de Requie. Quæ consuetudo cùm sit authoritate Prælati introducta id callentis, est toleranda, non obstantibus in contrarium S. Rit. Congr. Declarationibus.

§. III.

Proponuntur aliqua inter DD. conversa, circa Missas votivas, & dissoluntur.

SUMMARIUM

17 *Probabile est. posse Missas privatas Sabbato S. celebrari.*

18 *Missa pro eo Sabbato determinata est dicenda.*

19 *Doctrina Tamburin. non admittitur.*

20 *Nec doctrina Gavanti resolutioni traditæ adversatur.*

21 *Non tolerantur Missæ de Requie, ut testatorum voluntates adimpleantur.*

22 *Non videtur peccare sacerdotem, qui ob infirmitates Missam votivam celebrat.*

23 *Nec ille, qui ob oculorum caligationem, semper eamdem Missam votivam recitat.*

24 *Nec etiam peccat mortaliter, si vovit, vel promisit dicere votivam, illam non dicendo die ab eo determinata, si ea dies erat Actus Duplicis, aut de exceptuatis.*

25 *Non est obsequendum petentibus Missas, tempus particulare respicientes.*

17 Circa Missas votivas aliqua inter DD. oritur, & oriri potest controversia, quæ per resolutiones sequentium dubiorum, enucleabitur. Primum sit deductum ex dictis *nu.* 15. *proximo*: An ubi usus obtinuit, ne quis sepeliatur sine Missa, possit celebrari Missa de Requie Sabbato Sancto post campanas ad lætitiam Resurrectionis pulsatas in matrice, seu parochia? Ratio dubij est, quia licèt probabile, & in praxi tutum sit. posse sacerdotes privatim, & secluso scandalo, eâ die Sobbati Missam celebrare, ut sustinent Sot. Rodrig. Gutierr. Ioan. Scortia, Soar. Coninch Laym. Marchin. Granad. Fagund. Quintanad. & alij quo vitant, & sequuntur Dicastill. *tom.* 1 *de Sacram. tract.* 5. *disp.* 4 *dubit.* 2. *n* 36. Dian. 2 *part. tract.* 14 *de celebr. Miss. resol.* 21. *&* 4 *part. tract.* 4. *resol.* 237. *in fine vers. Notando est etiam, & part.* 11. *tract.* 8 *resol.* 66. Leand *tom.* 2 *tract.* 8. *disp.* 5. *q.* 26. Cardin. de Lug. *de Sacram. disp.* 20. *n.* 18. & *seqq.* Castr. Palaus *tom.* 4 *tract.* 22 *punct.* 7. *num.* 4. quamvis ut probabiliorem sequatur oppositam sententiam, Pat. Henao *de sacrif. Miss. disp* 20. *sect.* 2. *a num.* 14, contra non paucos: at non videtur licitum in eo Sabbato Sancto, Missam de Requie celebrare.

18 Respondeo, ea die non esse celebrandam Missam de Requie; etiam in ijs locis, ubi viget consuetudo, sepeliendi defunctos cum ipla Missa. Probatur 1. Quia Missa eâ die ex citat. DD. dici potest cessante, seu secluso scandalo, ut dicunt, at si ea die dicatur Missa de Requie, non cessabit, imo oriretur scandalum etiam inter doctos. Probatur 2. Quia Missa eâ die dicenda, est ipsamet Sabbati Sanct. incipiendo per Kyrie eleison, ut dicunt Dicastill. *citat. dict. tract.* 5. *disp.* 4. *dubit.* 2. *numer.* 37. & cum Gavant Bustam Henao *dict. disp.* 20. *sect.* 2. *numer.* 16 & alij plures, quos affert, & sequitur Dian. *dict. part* 11. *tract.* 8. *resol.* 66. & alij communiter, asserentes non posse eâ die dici Missam de S. eo die currenti, nec Missam votivam de B. Virgine, licet Leand. *tom.* 2. *tract.* 8 *disput.* 5. *q.* 27. dicat posse dici Missam de S. eâ die currenti, citans Ledesm. Granad. Hurt. Card. de Lug. Marcum de los Huertos, Dian. & Machad. Ex his tamen illam non sequitur Card. de Lug *locis* à Leandr. *citatis.* Et dato, quòd Dian. in alijs part. illam sequutus fuisset,

fuisset, *part.* 11. *cit. tract.* 8. *resol.* 66. *vers. Et tandem hic quaro*, prope finem, hæc asserit, revocando, quod ante docuerat: *Sed ego modo fateor pedes, & firmiter assero in tali die non esse celebrandam aliam Missam, quam Resurrectionis, modo, quo supra dictum est.* Sic Dian. Ergo hac die non est celebranda Missa de Requie, quamvis in eo loco vigeat consuetudo sepeliendi defunctos, cum ea Missa de Requie.

19 Nec obstat 1. Tamburin. *supra dict. l. 2 Method. celebrand. Missæ cap.* 6. §. 1. *num.* 8 dicens ubi usus obtinuit, ne quis sepeliatur sine Missa, posse in die obitus, si in Sabbato Sancto occurrerit, celebrari Missam de Requie, sibi: *Sabbato Sancto post missam dici solemnem poterit in die obitus celebrari Missa, de Requie, cum jam ex usu, solemnitas festi Paschatis sit die sequenti, & ad summum solum tempore Missæ prædicti Sabbati.* Non, inquam, obstat Tambur placitum, quia non est admittendum; 1. quia ex Gavant. [de quo eam doctrinam de celebranda Missa ex consuetudine, in die obitus sumpserat] constat, id festum, in quo conceditur ea Missæ celebratio, intelligi; quod sit æquale Dominicis: & Sabbatum Sanctum est maius, nam est primæ classis, & non utcunque Dominis æquale 2. quia Missa à S. Ritus Congreg. in die festo concessa, est solemnis: at in eo Sabbato, licèt à DD. Missæ privatæ, secluso scandalo, celebrari concedantur; si solemnis de Requie celebretur, scandalum non cessabit. 3 quia juxta eundem Tamburin. ea concessio S. Rit. Congr. non extenditur ad diem Paschæ, & similem, aut multum solemnem: sed non est negandum, sabbatum sanctum, post Missam illius diei solemnem, esse multum solemne: jam enim lætitia Resurrectionis Dominicæ incepit, ut omnes fatentur. Deinde est dies primæ Classis, sicut alij Maioris hebdomadæ; & si in illis non admittuntur festa Sanctorum primæ classis, nec etiam admittetur Missa solemnis defunctorum, etiamsi corpus defuncti sit præsens & insepultum.

20 Nec obstat 2. Gavant. *cit. dicta part.* 1. *tit.* 5. *n.* 2. *lit. X.* inquiens; ubi viget consuetudo sepeliendi defunctos simul cum Missa, & nunquam sine ea absque scandalo, posse in Sabbato post missam ipsius Sabbati, aliam celebrari pro defuncto: ibi: *Omni tempore, cadavere præsente, potest celebrari pro defunctis, nisi in Paraseeve, quo die Corpus Christi immolari non debet, & eo casu differendæ sunt exequiæ in crastinum, in quo post Missam Sabbati Sancti posset alia Missa celebrari pro defuncto.* Ex quibus verbis hic Author existimat, non solùm posse Missam pro defuncto celebrari Sabbato Sancto, post Missam solemnem ipsius Sabbati, sed etiam in alijs diebus Maioris hebdomadæ, exceptâ feriâ sextâ; quo die Christi corpus immulari non debet. Non, inquam, obstat, quia hoc asserit, quando ex ea non celebranda Missa, sequitur scandalum; at ex non celebranda eo Sabbato Sancto, scandalum non sequitur; sequetur tamen si celebretur Missa de Requie. Hæc ex Gavant. At Post hæc scripta exijt duplex Decretum S. Pont. Congreg. primum 11. Februarij à *n.* 1690. secundum 11. Martij ejusdem anni, in illo prohibetur ne in Sabbato Sancto celebrentur Missæ privatæ in Ecclesijs, & Oratorijs privatis, non obstante quacunque consuetudine contraria. In hoc, circa Annuntiationem B. Mariæ Virginis, quando occurrerit in die Sexta Parasceve, vel Sabbato Sancto. Quod festum debet transferri in Feriam secundam post Dominicam in Albis, manente primo Decreto in suo statu, de quo in hoc secundo fit mentio; & utrumque fuit a Sanctiss. approbatū, laudatum & imprimi missam. De his, *Constit. Portuenses a Reverendiss. & Illust. D. D.* Ioanne de Sousa, ejusdem *Diœcesis Episcopo edita, in fine Constit.* Etiam hoc Decretum videri potest in libello de Explicatione Bullæ Cruciatæ Lusitanæ erudito, & ingenioso per Doctissimum Fr. Emmanuelem da Sylva composito, & elaborato *articul.* 3. *post numer.* 3 *folio 225*

21 Unde tollitur probabilitas contraria, & dicta supra 1. *numer.* 17. Secundum dubium: An tolerari possint Missæ de Requie in festo Duplici, quod non est de præcepto, ut testatorum voluntas adimpleatur? Affirmat Gavantus *cit. in Rubr. Missal. tit.* 2. *lit. Z. Vers. Sacra tamen* ex S. Rit. Congr. 1. *Septembr.* 1607. *& rursus* 20. *Junij* 1627. & ex Gavant. Tambur. *in Method. celebr. Miss. l.* 2. *cap.* 6 § 2. *n.* 1. & ex illis Gobat. *tom.* 1. *tract.* 3 *nu.* 717. Censeo tamen post Decreta Ss. Pontificum Alexandri VII. & Clementis IX. de quibus *num.* 4. hanc S. Rit. Congreg. non habere locum 1. quia de illa in ijs Decretis non fit mentio, ut fit de alijs, ad eandem materiam pertinentibus. 2. quia in Bulla Clementis IX. *jam cit.* post allatum S. Rit. Congr. Decretum, de non celebrandis Missis de Requie in diebus Ritus Duplicis, ut *num.* 3. loquentis de Alexandro VII. sic ait: *Dubia exorta dirimere cupiens, aliud ejusdem Congr. Decretum in una Novarien si die* 22. *Novembris* 1664. *editum approbaverit, quo declaratum fuerat, Anniversaria, & Missas defunctorum cantu, ex dispositione testatorum quotannis recurrente ipsorum obitus die celebrandas, tametsi dies obitus hujusmodi in festum Ritus Duplicis Maioris incideret, non comprehendi in primo Decreto, &c.* Ex quibus verbis constat, S. Pontificem cupientem dubia exorta dirimere, mentionem non fecisse de adducto Decreto à Gavanto, sed de proximo allato: ergo de eo Decreto non est curandum. Nam dubia exorta satis manent dirempta *ex cit. Decretis*: adductum enim à Gavanto dubium non inferebat, quia in illis diebus Duplicibus de non præcepto, voluntatibus testatorum satis consula-

batur cum Missa eo die currente, etiam si in altari privilegiato esset celebranda, nam juxta primum Decretum S. Rituum Congr. *num.* 3. Missa de Requie non erat celebranda.

22 Tertium dubium: An peccet mortaliter, aut venialiter ille sacerdos, qui ob debilitatem capitis, oculorum, pedum, viscerum, &c. In die Palmarum, feria tertia, & quarta Majoris hebdomadæ, diceret Missam votivam de Passione, & Sabbato ante Dominicam Sanctiss. Trinitatis, (quæ ob plures Epistolas est valde longa) diceret Missam votivam de Spiritu Sancto, quæ dies est de exceptuatis, juxta dicta *supra n.* 10 Respondeo non peccare, nec mortaliter, nec venialiter. Ratio est, quia melius est hanc dicere Missam, quam nullam dicere. Sic Gobat. *dicto tom.* 1 *tract.* 3. *n.* 718 ibi: *Satius est quotidie facere sacrum votivum, quam nullum; si non possis, nisi votivum; & nu.* 710. consuluit comitem Fruchsessium canonicum, cathedraticum, ut ob infirmam valetudinem, posset in suo oratorio Missas dicere votivas de passione, in die Palmarum, & alijs Majoris hebdomadæ, quando in Missa legitur Passio. Et Tambur. *cit. cap.* 6 §. 1 *nu.* 12. idem fecit Archiepiscopo Montis Regalis; Idem sustinet Dicastill. ex Rubricis Missalis *dict. tractat.* 5. *disp.* 4 *n.* 277. Data ergo ea justa causa, & impossibilitate physica ad dicendam Missam currentem, potest sacerdos eas celebrare Missas votivas.

33 Quartum dubium, de quibusdam sacerdotibus secularibus, & Regularibus, quibus oculi caligaverant; possunt ne singulis diebus per annum Missam votivam de B. Virgine celebrare; illi in sacello secreto, & hi in sacello intra claustra conventus, in quibus locis omne cessat scandalum? Respondeo posse: sic enim accepi plures celebrare, consentientibus Prælatis. Nec obstare videntur *Decreta S. Rit. Congreg. nu.* 8. & 10. adducta, quia non censentur comprehendere illos sacerdotes, qui eam impotentiam physicam patientur; ut bene infertur ex cit. DD.

24 Quintum dubium: An sacerdos, qui Deo vovit, aut alicui personæ promisit, se designata die celebraturum Missam votivam de B. Virgine, aut alicujus sancti, aut de Requie, teneatur eam celebrare Missam eâ designatâ die, si in ea occurrat Missa Ritus Duplicis, aut dies in quo non licet, direre Missam Sancti Duplicis juxta dicta *nu.* 10. Respondeo non teneri, quia nec votum, nec promissio valet contra prohibitionem, etiam juramento firmata; qui in ijs diebus à S. Rit. Congreg. prohibetur, eas celebrari Missas votivas. Quia Juramentum in aliquibus Capellanijs latum de celebrando certis, & designatis diebus aliquas Missas votivas, non obligat; quia intelligitur latum, salva prohibitione S. Rit. Congreg & Rubricis Missalis. Secus dicendum quando promissio cum juramento facta est pro die feriali, aut semiduplici, in quibus diebus ex rationabili causa juxta Rubricas Missalis Missa votiva celebrari potest. Ratio est, quia promissio facta cum Juramento de re, quæ nec est peccatum mortale, nec veniale, obligat juxta *text. in cap. Qualiter, de pact.* Vide Sanch. *l.* 3. *decal. cap.* 9 *n* 19. & 20 Dicastill. *dict. tract.* 5. *disp* 4. *à n* 276. Tambur. *in Method. celebrandæ Miss. l.* 2 *cap.* 6. §. 1. 2. & 3. Gobat. *tract.* 3 *cit. num.* 715.

25 Sextum dubium: An obsequendum sit petitioni irrationabili secularium, maximè fœminarum, Missas petentium, quæ tempus aliquod particulare respiciunt, ut de Assumptione, aut Nativitate B. Virginis, de Nativitate Christi Domini, Pentecostes, & Corpore Christi, ut proprijs diebus recitantur; & de illis, quæ in hebdomada Sancta celebrantur? Respondeo non esse obsequendum Ratio est, quia eæ petitiones non solum irrationabiles, sed ignorantissimæ sunt, & abs re est, illas celebrare extra suum tempus. Melius enim erit tunc celebrare Missas votivas illarum festivitatum, quæ in Missali ponuntur, si ea dies non sit impedita aliqua festivitate, juxta *supra dicta.* Et decentius est cum recitatione illius dici se conformare. Sic Gavant. *in Rubr. Miss. part.* 4. *tit.* 27. *n.* 8. Dian. *part.* 3 *tract.* 6. *resol.* 101. & 102. & 4. *part. tract.* 4. *resol.* 39. Dicastill. *supra n.* 283. *in fine*, Gobat. *tom.* 1 *tract.* 3. *n.* 724. & *alij* quos citant, contra aliquos. An verò sit peccatum mortale prædictis acquiescere petitionibus? Negat. Dian. 4 *part. cit.* Affirmat apud ipsum Megal. Et rectè quidem, quia in materia gravi transgreditur præceptum B. Pij V. *de quo infra.*

§. IV.

An aliquod committatur peccatum ab illo, qui diebus Duplicibus, aut Dominicis Missam votivam celebrat?

SUMMARIUM.

26 *Prima sententia asserit non esse peccatum mortale.*

27 *Limitatur ea sententia à suis AA.*

28 *Omnes conveniunt consultius esse, celebrare Missam, quæ pro unoquoque die præscribitur in Missali.*

29 *Secunda sententia tenet, esse peccatum veniale.*

30 *Tertia sententia astruit, nullum esse peccatum.*

26 Respondeo, circa præsentem quæstionem tres circunferri sententias. Prima asserit non esse peccatum mortale, celebrare Missam votivâ in diebus Dominicis, & Duplicibus. Sic Soar. *tom.* 3. *in* 3 *part. disp.* 83. *vers. Dico* 1 Mirâd. *in Man. Præl. tom.* 1 *quæst.* 41. *art.* 11. *conclus.* 3. Zanard. Lamas. Villal. quos affert, & sequitur Dian.

Dian. *part. 2. tract. 14. resol. 30. & part. 4 tract. 4. resol 39.* Reginald. Henriq. Sylvest. Sot. Medin quos adducit & sectatur Dicastill. *tom 1. de Sacr. disp 4. dubit. 14. num 273* Bonac. *de Sacram. disp. 4. q. ult. punct. 7. § 3 nu. 2.* Portel. *in dub. Regul. Verb Missa num. 7.* Tambur. *in Method celeb. Miss. l. 2. cap. 6. §. 1 num. 5.* Saltem in Missis privatis, Hurt. Gaspar, & Thom. quos affert, & amplectitur Leand *tom. 2. tract. 8. disp. 7. q. 63.* Card de Lug *de Sacram. disp 20 num. 105.* Pax Iordanus, & alij quos laudat Gobat. *tom. 1. de Sacr tract. 3. num. 701.* Quintanad. *tom. 1. singul. tract. 7 singul. 40. nu. 2.* Loquens de illis tribus diebus hebdomadæ S. in quibus legitur Passio Domini Nostri & alij plures. Probant 1. quia liberum est sacerdoti dicere, vel non dicere Missam: ergo illi liberum est, dicere Missam hujus, vel alterius diei. Secundò, quia de hoc non est latum præceptum; nam Rubricæ id non ostendunt, & interdum solùm dirigunt, & iuducunt consilium: ergo in hac materia, pro consilio sunt accipiendæ.

27 Plures ex cit. DD. sententiam traditam limitant, ut locum non habeat, in festis solemnibus primæ Classis, & Conventualibus, quia in his maior datur obligatio servandi Ritum in Missali præscriptum; ut ostenditur ex consuetudine, circa has Missas inter. uecta, & ex B Pio V. præcipiente in virtute S. obedientiæ, ut Rubricæ Missalis observentur. Quod præceptum [ut inquit Soar.] strictius obligat in Missis solemnibus, quam privatis, ut ipla tenet consuetudo, & praxis. Sic cum Soar Bonac. *cit. n.* 3. Dicastill. *n.* 275 Gobat *nu.* 705. Escob *tom. 3. de Sacram. l 21. sect. 2. n.* 522. At Soar. Bonac. & Dicastill. non exprimunt, sit ne hæc non observantia peccatum mortale. Gobat. Supponit esse mortale; quia asserit sæpe graviter peccari, non observando ordinem dierum, & adducit exemplum de Missis solemnibus, & conventualibus. Escob fatetur eam non observantiam, per locum intrinsecũ esse mortalem, & per extrinsecum, authoritate negantium esse peccatum veniale. Tambur. *cit. n.* 7. damnat de mortali sacrificantem in die Paschæ Missam defunctorum cum paramentis nigris: ergo si sine illis, non existimabit mortale; & etiam mortale committere putat, qui temerè, & semper votivam celebraret.

28 Omnes tamen conveniunt consultius esse Missam celebrare, quæ pro unoquoque die præscribitur in Missali, juxta *cap. Quidam laicorum, & cap. cum creatura, de celebr. Missar.* Et quamvis in Rubricis Missalis, aliquibus diebus Missæ votivæ permittantur, non tamen in diebus Duplicibus, & Dominicis; nec etiam in illa feria, in qua resumenda est Missa Dominicæ præcedentis, & in alijs diebus privilegiatis, de quibus *n* 10. *supra.*

29 Secunda sententia docet, esse peccatum veniale celebrare Missam votivam in diebus Dominicis, & Duplicibus, quia vere fit contra Rubricas Missalis, quas B Pius V. strictè jubet observari in virtute S. obedientiæ, tàm in Missis privatis, quám solemnibus; sic innuunt DD. præcipue Gavant. 1 *part tit. 5 nu. 2. in fine*, Dicastill. *dict dubit.* 13 *n.* 273. *in fine*, Dian. *part.* 9. *tract.* 8. *resol* 53. nam in fine inquit cum Villal. *Se non damnari de mortali eum sacerdotem qui in diebus festivis Apostolorum, B. Virginis, & Domini nostri aliam celebraret Missam*: ergo intelligit peccatum veniale. At contra illum stat Pellizzar. *in Man. Regul. tom 2. tract. 8. cap 2. nu.* 123. cum Barthol. ab Angel. & Angel. ab ipso Dian. *cit.* asserens esse peccatum mortale. Et expresse esse peccatum Veniale, sustinent Leand. *cit. dict. disp. 7. q. 64.* Tambur. *dicto nu. 5.* & Escobar *supra.*

3 Tertia sententia defendit nullum esse peccatum, sic Soar. Granad, & Hurtad apud Leandr *dict. q. 64.* Quia sicut unicuique licet hanc, vel illam Missam dicere, aut omittere, ita aliam celebrare.

§. V.

Iudicium Authoris.

SUMMARIUM.

31 *Ex Rubric. Missal. dicere Missam votivam in Dominicis, & Duplicibus, esse peccatum mortale plures docuerunt DD.*

32 *Est peccatum mortale celebrare Missas votivas defunctorum in diebus Duplicibus.*

33 *Idem ostenditur ex Decreto Clementis IX.*

34 *Declarationes S. Rit. Congreg. a S. Pontifice approbatæ in conscientia obligant.*

35 *Non possunt sine peccato gravi celebrari Missæ votivæ infra octavam Corporis Christi.*

36 *Diebus Duplicibus, Dominicis, & privilegiatis, non possunt celebrari Missæ votivæ.*

37 *Non possunt Missæ votivæ celebrari in Dominicis, & diebus festivis ex cap. Quidam laicorum, de celebr. Missar.*

38 *Ad satisfaciendum præcepto audiendi Missam, sufficit audire votivam.*

39 *Idem assumptum ostenditur à Bulla B. Pij V.*

40 *Obuiam itur adversarijs.*

41 *Ex ipsis adversarijs ostenditur, materiam esse gravem.*

42 *Authores secundæ sententiæ coherenter non procedunt.*

43 *Satisfit oppositis fundamentis.*

31 Extra consuetudinem meam, ut ex præcedentium quæstionum resolutionibus constat, ad finem hujus quæstionis hanc resolutionem distuli, quia ad illam satius erat placita Doctorum cognoscere. Ut meum proferam judicium. Censeo esse peccatum mortale celebrare, quamcunque Missam votivam [exceptâ

celebratâ pro necessitate gravi occurrente) non solùm in Diebus duplicibus, & Dominicis, sed etiam in illâ feria, in qua resumitur Missa Dominicæ præcedentis, quæ est impedita, nec non in illis diebus, in quibus prohibetur fieri de festo Duplici, quos *supra nu.* 10. numeravimus. Hanc resolutionem ex Rubricis Missalis tenuerunt Angel. *Verb. Missa n.* 23. Barthol. ab Angel. *in examine confess. dial.* 5. §. 466 apud Leand. *tom.* 2. *tract.* 8. *disp.* 7. *q.* 63. & Cotonius *l.* 2. *contr.* 5 *cap* 4. *nu.* 87. apud Gobat. *dict. tom.* 3. *tract.* 3 *num.* 705. Eandem defendit Azor. *part.* 1 *l.* 10 *cap* 29. *in fine*, male ab aliquibus cit. pro contraria sententia; nam citato loco, postquam docuerat, teneri sacerdotem in faciendo sacro, necessario servare Rubricas, addit, *Dubium esse, an lethaliter committat, qui eas sine causa justa, & probabili prætermittat?* Et fine hæc inquit: *Quidam affirmant, alij verò negant. Nihil certi ex ipsis regulis colligi potest. Sed probabilior est prima sententia.* Hæc Azor. Et quamvis Ex Rubricis Missalis plures DD. docuissent non esse peccatum mortale, ut vidimus *a n.* 26. post Decreta S Congreg. *n.* 3. & 4 *adducta*, nullum de hac quæstione tractantem inveni Authorem.

32 Et quòd sit peccatum mortale celebrare Missas votivas defunctorum in diebus Duplicis Ritus; bene infertur ex Decreto S. Rit. Congreg. ab Alexandro approbato, & *supra num.* 3. *allato*, in quo decernitur, non posse celebrari Missas defunctorum in festis Ritus Duplicis. Quod tantæ est authoritatis; ut ne celebrarentur Missæ votivæ defunctorum, in altari Privilegiato pro omnibus diebus in Duplicibus, Statuit Alexander VII. in sua Const. quæ incipit: *Creditæ nobis edita* 22. *Januarij* 1667. *& habita tom.* 5 *Bullarij fol.* 476. & ultima inter alias hujus Pontificis: statuit enim, & declaravit, quòd loco Missæ votivæ defunctorum ad indulgentiam altaris requisitæ; deinceps dicendæ sint Missæ Ritus Duplicis eisdem diebus occurrentibus, & illis suffragari animabus Purgatorij, ac si essent celebrandæ de Requie, ibi: *Ulterius quo ad altaria perpetuo privilegiata, & in quibus proinde quotidie, etiam in Duplicibus celebrandæ sint Missæ de Requie ex obligatione. Authoritate, & tenore prædictis, declaramus per celebrationem Missarũ de festo currenti satisfieri dictis obligationibus, & suffragari cum eisdem indulgentijs, per inde, ac si essent celebratæ Missæ de Requie ad formam privilegiorum. Salva tamen semper in præmissis authoritate supradictæ Congregationis*: ergo si Sum. Pontifex sic adhæret Decretis S. Congreg. prohibentis, ne dicantur Missæ votivæ in diebus Ritus Duplicis, ut contra formam, circa altaria privilegiata, requirentem Missam de Requie, ut ex ipsis Brevibus, & DD. constat, declarat sufficere Missam de Duplici currenti; quis negabit, esse peccatum mortale, dicere Missas votivas defunctorum in festis Ritus Duplicis?

33 Eadem stabilitur resolutio, etiam quoad Dominicas, & dies privilegiatos *n.* 10. *adductos* ex alia Const. Clementis IX. extendente præcedentem Alexandri VII. ad altaria privilegiata temporanea, & non pro omnibus hebdomadæ diebus concessa, quæ incipit: *Cum felicis recordationis Alexander*, edita 23. *Septemb.* 1669. In qua statuitur, quod in die, quo Missa celebrari nequit; de festo occurrenti celebretur. & sic suffragetur animæ pro qua celebrata fuerit, in omnibus, & per omnia, ac si Missa defunctorum ad normam ejusdem privilegij celebrata fuisset. Et cum Missæ votivæ ex Decreto S. Congreg *nu.* 10 *allato*, non possint celebrari diebus Duplicibus, Dominicis, & privilegiatis, concedit S. Pontifex Missâ currenti, suffragari posse animæ, pro qua celebrata fuerit, ac si esset Missa de Requie.

34 Confirmatur eadem resolutio: quia mortaliter peccabit ille, qui infra octavam Corporis Christi Missas quascunque votivas celebraret, quia ita prohibitum fuit á S. Congreg suo Decreto, & facta relatione ad Sum. Pontificem, prohibitionem approbavit, & edi mandavit eâdem die 21. *Junij* 1670. Et de hoc Decreto mentionem fecimus *supra n.* 7.

35 Hæc omnia confirmantur, quia Declarationes S. Rit. Congreg à S. Pontifice approbatæ, & promulgatæ, habent vim legis, ut tradunt Castr. Palaus *tom.* 1. *tract.* 3. *de leg. disp.* 5. §. 1. *n* 4. Tambur. *in Method. celebr. Miss. l.* 2. *cap* 6. § 6. Gobat. *tom.* 1 *tract.* 3. *num.* 651. Sed quæ habent vim legis, obligant in conscientia juxta materiam: ergo dicere Missas votivas in diebus prohibitis à S. Rituum Congreg. & à S. Pontifice approbata, ut sunt prædictæ, peccat mortaliter, quia materia est gravis.

36 Et non solùm adhibenda est fides Declarationibus S Rit. Congr. quæ Ss. Pontificibus approbantur, sed etiam illis, de quibus certò constat; quia ab ipsis Ss. Pontificibus magnifiunt, ut constat ex *dictis n.* 32. & 33 Sed S. Rituum Congreg. in diebus Duplicibus, & Dominicis, & certo declaravit 28. *Augusti* 1628. non posse dici Missas votivas infra octavas Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes, in Maiori hebdomada, feria quarta Cinerum, in vigilijs Natalis Domini, & Pentecostes, ut testantur Gavant. *in Rubri. Missal. part.* 1. *tit* 4. *n* 3. *lit. O.* Dian *part* 9. *tract.* 8 *resol.* 53 Barbos. *de offic. & potest. Paroch. part.* 1. *cap.* 11 *numer* 28. Tambur. *in Method. celebrand. Miss. l.* 2. *capit* 6. § 1. *num.* 4. Mascarenhas *de Sacram. tract.* 5. *nn.* 135. Abreus *de Paroch l.* 4. *cap.* 18 *n.* 146. Pellizzar. *in Man. Regul. tom.* 2. *tract* 8. *cap.* 2. *nu.* 124. Gobat *proxime cit n.* 708. ergo non salvatur authoritas S. Rit. Congreg si in dictis diebus, sit licitum Missas votivas celebrare; quam salvari desiderant Ss. Pontifices Alexander VII. & Clementis IX. ut ex illorum verbis constat.

37 Et tanta est S. Congr. authoritas, circa Declarationes Rituum, ut Dian. & Gobat. *ll. cit.*

cit. reprehensibilem censeant Quintanad. quia *com. 1 tract 7. singul.* 40. docuisset, licitum esse sacerdotibus celebrare Missas votivas hebdomada S illis diebus, quibus in Missa legitur Passio D. N. Et merito quia celebrando illis diebus Missas votivas, non solùm itur contra prohibitionem S Congr. sed etiam contra rationem naturalem. Nam si in ijs diebus non est licitum juxta Rubricas, dicere Missam de Patrono, aut Duplici ijs diebus currenti, a fortiori non erit licitum, Missas dicere votivas.

38 Omissis S. Congreg. Declarationibus, resolutionem traditam probo 1. ex *cap. Quidã laicorum, de celebr Miss.* Ubi loquens textus de laicis, qui peculiares Missas votivas petebant de Ss. Trinitate, & S. Michaele? Respondet: *Sed si voluerint, ut sibi Missæ cantentur, de eodem die Missas audiant*: ergo si laici de eodem die Missas audiant, sacerdotes de eodẽ currenti, Missas debent celebrare, ut ex hoc textu plures colligunt DD. apud Barbos. *in collect. ad hoc capit.* Quibus adde Panormit. *in cit. text.* docentem reprehensibiles esse sacerdotes, qui ad instantiam laicorum, omittunt Missas proprias illius diei, ut dicant Missas devotionis eorundem. Quod etiam plures tradiderunt, Card. *Lotet. l. 2. sum. cap.* 8. Rodrig. *ibidem cap.* 249. Bonac *supra dict. n.* 3 Dicastill. *dict. disp* 4. *dubit.* 14 *nu.* 283 latius hanc prosequens materiam, & *ego supra n.* 25.

39 Nec ex *cit. cap. Quidam laicorum* 2. sequitur, fideles teneri audire Missam festi diei currentis, ut ex illo putavit Angel. *Verb. Missa n.* 33. Ad satisfaciendum enim præcepto, auditio cujuscunque Missæ sufficit, etiam si sit defunctorum, ut omnes asserunt, Azor, Tolet. Henriq. Sot Soar. Navarr Caiet. & alij, quos affert, & sequitur Fagund. *in* 1. *Eccles. præcept. l. 2. cap.* 3 *n.* 3 Ratio est, quia fideles tenentur tantùm ad Missam audiendam, sive sit votiva, sive de festo: textus autem cit. verbis supponit, sacerdotes Missas celebrare de currenti die, juxta Missalis Rubricas.

40 Probatur 2. quia datur præceptum de servandis Rubricis, & Rictibus Missalis: sed hoc præceptum est de materia gravi: ergo sub mortali obligat. Maior constat ex Bulla P. Pij V. in principio Missalis posita, ibi: *Mandantes, & stricte omnibus, & singulis in virtute S. Obedientiæ præcipientes, ut Missam juxta Ritum, modum, ac normam, quæ per Missale hoc a nobis nunc traditur, decantent, ac legant.* Hæc B. Pontifex: sed ille, qui in quacunque die, sive Duplici, sive Dominica sive privilegiata, celebrat Missam votivam, non servat Ritum in Missali Rom. præscriptum: ergo. Minor ostenditur, quia latum est præceptum (ut vidimus) & materia est gravis, ut Soar. mox citandus fatetur; & constat ex Decreto S. Congr. ab Alexandro VII. approbato, quod *supra citavimus*, quod tanti fecerunt Ss. Pontifices Alexander VII & Clemens IX. ut potius existimassent, mutanda esse Brevia continentia privilegia ad altaria privilegiata, in quibus juxta formam ipsorum Brevium dicenda erat Missa votiva defunctorum, quam mutare Decretum S. Congreg in quo prohibebatur, dicere Missam votivam defunctorum, in diebus Ritus Duplicis, aut in illis, in quibus prohibetur dicere de Duplici, ut *supra dictum est*: ergo negandum non est, materiam esse gravẽ.

41 Ad verba B. Pij V. respondet Soar. *tom* 3 *in* 3. *partem disp.* 78. *sect.* 3. *Veas. Dico primò, vocabulo Ritus*, & cum eo Bonac. Taner. Tiber. quos sequitur Gobat. *dict. tom.* 1. *tract.* 3. *n.* 704. & alij, S. Pontificem excludisse alias formas Missalium. Sed contra quia juxta eundem Soar. *loco cit.* Qui ex privilegio alio utitur Missali, tenetur servata proportione, ea dicere juxta Ritum in eo Missali contentum: ergo qui utantur Missali Romano, tenentur servare Ritum in eo præscriptum. Et hoc præcipit B. S. Pontifex: ergo cum Ritus hujus Missalis sit quòd serventur Rubricæ, circa Missas votivas, hæ ex B. Pontifice sunt observandæ.

42 Probatur tertiò eadem resolutio contra AA. secundæ sententiæ *n.* 29. *allatæ* dicentes celebrationem Missæ votivæ in die Ritus Duplicis, esse peccatum veniale: Quod non est congruenter dictum; nam vel datur præceptum dicendæ Missæ eo die currentis, vel non: Si datur [ut datur] transgressio erit mortalis, quia præceptum est de materia gravi; si non datur, nec veniale erit. Nec satisfaciunt dicentes præceptum, quoad mutationes earum Missarum, esse de materia levi; quia ex dictis satis constat, mutationes esse graves.

43 Ad primum primæ sententiæ fundamentum *nu.* 26 *in fine adductum*, respondeo, concedendo liberum esse sacerdoti dicere, vel non dicere Missam de hodierna festivitate Transfigurationis Dominicæ, in quæ hæc scribo; dato tamen quòd eam vult dicere, non est illi liberum dicere votivam; sed tenetur dicere de Transfiguratione; & ad hominem patet, quia ipsi adversarij dicunt, esse peccatum mortale in die Resurrectionis dicere Missam de Requie, & tamen in ea die liberum est dicere Missam; dato tamen, quòd eam vult dicere, tenetur ipse sacerdos illam dicere de Resurrectione: ergo ratio est nulla. Si tamẽ sacerdos habet causam physicam, illum excusantem à dicenda hac Missa; tunc poterit dicere votivam; juxta ea quæ diximus *nu.* 22. & 23. Ad secundum respondeo, etiam concesso, quòd in Rubricis præceptum non appareat, negari non potest, dari in Decretis S. Congreg. & maximè à Ss. Pontificibus approbatis; Quare post illas censeo, opinionem cõtrariam sequi non posse.

QUÆSTIO II.

Quæ præſentia corporalis, ſeu phyſica, & moralis ad auditionem Miſſæ requiratur?

SUMMARIUM.

1 *Factorum ſpecies.*
2 *Illa præſentia corporalis, & moralis ſufficit, quod quis, quantum in ſe eſt, poſſit audire, vel videre, ſeu percipere aliquo modo miniſterium ſacerdotis.*
3 *Hæc communiter docent TT.*
4 *Ut quis Miſſam audiat, licèt ipſe, nec audiat, nec videat ſacerdotem, ſufficit, quod audientes, aut videntes comitetur, ſi diſtans ſit unus ex multitudine audientium, aut videntium ſacerdotem.*
5 *Aliqui ad præſentiam moralem requirũt, quod audiens non ſit extra januam Eccleſiæ, atrium, aut me cœmeterium.*
6 *Alij hanc præſentiam limitant arbitrio boni viri.*
7 *Alij ad triginta paſſus illam extendunt, & non ultra.*

1 DE præſentia corporali, ſeu phyſica, & morali ad audiendam Miſſam requiſita, ſæpius fui interrogatus; & in caſibus particularibus ſequentibus. 1. quæ præſentia ſit neceſſaria? 2. An ex domûs feneſtra, mediante plateâ, atriolo, & corpore Eccleſiæ, ad ſummum continentibus triginta paſſus, in altari Maiori Miſſa audiri poſſit? 3 An ex feneſtris domorum civitatis Portugallenſis ſupra murum apparentium, Miſſa audiri poſſit, quæ celebratur in capella B Virginis Pietatis, exiſtente è regione adverſæ marginis fluminis, mediantibus ex utroque ripa, crepidinibus, & ipſo flumine, quæ ad ſummum ſexaginta cõtinent paſſus? 4. An Religioſi, & Moniales ex ſuis ſubſellijs Miſſam ſolemnem cantantes, audiant Miſſam, & præcepto ſatisfaciant; & à ſubſellijs ſurgere teneantur, quando hoſtia, & calix in Miſſa elevatur?

§. I.

Quæ præſentia ad Miſſam audiendam ſit neceſſaria.

2 Reſpondeo, requiri præſentiam, & attentionem moralem ad cultum Religioſum illius ſacri miniſterij. Quanta ergo præſentia corporalis, & phyſica requiratur, & quanta attentio? Varia ſunt DD. placita, illorum ea referemus. Primum, & apud illos commune eſt, hanc corporalem præſentiam, & attentionem moralem conſiſtere, & ſufficere, quod quis volens Miſſam audire, cognoſcat, quid faciat ſacerdos celebrans, & in qua Miſſæ parte verſetur. Sic idem explicat Soar. *tom. 3. in 3 part. diſp. 88 ſect. 3.* ibi *Verbum audiendi, vel tenendi Miſſam, non poteſt alia ratione commodius explicari, quam ut fideles ſecundum moralem, & corporalem præſentiam, aſſiſtant Miſſæ, ita quantum in ipſis eſt, audire, vel videre, ſeu percipere aliquo modo, poſſint miniſterium ſacerdotis.* Dicaſtill. *tom. 1 de Sacram. tract. 5 diſp 5. n.* 19. Sic: *Nomine auditionis Miſſæ intelligitur moralis illa, corporaliſque aſſiſtentia, qua quis adeſt Miſſæ, vel audiendo, vel videndo celebrantem, vel certe ibi exiſtendo, comitando, aut ſociando cæteros videntes, aut audientes, ita ut moraliter cenſeatur præſens illi actioni.* Sic Dicaſtill. Gordonus *in Theol. moral. tom. 2. l. 6. q. 7. cap. 2. § 3. nu.* 12. Ita ait: *Debet auditurus Miſſam, eſſe corpore præſens, ita nempe, ut poſſit utrumque cognoſcere, quid agat, in qua Miſſæ parte verſetur ſacerdos celebrãs; & dummodo hæc ſerventur ſatis eſt, etiam ſi ſit poſt altare, vel extra Eccleſiam, ſic enim morali modo imo & phyſico, dici poteſt de numero eorum qui in canone dicuntur circunſtantes.* Sic Gordan.

3 Omitto, aliorum verba referre, nam in eorum ſenſu conveniunt Reginald. *l.* 19 *n.* 12. Ægid. Coninch. *in 3 part. q.* 83. *art.* 6. *nu.* 299. & *ſeq.* Laym *l* 4 *tract.* 7. *cap.* 4 Leand. *tom.* 3. *tract.* 2. *diſp.* 1. *q.* 101. & 102 & *ſeqq.* Maſcarenhas *de Sacram. tract.* 5 *diſp* 6 *cap* 9 *n.* 507. Eſcobar *tom* 5. 2 *part. l* 42 *ſect.* 2. *cap.* 11. *nu.* 218. & 229. & apud ipſum Paſchal *tract* 5. *de Sacram. deciſ* 173. Fagund. *in Eccleſ præcept.* 1. *l* 2. *cap.* 7. *n.* 2. Caſtr. Palaus *tom* 4 *tract* 22 *diſp. unic. punct.* 16. *nu.* 1. Hurt de Euchar. *diſp.* 1 *diff.* 1. Henao *de ſacrif. Miſſ. diſp.* 30 *ſect.* 6. *nu.* 92. Gobat *tom.* 1. *tract.* 5. *ſect.* 2 *nu.* 12 & alij qui omnes conveniunt, ad audiendam Miſſam ſatis eſſe, quod quis ita Miſſæ corpore ſit præſens, ut quantùm in ſe eſt, poſſit aliquo modo percipere miniſterium ſacerdotis celebrantis, ſeu quid agat, dicatvè.

4 Conveniunt tamen, audire Miſſam illum, qui de longe aſſiſtens eſt pars multitudinis, quæ dicitur præſens Miſſæ, & cum illis conjungitur; qui ſunt in conſpectu altaris. Sic cum pluribus Leand. *cit q.* 107 *prope finem*, Eſcobar. *n* 22 & Gobat. *n.* 26. & alij *ſupra cit.* Licet Card. de Lug. *de Sacramentis diſp.* 22 *n.* 20. requirat eam diſtantiam, quæ audientem ab humana præſentia non extrahat, quæ ſanè non extrahit, dum alios aſſociat, & comitatur.

5 Præciſo proximo caſu, aliquibus placet, non audire Miſſam illum, qui eſt extra Eccleſiam, ejus atrium, aut cæmeterium; quia non habet corporalem præſentiam moralem, ad auditionem Miſſæ requiſitam. Sic Dian. 4 *part tract* 4. *reſol* 154. dicens, ſic ſe conſuluiſſe Marchioni Hieracenſi interroganti, an ex feneſtris domorum è regione D Dominici, & D. Franciſci Eccleſiarum adſtantibus, poſſit audire Miſſa? Et reſpondit negativè cum Filiuc. *tom.* 1 *tract.* 5. *cap.* 7 *n.* 209. & Portel. *in addition. ad dub. Regul. Verb. Indulgentia num.* 8 Ex

ratione

ratione deducta. Pro eadem Dian. sententia, citari etiam possunt Trullench. *tom. 1. l. 3 cap. 1 dub. 5. n. 13.* Machad. *l. 2 part. 4 tract. 1. docum. 3 num. 3.* Gesuard. *de Sacr. tract. 17 cap. 2. num. 34.* Hæc tamen horum DD. placitum, non admittetur infra *n.* 11. & in alijs non seqq.

6 Alij aliâ viâ procedunt dicentes, non sufficere magnam distantiam à loco, in quo Missa celebratur, ut quis corporaliter Missæ dicatur præsens. Hujus placiti est Card. de Lug. *de Sacram. disp. 22. num.* 20 probat: Quia sicut ad consecrationem hostiæ, & calicis requiritur ea distantia, cujus ratione non repugnet, quod materia demonstretur hoc pro nomine *hoc*, ita etiam in auditione Missæ, distantia non debet esse tanta, ut extrahat volentem Missam audire ab humana præsentia. Cardin. subscribit Tamburin. *l. 4. decal. cap. 2. §. 1 n.* 14. dicens, distantiam non debere esse magnam; judicio tamen prudentis metienda. Uterque enim rectè, quia distantia, quæ extrahit Missam volentem audire ab humana præsentia, judicio prudentum Missam non audit. Prudentes autem fuerunt *cit. nu. 2. & 3.* & præsentia ab illis designata, est de judicio prudentum. Addo Dicastill. *cit. dict. tract. 5 disp 5. n. 59* loquentem de audiête Missam ex fenestra suæ domûs, non obesse, quod interjaceat satis ampla platea, nec multum curat de distantia, & merito ut *infra per totum* §. 3.

7 Alijs placuit, dividere præsentiam corporalem, in physicam corporalem, & in corporalem, moralem, ut Bassæus *tom. 1. Verb. Missa 8. n. 2.* Gobat. *tom. 1 tract. 5. nu.* 24 & alij non tamen expresè; & illam dici præsentiam physicam corporalem, quæ datur in existentibus ad Missam inter eadem septa alicujus capellæ, aut Ecclesiæ; & corporalem moralem in ijs, qui extra januam capellæ, aut Ecclesiæ consistunt, ad Missam audiendam. Et ut audiatur Missa, sufficit præsentia corporalis moralis, si aliquo sensu, nempe visu, aut auditu percipiatur, quæ in eo sacrificio sacerdos agit. Distantiam tamen inter ipsum sacerdotê & audientem, non determinant. Illam tamen aliquo modo determinant Cardin. de Lug. Escobar. *locis cit.* & Gobat. *num* 174. existimantes, non esse nimiam, quæ 30 passus non excedit. etiam nullis interjectis personis, inter sacerdotem, & Missam audientem, ipse Gobat. *n.* 166.

8 Ex dictis colligo, dari præsentiam moralem corporalem ad auditionem missam requisitam, quando illam volens audire, percipit, quando sacerdos Missam incipit, quando est in lectione Epistolæ, Evangelij. offertorio, Canone, elevatione hostiæ, & calicis, & alijs, quæ usque ad finem Missæ à sacerdote peraguntur. In his conveniunt omnes; quanvis aliqui velint, necessariam esse physicam præsentiam in eo loco, quo Missa celebratur, cum sufficiat corporalis moralis; & alij illam velint determinare ad distãtiam non magnam inter sacerdotem, & Missam audientem; cum in magna dari possit præsentia corporalis moralis requisita. Alij illam determinant ad 30. passus, cum infra, vel supra illos, possit, vel non possit, dari ea corporalis moraliter præsentia, quando Missa, non interjectis alijs personis auditur.

§. II.

An ex fenestra domus, mediante platea non lata, atriolo, & gradibus, & corpore Ecclesiæ, ad summum continentibus triginta passus, & in altari Maiori, Missa possit audiri.

SUMMARIUM

9 *Facti species.*
10 *Adducitur opinio AA. gravium remissivè.*
11 *Profertur opinio contraria.*
12 *Et stabilitur.*

9 In nobili villa da Louzam Conimbricensis Diœcesis occasione aliquarum concionum virum Religiosum, & doctum nostræ Societatis IESU comitabar, & ab habitatoribus domorum è regione Ianuæ principalis, & altaris Maioris Ecclesiæ parochialis commorantibus, quæsitum fuit: An ex fenestris earundem domorum Missam potuissent audire? Dicebant enim se habere altare ad conspectũ, in illo que videre sacerdotem, & percipere omnia, quæ ab illo fiebant; Quando incipiebat Missam, legebat Epistolam, Evangelium, & hostiam, & calicem elevabat, & reliqua usque ad finem Missæ. Etsi Missa in diebus festis ad populum dicebatur altiori voce, sonitum illius licet confusè audiebatur. Distantia à fenestris usque ad altare Majus ad summum triginta passus continere poterat.

10 Sacerdos doctus, & senior respondit, non posse ex ijs fenestris Missam audiri, quia ad illius auditionem præsentia requirebatur, quæ dari non poterat erga illos, qui extra Ecclesiam existebant. Hæc responsio dicti Patris pro se plures, & graues habet DD. & ex eadem facti specie, respondit Dian. 4. *part. tract. 4 resol.* 154. & alij plures, quos citavimus *supra n.* 5. Et quamvis ob reverentiam dicto Religioso debitam, utpote Seniori, annuissem.

11 Tunc, & nunc existimo ex dictis fenestris posse, audiri Missam, & præcepto satisfieri, etiam si nullæ personæ audientes Missam interjiciantur inter existentes in fenestris, & ipsum sacerdotem in eo altari celebrantem. Ratio est, quia præsentia extra templum, potest sufficere, ad Missam audiendam, quando est humana, & moralis. Et in præsenti, aut simili casu id tenent Card. de Lug. *dict. disp. 22 n. 2.* Francisc. de Lug. *l. 5. cap. 14 q. 9. n. 88.* Malcarenhas *cit. dict. cap. 9 num* 105. Gobat *proximè dict.*

dict. tract. 9. n. 172. Leand. *tom. 3. tract. 2. q. 103.* Dian. *part. 10 tract. 11. resol. 7. in fine & tract. 14. res. 47.* Henao *de Sacrif. Miss disp. 30. sect. 6. num* 101 & alij quos citant, Et pro hac sententia etiam citari possunt omnes illi, quos *supra n. 2. & 3.* attullimus.

12 Et præcisâ distantiâ supra dictâ; ostenditur eadem resolutio; quia verè assistit corporaliter, & moraliter ille,] etiam si sit extra Ecclesiam] qui potest dare testimonium oculatum, quòd eo loco Missa celebretur, & de omnibus, quæ in ea peracta sunt, non minus, ac si esset intra Ecclesiam, & fortasse melius, quâ si esset in atrio, aut ex cæmeterio Ecclesiæ; & tamen DD. *n. 10. cit.* sustinent posse ex atrio, aut ex cæmeterio Missam audiri: ergo etiam ex illis fenestris, quæ sunt per tres passus tantum ab atrio separatæ.

§. III.

An Religiosi, & Moniales ex suis subsellijs Missam solemnem cantantes, Missam audiant, & præcepto satisfaciant; & surgere teneantur, quando hostia, & calix elevantur, ut quod in Missa agatur, videant?

SUMMARIUM

18 *Missam audiunt, & præcepto satisfaciunt.*
19 *Ex choro post altare structo Missa auditur, & præcepto satisfit.*
20 *Existentes in choro, licèt non cantent, Missam audiunt.*
21 *Licèt commodè aliquis possit videre celebrantem, dum S. hostiam, & calicem elevat, ad id nõ tenetur.*

18 Ad primam quæstionis partem respõdeo affirmativè. Sic omnes. Probatur primò, quia ad auditionem Missæ sufficit, quòd verba celebrantis audiantur; aut aliquo signo cognoscatur, quid agat celebrans, aut in quâ Missæ parte versetur; ut ex cit. DD. satis constat, & relatis Caiet. Soar. Bonac. Regin. & alijs tenet Leand. *tom. 3 tract. 2. disp. 1. q. 96. & cit.* Fagund. & Hurt. Cardin. de Lug. *de Sacram. disp. 22 n. 20.* Sed Religiosi, & Moniales ex suis subsellijs Missam canentes, hæc habent, quin sacerdotem videant: ergo, & Missam audiunt, & præcepto satisfaciunt.

19 Secundò probatur: nam existentes in choro post altare structo, non videntes celebrantem, Missam audiunt, & præcepto satisfaciunt, ut fatentur Card. de Lug. *dicta disp. 22. num 20.* Gordon. *tom. 2. l. 6. q. 7. cap. 2. numer. 12.* Leand. *proximè q. 104.* Henao *de Sacrif. Miss disp 30 sect. 6. n 99.* Escobar. *tom. 5 part. 2. l. 42. sect. 2 cap. 11. num. 234.* Gobat. *tom. 1. tract. 5. nu. 33* ex ratione, quia datur præsentia moralis: ergo etiam canentes in choro, licèt sacerdotem non videant, Missam audient.

20 Tertiò, quia existentes in choro, licèt non cantent, nec videant sacerdotem, Missam audiunt, quia præsentiam habent moralem, ut dicunt cit. DD. ergo à fortiori illam audiunt in choro cantantes.

21 Ad secundam quæstionis partem respondeo; non teneri dictos Religiosos, & Moniales à suis subsellijs surgere, quando Hostia, & calix elevatur, ut Missam audiant. Ratio est, quia licèt quis possit commodè videre, & audire celebrantem, ad id non tenetur, ut allatis pluribus, inquit Leand. *citat. q. 97.* ergo etiam non tenebuntur Religiosi, & Moniales à subsellijs surgere, quando Hostia, & Calix elevatur. Hæc consequentia est expressa apud Henao *cit. dict. n 99.* ibi: *Nec necesse est, videre hostiam, & calicem, cùm elevantur. Quâ ignorantia vulgus Gallecorum, & Asturum laborare, jam olim observavi; consuetumque esse ijs, qui in templo ultimum locum tenent, clamare ante elevationem, ut anteriores inclinent corpus, & capita.* Sic Henao. Ergo si existentes in Ecclesia, Missam audientes, ad id non tenentur, ut Missam audiant, nec etiam canentes in choro ad idem tenebuntur.

QUÆSTIO III.

An Prior ad tempus sulpensus, aut vicarius à Prælato substitutus, ad onera Missarum singulis annis dicendarum teneatur, & in defectum, annexactor reddituum Ecclesiæ, vulgo Prioste?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Ad ea Missarum onera tenetur Vicarius, & non Prior.*
3 *Illa Anniversaria Missarum intra annum ne; cessario erant celebranda.*
4 *Mortaliter peccant sacerdotes diu differentes Missas.*
5 *Vicario congrua assignata est portio, ut eas Missas celebrare potuisset.*
6 *Hoc onus Missarum attendens Prælatus, solitò maiorem assignavit portionem.*
7 *S. Card. Cong. pro singulis mensibus assignat duos aureos.*
8 *Prior ex eo, quòd titulo non caret, ad eas Missas non tenetur.*
9 *Vicario assignata portio fuit, ut onera Ecclesiæ, & non tantum parochialia sustinenda.*
10 *Sua culpa, & non exactoris, vulgò Porioste, defecit Vicarius.*
11 *Ignorantia non illum excusat.*

1 SUspenso Stephano à suo Prioratu, ob quoddam crimen Episcopus vicarium substituit, duraturum usque ad finem litis, assignata portione, pro singulis mensibus viginti ducatorum. In ea Ecclesia Prior, &

& alijs beneficiarijs erat onus impositum, celebrandi certum Missarum numerum in singulos annos, ex quibusdam Anniversarijs, quæ intra annum ab exactore reddituum Ecclesiæ, *vulgo* Priostè, per ipsos sacerdotes distribuebantur, at exactor Missas, quæ per distributionem ad Priorem pertinebant, nec Vicario, nec ipsi Priori distribuit; sed post adeptam pacificam possessionem illas assignavit dicendas Priori. Quæritur 1. quis teneatur eas celebrare Missas, Prior, vel Vicarius? 2. Ad quid teneatur exactor reddituum Ecclesiæ?

§. I.

Quis teneatur eas celebrare Missas, Prior, aut Vicarius?

2 Respondeo in foro conscientiæ, teneri Vicarium, & non Priorem, Ratio est, quia Vicarius à Prælato constitutus, dum Prior est suspensus, tenetur ad omnia illius Ecclesiæ onera, ad quæ teneretur Prior, si non esset suspensus: sed unum ex oneribus hujus Ecclesiæ est, tot facere Anniversaria Missarum, pro animabus fundatorum, seu ex illorum dispositione: ergo Vicarius ad illud tenetur. Maior patet ex *Conc. Trident. sess. 24. de reform. cap. 18. in princip.* ibi: *Idoneum in ea Vicarium cum congrua, ejus arbitrio, fructuum portionis assignatione constituere; qui onera illius Ecclesiæ sustineat, donec ei de Rectore provideatur.* Accedit *Declar. S. Concil. Congreg. anno 1577* apud Garciam *part 9. cap. 2 n. 8.* Sic habens: *Secundo, is Vicarius sic constitutus obibit illa omnia munia, quæ Consil. sess. 24 &c.* Sed hic Vicarius à Prælato fuit cõstitutus, assignatâ portione viginti ducatorũ, pro quolibet mense, ut onera illius Ecclesiæ sustineret: ergo dum illa Ecclesia est suo Pastore privata, tenetur ad illa Missarum Anniversaria: Minor ostenditur, quia ex tabella in sacristia appensâ, & ex libris illius Ecclesiæ constat, esse onus impositum omnibus sacerdotibus emolumenta, & utilitates ab ea Ecclesia accipientibus; celebrandi Missarum Anniversaria, quæ per distributionem illis evenirent: sed vicarius loco Prioris, in hoc Missarum onere, succedebat, & emolumenta, & utilitates ab ea Ecclesia accipiebat. ergo pro tempore sui Vicariatûs ad dicta Missarum onera tenebatur. Maior, & minor bene sunt probatæ, & de se expressæ; consequentia verò rectè colligit.

3 Secundò probatur, quia Missæ celebrãdæ certis, & determinatis diebus, absque peccato mortali differri nequeunt, ad annum sequentem. Videantur Arriag. *tom. 7. disput. 56. sect. & subsect 2. num. 20 & 21.* Henao *de sacrif. Miss. disp. 31 sect. n. 54* & alij, quos citant: sed Missarum Anniversaria illius Ecclesiæ; certis, & determinatis diebus erant celebranda intra eundem annum, juxta distributionem: ergo ad sequentem, & sequentes absque gravi peccato, differri non poterant. Sed Prior pro ijs annis, quibus erat suspensus, ea non poterat celebrare: ergo vices illius gerens, illa tenebatur celebrare.

4 Maior videtur certa, quia DD. communiter in eo conveniunt, sacerdotes diu Missas, quas tenentur celebrare, differentes peccare mortaliter. Sic Sylvest. Angel. Petr. Navarr. Nald. Córdub. Reginald. Fagund. Laym. Marchin. Dian. Machado, & alij, quos afferunt, & sequuntur Leant. *tom. 3. tract. 8. disp. 4. q. 17.* Escob. *tom. 3. part. 1. l. 21. sect. 2. cap. 13. n. 160* Dicastill. *tom. 1. de Sacram tract 5. disp. 4 à n. 400.* Et quamvis aliqui apud Leand. *cit.* putent, posse differri Missas ex eleemosyna ad tres menses, quando eas petentes maiorem celeritatem non requirunt; hoc non habet locũ in anniversarijs, quæ à fundatoribus tempus habent determinatum; & si ab uno hæc non possunt celebrari, alius pro eo tempore substitui debet, à quo dicantur. Hic autem fuit Vicarius constitutus.

5 Tertiò probatur, quia vicarius amplam obtinuit Portionem, ut onera tam parochialia, quam Anniversariorum ipsius Ecclesiæ sustineret: ergo cùm commodum tam pingue sentiat, sentire etiam debet onus Anniversariorum, juxta juris Reg. *Qui sentit onus de reg. jur in 6.* Ideo enim ea portio fuit assignata; ut *mox num. 7.* videbitur.

6 Ex dictis satis patet, hunc Vicarium teneri ad has Missas, quæ absque gravi peccato, non poterant de uno, ad sequentem annum differri, neque ad absolutionem litis, quæ plusquam per duos annos absoluta non fuit. Et hac de causa) ut arbitror] Prælatus illi tam pinguem portionem, viginti ducatorum, pro quolibet mense assignavit.

7 Dixi his *n. 5 & 6.* portionem à Prælato viginti aureorum assignatam fuisse amplam, & pinguem; quia licet *Conc. Trid. dict. sess. 24. de reform. cap. 18. in princip* dicat illam esse arbitrio Prælati assignandam; Sat tamen Congreg. Concil. eam duorum aureorum pro singulis mensibus assignavit; & in hac quantitate esse justam, sentiunt Galet. *in Margarit cas. conscient. Verb. Vicarius* 8. Campanil. *in diverf. jur. Canon. tbr. 7. cap. 6. n. 116 in fine*, quos refert Barbos *in collet. ad cit. locum Trident. n. 43* & *de potest. paroch. cap. 2. n. 35.* Fateor tamen maiorem designatâ à S. Conc. Congr. à Prælato assignari posse; tum ratione loci, tum temporis, & necessitatis, dummodo sit justa, ut cum Navarr. inquit Garcias *dicta part. 9. cap. 2. n. 15. 16. & 17.* tractans de hac S. Congreg. Declarat. Hactenus dicta non solùm habent locum in vacatione Parochialis Ecclesiæ, sed etiam in privatione loco ejusdem ipsius parochi, ut in nostro casu; ut cum Massob sentit Barbos. in Collect. ad *cit. locum Trid. num. 38.* ibi: *vel per privationem.*

8 Nec

8 Nec obſtat 1. Quòd hoc onus Anniverſariorum ad Priorem, & non ad Vicarium pertinet, ut conſtat ex ipſis Eccleſiæ libris, & ex tabellâ in ſacreſtia appenſâ; & pro toto duorum annorum tempore, quo his pendebat, dabatur Prior in illa Eccleſia: verum habens titulum, & collationem à ſuperiori legitimo factam: ergo ad Priorem, & non ad Vicarium Miſſæ Anniverſariorum pertinebant. Nó, inquam, hoc obſtat, quia licèt daretur Prior de jure, de facto non dabatur, quia erat ſuſpenſus ab officio; & loco illius erat Vicarius à Prælato conſtitutus, ut munia Eccleſiæ ſuſtineret & rationi congruit, ut ſuccedat in onere, qui ſubſtituitur in honore, ut habet *Reg. 77 de reg jur. in 6.*

9 Nec obſtat 2. quòd hic Vicarius portionem habuit deſignatam ad onera ſuſtinenda parochialia, & non ad Miſſarum Anniverſaria, quæ illius Eccleſiæ onus erant ſpeciale. Non, inquam, obſtat, quia portio à Prælato aſſignata fuit, & jam pro eo ſpeciali onere illius Eccleſiæ, ut aperte conſtat ex verbis *Conc. Trident. cit.* ibi: *qui onera ipſius Eccleſiæ ſuſtineat*: in quibus comprehendit omnia onera ipſius Eccleſiæ, ut S. declaravit Congr. quæ non ſunt tantùm onera parochialia, ſed etiam alia, ſi qua dantur in eâ Eccleſia; & bene colligitur ex pingui portione conceſſa, ut jam notavimus *ſupra*. Et hoc eſt adeo verum, quod ſi huic oneri talis Vicarius non ſatisfaciat, peccet contra juſtitiam, & teneatur ad reſtitutionem, ut inquit Dicaſtill. *tom. 1. de Sacram. diſp. 4. num* 325. loquens de parocho non adimplente Anniverſaria, quæ ex fundatione jubentur celebrari pro aliquo particulari, vel pro communitate; & ſi ſtipendium pro ipſis recipiat, ad reſtitutionem teneri.

10 Non obſtat tertio, dicere, hunc Vicarium culpâ vacaſſe, quia exactor reddituum Eccleſiæ, cui incumbebat in principio anni Miſſas diſtribuere per ſacerdotes illius Eccleſiæ; nullas in principio unius, & alterius anni huic Vicario diſtribuit; & ubi culpa non eſt, delictum eſſe non poteſt. *cap. cum voluntate, de ſentent. excommunic.* Non, inquam, hoc dictum obſtat, quia non excuſatur Vicarius ab onere celebrandi, quia exactor reddituum vulgò Prioſte illi in utroque anno nullas diſtribuit [de illius enim injuſtitia mox dicetur.] quia ad ipſum Vicarium pertinebat ſcrutari, & ſcire, an tales Miſſæ ab ipſo eſſent dicendæ, aut non; unuſquiſque enim tenetur ea, quæ ad ſuum ſtatum, & officium pertinent, cognoſcere, & ſcire, ut omnes docent. Et ſcire, ad quem pertinebat dicere illas Miſſas, quæ intra annum non dicebantur contra fundatoris voluntatem, illi incumbebat.

11 Nec illum ignorantia excuſabat, ut ex preſsè conſtat *ex text. in cap ſi culpa de injur.* ubi dicitur, ignorantiam non excuſare, quando quis debuit ſcire; & *Inſt. de leg. Aquil. §. Præterea* ubi etiam dicitur, imperitiam in re ad proprium officium pertinente non excuſare; & jura clamant, paria eſſe ſcire, & debere ſcire *l. Quod te mihi ff. de reb credit.* Nec etiam excuſatur, dicens, ſe ea onera Miſſarum celebrandarum à Priore, & alijs hujus Eccleſiæ ſacerdotibus, probè ſcivisſe; at cùm prope diem expectaret Priorem ſuæ Eccleſiæ eſſe reſtituendum, illi Miſſarum oneri non ſatisfeciſſet, ut Prior reſtitutus, Miſſas, quæ ad illum pertinebant, celebraret? Non, inquam, per hoc excuſatur, nam eâ nixus ſpe à culpa non manebat immunis; quia Anniverſaria intra annũ erant celebranda, & ad illius finem non relinquenda, cum periculo illa non celebrandi pro animabus; ut de facto illo, & ſequenti anno celebrata non fuerunt, cum damno animarum in Purgatorio exiſtentium.

§. II.

An in defectu Vicarij, teneatur ad reſtitutionem illarum Miſſarum Exactor, *vulgo Prioſte* & in defectu hujus, ipſe Prior?

SUMMARIUM

12 *Si malâ fide Vicario Miſſas non deſtribuit, tenetur, Vicario non ſatisfaciente.*

13 *Si bona fide, non tenetur; tenetur tamen illũ admonere, ut reſtituat.*

14 *Non ſatisfacientibus Anniverſarijs Vicario, & exactore, vulgò Prioſte, tenetur ipſe Prior poteſt tamen ſe compenſare.*

12 Ad primam tituli partem reſpondeo cum diſtinctione: vel enim exactor Miſſas Anniverſariorum malâ fide Vicario non diſtribuit, vel bona fide; ſi malâ fide, reſpondeo, deficiente Vicario in reſtitutione illarum Miſſarum, teneri ad eas Miſſas ipſum exactorem reddituum illius Eccleſiæ. Quod teneatur, oſtenditur, quia fuit cauſa injuſta, ne illa Anniverſaria celebrarentur per duos annos. Quòd verò teneatur ad hanc reſtitutionem deficiente Vicario conſtat; quia Vicarius ſtipendium illarum Miſſarum recepit, quando congruam portionem, ad ſuſtinenda onera illius Eccleſiæ recepit. Et juxta reſtitutionis ordinem, ille primo loco tenetur, qui factus eſt ditior; & ſecundo loco, qui damni injuſta fuit cauſa. Eſt communis TT. doctrina, Vaſq. *in opuſc. de reſtit. cap 9. dub. 3 n. 43. & 53.* Molin. *diſput. 737. n. 2.* Leſſ. *de juſt. l. 2 cap. 13. dub. 5. num. 39.* quos refert & ſequitur Card. de Lug. *tom. 1. de juſt. diſp. 19. ſect. 4 n 119.*

19 At ſi bona fide proceſſit, exiſtimans, eas Miſſas eſſe dicendas à Priore Eccleſiæ, & ideo illas Vicario non diſtribuit? Reſpondeo non teneri, nec etiam ſecundo loco, deficiente Vicario; quia ex illâ non diſtributione in nihilo factus ditior, ut ſuppono. Cæterum, cum

cum ex officio teneretur, eas Missas tempore habili distribuere, ne defectum intra annum, animæ paterentur; & dabatur sacerdos, nempe Vicarius, qui loco Prioris portionem habebat ad eas Missas celebrandas; respondeo teneri illum admonere, ut Missas celebret omissas pro tempore sui Vicariatûs. Quod si nolit, ad aliam eum non obligo restitutionem.

14 Si tamen Vicarius suæ noluerit satisfacere obligationi, ut dictum est teneri; censeo Priorem teneri illa Anniversaria omissa celebrare, vel facere celebrari. Moveor, quia licèt Vicarius ad illa teneretur, ut satis manet probatum; ad Priorem restitutum ad suum beneficium pertinet, ut onera Ecclesiæ omissa satisfiant per se ipsum, aut per alios. Ita colligitur ex communi DD. doctrina, asserentium beneficiarium in beneficio succedentem, qui non potuit inducere hæredes sui antecessoris ad solvendam pensionem suo beneficio impositam, teneri illam solvere, non solum debitam pro uno anno, sed per plures; ex ea ratione, quia illa pensio erat onus illius beneficij. Sic Gigas *de pension. q.* 39. Azor *tom. 2. Inst. moral. l.* 8. *cap.* 8. *quæst.* 14. Garcia *de benef. 1. part. part.* 5. *a numer.* 191. Castr. Palaus *tom.* 2. *tract.* 13. *de benef. disp.* 1 *punct.* 11. §. 6. *a numer.* 3. Filliuc *de stat. cleric. tract.* 41. *cap.* 6. *numer.* 17. Sic etiam dicitur de successore in re emphyteutica Fragos. *de regim. reip. Christian. part.* 3 *disput.* 4. §. 3. *numer.* 18 cum pluribus: sed Anniversaria in parte beneficij Prioratûs curati erant illius onus: ergo non satisfaciente Vicario, tenetur satisfacere ipse Prior jam restitutus. Potest tamen contra Vicarium, & illo defuncto contra illius hæredes procedere, vel compensationem facere, quia recipiens congruam à Prælato assignatam pro tempore Vicariatûs ad onera Ecclesiæ tenebatur, ut ex dictis constat.

QUÆSTIO IV.

Quomodo se gerere debeat emptor domûs, Anniversario Missarum obligatæ celebrando à sacerdotibus certæ Parochiæ, quod præsenti tempore ipsi repudiant, ob tenuitatem eleemosynæ; & non datur hæres, nec aliquis qui velit ad S. Pontificem recurrere, pro reductione Missarum?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Emptor non tenetur omnes domus tradere redditus, ut Missæ celebrentur.*
3 *Venditio domus fuit valida ignorato onere Missarum.*
4 *Tenetur reparare domum, ne ruat; & potest illam vendere.*
5 *Si illius culpa corruat domus, tenetur ad censum, secus si pars illius.*
6 *Non tenetur Romam recurrere, pro reductione Missarum ad minorem numerum.*

1 HYacintus sacerdos ignorans impositum esse censum certæ domui, ut ex eo Anniversarium centum, supra quatuor Missarum singulis annis in perpetuum celebrarentur pro intentione cujusdam testatoris obligatæ illam emit, & de hoc Anniversario jam notitiam habens possessionem cepit. De illo vero sic erat in testamento dispositum. *Impono super domum meam, quam habeo in tali platea, censum quinque millium regalium Lusitanorum, Lusitanè, sinco mil reis, ut ex illo, singulis annis in perpetuum, à sacerdotibus meæ Parochiæ centum super quatuor Missæ celebrentur, cum eleemosyna unius argentei, Lusitane dous vintens, pro singulis.* Eleemosyna pro illo tempore pinguis, & ut talis à sacerdotibus Parochiæ testatoris fuit acceptata. Decursu temporis reddita fuit tenuis, & pro illâ sacerdotes in eâ Parochia successores stare noluerunt; & legatum sibi relictum repudiarunt. Ad explicationem suæ dubitationis addit Hyacinthus duo primum, dictam domum, ut reparetur, quinquaginta millibus regalibus Lusitanis indigere; secundum testatorem non solùm supra censum suæ domus, sed etiam supra omnia sua bona mobilia, imposuisse legatum. Quæritur 1. ad quid teneatur Hyacintus? 2. An hæredes testatoris teneantur augere eleemosynam Missarum illius Anniversarij? 3 An per alios sacerdotes, ei eleemosynæ tenui acquiescentes Missæ Anniversarij celebrari possint?

§. I.

Ad quæ teneatur Hyacintus?

2 Sub hoc titulo quatuor ab Hyacinto inquiruntur. Primum, An teneatur omnes tradere redditus domûs à se emptæ sacerdotibus Parochiæ, ut pro præsenti tempore sufficientem habeant eleemosynam? Secundûm, Anniversarij? Tertium, An teneatur reparare domum, ne census ad Anniversarium deficiat? Quartum, An teneatur ad Sedem Apostolicam recurrere, ut ad minorem numerum Missæ Anniversarij reducantur.

Ad primum respondeo, non teneri sacerdotibus Parochiæ omnes tradere redditus domûs emptæ. Ratio est, quia per emptionem, et possessionem adeptam se tantùm obligavit ad solvendam pensionem, in ea domo collocatam: ergo dum illam singulis annis solvit, ad aliud non tenetur. Quod vero sacerdotes Parochiæ testatoris illi tenui eleemosynæ non acquiescant, ad illum non attinet.

3 Ad secundum respondeo, non posse Hyacintum emptionem rescindere. Ratio est, quia licet, quâdo domum emit, ignorasset illud onus

Anniversarij, postea tamen dum illud cognovit, possessionem domus adeptus est, & pensionem impositam incepit solvere Sacerdotibus Parochiæ: DD. autem communiter docent, emptorem domùs, inscium obligationis supra domum impositæ teneri, aut tradere domum venditori, aut solvere illam obligationem. Quod consilius egit Hyacintus. Vide Tamburin. *in l. 8. decal. tract. 3. cap. 3. § 3. num. 5. impresso Venetijs anno* 1654. Regressum tamen potterat habere contra venditorem, quia verò intra annum illum non intentavit, ut poterat ex jure, & DD. quos affert & sequitur Castr. Palaus *tom. 7. de justit. disp. 5. punct. 22. numer. 16.* jam non potest; & sic valida mansit emptio domùs, & ille obligatus ad solvendam pensionem, supra domum impositam sacerdotibus, ut Missas Anniversarij celebrent.

4 Ad tertium respondeo, Hyacintum teneri reparare domum ex suo, & non ex censu. Probatur primum, quia per emptionem validam factus est dominus illius, non solùm quoad dominium utile, sed etiam quoad directum; & potest illam locare alteri, & vendere, cui voluerit; sic cum communi DD. sententia *in tract. de Cens.* tradunt Molin. *tract. & tom 2. disp. 381. Vers. Differt contractus*, Card. de Lug. *tom 3. de just. disp. 27. numer. 1.* & alij: ergo cum dominium domùs ad illum pertinet, ad illum etiam pertinet illam reparare. Secundum ostenditur, quia dum domus est integra, licet debilis, tenetur pensionem solvere censuarius, ut tenet Molin. *cit. disp. 391. Vers. Hac clausula*, prope finem, & alij: ergo ex pensione alteri debita, domus reparari nequit.

5 Si tamen dicta domus absque culpa Hyacinti corruat, pensionem solvere non tenetur; & cessat Anniversarium Missarum in ea domo constitutum. Sic colligitur ex doctrina Molin. *cit.* Card. de Lug. *disp. 27. sect. 6. numer. 103. fine*, Castr. Palaus *tom. 7. de Just. disput. 6. punct. 18. numer. 22.* Secùs dicendum, si domus culpa Hyacinti corruat; nam tenebitur in alia re eum censum subrogare, & interim censum solvere, ac si domus integra subsisteret. Sic relatis Molin. Salas. & alijs Card. de Lugo *proxime numer. 128.* Castr. Palaus *loco citat.* Unde sequitur, Missas Anniversarij in domo præicta constitutas, non cessare. Sic de hoc casu docent cum Praxinel. Peres de Lara, Pellizario, & alijs Tamburin. *l. 3. Method celebr. Miss. cap. 1 § 3. numer. 89.* Henao *de sacrif. Miss. disput 31. sect 10. numer. 93.* Si tamen domus non in totum corruat absque culpa dicti Hyacinti censuarij; tunc tenebitur ad partem census, juxta partem nõ delapsam arbitrio boni viri.

6 Ad quartum respondeo, non teneri Hyacintum ad Sedem Apostolicam recurrere pro reductione Missarum, ad minorem numerum. Ratio est, quia Hyacintus ex contractu emptionis domus, solùm tenetur ad tradendum censum sacerdotibus Parochiæ, & non ad alios sumptus in acquirenda à Sede Apostolica Missarum reductione. Nec obstat, quòd hic recursus fit absque ulla impensâ, ut constat ex *Declarationibus ad §. 1. Decret. S. Concil. Congreg. sub Urbano VIII. edit. 21. Junij* 1625. in quibus, ne detur excusatio recurrendi ad Sedem Apostolicam pro ea reductione, dicitur: *A Sede Apostolica absque ulla impensâ, esse id statuendum, quod magis in Domino ei esse judicaverit.* Non, inquam obstat, nam præterquam, quod hic recursus ad Hyacintum non pertinet, ut dictum est, semper tamen aliqui necessariò faciendi sunt sumptus cum Bancarijs nolentibus hoc munus obire sine salario, & illos facere non tenetur Hyacintus, cum hæres testatoris non sit constitutus.

§. II.

An hæres testatoris, aut illius successores justum stipendium sacerdotibus teneantur, conferre?

SUMMARIUM

7 *Non tenentur, ut ostendunt circunstantia.*
8 *Quando Missæ assignentur taxativè, aut demonstrative?*
9 *Quando in dispositione testatoris primo loco assignatur tanta pecunia, & secundo Missæ celebrandæ, & taxativè eleemosyna, hæres non tenetur illam augere.*
10 *Quando quantitas, & qualitas apponitur taxativè, hæres ad augmentum compelli nequit.*
11 *Sententia communis hic non habet locum.*

7 Respondeo, hæredem testatoris, & illius successores [& etiam si testator non solùm supra domum, sed etiam supra bona mobilia Anniversarium Missarum imposuisset] eleemosynam augere non teneri. Moveor primò, quia circunstantiæ ab eo tempore, quo institutum fuit a testatore illud Anniversarium maximè sunt mutatæ. Fuit enim institutum ante sæculum sexcentesimum, in quo unus argenteus, *vulgo dous vinter* erat valde pinguis eleemosyna, pro singulis Missis. 2. Domus censui obnoxia multoties fuit vendita; & in prima venditione dimisit heres obligationem solvendi pensionem sacerdotibus Parochiæ, in manibus emptorum cum illorum sacerdotum beneplacito; & sic per successores domus emptores fuit continuatum, usque ad præsens tempus. Ex his circunstantijs patet, hæredem, & illius successores non teneri ad augendam eleemosynam, etiam in casu, quo testator non solum supra domum, sed etiam supra bona mobilia imposuisset Anniversarium, quia per demissionem solutionis census in manus emptorum

emptorum cum beneplacito sacerdotum Parochiæ, continuatam usque ad præsens tempus, per quadraginta & amplius annos præscripsit hæres contra eam obligationem; nam ad illum, seu successores nullus factus est recursus, ac si talis non esset hæres, nec successores fuissent; nec etiam mobilia jam inventa; quia ad effectum præsentem alicui non fuerunt addicta cum hoc onere in casu, quo existere usque ad præsens tempus potuissent.

8 Secundò moveor, quia DD. communiter docent, non teneri hæredem, & illius successores augere Missæ stipendium, quando quantitas pecuniæ assignatur taxativè. Et tunc quantitas pecuniæ assignatur taxativè, quando in aliquo legato unicâ exprimitur perfectâ oratione; & tunc præsumitur assignata per factum demonstrativè; quando duabus perficitur orationibus. Et clarius illa dicuntur verba taxativa, quæ stant per se, idest, sola, absque dependentia aliorum verborum sensum perfectum reddunt ab alio quopiam distinctum. Illa verò sunt demonstrativa, quæ dependent ab aliis: idest, independenter ab illis non habent sensum perfectum. Hanc regulam omnes fere DD. approbant, Bartol. Surd. Mantic. Simon de Pretis, Paulus de Castr. Anton. Gom. Rivius, Menoch. Felin. Navarr. Sanch. Vasq. Monet. Bonac. & alij apud Marchin. *de ord. tract. 3. part. 2. cap. 22. numer. 5.* Tambur. *in Method. celeb. Miss. l. 3. capitul. 1. §. 3. numer. 79.* Sed in nostro casu verba testatoris sunt taxativa, & non demonstrativa, quia stant per se sola, & absque dependentia aliorum verborum, reddunt perfectum sensum ab alio quopiam distinctum, ut ex illis constat: *Impono super domum meam, quam habeo in tali platea censum quinque millium regalium Lusitanorum, ut ex illo pro singulis annis in perpetuum a sacerdotibus meæ Parochiæ celebrentur centum, & quatuor Missæ, cum eleemosyna unius argentei pro singulis.* Quæ verba unam tantum efficiunt perfectam orationem, & stant per se sola, & absque dependentia aliorum reddunt perfectum sensum, ab alio quopiam distinctum: ergo.

9 Moveor tertiò. Nam quando in dispositione testatoris primo loco assignatur taxativè tanta pecunia, & tot Missæ celebrandæ, & secundo loco designatur pecuniæ stipendium, hæres ad amplius non tenetur, ut ex Felin. Paulo de Castr. & Monet. tenent Marchin *cit. num. 7.* Tambur. *proximè num. 78.* Henao *de sacrif. Miss. disput. 31 sect. 10. num. 102. in fine.* Sed in præsenti casu testator primo loco designavit pecuniam, seu censum Missæ celebrandæ, & secundo loco sacerdotes cum designatione eleemosynæ, ut ex illis verbis constat: ergo hæres ad augmentum non tenetur.

10 Quartò moveor: Quia ubi quantitas, & qualitas legati in testamento fuerunt taxativè appositæ, ad supplementum non potest hæres compelli *ex text. in l. Nomen debitoris §. uni ex debitoribus ff. de legat. 3.* & ibi DD. jam *citat.* Sed legatum relictum sacerdotibus Parochiæ ad celebrandum id Anniversarium Missarum, fuit taxativè positum; ut ex verbis adductis expressè constat: ergo nec hæres, nec illius successores ad supplementum eleemosynæ, seu legati compelli nequeunt.

11 Nec obstat, dicere cum communiori sententia, quòd in casu, quo testator tot Missas celebrandas præscripsit, singulisque eleemosynam tenuem assignavit, si testator principaliter eas Missas intendit, & in hæreditate datur capacitas ad eleemosynæ augmentum, tenetur hæres ad illud: Et possit ad id compelli ab Episcopo, & à Provisore Regio Capellanorum in nostro Regno, in quo est in viridi observantia privilegium alternativæ cum Ordinaris de acceptanda ratione Anniversarij Missarum coram ipso. Et quòd hæres teneatur supplementum augere tradunt Homobonus, de Bonis, Rivius, Genuens; Barbos. & alij, quos citatos, affert Dian. 2. *part. tract. 14 de celebr. Miss. resol. 17.* Bartol. Surd. Mantic. Sanch. Vasq. quos citat, & sequitur Tamburin. *in Method. celeb. Miss. l. 3. cap. 1. §. 3. numer. 75.* & pluribus relatis Marchin. *de ordin. tract. 3. part. 2. cap. 22. nu. 2.* & Henao *de sacrif. Miss. disp. 31. sect. 10. num. 103. ubi* multos adducit. Non, inquam, obstat, quia allata opinio dabet intelligi, de testatore, qui taxativè non designavit eleemosynam, ut ipsi DD. jam supra *cit.* docuerunt, in præsenti autem casu testator taxativè, & unicâ perfectâ oratione eleemosynam Missarum designavit; ut constat ex dictis & resolutione quæst. seq. numer. 2.

§. III.

An per alios sacerdotes extra Parochiam testatoris, ei tenui eleemosynæ acquiescentes, Missæ Anniversarij celebrari queant?

SUMMARIUM

12 *Non datur, qui pro reductione Missarum ad sedem Apostolicam recurrat.*

13 *Per alios sacerdotes possunt ex celebrari Missæ.*

14 *Exemplis confirmatur.*

15 *Missæ celebrandæ per certos, & determinatos sacerdotes, per alios celebrari possunt.*

16 *Si non dentur sacerdotes, qui eas Missas celebrare velint, potest Provisor Residuorum, de consilio Deputatorum Tribunalis conscientiæ, eas tradere celebrandas alicui Monasterio.*

17 *Et si non detur Monasterium Missas acceptans, potest recurri ad Episcopum pro reductione Missarum ad minorem numerum.*

18 *Etiam si non sit difficilis aditus ad Sedem Apostolicam, hic casus non videtur comprehendi in Decreto de celebrat. Missar.*

19 *Oppositum est tenendum.*

20 *Nunquam tamen pro reductione Missarum ad minorem numerum recurrendum est ad Provisorem Residuorum.*

21 *Non tamen videtur improbabile, si dispositione Consistentia Tribunalis eam faciat.*

12 Ex dictis constat, non dari aliquem, qui velit ad Sedem Apostolicam recurrere, aut ad id teneatur. Non enim 1 vult Hyacintus censuarius, nec ad id tenetur, ut dictum est *numer.* 6. Nec 2. volunt, nec tenentur hæredes successores primi hæredis à testatore instituti; quia per triginta, & amplius annos, sunt à solutione illius eleemosynæ exempti; jus suum, ad illam acquirendam à censuarijs domûs, sacerdotibus Parochiæ tradentes, cum beneplacito ipsorum sacerdotum, & Censuarij, ut jam *numer.* 7. dictum est. Nec etiam 3. volunt, nec videntur recurrere teneri ipsi sacerdotes; quia legatum, quod sacerdotibus testator reliquit, erat gratia, & favor, dum eleemosyna erat pinguis, & ut talis ab anterioribus sacerdotibus fuit acceptata at in præsenti, cum sit tenuis, eam nolunt acceptare; nemo enim tenetur suo uti speciali privilegio, & favore, *cap. si de terra de privil.* quod autem in favorem alicujus relictum, vel factum est, in gravamen illius retorqueri non debet *reg.* 61. *de regul. jur. in* 6 Nec anteriores Parochiæ sacerdotes per acceptationem illius favoris, & gratiæ posterioribus præjudicium, ab illis nõ dependentibus afferre prætenderunt, nec poterant Et cum alij non dentur, nec teneantur, nullus datur, qui velit, aut teneatur Romam recurrere. Quo supposito.

13 Respondeo, per alios sacerdotes alterius Parochiæ, dictas Missas Anniversarij celebrari posse. Ratio est, quia quando testatoris, seu defuncti voluntas impleri potest, nefas est ab illa voluntate discedere, quando talis voluntas non est illicita, nec irrationalis, ut constat *ex cap. Tua nobis de testam.* & alijs juribus, & *ex Trident. sess. 22 de reform. cap. 6. & sess. 25. de reform. cap.* 4. & DD. Molin. *tom.* 1. *de Iust. disput.* 249. *in princip.* Barbos. *in Collect. ad cit. loca Trid. & de potest. Episc. part.* 2. *alleg.* 29. & alij, quos citat: sed dictus Testator principaliter intendens animæ suæ bonum dispossuit, quòd celebrarentur centum, & quatuor Missæ pro singulis annis in perpetuum; & minus principaliter in gratiam, & favorem sacerdotum suæ Parochiæ ad illas celebrandas eos designavit; quia pro illo tempore eleemosyna unius argentei erat satis pinguis, & ab illis fuit acceptata; cum tamen decursu temporis reddita fuerit tenuis, & dimissa ab ijs sacerdotibus; si dantur alij aliarum Parochiarum, etiam extra civitatem, qui hac tenui eleemosyna satisfacti, illas volunt celebrare, illis tribuenda est ea eleemosyna; ut sic in principali voluntas testatoris impleatur; & in minus principali si deficitur, est sine alicujus injuria, ut ex dictis patet.

14 Hæc doctrina aliquibus confirmatur exemplis I. sit: sacerdos obligatus ad celebrandum in certo templo, si hoc templum deficiat, quia destructum est, violatum, aut interdictum, in alio templo, aut capella, seu sacello tenetur celebrare pro ea obligatione, ut docet Tamburin. *in Method. celebrand. Missæ, l.* 3. *capitul.* 5. §. 2. *numer.* 1. ergo etiam deficientibus sacerdotibus ad celebrandas Missas Anniversarij à testatore designatis, ab alijs sacerdotibus, si dentur, eæ Missæ celebrari possunt. A loco enim ad personam, & à persona ad locum valet argumentum. Barbos. *tractat. in loca Comm. argum. loco* 83. *numer.* 1. & 2. ex jure Doctores.

Secundum exemplum: sacerdos obligatus ad celebrandum per se ipsum, per alium non potest celebrare. maximè si à fundatore, aut testatore electa fuit bonitas personæ, ut cum pluribus defendit Marchin. *de ordinat. tract.* 3. *part.* 2. *cap.* 24. *num.* 4. At si ipse sacerdos aliquo laboret impedimento, quia v. g. est infirmus, incarceratus, aut excommunicatus, & mens testatoris fuit, nunquam defuturam Missam, tenetur per alium celebrare, ut sustinent Fagund. *in* 1. *Eccles. præcept. l.* 3. *cap* 9. *num.* 5. cum pluribus, & Tamburin. *cit. cap.* 5. § 1. *a numer.* 1. Sed in sacerdotibus à testatore electis, datur impedimentum, quia ea stipe tenui eas nolunt celebrare Missas: ergo si dentur alij sacerdotes ea tenui stipe allecti, per eos eæ poterunt celebrari Missæ.

15 Addo docere Machad. *de perfect. confess. tom.* 2. *l.* 4 *tract.* 12. *docum.* 16. cum Barbos. Bonac. Homobon. Dian & alijs, quando in institutione, seu fundatione capellaniæ disponitur, Missas esse celebrandas per certum, aut certos sacerdotes, adhuc satisfieri illarum oneri, si per alios celebrentur: ergo etiam à fortiori in nostro casu. A quo autem facienda sit hæc sacerdotum electio? Infra dicendum.

16 Et quid dicendum in casu, quo nulli inveniantur sacerdotes, volentes ea tenui eleemosyna illas Anniversarij Missas celebrare? Respondeo, sustineri posse dispositionem *Ordinat. titul.* 50. §. 9. ibi: *De omnibus Missis a defunctis celebrari jussis, qua impleta non fuerint, nec defuncti certum designarunt locum, in quo celebrarentur. Provisores album conficient, quod ad Tribunal Conscientia mittent, ut illius Deputatorum judicio per Monasteria reformata distribuantur, magis indigentia, & in quibus maiori cum brevitate dicantur. &c.* Ex quibus verbis disponentibus de Missis, quarum oneri non dum est satisfactum, & de illis ad quas nec designata sunt loca, nec

sacer-

sacerdotes illas celebrare volentes, posse Residuorum Provisorem Missas per Monasteria reformata, & indigentia distribuere, ut intra annum celebrentur.

17 Et quid dicendum, si non dentur ea Monasteria, quæ pro tenui eleemosyna velint ea celebrare Anniversaria, (quamvis rarò eveniet, maximè si monasteria sint ex ædificatis extra civitatem]? Respondeo in hoc tantum speciali casu recurrendum esse ad Episcopum, ut ipsa eas Anniversarias Missas reducat ad minorem numerum, & sic juxta solitum sacerdotibus maneat sufficiens stipendium. Ratio est, quia aliqui dantur DD. asserentes, si contingat notabiliter recursum ad S. Pontificem esse difficilem, tunc adeundum esse Episcopum. Sic Tambur. *dict. l. 3. capit. 1. §. 3. num 90. & 91.* Henao *citat. dict. disput. 31. sect. 10. numer. 94.* His addi potest Castr. Palaus *tom. 4. tract. 22. disput. unica, punct. 15. numer. 7. prope finem*, mensionem non faciens *de Decret. S. Congreg. citat. numer. 6* Nam, quando, inquit, non potest adiri Episcopus, ut Missarum numerum minuat, posse ipsum sacerdotem, ad celebrandum obligatum, per se ipsum illum diminuere; addit tamen ægrè contingere posse, ut aditus ad Ordinarium sit præclusus, quod etiam admittere videtur Henao *cit.* Sed in præsenti casu recursus ad S. Pontificem est notabiter difficilis, quia non datur aliquis, qui velit, aut teneatur ad illum recurrere, ut ex dictis satis constat: ergo in eo ad Episcopum est recurrendum. Nullo tamen modo admitto posse dictos Parochiæ sacerdotes, hæredes, aut censuarium, non dato recursu ad Episcopum, illas Anniversarij Missas ad minorem numerum reducere. Quidquid in oppositum concedant sacerdoti, aut Capellano, ut se indemnem servet, *cit.* DD & Bordon. ac Aversa apud Tambur. *cit. numer. 95.* De Censuario ratio patebit ex dicendis *num. 20.*

18 Nec obstat, quod præcisâ illâ notabili difficultate, dici potest, præsentem casum non comprehendi *in citat. Decret. S. Congreg. sub Urbano VIII.* & sic posse Episcopum illum Missarum numerum diminuere. Ratio est, quia *in citat. Decreto* prohibetur Episcopis, reducere onera Missarum post Concilium imposita, ibi: *Vel alias quoquo modo reducant onera Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita*: Sed Missæ non acceptæ post Concilium, propriè non dicuntur impositæ post Concilium; Decretum enim in illis verbis manifestè loquitur de oneribus Missarum impositis. Sic Marchin. de ordin. *tract. 3 part 2. capitul 19 numer. 32.* & alijs relatis Dian. *part. 6. tract. 6 resol. 10.* Francisc. de Lug. *l. 5 capitul. 12 quæst. 9. numer. 96.* Tambur. *in Method. celeb. Miss. l. 3. capitul. 1. §. 2. numer. 9.* Henao *de Sacrif. Miss. disput. 31 sect. 9. numer. 83.* ergo Episcopus dictas Missas poterit ad minorem numerum reducere, quia à Sacerdotibus Parochiæ non sunt acceptatæ, ac proinde non impositæ.

19 Non, inquam, hæc obstant, quia præcisâ illâ notabili difficultate, de qua *numer 17.* Episcopus non potest in præsenti casu diminuere Missarum numerum, quia illi prohibetur *in citat. Decret.* Nec verba Decreti adducta hunc nostrum casum excludunt; quia ut dictæ Missæ dicantur propriè impositæ, sufficit, quod fuissent acceptatæ ab anterioribus sacerdotibus Parochiæ, licèt à posterioribus sacerdotibus obtenuitatem eleemosynæ non fuissent acceptatæ. Ita expræsè Tamburin. *cit. numer. 10.* & Henao *dict. numer. 83. in fine.* Et ratione patet, quia illæ Missæ verè fuerunt acceptatæ, & onus illarum simpliciter impositum, nec non acceptatio posteriorum sacerdotum facere potuit, quod à prioribus non fuissent acceptatæ.

20 Dictum fuit *numer. 17.* non dato recursu ad S. Pontificem, posse Episcopum ad minorem numerum reducere illas Anniversarij Missas; assero tamen, non posse illam fieri reductionem per Provisorem Residuorum, nec ad illum pro ea recurri; quidquid in oppositum dixerit Fagund. *in 1. Eccles. præceptum l. 3. capitul. 7. numer. 16. & 17.* quod probat, & non improbabiliter, Quia tamen contra illum sentiunt Castr. Palaus *tom. 4. de Sacrament. tract. 22. disput. unic. punct. 15. numer. 7.* Henao *de Sacrif. Miss. disp. 31 numer. 89.* ex ratione, quia potestas reducendi Missas ad minorem numerum est supra sæcularem, & proprium potestatis Ecclesiasticæ, cum respiciat rem summe spiritualem, quale est sacrificium Missæ, & personas Ecclesiasticas, quales sunt sacerdotes, quibus ob Missæ celebrationem stipendium designatur. Ab hac sententia non recedo.

21 Licet sententia fagund. admittatur ab Henao *citat.* in Missis celebrandis à Religiosis Militaribus in suis conventibus relictis, quæ possunt à senatu Regio ad minorem numerum reduci quia ille senatus erga eos Religiosos habet jurisdictionem Ecclesiasticam, quod etiam sentit Mendo *de ordin. milit. disquis. 9 quæst. 5. numer. 5.* Et juxta hos DD. videbatur etiam sententia Fagund. satis probabilis, quia Provisor Regius in ea reductione recurrere ad Tribunal. Cõsciẽtiæ tenetur, & stare illius dispositione, ut colligitur *ex Ordin.* & illorum verbis cit. *supra numer. 16.* Et in hoc Tribunali datur jurisdictio Ecclesiastica non solùm in fratres, & sorores Regulares, sed etiam circa legata defunctorum, quæ ab ipso Provisore alternitative cum Ordinario diriguntur, quæ vere sunt spiritualia.

QUÆSTIO V.

An hæres, seu testamentarius eleemosynam Missæ quotidianæ pro singulis annis augere teneatur, quando designata à principio tenuis reddita fuit?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Tenetur eleemosynam augere, quia in hæreditate datur capacitas, & à testatrice designata non fuit.*
3 *Etiam tenebatur in casu, quo testatrix illam tenuem designaverit.*
4 *Testatrix primo loco hanc Missam quotidianam intendit.*
5 *Sicut cappellanus tenetur celebrare in sacello à testatore designato, sic etiam testamentarius facere, quod ibi celebretur.*

1 ANna fœmina nobilis in suo testamento, sic disposuit. *Volo, quod meum corpus sepeliatur in sacello meæ Villæ rusticanæ Sylvestri, & jubeo, quòd à die mortis meæ in eo sacello per sacerdotem virtute spectabilem Missa celebretur quotidiana; & ex redditibus bonorum meorum ea detrahatur eleemosyna, quam Ægidius sufficientem judicaverit, ita ut cum effectu ea Missa in perpetuum celebretur.* Sic executioni mandatum, & per plures annos Missa quotidiana celebrata cum eleemosyna viginti supra tria millia regalia Lusitana, in eodem sacello. At decursu temporis, non est inventus sacerdos, qui eleemosyna aucta, ad viginti quinque millia regalia Lusitana, eam voluisset Missam per annum celebrare. Quæritur, an hæres, seu testamentarius eleemosynam augere teneatur, ut Missa quotidiana in sacello à testatrice designato celebretur? Aut possit extra dictum sacellum eam celebrare facere quo usque sacerdos inveniatur, qui illam eleemosyna jam assignata, in illo celebret sacello?

RESOLUTIO.

2 Respondeo, hæredem, seu testamentarium eleemosynam augere teneri, habita hereditatis capacitate, ut Missa, in assignato à testatrice sacello, celebretur. Probatur 1. nam quando testator non designavit quantitatem eleemosynæ, sed disposuit, ut tot Missæ in perpetuum celebrarentur, tenetur hæres consuetam tempore executionis solvere; etiam si maior sit, quam illa, quæ tempore dispositionis in usu erat; sic relatis Bartol. Brixian. Geminian Moneta tradit Marchin *de Ordin tract.* 3 *part.* 2. *cap.* 22. *nu.* 9. & Tamburin. *in Method. celeb. Miss. l* 3. *cap* 1 § 3. *nu.* 83. & 84. Henao *de sacrif. Miss. disp.* 31. *sect* 10. *n.* 103. & apud ipsum ultra cit. Honcal *opuscul.* 3. *n.* 18 *de valor. Missæ*, Barbos. *de potest. Episc. part.* 2. *alleg.* 29 *n.* 7. Dian. 2. *part. tract* 14. *resol.* 17 Avers. *q.* 11. *sect* 18. *vers. Si autem*, Quartus *in appendic sacrif. Miss. q* 4 *punct* 2. *diff* 5. *in fine*, Hieron. Garcia *tract de excellent. sacerdot. diff* 10. *dub.* 10 Alfonsus de Leon. *q* 3 *de offic. capell. sect.* 14. & *seqq.* Perez de Lara *l.* 1. *de Anniversar. cap.* 15. *per totum*, Castillent *in Polianth. seraphic. Theol. moral. Verb. Capella diff* 9. alios citantes, Pellizar *tom.* 1. *tract* 6 *cap.* 3. *a n.* 42. Sed testatrix eleemosynam ad Missam quotidianam non designavit, & hæreditas ad illam augendam est capax, juxta tempus executionis: ergo heres, seu testamentarius ad eam elargiendam tenetur; licet tempore dispositionis alia eleemosyna fuisset sufficiens.

3 Secundo probatur, quia etiam in casu, quo testatrix designasset eam eleemosynam tenuem, pro hoc præsenti tempore, tenebatur hæres, seu testamentarius illam augere. Ratio est, nam quando testator tot Missas celebrandas principaliter intendit, & eleemosynam pro singulis tenuem designavit, potest hæres ab Episcopo compelli, ut supplementum solvat; ut cum Barthol. Surd. Mantic. docent Sanch. *l.* 8. *de matr. disp.* 1. *n.* 36. Vasq. *in opusc. de testam. cap* 8. Tambur. *num.* 75. & alij: sed testatrix in animæ suæ commodum, Missam quotidianam in perpetuum, principaliter intendit: ergo hæres, seu testamentarius ad supplementum eleemosynæ tenetur, etiamsi a testatrice sufficiens pro hoc tempore fuisset designata.

4 Minor ostenditur, quia illud principaliter intenditur, quæ primo loco in dispositione ponitur, & minus principaliter, quod secundo loco; ut cum Monet. Marchin. *cit. n.* 7. *post medium*: Sed in prædictâ testatricis dispositione, primo loco ponitur Missa celebranda singulis diebus in perpetuum, & secundo loco agitur eleemosyna ab hærede solvenda: ergo principaliter Missam quotidianam intendit: ergo dum tenuis evadit, illam augere tenetur ipse testamentarius. Vide *dicta præcedente quæst. à n.* 8. *usque ad finem* §.

5 Ex dictis satis constat teneri dictum administratorem bonorum illustrissimæ Annæ testatricis facere, quòd celebretur ea Missa singulis diebus in perpetuum, in eo sacello designato cum eleemosyna pro tempore currenti consueta. Et amplius ostenditur, quòd in eo sacello sit in perpetuum celebranda. Quia in eo DD. conveniunt, mortaliter scilicet peccare cappellanum obligatum ad celebrandum in tali templo, sacello, aut capella, si in alio loco celebrat; ut cum Navarr. Rodrig. Azor, Fagund. & alijs tenet Dian 2. *part. tract.* 14 *resol* 29 & alij tenet Dian. 2. *part. tract.* 14 *resol.* 29 & alijs pluribus relatis Marc *cit. d. tract.* 3. *part.* 2 *cap.* 24. *a n.* 1. ergo etiam mortaliter peccabit dictus bonorum administrator, si bonis testatricis extantibus, in alio loco à designato, ut minorem eleemosynam expendat, celebrare faciat

faciat eas Missas. Et hæc resolutio maximè in præsenti casu utget. Ratio est, quia constat, testatricem ex peculiari devotione, hoc sacellum S. Sylvestri ad suam sepulturam elegisse, dum vitam viveret, in eo quotidie Missam audiebat, orationi subdiu vacabat, ab illa fuit ædificatum, structum, muneribus, & peristromatibus ornatum. Et his datis circunstantijs, sicut non potest capellanus alio in loco celebrare, ut resolutum fuit *a Rota Rom. per Cardin. Serap 9. act. 1595. in una Bergom. Legatis*, & DD. quos affert, & sequitur March. *cit. n. 2.* Sic etiam administrator facere tenetur, celebrare in eodem sacello, dum in bonis testatricis ad id detur capacitas.

QUÆSTIO VI.

An legatarius teneatur onera legati ad implere statim à morte testatricis, aut post aditum legatum, in foro conscientiæ?

SUMMARIUM

1 *Facti species.*
2 *Proponitur communis sententia.*
3 *A die obitus tenetur legatarius ad onus Missarum.*
4 *Secunda sententia opposita adducitur.*
5 *Illi fit satis.*
6 *Tertia affertur sententia adversa.*
7 *Illi respondetur authoritate P. Molin.*

1 MArcellus in suo testamento domum quandam Antonio legavit sub obligatione faciendi celebrare pro anima sua duas Missas in singulis hebdomadis. Antonius statim post mortem Marcelli legatum cũ suo onere acceptavit; sed domum legatam non statim, sed post multos menses adivit. Quæritur à quo tempore eas teneatur facere celebrare Missas?

RESOLUTIO.

2 Respondeo, tres circumferri sententias. Prima communior, & admittenda, asserit in foro conscientiæ, non posse legata pia differri ad sextum mensem, neque profana ad annum, ut decernitur *in l. Nulli C. de Episcop. & cleric.* Nec ad hereditatis aditionem, sed statim à morte testatoris esse adimplenda. Probatur, quia à morte testatoris, sunt legata vere debita legatarijs, & eorum redditus, & fructus: ergo illis sunt statim solvenda, sicut alia debita, quando commode possunt: sed alia debita testatoris non possunt differri in foro conscientiæ, ex concessione testatoris: ergo nec legata, quando testator non concessit, illa differri. Sic cum Sanch. Card. de Lug. *tom. 2. Iust. disp. 24. n. 296.* & Dian. *citatis pluribus part. 3. tract 5. resol. 59.* Et loquendo in specie de legatis pijs, citat. Bartol. Covarr. & Panormit. Molin *de just. tom. 1 tract. 2. disp 195. vers. Anton. a Gama*, Fragos. *tom. 3. l 4. disp. 7 § 4 numer. 99.* Pro hac sententia adduci possunt omnes docentes, peccare mortaliter illum, qui notabiliter negligentem se gerit in adimplenda testatoris voluntate, ut sunt Navarr. S. Antonin. Rodrig Petr. Navarr. & alij communiter, quos referunt, & sequuntur Barbos. *de potest. Episc. alleg 82. num. 16.* Torrecill. *in exam. potest. & jurisd. Episc. tract. 1. q. 7. sect. unic. diff. 1. nu. 3* & videri potest Remigius *in sum. tract. 2. cap. 7. § 9. num. 5 in fine primi vers.*

3 Ex hac sententia [quæ est sequenda] censeo, Antoniũ in foro conscientiæ teneri ad faciendas celebrare illas binas Missas hebdomadarias à die obitus Marcelli, & non post sex menses, nec post aditum legatum. Moveor primò, quia hoc legatum non est ut cumque relictum, sed relictum ut Missæ celebrentur pro Marcelli anima, quarum dilatio illi multum nocere potest, ut cum Sanch sentit Card de Lug. *cit.* in similibus Missarum, & suffragiorum legatis. Moveor secundò, quia locatio illius domus legatæ, à die obitus Marcelli, determinatè ad ipsum pertinet Antonium, juxta *supra dict.* & Molin. *citat.* Tertiò, quia hæc obligatio ex jure positivo desumenda non est; sed ex jure naturali. Et hoc exigit, ut ab eo tempore, quo legatarius bonis fruitur defuncti, ab eo incipiat onus illis bonis impositum.

4 Nec obstat secunda in hac materia sententia, docens; Quando à testatore nullum fuit assignatum tempus, ad executionem suæ voluntatis, teneri de jure executores legata pia exequi intra sex menses numerandos à die publicationis testamenti, vel à scientia executorum sub aliquibus pœnis, ut decernitur *in Authent. de Eccles. tit. §. Si autem hæres, vers. Si autem legatum.* Sic pluribus relatis tradit Fagund. *de just. l. 6. cap 4. num. 12.* Qui loqui videtur pro foro conscientiæ; quia utitur dictione *tenetur*, quæ importat necessitatem, & obligationem, ut cum pluribus tenet Sanch. *l. 6. decal. cap. 4. n. 38* & Barbos. *tract. de dict. 405. nu. 1.* Sed Marcell. ad Missas pro anima sua celebrandas, nullum designavit tempus: ergo jure communi standum est, non solùm in foro externo, sed etiam in foro conscientiæ.

5 Non, inquam, obstat hæc secunda sententia, quia procedit pro foro externo, in quo legatis pijs conceditur executio inter primos sex menses, licet à legatario statim post obitũ peti possint; Fragos. *cit.* Et in legatis profanis conceditur, ut intra annum executioni mandentur, quamvis intra annum postulari non valeant Fragos. *loco cit.* At in foro conscientiæ diverso modo est producendum, ut patet in votis, & promissis, quæ facta, non designato tempore ad executionem, primo quoque tempore obligant; & in dubijs eorum, quæ sunt in favorem animarum, in illarum commodum

sunt resolvenda, dummodo oppositum per DD non sit resolutum.

6 Nec etiam obstat tertia in hac materia sententia, asserens, legatis pijs non deberi executionem, nisi post aditam hæreditatem, & non à morte testatoris. Pro hac sententia cum aliquibus senatoribus stetit Gama *decis.* 248. in causa duorum conjugum se mutuo instituentium usufructuarios, & post amborum mortem confraternitatem Misericordiæ per quinquennium. Et orta controversia à quo tempore computandum esset quinquennium? A Iudicibus primæ, & secundæ instantiæ lata fuit sententia: Quod à tempore mortis ultimi conjugis. Gama tamen, & aliqui ex supremis senatoribus alijs non suffragantibus judicarunt, quinquennium esse computandum ab hereditate adita, & non à morte ultimi conjugis; cui sententiæ favere videtur Barbos. *de potest. Episc. alleg.* 82. *num.* 18 Sed Antonius legatum non statim adivit post mortem Marcelli; sed post aliquos menses: ergo in conscientia ad executionem Missarum sub onere relictarum non tenetur; sed ab eo die, quo legatum adivit.

7 Non, inquam, obstat hæc tertia sententia, nixa authoritate Gamæ, & aliorum Senatorum; nam licet illorum suffragijs sententia pronuntiata fuisset. In prima tamen, & secunda instantia late erat standum; quia legatum quinquennij Misericordiæ confraternitati relictum à die obitus ultimi conjugis erat computandum, & incipiendum. Et meritò illorum judices sic; licet frustra, ob ultimam sententiam, judicarunt. Nam sententiæ primæ, & secundæ instantiæ erant juxta doctrinam Bartol. in hac opinione non reprobati. Quæ sane erat sequenda, quia nec consuetudo, nec textus expressus, nec glossa Acurtij in contrarium stabant, & in judicando illi erat standū, juxta *Ordin. Regiam l.* 3 *tit.* 64 §. 1. & sic astruit Molin *supra cit.* Et quamvis Gama dicat, sententiam, quam secutus fuerat, esse communem; oppositum tradunt Carol. Milineus, & alij, quos refert Covarr. ut inquit ipse Molin. & constat ex *dictis num.* 2.

QUÆSTIO VII.

An deficiente Missarum stipendio duobus capellanis in uno anno, & in sequenti, non deficiente stipendio duobus, deficiente tamen altero capellano, possit stipendium capellani non substituti distribui pro illis duobus in compensationem stipendij non soluti anno elapso?

SUMMARIUM

1 *Facti species.*
2 *Stipendium capellani non substituti pro anno, quo fuit solutum, distribuendum est per plures sacerdotes, qui Anniversarium Missarum breviter celebrent pro anima testatoris.*
3 *Quando dispositio testatoris in propria specie impleri nequit, in simili, & proximiori testatoris institutioni implenda est.*
4 *Testator potius commodum suæ animæ, quam Capellanorum attendit.*
5 *Si eo anno, quo deficit unus ex capellanis, non deficeret, illi illius anni tradendum erat stipendium.*
6 *Idem affertur contra postulatores.*
7 *In domo publica mercium, vulgo Alfandega, sæpius census empti deficiunt.*
8 *Et sæpius sequentibus annis redimuntur; maxime si sint ad opera pia.*
9 *Quando capellanus annis præteritis maius solito habuit stipendium, si in uno, vel altero decrescat, non potest numerum Missarum minuere.*
10 *Stipendium ad capellanos anni præteriti non pertinebat.*
11 *Non est contra jus naturale, nec positivum, plures sacerdotes Missas celebrare posse in loco capellani non substituti. Nec opinio adducta id probat.*
12 *Non possunt capellani se compensare, Missas dicendas minuendo.*
13 *Datur damnum animæ testatoris Innocentis.*
14 *Ea capellanorum petitio est iniusta, & ut talis non admittenda.*

1 D. D. Ludovicus Alvarez de Tavora Bajulivus de Lessa Collegij Portugalensis Societatis JESU fundator, duas in suo testamento instituit capellanias Missæ quotidianæ in perpetuum; illis, & fabricæ sufficientem designans eleemosynam pro singulis annis in censu annuali apud domum publicam mercium vectigalium, *vulgo Alfandega* empto. Uno anno hic census, & duobus capellanis stipendium conventum defecit. Qua de causa unus ex duobus capellanis dimisit capellaniam; alius suo loco non substitutus; quia non fuit inventus. Anno sequenti census annualis tantùm ad unguem fuit solutus. Quia tamen unus solus dabatur capellanus; & census solutus fuit pro duobus. Orta fuit non levis altercatio inter capellanos anni elapsi, qui stipendium debitum non receperunt, & Collegij Rectorem, illius legati executorem, super stipendium capellani eo anno non substituti. Capellani instabant, stipendium inter illos esse bipartiendum; pro illis Rector, & collegij PP. stabant, quia præcisis rationibus urgentibus, quas adducebant, adhuc fabrica anni elapsi non erat soluta. Quæritur 1. An dictum stipendium sit dividendum inter capellanos, & Rectorem pro Missis, & fabrica, anno elapso non solutis; aut sit tradendū pluribus sacerdotibus, qui maxima cum brevitate Missas illius capellani non substituti celebrarent, conferente collegio ad illas necessa-

riam

riam fabricam? 2 An Missæ illius anni elapsi, ut per plures celebrentur sacerdotes, authoritas requiratur Episcopi?

§. I.

An dictum stipendium inter duos Capellanos, & Rectorem sit dividendum pro Missis, & fabricæ eleemosyna, anno elapso, non soluta; aut potius sit dividendum pro pluribus sacerdotibus, qui maxima cum brevitate Missas capellani non substituti celebrent?

2 Respondeo, ut judex istius causæ constitutus, hoc stipendium capellani vacantis, & non substituti pro eo anno, quo fuit solutum stipendium, esse distribuendum per plures sacerdotes, qui Missas huic anno correspondentes, pro anima testatoris breviter celebrent; & non tradendum capellanis, & Rectori, quibus pro anno, in quo Missas celebrarunt, & fabricam tribuit, solutum non fuit in domo publica mercium vectigalium stipendium conventum. Hæc resolutio duas continet partes. Prima, quod dictum stipendium sit distribuendum per plures sacerdotes, qui Missas vacantis capellani breviter celebrent. Secunda, quòd non possit stipendium tradi capellanis, qui Missas jam anno elapso dixerunt, & adhuc stipendium non receperunt.

3 Prima pars ostenditur primò: Quia in dispositionibus testatorum verba propriè sumenda sunt, ut si possibile sit, legatum in propria, & specifica forma impleatur, ut constat ex *Clement. Quia contingit, de relig. domib.* & insinuatur *in Concil. Trid. sess 25. de reform. cap.* 8. Accommendatur, quando ea specifica forma possibilis non est, in eodem Concil. jubetur, quòd impleatur in simili proximiori tamen testatoris institutioni, ibi: *Qui eorum institutioni proximior sit, & pro loco, & tempore utilior, convertantur.* Et relatis Mant. Menoch. & Everard tenent Sanch. *l.4 consil. cap. 2. dub.* 13. *n.2* Cardin. de Lug *tom.2. de Just. aup* 24. *n.*303 *in fine, &* 305. *Vers. Omissa ergo.* Sed in nostro casu testator disposuit, quòd per duos capellanos in Ecclesia collegij à se fundati singulis diebus dicerentur duæ Missæ, quibus annuum in jure, seu censu à se empto sufficiens designavit stipendium; & cum anno proximè elapso unus tantum daretur capellanus, [altero non invento] qui onus Missarum annuum sustinere voluisset, & non deficisset stipendium; nec illud Missarum onus annuum in specifica forma jam impleri poterat; implendum erat juxta Trident & DD. cit. in forma proximiori, & utiliori loco, & tempore, voluntati testatoris. Et hæc erat, ut Missæ quotidianæ illius anni, quæ ab uno capellano non invento, dictæ non fuerunt, dicerentur breviter in paucis diebus à pluribus sacerdotibus, qui præsto aderant; & non traderetur stipendium alijs duobus capellanis, quibus non pertinebat; quam vis aliud non solutum illis deberetur. Nec etiam justum erat, quod alius institueretur capellanus, qui singulis diebus per annum celebraret loco capellani non substituti; nam illa obligatio jam erat debita pro anno elapso; ergo maxima cum brevitate à pluribus sacerdotibus Missæ ei anno correspondentes, & debitæ erant celebrandæ.

4 Secundò ostenditur, quia testator in harum capellaniarum institutione suæ animæ utilitati, & non capellanorum attendit, ut patet: sed quando testator in dispositione sui legati prius salutem suæ animæ, quam aliarum personarum intendit, in eo legato priorem locum obtinet anima, quam aliæ personæ, ut in simili cum Covarr. Decio, Anchart. Panormit. Navarr. Padil. & alijs tradit Sanch *l.4 consil. cap 2. dub* 12. ergo. Et certum est in maiorem utilitatem animæ testatoris esse, quod stipendium capellani vacantis, & non substituti, expendatur in Missas breviter celebrandas per multos sacerdotes, quam ut tradatur capellanis, quibus non debetur, quamvis adhuc suarum Missarum stipendium non recipissent.

5 Tertiò: Quia si hoc anno elapso duo constituerentur cappellani, ut testator disposuit, ad illos pertinebant stipendia, pro illo anno soluta: ergo si unus non est inventus, ad capellanos antea elapsi anni stipendium capellani non suffecti non pertinet, sed ad illos, qui loco dicti capellani Missas dixerint; nam anima testatoris pro singulis annis manere non debet sine Missis suarum capellaniarum, ad quas stipendium relinquit.

6 Secunda pars resolutionis probatur, nempe quòd non possit dictum stipendium tradi capellanis illius anni, in quo stipendium defecit, primo, ut proximè, quia si alter daretur capellanus, sicut constitutus fuit unus, ad alterum pertinebat stipendium, & illi tribuendum erat, sicut constituto tributum fuit: ergo si hoc stipendium elapsi antea anni suum non erat, queri nequeunt, quòd illis non tradatur.

7 Secundò, quia quando has capellanias acceptarunt, probè tenebant, illarum stipendum solvendum esse à censu per testatorem empto in domo publica mercium vectigalium, & etiam probè sciebant in his domibus publicis aliquando hos deficere census; ergo cum eo anno census defecissent, nulla eis infertur injuria; si stipendium pro alio anno debito, & soluto eis non tradatur, juxta *regul. scienti, & consentienti, 27. de regul jur. in 6.*

8 Tertiò, quia stipendia Missarum uno anno non soluta, in sequentibus, quando redditus illius publicæ domus superabundant, à Rege, vel à Iudice domus repetuntur, & si sunt ad suffragia defunctorum, aut ad fœminas dotandas, non difficulter acquiruntur. Et sic evenit circa hæc capellanorum stipēdia, quæ

instante

instante Collegij Rectore, ad unguem post quinquennium soluta fuerunt. Quæ diligentia fortasse non adhiberetur, si dictum stipendium capellani vacantis per capellanos, & Collegis fabricam distribueretur.

9 Quartò: Conveniunt DD. Quando capellani annis præteritis stipendium maius solito pro Missis suarum capellaniarum receperunt, si uno, vel altero anno stipendium decrescat, non posse capellanos numerum Missarum minuere. Sic Perez de Lara *de capell. & Anniversl. l. 1. cap. 15. numer. 15.* Tambur. *in Method. celebr. Miss. l. 3. cap. 1 §. 3. numer. 96.* Pellizzar. *in man. Regul. cum Fraxinal. & Rodrig. tract. 6. cap 3. n. 48.* Henao *de sacrif. Miss. disput. 31. sect 10 n. 95.* Sed capellani annis præteritis maius solito habuerunt stipendium, & in sequentibus, quando ab ea domo solvetur: ergo defectus stipendij dicti anni compensari debet cum excessu aliorum annorum.

Rationes Capellanorum soluta.

10 Nec obstant rationes contra prædictam resolutionem à capellanis adductæ. Non prima, in qua dicitur, illum censum, seu stipendium receptum esse ad capellanos, qui Missas celebrarunt: at illi Missas capellaniarum anni præcedentis, proximo elapso, illas celebrarunt, quin stipendium reciperent. Non, inquam, hæc obstat; quia ille census, seu stipendium non erat ad illius anni capellanos, sed ad capellanum anni proximè elapsi, qui defecit; & in illius defectu, ad ipsos non pertinebat capellanos; ut *supra* ostenditur.

11 Nec obstat secunda sic asserens: si daretur anno elapso alter capellanus illi tribui debebat illud stipendium, sed non fuit datum, quia nullus fuit substitutus: ergo hoc difficiente, illis ipsis tribui debet. Consequentia ostenditur. Iniquum enim videtur, plures eligere sacerdotes, qui Missas anni proximè elapsi celebrent, & illis stipendium mox solvatur manentibus anterioribus capellanis, absque suo stipendio, qui Missas prius celebrarunt: Hoc enim est contra jus naturale, canonicum, & civile: est contra jus naturale, & canonicum, quia utrunque continetur à Bonifacio VIII. in illa *regul. 54. Qui prior est tempore, potior est jure, de Reg. jur. in 6.* & DD. quos citat, & sequitur Card. de Lug. *de just. disp. 20. n. 146. Vers. Hæc sententia*; & est contra jus civile, ut habetur *in Ord. Reg. l. 3. tit. 91. in principio*, quidquid sit de jure communi apud eundem Card. de Lug. sed dicti capellani sunt priores tempore illis, qui vocandi sunt ad illas celebrandas Missas, quæ anno elapso proximè, non fuerunt celebratæ; ergo. Non, inquam, ea ratio obstat, nec consequentiæ probatio, aliquid probat ex citatis juribus; nam ipsi capellani non sunt priores tempore ad ipsum stipendium, quod erat capellani illius anni, si daretur, quia tamen non fuit electus, quia nō fuit inventus, qui capellaniam illius anni acceptare voluisset, expendendum est per plures sacerdotes, qui Missas celebrent, quas celebrare tenebatur alter capellanus, si ad capellaniam inventus fuisset.

12 Nec obstat tertia ratio capellanorum dicentium; stipendium, quod superest capellani non inventi; pro eo anno, vel debet tradi alteri capellano, qui Missas illius anni celebret, vel pluribus sacerdotibus, qui breviter illas celebrent: non alteri capellano, quia eo anno dabuntur tres capellani: testator autem duas, & non tres capellanias instituit, non pluribus sacerdotibus, quia testator duos tantum requirit sacerdotes, seu capellanos, qui quotidie Missas celebrent per annum; & non quòd celebrentur per plures sacerdotes cum brevitate: ergo juxta rectam, & consonam interpretationem, illud unius capellani non sufficti stipendium sibi ipsis tradi debet, qui Missas celebrarunt, & stipendium adhuc non receperunt. Non, inquam, hæc obstant, quia ex dictis patet solutio.

13 Nec obstat quarta ratio dicentium, posse sibi ipsis capellanis tradi id ipsum stipendium capellani pro eo anno non provisi, in compensationem suarum Missarum non solutarum. Nam plures docent DD. posse sacerdotem se compensare in eleemosynis centum Missarum, quando illi soluta non fuit eleemosyna aliarum centum, quas ab eodem commendatæ fuerunt, ut ex Peyrin. tradunt Lezan. *in sum. tom. 4. Verb Missa, n. 43.* Dian. *part. 10. tract. 16. resol. 66.* Pellizzar. *tom. 1. tract. 6. cap. 3. num. 50.* Tambur. *in Method. celeb. Miss. l. 3. cap. 1. §. 3. n. 103.* ergo etiam capellani poterunt compensationem suarum Missarum non solutarum retinere in eo stipendio nulli capellano debito. Nec ista compensatio adversatur doctrinæ Dian. Tambur. & Pellizzarij, quia non est in damnum alterius defuncti, quia stipendium vacans defectu alterius capellani est ad Missas celebrandas pro anima ejusdem testatoris, & pro Missis jam celebratis, & non solutis. Et si compensatio occulta in casu prædictorum DD. est licita, etiam erit licita in foro externo, in quo constat de debito, & datur, cum quo in parte satisfiat. Non, inquam, obstat hæc ratio, quia Henao *de sacrificio Miss. disp. 31. sect. 10. nu. 106.* in casu eorum DD. adhuc consulit illi sacerdoti, ne utatur compensatione. Nec ei ratio à Dian. Tambur. & Pellizar. illi videtur admodum efficax, ut apud illum videri potest. Data tamen ea opinione; respondetur, non posse in eo stipendio fieri compensationem, quia si detur, anima testatoris innocentis patitur damnum, quia pauciores habebit Missas; quam justè potest habere, ut dictum est.

14 Denique hi capellani ab executore hujus legati postulant, ut Missas celebratas in eo

anno,

anno, pro quo defuit census annualis, recipiat loco dicendarum eo stipendio; quia ut prius celebratæ hunc favorem consequi merentur, & quia priores celebratæ magis animæ testatoris prosunt, quam de novo celebrandæ; quia forsan illis jam non indigebit. At cum ex dictis constet, executorem legati suæ non posse stare petitioni, illis non annuit; diligentiam tamen pro adhibendo censu non soluto, illis promisit; & consequutus fuit.

§. II.

An Missæ non celebratæ à non suffecto capellano, ut per plures breviter celebrentur sacerdotes, authoritas requiratur Episcopi?

SUMMARIUM.

14 *Non requiritur authoritas Episcopi.*
15 *Non opponitur Trident.*

15 Respondeo, non requiri authoritatem Episcopi, ut Missæ plures breviter celebrentur; sufficit enim judicium prudentum, & DD. Ratio est, quia ex dispositione testatoris volentis, & mandantis, quòd singulis annis pro sua anima celebrentur Missæ quarum capellaniarum, rectè colligitur, ut Missæ, quæ uno anno celebratæ non fuerunt, in sequenti maiori cum brevitate celebrentur. In quo nõ datur mutatio de uno ad alterum usum, sed impletur testatoris voluntas meliori modo, quo potest, suppósito capellani defectu; ergo cum non mutetur legatum, nec alia detur commutatio, Episcopi authoritas non requiritur, nec executoris consensus. Sic colligitur à dictis per Card. de Lug. *de Iust. tom.* 2 *disp.* 24 *num.* 303 Molin. *tract.* 2 *disp.* 249. Sanch. *l.* 4. *cons. cap.* 2 *dub.* 13. *& alios.*

16 Nec obstat dicere; quando legatum pium impleri non potest in eum usum à testatore præscriptum, in alium ei simílem ab Episcopo de consensu executoris commutandũ esse, ut tenent Sanch cit. *dub* 5. Molin. *Vers. Utrum autem*, Card. de Lug. etiam *cit. n.* 307. id colligentes ex *cap.* 3 *de testament. & ex Consil. Trid. sess.* 25 *de reform cap* 8. Loquente de testatore Hospitalium, sic: *Mandat adhuc, ut fructus illorum in alium pium usum, qui eorum institutioni proximior sit, & pro loco, & tempore utilior, convertatur, pro ut Ordinario cum duobus de capitulo, qui rerum usu peritiores sint, per ipsum deligendis magis expedire visum fuerit.* Sic Trid. Non, inquam, obstat, quia non datur commutatio de uno in alterum legatum; sed dispositio testatoris impletur meliori modo, quo potest, ut cum cit. DD. dictum est.

QUÆSTIO VIII.

An in Missis, & illarum Anniversarijs dari possit præscriptio.

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Non tenetur Maria ad Anniversaria, quia in illis, & Missis dari præscriptio.*
3 *Idem ostenditur ab exemplo Navarri, & aliorum DD.*
4 *Et a prima præscriptionis conditione.*
5 *Et a secunda conditione.*
6 *Et a tertia.*
7 *Et a quarta.*
8 *Præscriptio, etiam contra ignorantes procedit.*
9 *Plures dantur casus, in quibus ex jure non conceditur præscriptio.*
10 *A jure defunctis non conceditur præscriptio, nec a DD.*
11 *Videtur sententia judicis revocanda.*
12 *Quod est acquisitum per possessionem legitimam alicujus, ab illo auferri nequit.*
13 *Ex Bulla Clementis VIII ea summa pecunia a Maria non poterat auferri, & tradi Hospitali.*
14 *Bulla S. Pontificijs de præsenti casu nõ procedit*

1 MAria nobilissima fœmina bona aliqua immobilia bona fide, possidebat, in quibus investitæ erant eleemosynæ ad tria Anniversaria Missarum celebrandarum singulis annis in perpetuum, quæ vir nobilis suis successoribus sub eo onere reliquit, in Ecclesia S. Nicolai celebranda. Eleemosyna pro illis tribus Anniversarijs elargienda sacerdotibus dictæ Ecclesiæ, erat ducentorum, & quadraginta regalium Lusitanorum. Hæc Anniversaria (defectu notitiæ) per amplius centenorum annorum celebrata non fuerunt. Accidit, quòd anno 1687. inventa fuisset quædam unius anni remissio eleemosynæ debitæ illorum Anniversariorum, anno 1576. exhibita. Quà visâ per Provisorem Regium Capellarum, & juxta sui tribunalis stylum, per sententiam decrevit, colligendam esse rationem ab ultimis triginta annis elapsis, & eam eleemosynæ summum hospitali Omnium Sanctorum tradendam esse, juxta privilegium ab eo Hospitali à Clemente VIII. obtentum. Ea summâ traditâ juxta latam sententiam, Maria pro foro externo se liberam existimavit. Quærit. 1. An etiam pro foro interno, se liberam possit existimare? 2. An dato, quod teneatur, illa satisfacere Anniversaria, bona fide omissa in dictis annis, possit eam designatam eleemosynam omissam hospitali tradere, aut potius illa facere teneatur celebrari in Ecclesia à testatore designata? Sic facti species proposita fuit. Ad utrunque quæsitum.

RESO-

RESOLUTIO.

2 Respondeo, non teneri illam nobilem fœminam in utroque foro satisfacere illis Anniversarijs, tam omissis per illos plures annos elapsos, quam in futurum per annos venturos. Probatur, quia ex ipso jure Canonico, Civili, & communi consensu Theologorum, ac Iuristarum constat, quòd data bonâ fide, possessione, titulo, & tanti temporis decursu, in quo aliquis omisit præstare officium, servitutem, aut debitum, quo obstrictus erat, in utroque foro liber evadat; etiam si postea certò sciat, se fuisse verum debitorem. Sic latè pluribus relatis Castr Palaus *tom.7.de just. in genere, disp. unic. punct. 22. per totum*, Barbos. *tom.1.in collect ad c.Vigilanti, n.4 de præscript.* Nec ab hac generali doctrina jus, nec DD. excipiunt Anniversaria, & Missas, quas testatores in suis testamentis pro suis animabus celebrari mandarunt. Ut expressè defendunt Thom. Tambur *in Method celeb.Miss.l.3.cap.7 §.1 per totum*, Pellizzar. *tom.1. Manual. Regul. tract 5 cap.9 num 92.* & *Viri docti a se consulti*, Gobat *in experiment.Theolog.tom.1.tract. 3. nu. 514.515.& 516.*

3 Eadem ostenditur ex responsione, ad quendam Rectorem in simili casu, data à Navarr. *in volum consil.& appendice tit. 26 de præscript n.1.&.7.fol. mihi 652.* Qui Rector, per spatium 20. annorum, unam tantum Missam singulis diebus celebrari fecit, cum ex fundatione capellaniæ duæ esse deberent cum commemoratione fundatoris, ex defectu notitiæ hujus, & aliorum onerum. Repertumque fuit per sexaginta annos, & ultra, nullum Rectorem ea onera explesse. Resolvitque ipse Navarr. ea onera, per tantùm temporis spatium, esse legitimè præscripta, & nihil ulterius deberi. Navarrum sequitur Barbos. *in vot. decis. tom.1.l 2.vot.52 num.40.*& apud ipsum Zerol. *in praxi Episc.part.2.Verb.Beneficium n 14.*Idem tenet Perez de Lara *de Miss.& Anniversl.2 cap 1 n.52.* asserens, conditiones in capellanijs appositas, posse præscribi; citatque Navarr. & & Zerolam *proximè citatos.* Unde apertè stat pro nostra resolutione.

4 Et quòd in præsenti casu dentur conditiones ad præscriptionem requisitæ à jure, & DD *n.2.*patet *ex facti specie n.1.* Et ostenditur data enim fuit possessio requisita *regul.sine possessione de regul.jur.in 6.&l.2.ff.de usucapion.*quæ fuit continuata in Maria, ultra quadraginta annos; cum in legatis pijs sufficiant triginta, ut colligitur *ex l.ult. C. communia de legat.* Et cum communi DD.Covarr. *regul. possess. for. 3. part.§.3.n.6.Less l.2.de just. cap.6 dub.11.n.39* & & specialiter in Missis, & Anniversl. Pellizar. *cit* & Tambur *proximè §.2 n.3.* Navarr *supra l. 3* & praxis Provisorum Reg Capellarum, ut ex dictis *n.1.*constat.

5 Data etiam fuit Maria secunda conditio ad præscriptionem requisita, nempe titulus probabiliter præsumptus, idest, qui bona fide putetur validus, sive sit donationis, sive testamenti, vel successionis ab intestato, & aliorum, ut ex ipso jure constat, ut videre est, apud Castr. Palaum *cit.§.5.n.2.* & tradit Less. *dicto l.2.de just.cap.6.dub.2 nu.8.*& alij passim: at Maria ex testamento, & suorum Maiorum successione ea bona possessit.

6 Data etiam fuit in Maria bona fides, ad præscribendum requisita *in regul.possessor,de reg. jur.in 6 & cap.ult. de præscript. & in l.ult. C. unde vi*, & DD.Less.*proximè n.9* Castr.Pal *cit.§.6.* & doctrina communis: at Maria per plusquam quadraginta annos, bona fide processit existimans, ea bona à suis antecessoribus, & testatoribus relicta, esse sua absque ulla obligatione, & Anniversariorum onere.

7 Datur etiam quarta conditio, ad præscriptionem requisita, nempe continuatio certi temporis; & ex *dictis n.4* constat, hoc temporis spatium in legatis pijs, Missis, & Anniversarijs esse triginta annorum. Et cum hoc temporis spatium sit maximè completum, ante scientiam oneris ad Anniversaria, ad illa jam non tenetur Maria; nec illius heredes, nec in dictis bonis successores, ut cum pluribus tradit Barbos.*in collect ad d.cap Naviganti,nu.4.de præscript* & Less *cit. dub.27.* & expressè Gloss. *ad d.cap.Verb.Noverit.*

8 Nec obstat 1. quòd testator defunctus, cum hanc præscriptionem ignoravisset, reclamare non poterat: ergo suis privari non debet Anniversarijs. Non, inquam, obstat, quia præscriptio etiam currit contra ignorantes, ut constat *ex proximè cit.cap. Naviganti*, ibi: *Nobis autem tam in rebus cognitis, quam latentibus placuit, non habere vigorem.* & DD Barbos. *in collect.ad dictum cap.n.3.* & *ex l.Nunquam ff.de usucapion.*Bonac. *de restit.in gener. disp 1.q.ult.punct. 2 §.2.nu.19 Vers. Respondeo 3.* Et sicut currit contra absentes præscriptio elapso tempore requisito ex jure, sic etiam currit contra defunctos.

9 Nec obstat 2. quòd præscriptio non currat contra eos, qui agere non possunt, ut manifestè colligitur à contrario sensu *ex l. ult. C. communia de legat.* at defuncti agere nequeunt contra præscribentes jura ipsorum. Nec obstat 3. Ex eadem ratione, non currere præscriptionem contra pupillum, *Ordin.l.4.tit.79. § 2.& l.Sicut in rem,Cod.de præscript.30. annorũ*, & alij ac DD. Less.*dict.l.2.cap.6 dub.8.num.24.* Molin.*tract.2.disp.78.Vers. Præscriptio cessat, & omnes.* Nec 4. quia impedito non currit tempus, *l.1.§ fin C.de annal.except. cap. Quia diversitatem, de conces.præbend.& cap.fin. de elect.* etiam in præscriptione, Molin.*cit. Vers. In ijs etiam*, Barbol *cit.in Collect. ad cap. Ex transmissa, d.5* cum pluribus *de præscript.* Defuncti autem sunt impediti, ut reclament contra præscriptionem.

tionem. Nec 5. quia præscriptio non currit, Sede vacante contra Episcopum *capit. de quarta 4. de præscript.* ibi: *Nisi forte interim pastoralis sedes caruisset pastore.* Gloss. *Verb. Caruisset*, ibi: *quia Ecclesia tunc caret legitimo defensore*; & *in cap. cum non liceat, Verb. Non obstante, ibidem*? Less. *dict. capit. 6 dub. 16. numer. 49. vers. Dico 2.* At defuncti carent legitimo defensore: ergo si his adductis non currit præscriptio, quia non possunt agere, sunt impediti, non habent defensorem, etiam defuncti non possunt agere, sunt impediti, & defensorem non habent. Et ubi datur eadem ratio, eadem debet dari juris dispositio, ut ex jure, & DD. ostendit Barbos. *tract. de axiomat. 197. num. 3.*

10 Neque respondeas, defunctos posse agere, non esse impeditos, nec carere defensoribus, quia habent suos heredes, & Prælatos superintendentes pijs fidelium dispositionibus, & ipsum Capellarum Provisorem super has dispositiones vigilantem. Non, inquam, sic respondeas, quia etiam respondebo, pupillos, & minores suos habere tutores, & curatores, & sedem vacantem suum Capitulum, & alias Ecclesias, in defectu suorum Parochorum, habere sacerdotes, quibus commendantur: ergo si contra hos non currit præscriptio, nec etiam curret contra defunctos.

Non, inquam, prædicta obstant, nec ratio ex responsione contra responsionem allata, nam datur dispar ratio: nam adducti in exemplis, seu argumentis, pro se habent ipsum jus decernens contra illos non currere præscriptionem: at defuncti nullo jure defenduntur, nec DD sustinent, ne contra ipsos currat præscriptio, imo plures quos supra *numer. 2. & 3.* adducimus, docent quod in illos etiam detur præscriptio; & cùm hæc currat contra ignorantes, & absentes, qui pro se agere nequeunt, nec se defendere, etiam curret contra ipsos, qui ea habent impedimenta. Ad axioma respondetur: re vera debere dari erga defunctos eamdem juris dispositionem, quæ in allatis datur; cum ergo non detur, standum est ipsi juri, si quidem de his nihil disposuit. Ex his patet resolutio ad utrumque quæsitum *num. 1. petitum.*

11 Ex his mihi videbatur venire revocandam sententiam judicis Provisoris capellarum statuentis summam pecuniæ à novissimis triginta annis elargiendaq; esset pro illis Anniversarijs, tradi Hospitali Omnium Sanctorum ex adductis rationibus, quia hic erat stylus illius tribunalis; & quia Hospitale habebat Bullas Apostolicas ad illa recipienda legata. Sed his non obstantibus, ea pecuniæ summa Hospitali tribui non debebat.

12 Primo quia ea summa ex legitima præscriptione erat Mariæ, ut ex dictis pro utroque foro constat; & nullum est jus, aut stylus disponens, quod unius proprium ab illo auferatur, & alteri tribuatur. Maria enim bonâ fide possessionem incepit illorum bonorum à prædecessore habitam; & præscriptionem complevit, ignorans onus Anniversariorum, ipsis suis bonis relictis, esse impositum. Et succedens loco alterius justam habebat ignorantiæ causam, *regul. Qui in alterius, ff. de regul. jur.* Et dato, quòd illa possessio bona fide à prædecessore habita non incepisset, ea bona pro tempore suæ vitæ cum requisitis conditionibus ad præscriptionem, possedit; ut vidimus, ignorans onus Anniversariorum ipsis suis bonis esse impositum. Et hanc ignorantiam præsumit Gloss. *in capit. Sanctorum, Verb sincere, & capit. si diligenti, Verb. bona fides, de præscript.* illam semper præsumit, nisi contrarium probetur; nam *in l. Verius ff. de probat.* dicitur, præsumi ignorantiam, nisi scientia probetur. Quæ de hac muliere in nostro casu probari nequit. Et quando bona fides ex facti ignorantia consurgit, etiam in dubio præsumitur; ut relatis Covarr. Tiraquel. Menoch. Sanch. & alijs tradit Barbos. *in collect. ad citata cap. Sanctorum, num. 3. & capit. Si diligenti.* Et confirmatur, quia notitia oneris Aniversariorum reperta est ex una tantum remissione debiti, habita anno 1576. Ex qua satis colligitur præscriptionem fuisse legitimam, & centenariam. Unde ad hominem argui potest. Nam si Provisor Capellarum tradi non jubet Summam legatorum ante triginta annos non impletorum, quia præsumitur ante eos annos dari præscriptionem, idem præsumere tenetur, dari post triginta annos, quando ante illos incepisse constaret, ut constat de præsenti casu.

13 Secundò: Nec ex Bulla Clementis VIII. dict. Hospitali concessa *5. Februarij, anni* 1598. ea Summa pecuniæ ipsi hospitali tribui poterat ex duplici ratione; prima, quia Summus Pontifex tribui non jubet hospitali alienum, de quo disponere non potest, ut colligitur ex ipsa Bulla, ibi: *Dummodo dicta legata certis personis relicta non fuerint*: at stipendium in bonis immobilibus investitum, ad celebranda dicta Anniversaria, jam per præscriptionem legitimam, erat bonum Mariæ, & inter illius bona erat, & legitimè possidebatur: ergo hospitali tribui non poterat authoritate Pontificis. Et licet Summus Pontifex possit disponere de legatis pijs ad unum usum, ut in alium convertatur, ut colligitur ex *Clement. Quia contingit, de relig. domib.* & *ex l. Legatam, ff. de adminis. rer.* & ex Doctoribus Stipendium tamen ad Anniversaria legatum, per præscriptionem legitimam dixit esse legatum, & in bonis Mariæ est incorporatum, & à Pontifice alteri tribui, non jubetur.

14 Secunda ratio: Quia S. Pontifex in dicta Bulla tolùm concedit dicto hospitali legata non impleta per decem, viginti, aut plures annos, in præjudicium animarum testatorum, & in gravem conscientiarum legatariorum obligationem, ut constat ex supplica ad ipsam Bullam: at in præsenti quanvis datum fuerit præjudicium in anima testatoris, deficientibus illis Anniversarijs, datum non fuit in conscientia legatariæ Mariæ, quia bonâ fide per plusquam quadraginta annos notitiam non habuit de illis Anniversarijs; quòd sufficit, ut in ea Bulla suum non comprehendatur legatum; nam dictio & regulariter est conjunctiva, & copulativa, & de sua natura copulat præjudicium animarum testatorum cum gravi conscientiarum legatariorum obligatione, ut videre est apud Barbos. *tract. de diction.* 110. *num* 3. & cum in præsenti casu non detur simul præjudicium animæ testatoris, & gravis obligatio conscientiæ legatariæ Mariæ, Bulla Pontificis hunc casum non comprehendit.

QUÆSTIO IX.

An Parochus teneatur offerre, & applicare Missam pro suis ovibus, à quibus decimas, vel stipendium recipit, pro illis diebus, quibus debet coram ipsis celebrare?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Non tenetur Parochus.*
3 *Proponitur communis sententia.*
4 *Ostenditur exemplo Prælatorum maiorum.*
5 *Opposita sententia adducitur.*
6 *Ex Trident hæc sententia non probatur.*
7 *Afferuntur duæ Card. Declarationes.*
8 *Ad primam respondetur.*
9 *Ad secundam sit satis.*
10 *Parochus ab ovibus non alitur, ut pro illis Missas offerat.*
11 *Adducuntur dispositiones aliquarum hujus Regni Diœcesum.*
12 *Ad illas respondetur.*

1 STanislaus certæ Ecclesiæ Episcopatus Vicensis Abbas, illius curam gerens ægrotavit. Et ne Parochianis diebus Dominicis, & festis deesset Missa, sacerdotem, qui illam celebraret, substituit. Quæritur, an dictus Abbas jubere teneatur, Missas pro ovibus offerri, aut sufficiat eas celebrari jubere; ut illæ eas audiant; & sic possit substitutus eas Missas pro alia privata intentione applicare, & stipendium recipere? Ratio dubitandi est primò quia Doctores aliqui asserunt, non teneri Parochos Missas pro Parochianis offerri, nisi in illis Diœcesibus, in quibus illis imponitur speciale præceptum, aut viget consuetudo, illos pro eis offerendi. Secundo, quia legitime impeditus habeatur pro interessente, ut ex ipso jure constat.

RESOLUTIO.

2 Respondeo non teneri dictum Parochum Missas dicere, nec jubere dici pro suis ovibus, sed sufficere, illas dici jubere, ut ipsæ onus præceptum audiendi Missam adimpleant. Hujus resolutionis fundamentum est illud, quod *num.* 1 *primo loco designatur*, non tamen secundo; *de quo* § *seqq.*

3 Dixi *primo loco designatur* quia ita docet communior, & probabilior DD. sententia, asserentium, non teneri Parochos sacrificium Missæ pro populo offerre, sed tantùm illam dicere, ut populus eam audiat, & præcepto Ecclesiæ satisfaciat. Ita Navarr. Cordub. & alij plures, quos citant, & sequuntur Soar. *de sacrif. Miss. tom.* 3. *in* 3. *part. disput.* 86. *sect.* 1. Valq. ibidem *disput.* 234. *capitul.* 4. *vers. vera tamen* Castr. Palaus *tom.* 4. *tract.* 22. *disput. unic. punct.* 13. *numer.* 7. Baunis *tract.* 10. *quæst.* 3. *de Paroch.* Gasp. Hurt. *disput.* 4 *diff.* 16. Thom. Tamburin *l.* 2. *decal. cap.* 2. *de Miss.* §. 16. *numer.* 4. Francisc. *de Lug. l.* 5. *capit.* 11. *quæst.* 2. & illius frater, Card. de Lug. *de Euchar. disput.* 21. *sect.* 1. *a numer.* 21. Avers. *quæst.* 11. *sect.* 17. *Vers. Alij tamen*, Henao *de sacrif. Miss. disput.* 19 *sect.* 2. *numer.* 13. Dian. 2 *part tract.* 14. *resol.* 26. at 4 *part. tract.* 4. *resol* 232. *oppositum tenet, ex quadam Card. Declar. de qua infra.* Eamdem nostram resolutionem tenent Abreus *de Paroch. l* 4. *capitul.* 9. *numer.* 69. & alij, quos citati afferunt. Hæc sententia videtur certa, 1 Quia nullum datur præceptum hoc onus Parochis imponens, sed tantùm de pascendis ovibus doctrinâ, & sacramentorum administratione.

4 Secundò; quia aliàs omnes Prælati tenerentur suas offerre Missas pro suis ovibus; Episcopi pro ovibus sui Episcopatus, superiores Regulares pro suis subditis, Sum. Pontifex pro tota Ecclesia, quia sunt Parochi; & tamen nullus eos obligat ad offerendam Missam diebus Dominicis, & festis pro suis ovibus. Nec de hoc viget consuetudo: non enim est verisimile, quòd in Ecclesia sit consuetudo recepta, contraria præcepto. Vide Henao *de sacrific. Miss. disputat.* 19. *numer.* 18. *prope finem.*

5 Nec obstat, quòd plures, & graves Doctores oppositam sequantur sententiam, Sot. *in* 4 *dist.* 13 *quæst* 2. *artic.* 2. Sa *Verb. Missa n.* 44. & alij quos citat afferunt. Alij verò censent, teneri Parochos, aliquas pro suis ovibus offerre Missas, juxta prudentis arbitrium videlicet,

videlicet, ut ex tribus Missis in Dominicis, & festis dicendis, una pro ovibus applicetur. Sic Fragos. 2. *part. regim. reip. Christ. disp.* 21. §. 1. *num* 18 Barbos. *in collect. ad Trid sess.* 23. *de reform. cap.* 1. *num.* 4. & alijs in locis ibi *cit.* & Leandr. *mox citandus.* Non, inquam, obstat, ut ex solutione, suorum fundamentorum patebit.

6 Primum, quod affertur, est Hæc obligatio applicandi Missas pro Parochianis, est ex jure divino, ut constat ex *Concil. Trid sess.* 23 *de reform cap.* 1. ibi: *cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas cognoscere, pro ijs sacrificium offerre*, &c. Hoc fundamentum ex authoritate Trident. desumptum, adeo efficax existimat Leandr. *tom.* 2. *tract.* 8. *disput.* 5. *q.* 5. ut asserat hanc tententiam affirmantem, Parochos teneri pro suis ovibus offerre Missas, ut dicat: *Sic concilium, & sic omnes DD. licet inter illos dissentio sit, in determinando quibus diebus, ad hoc Parochus teneatur.* Non advertens, quòd paulo antea pro sententia negante, citaverat Card. de Lug. dicentem; negantem esse communem. Hoc tamen accepit à Marchin *de ordin. tract.* 3 *part.* 2. *capitul.* 30. *num.* 1. Respondetur autem ex prædictis Concil. verbis, non colligi obligationem offerendi Missam particulariter pro Parochianis, ita ut non possit, stipendium recipi pro applicatione particulari, sed solùm obligationem generalem communem omnibus sacerdotibus celebrantibus, quorum sacrificia participant omnes fideles, maximè assistentes. Unde sicut Parochus omnibus Dominicis, & festis, & sæpe alijs celebrare tenetur, ita ad istam generalem applicationem eijsdem diebus tenetur. Hæc tamen non tollit, ut stipendium accipere possit ab illis, pro quibus in particulari sacrificium obtulit.

7 Secundum, quod affertur, desumunt adversarij ex duplici Declarat. S. Congreg. Concil. de quibus mentionem facit Barbos. *in collect. ad cit. cap. Trident. numer.* 4. *& de offic. & potest Paroch. capitul.* 11. *numer.* 13. & *in collect.* 555. *Apostolic. decis. numer.* 2. Quarum prima edita fuit authoritate Urbani VIII. *anno* 1625 *aut* 1626. *super Decretis ejusdem Congreg. de celebr. Missar. In respons. ad* 4. Sic ait: *Sacerdotes, quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione beneficij, seu capellæ, legati, aut salarij, si eleemosynas etiam pro alijs Missis celebrandis susceperint, non posse eadem Missa utrique obligationi satisfacere.* Secunda edita fuit *anno* 1629. & habet sic: *Missam, quibus diebus tenentur Parochi celebrare, non posse pro ea manualem eleemosynam recipere.*

8 Ad primam respondetur, ibi non esse sermonem de Parochis; nam licet in ea legatur: *Sacerdotes, quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione beneficij*, &c. Verisimile est nomine *beneficij*, intelligi beneficium simplex, in quo aliqua specialis ratio militet. Et si sermo sit de beneficio curato, patebit solutio ex sequenti responsione.

9 Ad secundam Declarationem, in qua sermo est, de Parochis Respondetur, in illa non declarari, unde proveniat onus Missas celebrandi; & dum non constat, unde proveniat illa obligatio, contra nostram resolutionem nihil argui potest. Potest enim ex alijs capitibus provenire; quorum ratione aliam manualem eleemosynam recipere non poterunt. Possunt enim pro certo die habere eleemosynam; & tunc non possent aliam recipere; vel possunt institutione beneficij, aut synodali præcepto, aut consuetudine teneri certis diebus celebrare; & tunc pro ipsis diebus non poterunt aliquam recipere stipem. Cum ergo non constet, unde proveniat ipsum onus, nec ea Declaratio sit authentica, non datur ratio, ob quam ab opinione communi, & probabiliori recedamus.

10 Tertium, quod affertur, est: Quia Parochus à suis ovibus alitur: ergo pro illis Missam offerre, tenetur. Respondetur, negando, consequentiam, quia non alitur hujus muneris præstandi gratia, sed aliorum, quæ spectant ad doctrinam, & sacramentorum ministerium.

11 Quartum, quod affertur, est: Hoc onus videtur imponi *in Constit. Visens. l.* 3. *tit.* 4 *constit.* 10. [ubi dictus Abbas suum habet beneficium Parochiale) ibi: *Non recipiant plures Missas, quam illas, quas illi dicere possint in diebus, quibus non habuerint aliam Missam obligationis. Et curati, qui Onus habent ratione sui officij, dicendi Missam quotidianam, aliam recipere nequeunt.* Idem habetur *in Const. Lamecensis Episcopatus titul.* 23 *const.* 4. Et expressius *in Const. Portugallensis Episcopatus tit.* 13. *const.* 5. Ubi dicitur curatos deberi diebus Dominicis, & festis Missas dicere pro Parochianis. Ex quibus videtur colligi, Missas, quas Parochi tenentur dicere, ut populus audiat, eaidem tenentur pro populo applicare, & non pro alia particulari intentione.

12 Respondetur, verba Constit. Vicensium, & Lameccensium allata, non expresse ipsum imponere onus ipsis Abbatibus, seu Parochis; & cùm ad minus sint dubia, & non sufficientia ad inducendum onus contrarius, & communem possessionem, *juxta reg. In dubio, non est quis spoliandus possessione sua Reg. In dubio melior est conditio possidentis.* Ad constit. Portugallensis Diœcesis, ex qua maius potest suboriri dubium; Respondetur, illam hoc onus non imponere, sed illud supponere ex opinione DD. cùm verò detur opinio DD. hoc onus nõ supponens, dicendum est, ad illud non teneri. Addo ex Henao *cit. n.* 22. *in fine* sic dicente: *Si alicubi fuerit imperium Episcopi, aut constit. synodalis, oponere, ut examinetur, quam vim obligandi habeant graviter ne, an leviter? Materia de se est*

capax obligationis gravis, ut dixi, attento Parochiali officio. At cũ cõst tynodales Diæcesis Portugalléses sint antiquissimæ, circa hoc onus; juxta opinionẽ minus probabilẽ his tẽporibus, processerũt tamen Videãtur novæ cõstit. *l.* 3 *tit.* 6. *Const.* 4 per totam, & maxime *Vers.* 4. & observetur, quod ab ipsis mandatur Idem asserо, de dispositis in constit. Ulyssip. quæ videntur coincidere cum ijs, quæ habentur in Portuensibus, ũt videre est *l* 3 *titul.* 10 *Decret.* 1. *in principio* & §. 1. & 2 nobis enim non pertinet illas explicare, sed respondere ad casum propositũ alia vero obiter attingere.

§. Vnicus.

An in sententia asserente, teneri Parochos Missas offerre pro Parochianis in illis diebus, quibus eas tenentur audire, excusentur ab eo onere tempore ægritudinis?

SUMMARIUM.

13 *Fundamentum Parochi nihil probat, data opinione probabili, quod Parochus teneatur Missas pro ovibus offerre.*

14 *Tenetur per substitutum Missas celebrare pro ovibus.*

15 *Ostenditur exemplo capellanorum.*

16 *Capellanus obligatus ad celebrandum singulis anni diebus, excusatur ratione ægritudinis duos tantùm menses non excedentis.*

17 *Etiã in casu, quo capellanus sanitatẽ nõ procuret; dummodo fundator oppositiũ non exprimat*

18 *Quando fundator in capellaniæ fundatione expressit, quòd capellanus per se ipsum celebret, quantocumque tempore ægrotet, non tenetur Missas omissas supplere.*

19 *Secus dicendum de Parocho, in supradictis, de capellano.*

20 *Textus in Cap. Clericus, & cap. 1. de cleric. ægrotante, & cap. Vnico, de clerico non resident. Parocho Abbati ægrotanti non favent.*

13 Hactenus loquuti fuimus juxta primum fundamentum *num.* 1. *in fine* addictum. Nunc procedimus ad secundum, ibi allatum; ex quo intendebat dictus Abbas, se non teneri ad dicendas Missas pro suis ovibus, in ijs diebus, quibus illæ eas tenebantur audire. Ex hoc fundamento; quia legitimè impeditus habetur pro interessente, ut habetur in jure; ille autem erat impeditus, quia erat ægrotus.

14 Hoc tamen fundamentum non subsistit in hoc casu particulari, de quo loquimur. Nam si dictus Abbas tenetur ad dicendas Missas, pro suis ovibus, ut inquit sententia probabilis *num* 5. *allata*, illas non valens ob ægritudinem dicere; per alium illas dicere tenebatur. Probatur primò, quia ut communiter docent DD Castr. Palaus *tom.* 2. *tract.* 13. *disp.* 5 *punct* 5. *num* 3 *prope finem*, Abreus *de Paroch. l* 3 *capitul.* 8. *numer.* 59. quoties Parochus non potest per se occurrere obligationibus sui muneris, ad quas ex justitia tenetur, per alium, ad satisfaciendum, obligatur: ergo cum juxta eam probabilem opinionem teneatur ex Iustitia sacrificia in ijs diebus, pro suis ovibus offerre, & per se non potest, per alium tenetur satisfacere.

15 Secundò probatur hoc particulare Missarum exemplo capellanorum, qui ex obligatione suarum capellaniarum certas tenentur dicere Missas, pro fundatore capellaniæ, aut capellæ, quas per alium tenentur dicere; quando ratione ægritudinis per se ipsos, eas dicere non possunt, ut tradunt Sylvest. Fabien. Henriq. & alij apud Bonac. *tom.* 1. *disput.* 4. *de Euchar. quæst. ult. punct.* 8. *numer.* 17. Marchin. *de ordin. tract.* 3. *part.* 2. *cap.* 23. *num.* 6. Vide *num.* 19.

16 Nec obstat primò, quod capellani, qui singulis anni diebus pro onere capellaniæ, & anima fundatoris celebrare tenentur; si ægrotentur, & infirmitas duos non excedat menses, eas Missas ijs duobus mensibus omissas, per alios sacerdotes supplere, non tenentur. Ut sustinent Card. de Lug. *de Euchar. disput.* 21. *sect.* 2. *numer.* 49 Dicastil. *ibidem tract.* 5. *disput.* 4. *dub.* 21. *numer.* 411. Aversa. *quæst.* 11. *sect.* 18. *Vers. secundo sacerdos*, Henao *de sacrif. Miss. disput.* 19. *sect* 3. *numer.* 38. Tamburin. *in Methodo celebr. Miss. l.* 3. *capitul.* 5. *numer.* 3. Dian. *part.* 2. *tract.* 14. *resol.* 27. & *part.* 5. *tract.* 13. *resol.* 52. Leand. *tom.* 2. *tract.* 8. *de sacrif. Missæ, disput.* 5. *quæst.* 19. & alij plures, quos ipsi citant. Et etiam in casu, quo capellanus sufficientes habeat redditus, quo sustentetur; sic cum Quintanad. Henao *cit.* & etiam si tempus duorum mensium sit discontinuum per diversas infirmitates, ijdem DD.

17 Eadem doctrina etiam habet locum, quando capellanus non procurat sanitatem, quia ægritudo non est voluntaria, sed valde per accidens, ad Missas. Sic Tambur. *citat. capit.* 6 §. 2. *numer.* 7. *in fine*, & *numer.* 8. Quamvis ipse Tamburin Henao *locis citat.* & Thom Hurt. *tract.* 2. *capit.* 4. *resol.* 8 *numer.* 92. apud Leand. proximè, hanc indulgentiam à voluntate fundatoris præsumptam, existimant, intelligendam esse, in casu, quo ipse fundator velit, quòd tempore infirmitatis, aut alterius impedimenti, capellanus per alium celebret; quia tunc tenetur id facere, quia voluntas fundatoris ad verbum implenda est.

18 Plus addit Castr. Palaus *tom.* 2. *tract.* 13. *de benef. disp.* 1 *punct* 6. *num.* 25. & ex illo Henao *citat. num.* 39. Si in fundatione capellaniæ, dicatur, quòd capellanus per se ipsum celebret, quantocumque tempore capellanus ipse ægrotet, Missas non teneri omissas per alium supplere: ergo si capellani tempore ægritudinis ad summum per duos menses non celebrent, non tenentur eas Missas per alium dicere, ita etiam

am dictus Abbas, dum infirmatur, non tenetur per alium sacerdotem eas Missas supplere.

19 Non, inquam, hæc obstant; quia in capellanis, qui singulis anni diebus celebrare tenentur, ita prudentissimè præsumitur de fundatoris voluntate, si ægritudo non excedat tempus duorum mensium; quæ præsumptio non datur, quando capellanus celebrare tenetur bis in hebdomada; nec quando quater in eadem; nec etiam per unum tantum mensem ægritudinis, quia recuperata valetudine, per se ipsum Missas omissas supplere potest; nam infirmitas sufficienter excusat dilationem, ut tradit Henao *cit. dicta disp. 19. num. 38. in medio*, quanvis apud ipsum id concedat Quintanad. capellano, per unum tantùm mensem capellaniam habenti, cum obligatione celebrandi quater in hebdomada: at Parocho juxta eam probabilem opinionem non datur præsumptio, cum jus id expresè dicat; & cùm Parochus tantùm teneatur Dominicis, & diebus festis pro suis ovibus, etiam cessante ipso jure, non potest adjuvari opinione DD. asserentium, capellanum singulis annis diebus ad celebrandum obligatum, supplere non teneri Missas, quando ægritudo duos menses non excedit: diversa enim est obligatio celebrandi singulis diebus ab illa, in qua Parochus tantum Dominicis, & diebus festis celebrare tenetur. Etiam responderi potest, fructus capellaniæ non dari ob sacra exhibita actu, sed ob ejus titulum sub obligatione celebrandi, si fieri potest; sicut fructus præbendarum, Canonicatuum, & aliorum beneficiorum postulantium residentiam, qui non dantur ob hanc actu exercitam, sed ob eorum titulum, sub onere residendi, si fieri possit. Quod si ob ægritudinem non possit, non ideo illi fructus amittuntur; ut inquit Henao *cit. numer. 39.* At dictus Abbas juxta eam probabilem opinionem per alium tenetur dicere Missas diebus Dominicis, & festis, ut populus eas audiat, & tenetur per se, illas pro populo offerre; ergo etiam per substitutum, qui suum munus obit.

20 Non obstat 2. *textus in capit. Clericus victum 91. & text. in capit. 1. de cleric. ægrot.* & in *cap. Unico, de clerico non resid.* ubi dicitur, quod legitimè impeditus, habetur pro interessente, quoad distributiones lucrandas. Non, inquam, obstat, quia in distributionibus datur diversa ratio: sunt enim alimenta, & hæc tempore ægritudinis à jure dari jubentur; at stipendium Missarum non datur ob alimentum; nam hoc jam supponitur habitum in sacerdote ad dicendas Missas electo, sed datur ob laborem dicendæ Missæ per se, aut per alium; & in nostro casu per se, aut per alium diebus Dominicis, & festis ex justitia. Unde Parochus ægrotans per alium eas tenetur dicere.

QUÆSTIO X.

An tertium bonorum à viro suæ uxori relictum, donec nubat, cum onere Missarum, sit post illius mortem inter filios dividendum, aut potius succedura sit filia à testatore vocata, sicut ad bona maioratus; & in eo succedatur per lineam rectam.

SUMMARIUM

1 *Facti species.*
2 *Ex impositione oneris Anniversarij censetur induci fidei commissum, non restrictum ad primum hæredem.*
3 *Per simplicem impositionem oneris Anniversarij non censetur induci vinculum maioratus indivisibilis, sed fidei commissum divisibile.*
4 *Onus Missarum potest servari individuum, partito inter hæredes valore fidei commissi.*
5 *Explicatur text. in l. Cui fundus ff. de condit. & demonstr.*
6 *Tertium Tiburtij quoad valorem est partiendum inter suos hæredes, salvo onere in perpetuum.*
7 *Dispositio, Tiburtij fuit in casu, quo illius uxor nuberet.*
8 *Dictum tertium solum est partibile, quoad valorem.*

1 TIburtius tertium bonorum suorum, de quo libere disponere poterat, juxta *Ordin. l. 4 titul. 82. in principio*, & DD. Cald. Pereir. *de empt. capit. 27. numer. 35.* Valasc *de partit. capit. 19. in principio* Fragos. 3. *part. Regim. reip. Christ. disput. 4 §. 5. numer. 116. vers. secus dicendum*, uxori suæ Ceciliæ reliquit, per hæc verba: *Relinquo tertium bonorum meorum uxori meæ Ceciliæ, donec nubat, cum onere tantarum Missarum in singulos annos, quæ in tali dicentur Ecclesia. Et nubente dicta mea uxore, relinquo idem tertium meæ filiæ Antoniæ, & per ejus mortem filio suo, aut filiæ, quem illa nominare voluerit; & filios non habenti; altera mea filia Ioanna in eo tertio succedet, & sine filijs decedente, remanebit alij meæ filiæ, & ex in de per lineam rectam. Et dato casu, quo dictæ meæ filiæ filios non habeant, relinquo dictum tertium tali confraternitati cum eodem Missarum onere,* &c. Cecilia vidua manens, nunquam nupsit, & per totam vitam eo tertio ad suum placitum usus fuit. Quæritur, ut in tit.

RESOLUTIO.

2 Ad quæstionem propositam, & illius resolutionem duo asseruntur principia, à DD. communiter recepta, ex quibus maiori cum facilitate, & veluti ex consequentia manifesta manebit resolutio.

Primum sit. Quod ex impositione oneris Anniversarij censetur induci fidei commissum perpetuum, non tantum ad primum hæredem restrictum. Ita *ex text. in l. Annuam 6 ff. de annuis legat.* ibi: *Annuam pecuniam ad suos civitatis reliquit, quibus præsidere hæredes voluit. Successores heredum negant, se debere, quasi testator tandiu præstari voluerit, quandiu præsiderent heredes. Quæro igitur, an cum præsidendi mentionem fecerit ad tempus fidei commissi; an perpetuo præstari voluerit? Modestinus respondit fidei commissum quotannis in perpetuum Reip. præstandum.* Et *ex text. in l. Annua, 20. § fin ff. eod. titul.* Concludunt Reminald. Iunior *consil. 297. nu. 15. volum. 3* Petr. Anton. de Petra *de fideicommiss. q. 5 num. 26. in fine* Valasc. *consult. 82. nu. 2.* Perez de Lara *de Anniversl. 1 cap 4. n. 1.*

3 Secundum principium est, quòd per simplicem impositionem d. oneris Anniversarij non censetur induci vinculum maioratus indivisibilis, sed fideicommissum divisibile [salvo onere, quòd semper debet maiori deferri *l. fin. ff. de fidei instrum.*) Non, inquam, censetur induci vinculum maioratus indivisibile, ut ex *text. in l. Nihil proponi 123. ff. de legat. 1.* & alijs pluribus tenet Valasc. *dict. consult. 82. num. 6. & seqq.* Gama *decis 30. & 42. & 224. n. 8. & decis. 286. n 1. & seqq.* Flores de Mena *q 17. n. 46.* Salazar. *de usu, & consuetudine, cap. 12. n 43* Castill. *l. 74* Tauri *vers. Ex his etiam*, Lara *de Anniversl. l. 2 cap 4. n 15. & 16.* cum speculat. Ioann Andrea, Menoch. & alijs pluribus Qui omnes dicunt induci solum fidei commissum perpetuum, illud que divisibile inter heredes, & successores, salvo onere. Dicunt enim maioratum, & fideicommissum inter alias differentias in eo distingui, quòd maioratus sit indivisibilis, & maiori inter plures ejusdem gradus indivisibiliter defertur. Fidei vero commissum est divisibile inter plures ejusdem gradus, *l. Cum ita § in fidei commisso ff de legat. 2. & l. Peto, §. fratre*, ibi: *Omnes fidei commissum petent qui in familia fuerint ff. eod. tit.* ut ex his, & alijs pluribus textibus, probant Molin. *de primog. l. 1. cap. 1. & cap. 26 n. 14. & seqq.* Covarr. *l. 3. Variar. cap. 4.* & Perez de Lara *de Anniversl. l. 1. cap. 4. n. 27.*

4 Nec obstat contra hujusmodi fideicommissi divisibilitatem, quòd res affectæ onere Anniversaris debent servari indivisibiles, propter onus Missarum individuum, *argum. l. cui fundus ff. de condit. & demonstr.* & propter salutem animarum eorum, qui tales Missas instituerunt, juxta *Consil Trident sess. 25. de reform. cap. 4.* ibi: *Ita tamen utrorum semper commemoratio fiat, qui pro suarum animarum salute, legata ad pios usus reliquerunt, &c.* Quia non minus sua Reip. interest, quam familiarum suarum conservatio, & earum memoria. l. 1 *ff. de ventre inspect.* Non, inquam, obstat hoc, quia onus Missarum potest servari individuum, partito inter heredes valore fidei commissi *l. Communi dividundo ff. de commun. divid.* quod multis locis locupletat. Menesius *in l. Cùm quidã 24 ff de legat. 2* & Lara *de Anniversl. l. 1. cap 4. num. 30.*

5 Neque contrarium suadet *text. in l. Cui fundus in finalibus verbis*, ibi: *Quod uni sub ea conditione legatum est, scindi ex accidenti conditio non debet, & omnis numerus eorum, qui in loco ejus substituuntur, pro singulari persona est habendus.* Nam hic textus intelligitur, quando legatum sub una conditione indivisibili relinquitur, quandiu illa non impletur, ut quando lite expectata, moritur unus ex litigantibus, relictis pluribus heredibus: non enim tunc unusquisque potest sibi constituere procuratorem divertum, sed debent omnes eundem constituere, ne litigans per diversos adversarios distingatur, contra *text. in l. 1. in fine, cum l. sequenti ff. de exercit. action.* Et hoc sensu omnis numerus heredum, quoad hoc, pro una persona est habendus, ut optimè expendunt Socin. Iunior *const. 71. n, 14 15. & 18. volum. 4.* Tiraq. *de retract. lignag. Gloss. 21 § 1. n. 13.* Sarmient. *l. 2. select. cap. 1 n. 7. ad finem* Lara *de Anniversl. l. 1. cap. 4. num. 33.*

6 Hoc suppositio; veniendo ad resolutionem quæstionis, respondeo, dicta bona per mortem Ceciliæ uxoris, quantum ad valorem esse partibilia inter suos heredes; salvo onere in perpetuum. Dico primo loco *esse partibilia inter suos heredes.* Quia haberi non debent, ut bona maioratus, sed tantum fideicommissi, quia hoc tantum, & non ille constituitur per simplicem impositionem oneris Anniversarij, ut constat ex dictis pro secundo principio; & bona d. Ceciliæ fuerunt relicta per simplicem impositionem oneris Anniversarij. Dico per *simplicem*, quia conditio *donec non nuberet*, purificata est, quia illa non nupsit, nec nuptura est, quia jam est defuncta; ac proinde talis cõditio perinde fuit, ac si non foret, *l. si pecuniam ff. si certum petatur.* Confirmatur, quia bona semper præsumuntur libera, & sub minori vinculo, ut tenent communiter DD. quos latè citant, & sequutur Molin. *de primog. l. 1 cap. 11. n. 11.* Meres *de Maiorat. part. 3 q. 5. n. 20.* Lara *de Anniversl. l. 1. cap. 4 n. 17.* Burgos de Pas *q. 2. n. 7.* Fragos. *de Regim. Reip. Christ. part. 3. disp. 9 § 21. n. 1 & seqq.*

7 Nec obstat, mentem testatoris Tiburtij fuisse condere maioratum, ut colligitur ex verbis, *quod in casu, quo dicta sua uxor nuberet, &c.* disponit de dictis tertij bonis illa relinquens in successione suis filiabus; & nepotibus per viam rectam. Non, inquam, obstat quia hæc dispositio fuit in casu, quo ipsa uxor nuberet, & illa non nupsit. Quare in casu, quo illa non nupsisset, ea omnia bona ei reliquit, absque alio onere, nisi tantùm Anniversarij, quod [ut ex dictis constat] solùm inducit fidei commissum, & non maioratum.

8 Secundo loco dico, quòd dicta bona solùm sunt partibilia, quo ad valorem, quia conser-

conservari debent unita, ut salvetur onus Anversarij, *dict. l. Communi dividundo ff. de comm. divid.* ut tradunt Lara *de Anniversl. l.* 1. *cap.* 4. *n.*30. & Menesius *dict. L. Cum quidam, n.* 24. *de legat* 2. Quod onus servari debet in successoribus in perpetuum, ut constat ex dictis pro primo principio.

QUÆSTIO XI.

An valida sit impetratio altaris privilegiati, quando commissus est error in nomine Ecclesiæ?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Tale rescriptum, & impetratio est valida?*
3 *Ex ipso jure ostenditur.*
4 *Valida est gratia, quando erratur in Diœcesi ejus, cum quo dispensatur.*
5 *Gratia non vitiatur per errorem commissum à Curia scriba.*

1 CYprianus Prior Ecclesiæ parochialis peculiari devotione sacellum. Beatissimæ Virginis Mariæ prosequebatur; Romam supplicavit pro altari privilegiato ad idem sacellum. Concessit S. Pontifex: attamen Breve ad illum, cum errore in nomine Ecclesiæ pervenit. Et loco sacelli B. Virginis venit Ecclesia parochialis. Quæritur an Breve ad sacellum B. Virginis sit validum?

RESOLUTIO.

2 Respondeo esse validum ad dictum sacellum. Fundamentum est, quia gratia valet, etiam quando eam concedens, denotat personam, cui per errorem est petita, errato nomine veræ personæ petentis, ut expresse tenet Sanch *l* 8. *de matr disp.*21. *n.*38 Et est certum apud Leand. *tom.*3. *tract* 9. *disp.*24. *q* 46. Et ratio est, quia in gratijs, quæ fiunt à Principe, ejus mens est, dirigere intentionem ad eam personam, cui verè petitur. Unde per accidens est, quod erretur in nomine illius, & ejus loco denotetur alia persona, ponaturque alterum nomen Quod maximè intelligendum est [addit Sanch. ibi] quando constat, gratiam eodem modo concedendam esse cuicumque petenti. Et in casu proposito Prior gratiam supplicavit ad sacellum B. Virginis; & cõstat S Pontificem eodem modo eam concessurum esse sacello B. Virginis, ac Ecclesiæ parochiali.

3 Confirmatur 1. hæc doctrina à simili *ex l si quis infundi, 4. ff. de legat.* 1. ibi: *Si quis infundi vocabulo erraverit, & Cornelianum pro Semphroniano nominaverit, debebitur Semphroniann. &c.* Et clarius *inst. de legatis,* § *si quis in nomine,* ibi: *Si quis in nomine, cognomine, prænomine, agnomine legatarij testator erraverit, si de persona constat, nihilominus valet legatum. Nomina enim significandorum hominum gratia, reperta sunt, qui si alio quolibet modo intelligantur, nihil interest.* &c. Unde evidens est, parum referre, quòd in nomine erretur, quando constat de persona. Et in præsenti casu de persona constat, quia hæc (ut diximus) est illa cui petitur verè, nimirum sacello B. Virginis: in idem enim princeps intentionem suæ gratiæ dirigit, ut ex dictis liquet.

4 Secundò confirmatur; nam quando S. Pontifex dispensationem, aut gratiam concedit, & in Brevi illius executionem Ordinario Ulyssiponensi committit, cum illam petens fuisset ex Diœcesi conimbricensi (non obstante, quod in Brevi nominetur Ordinarius Ulyssiponensis) potest Ordinarius Conimbricensis exequi, & effectum illi gratiæ tribuere; quia intentio S. Pontificis est ut Ordinarius petentis cum illo dispenset; ut tenet Basil. Pont. *de matr. l.*4. *cap.*17. *n.*43. Laym. *l.*1 *tract* 4 *cap.*32. *nu.* 27. Salas *de leg. disp.*20 *sect.*16 *n.*123. Bonacin. Sanctarell. Amic & Portel, quos affert, & sequitur Leand. *cit. dict. tract* 9. *disp* 24. *q.* 47. & Dian. 1 *part. tract.* 10. *de leg. resol.* 36. dicens hãc opinionem se consulente, contra Sanch. positam esse in praxi. Unde parum interesse constat; quando datur error personæ, si constat de intentione Pontificis, qui petenti facturus est gratiam: At in præsenti casu, [ut dictum est) constat, intentionem Pontificis esse gratiam facere sacello B. Virginis, cui petita fuit, & non Ecclesiæ Parochiali.

5 Tertiò confirmatur; nam gratia per errorem scriptoris Curiæ non vitiatur, qui v. g. in dispensatione matrimonij loco tertij gradus affinitatis posuit tertium consanguinitatis gradum, ut tenent Laym. & Dian *cit. locis,* & alij quos supra *disp.* 1 *q.*39 *nu.* 7. adducimus: ergo etiam non vitiatur petenti facta; quamvis loco sacelli B Virginis ex errore scriptoris Romani posita sit Ecclesia parochialis.

QUÆSTIO XII.

An habens privilegium, habendi oratorium in domo suæ habitationis possit illud habere in civitate, in villa, & oppido natalis suæ uxoris, in quibus locis habitat diverso tempore, & anno?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Potest cum quadam limitatione.*
3 *Facta mutatione de uno ad alterum locum, nova requiritur Ordinarij approbatio.*
4 *Mortuo eo, cui indultum oratorij privati concessum est, per. atorij approbatio; & etiam in casu, quo ad aliam habitationem divertat absque spe breviter redeundi.*

5 *Si dominus domus locatæ, oratorium erigat in domo ſuæ habitationis, periit approbatio oratorij in domo locata erecti, ſecus ſi non erigat, & detur ſpes breviter redeundi ad ſuam propriam domum.*

1 DAmianus, & uxor ejus Iuſtina ex nobiliſſimis familijs à Summ. Pontifice reſcriptum obtinuerunt ad habendum Oratorium privatum in domo ſuæ habitationis, nullo deſignato loco, ut in ſupplica expoſuerunt. Habent dicti impetrantes in civitate habitationem; & aliquando ad Villam extra civitatem divertunt, in qua aliquando per breve, & aliquando per longum tempus morantur. Idem accidit in emigratione de civitate, & villa ad oppidum nativitatis uxoris juſtinæ. Et in his omnibus locis oratoria habent, in quibus, ut audiant, celebratur Miſſa. Ex his tribus oratorijs approbatum ab Ordinario fuit, juxta reſcriptum Apoſtolicum, quod erat erectum in domo nativitatis Uxoris Iuſtinæ; Erectum in villa ab ordinario fuerat approbatum ex reſcripto Apoſtolico, dum ea Villa ad alium dominum pertinebat, qui dominus jam é vita deceſſerat; Tertium oratorium in Civitate ſitum fuit approbatum ab ordinario ex reſcripto á domus domino obtento adhuc vitam agentè, qui eam Damiano locaverat pro hoc tantum anno; Ornatus autem horum trium oratoriorum eſt idem, ab Ordinario viſitatus; nam hic à Damiano defertur, quando ad oppidum nativitatis uxoris, vel ad Villam divertitur. Quæritur: An Damianus juxta ſuum reſcriptum locum deſignatum non habens, poſſit tutà conſcientiâ, uti quolibet ex his tribus oratorijs privatis, quibuſcumque diebus, aut annis, ſine alia approbatione, nec gratia obtinenda.

RESOLUTIO.

2 Reſpondeo, non poſſe Damianum, tuta conſcientia, uti illis tribus oratorijs, etiam in diverſis anni temporibus, nec annis diverſis. Ratio eſt, quia unum tantum habet Breve: at Pontifex nunquam per unum tantum Breve concedit facultatem celebrandi Miſſam in pluribus Oratorijs privatis. Sic cum Meroll. *in Theol. moral. tom. 3. diſp. 6 cap. 8. dub. 22. n. 128.* Dian *part. 9. tract. 1. reſol. 22.* Maſcarenhas *de Sacram. tract. 5. de ſacrif. Miſſ. diſp. 5. cap. 5. nu. 289. in fine verſ. Imo nec etiam*, dicens, hoc facere poſſe, quando mutat domicilium; Henao *de Sacrif. Miſſ. diſp. 23. ſect. 12. n. 168.* Bardi contra Paſqualig. *citat.* ab eodem Dian. *part. 11. tract. 5 reſol. 34.* Addit tamen Henao *cit.* probabile videri, ſi dominus media parte anni habitet in civitate, & alia media parte in villa, poſſe non eodem tempore, ſed diverſo erigere oratorium ad Miſſam in civitate, & in villa; ita ut quo tempore anni uſus ſit oratorij unius, non ſit alterius; tunc enim per inde reputandum videtur; ac ſi de una civitate mutaret habitationem in aliam, vel de uno vico in alium ejuſdem civitatis. Sic dicendum exiſtimo de Damiano; poteſt enim de civitate, in Villam, & de villa in domum nativitatis ejus uxoris mutare habitationem; & ſic erigere oratorium, non eodem tempore, ſed diverſo, ita ut per habitationem unius jam ceſſaret, alterum oratorium totaliter, per eam novam habitationem; ſic enim juxta Breve obtentũ probabiliter procedere poteſt; Vide *in ſequenti diſp. n. 7. & 6.*

3 Exiſtimo tamen in his mutationibus ad diverſam habitationem opus eſſe nova Ordinarij viſitatione, & approbatione illius Oratorij, tam loci, quam ornamentorum, ſi diverſa ſunt, ſecus ſi ſint eadem, & deferantur de uno ad alterum Oratorium, ut *num. 1. dictum fuit.* Ratio cur requiratur nova ordinarij approbatio. eſt; quia hoc privilegium eſt perſonale, & eſt ad unum tantum oratorium; & non ad illa tria; ergo cum ceſſet, etiam ceſſat quoad probationem ad eum locum & ſi poſtea ad illum revertatur, indiget approbatione, nam facta per novam habitationem diverſam, jam ceſſavit, quia permanere non poteſt, cum uſu alterius Oratorij. Sic colligo ex ipſa natura privilegij perſonalis horum Oratoriorum; & ex Tambur. *in Method. celeb. Miſſ. l. 1. cap. 4. §. 4 num. 7.* Henao *proximè dict. diſp. 23. ſect. 12. n. 169.* Nec oppoſitum docet Gobat. *in Theol. moral. tom. 1. tract. 5. n. 364.* dicens poſſe oratorium per dominum ad uſus profanos reduci; ſi tamen poſtea velit illo uti, rurſum eſſe viſitandum. & hæc magis patebit ex dicendis.

4 Quoad Oratorium in villa habitum, quod fuit ab Ordinario approbatum, per Breve alteri perſonæ illuſtri conceſſum, quæ jam defuncta eſt? Reſpondeo non poſſe abſque nova Ordinarij approbatione, nec etiam virtute Brevis obtenti, ad habendum oratorium, ubi privilegiatus habitaverit. Ratio eſt, quia per eunte perſona, quæ Oratorij habuit indultum vel divertente illa ad aliam domum, abſque ſpe breviter redeundi ad eamdem domum; perit oratorij approbatio; quia Ordinarius illud Oratorium approbavit juxta licentiam, ſeu commiſſionem in indulto, ſibi conceſſam; ſed in indulto non conceditur licentia, niſi ad perſonam in eo indulto expreſſam: ergo illa perunte, vel alio divertente, abſque ſpe breviter redeundi, oratorium non manet approbatum: ergo Damianus ſine nova Ordinarij approbatione, non poteſt erigere oratorium in illa villa, quamvis jam ab antiquiori poſſeſſore virtute alicujus S. Pontificis indulti fuiſſet erectum, & adhuc in eodem ſtatu permaneat, & ſua ornamenta ſint jam viſitata, vel de novo allata, benedicta tamen, & ſacra à legitimo miniſtro. Hanc doctrinam latius tradidi *in Expoſ. Bullæ Cruciat. diſp. 12. ſect. 5. a nn. 71.* cum Moya *in qq. ſelect.*

select. tom. 1. tract. 2. disput. 3 quæst. 2. & Henao *cit. dict. disput. 23. num.* 166. & idem tenet cum Dian *part. 5 tract. 1. resol. 17. citatus* Tamburinus *dict. § 4 num. 17.* & Gobat *in moral. Theol. tom. 1. tract. 5. numer.* 366 quia privilegium extinguitur cum persona, cum sit personale *capit. Privilegium, de regul. juris in 6.* & alij contra Thom. Hurt. ex clericorum Minorum familia, Quintanad. Mascarenh. & Benedictum Pereiram, quos affero *ibi num. 67.* & *a num. 72.* illorum fundamenta dissolvo, ostendendo illa, pro præsenti tempore non esse probabilia nec talem opinionem Vide *cit. locum.*

5 Quod oratorium in civitate habitum, in domo locata suæ habitationis, quod fuit approbatum ex indulto à domino domus obtento, potest esse maior dubitatio? Nam si dominus hujus domus locatæ, in oppido, ad quod se mutavit, oratorium erexit ex vi sui indulti, ut poterat, juxta communem DD. sententiam, apud Henao *proximè numer.* 107. Gobat. *oper moral tom 1 tract 5 num.* 361. & allatos *supra*, non potest Damianus illo oratorio uti, sine approbatione Ordinarij; nam alia, per novum Oratorium, in domo habitationis domini erectum, jam cessavit. Si tamen Dominus domus locatæ, in oppido suæ habitationis, aliud non habet oratorium, & post annum elapsum, sperat ad suam domum in civitate sitam, reddire; tunc existimo oratorium manere cum sua approbatione, & alia non indigere; sic ex dictis colligitur, & sentit Henao *citat. num.* 166 & alij: secus puto dicendum, si dictus dominus spem non habeat redeundi post annum præsentem; nam in hoc eventu Damianus tenetur approbationem oratorij ab Ordinario procurare, ut ex dictis constat; quia sic cessavit spes domini breviter redeundi ad suam domum. Licet Henao de hac brevis reditionis spe, non curet, sic inquiens: *Quippe hæc verba interpretanda sunt, quandiu superstes sit dominus, qui obtinuit Oratorij indultum.* In hoc casu amplius non immoror, quia *in Expos Bul. loco citat.* circa illum, & alia ad oratoria privata, plura sunt dicta; sed quia in simili interrogatus fui de sequenti illum propono, & ex illo resolutio hujus apparebit, & confirmabitur luculenter.

QUÆSTIO XIII.

Supplicans S. Pontifici pro oratorio habendo in suæ habitationis domo, nullo designato oppido, in Brevi tamen positum est oppidum, in quo non habitat; potest ne habere oratorium in domo suæ habitationis, extra oppidum designatum?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Potest ex ipso jure, & DD.*
3 *Error solicitatoris, aut scriptoris Romani gratiam non vitiat.*
4 *Dato quocunque oppido in Brevi, potest domicilium mutare, & ibi gratia uti*
5 *Habens duo quasi domicilia, unum in civitate, & in rure aliud, non potest habere duo Oratoria privata simul.*
6 *Assertum P. Henao probabile non videtur.*
7 *Non satisfacit dicere, quod finita una anni medietate, cessat in eo oratorio approbatio.*
8 *Modus proponitur, quomodo fieri debeat approbatio, datis mutationibus.*

1 MAria illustrissima fœmina, pro licentia habendi Missam in privato suæ domus habitationis oratorio S. Pontifici supplicavit. Licentiam solitis clausulis, & ordinarijs obtinuit; at cum errore oppidi, illa enim in supplica nullum assignavit; at in Brevi designatur Ulyssipo, ibi: *In privato domus tuæ habitationis in civitate Ulyssiponensi oratorio, &c.* Maria verò non Ulyssipone, sed in sua Villa ab Ulyssipone per duas, aut tres leucas distante, suam habet domum habitationis. Quæritur, an ex vi dicti Brevis cum eo errore obtenti, possit in sua Villa uti gratia Oratorij privati?

RESOLUTIO.

2 Respondeo, posse eodem modo, ac si Ulyssipone habitaret, errore dicto nihil operante. Ostenditur hac duplici ratione. Prima, quia juxta verba in supplicatione posita solent Principes gratias, & privilegia concedere, *cap. Inter dilectos, §. Cæteri, de fide instrum. l. si præses ff. de pæn.* Iason *in l. Gallus §. Idem ff. de liber. & posth. lect.* 1. Sanch. pluribus relatis *l.* 8. *de matr. disp* 21. *num* 37. Soar. *de leg. l* 8. *cap.* 28. *num.* 19. & alij communiter: at in præsenti casu solùm supplicata fuit licentia ad habendam Missam in oratorio privato domus habitationis Mariæ, absque designatione hujus, aut alterius loci, seu oppidi: ergo in hisinet terminis licentia concessa fuit; & potest Maria supplicans in sua Villa, & domo suæ habitationis, illa uti. Conducunt dicta *supra q.* 11. *num.* 2

3 Confirmatur hæc ratio, quia nec per Mariam, nec per bancarium Lusitanum in supplica expressum fuit aliquod oppidum, & multo minus civitas Ulyssiponensis, sed aut per solicitatorem Romanum, aut Brevis scriptorem, ut fatetur ipse bancarius: & data hac probatione, potest Ordinarius hanc gratiam expedire, & Maria uti licentia sui Oratorij privati in domo suæ habitationis, ubicunque illa sit; ut in casu difficiliori rectè probant, datis his erroribus Laiman. *l.* 1. *Theol. moral. tract* 4 *cap.* 22. *num.* 27. Gobat. *ibidem tom.* 2. *tract* 9 *num.* 639 alios citans, & alij, quos *supra q.* 11. *num.* 5. & *d. l. q.* 23. *num.* 7. & *q.* 39. *numer.* 7. & *q* 40. *num.* 7. adduximus.

4 Secun-

4 Secunda ratio: Quia dato, & concesso, quod in supplicatione fuisset designatum oppidum habitationis, nempe Ulyssipo, sacavem, aut Bellas, adhuc Maria illa facultate, seu licentia uti poterat, in quacunque civitate, aut villa, aut oppido, ad quæ tuum transtulisset domicilium, ut communiter hodie tradunt DD. Navarr. *in sum. Bullar. tit. de orat privat. n.* 6. Megall. *variar. resol tom.* 2 *resol.* 67. *per totam*, Zambel. *Verb. Miss. num.* 46. Dian *part.* 4 *tract.* 4 *resol* 3. *& part* 9 *tract.* 1 *resol.* 7. Quintanad *tom.* 1 *tract* 7 *sing.* 31. *a num* 3 Pellizzar. *tom.* 2. *Man. Regul tract.* 8 *cap.* 2. *num.* 152. Barbos. *de jur. Eccles. l.* 2 *cap.* 8 *num.* 16. Aversi. *de Sacram. Euchar. q.* 11 *sect.* 14. §. 6. Mascarenhas *de Sacram. tract.* 5. *de sacrif. Missæ disp.* 5. *cap.* 5. *numer.* 289. Tambur. *in Method. celeb Miss. l.* 1. *cap.* 4 §. 4. *num.* 2. Gobat *tom* 1. *Theol moral. tract.* 5. *numer.* 361. Henao *de sacrif. Miss. disp.* 23. *sect.* 12. *num.* 167. favetque Salat. *de leg disp.* 20 *sect.* 16. *numer.* 123. Sanctarell. *Variar resol part.* 1. *q.* 63. & viri docti de hoc, & simili casu consulti, qui responderunt, hoc privilegio in quocunque loco uti posse. Probant *citati* DD. quia privilegium oratorij privati, est personale, & non locale, concessum personæ, & non loco, nam pereunte, seu mortua persona, perit privilegium *reg.* 7. *de regul. juris in* 6. ibi: *Privilegium personale personam sequitur, & extinguitur cum persona*, & tenet Soar. *de leg. l.* 8 *cap.* 3 *num.* 5. at privilegium personale in quocunque loco, ad quem privilegiatus se conferat, tuum habet valorem, & illo uti potest; ut cum Azor, Navarr. & alij Bonac. de legib. *tom.* 2. *disp* 1. *quæst.* 1. *punct.* 5. *num.* 1 & Castr. Palaus *tract.* 3. *disput.* 4. *punct.* 2. *num.* 1. & potest colligi *ex cap. Mandata, de præsumpt.* Ubi dicitur, *non loco tribuimus, sed personæ*: ergo non obstantibus illis verbis, *In civitate Ulyssiponensi*, poterit Domina Maria habere oratorium privatum in domo suæ habitationis, ubicumque illa sit, dummodo prius ab Ordinario approbetur, & aliæ Brevis clausulæ observentur. Aliæ rationes videri possunt apud *cit.* maximè Mascarenhas.

5 Neque ex hac resolutione inferas: si licentia oratorij privati personam sequitur, dominus in civitate, & villa rurali, pro anni medietate domicilium suæ habitationis habens, poterit utrobique, eodem tempore, duo habere oratoria ad audiendam Missam, approbata. Non, inquam ea inferas: quia ex licentia unius tantùm Brevis, non possunt duo oratoria erigi privata eodem tempore, ut meritò docent Bardi *in selectis l.* 10 *q.* 10 §. 9. *nu.* 46. [contra Pasqualig.] & Dian. *cit. resol.* 22. *& part.* 11 *tract.* 5. *resol.* 37. Mascarenhas *cit. nu.* 294. *vers. Imo nec etiam.* Henao *proximè numer.* 168. quia (inquit) unum, & non duo oratoria personam sequuntur. Addit tamen ibi probabile sibi videri: si dominus dimidia parte anni habitet in civitate, & in villa alia dimidia, posse [non eodem tempore, sed diverso) erigere oratorium ad Missam in civitate, & in villa, ita ut quo tempore anni sit usus oratorij unius, non sit usus alterius; tunc enim perinde reputandum, videtur, ac si de una civitate mutaret habitationem in aliam, vel de uno vico, in alium ejusdem civitatis. Sic Henao.

6 Hoc tamen ita assertum, mihi probabile non videtur. Nam licet ipse Henaus reluctetur; hoc est habere duo oratoria eodem tempore ex eodem Brevi. Ratio est; quippe licèt eodem tempore non utatur utroque Oratorio, eodem tempore utrumque Oratorium ab Ordinario est approbatum; nam ut ipse, & omnes fatentur, utriusque oratorij Ordinarij requiritur approbatio; & utriusque Oratorij approbatio non cessat, nisi per privilegiati mortem, quippe pro utriusque medietate anni, & sequentibus aliorum annorum medietatibus, Ordinarij approbationes, ijs factis mutationibus de civitate ad villam, & de villa ad civitatem, non repetuntur, nec etiam [dicet] quòd requirantur; & sic per non usum in medietate unius, non cessat in ea medietate approbatio, sicut non cessat in altera medietate; ac perinde reputari non videtur, ac si de una civitate, habitationem mutaret in aliam, & de uno vico ad alium, in mutatione enim de una civitate in aliam, & de uno vico in alium perit approbatio in oratorio civitatis, seu vici, à quibus fit mutatio habitationis, & nunquam eodem tempore in utroque oratorio permanent duæ approbationes. At ex duplici approbatione in utroque oratorio ab Ordinario facta, eodem tempore simul existente, sequitur virtute Bullæ Cruciatæ, posse famulos in villa existentes, in ea medietate anni, in qua dominus in civitate habitat, in eo oratorio habere Missam, quia Bulla concedit, quod celebretur, vel celebrare fiat in oratorio approbato; & altera anni medietate, in quo ibi dominus habitat, poterunt famuli, & alij in domo domini habitantes, in oratorio domus Missam facere celebrare, quia id oratorium etiam est ab Ordinario approbatum; & Bulla ad id privilegium concedit, & sic ex eodem Brevi duo dantur simul oratoria, quod à nullo conceditur, nisi verbis expressis, in eo concedatur Brevi.

7 Si P. Henao dicat, per inceptionem medietatis habitationis in villa rurali, cessare approbationem in oratorio habitationis civitatis; sicut etiam per inceptionem medietatis habitationis in civitate, cessat approbatio in oratorio habitationis villæ ruralis. Dicam, non cessare eas approbationes in ijs oratorijs, per eas mutationes, quia hic privilegiatus semper persistit in ijs medietatibus continuandis, quin ab Ordinario, exceptis eorum oratoriorum primis approbationibus, alias non exigit. Nec ipse ordinarius ex virtute unius tantùm Brevis eidem, vel pluribus personis concessi, idem oratorium plusquam per unam vicem approbat.

8 Fa-

8 Fatcor tamen, *q. præcedente num.* 2. me dictum assertum P. Henao existimasse probabile, dummodo in casu ibi mihi proposito, facta una mutatione de uno ad aliud oppidum, vel villam, cessèt totaliter oratorium habitationis relictæ; nempe non solùm quoad usum, sed etiam quoad approbationem, ita ut nullo modo licite per virtutem Bullæ Cruciatæ ibi celebrari possit; quia ille Dominus Damianus à S. Pontifice Breve obtinuit, ut oratorium possit erigere in domo suæ habitationis, in quocunque loco sitæ; at cum ad habitationes relictas rediret, ubi oratoria jam primâ vice fuerant approbata, & per mutationes approbationes extinctæ, deberet ad Ordinarium recurrere, ut ea oratoria approbaret, nam quamvis ex vi ejusdem Brevis jam fuissent approbatæ; cum ipsæ approbationes fuissent extinctæ, per aliam habitationem in alijs locis, de novo dum ibi vult habitare, oratorium approbari de novo debet. Et si ordinarius absque novo examine illud approbaret, censeo sufficere, nulla data mutatione in oratorio, & paramentis; si enim sufficit absque novo examine licentia sacerdotis ad audiendas confessiones, quando jam fuit per unum tantum annum elapsum approbatus, ut praxis in hoc Ulyssiponensi Archiepiscopatu observat; sic etiam absque novo examine oratorium, quod jam fuit approbatum, ab ordinario posse de novo approbatum censeri. Imo audio in hoc Archiepiscopatu, hunc vigere stylum, quod si defuncta sit aliqua persona in vita sua, ex Brevi Apostolico oratorium privatum habens, & juxta idem Breve approbatum; si alia persona etiam habens Breve Apostolicum ad habendũ Oratorium privatum, se transferat ad domum habitationis defuncti illius; & ab Ordinario juxta suum Breve, petat, quod approbetur, quia alia approbatio per mortem defuncti jam cum illo perijt, Ordinarius absque novo examine, idem oratorium approbat.

QUÆSTIO XIV.

An patronus in Ecclesia sui patronatus possit ædificare capellam absque licentia Episcopi?

SUMMARIUM

1 *Facti species.*
2 *Non potest.*
3 *Ius patronatus ad capellas ædificandum, nullum jus concedit.*

1 EUsebius patronus cujusdam Ecclesiæ in illa quamdam capellam ædificare desiderabat. Quæritur an possit absque Episcopi licentia?

RESOLUTIO.

2 Respondeo, non posse. Ratio est, quia licèt jus solùm videatur loqui de Ecclesijs, quando inquit, neminem posse, absque licentia Episcopi Ecclesiam ædificare, *capit. Quicunque* 16 *quæst.* 1 *cap Quidam* 18 *q.* 2. *cap. Nemo, & cap. Placuit, de consecrat dist.* 1. *cap. Adhæc de Relig. dom cap. Cum olim*, 14 *Vers. In super, de privil. Authent. de Eccles. titul* §. *si quis autem collat.* 9. & *Authent de monach. vers. Illud igitur, collat* 1. Attamen DD. id etiam intelligunt de capellis, ut videre est, apud Aloy S Pricium *in praxi aurea resol.* 11. *numer* 4 Et rationes equidem, ex quibus licentia Episcopi requiritur, ad ædificandas Ecclesias, etiam militant in capellæ ædificatione, ut optimé advertit Rivius *loco cit.* ibi: *Alia item est ratio: nempe ut videat Episcopus, si talis Ecclesia, vel capella ædificata sit præjudicium alterius Ecclesiæ, vel capellæ cap Ecclesiæ, de consecr. dist.* 1. *Abbas in cap. Ad audientiam, de Eccles ædific Postremò requiritur Episcopi licentia, vt videat charitatem ædificantis cap. Piæ mentis ib. q.* 17. Et infra: *Denique necessaria est licentia, ut post illam ædificatam, Episcopus benedicat, & altare consecret; cum in altari non consecrato non possit celebrari Missa: clericus enim ante consecrationem altaris celebrans in tali Ecclesia, vel capella peccat, & punitur graviter, ut tenent DD. in cap. si quis per superbiam*, 30. *dist. Bernard Dias in praxi capit.* 34 *Gregor. Lopes l.* 4 *titul.* 10 *part.* 1. *&c.* Idem tenet Barbos. *de jure Eccles. l* 2 *cap.* 8. *numer.* 20. Ubi inquit, illum, qui sine Episcopi licentia, aliquam in aliqua Ecclesia cappellam ædificasset, jus patronatus in illa non acquirere.

3 Nec obstat, quod dictus fundator sit dictæ Ecclesiæ patronus. Non, inquam, obstat, quia jus Patronatus nullum patronis concedit jus, ut in Ecclesijs sui patronatus capellas ædificent.

QUÆSTIO XV.

An capella instituta á duabus sororibus in testamento, in eadem charta condito, à superstite potuisset revocari per donationem, quæ etiam revocata fuit; & potuisset pater revocati donare filio ea bona, quorum possessionem adhuc non habebat?

SUMMARIUM

1 *Facti species.*
2 *Soror superstes potest pro sua vita suam bonorum partem donare filio fratris sui.*
3 *Ad hanc donationem insinuatio non requiritur*
4 *Hanc donationem á sorore superstite revocari poterat.*
5 *Donatio facta ad matrimonium, quod contractum non fuit, conditione matrimonij non impleta, revocari potest.*
6 *Donatio a patre filio facta, bonorum capella, non habente illorum possessionem, est valida.*

1 Iusta,

1 IUsta, & Rufina sorores in eadem charta suum condiderunt testamentum, juxta *l. Eo quod à multis, C. si certum petatur*, & se ad invicem ex mutuo amore heredes instituerunt, juxta communiorem sententiam, & in his Portugalliæ Regnis communi praxi receptam, apud Valasc. *tom.* 1 *consult.* 7. *num* 6 Fagund *de just l.*6 *cap* 2.*num.* 47. & alios, & per mortem superstitis capellam ex suis bonis instituerunt, administratorem illius Paulum earum fratris filium nominantes; & & post illum successores masculos. Unâ defunctâ, altera superstes suæ partis bona filio Pauli donavit, & in possessionem mittens pro sua tantùm vita: Paulus verò ijdem suo filio ad suum matrimonium, aliam bonorum partem donavit, (quæ pars remanserat ante mortem possidetis,] & antequam ipse eorum bonorum possessionem adiret. Posthinc ultima possidens, ex quodam angore, seu molestia in filium dicti Pauli mota, donationem ei à se factam revocavit. Quæritur 1. An soror superstes pro sua vita suam partem filio Pauli donare potuisset? 2. An facta donatione; illam revocare potuerit? 3. An Pauli donatio filio suo facta fuisset valida, non obstante, quod erat de bonis capellæ, quorum non habebat possessionem, quia possidens adhuc uitam agebat.

RESOLUTIO.

2 Ad primum, in quo inquiritur, an soror superstes potuisset in sua vita suam bonorum partem filio Pauli sui fratris nepoti donare? Respondeo potuisse; quia filio Pauli eam fecit donationem, ut post suam mortem illam haberet; quod à DD. dicitur donatio causa mortis: donatio autem causa mortis est valida, *l* 1.*& seqq. ff. de donat. causa mortis.* Et jam non obstante, quod aliter in communi charta cum sua sorore testamentum condidisset; ut cum communi sententia tenet Fagundes *supra cit. num* 49 citans Molin. Valasc. Gama, & alios. Et quamvis loquatur de testamento inter virum, & uxorem communi chartâ condito; idem dicendum est, de condito communi chartâ inter duas sorores.

3 Nec ad has donationes requiritur insinuatio, *l.fin.C de donat causa mort.* ut communiter tradunt DD apud Molin. *de primog. l.* 2. *cap.*8.*num* 22 Fagund.*de just.l.*4.*cap* 9 *n.*5 *&* 9. Nec obstat *Ordin.Reg l.*4 *tit.*66. quæ, cum loquatur generalissime, comprehendere videtur donationes causa mortis. Non, inquam, obstat, quia illas non comprehendit; ut docent Molin. *tom.*2.*de just. disp.*279.*Vers. Dubium circa*, Gama *decis.* 213. *&* 302. Fagund. *proximè d.num* 9.

4 Ad secundum, in quo quæritur; an facta donatione à sorore superstite, illam revocare potuerit? Respondeo potuisse: quia donatio causa mortis est revocabilis; & solum per mortem donantis perficitur *l. Non videtur ff. de donat.caus. mort.* & ibi Gloss *verb perfecta*, *& l. Post legatum* §.*final Verb.qui mortis causa*, *juncta Gloss. Verb. Legatario ff.de his,quibus*, *ut indign.* & ibi communiter DD.quos latè refert, & sequitur Molin. *de primog.l.*2.*cap.* 12.*num.* 12.Vide Card.de Lug. *de just.disp.*24.*num.*318.

5 Nec obstat, quod hæc donatio facta fuit ad matrimonium, seu dotem; Quia *num.* 1. nulla fit mentio, quod donatarius filius Pauli matrimonium contraxisset, Vide Molin. *dicto tom.*2.*disp.*275.*Vers Illum postremò*, *in fine.* Unde dicta donatio reducitur ad contractum innominatum, *dout facias*, & hic ante impletâ conditionem ex altera parte, pœnitentiam admittere,& revocari potest, ut probat text. optimus *in l.Si pecuniam* 5 §.*Si Servum ff.de donat. causa data*, & DD.communiter.

6 Ad Tertium, in quo petitur, an donatio Pauli suo filio facta sit valida, non obstante, quòd bona donata; erant bona capellæ, quorum possessionem non habebat, quia possidens adhuc videbat? Respondeo, validam fuisse. Ratio est, quia hæc donatio fuit veluti quædam juris renuntiatio, quam pater Paulus, per mortem primæ sororis jam habebat. Is enim, qui remittit, donare dicitur, *l.si mulier ff.de legat.*1.*l.Si Iulianus ff.de condit & demonstr.* Et absque dubio est, posse patrem jus renuntiare, quod habet in bonis vinculum habentibus, in forma, quòd statim ad filium transeant; & hoc antequam hereditas sit ad ipsum patrem delata, ut tenent communiter DD. quos latè citant, & sequuntur Carol. Ruinus *cent.*60.*num.*14 *l.*3 Molin.*de primog. l.*2. *cap.*3. *num.*41 Anton.Gabr.*l.*3.*commun.opinion. tit.de donat.conclus.*2.*num.*40.

QUÆSTIO XVI.

An bona alicui Religiosorum conventui relicta, ut duæ Missæ singulis diebus celebrentur, & aliqua fiant opera pia, in maximam utilitatem spiritualem, & commoditatem cujusdam oppidi, dicentur bona Maioratus, Capellæ, aut hereditas.

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Non sunt bona Maioratus.*
3 *Definitio convertitur cum definito.*
4 *Maioratus principaliter successionem respicit, & est causa secularis.*
5 *Onus Missarum, & piorum operum maioratum non inducunt.*
6 *Ordinat.Regia videtur opponi.*
7 *Nullo tamen modo opponitur.*
8 *Adducitur verus Ordin. intellectus ex. P. Molin.*
9 *Nec alij nostri Regni DD.oppositum docent.*
10 *Exemplis ostenditur.*

1 ANna illustrissima fœmina in suo testamento disposuit, quod in domo honorifica suæ villæ, prope oppidum de Peraes, collegium Societati JESUS fundaretur, quod dotabat suorum bonorum redditibus, tam dictæ villæ quam aliorum immobilium, exceptuando debita, & alia legata pia, quæ ad suam animam in perpetuum relinquebat. Addit tamen, si collegium fundari non possit, se hæredem omnium suorum bonorum Collegium Scalabitanum, instituere, cum onere faciendi celebrare in sacello dictæ suæ villæ duas Missas, singulis anni diebus, pro anima sua in perpetuum, cum eleemosyna à Collegij Rectore designandi; quas Missas nunquam defuturas expressit. Et in super cum onere constituendi in suæ villæ domo Residentiam perpetuam eorum Religiosorum dictæ Societatis JESUS, in qua existat Religiosus, qui linguam latinam filios illius oppidi doceat & qui verbum Dei prædicet, & confessiones audiat personarum ejusdem oppidi; hoc in illarum spiritualem utilitatem, & commoditatem. Asserit etiam in suo testamento, se velle numquam suam villam, & aliæ immobilia alienari. Non defuerunt tamen in Religionem male affecti, audentes huic ultimæ testatricis voluntatis adversari; & de facto per sententiam ab aliquibus senatoribus latam, contradixerunt, nullo in sententia lato fundamento. Hæc autem per sequestrationem, *vulgo embargos* silentio suppressa fuit. Aliqui tamen cum aliquo Religioso sermonem conferentes, dicebant ea bona in testamento à testatrice relicta, esse maioratum, & dici non posse bona capellæ; & ad summum esse quandam hæreditatem. Quæritur 1. An dicta bona à testatrice relicta dicenda sint, Maioratus? 2. An bona capellæ? 3. An quædam hæreditas.

§. I.

An dicta bona à testatrice relicta dicenda sint maioratus?

2 Respondeo, ea bona sic relicta nec posse, dici Maioratum, nec Maioratum constituere. Ostenditur 1. quia maioratus definitur, & essentialiter, ut inquit Molin. *de primog. l. 1. cap. 1. numer. 22. Est jus succedendi in bonis ea lege relictis, ut in familia integrâ perpetuò conserventur, proximoque cuique primogenito ordine successivo deferantur.* Idem sustinent Anton. Gomes *l. 40. Tauri*, Palaces *de maiorat. in princip. numer. 4.* Molin. *de just. tom. 3. disput. 557. numer. 9.* Perez de Lara *de Anniversar. & capell. l. 1 cap. 4 numer 46* Fragos. *de Regim. reip. Christ. tom. 3. l. 9. disput. 18. §. 1. numer. 2. & numer. 5.* expressius, & alij communiter: at dicta definitio aptari non potest alicui collegio, aut monasterio Religiosorum, in quibus non datur jus succedendi, nam communitates non moriuntur, nec pereunt.

3 Confirmatur, quia definitio converti debet cum suo definito *l. 1. § dolum ff. de dolo malo, l. Omnis definitio ff. de regul. jur.* & DD. *in l. 1. in princip ff. de acquirend. possess. Cicer. l. 4. Academ. numer. 79 pag. 17.* Bart. *in sua q. 7. Mulier habens numer. 4. Vers. Contra quod* Tiraq. *de jure primog q. 1. num. 1.* Flamin. *Paris de resign benef l. 1. q 1 numer. 31. & seqq.* Cardin. Thusc. *practic. conclus. tom. 2. lit. D. conclus. 418.* Cæl. Angel. *do contradict. legit. quæst. 10. numer. 161. late Monet. de distrib. quotid p. 1. q 4 numer. 2. &* 3. omnes apud Barbos. *de Axiomat. 67. per totum*: at in præsenti casu, definitio maioratus à DD. communiter recepta cum definito non convertitur, quia bona à testatrice relicta non deferuntur proximo cuique primogenito, ordine successivo: ergo dici nequeunt maioratus.

4 Secundò ostenditur, quia supra dicta, ita sunt certa, ut si in aliqua maioratus institutione, aliquæ Missæ in perpetuum celebrari jubeantur, maioratum non constituunt, quia in maioratus institutione præcipuè intenditur familiæ successio, & sic dicitur causa secularis, & profana; ut doctissime inquit Ægid. Lusit. *in comment. ad l. 1 C. de sacros. Eccles. part. 5. §. 2. numer. 15.* ibi: *Erit autem caute, & cum judicio discernendum inter maioratum & capellam: nam in maioratu, quia principaliter in eo causa secularis, ac profana vertitur, nempe nominis, & familiæ; & aliquod onus Missarum, aut alterius causæ piæ habeat annexum, quia tamen hoc accessorium est ad illud, quod principaliter intenditur, tota dispositio judicabitur, ut ad causas profanas, &c.* At in nostro casu testatrix non intendit successionem familiæ, aut generationis, nec causam profanam, aut secularem, sed honorem divinum, & bonum suæ animæ, & loquens de sua villa in d. testamento, inquit, nolle, quòd vendatur, nec alienetur, nec pignori detur, quia vult, quod semper Domino offeratur. Dispositio verò in hac forma nec secularis, ac profana existimatur, ac per consequens nec maioratus, ex verbis cit. Ægidij ex oppositа conclusione.

5 Tertio ostenditur, non posse dicta bona Collegio Scalabitano relicta dici Maioratum ob onera Missarum, & aliorum operum piorum, quæ principaliter testatrix in hac intendit dispositione; quia hæc onera maioratus vinculum non inducunt, ut rectè docent Alvar. Valasc. *consult. 82. numer. 6. & seqq.* Gama *decis. 30. 48. 224. num. 8. & 286. ex n. 1.* Flores de Mena *q. 18. numer. 46.* Salasar. *de usu & consuet. cap. 12. n 43* & alij, quos affert, & sequitur Peres de Lara *cit. dict. l. 1. cap. 4 n. 28. & seqq.* id prelatus ex jure, authoritate DD. & ratione; &

manet etiam dictum *supra quæst.* 10. Et ratio est, quia sicut maioratus instituitur, quando principaliter in bonis relictis, successio familiæ, & generationis intenditur quamvis de Missis, & alijs operibus fiat mentio; ita etiam quando principaliter Missiæ, & opera pia intenduntur à testatore, non instituetur Maioratus, aut fideicommissum, aut capella, ut infra dicemus.

6 Nec obstat contra allatam resolutionem *Ordinat. Regia l.* 1. *titul* 62. §. 53. ibi: *Et ne in dubium veniat, qualis sit maioratus, aut capella: Declaramus, esse Maioratum, si in institutione, quam bonorum defuncti fecerint, contineatur, quod administratores, & possessores dictorum bonorum adimpleant certas Missas, & onera; & quod amplius reddiderint, sibi habeant, aut quod institutores dicta bona illis cum certis oneribus Missarum, & aliorum operum reliquerunt.* Hactenùs differentia quàm habet maioratus à capella, quam mox sic definit. *Et si in institutionibus contineatur, quod administratores certam rem, aut quotam habeant ex redditibus, quos bona reddiderint, puta tertium, quartum, aut quintum, & quod supererit, in Missis, aut alijs pijs operibus expendatur. In hoc casu declaramus, non esse maioratum, sed capellam. Et in his talibus institutionibus, & similibus, potest, & debet intelligere Provisor, quamvis in institutionibus dicatur, fieri maioratum, aut capellam, &c.* Sic Ordinatio. Ex qua colligitur, dicta bona collegio Scalabitano relicta cum onere, quòd illorum administrator, nempe Collegij Rector, adimpleat certa onera Missarum, & aliorum operum piorum, & reliquum sibi aut suo collegio resumat, est vere juxta ordinationis verba, primo loco, adducta, maioratus. Et si dicatur nihil superabundare, quia ea omnia bona in dictis Missis singulis anni diebus celebratis, & in alijs pijs operibus expenduntur. Respondebitur, sufficere, ut sit maioratus, juxta verba Ordinationis, quòd ea dicta bona cum onere Missarum, & aliorum piorum operũ fuissent relicta.

7 Non, inquam, obstat Ordin. Regia adducta, nec consequentia ex illa deducta, nec instantia allata. Ratio est clara, quia Ordin. Regia non intelligitur de bonis Collegijs, monasterijs, & alijs communitatibus, relictis cum onere Missarum, & aliorum operum piorum, quia in his bonis in perpetuum relictis, dubium oriri non poterat, non posse illa maioratum instituere, quia ut supra diximus, maioratus essentialiter continet jus succedendi, & generationes intra eamdem familiam, quæ in collegijs, & monasterijs Religiosorum dari nequeunt; intelligitur ergo dicta Ordinat. de bonis cum ijs oneribus relictis alicui personæ in particulari, in qua datur ordo succedendi, quia hi moriuntur, & alius succedit; & in his dari poterat dubitatio, an ea bona relicta constituerent maioratum, aut capellam, & hanc dubitationem tollit dicta ordinatio, per ea verba relata.

8 Et hic intellectus à DD. supponitur, & expresè traditur à Molin. *tom.* 3. *de maior. disp.* 576. *n.* 15 in intelligentia harum Ordinationem probe versatus, ibi: *Meritò in Lusitania de communi concordia inter Principes seculares, & Prælatos l.* 2. *Ordin. titul.* 35. §. *ante penultim.* (Sic habetur in novis, & antiquis quas citat) *definitum fuisse, quando bona aliqua vinculantur cum gravamine, ut ex redditibus celebrentur sacrificia, vel fiant alia opera pia constituta parte aliquota reddituum, aut parte aliqua ex illis determinata administratori* [nota] *qui ordine quoddam in eis bonis vinculatis sit successurus, ita quod reliqui redditus in operibus pijs insumantur, eam institutionem censendam esse capellam, quam vocant, ac proinde ad ea bona, ad eamque institutionem se extendere jurisdictionem Ecclesiasticam. Quando vero aliqua bona vinculantur, ut id eis* [nota] *aliqui ordine quoddam succedant cum gravamine, ut successor teneatur ad aliqua sacrificia, vel ad aliqua alia pia opera ex redditibus eorum bonorum implenda, aut sine ullo tali gravamine, institutionem esse censendam maioratum, nihil impediente, quòd in instrumento prioris institutionis dicatur institui maioratum, & in instrumento hujus posterioris dicatur institui capellam, &c.* Ex hac explicatione dict. Ordin. apertè constat, dict. Ordinat. in una, & altera determinatione maioratus, & capellæ fuisse loquutam de bonis relictis illis, in quibus ordo successionis dabatur, & non de bonis Collegijs, & monasterijs relictis, cum onere Missarum, aut aliorum operum piorum, in quibus non dabatur nec dari poterat ordo successionis. Et ita hodie practicatur in tribunalibus, quamvis olim pro illa ordinatione, ut jacet, plures darentur sententiæ; sic jam tenent Alvarus Valasc. *consult.* 82. *num* 8 Gama *decis.* 30. & 224. *num* 8. & 48. & *alij. Vide infra quæst.* 22. *à num.* 7. ubi hæc clarius explicantur.

9 Nec desinunt pro hac explicatione consentire Gama *decis.* 224 *numer.* 9. & Valasc. *consult.* 27. *n.* 2. & alij, loquentes tantùm de illis casibus, in quibus ordo successionis dabatur; nam si loquuti fuissent de collegijs, monasterijs, &c. In quibus dari non poterat ordo successionis, assererent idem, quod dictum remanet; in illis enim, & non in istis dari poterat dubitatio, an institutio fuisset capellæ, aut maiorarus; ut sane docuerunt eleganter, de illis institutionibus, in quibus non agebatur de successione, nec de primogenitis. Vide cit. locum *infra.*

10 Idem observat ipsa praxis: dãtur enim innumera exempla de personis, quæ sua bona, cum onere Missarum, & aliorum piorum

operũ

operum, collegijs, monasterijs, Misericordijs, confraternitatibus, & communitatibus alijs reliquerant; & tamen in dubium non vertitur, quòd sint eæ institutiones Maioratus, quia evidens est, maioratum non institui, ubi dari non potest ordo successionis. Quod etiam rectè probatur *ex l. Annuam 6 ff. de annuis legat. de qua l. infra* §. 3.

§. II.

An bona à testatrice relicta Collegio Scalabitano dicenda sint capella?

SUMMARIUM

11 *Dicuntur capellæ ex ipsa definitione.*
12 *Ex ipsa Ora. sunt capellæ.*
13 *Aperte colligitur esse capellam ex Ægid. Lusit.*
14 *Sunt capella, quia Missa est pars principalis respectu aliorum piorum operum.*

11 Respondeo, bona á testatrice Collegio Scalabitano relicta, cum onere duarum Missarum singulis anni diebus in perpetuum celebrandarum, & aliorum piorum operum, esse, & dicenda esse capellam Probatur 1 quia illis convenit capellæ definitio, quæ sic habet, apud Peres de Lara *de Anniversſ. & Capell. l. 2. cap. 1. num. 2. Est onus celebrandi annuatim Missam in altari, seu capella.* At bona testatricis relicta, principaliter sunt relicta, ut pro anima sua in suo sacello celebrentur singulis diebus quotannis duæ Missæ, & alia opera pia sunt accessoriæ, ut dicetur *num.* 13. vel potius etiam cum Missis, ut principaliter, conjunguntur.

12 Secundò probatur *ex Ordin. cit. dict. l. 1. tit. 62. §. 53.* nam ibi capellas appellat omnes dispositiones, seu institutiones, quas institutores fecerunt de suis bonis cum certis oneribus Missarum, & aliorum piorum operum, & in his oneribus impositis super bona distinguit, quando dicendum sit esse maioratum, aut capellam, nam ut certum supponit eã institutionem esse capellæ; ut eleganter exprimit Ioann. de Carvalho *in cap. Raynaldus, de testament. part. 2. num.* 140 ibi: *Confirmatur hæc sententia ex Ordin. Reg. l. 1. tit. 62. §. 53. ubi appellat maioratũ illud, quod nos communi usu capellam dicimus, quæ fit quando quis relinquit bona sua unita sub certo onere Missarum, vel aliorum operum piorum. Habebit etiam locum hæc resolutio in alio genere capellarum, de quibus loquitur Ordin. de loco, quia æqualis in illa ratio datur, &c.* Expressius dici non potest ad nostrum intentum, nam ibi ab Ordin. dicitur maioratus, quod communi usu, & praxi dicitur capella; & definit, quando hæc detur capella; & tunc dari, *quando quis relinquit bona sua unita sub certo onere Missarum, vel aliorum operum piorum*, quod in nostro præsenti casu ita reperitur; nam testatrix sua bona reliquit unita sub onere duarum Missarum singulis diebus in perpetuum celebrandis, & sub onere aliorum piorum operum: ergo bona ita relicta collegio Scalabitano absolutè dicenda sunt Capella. Hæc ratio authoritate doctissimi viri primariæ cathedræ juris Cæsaris moderatoris stabilita est adeo efficax, ut omnes aliæ silentio supprimi possint. Ex abundantia tamen.

13 Tertiò probatur, quia ut jam supra diximus *num* 4. *ex Ægid* quando maioratus seculari aliqua Missarum, aut alterius causæ piæ onera adeuntur, hæc sunt accessoria, & non principale, quia maioratus secularis intendit familiæ successionem: ergo etiam quando in aliqua institutione quando principale, quod intenditur, est bonum animæ, nempe onera Missarum, & alia opera pia, dici debet capella, & si aliquid forsan detur, erit accessorium, & non principale. at in præsenti casu, omne, quod datur, est in bonum animæ, nempe Missæ, & opera pia: ergo absolute dicenda est hæc institutio capella; & nullo modo maioratus

14 Quartò probatur; quia denominatio semper fit a digniori, & potentiori *l. Cum ex aliqua ff. de acquirend. rer. domin. l. Quæritur ff. de act. humanis. l. 1. in princip. ubi Glos. & DD. ff. de verb. oblig.* & alij quos refert, & sequitur Barbos *tract de axiomat. 71. num.* 1. sed in dispositione à testatrice facta, comprehenduntur Missæ perpetuæ, & aliqua opera pia, quæ juxta supradicta *num* 12. veniunt nomine Capellæ, & nulla in eo testamento sunt his digniora, aut potentiora, imo hæc alijs sunt nobiliora, & potentiora: ergo omnis ea dispositio capella dicenda est.

§. III.

An bona à testatrice Collegio scalabitano relicta dicenda sint hereditas, aut fideicommissum?

SUMMARIUM.

15 *Non sunt dicenda hereditas.*
16 *Dicenda sunt fideicommissa.*
17 *Non sequitur, quod sit maioratus.*

15 Respondeo dici non posse hæreditatem; quia collegium Scalabitanum ex bonis à testatrice relictis nullam sibi assumit partem, sed omnia in Missis, & operibus pijs a testrice designatis inummuntur. Et quamvis ex ijs, bonum aliquod reportet commodum sibi relictum, adhuc propriè non dicetur hereditas, ut bene colligitur *a l. Adeo, C. de fideicommiss.* & Fragos. *part. 3. disput. 18. §. 4. numer. 6. Vers. Item non est.*

16 Dicuntur ergo ea bona relicta cum onere Miſſarum ſingulis anni diebus in perpetuum, & aliorum priorum operum, quo idem fidei commiſſum, non reſtrictum ad Collegium ſcalabitanum ſub regimine Rectoris præſentis, ſed extenſum in perpetuum ad ſucceſſores. Ita habetur *in l. Annuam. 6 ff. de annuis legat.* ibi: *Annuam pecuniam ad ludos civitatis reliquit, quibus præſidere heredes voluit. Succeſſores heredum negant, ſe debere, quaſi teſtator tamdiu præſtari voluerit, quamdiu præſiderent heredes. Quare igitur, an cum præſidendi mentionem fuerit ad tempus fideicommiſſum, an perpetuo præſtari voluerit? Modeſtinus reſpondit fideicommiſſum quotannis in perpetuum Reip. præſtandum* Ex quibus verbis colligitur, per illa duo Miſſarum Anniverſaria in perpetuum, & alia adducta opera pia, cenſeri inductum perpetuum fideicommiſſum non reſtrictum ad collegium ſub uno de præſenti Rectore, ſed extenſum ad omnes Rectores, quod exprimit teſtatrix in diſpoſitione ſui teſtamenti; Idem etiam probari poteſt *ex l. Annua 20 §. fin. ff. eod. titul.* Concludunt, Reminald. Iunior *conſil. 297 num. 15. volum. 3.* Petrus Anton. de Petra *de fideicommiſſ. q. 5. num. 26. in fine* Valaſc. *conſult. 82. num 2.* Perez de Lara *de Anniverſ. & capell. l. 1. cap. 5. num. 1* Idem colligitur ex definitione fideicommiſſi, in toto titul. de fideicommiſſis, maximè ex § *ult. Inſt. de ſingul. reb per fideicommiſſ. relictis.* Et licèt fideicommiſſa à fide heredum nomen obtinuiſſent, ut vult Iuſtin. *in § ult. in principio, Inſt. de fideicommiſſ. hered.* & tradit Mantic. *de conject. ultim. volunt. l. 7 titul. 2. num. 2.* Hoc non tollit, quod etiam fideicommiſſum verbis directis relinquatur, ut conſtat ex præſenti diſpoſitione.

17 Nec obſtat, quòd ex fideicommiſſo perpetuo arguitur eſſe maioratum conſtitutum, ut inquit Alvar. Valaſc. *proximè* citatq; Burgos de Pas *quæſt. 2. num. 114.* & Molin. *de primog. l. 1. cap. 4.* & idem exiſtimarunt viri docti, & tradit Gama *deciſ. 30.* Non, inquam, hoc obſtat, quia reſpondetur 1. id exiſtimaſſe eos DD. de fideicommiſſo perpetuo, in quo dabitur ſucceſſio in familia, & generatione, non tamen de fideicommiſſo in noſtro caſu, cui repugnat natura, & eſſentia maioratus, ut §. 1. oſtendimus. Reſpondetur 2. non induci maioratum, quando fideicommiſſum agit de Anniverſarijs, & alijs pijs operibus executioni mandandis per commiſſarios Collegiorum, conventuum, & aliarum communitatum. Et abſolutè maioratum non conſtituere, docent Alvar. Valaſc. dicta *conſult. 82. numer. 6. & ſeqq.* Gama *deciſ. 30. & 48.* & alij plures, quos *ſupra numer. 5.* citavimus. Ex dictis per totam hanc quæſtionem, cenſeo, à nullo viro docto poſſe dici diſpoſitionē dictē teſtatricis eſſe maioratum, & non eſſe capellam, eſſe ſimplicem, aut abſolutè hereditatem, & non fideicommiſſum.

QUÆSTIO XVII.

An capellæ adminiſtrator teneatur facere, quòd capellani inſtitutoris in eadem capella ab inſtitutore deſignata, & in qua eſt illius corpus celebrent, repugnante Moniali æditua Eccleſiæ, & dicente dari præſcriptionem, ne eædem Miſſæ in ea capella celebrentur?

SUMMARIUM.

1 *Facti ſpecies.*
2 *Tenetur adminiſtrator, ſicut tenentur capellani.*
3 *Capellani peccant mortaliter non celebrantes in altari, ab inſtitutore capellaniæ, deſignato.*
4 *Data juſtâ cauſa poſſunt capellani in alio celebrare altari.*
5 *In præſenti non datur, quia ibi Miſſam poſſunt audire moniales.*
6 *Et quia à Conventu providentur de capellanis, qui celebrant in altari, in quo à Monialibus videri poſſunt.*
7 *Non excuſantur capellani, ex præſcriptione, quam fatetur habere æditua, quia illam non probat.*
8 *Adminiſtrator non excuſatur per admonitionem factam.*

1 FRanciſcus in Monialium Eccleſia prope ipſarum chorum in pariete laterali capellam ædificavit, in eaque ſuum corpus ſepeliri juſſit, & quòd in ea capella ſingulis anni diebus in perpetuum duæ celebrarentur Miſſæ pro ſua anima Quia tamen Moniales ex choro celebrantem in ea capella, non videbant; à cappellanis, initio capellæ ad miniſtratore, obtinuerunt, ut in altaribus ejuſdem Eccleſiæ, quæ erant è proſpectu, eas capellaniarum Miſſas celebrarent ut eas audire, potuiſſent. Ad aures adminiſtratoris hæc mutatio pervenit; & mox capellanos de ſua obligatione admonuit, & Monaſterij æditua. Quæ ad poſſeſſionem recurrit. Quæritur 1 An ob cauſam adductam poſſint capellani in alijs altaribus ejuſdem Eccleſiæ, ſuæ ſatisfacere obligationi? 2. An Adminiſtrator tutus in conſcientia maneat, admonitione factâ, an aliam aliquam facere teneatur.

RESOLUTIO.

2 Reſpondeo ad utrumque quæſitum, teneri adminiſtratorem facere, quòd capellani in loco, ſeu altari à fundatore deputato celebrent, ſicut ipſi capellani eo tenentur celebrare in eo altari: ergo etiam ipſe adminiſtrator tenetur facere, quòd in eo altari celebrent. Minor inter DD. eſt communis; & probatur; Quando enim fundator capellæ alicujus impoſuit

onus

onus suis capellanis celebrandi in altari suæ capellæ, principaliter respiciens ad fructum ex Missarum sacrificijs, & ad cultum ipsius capellæ à se fundatæ, & constructæ in memoriam suæ familiæ, & in qua suum corpus erit post suam mortem sepeliendum; tenentur ipsi capellani in eo Missas celebrare. Sic cũ citatis Azor, Navarr. Cened. Zerol. Rodrig. Sot. Covall. Graff. Beja, Sylvest. Tabien. Flamm. Henriq. Fagund. *l.* 3. 1. *præcept. in quinquod cap.* 9 *numer.* 2.

3 Et peccare mortaliter, cum Bonac. Barbos. Rivio, & Marchino, docet Tamburin in Method. *celebr. Miss. l* 3. *cap.* 2. §. 1. *numer.* 1. Dian 2. *part. tract.* 14 *resol.* 29. Cardin. de Lug. *de Sacram. disp.* 21. *num.* 36. & *Henao de Sacrif. Missæ disp.* 19. *sect.* 3. *num.* 51. Illos à mortali excusans, si una, vel altera vice in anno in alio altari celebrent, quas vices extendit ad mensem Tamburin *cit. num.* 2. quæ ob parvitatem erunt peccatum veniale, at Cardin. de Lug. *cit.* eos excusat, si cum rationabili causa fiat, & Dicastill. *tom.* 1. *tract.* 5. *disput.* 4. *dub.* 21 *num.* 385. etiam non data rationabili causa excusat: quia censetur fundatorem cum tanto rigore suos non obligare capellanos. Consequentia supradictæ probationis ostenditur, quia administrator capellæ ex officio tenetur procurare observantiam dispositionis factæ à fundatore, ut superior ad ea omnia, quæ conducunt ad finem necessarium illius capellæ; & finis est, quod non deficiat cultus illius capellæ, in qua est sepultum fundatoris corpus, & quæ fuit fundata, & ædificata in familiæ memoriam: & si superior peccat mortaliter conveniens, & dissimulans subditorum peccata, ob pigritiam vel verecundiam, etiam administrator mortaliter peccat suum officium non adimplens in ijs rebus, in quibus mortale peccatum committitur. Consulatur Sanch. *l.* 1. *moral. capit.* 6. *numer.* 19.

4 Et quamvis, data rationabili causa, aliqui DD. existimarunt, posse capellanos in alio loco, vel altari celebrare, quando fundator principaliter respexit ad fructum sacrificij Missæ, & non ad cultum loci, & altaris; & mutatio non fit ejusdem Ecclesiæ, sed tantùm altaris. At in præsenti casu hæc non habent locum, quia fundator principaliter intendit in sua dispositione non solùm fructum sacrificij Missæ, & cultum altaris capellæ, quam ex suis bonis ædificavit, & alia sua bona annexuit in memoriam suæ familiæ. Et dato, quòd hæc non habuissent locum in dicta capella; adhuc non datur rationabilis causa, ad mutationem celebrationis Missarum de altari capellæ ad alia altaria ejusdem templi; nec assignata à Monialibus, quæ a suo choro non possunt audire Missam in ea capella ad chori pedem sita, quia sacerdotes celebrantes non vident] est sufficiens. Nam hæc ratio ex duplici capite non obstat.

5 Non obstat primo; quia Moniales, ex ipso choro Missas in ea capella celebrandas, audire possunt, & præcepto Ecclesiæ satisfacere; quin videant sacerdotes celebrantes. Ratio est ad auditionem Missæ sufficit, quòd audiantur verba sacerdotis celebrantis, aut aliquo signo cognoscatur, quid agat celebrans, vel in qua Missæ parte versetur. Et de facto illam audiunt, existentes in choro post altare structo, quin videant celebrantem. Et hæc doctrina est inter DD. communis, quos latè citat Leandr. *tom.* 3 *tract.* 2. *disp.* 1. *q* 104 & alij, quos attuli *supra q.* 2. §. 4. *à num.* 18. ubi de hac egi quæst. & ibi videri potest.

6 Nec obstat ex secundo capite; quia Moniales ad satisfaciendum præcepto diebus Dominicis, & festis, & suæ devotioni, & regulæ, suos habent sacerdotes, à conventu sallario conductos, ut in suo principali, & alijs altaribus quotidie celebrent, ut ipsæ Moniales eas Missas audiant. Nec capellæ fundator eam obligationem habet, nec ejus capellani absque gravi peccato [ut patet ex dictis,) possunt eas mutationes altarium facere. Nec consensus Administratoris capellæ, nec fundatoris heredem, eos excusat ab eo peccato, quia eam non habent potestatem, nisi expressis verbis illis à fundatore sit concessa; ut bene docet Henao *citat. dict. disputat.* 19. *sect.* 3. *numer.* 52.

7 Nec obstat 3. dicere æduituam Ecclesiæ conventus, Moniales esse in possessione mutandi eas celebrationes altaris capellæ, ad alia altaria, in quibus capellanos celebrantes vident. Non, inquam, hoc dictum æduituæ obstat; quia in primis non assignat annos possessionis earum Monialium; ut ex possessione censeretur præscriptum jus fundatoris. Et censeo, eam possessionem, bona fide habitam, non excedere triginta annos, quod erat necessarium ad legitimam præscriptionem in legata pio, quorum naturam sortiuntur, vel saltem sunt accessoria eæ altarium mutationes, juxta *l. C. communia de legat.* & DD. quos adduxi *supra q.* 8 *numer.* 4 & 7. ubi latè de hac præscriptione. Et licèt certò existimem eam monialium possessionem decem non attingere annos. Si tamen demus, quòd probet possessionem à lege requisitam ad præscriptionem; à Provisore capellarum non audientur, quia non admittit præscriptionem contra jura defunctorum, contra id quod censeo, & ostendi *cit quæst.* 8. cum non paucis Doctoribus modernis.

8 Ex dictis in hac quæstione: Administrator dicta admonitione ad capellanos, & Ecclesiæ æduituam facta, suæ nó satisfecit conscientiæ: debebat enim admonitio ad capellanos facta esse authenticam, ut justè, & licitè in utroque foro, onere non satisfacto, quoad altare à fundatore designatum, stipendium capellaniarum ipsis capellanis non solvatur.

Et si æditua Ecclesiæ adhuc pro sua insistens possessione ad Provisorem Capellarũ recurrat.

QUÆSTIO XVIII.

An capellanus Institutoris capellaniæ consanguineus à loco, in quo est capella per leucam cum dimidia distans, possit in suo oppido Missas Capellaniæ celebrare.

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Episcopus potest dispensare ex justa, & rationabili causa.*
3 *Datur justa, & rationabilis causa, ut dispenset.*
4 *Non potest heres, nec administrator.*

1 NIcolaus in suo testamento disposuit, quòd in certa capella parochialis Ecclesiæ ob venerationem S. Nicolai, cui capella erat dicata, celebrarentur duæ Missæ singulis anni hebdomadis in perpetuum pro sua anima, & suorum incertorum creditorum animabus à sacerdote consanguineo primo loco, si detur. Pro hoc Missarum Anniversario eleemosynam decem millium regalium Lusitanorum assignavit. Ad hoc capellaniæ onus, illius consanguineus Placidus fuit electus, habitationem habens distantem à capella ad Missas assignata, per leucam cum dimidia. Accedensque ad capellam, ut suo muneri satisfaciat, parochus Ecclesiæ, in qua sita est capella, illi ornamenta, vinum, ceram, & alia ad Missæ celebrationem necessaria præstare noluit. Quæritur 1. An Episcopus cum hoc capellano Placido dispensare possit, ut in Ecclesia sui oppidi satisfacere possit oneri suæ capellaniæ? 2. An præcisa Episcopi dispensatione, in Ecclesia sui oppidi Missas dictæ capellaniæ celebrare possit. 3. Quis teneatur ornamenta; & cætera requisita, ut Missam in capella designata celebret, conferre.

§. I.

An Episcopus cum dicto Capellano Placido possit dispensare, ut in Ecclesia sui oppidi Missas suæ Capellaniæ celebret?

2 Respondeo posse. Et hoc maximè huic capellano Placido convenit, ut querellas parochi loci capellaniæ, & institutoris heredis, & aliquorum scandala evitet. Et quòd Episcopus ex juxta, & rationabili causa, concedere, & dispensare possit, ut capellanus obligatus ad celebrandum in aliqua capella, aut Ecclesia, alibi celebret, est DD. communis doctrina, & usu recepta, & probata. Illam approbant Bonacin. *de Euchar. disp. 4 q. ult. punct. 7 §. 4 num. 4.* Barbos. *de potest. Episcop. alleg. 29. num. 8.* Nald. *Verb. Missa num. 34.* Marchin. *de ordin. tract. 3 part 2 cap. 24 num. 5.* Dicastill. *de Sacram. tom. 1. tract. 5. disp. 4 num. 387* Mascarenhas *de Sacram. tract. 5. disp. 2 cap 10 num 127.* Tamburin. *in Method. celeb. Miss. l. 3. cap 2. §. 2. num. 1.* Henao *de Sacrif. disp. 19. num. 54. in fine*; & accedente consensu hæredum, & legatariorum Sanch. *l. 4. consil. cap. 2. dub. 5.* & alij quos citant. Ratio est, quia datâ rationabili causâ, nulli infertur præjudicium; & sicut vota non prohibita commutare, & dispensare potest; & commutari legata pia quoad aliquam circunstantiam, sic etiam poterit commutare circunstantiam loci ad Missas has celebrandas, in hoc legato hujus testatoris pio.

3 Et datur justa, & rationabilis causa, ut Episcopus dispenset in hac mutatione loci ex his rationibus. 1. quia parochus Ecclesiæ, ubi est capella ab institutore designata, concedere non vult ornamenta, & alia ad celebrandum necessaria, quæ non concessio est illicita: contra eum tamen litem movere non vult, nec convenit. 2. Quamvis enim ad onus suarum Missarum eleemosyna non sit tenuis; tenuis tamen est ad diversam habitationem; in qua habere non potest commoda, quæ habet in domo parentum, & sororum. 3. Quia ut singulis hebdomadis duabus vicibus iter unius leucæ cum dimidia conficiat, alijs viribus indiget, ut æstu, & hyeme cum labore continuare possit, ne suæ deficiat obligationi. 4. Quippe Institutor, quando illud testamentum condidit, suos consanguineos habebat in eo oppido, in cujus Ecclesia capellam designavit; & si adverteret ad mutationem habitationis, quam pro futuris temporibus habere potuissent, illos ad aliam novam habitationem non obligaret.

4 Non sufficit tamen licentia heredis, & Administratoris institutoris. Quoniam hi voluntati institutoris capellaniæ derogare nequeunt; ut cum Fraxinello tradit Dicastill. *cit. num. 384.* Et Henao, quem adducimus *præcedente quæst. n. 6.* pro eadem resolutione. Nec etiam Ecclesiæ Rector eam licentiam concedere potest; quidquid in contrarium teneat Patqualig. apud Tamburin. *supra cit.*

§. II.

An præcisâ licentiâ, seu dispensatione Episcopi, possit capellanus Placidus Missas suæ capellaniæ in Ecclesia sui proprij oppidi celebrare?

SUMMARIUM.

5 *Non videtur improbabile ex sententia excusante ab auditione Missæ illum ab Ecclesia multo distantem.*
6 *Obstantia in oppositum diluuntur, juncto nu. 8.*
7 *Exemplo confirmatur.*
9 *Non est etiam improbabile ex interpretativa Institu-*

Institutoris voluntate.

10 *Et ex impedita capella designata.*

11 *Ius capella cessavit ex rationibus adductis.*

12 *Sententia communis non habet locum in præsenti casu.*

13 *Instit tutor capellaniæ principaliter respexit ad suæ animæ bonum; & juncta impossibilitate, in altera capella celebrare potest capellanus.*

5 Ex triplici ratione; censeo non esse improbabile, posse dictum Placidum satisfacere suæ obligationi celebranda Missas dicendas in capella designata in Ecclesia suæ habitationis. Prima ratio Est doctrina communis excusans à mortali non audientem Missam, quando ab Ecclesia distat per unam leucam, & iter pedibus conficiendum est, ut tradunt Soar. *tom.* 3 *in* 3. *part. disp.* 88. *sect.* 6. *Vers. Tertiũ genus*, Fagund. *in* 1. *Eccles. præcept. l.* 2. *capit.* 9. *num.* 10. Dian. *part.* 10 *tract.* 11. *resol.* 8. Villalob. *tract.* 8. *dif.* 36. *num.* 5. Castr. Palao *tom.* 4. *tract.* 22. *punct. ult. num.* 4. Filliuc Trullench. & alij, quos refert, & sequitur Leand *tom.* 3. *tract.* 2. *disp.* 2. *q.* 22. & *q.* 23. etiam excusatur ille, qui equester conficit iter. Eamdem doctrinam, *cũ citat.* tenent Dicastill. *tom.* 1. *de Sacram. tract.* 5. *disp.* 4. *dub.* 21. *num.* 184. Henao *cit. disp.* 30. *num.* 217. *in fine*, & licet in aliqua circunstantia ab alijs disconveniant, ad nostrum conveniunt intentum: ergo etiam excusabitur Placidus ad celebrandas Missas in capella, ab institutore designata, quia ab illa distat sua habitatio per leucam cum dimidia.

6 Nec obstat, inferre ex antecedente hãc consequentiam; quia ex antecedente non rectè infertur consequentia, quia de antecedente ad consequentiam datur diversa ratio; quia Placidus potest dimittere capellaniam, quam non accepit invitus, deinde potest mutare habitationem ad parochiam, in cujus Ecclesia est capella ab institutore designata; & ibi suo oneri Missarum satisfacere, ut ipse institutor disposuit: At obligatus ad audiendam Missam non potest à se hanc obligationem dimittere, nec ut illam audiat, tenetur mutare habitationem ad oppidum in quo illam absque ea incommoditate, & labore, possit audire; nam Ecclesia Missæ auditionem non præcipit cum tanto rigore, sed pie, & rationabiliter. Non, inquam, obstat hæc diversa ratio, quia in hoc Placido præsumitur ex voluntate institutoris noluisse obligare suum consanguineum habitantem in alio oppido per leucam cum dimidia ad conficiendum iter bis in eadem hebdomada, ut in capella ab eo designata Missas celebret. Et dari hanc præsumptionem ostendo ex sequenti casu.

7 Adfui cuidam illustrissimæ fœminæ suum testamentum ante mortem, condenti, in quo duas mercenarias instituebat ad fœminas pauperes, & virtute præditas; cum onere assistendi singulis anni diebus manè in capella, ubi suum corpus erat sepultum, ut ibi Missam, & alias preces pro anima sua Deo offerent, cũ eleemosyna duplo maiori, quam constituta nostro capellano Placido. Et cùm ad has mercenarias primo loco vocaret suas ancillas, & secundo famulas, & post has, electas à suo administratore; Illam interrogans an eas omnes fœminas obligaret æqualiter ad eam assistentiam per horam in sua capella singulis anni diebus? Respondit prudens, & illustrissima fœmina, se nole aliquam obligare, quando aliqua detinebatur infirmitate, nec quando notabiliter pluebat; suas autem ancillas, & famulas pro diebus Dominicis, & festis tantùm. Si hæc illustrissima fœmina interrogata, hanc erga suas ancillas, & famulas ostendit, & expressit indulgentiam, quibus pingue relinquebat legatum; cur eadem nobis præsumenda non erit indulgentia, & benevola voluntas erga suum capellanum consanguineum, si in mentem suam veniret, vel fuisset interrogatus, si in proprio oppido ubi erat capella designata, sed in alio distanti per leucam cum dimidia habitaret consanguineus capellanus cum suis parentibus, & sororibus? Censeo, illum noluisse obligare.

8 Ad alia, quæ in ea maiori ratione contra hunc capellanum adducuntur; Respondeo illum non posse capellaniam admittere, nisi maximo sui, & suorum incommodo, & cum illo tenui capellaniæ legato, vitam agit minus incommodam; vel forsan, quia illius titulo ordines sacros susceptit, nec aliunde habet, unde commode vivere possit, juxta *Trid. sess.* 21. *cap.* 2. Nec aliud adductum urget, quia habitationem ad oppidum, in quo est capella, mutare non potest: non enim sufficit tota eleemosyna ab institutore relicta, ut novam acquirat habitationem. Hæc tamen magis patebunt ex dicendis.

9 Secunda ratio; quia datâ rationabili causa in capellano ad celebrandum in alio loco, quem non designavit institutor, potest in eo celebrare capellanus. Ut pluribus cit. tenet Barbos. *de potest. Episc. part.* 2. *alleg.* 24. *numer.* 33. Pellizar. *in man. Regul. tom.* 1. *tract.* 5. *cap.* 9. *num.* 116. quia hæc præsumitur institutoris voluntas. Maximè quando Missæ sunt celebrandæ pro anima institutoris, & non desunt alij sacerdotes, qui celebrent in capella ab illo designata: sed in Placido datur justa, & rationabilis causa (ut dictum est, & dicetur *num sequenti.*] ut non celebret in capella designata; & alij nõ desunt sacerdotes, qui in ea celebrent: ergo absque peccato, potest in alijs altaribus non designatis celebrare.

10 Tertia ratio, quia impedita capella ad celebrationem Missarum designata, quia est interdicta, vel aliquod habet impedimentum, potest sacerdos, & capellanus in alia capella celebrare; & ad id tenetur, quando institutor principaliter voluit sacrificium Missæ sibi, & suis defunctis applicari, ut communiter defen-

dunt DD. Barbos. *proximè num.* 35. Mascarenhas *de Sacram. tract. 5. disp 2. num.* 127. & alij: sed capella ab institutore designata est impedita, quia Rector Ecclesiæ non consentit, quòd capellanus Placidus in ea celebret, nolens ei ornamenta, vinum, hostiam, & ceram præstare ad Missas; & institutor in sua dispositione principaliter voluit sacrificium Missæ sibi, & suis creditoribus incertis applicari: ergo potest, & tenetur in alijs altaribus, etiam sui oppidi pro anima institutoris, & suorum incertorum creditorum Missas celebrare.

11 Nec obstat, dicere cum Cardin. de Lug. *de Euchar. disp. 21. numer.* 36. & Henao *de Sacrif. Miss. disp* 19 *num.* 51. & alijs, capellanum in alia Ecclesia diversa celebrantem, designata ab institutore præjudicium inferre, quia per designationem acquisivit jus, ut hic capellanus in ea celebraret, & non alibi. Non, inquam, hoc dicere, obstat, quia ex rationibus allatis liquet, illud jus cessasse. Nec à visitatore Diœcesano vexabitur ob non adimpletam institutoris voluntatem, quia rationibus adductis facile defendetur.

12 Nec obstat 2. communis sententia asserens, peccare mortaliter capellanum celebrantem in alia capella relicta ab institutore designata, quia in re gravi tuum non adimplet munus. Sic Perez de Lara *de Anniversf. & Capell l. 2 cap.* 8 *num.* 31. Bonac. *tom. 1. disput. 4 de Euchar. q ult. punct. 7. § 4 num.* 2. Fagund. *in 1. Eccles. præcept. l. 3. cap* 9 *num.* 2. Barbos. *de potest. Episc part. 2. alleg.* 24 *num.* 33. Marchin. *de ordin. tract. 3. part. 2. cap* 24. Tambur. *in Method. celebrand. Miss. l* 3. *cap. 2. § 1 num. 1. Card.* de Lug. *de Euch. disp. 21 num.* 36. Dicastill. *tom. 1. de Sacram. tract. 5. disp. 4. dub 21 num.* 383. Henao *de Sacrif. Miss. disp* 19 *sect* 3. *num.* 51. Gobat. *tom. 1 tract. 3 numer.* 557. & plures alij quos citant. Non, inquam, obstat ea communissima sententia, quia juxta DD. citatos, tantùm habet locum, quando non datur justa, & rationabilis causa celebrandi in alio altari, seu capella; at in nostro casu datur justa, & rationabilis causa, ut alibi celebret dictus capellanus, ut ex dictis constat evidenter.

13 Nec obstat 3. dicere, quando institutor capellaniæ, in illius designatione respexit æque principaliter, & ad fructum ex Missæ sacrificio, & ad cultum specialem loci, propter venerationem alicujus Sancti, variationem loci esse peccatum mortale, quia materia est gravis. Non, inquam, obstat, quia institutor capellaniæ principaliter respexit ad fructum sacrificij ob bonum suæ animæ, & suorum incertorum creditorum, & deinceps ad venerationem capellæ S. Nicolai, quia illius habebat nomen, & sanctum speciali devotione prosequebatur: his tamen satisfacere potest Capellanus, in aliqua alia capella, in qua sit imago illius sancti. Respondeo 2. quòd hic capellanus justam, & rationabilem habet causam, ut in designata capella non celebret, ut ex dictis liquet.

§. III.

Quis teneatur ornamenta, & cætera requisita conferre, ut Missiæ capellaniæ in capella designata celebrentur?

SUMMARIUM

14 *Tenetur ipse capellanus cum limitatione.*
15 *Tenetur Parochus, & Ecclesia si habeant redditus ad ipsos sumptus designatos?*
16 *Secus dicendum ex S. Cardin. Declar. si illos non habeant.*
17 *Negari non possunt, ad celebrationem Missarum capellaniæ necessaria, si per quadraginta annos alijs capellanis fuerunt concessa.*
18 *Non licet capellano minuere numerum Missarum, ut compensetur ex factis expensis.*
19 *Nec expensa deduci possunt ex alijs legatis, particularibus personis relictis.*

14 Respondeo, teneri ipsum capellanum ad ea ornamenta, vinum, hostiam, & ceram, si alius non detur ad ea conferenda obligatus (*ut num sequenti* dicetur.] Moveor 1. quia stipendium huic capellano ab Institutore hujus capellaniæ relictum non est tenue, habita ratione ad duas Missas celebrandas singulis hebdomadis, & taxa ab Ordinario statuta pro qualibet Missa in hoc Archiepiscopatu *in Const. tit.* 18. *const. 5. in principio*, licet tenue sit ad capellani sustentationem, de qua in hoc puncto, ratio non est habenda; secundò, quia onus beneficij ad beneficiarium pertinet: ergo etiam onus capellaniæ ad capellanum, & qui sentit commodum, æquum est, ut etiam sentiat, & onus, *l. 1. ff. de instit. action. & l. secundum naturam ff. de regul. juris* & expressè in nostro casu de capellano Tamburin. *in Method. celeb. Miss. l. 3. cap. 1. § 5. numer.* 102. Henao *de sacrif. Miss. disp. 31 sect. 5. num.* 39. Addens: *Utinam ipsi capellani hanc amplectantur doctrinam.*

15 Dixi *Si alius non detur ad ea necessaria ad celebrationem Missæ conferenda, obligatus.* Nam si Parochus, aut Ecclesia aliquos habeat redditus ad ea onera, etiam istius capellaniæ, tenetur hoc onus adimplere. Nec capellanus Placidus à Parocho, vel administratore Ecclesiæ, seu capellæ potest impediri, ne Missas suæ capellaniæ, in ea Ecclesia sitæ celebret. Et urgentiùs ratio procedit, si id faciant, ut capellanus consanguineus institutoris in altera parochia valde distanti existens capellaniam dimittat, ut alteri ejusdem oppidi, & parochiæ tribuatur.

16 Si tamen nec Parochus, nec administrator Ecclesiæ, aut capellaniæ ad ea munia habeant redditus illos ab hoc capellano moderatos juxta Missas celebrandas in ea capella, petere,

petere, & accipere possunt. Hæc, & supra dicta bene colliguntur *ex Declar. S. Congr. Conc. authoritate S. Pontificis Urbani VIII. editis, super Decretis ejusdem S. Congr. de celebr. Missar. sic respondentis authoritate ejusdem S. Pontificis ad septimum dubium*; in quo quæsitum fuerat: *An permittendum sit administratoribus Ecclesiarum, ut retineant aliquam eleemosynarum portionem pro expensis manutentionis Ecclesiæ, altarium inservientium, paramentorum, vini, luminum, Hostiæ, & similium?* Et sic fuit responsio *Permittendum non esse, ut Ecclesiæ, & loca pia, aut illorum administratores, ex eleemosynis Missarum celebrandarum ullam, utcunque minimam portionem retineant, ratione expensarum, quas habent in Missarum celebratione, nisi cum Ecclesiæ, & loca pia alios non habent reditus, quos in usum earumdem expensarum erogare licite possint; ac tunc quam portionem retinebunt, nullatenus valere excedere valorem expensarum, quæ pro ipsomet Missarum sacrificio necessario sunt subeundæ; ac nihilominus eo etiam casu curandum esse, ut ex pecunijs, quæ supersunt, expensis supra aeductis, absolute tot Missæ celebrentur, quot præscriptæ fuerint ab offerentibus eleemosynam.* Sic responsio S. Cong. Ex qua habetur, quando Parochus teneatur concurrere cum paramentis, & alijs necessarijs ad dictas capellaniæ Missas celebrandas. Vide Card. *de Lug de Euchar. disp.* 21 *n.* 31.

17 Adverto, quòd si Parochus Ecclesiæ, in qua sita est capella designata, & ejus antecessores non impedijssent prædecessores capellanos, & illis præstitissent paramenta, & cætera requisita ad Missas, per spatium quadraginta annorum, non posse præsentem Parochum, hunc novum capellanum impedire, ne celebret; quia ad eas Missas non præstat necessaria; quia ipse, ut prædecessores, illa tenetur præstare. Ratio est, quia à capella contra parochos jam præscriptum est, ex *text. in cap. cum de beneficijs, de præbend in* 6. & sic in simili cum Abbat. & Lamberto tradit Marchin. *de Ordin. tract.* 3 *part.* 2. *cap* 24. *num.* 4.

18 Adverto secundò, si dictus capellanus cogatur solvere expensas factas, aut faciendas in celebratione dictarum Missarum, non posse minuere Missas ad quas tenetur ratione Capellaniæ, ut sic compenset expensas factas. Ratio est, quia dato, quod dictum stipendium esset incongruum attentis ijs expensis, obstat responsio adducta S. Congreg. in ultimis verbis; in quibus decidit, *quod tot Missæ celebrentur, quot præscriptæ fuerint ab offerentibus eleemosynam.* Sic Tamburin. *in Method. celeb. Missæ l.* 3. *cap.* 1. § 5. *num* 9 Henao *de sacrif. Miss. disp.* 31. *sect.* 5. *num.* 38 Licèt oppositum defendat Marchin. *de ordin tract* 3 *part.* 2 *cap* 16. *num.* 20. Et in simili Leand. *tom* 2. *tract* 8 *disp.* 4 *q* 13 At ratio, quam afferunt, id non probat.

19 Adverto tertio, has expensas paramentorum, vini, &c. non esse deducendas ex legato ab institutore aliquibus viduis certis non designatis, relicto. Ratio est, quia in bonis Nicolai institutoris, & testatoris dantur bona ad omnia ab eo relicta legata; & sicut capellanus Placidus suam accipit eleemosynam relictam pro Missis celebrandis sine aliqua diminutione, ita etiam viduæ suum debent habere legatum absque aliqua diminutione. Et non capio, posse dari detractionem de uno legato pio ad aliud pium augendum, absque testatoris expressa voluntate.

QUÆSTIO XIX.

An capellanus omittens celebrare Missas in capella designata interdicta, potens illas in loco non interdicto celebrare, ad restitutionem Missarum omissarum teneatur?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Tenetur, & ex ipso jure ostenditur.*
3 *Idem ostenditur ex ratione, & authoritate DD.*
4 *Emittens votum jejunij in pane, & aqua; si in hac forma non potest, non tenetur ad jejunium in forma consueta.*
5 *Explicatur ex Sanch. omissio horum votorum.*
6 *Dato, quod non teneat votum recitandi coronam in aliquo altari, illo impedito; tenetur tamen capellanus ad Missam, altari designato impedito.*
7 *Layci in loco interdicto commorantes non tenentur audire Missam, etiam si facile possint adire locum non interdictum; tenentur tamen sacerdotes, & clerici.*
8 *Non potest capellanus in altari designato à fundatore celebrare Missam tempore interdicto.*

1 TEmpore lati interdicti in Civitate Portugallensi intra muros, Capellanus quidam celebrare tenebatur in altari dormitorij hospitalis singulis diebus pro anima fundatoris, & ut infirmi in suis lectis jacentes, Missam audirent. Hoc tempore in eo non celebravit altari, quia erat interdictum, nec alibi, cum facilè posset; quia extra muros plures erant Ecclesiæ non interdictæ, ad quas alij capellani, ut celebrarent, & populus ut audiret Missam, confluebant. Quæritur: An teneatur Missas omissas compensare.

RESOLUTIO.

2 Respondeo teneri ad eas Missas omissas supplendas; ut rectè colligitur *ex text. in capit. Cum dilecti* 6 *de dolo, & contum.* & ex Navarr. *de orat. & hor. canonic. cap.* 11. *num* 10. ibi: *Qui non potest facere totum, vel eo modo quo jubetur, tenetur facere partem, vel totum, eo modo, quo potest*: Sed dictus capellanus celebrare non poterat in altari hospitalis, quia erat interdictum,

&

& poterat in altari extra muros, non interdicto pro anima fundatoris: ergo in illo tenebatur celebrare, sicut alij capellani

3 Ratione ostenditur, quia ex acceptatione hujus capellaniæ, duas contraxit hic cappellanus obligationes, utrasque graviter obligantes; primam celebrandi singulis anni diebus pro anima fundatoris, secundam celebrandi in dicto altari, ob commoditatem informorum: impeditâ verò hâc, prima non cessavit; quia hæc erat fundatoris voluntas, nempe quòd suus capellanus in alio altari celebret, si aliud suppetat altare ad celebrandum; & cùm suppeteret altare, & altaria, ut ipse fatetur capellanus, in illo pro anima fundatoris celebrare tenebatur. Et cum non celebrasset, tenetur eas Missas omissas supplere. Et ita docent cum communi DD Dicastill. *tom. 1. de Sacram. tract. 5. disp. 4 num. 397. post medium*, Tamburin *in Method celebr Miss. l. 3 cap. 5. §. 2. num. 1.* Henao *de sacrif. Miss. disp 19 sect. 3 num. 45. in principio, & num 46.* Cardin. de Lug *de Sacram. Euchar. disp. 21. num 42. & 47.* Gobat *tom. 1. tract. 3. num. 577. & 578.* & hanc sententiam admittere tenentur existimantes, capellanum impeditum ad celebrandum in loco à fundatore, seu testatore designato, teneri ad celebrandum alio in loco, hi sunt Bonacin *de Sacram. disp 4. de Euchar q. ult. punct. 7. §. 4. num. 3* Azor *1 part l. 10. cap. 14 q. 8 Sa Verb. Miss. num. 47.* Nald. *ibidem num. 3. & alij.*

4 Neque obstat 1. dicere, emittentem votum jejunandi in pane, & aqua, si sub hac forma illud servari non possit, non teneri modo consueto illud servare, ut cum Bardi *in Bull. Cruciat part 2 tract. 3 cap. 1 num. 3.* dixi *in Exposit. ejusdem Bull. disput 22 sect. 5 in fine n. 43.* quòd etiam tradit Tambur *l 3 decal. cap. 15 §. 16 in fine* Et similiter, qui non potest jejunare, nisi vescendo carnibus, ad jejunium non tenetur, quanvis habeat Bullam meritum jejunantium cum piscibus concedentem; ut censeo *cit loco*: ergo etiam ex eo quòd capellanus teneatur certo altari Missam celebrare, si in eo celebrare non possit, ad aliud non tenetur. Non, inquam, hæc obstant, quia emitens votum jejunandi in pane, & aqua, sub hac forma illud emisit, & non sub alia; ergo si sub hac non potest, ad aliam non tenetur, quia sub alia illud non emisit, ut videre est, apud Tamburin. *cit* Ad alium, non valentem jejunare, nisi cum carnibus, quamvis habeat meritum jejunantium cum piscibus ad jejunium non tenetur; quia Bulla privilegium concedit, non tamen obligat: at capellanus non sub una forma, seu obligatione, sed sub duplici obligatur, ut *supr. num* 3. diximus.

5 Ut hæc tamen clariora evadant, in medium adduco Sanch. *l. 4. decal. cap* 14. *a num. 27.* dicentem, de emittente votum recitandi coronam coram tali altari, aut imagine ob cultum talis altaris, aut imaginis, & si illud altare, ubi est illa imago, sit impeditum, non tenetur ad recitandam coronam; quia sub ea forma illud emisit votum; sicut non tenetur aliâ die jejunare, qui emisit votum jejunandi in vigilia alicujus sancti, ob specialem illius cultum: secus dicendum, quando altare fuit electum; non ob cultum alicujus sancti, sed ob maiorem commoditatem, nam si altare sit impeditum, tenetur coronam in altero loco recitare. At in nostro casu, altare non fuit à fundatore electum ob illius cultum, sed ob fructum sacrificij & maiorem infirmorum commoditatem: ergo id altare per interdictum impeditum, non cessat obligatio Missæ, quæ in alio altari, non interdicto celebrari potest.

6 Demus tamen, quòd illud altare fuit electum ob specialem cultum alicujus Sancti, sicut ab emittente votum, altare fuit electum ob specialem cultum alicujus imaginis, qui impedito altari, non tenetur ad recitationem coronæ in alio loco; capellanus autem tenetur Dispar ratio est, quia fundator intendendo cultum alicujus altaris, adhuc fructum sacrificij potest consequi, si in alio loco sacrificium fiat; & hæc præsumitur voluntas fundatoris: at vovens cum suam possideat libertatem, præsumi potest, sic se voluisse obligare. Et si dubitetur de intentione fundatoris circa fructum sacrificij, adhuc pro illo standum est, quia capellanus suam non possidet libertatem; sicut possidet vovens: licet Sanch. *cit. num.* 38 contra aliquos, in dubio asserat teneri ad votum. Vide Card. de Lug. *cit. num.* 41. & 42.

7 Neque etiam obstat 2. non teneri ad audiendam Missam locis commorantes in loco interdicto, etiam si facili possint adire locum non interdictum, ut probabiliter docent Lamas. 3 *part. Method. cap. 5. §.* 11. *pag.* 492. Avila *de Censur part. 5. disp. 4. sect. 2. dub. 6. concluf. 2.* Idem tenet Mascarenhas *de Sacram tract 5. disp 6. cap.* 10 *num. 532.* ubi hoc supponit, dum hæc verba profert, ibi: *Utrum Antonius verbi gratia tempore interdicto, in quo non habet obligationem audiendi sacrum, teneatur acquirere, &c.* Et supponunt graves DD. ut videre est apud Ægidium Coninch. *disp. 17 de interd. dub. 2. num* 28. Henao *de sacrif. Missæ disp. 30. numer. 187. &* 197. ergo etiam capellanus si facile potest Missam in alio loco celebrare tempore interdicto, ad id non tenebitur. Non, inquam hoc obstat; quia respondetur 1. negando antecedens, nam quamvis sit probabile propter authoritatem illud sequentium longe tamen multo probabilius est, teneri commorantes in loco interdicto ad Missam audiendam in Dominicis, & diebus festis, si absque gravi incommodo ad locum non interdictum ire queant; sic tenent Azor, Hurt. Trullench. Bonac. quos affert, & sequitur Leand. *tom. 3. tract 2. disp. 2 q. 6.* & alij communiter. Secundò respondetur dato, & concesso antecedente negando consequentiam diversa ratio est; quia ij laici habent opinionem proba-

probabilem, ut vidimus illos non teneri ad Missam audiendam; at sacerdotes, & clerici illam tempore interdicto tenentur audire, ut ipsimet DD. fatentur; juxta *textum in cap. alma mater, de sentent. excomm. in* 6. servata moderatione illius *text.* & communiter DD. Soar. Card. de Lug & alij, quos refert Leand. *cit. q.* 42. & illam sequutus fui cum pluribus *in Expos. Bullæ disp.* 11. *n.* 121. quibus adde Gibalin. & plures, quos affert, & sequitur Henao *cit. de sacrif. Miss. disp.* 30. *num.* 182. Deinde sacerdotes possunt singulis diebus celebrare cum moderationibus *capit. Alma mater*; *cit.* non excusatur ergo capellanus ad celebrandum pro anima fundatoris singulis diebus, quia non habet opinionem probabilem, ut habent ipsi laici, & celebrare potest.

8 Fateor tamen, quanvis sacerdotes tempore interdicto loci generalis celebrare possint, etiam in capella alicujus hospitalis, quia in *dict. cap. Alma mater*, nomine Ecclesiarum venit ea capella, & oratoria privata existentia approbata in domibus secularium, ut cum communi sententia asserunt DD quos latè congerit, & sectatur Leand. *cit. dicta disp* 4. *q.* 6. & 7. & etiam virtute Bullæ Cruciatæ Lusitaniæ concessæ, tempore interdicto loci specialis, ut constat ex mea *Bullæ Expos. dict. disp.* 11. *num.* 170. non tamen potest dictus capellanus celebrare in altari à fundatore designato, quia est in publico infirmorum dormitorio nullas habenti januas, nisi dormitorij communes, nec infirmi à suis lectis surgere possunt, ut capellanus januis clausis suam celebret Missam in altari designato, juxta dispositionem *cap. Alma mater*, & illis præsentibus illam non potest celebrare, quia sunt pars loci generalis interdicti; nec etiam Bullam Cruciatæ sumere possunt, nec tenentur; ut Missam audiant, ut communiter tenent DD. quos afferunt, & sequuntur Mascarenhas *de Sacrament. tract.* 5 *disp.* 6 *num.* 132. Henao *de sacrif. Miss. dict. disp.* 30 *nu.* 183. Dicastill. *tom.* 1. *de Sacram. tract.* 5 *disp.* 5 *numer.* 258. Cùm verò aliæ dentur Ecclesiæ, oratoria, & sacella ad quæ facile poterat adire ad onus capellaniæ ad implendum, ad id tenebatur; & per consequens ad supplenda sacrificia omissa.

QUÆSTIO XX.

An administrator capellaniæ residuo bonorum fundatoris uti possit, quando residuum ex dispositione fundatoris dispositio tradendum erat, vel in bonis immobilibus investiendum.

SUMMARIUM

1 *Facti species.*
2 *Præstat residuum in bonis liberis, datâ oportuna occasione, investire.*
3 *Non obstante disjunctivâ à fundatore allatâ.*

1 MAuritius in Ecclesia cujusdam conventûs capellaniam instituit temporalem, Prælatum ejusdem conventûs administratorem constituunt, stipendium capellano sufficiens relinquens in censu empto, apud domum publicam mercium vectigalium, *vulgo Alfandega*. Hac institutione in suo testamento condita; in Codicillo hanc indidit clausulam: *Declaro, quod licet in meo testamento juberem, quod solutis meis debitis, & impletis meis legatis, residuum bonorum meorum in Missis dicendis in altaribus Privilegiatis, & per monasteria distributis insumeretur. Nunc volo, & est mea voluntas. quod illud residuum in eodem conventu maneat ad supplementum alicujus defectus, si forte Censui meæ capellaniæ superveniat. Et hoc residuum manebit in depositio, aut in bonis liberis investietur, ut illorum redditibus dicto defectui, si forte occurrat, & meæ capellæ ornatui, suppeditetur. Et si dictus Census defectum non patiatur, ipsi redditus in privatis sacrificijs pro anima mea, & intentione, expendentur. Quoniam intentio mea est, nihil mearum Missarum executioni, reliquisque meæ capellæ obligationibus, desiderari, tam per censum emptum, quam per bonorum meorum residuum* Sic clausula codicillaris. Post fundatoris obitum ab Administratore, cum parte illius residui quoddam olivetum fuit emptum. Et paucis elapsis mensibus idem Administrator pretium, quo fuerat olivetum emptum, deposito restituit, olivetumque suo conventui appropriavit; & residuum juxta Regni consuetudinem receptam ad rationem census tradidit, interesse suo conventui comparando. Elapsis aliquibus annis Provincialis dicto contractui annuit, non in utilitatem conventus, ut antea, sed depositi. Statuitque ubi primum fors residui, & illius interesse ad tantam summam pervenissent, qua emi potuissent bona libera, quæ singulis annis redderent valorem quadrigentorum aureorũ, ad effectus à fundatore in suo codicillo designatos emerentur. Quæritur 1. Quid convenientius, habere dictum residuum in depositio, aut illud in bonis liberis investire? 2. An cum eo residuo in depositio habito, possit emi jus ad rationem census? 3 An possit tradi illud residuum ad rationem census, & conventui interesse comparari? 4. An potuerit Administrator emptionem oliveti rescindere, & pretium depositio restituere.

§. I.

Quid convenientius, habere residuum in depositio, aut in bonis liberis illud investire?

2 Respondeo, conveniens esse, data oportuna occasione residuum in bonis liberis investire. Primo, quia hujus electionis parte, non deficient sacrificia capellaniæ, & anima fundatoris pluribus Missis fruetur. Secundò, quia ex oppositio argui potest Administrator de negligentia,

gentia, & inertia, si occasionem opportunam investiendi residuum in bonis liberis è manibus elabi permittat. Et ob negligentiam, & inertiam illa servus damnatus fuit, qui domino peregre proficiscente *abscondit pecuniam domini sui Math.25.v.* 18. Maldon. in hunc locũ, *verb. Vacavit fol. mihi* 510. *in fine.* Et quamvis hic administrator ex optione sibi facta à fundatore, permittens, occasionem è manibus elabi, mortaliter non peccet; de negligentia tamen, & inertia excusari nequit.

3 Nec obstat, quòd fundator in sua dispositione codicillari utitur dictione disjũctiva, *aut*, ibi: *Residuum manebit in deposito, aut in bonis liberis investiatur*: sed quando dictio *aut* ponitur in aliqua dispositione, seu debito, inter duo, sufficit, quòd alter eligatur, ut constat *ex text. in regula*: *In alternativis debitoris est electio, & sufficit alterum ad impleri, de reg. jur. in 6. l. si heredi plures, ff. de condit. instrum. & l. si quis stipuletur ff. de verb signif.* & DD. apud Barbos. *tract. de diction. 46. n. 1. & seqq.* ergo administrator vel potest residuum habere in deposito, vel illud in bonis investire, ut sibi placuerit. Non, inquam, hoc obstat quia administrator tenetur res suæ administrationis non solùm conservare, sed illas augere, juxta dispositionem sibi commissam; & si ob negligentiam, aut inertiam hæc omittat, reprehensione est dignus.

§. II.

An cum eo residuo in deposito habito, emi possit census ad rationem juris aut bona immobilia?

SUMMARIUM

4 *Bona libera non coincidunt cum bonis immobilibus.*
5 *In dispositione fundatoris pro bonis liberis veniunt immobilia.*
6 *Census ad intentum testatoris non debent esse redimibiles.*
7 *Possunt emi irredimibiles.*
8 *Hæc resolutio non est dubia.*

4 Ex verbis codicilli constat, quod residuum ab administratore, potest investiri in bonis liberis, *num.* 1 ibi: *aut in bonis liberis investiatur.* Unde oritur dubium, an in bonis immobilibus investiri possit? Et ratio dubitandi est, quia bona libera non coincidunt cum bonis immobilibus, quia bona libera dicuntur, quæ nulli servituti sunt subjecta, & Deum solum recognoscunt, ut colligitur *ex l. illius, C. de servit. & aquæ.* & alijs leg. & bona immobilia sunt quæ moveri non possunt, ut prædium, domus. Card. de Lug. *de just. disp. 7. nu.* 66. Et dari possunt bona libera, quæ moveri possint; & bona immobilia, quæ alicui servituti sint subjecta.

5 In hac tamen dispositione pro eodem sumuntur bona libera, & bona immobilia, & pro bonis immobilibus bona libera debent intelligi à testatore, adducta in clausula codicillari Et hujus ratio est, quia dum oppositum clarè non constat, semper censetur, testatorem disponere juxta commune, Sanch. *l. 7. consil. cap. 1. dub. 48. num. 14. post medium*, Gabriel Pereyra de Castr. *decis. 8. num.* 3. Sed jus commune *in Decretis S. Congr. authoritate Vrbani VIII. editis 21. Junij* 1625. incipientibus *cum sæpe contingat*, de quibus mentionem faciunt Marchin. *de Ord. tract. 3. part. 2. cap. 15. num. 26.* Tamburin. *in Methodo celebr. Miss. l. 3. cap. 1. § 1 num. 7.* Henao de sacrif Miss. Barbos. Gobat. & alij plures *in §. Præterea* decernitur: *Quod bona mobilia à testatoribus relicta ad onus Missarum perpetuum, deponantur penes eadem sacram, vel personam fide, & facultatibus idoneam, ad effectum illa seu illorum pretium, quam primum investiendi in bonis immobilibus fructiferis*: ergo juxta hanc S. Congr. dispositionem, in qua noster describitur casus, bona libera, in codicillo testatoris, pro immobilibus fructiferis intelligi debent. Hoc supposito.

6 Respondeo, ad quæstionem cum distinctione: Nam census, qui emi possunt, vel sunt redimibiles, vel irredimibiles; si sunt redimibiles ad effectus à testatore intentos, emi nequeunt. Ratio est quia census redimibiles nõ veniunt nomine *immobilium*, ut cum Garcia; & alijs tenet Barbos. *de Appell. Verb. Immobilia num.* 2. sed bona in quibus investiri debet residuum mobile, debent esse immobilia fructifera, ut deciditur à S Congr. in dicto §. *Præterea*, & exigit testator: ergo in illis residuum testatoris investiri nequit.

Confirmatur, quia census redimibiles, nec sunt bona immobilia, nec libera: non sunt bona immobilia, quia possunt redimi, & removeri, non sunt bona libera, quia servituti sunt subjecta: ergo in illis residuum investiri non potest. Si tamen administrator census emat redimibiles, manent irredimibiles, & imbobiles quia illos redimere non potest absque licentia S. Congreg. nec etiam alienare.

7 Si tamen census sint irredimibiles, in illis residuum investiri potest. Primò, quia sunt bona immobilia, ut cum pluribus tenet Barbos. *cit. num. 1.* & inter immobilia computantur ut liquet *ex Clemen. Exivi, §. cumque annui redditus, de verb signif.* Secundò quia sunt bona fructifera, ut colligitur *ex Bull. B. Pij V. de censib.* dum eos imponi jubet in re fructifera: ergo. Sic Tambur. *cit. §. 6 numer. 8.* & satis probabile existimat Marchin. *de ord. supra n. 28. vers. Quæro tertiò.*

8 Nec obstat ipse Marchin. dicens, nostrã resolutionem non esse consulendam. Primò, quia dicti census minus proprie ab aliquibus DD. dicuntur bona immobilia. Secundo, quia expositâ forte, vix reperitur unus census perpetuus,

petuus, qui per centum annos duret. Non, inquam, obstat, quia dicta resolutio consuli potest, quia dicti census dicuntur immobiles, ut communiter docent DD. apud Barbos. *cit.* Etsi in aliquo detur periculum non durandi in perpetuum, ipse non est consulendus, quia non est irredimibilis; ex communi tamen praxi, constat, multos per centum, & ducentos annos durare.

§. III.

An possit tradi illud residuum ad rationem census, ut hujus Regni habet praxis, & interesse conventui comparari?

SUMMARIUM.

9 *Administrator non potest illum celebrare contractum: quia illi prohibetur.*
10 *Non potest, quia procedit contra S. Card. Cong. de mandato Urbani VIII.*
11 *Est nullum, quod procurator gerit contra mandatum sibi impositum.*
12 *Religiosis est prohibita negotiatio.*
13 *Sententia communis non procedit in præsenti casu; ut num.* 17
14 *Nec etiam textus in l. penult. C. siquis, &c.*
15 *Non excusatur administrator, quia testator nullum fuisset passum damnum; nec intercessit dolus, & citantur. DD.*
16 *A Provinciali dispositum de judicio prudentum non fuit validum.*
17 *Quod ut num.* 18. *nullum fuit à principio, nullum potuit producere effectum.*
18 *Administrator non potest ulterius in contractu procedere.*

9 In præsenti non agitur de validitate contractus dandi pecunias, ad rationem census pro interesse quinque pro quolibet centenario, ut hujus Regni habet praxis; de illo agendum ut in proprio loco, *infra disp.* 4. *quæst.* 1. Illo tamen supposito, procedit quæstio, An administrator dictæ capellaniæ potuerit dare illud residuum pecuniarum ad rationem census alicui personæ, interesse sibi, & suo conventui comparando? Respondeo, non posse. Moveor ex his tribus rationibus. Prima, quia administrator nomine testatoris, cum inire non poterat contractum, quia ad eum illi non concessit potestatem; ut ex verbis codicilli constat, ibi: *Nunc volo, & est mea voluntas, quod illud residuum in eo conventu maneat ad supplementum alicujus defectus, si forte in censu meæ capellaniæ superveniat. Et hoc residuum manebit in depositio, aut in bonis liberis investietur, ut illorum redditibus, &c.* Ex quibus verbis satis constat, facultatem non habere, nec habuisse ad dictum contractum; quia tantùm habebat potestatem, habendi illud residuum in depositio, vel ad illud in bonis liberis investiendum.

10 Secunda ratio; quia ut jam *supra num.* 5. dictum est, Decretis S. Card. cong. de mandato Urbani VIII. §. *Præterea*, jubetur, bona mobilia à testatoribus relicta, ad onus Missarum perpetuum deponenda esse penes ædem sacram, vel personam fide, & facultatibus idoneam, ad effectum illa quam primùm investiendi in bonis immobilibus fructiferis: sed residuum à testatore relictum erat ad supplendum defectum, si forte in capellania daretur, vel ad Missas pro sua anima celebrandas: ergo in ea æde sacra, vel penes ipsum administratorem, fide idoneum, deponendum erat [ut fruit] ut in bonis liberis investiatur; & hoc ultimum non fuit observatum, ut jubetur à S. Card. Congreg. & jubebatur ab ipso testatore.

11 Tertia ratio; quia administrator venit nomine procuratoris, ut patet *ex text. in capit. Salvator*, 1. *q.* 3. ibi: *Nomine verò procuratoris intelligit prafata synodus quemlibet Ecclesiasticarum rerum administratorem*; & *ex text. in l.* 1. *ff. de procurat. in principio*: Sed omne id, quod procurator gerit contra sibi impositum mandatum, est nullum *l. Diligenter ff. mandati*, & *l. cùm mandati C. mandati*, & DD. Bonacin. *disp.* 1. *de restit. in gener. q.* 6. *punct.* 6 *n.* 12. & plures, quos latè citat, & sequitur Barbos. *in collect. ad proximam cit. l. n.* 1. ergo administrator nulliter celebravit illum contractum, & suum non obijt munus, ut illi à testatore præcipiebatur, & juxta *l. cit. Diligenter.*

12 Quarta additur ratio, non respectu muneris administratoris, sed respectu personæ administratoris, qui erat Religiosus, & Prælatus illius conventus, in quo à testatore erat, seu fuerat residuum in depositio. Et cùm esset Religiosus eum celebravit contractum, ad illud interesse suo conventui acquirendum, qui est quædam negotiatio: Et omnis negotiatio Religiosis est prohibita *in cap. consequens* 88. *dist. cap fin, de vit. & honest. cleric. cap. Placuit* 21. *q.* 3. *cap. Canonum* 14. *q.* 4. *cap. sed neque*, 88. *dist. cap. secundum, ne clerici, vel Monach.* ubi Pontifex ait: *sub interminatione anathematis prohibemus, ne Monachi, vel clerici causa lucri negotientur.* & DD. Molin. *tomo* 2. *tract.* 2. *disp.* 340. Rebell. *de oblig. just. part.* 2. *l.* 9 *q. ult. sect.* 2. Card. de Lug. *de just. desp.* 26, *sect.* 3. *a n.* 23. & alij plures, quos affert, & sequitur Dian. 1. *part. tract.* 8. *resol.* 72. Sed dare pecuniam ad rationem census sub tanto, & tanto interesse, est negotiatio prohibita Religiosis, & clericis: ergo etiam ex hoc capite administrator eam residui pecuniam non poterat alteri dare ad rationem Census sub interesse. Nec obstat quòd ipsum interesse fuisset acquisitum non Religioso, sed conventui; aut depositio; quia sufficit, quòd causâ negotiationis fuisset acquisitum ipsum interesse à persona Religiosa. Vt evidens est, ex verbis adductis, *cap. secundum cit.*

13 Nec obstat, plures dari DD. asserentes, posse administratorem, & depositarium alienis

pecunijs negotiari, lucrum in suam utilitatem vertendo, dummodo hæ duæ observentur conditiones; prima ut administrator, & depositarius tantam in promptu habeant pecuniam, qua possint occurrere effectui, V. g. si forte detur in salario ad capellanum designato; secunda, ut cesset dolus, & fraus in acquirendo suo conventui illud interesse. Probatur primò, quia dictum residuum constabat pecunia, quæ de se non est fructifera, sed tantùm, ut subest alicujus industriæ: ergo si administrator, aut depositarius sua industria aliquod interesse acquirant, sibi acquirunt, & si fuerit Religiosus, suo monasterio, *cap.* 16. *Abbates*, 18. *quæst.* 2. ubi dicitur: *Omnia, quæ Monachus acquirit, ab eo auferenda, & hæc Monasterio pro futura*; & DD.

14 Probatur secundò authoritate *text. in l. penult. C. Si quis alteri, vel sibi habet*, ibi: *Qui aliena pecunia comparat, non ei, cujus nummi fuerunt, sed sibi, tam actionem empti, quam dominium si ei fuerit tradita possessio, quærit.* Ex quibus verbis clarè constat, administratorem, & depositarium non alteri, sed sibi, aut suo conventui comparare, & quærere.

15 Nec ex celebratione dicti contractus, residuum passum fuit damnum, nec periculum: non passum fuit damnum; quia lucrum non cessavit, quia administrator, ex clausula codicillari, non tenebatur illud in bonis liberis investire; nec passum fuit periculum; quòd si daretur à conventu erat resarciendum. Nec etiam in hujus contractùs usu aliquis intercedit dolus, aut fraus, nam administrator suo utendo jure nulli fecit injuriam, ut cum pluribus Barbos. *tract. de Axiomat.* 135. *numer.* 8. Et pro hac resolutione videntur stare omnes Doctores asserentes, depositarium negotiantem cum pecunia deposita, sibi, & non deponenti comparare. Sic cum pluribus Molin. *tract.* 2. *disput.* 327 *vers. Secunda sententia*, & *disp.* 524. *ad finem*, Card. de Lug. *de just. disp.* 33 *numer.* 4. Castr. Palaus *tom.* 7. *tract.* 32. *disput.* 3. *punct.* 3, *numer.* 2. Fragos. *de Regim. Reip. Christ. disput.* 22. *numer.* 21. Dian. 1. *part. tract.* 8. *resol.* 32. asserens, posse procuratorem, vel alicujus domini famulum, cum illius pecunijs negotiari, & lucrum in suam utilitatem vertere: ergo idem poterit dictus administrator, & depositarius nempe negotiari cum pecunijs residui in deposito positis, lucrum, & interesse in sui conventus utilitatem vertendo.

16 Hæc confirmantur ex Provinciali hûc conventum visitante, & disponente de judicio prudentum illius conventus, quòd contractus in eodem statu permaneret; at lucrum, & interesse annuale acquisitum, & acquirendum depositò traderetur. Et cùm ex sorte, & lucris ea conficeretur summa, quæ in bonis immobilibus investita, habere potuisset in redditibus quadrigentos ducatos singulis annis, cessaretur à contractu, & dicta bona emerentur: ergo censuit Provincialis contractum fuisse validum, & licitum, licèt minus decens, quòd conventus sibi illa lucra comparasset; & ea de causa de lucris aliter disposuit.

17 Non, inquam, obstant hactenus dicta *a numer.* 13 quia sententia, quæ concedit depositarijs negotiari cum pecunijs alienis, & lucrum sibi acquirere, procedit, quando non datur prohibitio in deponentibus ipsas pecunias; ex qua ratione Thesaurarij, & depositarij Regis peccant mortaliter negotiantes cum pecunijs Regis, etsi in negotiatione Regi aliquod inferatur damnum, tenentur ad restitutionem, ut *infra disp.* 4 *quæst.* 102. *numer.* 12. ut cum Molin. *de just. tract.* 2 *disp.* 402. *in fine*, & Salas, quos affert, & sequitur Castr. Palao *tom.* 7 *disp.* 7 *punct.* 3 *numer.* 5. at in præsenti casu depositarius potestatem non habebat ad negotiandum cum pecunia residui, quia ex dispositione testatoris, permanere debebat in depositò, vel in bonis liberis investienda, ut patet ex dictis *numer.* 90. & ex Decreto S. Congreg. de mandato Urbani VIII. *de quo numer.* 10. & ex jure, quia Religiosis prohibitum est negotiari, ut diximus *num.* 12. Et quia non solùm erat residui depositarius, sed etiam administrator, & procurator bonorum capellaniæ, ut *numer.* 11. vidimus, & nulliter illum celebrabat contractum, hæc omnia transgrediens, ad quæ ex suo munere tenebatur. Quare non solum peccavit mortaliter, sed nulliter talem inijt contractum.

18 Nec Provincialis aliter poterat statuere circa illa lucra, & interesse dicti contractus acquisita, & acquirenda; quia ad effectus capellaniæ non pertinebant: quod enim à principio nullum fuit, post licentiam, & patientiam Provincialis nullum producere poterat effectum. Barbos. *tract. de Axiom.* 164. *numer.* 1. & *seqq* ex ipso jure, & DD. Nec error, quo procedit, aliquod jus Capellaniæ tribuit, quia ex errore ortum fuerat: error autem excludit consensum. Barbos. *cit. Axiom.* 82 cum pluribus, & qui erat, non consentit, nec censetur concedere, quod non est in sua potestate *l. si procurator ff. de acquir. rer. domin.*

19 Ex dictis conclusio sit, administratorem non debere ultra progredi in eo contractu, & ut cesset aliquod scandalum, & observetur justitia commutativa, interesse ex eo contractu requisitum, cui ex jure debetur, restituere debet. Nullo tamen modo suo conventui aliquid applicet. Legat. Barbos. *in collect. ad l. si quis ad declinandum C. de Episc. & cleric.* ubi sic: *Administratores rerum jamtarum commoda propria, non sacra sectantes Nemesim divinam, ac humanam metuant.*

§. IV.

§. IV.

An potuerit administrator emptionem oliveti rescindere, & pretium depositò restituere?

SUMMARIUM.

20 *Non potuisset, ratione, & jure ostenditur.*
21 *Testamentarius, & negotiorum gestor ex bonis testatoris, & negotiorum emere sibi, aut alijs non possunt.*
22 *Administrator suo conventui olivetum capellaniæ emens, pœnas alienantium bona Ecclesiastica non incurrit.*
23 *Administrator olivetum capellaniæ restituere, & fructus per id tempus acquisitos ex pendere in operibus à testatore præscriptis tenetur.*

20 Respondeo, non potuisse. Ostenditur primò: Quia ex dispositione clausulæ codicillaris, potestatem habebat ad emendum olivetum; & post emptionem, ad rescindendam illam non habebat. Constat ex verbis dictæ clausulæ *num.* 1. ibi: *Hoc residuum manebit in depositò, aut in bonis liberis investietur, ut illorum redditibus dicto defectui, si forte occurrat, & meæ capellæ ornatui suppeditetur. Etsi dictus census defectum non patiatur, ipsi redditus in privatis sacrificijs pro anima mea, & intentione expendantur*: celebratâ ergo emptione circa bona libera, nempe olivetum, & possessione capta, ex vi dictæ clausulæ testatoris, ad quam emptionem facultatem habebat depositarius, & administrator fructus oliveti expendi debebant in Missis pro anima testatoris, vel capellæ ornatu, si illo indigebat: & non ad illud vendendum, nec conventui emendum; cum jam ad bona capellæ in perpetuum transissent, ex dicta clausula; expressè habetur *Ord. Reg. l.* 1. *tit.* 62. §. 46. ibi: *observabitur, quòd tale compromissum, testamentum, & institutio jusserit.* & benè colligitur ex *Ordin. l* 3. *tit.* 93. *in principio*, est melius *ex* §. 1. & tradit Fragos. *part.* 2. *Regim. Reip. Christian, disp.* 21. §. 4. *num.* 2.

21 Secundò ostenditur, non potuisse eum administratorem suo conventui emere dictum olivetum, postquam fuit à se emptum, nomine capellæ, ex duplici titulo. Primò, quia erat veluti executor testamentarius, & huic prohibitum est, sub aliquibus pœnis, bona testatoris sibi, & alijs etiam per interpositam personam emere. *Ordin. Reg. l.* 1. *tit.* 62 §. 7. Secundò quia etiam prohibitum est, aliena negotia gerentibus, etiam per interpositam personam, sibi emere de rebus, circa quas, negotia gerunt; idque sub aliquibus pœnis. *l. In emptione*, §. *ult. & l. Non licet, ff. de contrahend. empt.* Molin. *tract* 2. *disp.* 248. *in fine*, & *disp.* 343. *vers. Executoribus* Et administrator negotia aliena, nempe dictæ capellæ, gerebat. Et quamvis hæ leges sint mixtè pœnales; & probabile sit, legem purè, & mixtè pœnalem in conscientia non obligare, ut cum pluribus tradit Dian. 1. *part. tract.* 10. *resol* 18. & 20. alij tamen probabilius existimãt in foro conscientiæ obligare, sic plures apud Dian. Sanch Vasq. & aliquos refert, & defendit Moya *in qq select. tom.* 1. *tract.* 6. *a n.* 28.

22 Censeo tamen in ea emptione Oliveti à capella jam possessi, ab administratore facta, pœnas alienantium bona Ecclesiastica non contraxisse; quia ut illas contraheret, debebat ipsum olivetum esse bonum capellæ, Episcopi authoritate erectæ; at olivetum non erat bonum capellæ Episcopi authoritate erectæ; & sic non venit nomine bonorum Ecclesiasticorum. Sic cum Rivio Bonacin. *tom.* 1. *disp.* 2 *de alien. bonor. Ecclesiast. q unic punct.* 2. *n.* 10. *in fin.*

23 Ex tradita resolutione, sequitur administratorem teneri oliveti emptionem rescindere: sibi, & conventui pecuniam reassumere; & depositò restituere redditus, quos ex oliveto Capellæ acquisivit per id tempus, à quo illud alienavit, & alienatum possedit, & illos expendere in Missis pro anima, & intentione testatoris, in casu, quo Census capellæ, aut illius ornatus nulla patiantur incommoda, juxta ea, quæ in codicillari clausula habentur.

QUÆSTIO XXI.

An nominatus ad capellaniam cum potestate nominandi filium, aut filiam, & determinate filium clericum, si habuerit; & non habens filios, consanguineum ex familia possit nominare, non obstante quòd habeat fratres, & etiam non obstante clausula codicillari, quòd nominetur masculus, possit fœminam nominare?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Non obstante, quòd habeat fratres, probabile est, quod possit nominare consanguineum ex familia, licèt sit ex linea institutricis fœminæ.*
3 *Quando institutrix loquitur de linea, intelligitur de sua propria.*
4 *Probabilius est nominandum esse fratrem, aut nepotem fratris.*
5 *Si Lucas in vita nullum nominet consanguineum, nominatus censetur frater senior.*
6 *Institutrix in sua dispositione potuit nominationem determinare.*
7 *Lucas non tenetur clericum nominare.*
8 *Clausula, si nominaretur clericus oblectamentum caperem, obligat in utroque foro.*
9 *Verba in fine dispositionis, diriguntur à præcedentibus.*
10 *Facta nominatione in uno consanguineo, clericus contra non potest procedere.*

1 URsula, nullos habens filios, capellaniam instituit in sacello S. Antonij, cui omnia sua bona annexuit; cũ onere vigin-

ti Missarum singulis annis in perpetuum, & ornandi dictum sacellum omnibus necessarijs, ut cultus, & Missæ in eo non deficiant. Petrum nepotem ex fratre administratorem nominavit, cum potestate, quòd per suam mortem nominasset filium, aut filiam, qualem voluisset. Et si illos non haberet, consanguineum ex linea, qualem sibi placuerit. Et nominatus eodem modo nominasset filium, aut filiam, ut vellet; etsi illos non haberet, nominasset consanguineum ex linea, qualem velit. Et si filium clericum haberet, voluptatem, & gaudium caperet, si illum nominasset, & similiter quicunque alij ex nominatis. In codicillo autem disposuit, quód si dictus Petrus filios non habuisset, nominasset consanguineum masculum ex linea Petrus primò nominatus, filios habuit, & filium suum Lucam sacerdotem nominavit, qui nunc vivit, fratres habens, & nepotes ex ipsis fratribus. Ex linea materna Vrsulæ, vivit sacerdos nominari desiderans. Quæritur 1. An Lucas non obstante, quòd fratres habeat, & ex illis nepotes, possit nominare alium consanguineũ ex linea Institutricis, Etsi in ea sit clericus, illum nominare teneatur? 2. Si à Luca non nominetur; possit apud Iudicem hanc administrationem contendere.

§. I.

An non obstante, quòd Lucas sacerdos fratres habeat, & ex illis nepotes, nominare possit alium consanguineum ex linea institutricis; & si in ea sit clericus illũ nominare teneatur.

2 Duas continet partes titulus quæstionis. Ad primam respondeo, probabile mihi videri, posse Lucam nominare ad dictam capellaniam consanguineum ex linea institutricis. Ratio est, quia Lucas nullos habet filios, & de illo inquit Institutrix, in dispositione sui testamenti sic: *Et nominatus eodem modo, nominaret filium, aut filiam, ut vellet; etsi illos non haberet, nominasset consanguineum ex linea, qualem vellet*, ut habetur *num.* 1. Sed Lucas à suo parente Petro nominatus nullos habet filios; ergo nominare potest consanguineum [si velit] ex linea institutricis.

3 Nec obstat dicere, institutricem mentionem non fecisse expressè de sua linea, idest de sua familia, seu generatione, unde videtur se velle in his nominationibus sequi lineam, seu familiam Petri, utpote masculinam & id videtur expressisse in codicillo, dum inquit ibi, *quòd si Petrus filios non habuisset, nominet & filium masculum ex linea.* Non, inquam, hoc obstat: nam quando institutrix loquitur de consanguineo lineæ nominando, meritò possumus interpretari, se loqui de sua propria linea, & non de linea Petri ex fratre nepotis, nam sua magis amatur, quam aliena; quamvis fratris ut eleganter fatetur Gabr. Pereyra Cast. de *decis. 8. num.* 3 ibi: *Quod mentem testatoris, qua in omni dispositione prius observatur, ex forma dispositionis, & verbis interpretamur, juxta juris communis præcepta, secundum quod: si testator ad successionem vocat stirpem, familiam, & genus, de suo sentire intelligimus, non verò heredis, Boro consil. 176. n. 22. l. 2. Roman. decis. 649 Ripa in l. Ex facto, n. 6. ff. ad Trebell sic* Gabriel Pereyr. ergo cũ institutrix, seu testatrix loquitur de linea, intelligit de sua, non solùm ex parte patris, sed etiam matris.

4 Dixi *probabile mihi videri posse Lucam nominare ad dictam capellaniam consanguineum ex linea institutricis, si velit*; quia probabilius mihi videtur, teneri nominare unum ex suis fratribus, vel illorum filijs. Ratio est, quia prima nominatio, quam institutrix fecit de persona Petri ex fratre nepotis inquit: *quòd si Petrus filios non habuerit*, &c. At Petrus plures habuit filios, & habet, præter Lucam jam nominatum: unũ ex his ergo debet nominari à Luca, aut aliquẽ ex eorum filijs, sic enim sequitur lineam institutricis masculinam, quam maiore amore prosecuta fuit, nominando primo loco Petrum, & postea suos filios; & cũ adhuc dentur filij ejusdem Patris, ex his, & suis filijs (quem velit) debet Lucas nominare, qui sunt ex linea ex parte patris institutricis, & nõ aliũ cõsanguineũ ex linea ex parte matris; nam in his capellarum administrationibus, ut proprius finis attenditur familiarum conservatio, ut videre est apud Molin. *de primog. l. 1. cap. 11. n. 4.* Et quamvis loquatur de maioratibus, quod de his dicitur, de administratoribus capellarũ dicitur, quando eæ capellæ nõ sunt beneficia, qualis nõ est hæc, de qua agimus, ut cũ pluribus tenent ipse Molin. *cit. cap. 7. n.* 10 Fragos. 3. *part. regim. Reip. Christ. l. 9. disp. 20. § 5. n. 28.* Et si filiam legitimam habuisset, illam poterat nominare, quia clausula codicillaris ad solum Petrum ejus parentem restricta fuit.

5 Confirmatur: quia si Lucas dũ vivit, nominationem non fecerit, ad dictam capellaniam senior illius frater nominatus censetur. argum. *Ordin. l. 4. tit.* 100. § 2. *& l. 4. tit.* 38. §. 2 & sentiunt Gama *decis. 258. n.* 4 Molin. *de primog. l. 3. cap. 9 n. 2.* Mena *concl.* 1 *& decis. 354. n. 9.* Gabriel Pereira de Castr. *dict. decis. 8 n. 1.* & ita fuit judicatum in quadam causa de qua *quæst. sequẽti num.* 1.

6 Dixi *n.* 4 posse Lucam nominare filiũ, quẽ voluerit, ex suis fratribus, omissis eorũ parentibus, quia institutrix ordinem successionis sequi noluit, sed ordinem nominationis, ut poterat juxta *text. in l. Unum ex familia, § si de lege falcidia ff. de legib.* 2. ibi: *Eodem, vel dispari gradu*, Molin. *de primog. l. 1. cap. 4 n. 31.* ex alijs & ex se *dict. l. cap. 4. n. 37. & l. 2 cap. 5. n. 3.* Molin Theol. *tom. 3. tract. 2. disp. 592. nu. 1. 2. & 3.* Gabriel Percyra *proximè*; & quilibet filius eorum fratrum est de linea institutricis.

Reso-

Resolutio secundæ partis tit. quæstionis

7 Ad secundam partem, in qua inquirebatur: si in linea institutricis, sit aliquis clericus, teneatur Lucas administrator Capellaniæ, illum nominare? Respondeo non teneri. Ratio est, quia institutrix sic ait in dispositione Lucæ nominati à Petro suo parente: *Et si filium clericum haberet, voluptatem, & oblectamentum caperem, si illum nominasset, & quicunque alij, ex nominatis.* Quæ verba diriguntur tantùm ad nominatos, qui filium clericum habuerint, ut expressè constat ex ipsis verbis: at Lucas nominatus nullos filios habet, ut jam *supra* diximus; & quando verba dispositionis sunt clara, interpretationem non admittunt, juxta *textum in L. Licet imperator ff. de Legat. 1. & L. Ille, aut ille ff. de legat.* 3. Solùm enim quando sunt dubia datur locus interpretationi, juxta *l. 2. §. fin ff. de his, quæ in testamento delentur, & l. in his, quæ ff. de condit. & demonstrat.* & DD. quos afferunt, & sequuntur Perez de Lara *de Anniversf. & capell. l. 1. cap. 3. numer.* 32. Barbos. *tract. de Axiom. 222 n. 32.*

8 Mehercule hâc resolutionem limitarem si ea verba non essent maximè clara, quia fateor, alia dictæ dispositionis verba: *Voluptatem, & oblectamentum caperem, si illum* [nempe clericum] *nominasset* in utroque foro obligare, quia in fideicommissis, qualis est materia de qua agimus, sufficit manifestatio voluntatis, ut obliget fideicommissarium, ut constat *ex l. Penult. ff. de legat. 1.* ibi: *Sola enim voluntas servatur in fideicommissis*, Gloss. ibi: *Verb. voluntas*; Molin. *de primog. l. 1. cap. 1. numer. 9. vers. Nec etiam.* De hoc infra latius *disp. 4. quæst 70. a num. 4.* ubi alia jura, & DD adducentur.

9 Nec obstant verba: *Et quicumque alij ex nominatis*; in quibus velle videtur institutrix, quod omnes nominati, ad illam capellaniæ administrationem, nominent clericum, si in linea familiæ detur. Non, inquam, obstant dicta verba, quia referuntur ad præcedentia verba, in quibus dixerat; *Et si filium clericum haberet, voluntatem, & oblectamentum caperem, si illum nominasset*; *& quicumque, &c.* & cum Lucas ultimo nominatus filium non habeat clericum, nec alios, ad illum non extenduntur ea verba, sed ad illos, qui fuerint nominati, & filios clericos habuerint: quare ea verba sequuntur præcedentia *juxta textum in l. Utrum ff. de petit. hered. l. Qui filiabus, in principio, & l. si servum, §. fin. ff. de legat. 1.* & DD. apud Barbos *proxime numer.* 48. & per illa declarentur. Valasc. *consult.* 82. *num.* 12.

§. II.

An si clericus lineæ Institutricis à Luca nõ nominetur, apud judicem administrationem contendere possit.

10 Ex dictis patet resolutio? Nam Lucas, vel in vita, & causâ mortis, sive in testamento potest nominare, vel nullum nominare. Si nullum consanguineum nominet, censetur nominatus illius frater senior ut dictum est *numer. 5.* Si in vitâ, & causâ mortis; nominatio habebit effectum post mortem Lucæ. Et in his casibus recurrere ad judicem sine aliqua probabilite, non licet, & quamuis, ut *supra* dixi probabilitatem habere, ut nominetur à Luca; illam non habet altero consanguineo de linea nominato, jam illam nominationem non potest prætendere. Hoc sentio, alios consulat. Nam si advocatus aliter consulere non potest, juxta ea, quæ de illo tractant Card de Lug. *de Just. disp.* 41. Fragos. *tom. 1. l. 5. disput.* 13. §. 10. *a numer.* 232. Fagund. *in* 8. *decal. præcept. l.* 8 *cap.* 38. nec ego á fortiori, qui pro foro conscientiæ principaliter consulo.

QUÆSTIO XXII.

An per apprehensionem possessionis bonorum Capellæ liberæ nominationis, aliquod jus acquisierit consanguineus institutoris ex titulo maioratus?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Per sententiam latam in proprietate capellæ, hæc causa transijt in rem judicatam.*
3 *In capella liberæ nominationis succedit heres ab intestato, & non consanguineus proximior institutori.*
4 *Bona capellæ nõ semper cẽsentur bona maioratus*
5 *Bona capellæ, ex eo quòd sint vinculata, non sunt constitutiva maioratus.*
6 *Ostenditur exemplis apud Valasc. & Gam.*
7 *Oppositum videtur decidi ab Ordin.*
8 *Sed non deciditur, & illius sensus explicatur.*
9 *Rationes consulentiũ nihil probant, non prima.*
10 *Nec secunda.*

1 SAcerdos de suis bonis capellam instituit; circa administratorem illius, sic in suo testamento disposuit. *Capellam quam de bonis meis instituo, Mariæ meæ fratris filiæ relinquo cum onere medij Missarum annalis. Administrator, seu administratrix, quem nominaverit, ad integrum annalem tenebitur.* Maria nominavit Annam ad ministratricem filiam suæ consobrinæ, nullam cognationem cum institutore habentem; cui mortuæ ab intestato filius in administratione successit. Ab Hilarione contra illum mota fuit lis (erat enim Hilarion

consanguineus de linea institutoris.) At adversus Hilarionem, tam in prima instantia, quàm in senatu, lata fuit sententia. Mortuo autem filio Annæ nominatæ absque descendentibus, & ab intestato; filius Hilarionis defuncti, & jam in hac causa succumbentis, possessionem bonorum capellæ apprehendit, non obstante, quòd administrator defunctus sororem habebat, quæ ab intestato suo fratri in omnibus bonis, etiam capellæ successerat. Inter illam tamen, & filium Hilarionis bonorum capellæ possessorem, bona, & onera capellæ, facta compositione, bipartita fuerunt. Possessori verò nulla conscientiæ dabatur quies. Iurisconsultum, & quemdam theologum consuluit; qui suis scriptis asseruerunt, in conscientia tutum permanere posse; ex eo fundamento, quia deficiente capellæ nominatione, illi non erat successurus jure sanguinis ultimus nominatus, sed institutoris. Novissimè ad me recurrit, inquirens §1. Quis succedere debeat in dicta capella, soror ne ultimi administratoris defuncti, nullam cum Iustitutore habens consanguinitatem, aut filius Hilarionis, institutoris proximioris consanguineus? 2 An filius Hilarionis pro se habeat, aut habere possit aliquam probabilitatem, ex capta possessione, & ex compositione facta, cum sorore defuncti, sponte, absque vi consentiente? 3. Ad quam restitutionem teneatur, ut securus in conscientia existat?

§. I.

Quis succedere debeat in dicta capella, soror administratoris defuncti nullam habens cognationem cum institutore, aut filius Hilarionis institutoris consanguineus proximior?

2 Respondeo, in ea capella successuram esse sororem administratoris defuncti ab intestato, quamvis non sit ex familia, nec sanguine institutoris. Hæc resolutio est certa. Ostenditur primò, quia eademmet causa jam fuit agitata, inter Hilarionem ex sanguine institutoris, cum filio Annæ ab intestato succedente, nullam habente cognationem cum institutore; & in inferiori, & supremo senatu Hilarion succubuit: ergo idem dicendum de filio Hilarionis agente contra sororem administratoris. Nam per sententiam latam in proprietate istius capellæ, hæc causa transivit in rem judicatam; & eadem ratio in illis tribunalibus ad sententiam ferendam allata eandem habet vim in causa filij Hilarionis, & sororis administratoris defuncti: sententia autem definitiva, & ultima circa proprietatem, quæ transivit in rem judicatam, pro veritate habetur, *l. Res judicata ff. de reg. jur.* & facit rem notoriam. Mascard. *conclus.* 1296. *a num.* 14. Gama *decis.* 110. *num.* 5. & habet vim legis, & consuetudinis, Gama *decis.* 174. *numer.* 10. & præsumitur justè lata, Cald. *de empt. cap.* 34. *num.* 40. Ludovic. Rodolphin. *vot. unico, num.* 9. quos congerit, & approbat Emman. Barbos. *in remiss. ad l.* 3. *Ordin. tit.* 66. *num.* 1. & Felician de Oliva, *de fore Eccles. q.* 1. *q.* 16. *num.* 1. asserens sententiam validam, licet injustam, & contra jus litigatoris, ex ipso jure transire in rem judicatam, & facere jus inter partes *ex textu in cap. Inter monasterium, de sentent. & re judic.* ubi Abbas, & omnes *in cap. cum inter, eod tit.* ergo cum sententia lata in hac capella sit in suo esse, & in terminis sit eadem, quæ inter filium Hilarionis, & sororem administratoris, nunc agi poterat apud Iudices; dicendum est, ipsam sororem administratoris successuram esse in administratione suo fratri, quanvis non sit ex sanguine institutoris; & successurus non est filius Hilarionis, licet ex illius sanguine sit.

3 Secundò ostenditur, ex fundamento allato in ea sententia; quia in illo dicebatur; institutorem potestatem nominandi liberam, & non limitatam tribuisse; nec in nominatione familiam, aut consanguinitatem respexisse, quia fæmina primo loco ab eo nominata, cum potestate nominandi administratorem, sive administratricem, nullos habebat descendentes. Addo ego in capellam, aut aliam dispositionem de libera nominatione, si administrator, vel possessor decedat, sine facta nominatione, proximiorem administratori, vel possessori censeri nominatum *argum. Ordin. l.* 4. *tit.* 100. §. 2. *& l.* 4. *tit.* 38. §. 2. ubi proximiorem decedenti præfert alijs de sanguine instituentis; & DD. Gama *decis.* 258. *num.* 4. Flores de Mena *conclus.* 1. *& decis.* 354. *numer.* 9 Molin. *de primog. l.* 3 *cap.* 9 *num.* 2. quos affert, & sequitur Gabriel Pereyra de Castr. *decis.* 8. *num.* 1. *in fine.* Sed dicta capella est liberæ nominationis, ut constat ex lata sententia; & illius administrator decessit, nullâ factâ nominatione, ergo illi succesura est illius soror proximior, quanvis non sit ex sanguine capellam instituentis.

4 Tertiò ostenditur, quia institutio hujus capellæ non fuit institutio maioratus, nam omnis res præsumitur minus subjecta, ut communiter docent DD. citatis pluribus docent Valasc. *tom.* 1. *consult.* 82. *numer.* 6. Gama *decis.* 224 *num.* 7. Perez de Lara *de Anniver. & capell. l.* 1. *cap.* 4. *num.* 17. Molin. *de primog. l.* 1. *cap.* 11. *num.* 11. Fragos. *tom* 1. *disp.* 19. §. 3. *numer.* 1. ergo cum non constet fuisse ab institutore maioratum institutum; & expresè constet fuisse capellam, pro illa standum est, ut minus subjecta, & magis libera, quam sit maioratus.

5 Quartò ostenditur; quia non rectè arguitur ex eo, quod bona capella sint vinculata, maioratus esse constitutiva; quia id habent ex onere Missarum: nam sicut onus Missarum est individuum, ita oportet, quod illius bona

non

non dividantur. Et ad hanc individuitatem facit *lex Cui fundus, ibi in fin. in eo vero, quod uni sub conditione legatum est, scindi ex accidenti conditio non debet, & omnis numerus eorum, qui in locum ejus constituuntur pro singulari persona habendus est ff. de condit. & demonstrat.* Ex quo textu colligunt DD. Valasc. Gama, & alij *mox citandi*; ubi datur oneris impositio, individuitatem bonorum dari debere, & nos diximus *sup. q.* 10, *num.* 4. & 5. sed in præsenti casu datur onus annuale Missarum super bonis capellæ designatis: ergo sicut onus est unum indivisibile, ita & bona indivisibilia esse debent.

6 Quintò ostenditur ex non paucis sententijs in hoc Regno latis, & his temporibus receptissimis in tribunalibus, quamvis olim aliter judicaretur; ut videre est, apud Alvar. Valasc. *consult.* 82. *num.* 2. Gama *decis.* 30 & 224 *num.* 8. & 48. *num.* 8. & alios; in quibus sententijs bona, sub onere Missarum relicta juxta eos DD. & senatorum placita, maioratum non constituerunt, & tamen verba institutorum magis ad maioratum, quam nostri institutoris propendebant.

7 Nec obstat adducere in favorem filij Hilarionis textum *Ordin. Regia in l.* 1 *titul.* 62. §. 53 ubi deciditur, ut omne tollatur dubium, quid sit maioratus, & quid sit capella? Et de maioratu sic: *Declaramus esse maioratum, si in institutione bonorum a defunctis facta, dicatur quod ex redditibus suorum bonorum certæ aliquæ Missæ celebrentur, & residuum maneat penes ipsum administratorem, seu possessorem. Sive etiam quando instituens dixerit, quod prædicta bona administratoribus reliquit, cum certo Missarum onere, aliarum ve piarum causarum.* Et de capella sic. *Quod si in institutione legatur, quod aliquam fructuum portionem, seu quotam sibi habeant administratores, & reliqui fructus expendantur in celebrationem Missarum, aut alias pias causas, talis institutio erit capella.* Sic textus. Sed institutio à dicto sacerdote ex suis bonis designatis facta fuit circa certum Missarum onus, residuo reddituum manente penes administratorem: ergo maioratus, & non capella censetur institutus. De hoc textu, & probatione in suis consultis mentionem non fecerunt jurisconsultus, & Theologus consulti à filio Hilarionis; qui sanè ad speciem videbatur efficax ad suum intentum; & plures olim ex illo latæ sunt sententiæ, in tribunalibus, ut proximè *ex cit. DD.* dictum est.

8 Non, inquam, obstat, adducere eum textum, quia illius intellectus, non ita nudè accipiendus est, sed vestitus illis, quæ necessario ad instituendum maioratum requiruntur, & sine quibus natura, seu essentia maioratus non intelligitur. Hæc enim ab illius definitione deducuntur, quam ex communi usu tradit Palaes *de maiorat. in principio num.* 4. & quoad substantiam, illum sic definit: *Maioratus est quoddam vinculum perpetuum relictum à patre, vel matre, vel ab alio extraneo, onere adjecto, quod bona titulo maioratus relicta indivisibilia, & inalienabilia sint, & ut ad maiores natu deveniant; & ut tandem bona vinculata perveniant ad successores in infinitum.* Et cum hac definitione cohærent ea quæ affert Molin. *de primogen. l.* 1. *cap.* 5. *& cap.* 1. *num.* 22. de qua ad idem intentum mentionum fecimus *supra q.* 16. §. 1. (qui § in totum videndus est, utpote pertinentens ad explicationem hujus textus] sed in prædicta dispositione nulla facta est mentio de familia, nec de primogenitis, sed tantum de sobrina Maria cum potestate nominandi administratorem, seu administraticem capellæ, qui ex bonis ipsi annexis onus subiret Missæ quotidianæ in perpetuum; seu ut dicebat annale Missarum. Ex quo patet maioratum non instituisse, sed tantum capellam, quæ ad nominatos ab administratore pervenisset. Et sic his temporibus intelligitur ille 5. Ordin. Regiæ, & quamvis olim, juxta illum, ut jacet, in tribunalibus judicaretur; his tamen temporibus in tribunalibus receptissimum est sic practicari. Sic Alvar. Valasc. *cit. dicta consult.* 82. *num* 8. Gama *dicta decis.* 30. & alijs supra adductis. Idem colligitur ex Molin. Theol. *tom.* 3. *maiorat. disp.* 576. *num.* 15. dum refert dictum textum Ordin. Regiæ, & alijs DD. quos afferunt citat. & *infra* adducentur. Vide quæ dicta sunt *dicta q.* 16 §. 1.

9 Nec etiam obstant rationes allatæ à consulentibus insistentibus, dispositionem dicti sacerdotis fuisse maioratus institutionem. Non inquam, obstant, non prima, quia verba testamenti familiæ conservationem, nec primogenitos respiciunt, ut *supradictum est*, & meritò per sententiam latam contra Hilarionem fuit definitum.

10 Non secunda, quia ex eo, quòd bona illius capellæ manerent vinculata, non inducitur maioratus, nec id rectè probatur ex *Ordinat. l.* 4. *tit.* 100 §. 1. *&* 2. sed ex §. *sequenti*, in quo decernitur, *dicta in ijs* §§. non habere locum, quando institutor aliter dispositum; & institutor, ut ex dictis liquet, noluit maioratū instituere, sed capellam cum onere Missarum; & ex hoc onere non induci maioratum, tradūt Alvar. Valasc, *consult.* 82. *à num.* 6. Gama *decis.* 30. *à num.* 1 & *decis* 48. *num.* 1. & *decis* 224. *n* 8. & *decis.* 286. *num.* 1. & relatis Flores de Mena, Salazar, & alijs Perez de Lara *de Anniversf. & capell. l.* 1. *cap* 4. *num.* 15. Menoch. *cons.* 85. apud Fragos. *tom.* 3. *de Regim. Reip. Christ disp.* 19 §. 3. *num.* 1. & *supra* jam adducti *numer.* 4. Ex his evidenter constat, justè latam fuisse sententiam contra Hilarionem, & eadem ferretur contra illius filium, in quo datur eadem causa contra administratoris defuncti sororem.

§. II.

An filius Hilarionis pro se habeat, aut habere possit aliquam probabilitatem ex capta possessione, aut ex compositione facta cum sorore defuncti, sponte, & absque vi consentiente?

SUMMARIUM.

11 *Non habet probabilitatem ex apprehensa possessione.*

12 *Ipsum jus resistit ex sententia lata contra ipsius patrem.*

13 *Non habet probabilitatem ex compositione cum sorore administratoris facta.*

14 *Transactio, ut sit valida, debet esse de re dubia*

15 *Invalida est transactio facta ad redimendam vexationem.*

26 *Fuit etiam invalida, quia fuit circa bona vinculata sub onere Missarum.*

11 Respondeo, filium Hilarionis in sui defensionem nec habere, nec posse habere probabilitatem, ex capta possessione, nec ex compositione cum sorore defuncti facta. Prima pars constat: quia filius Hilarionis capiens possessionem bonorum capellæ, illam cepit, & incepit possidere mala fide: vel enim erat certus ex lata sententia adversus suum parentem, vel dubius: sed qui incipit certus, aut dubius possessionem rei, cujus non est dominus, sed alterius, cujus antecessores illam legitimè possederunt, est possessor malæ fidei, ut communiter tradunt DD. Molin. *tom. 1 tract. 2. disp. 35. vers. Verum*, & *disp. 36 in fine*, Sylvest. *Verb. Possessor, num. 1* & alij, quos refert, & sequitur Fragos. *tom. 1. de regim. reip. Christ. disp. 10. nu. 204. vers. Longè aliter*: ergo ex dicta possessione probabilitatem non habet, nec habere potest.

12 Nec obstat communior possessionis definitio, sic habens: *Est rei corporalis detentio, corporis, & animi, jurisque adminiculo*, apud Cardin. de Lug *disp. 2. de Iust. num. 59.* & Castr Palaum *tom. 7 disp. unic. punct. 24. §. 1. num. 1.* sed per illam particulam *juris adminiculo* non requiritur, quod res sit capta, seu apprehensa justè, justitia vera, & existimata, sed solùm quòd jus non resistat, ut videre est, apud citatos: sed filius Hilarionis apprehendit bona capellæ, illi jure non resistente, imo favente, ut vidimus §. *precedenti*: ergo ex ea apprehensione probabilitatem habet, & habere potest. Non inquam obstat, quia respondetur negando minorem, nam illi jus resistit, ex sententia, contra illius patrem lata, quæ habetur pro jure, & jus facit, inter partes, *ut supra n. 2.* cum DD non paucis dictum est; & clarius ex mox dicendis.

13 Secunda pars ostenditur: nempe, non habere filium Hilarionis ad ea bona capellæ probabilitatem ex compositione cum sorore administratoris defuncti sponte, & absque vi consentiente. Quia ea compositio, seu [ut melius loquar] transactio, ex pluribus titulis fuit nulla; sed quod est nullum, nullam potest dare probabilitatem, seu jus; ut cum Rota, & DD. tenet Barbos. *tract. de Axiom. 164. n. 3.* ergo. Maior probatur ex definitione transactionis, quæ à Molin. de just. *tom. 2. disp. 556. post principium*, & alijs, sic habet: *Est de re dubia, lite, aut controversia jam mota non gratuita pactio*; sed filio Hilarionis certò constabat, ex controversia jam mota, per suum patrem, contra defunctum fratrem hujus fœminæ transigentis, nullam habuisse justitiam ad illam capellam ex una, & altera sententia; & ipsum etiam illam non habere: nam si illam suus pater non habuit contra defunctum, etiam ille eam non habebat contra defuncti sororem: concurrebat enim in transactione eadem causa, & idem jus: ergo nulla, & invalida erat transactio, non solùm in foro conscientiæ, sed etiam in foro externo. In foro conscientiæ, quia nullus dabatur titulus, quo posset retinere eam medietatem bonorum capellæ, quæ re vera ad sororem defuncti pertinebant. Nec ex spontaneo consensu sororis defuncti in eam actionem potest esse tutus in conscientia; quia bonorum cessio ab ea facta absolutè non fuit voluntaria, sed mixtè involuntaria; quia aliter non poterat omnia bona capellæ obtinere, quæ ad illam in totum pertinebant, quia erat pauper, fœmina, & incapax ad litem intentandam, & prosequendam. Erat etiam invalida in foro externo ea transactio, ut evidens est *ex l. In summa ff. de condict. indeb.* & *l. Præses* & *l. sub pratextu 1. C. de transact.* & DD. Molin. *proxime*.

14 Secundò probatur eadem maior, eam transactionem fuisse nullam, ex ipsa sua definitione. Quia ut transactio sit valida, necesse est, quòd sit de re dubia; sed hæc est, & fuit de re certa, circa quam lata fuit sententia, quæ transit in rem judicatam, & quæ fuit omnino ultima, ut ostendimus *supra num. 2.* ergo fuit nulla, & invalida, ut ex ipso jure tradit ipse Molin. *cit. vers. Ob eamdem rationem.*

15 Confirmatur, quia consensus sororis, cui favet sententia lata contra Hilarionem, ad eam transactionem fuit ad suam redimendam vexationem; quia filius Hilarionis erat potens, & vir, & soror defuncti pauper, & fœmina, ut jam notavimus, & si non consentiret in eam transactionem eo modo, ad eam medietatem bonorum capellæ, nec eam medietatem obtineret. Et in his terminis invalida est transactio, & deinceps ad aliam medietatem obtinendam agere poterat, quia illius justitia, data dicta sententia, erat luce clarior.

16 Tertiò probatur, eam transactionem fuisse nullam, quia injuste fuit facta circa bona vinculata

vinculata ad onera Missarum, quæ ad unum, & non inter duos poterant dividi, nec devenire, ut jam *num. 5. dictum est*, & *quæst. 10, n. 2. & 4.* Filius vero Hilarionis, & soror defuncti bona, & onera Missarum inter se diviserunt, quod ex natura vinculi, & ipso jure esse non poterat, nec super divisionem horum bonorum, & Missas celebrandas, transactio intercedere poterat. Molin. *cit. dicta disp* 557. post principium, & alter Molin. *de primog. l. 4 cap. 9. num. 22.* & alij *dict num 5. & quæst. 10. cit allati.* Ex his rationibus, & alijs adductis *locis cit.* constat Filium Hilarionis non habere, nec habere potuisse probabilitatem ad ea retinenda bona capellæ, nec ex possessione ab eo apprehensa, nec ex transactione facta, cum sorore defuncti, in ea spontanee consentiente.

§. III.

Ad quam restitutionem teneatur filius Hilarionis, ut secureus in conscientia existat?

SUMMARIUM.

17 *Tenetur restituere Capellæ administrationem cum omnibus bonis, & ipso Missarum onere in totum.*

18 *In maioratu, & capellæ bonis vinculatis dari non potest, dato dubio, transactio.*

19 *In aliarum rerum dubijs transactio dari potest.*

20 *In bonis capellæ dari potest divisio per æstimationem, non tamen in bonis capellæ præsentis.*

21 *Celebrans contractum iniquum, quem si sciret, celebraret justum, non improbabiliter potest ratione lucri cessantis tantum retinere, quantum justo lucraturus esset,*

22 *Non datur paritas inter contractum mutui, & transactionis.*

23 *Aliqui existimant, opinionem circa lucra contractus mutui non esse consulendam. Nec in præsenti admittitur.*

24 *Etiam data bona fide per æstimationem, bona dictæ capellæ non sunt dividenda.*

25 *Conclusio ex dictis.*

17 Respondeo, teneri filium Hilarionis, ut tutus maneat in conscientia, restituere omnia bona, quæ habet capellæ sorori defuncti; & non solùm ea bona, sed etiam omnes fructus hactenus collectos, deductis expensis; & si nullos, vel paucos percepit, & soror verosimiliter plures esset receptura, si bona capellæ ab ipso non essent apprehensa, ea tenetur restituere. Hæc resolutio deducitur ex communi DD. doctrina, de possessore malæ fidei loquentium; quos affert & sequitur Castr. Palaus *tom 7. disp. unica de just. in gener. punct. 24. §. 9. num 1. & § 10 num. 1, & 5.* At ex dictis constat, filium Hilarionis fuisse malæ fidei possessorem. Dixi: *deductis expensis*, has intelligendo non solùm factas in fructibus colligendis, sed etiam factas in celebrandis Missis medij annalis, ad ipsum ex transactione pertinentibus. Et hujus ratio est, quia sicut possessor malæ fidei non tenetur in foro conscientiæ restituere rem apud ipsum pereuntem, eodem modo apud dominum perituram, ut tradunt communiter DD. apud Palaum *cit. dict. §. 9. num. 4.* contra aliquos juristas; ita etiam filius Hilarionis non tenetur restituere expensas factas in celebrando medio annali Missarum, quia erant celebrandæ expensis sororis defuncti administratoris, si, ut administratrix capellæ, omnia illius bona possideret.

18 Si tamen concedamus, datum fuisse dubium tempore transactionis ex parte utriusque transigentis [quod tamen difficile videtur ex lata sententia, eo dato dubio, adhuc censeo teneri ad dictam restitutionem; quia eo non obstante dubio, transactio eo modo, quo facta est, fuit nulla. Ratio est, quia transactio facta super bonis vinculatis, quæ dividi, aut alienari non possunt, non obstante dubio, est nulla; sed bona dictæ capellæ erant vinculata, & dividi, ac alienari non poterant: ergo, stante dubio, fuit nulla. Minor constat ex dictis; maior ostenditur, quia super bonis maioratus stante dubio, an sint bona maioratus, aut non sint, dari non potest transactio, quia dividi, aut alienari non possunt, ut ex jure, & DD. tradit Molin. *de primog. l. 4 cap. 9. numer. 7. & sequent.* ergo idem dicendum de bonis capellæ, de quibus idem dicitur, quando non sunt beneficia, quod dicitur de bonis maioratus, ut dictum est *q. præcendi num. 4. in fine.*

19 Nec obstat 1. dicere: quando transactio fit circa rem dubiam, esse validam in utroque foro, & si postea, comperta veritate, reperiatur eam rem pertinere ad unum, alter non tenetur ad restitutionem rei acceptæ, ut asserunt Molin. *cit. dict. disp. 556. vers. ut supra* Rebell. *de restit. part. 2. l. 16. q. 1. num. 5. & q ult. n. 1.* & alij, quos citant, colligentes hanc resolutionem *ex l. Lucius ff. ad Trebel. & l. sub prætextu 1 & 2. C de transact.* Ergo cum transactio juxta hos DD. fuisset valida, filius Hilarionis non tenetur ad restitutionem eorum, quæ accepit. Non, inquam, obstat, quia citati DD. loquuntur de transactione, quæ fit de rebus vinculũ non habentibus, & de illis, quæ alienari possunt; at nostra quæstio procedit de bonis capellæ vinculum habentibus, ob onus Missarũ, quæ dividi, nec alienari permittuntur, ut liquet ex dictis.

20 Non obstat 2. quia licet bona capellæ inter duos non possint dividi ob onus Missarũ, per æstimationem tamen possunt dividi, juxta formam datam *in Ordin. l. 4. tit 96 §. 5.* & defendit cum pluribus Gama *decis. 30. num. 1.* Perez de Lara *de Anniversar. & capell. l. 1. cap 4. n. 30* & nos diximus *supra q. 10.* ex ipso jure; & possunt alienari, manente ipso onere super ipsis bonis vinculatis, ut tenent Alvar. Valasc.

consult.

consult. 82. *num.* 7. *in fine*, & ipse Gama *cit.* ergo quamvis in bonis maioratus, fiante dubio, non possit dari transactio, quia illius bona sunt inalienabilia, poterit in bonis capellæ, quia illius bona possunt alienari, & per æstimationem dividi. Non, inquam; obstat, quia hæc consequentia supponit super bonis capellæ per æstimationem eatam, fuisse transactionem, quod ita nō fuit: sed ipsa bona realiter per ipsam transactionem fuerunt divisa, & simul ipsum Missarum onus, & ex hac ratione ea transactio fuit nulla, quia facta fuit contra ipsam naturam bonorum capellæ, & ipsum Missarum onus, quod est individuum, ut constat ex dictis.

21 Non obstat 3. Nam ille, qui bonâ fide fecit contractum iniquum, quem si talem scivisset, fecisset alium justum, potest ratione lucri cessantis, veritate comperta, retinere tantum, quantum contractu illo justo lucraturus esset, ut non improbabiliter existimat Lessius *l.* 2. *de just. cap.* 20. *dub.* 12. *numer.* 105. *& sequent.* dummodo intenderit contrahere omni meliori modo, quo possit. Idem absolutè, & generaliter affirmant Sa, *Verb. usura num.* 8. Turrian 2. 2 *q.* 4. *disp.* 7 *dub.* 3. *num* 99 Dian. 1. *part tract.* 8. *de contr. resol.* 47 & Caro. de Lug. *disp.* 25. *de just. num.* 182. *& seqq.* si contrahens scit, non tamen ignorat, illum contractum justum: sed si filius Hilarionis sciret, se facere transactionem invalidam, dividendo realiter bona capellæ, illam faceret valide, illa dividendo per æstimationem: ergo juxta prædictos DD. potest retinere suam medietatem, & per æstimationem aliam habere partem, aut petere æstimationem bonorum suæ medietatis.

22 Non, inquam, obstat, quia respondetur 1. data maiori, quoad sententiam Sa, Turrian. & aliorum [nam juxta sententiam Less. non habet paritatem, quia nec habuit eam intentionem, nec sciebat, transactionem esse validam per æstimationem, quam facere poterat) negando consequentiam. Diversa ratio est, quia ij DD. loquuntur de celebrante contractum mutui cum interesse, quem si sciret, esse iniquum, illum cum interesse non celebraret, sed cum interesse ratione lucri cessantis, aut alterius tituli liciti, sub quo potest ille mutuus contractus celebrari: At filius Hilarionis non celebravit transactionem cum quocunque interesse, sed illum expressè celebravit juxta divisionem bonorum capellæ, & illius onera; quod de se, & quæcunque præcisâ intentione, erat invalidum. Additur eam opinionem non habere locum in alijs contractibus à mutuo, ut videre est, apud Less. *cit. num.* 102. & Tambur. *l.* 8. *decal. tract.* 3 *cap.* 8. §. 2. *a num.* 21.

23 Secundò respondetur, licèt eam opinionem aliqui probabilem existiment, in praxi tamen dicunt, non esse consulendam. Præterquam quod opposita est probabilior, & pro illa stant Covvar. *l.* 4. *variar. resol. capit.* 3 *num.* 6. Valent. *tom.* 3. *disp.* 5. *q.* 31. *punct.* 3. Azor. 3. *part. l.* 5. *cap.* 11. Banes 2. 2. *q.* 78. *art.* 1. *dub.* 1. *& ibid.* Aragon. & Salon cum Sylvest. *verb. usura* 9 *dub* 1. Armill. *Verb. eodem numer.* 59. quos congerit Dian. *supra.* Et ostenditur, quia illa conditio nihil ponit in esse, & contrahens expressè voluit contractum iniquum, & invalidum: secùs dicendum, quando intendit contrahere meliori modo, quo potuit, quod in præsenti casu non affuit.

24 Ex dictis liquet, filium Hilarionis, etiam dato, quod bona fide contraxisset, per æstimationem non posse ex dictis capellæ bonis acquirere; quia etiam suppositâ eâ bonâ fide, transactio fuit invalida; & ex fructibus interim collectis teneri ad restitutionem illorum, inquibus factus est ditior, juxta dispositionem juris communis, & DD. de possessore bonæ fidei.

QUÆSTIO XXIII.

An possint instituî administratores capellæ, Diaconi, & Præsbyteri consanguinei ex proximioribus, in perpetuum?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Possunt in institutione capellæ constitui administratores, qui sint Diaconi, aut Presbyteri.*
3 *Non prohibentur clerici esse administratores capellarum, quæ non sunt beneficia.*
4 *Sententia lata in favorem secularis adversum clericum, in institutione capellæ, clericos præferente, nobis non adversatur.*
5 *Episcopus in capellis, quæ non sunt beneficia, non habet jus instituendi, &c.*
6 *Nec etiam nobis contraria est sententia lata in Archiepiscopatu Ulyssiponensi.*
7 *Institutio capellæ à Thomasia facta, non est maioratus constitutiva, & adducitur sensus legitimus nostræ Ord l.* 2. *titul.* 62. §. 53.
8 *Oppositæ sententiæ circa capellas cum onere Missarum institutas, & placitum Doctoris Emm. Alvar Pegas adducuntur.*
9 *Nec potest aliquid exigi, vel recipi pro officio, quod ex justitia debetur.*

1 THomasia nobilis fœmina, nullos filios habens, capellam instituit, cui omnia bona sua vinculavit, cum onere perpetuo duarum Missarum singulis hebdomadis. Voluitque, & disposuit, illius, administratores esse diaconos, aut presbyteros ex consanguineis proximioribus alternativè ex parte patris, & matris parte, & in eorum defectum, virum proximiorem consanguineum, servatâ eâdem alternativâ: cum hac tamen conditione, quòd quilibet ex his sæcularibus, eam capellam dotare teneatur redditu perpetuo sex modiorum typhæ in quolibet anno; & si huic oneri aliquis illorum non assentiat, capellæ administratio ad consanguineum sequen-

sequentem, eodem ordine, & conditione transeat. Si tamen clericus administrator prædictas Missas celebrare nequeat, eas per alium ex ijsdem familijs celebrari jubeat; cui pro singulis annis stipendium præstabit centum mensuras typhæ, & tritici decem, ac domum ad habitandum eodem oppido, in quo Missæ sunt celebrandæ. Et si sacerdos deficiat consanguineus, per alium huic oneri satisfiet, cui eleemosyna judicio ipsius administratoris tribuatur. Sacerdos, qui in præsenti hanc obtinet administrationem, à quodam consulente accepit, Thomasiam hanc institutionem validè non potuisse facere. Quærit 1. An administratio in diaconis, aut presbyteris facta in perpetuum, sit valida? An cum sæculari consanguineo proximiori, pactum aliquod sibi utile, in foro conscientiæ Præsbyter inire possit, administrationem in illo substituens? Sic fuit casus propositus.

§. I.

An administratio capellæ in diaconis, & præsbyteris in perpetuum facta, sit valida?

2 Respondeo, non esse invalidam. Ratio est, quia nullus est textus, qui illam invalidam reddat; & voluntas institutricis observanda est, ut patet ex *l. In conditionibus*, 19. *ff. de condit. & demonstr. l. si mihi, & tibi* §. *fin. ff. de leg* 3. *l penult. ff. eod* Regin. *de jur. fisc. art.* 11, *per totum*, Maicard. *de probat. conclus.* 1541. *num.* 49. Molin. *de primog. l* 1. *cap.* 4. 19 Iulius Clar. §. *Testamentum q.* 76 *num.* 1. Themud. de Fontec. *in decis. Archiop. Ulyssip. tom.* 1. *decis.* 78. *numer.* 11. Et licet loquantur de testatore, eadem est ratio de institutrice capellæ, sive in testamento, sive extra illud, illam instituente: sed Thomasia suæ capellæ diaconos, aut presbyteros administratores constituit, & in illorum defectum sæculares consanguineos proximiores: ergo illius voluntas servanda est.

3 Nec obstat dicere aliquos DD. Lusitanos *Ordin. Reg. l.* 2. *tit.* 18. §. 5. prohibere capellas institutas, & administratas à clericis; & licèt capella, de qua agimus, à clerico non sit instituta, à clericis tamen in perpetuum est administranda; & in illorum defectu sæculares, quorum bona ex conditione illis apposita, erant dictæ capellæ vinculanda; & postea administranda à clericis, si darentur. Sic docuerunt Cald. Pereyra *de empt. & vendit. cap.* 8. *num.* 44. Emman. Barbos. *in remiss. ad principium cit. Ordin num.* 5 Non; inquam, obstat quia respondetur, *dictam Ordin.* & DD. citatos loqui tantùm de capellis, naturam beneficiorum habentibus, & non de præsenti, quæ nec est beneficium, nec authoritate Episcopi erecta, sed sæcularis, & temporalis.

4 Nec obstat 2. sententia lata juxta *cit. locum Ord.* à senatoribus curiæ civilis, contra quemdam clericum pro sæculare, pretendentem esse cujusdam capellæ administratorem, in cujus institutione dicebatur, administrationem semper tenendam esse à clerico, si in ea familia daretur, ut videre est, apud Gamam *decis. mihi* 341. alias 343 quæ sententia videtur decidere nostrum casum, in quo Thomasia suæ capellæ diaconos, aut presbyteros administratores constituit, & in illorum defectu sæculares. Non, inquam, obstat ea sententia lata, quia institutor illius capellæ intendebat & licentiam regis, & authoritatem Episcopi, ut erigeretur, ut esset Ecclesiastica: at capella, de qua agimus in ea Ordin. Regia non comprehenditur, quia Episcopi non intendit erectionem, nec quòd esset Ecclesiastica, ut inquit Gama *cit. num* 3. *in fine.*

5 Additur in hac capella, quamvis Thomasia primo loco vocasset clericos de sanguine patris, & matris suæ alternativè, in illa non habere Episcopum jus instituendi, seu destituendi, nec visitandi, nec aliud jus Diæcesanum, ut notant Paris. *consil.* 34. *num.* 9. *& sequent. & à num.* 27. *usque ad num.* 40. & 41 *l.* 4. Gonsal. *de Mensib. Gloss.* 5. *num.* 34. quos affert, & sequitur Fragos. 3. *part. disp.* 20. § 5. *num.* 28. ergo nec ab Ord. comprehenditur, nec à DD irritatur, ut nulla.

6 Non obstat 3. sententia lata in senatu hujus Archiepiscopatus apud Themud *cit. dicta decis.* 78. in qua agitur de quodam clerico capellam, seu Maioratum instituente suorum bonorum. Primo loco vocat clericum ex sua familia, seu á patre suo descendentem, & post hunc vocatum, dispositi, quòd clerici succederent, si darentur, quamvis non proximiores gradu sæcularibus consanguineis; & tamen lata fuit sententia pro sæculari contra clericũ de familia: ergo etiam in nostro casu poterit esse justitia pro sæculari proximiore, quamvis detur clericus, qui bonâ fide possideat. Non, inquam ea sententia obstat, lata enim non fuit, quia erat clericus, sed quia non erat descendens à patre instituentis capellaniam, quos primo loco vocaverat. Vt videre est in sententia ibi lata, & transcripta.

7 Non obstat 4. Themudum *dicta decis.* 78. *num.* 18. & 19. & alios cognoscere in dicta dispositione institutum esse maioratum, & nõ capellam: ergo etiam in dispositione nostri casus dicendum nobis est, fuisse institutum maioratum, & non capellam. Non, inquam, hoc obstat, quid quid sit de placito Themudi, de quo non agimus; sed de nostro *numer.* 1. *proposito*; respondemus ibi non fuisse maioratum sed capellaniam institutam. Nec nobis adversatur *Ordin, Regia l.* 1. *tit.* 62. §. 53. quia jam *supra q.* 16. §. 1. *& præcedente q.* 22. *num.* 8. diximus eam Ordin. non ita nude, ut jacet, accipiendam esse, sed vestitam illis, sine quibus maioratus consistere non potest, ut doctissimi Valasc. *consult.* 82. *numer.* 8. Gama *decis.* 30. *&*

alijs

alijs decis. & Molin. *tom.* 3. *disp.* 576. *nu.* 15. no tarunt. Illa autem sine quibus maioratus consistere non potest, constant ex sua definitione, apud Molin. *de primogenijs l.* 1. *cap.* 1 *num.* 22. & Palaes *de maior. in princip. num.* 4. de quibus mentionem fecimus *dict. q.* 16. § 1. *& q. præcedenti num.* 8. quæ definitiones institutioni à Thomasia factæ, non conveniunt, ut legenti dicta loca facile constabit. Et in hoc sensu hodie accipitur *cit.* §. 53. *Ordin. cit.* in tribunalibus, & pro illo sententiæ proferuntur; licèt olim *pro eodem* §. ut jacet, proferrentur.

8 Scio doctissimum Emmanuelem Alvares Pegas *in resol. forens. cap.* 4 *num* 223 224. & 225. duplicem, & oppositam referre sententiam; primam affirmantem ex solo onere Missarum, maioratum probari, alteram oppositum sustinentem; & pro utraque graves affert DD. Ille autem *n.* 226. cum non paucis DD. opinatur maioratum non constitui, quando in dispositione simpliciter inducitur onus Missarum; secus autem dicendum, quam ultra onus Missarum, alienatio bonorum prohibetur; vel quando fiunt filiorum, aut familiæ vocationes; vel quando ponuntur gravamina nominis, aut armorum, vel quando aliæ conjecturæ ad inducendum maioratum concurrunt. Non inficior; censeo tamen, ex dictis à me *q.* 16. *& præcedenti*, quamvis in dispositione agatur de onere Missarum, & alijs, suffragiorum, aut eleemosynarum oneribus, si in illa non agatur de successione familiæ, & primogenitis, non constitui maioratum; & si de familiæ successione, & primogenitis agatur, maioratum cõstitui. Ratio est, quia sic dispositio convenit cum definitione maioratus, apud DD. *cit.* & omnes; & ex definitione cognoscitur natura definiti, & definitio converti debet cum definito, & cuicumque non convenit definitio, non convenit etiam definitum; ut ex ipso jure, & DD. tradit Barbos. *tract. de Axiom.* 67. *per totum*; ut cum illo jam notavi *dicta q.* 16. §. 1

§. II.

An clericus dictæ capellæ administrator, cum sæculare consanguineo proximiori, pactum aliquod sibi utile, in foro conscientiæ inire possit, administrationem in illo substituens?

9 Respondeo breviter, non posse: quia ea administratio (alio non dato clerico) ipsi sæculari ex justitia debetur; sed pro illo, quod ex justitia alicui debetur, aliquid nec exigi, nec recipi potest, ut pretium, quin detur obligatio restituendi. Confirmatur, quia data suppositione, quòd clericus sit dimittendus à capellæ administratione; ea facta dimissione cum debitis requisitis, pro illa stare debet: ergo pro illa aliqui exigere non tenetur. Ita Rebell. *de restit.* 2. *part. l.* 18. *q.* 20. Filliuc. *tract.* 32 *num.* 101. Less. *l.* 2. *de just. cap.* 14 *dub.* 9. *num.* 63. Bonac *tom.* 2. *disp.* 1 *de restit. in gener. quæst.* 3. *punct.* 2 *num.* 1. *vers. Dixi accepta*, & alij, quos citant. Unde si administrator esse nequit, capellaniam, cui debetur, illam libere relinquat.

QUÆSTIO XXIV.

An administrator capellæ teneatur ad omnia illius onera in institutione condita, pro tempore, quo eadem capella authoritate Ordinarij, loco Ecclesiæ Parochialis inservit, & expendenda in ijs oneribus teneatur, in alijs pijs operibus insumere, & cujus authoritate?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Consultum virorum doctorum adducitur.*
3 *Non tenetur in ea capella habere eremitam, nec eremitidem: Quando cessat finis causæ, cessat ejus dispositio.*
4 *Cessat votum, cessante causa finali.*
5 *Mutatio rei in statum moraliter diversum, eximit volentem ab implettione voti.*
6 *Voluntas testatoris implenda est, si impleri potest, & non est irrationalis.*
7 *Concessio facta filio, primo vocato, ad alios non extenditur.*
8 *Exceptio filij, confirmat dispositionem in successoribus.*

1 AGnes Illustrissima fœmina in hac civitate sacellum ædificavit, & decem aureis in singulos annos dotavit; ac mandavit, ut in eo statis diei horis assisteret eremita, aut eremitis, ut illud custodiret, mundum haberet, & sacerdotibus ad celebrandum convenientibus, omnia necessaria ministraret; administratori, & pro futuro successuris, ut capellanum haberent, qui singulis anni diebus in perpetuum, pro anima sua in eo sacello celebrarent; illique, & alijs omnibus, qui pro sua devotione illic ad celebrandum, convenissent, omnia illis ad Missæ sacrificium suppeditarentur. Insuper jussit, ut in eo sacello die noctuque lampas arderet. Ab onere tamen habendi eremitam, aut eremitidem, filium suum primo vocatum ad sacelli administrationem, exemit. Decursu temporis contigit, Ecclesiam Parochialem comburi. Et dum reædificatur, sacellum pro Parochiali inserviebat. Reædificata Ecclesia, super Parochi præsentationem dissidium fuit exortum, & sacellum iterum ad Parochiæ usum fuit redditum. Per has intercapedines, non paucos comprehendentes annos, dictum sacellum eremita, & eremitide caruit; ad sacrificia necessaria non fuerunt suppeditata, nec oleum ad lampadem. Omnia enim à Parochia suppeditabantur, etiam ad Missam oneris capellaniæ. Ex parte administratoris pro tempore existen-

existentis: Quæritur 1. An teneatur in præsentiarum habere eremitam, aut eremitidem? 2. An teneatur ad vinum, hostiam, & reliqua paramenta, non solùm pro Missâ fundatricis, sed etiam pro alijs, ibi ex devotione convenientibus ad celebrandum, & ad oleum pro lampade? 3. In quibus dos capellæ expendenda sit? 4 An harum obligationum satisfactionem suæ possit committere uxori?

2 Circa primum, & secundum quæsitum duos ex societate nostra viros doctos consuluit administrator. Unum pro tempore, quo Ecclesia combusta reædificabatur, alterum pro tempore, quo currebat litigium. Iuxta consultum primi consulentis, commutata sunt authoritate Ordinarij, in opera pia, dicta onera capellæ; Huic consulto subscripsit secundo loco consultus. Vltimo loco ego consultus, respondi ad illa, & sequentia alia duo, ut sequitur.

§. I.

An administrator pro tempore, quo sacellum habetur pro Ecclesia parochiali, teneatur in illo habere eremitam, aut eremitidem?

3 Respondeo, his tribus rationibus non teneri. Prima quia finis, ex quo fundatrix mota fuit ad habendam eremitam, aut eremitidem in eo sacello fuit, ut in eo esset custos, qui mane, ac vespere dum janua est aperta, illud custodiret, ac mundaret, necessariaque convenientibus ad celebrandum suppeditaret: sed cessante alicujus rei fine, cessat etiam ipsius rei dispositio, *l. Adigere §. quamvis ff. de jur. patron. l. si pater, ff. de hered. instit. l. Generaliter, C. de Episcop. & cleric. l Cum te, C. de pact. interemp. cap. Magnæ, in fine de vot. cap. Cum cessante, 60. de appell.* & DD. quos affert, & sequitur Barbos *de Axiom.* 40. *numer.* 4. Et hæc regula habet verum in dispositionibus testamentarijs, & in quacumque alia dispositione, ut tenent DD. ibi citati: ergo cum cesset finis eremitæ, aut eremitidis, dum sacellum pro parochia inservit, à fundatrice intentus, cessat etiam illius dispositio. Maior, & minor patent; Quia dum illud sacellum Ordinarius pro parochiali Ecclesia substituit, claves illius non habentur a capellano Fundatricis, nec ab alio ad administratorem pertinente, sed tantùm à Parocho, qui parochianis sacramenta administrat, quando ab illis vocatur. Et alia munia, quæ ab eremita, seu eremitide operari poterant, à Parochiæ ministris operantur, quin alios ad illa admittant.

4 Secunda ratio: Quia ex eadem regula, inferunt communiter DD. cessare votum, cessante causa finali, ob quam emissum fuit. Sic D. Anton. Abbas, Tiraquel. Sylvest. Azor, & alij, quos referunt, & citant Sanch. *l. 4. decal. cap. 2. num.* 42. Soar. *tom. 2. de relig. l. 4. de vot. cap. 18. numer.* 3. Cast. Palaus *tom. 3. tract. 15. disp. 1. punct. 20. num.* 1. & alij quos affert; & sequitur Leand. *tom. 7. tract. 1. disp. 12. q.* 1. ergo etiam cessante causâ, ob quam fundatrix in suo sacello eremitam, seu eremitidem designavit, cessabit etiam onus illic debentium assistere.

5 Tertia ratio: quia mutatio, quæ constituit rem in alio statu moraliter diverso, ob aliquas circunstantias ei denuo advenientes, eximit voventem à voti impletione, ut cum Sanch. & Soar. sentit Castr. Palaus *cit. numer.* 3. & 4. Sed mutatio sacelli in Parochiam, ob designationem ab Ordinario factam, illud constituit in alio statu moraliter diverso, ob circunstâtias denuo advenientes, eremitam, seu eremitidem excusante: ergo ad suam assistentiam in eo sacello non tenetur administrator.

6 Non obstat 1. fundatricem in suo testamento jussisse, quòd in eo sacello esset mane, & vespere eremita, aut eremitis: voluntas autem testatricis implenda est, quando impleri potest, & non est irrationalis, licèt aliud sit longè utilius, ut constat *ex cap. tua nobis, de testam.* Mo in *tom. 1. de just. tract. 2. disp. 249 in principio*, Sanch. *tom. 2. consil. l. 4 capit. 2. dub. 1. num.* 3. & alijs juribus, & DD. quos *q. præcedente num.* 2. adducimus; & hæc fundatricis voluntas impleri potest, & non est irrationalis.

7 Neque respondeas, non obstare; quia sufficit capellanus cum famulo particulari ad habendum sacellum mundum, ut ipsa fundatrix filio suo ad hujus capellæ administrationem primo loco vocato concessit. Non, inquam hæc obstant; non de deducto ex voluntate fundatricis, quæ semper adimplenda est, quando potest, vel non cessat: at in præsenti casu impleri non potest, quia sacellum jam non est sub administratione administratoris, sed Parochi. Deinde ea fundatricis voluntas cessavit pro tempore, quo ejus sacellum loco Ecclesiæ Parochialis inservit. Nec alia respondemus, circa concessionem à matre factam. Nec ea concessio, seu conditio filio primo loco vocato concessa censetur extensa, nec repetita in seqq. personis *ex l. Sub conditione ff. de hered. instit.* & *l. Si quis heres ita ff. de acquirend. hered.* & DD. communiter Menoch. *tom 4. consil 379. num.* 6. Socin. *in l. Qua conditio, num. 4. ff. eod. tit. proximè*, Parisius *cons.* 38. *num. 24. l. 1.* Mascard. *conclus.* 1346. *numer.* 19. Fagund. *l. 1. de Just. cap. 8. a num. 1.* ex rationibus ibi allatis.

8 Nec obstat 2. exceptio filij à fundatrice facta, dispositionem confirmans erga capellam in successoribus, ut ex leg. & DD. tradit Barbos. *tract. de Axiom. 45. num.* 4. ergo in successoribus deficere non debet. Non, inquam, obstat, quia dum capella non est in suo statu, ea dispositio cessat, ut constat ex dictis.

§. II.

An administrator, pro præsenti statu capellæ, teneatur ad vinum, ceram, hostias, oleum pro lampade; & ad paramenta pro omnibus Missis ibi celebrandis, aut horum valor in alijs operibus pijs insumendus sit, & quâ authoritate?

SUMMARIUM.

9 *Non tenetur, dum existit ea mutatio.*
10 *Residuum earũ expensarũ administratori cedit.*
11 *Hæres non tenetur stipendium Missarum in operibus pijs expendere, quando liberaliter a celebrantibus condonatur.*
12 *Heres capellam construens ad formam testatoris, ad illam relinquentis mille aureos, non tenetur in alijs operibus pijs expendere centum, quæ remanserunt.*
13 *Adducuntur DD. oppositum sentientes, nostro casu haud contrarij.*
14 *Testator relinquens dotem virgini, respiciens causam piam, si prius moriatur, id legatum heredi non cedit.*
15 *Non cedit heredi residuum constructionis capellæ, sed in aliud pium opus convertendum.*
16 *Quando legatum in propria forma impleri non potest, in aliud pium convertendum est.*
17 *Expensæ faciendæ, non factæ, authoritate Episcopi in aliud pium opus est convertendum.*
18 *Probabilius est authoritate Summ. Pontificis, ex Decreto Sacr. Congreg. sub mandato Urbani VIII. converti debere, datâ suppositione, quòd sit convertendum.*
19 *Decretum non solum agit de Missis, sed de oneribus, quæ quomodocumque sunt affixa capellis, vel Ecclesijs.*

9 Tres partes in titulo quæstionis continentur. Ad primam respondeo; non teneri administratorem ad eas expensas pro Missis, nec ad oleum pro lampade, dum ipsum sacellum pro Parochia persistit. Ratio est, quia id sacellum stat loco Parochiæ: Parochia autem ex suis redditibus eas confert expensas, ut semper contulit in sua propria Ecclesia: ergo ad illas administrator non tenetur, nec eæ ab eo postulantur.

10 Ad secundam tituli partem nempe, an teneatur administrator ad expensas paramentorum pro omnibus Missis in eo sacello celebrandis? Respondeo, eas expensas faciendas, & non factas ob mutationem status sacelli, cedere administratori, & non convertendas esse in aliud pium opus. Hæc resolutio est contra consulentes. Probatur tamen primò; quia voluntati fundatricis plenè satisfactum est per Parochiam; quippe pro toto eo tempore in eo sacello non defuit oleum lampadi, nec vinum, cera, hostiæ, &c. Missis ad suam capellaniam, nec alijs, quas ibi tam ex obligatione Parochiæ, quàm ex devotione celebrantur.

11 Nec refert, quòd hæ expensæ fiant á Parochia, & non ab administratore, ut hic teneatur in aliud opus pium illud residuum insumere; primò, nam per illud non stat, quòd illas expensas non faciat. Secundò, nam si hæres stipendium debitum pro Missis non tribuat, quas testator pro sua, vel alterius anima celebrari fussit, eo quòd sacerdos sponte, & omninò libere condonet, & non teneatur in aliud opus pium, illud insumere; ut rectè colligitur ex DD. quos affert, & sequitur Cara *de Lug. de Sacram disp.* 21. *numer.* 32. & Henao *de Sacrif. Missæ disp.* 31. *numer.* 47. & 48. ergo etiam, ex eo quod Parochia sponte, & omnino libere expendat necessaria in eo sacello ad Missas celebrandas, non tenetur administrator ea, quæ expendere tenebatur, ex voluntate, & dispositione fundatricis, in aliud opus pium impendere.

12 Secundò probatur, quia ex eo quòd voluntati testatoris sit satisfactum, jubentis, ex sua devotione, sacellum certæ formæ construi, & designantis mille aureos; non tenetur hæres, in aliud pium opus insumere centum, quæ remanserunt; ut cum Angel. Paul. Innocent. & alijs defendunt Covarruv. *cap.* 3. *de testam. num.* 10. Sanch. *l.* 4. *consil. cap.* 2. *dub.* 4. *nu.* 9 *in fine*: ergo etiam ex eo, quòd per Parochiam voluntati fundatricis est satisfactum, non tenetur administrator in aliud opus pium, quod impendendũ erat in ijs rebus, impendere.

13 Et quamvis oppositum tueantur Fagund. *l.* 6. *Inst. cap.* 5. *num.* 13. & Molin. *tom.* 1. *de Iust. tract* 2. *disp.* 242. *vers. Idem ait*; *Idem ait.* Ideo id tuentur; quia voluntati testatoris, præsumitur, non esse satisfactum: at in nostro casu expressè constat, voluntati fundatricis esse satisfactum.

14 Nec obstat 1. pro contraria consulentium parte, dicere: Si testator aliquis aliquod certæ personæ legatum relinquat, v. g. dotem certæ, & determinatæ virgini ad nuptias, respiciendo causam piam & non personam; & si antequam nubat, moriatur; tale legatum hæredi non cedit, sed in aliud pium converti debet; ut sustinent Panormitan. Aman. Anchar. Barthol. Mantic. quos refert, & sequitur Sanch *l.* 4. *consil. cap.* 2. *dub.* 4 *num* 7 & Cardin. de Lug. *disp.* 24. *de just. sect.* 13. *nu* 305 *prope finem* & alij: sed prædictæ expensæ pertinent ad causam piam, ad quam respexit fundatrix: ergo hæredi non cedunt, sed in aliam piam causam sunt impendendæ. Non, inquam, hoc obstat, quia cum illud legatum sit pium, & juxta voluntatem testatoris habere debeat effectũ: si in propria forma illum habere non potest, in alia simili, & proxima testatoris voluntati, illum habere debet: at in nostro casu, in propria forma habet effectum fundatricis voluntas.

15 Non

15 Non obstat 2. dicere: si testator ex sua devotione, sacellum ædificare mandet, certa summa aureorum ad ædificationem assignata, & opus minori summa perficiatur, residuum, quod superst, in aliquod pium opus convertendum est, & hæredi non cedit, ut contra plures, tradit Fagund. & Molin. *loc. cit.* ergo etiam quod supereſt, seu quod non impeditur in vino, cera, &c. in eo sacello ex dispositione fundatricis, in aliud pium opus conferendum est. Non, inquam, obstat, ut patet ex probatione pro nostra sententia *num.* 12. & 13.

16 Non obstat 3. dicere: Quando legatum in propria forma, quam testator præcepit, impleri non potest; si illud sit pium, hæredibus non cedit, quia testator jam voluit, heredes illo carere legato, sed in aliud pium convertendum est, ut pluribus relatis tenent Sanch. *proximè numer.* 4 Fagund. *cit. num.* 12. Card. de Lug. *supra* & alij: sed prædictæ expensæ legatæ ad sacrificium Missæ, altaris, & sacelli, ab administratore impleri nequeunt: ergo in aliud pium opus sunt convertendæ. Non, inquam, obstat, quia respondetur, *ut supra num.* 14.

17 Si ab his consulentibus inquiras, cujus authoritate valor illarum expensarum, quem existimant esse necessariò convertendum in aliud opus pium; sit convertendum? Respondent, authoritate Episcopi, & administratoris, tanquam fundatricis executoris; citantque, vel citare poterant Sanch. *supra dub.* 5. pluribus allatis, Card. de Lug *num.* 306. & 307. Fagund. *proximè* Molina *tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 249. *vers. Vtrum autem.* Qui de nostro casu non loquuntur, sed de legato, quod in specifica forma impleri non potest, ut testator præcepit; & tunc docent requiri authoritatem Episcopi, & consensum, seu consilium executoris.

18 Datâ tamen, & non concessâ eâ virorum illorum resolutione; & etiam dato, quod ad convertendum valorem earum expensarum in aliud opus pium, requiratur alicujus Prælati authoritas, & non concesso in nostro casu Censeo tamen ea suppositâ resolutione, & necessitate, si aliqua requiritur licentia, ad commutandum valorem earum expensarum, in aliquod opus pium, debere, esse obtentam à Summo Pontifice, & ab Episcopo non posse obtineri. Ratio est, quia ea commutatio, seu conversio est reservata Summ. Pontifici; quia est de rebus affixis capellis, & Ecclesijs; ut constat *ex Decreto S. Congr. Concil. de mandato Vrbani VIII. de celebr. Missar. edito* 21. *Iunij* 1625. Quod incipit: *Cum sæpe contingat*, & habetur apud Tambur. in Method. celebr. Miss. *l.* 3. *capit.* 1. *numer.* 7. & alios plures in hac *disp. jam citatis.* In quo prohibentur Episcopi, ne Missarum onera commutentur, per hæc verba: *Ac primò districtè prohibet, ac interdicit, ne Episcopi in Diœcesana synodo, aut Generales in capitulis Generalibus, aut alias quomodocunque reducant onera Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis, sed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis ad Apostolicam Sedem recurratur*, &c.

19 Quæ commutatio non solùm intelligitur de Missis, sed de omnibus oneribus, quæ sunt quomodocunque affixa capellis, vel Ecclesijs; & de oneribus ex beneficijs, & ex legato, & breviter ex quacunque causa, vel titulo, ut exponunt Marchin. *de Ordin. tract.* 3. *part.* 2. *capit.* 19. *numer.* 30. Tamburin. *in Method. celebr. Miss. l.* 3. *capit.* 1. §. 2. *numer.* 3. *vers. Respondeo secundò.* Et clarè colligitur ex verbis universalibus Decreti restringentis ordinariorum potestatem, qua olim potiebantur: ergo cum dicta sacelli fabrica à fundatrice instituta sit ad suam capellam, & Missas celebrandas, si aliqua super, illa requireretur commutatio, seu conversio ad aliquod opus pium, non Episcopi, sed Pontificis requirenda erat authoritas, seu licentia. Etsi dicti ab administratore consulti hoc vidissent Decretum, aliud non consulerent.

§. III.

In quibus dos sacelli expendenda sit?

SUMMARIUM.

20 *Ea dos cedit administratori.*

21 *Non est ad luminaria, stipendium custodum, nec sustentationem.*

22 *Non est designata ad reparationem, si necessitas occurrat.*

23 *Facta fuit juxta ipsum jus, & per superabundantiam.*

21 Respondeo, hujus sacelli dotem cedere administratori. Ratio est: quia non fuit ad expensas in eo sacello faciendas. Secundò, non fuit ad reparationem, si forte in aliquo casu concurrat necessitas; & cùm aliud non appareat; dicendum factam fuisse, juxta ipsum jus, & per super abundantiam, & sic ipsi administratori cedere.

21 Non fuit dos ad expensas faciendas donata, ut disponebatur *in cap. Nemo* 9. *de consecr.* 1. *dist.* ubi ex Concil. Aurelianens. dicitur, ibi: *Et ante præfiniat, qui ædificare vult quæ ad luminaria, & custodiam, & ad stipendia custodum sufficiant.* Idem, *Authent. Vt nullus fabricet oratorij domos, versic. Sancimus*, habetur, *dotem requiri, quæ sufficiat, & ad domus custodum alimenta, & ad sacrum ministerium.* Et Gloss. *in cap. secundum*, 23. *quæst.* 8. *Verb.*

Manso, inquit: *Dotem talem esse debere, ut Ecclesia inde possit sustentari* & DD. pluribus relatis Azor, 2. *part. instit. moral. l.* 9. *cap.* 3. *quæst.* 7. Barbos. *de potest. Episcop.* 3. *part. alleg.* 64. *num.* 3. & alijs in locis: sed fundatrix ad luminaria, custodiam capellæ, & ad sacrum ministerium stipendia, & capellæ sustentationem, ultra dotem, designavit: ergo cum dos designata à jure ad ea non inserviat, administratori cedet, non solùm pro tempore, quo sacellum loco Parochiæ inservit, à qua alitur, sed etiam extra illud tempus.

22 Nec etiam designata dos, est ad reparandam capellam, tectum, & parietes, si reparationis necessitas occurrat; ad quæ capella dotatur, ut tradunt Hostiens. Abb. Barbat. Lambert. Bellet. quos affert, & sequitur Fragos. 2. *part. Regim. Reip. Christ. disp.* 21. §. 4, *num.* 13. *vers. Ex quibus habes*: sed fundatrix de hac reparatione, si forte occurrat, providit, dicens in suo testamento: Quòd ex suis bonis, cuicunque ruinæ, ac defectui per administratorem suæ capellæ occurratur: ergo dos non ad reparationem tectorum, & parietũ assignatur, sed ut ipsum jus observetur, quod ita disponit, & cùm necessaria non sit ad supra dicta, administratori cedet.

23 Nec obstat, capellam per dotationem à fundatrice factam, acquisijsse dominium ad eam dotem; est enim illius patrimonium, & sicut mulier dominium acquirit soluto matrimonio ad suam dotem, ex qua vivere, & sustentari possit, tanquam à suo patrimonio, *l.* 3. §. *Si utrum ff. de minorib.* ita & capella. Additur, donationes Ecclesiæ factas, esse irrevocabiles, ut tradit Soar. *contra Sectam Anglic. cap.* 30. Gabriel Pereyra de Castr. *decis.* 17. *numer.* 14. Themud. *In decis. senat. Archiepisc. Ulyssipon. decis.* 98. *numer.* 21. ergo ea dos Administratori non cedit: Non, inquam, obstat, quia dicta dos, ut non necessaria facta fuit, sed tantùm ut juri assisteretur, & per super abundantiam nam per alia stipendia, & juri, & necessitati capellæ à fundatrice satis provisum fuerat.

§. IV.

An administrator harum obligationum satisfactionem suæ uxori possit committere?

SUMMARIUM.

24 *Probabilius potest.*
25 *Probabile videtur harum obligationum satisfactionem ad uxorem pertinere.*
26 *Ex doctrina communi id ostenditur.*

24 Respondeo, probabilius videri, posse. Ratio est, quia marito competunt ratione matrimonij omnes fructus illius capellæ, & maioratus, & illorum habet administrationem, ut illis onera matrimonij sustineat, dum uxor vivit: sed ex fructibus capellæ deducendæ sunt expensæ ad onera ipsius capellæ: ergo ad maritum pertinet eorum onerum satisfactio: ergo illam potest suæ uxori committere.

25 Dixi *probabilius videri posse maritum satisfactionem onerum capellæ suæ uxori committere.* Quia probabiliter censeo, uxorem non indigere illa commissione; sed authoritate propria posse illa executioni mandare. Ratio est, quia uxor, & non maritus successionem habet hujus Capellæ, Patronatus, & maioratus, & illius dominium non est apud maritum, sed uxorem, ut mox ex DD. ostendam; ergo si apud uxorem maioratus, & capellæ bonorum residet dominium, ad illam onerum satisfactio pertinet.

26 Ostenditur, quia si sermo sit de præsentatione capellani ad capellam, communiter docent Doctores ab uxore, & non à marito esse habendam; ex ea ratione, quia bona capellæ; aut maioratus in dotem dari nequeunt, ita ut dominium ad maritum transeat. Sic cum pluribus Molin. *de primog. l.* 1. *capit.* 24 *numer.* 32. Lara *de Anniversf. & capell. l.* 2. *capit.* 3. *numer.* 29 Garcia *de benef. part.* 5 *capit.* 9. *numer.* 185. Gutierr. 3 *part. de tutel. cap.* 29. *numer.* 4. & alij quos refert, & sequitur Castr. Palaus *tom.* 2. *tract.* 13. *de benef. disput.* 2. *punct.* 4 *num.* 27. ergo si ad uxorem præsentatio capellani pertinet; etiam ad illam pertinebit onerum capellæ satisfactio. Accessorium enim sequitur principale, *Regul. Accessorium, de regul. jur. in* 6.

QUÆSTIO XXV.

Datâ mutatione in augmento, & decremento reddituum capellaniæ, & in numero Missarum celebrandarum, quando Capellaniæ sit satisfaciendum, & administratori damnum patienti?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *In incremento reddituum tenetur administrator tradere stipendium in institutione designatum.*
3 *Executionem non habet ex contractu irrito cum Religiosis inito.*
4 *Ex casu raro redditus stipendij ad minutionem rediguntur.*

5 *Ad S. Pontificem tenebatur recurrere, & non ad contractum, nec ad Provisorem Regium Administrator.*

6 *Qui provisor nullam protulit sententiam etiam dato, quod in taxatione justi Missæ stipendij, aliquid potuisset.*

7 *Contractus initus ob defectum jurisdictionis, fuit nullus.*

8 *Episcopus ante, vel post Conc. Trid. facultatem non habet moderandi Missas in limine fundationis positas.*

9 *Nec possunt Religionum Generales.*

10 *Nec Provinciales.*

11 *Conventio inter partes fuit irrita.*

12 *Adducuntur DD. asserentes, posse superiorem Regularem, & sacerdotem reducere Missas ad minorem numerum, quando fructus decreverunt.*

13 *Adducta opinio ut improbabilis non admittitur.*

14 *Assertum Henao non admittitur.*

15 *Secundus contractus inter partes æquitatem non servavit.*

16 *Etiam fuit nullus, quia fuit initus, post Decretum de celebrat Missarum.*

1 REmualdus, ante Concilium Trident anno circiter 1550. in suo testamento capellaniam perpetuam Missæ quotidianæ in capella Regularium instituit, jus pro stipendio sex modios magnos singulis annis assignavit in proprio fundo, ex quo singulis annis in redditibus octo modios magnos, & viginti mensuras, *vulgo alqueires* colligebat. Ex his sex modij magni erant pro dicto stipendio. Ex residuo administratori modium magnum legavit, cum onere faciendi celebrare in eadem capella, & per eosdem Religiosos singulis annis septenas Missas eleemosyna non designata; & octoginta mensuras quæ supererant, administratori pro labore, & administratione horũ bonorum relinquit. Etsi fundus aliquid amplius reddisset, pauperibus elargiretur. Succedentibus annis fundus inundationibus Tagi, ita in partem perijt, ut non jam solitos reditus, sed vix sex modios magnos ad stipendium Missæ quotidianæ reddebat. Ortâ lite inter Religiosos, & administratorem in judicio capellarum; & sententia non expectata; Regulares, & administrator convenerunt: Quòd hic singulis annis, pro Missa quotidiana, quatuor modios magnos frumenti solveret. Religiosi autem, authoritate propria, Missarum numerum diminuerunt; non ad rationem eleemosinæ solitæ; nam sic in illis quatuor modijs, adhuc habebant singulis annis superabundantem sed ad frumenti modios; in qua Missarum diminutione, per multos continuarunt annos. Denique assiduâ Tagi vicinitate, & fundi diminutione, etiã illius redditus in diminuitionem venerunt; ita ut nec illos quatuor modios ad Missam redderet. Quare iterum ortâ lite apud Iudicem capellarum; Tandem illam non prosequentes convenerunt: Religiosos habituros deinceps quatuor partes redditiuum fundi, & administratorem quintâ parte contentum fuisse; & in hoc contractu per viginti annos perstiterunt. Quibus elapsis, Provisor Regius illorum agrorum, vulgo *Provedor das valias* omnibus in illis agris habentibus fundos, præcepit; juxta illorum mensuras, & terræ quantitatem, mulctam sibi indicerent, ut ostium fluminis Alpiacæ aperiretur. In caput nostri administratoris propter fundũ suæ administrationis, ceciderunt centum supra quinquaginta aurei. Hoc beneficio alter redditus fundus, mox novenos reddidit magnos modios, & hoc numero pro anno sequenti locatus est; quin Religiosi de hac locatione notitiam haberent. Imo anno præcedenti abundantiæ, in quo receperunt quatuor magnos modios, dixerunt deinceps se esse contentos illo numero quaterno modiorum frumenti. Ex his mutationibus plurima obrepserunt dubia, de quibus fuit interrogatus, de præcipuis *in seqq. tit.* & in illis minora continentur. Quæritur 1. An administrator, dato eo incremento fundi, Religiosis teneatur dare sex modios magnos frumenti juxta dispositionem testatoris? 2. An Religiosi, aut administrator Missas omissas pro tempore, quo fundus necessarijs redditibus non currebat, teneantur adimplere? An illi centum, & quinquaginta aurei ab administratore consumpti in fundi utilitatem pro omnibus legatarijs distribui debeant? 4 An administrator ex salario pro labore à testatore sibi relicto, teneatur pro rata ad expensas factas pro reparatione fundi? 5. An administrator compensare se possit in illo redditiuum incremento, pro suo salario, & legato, quæ non habuit in illis penuriæ annis? 6. Quæ eleemosyna pro onere septem Missarum, pro legato unius modij relicti, ab administratore designanda sit? Et incrementum ex reparatione fundi erogandum sit absque diminutione pauperibus?

§. I.

An administrator, dato incremento in redditibus fundi, Religiosis teneatur dare sex modios magnos juxta dispositionem testatoris?

2 Respondeo, teneri; quia datis ijs fundi redditibus, & onere illos tradendi; ab administratoribus anterioribus ipsum onus fuit acceptatum; nec ab aliquo potestatem habente, eo onere liberati fuerunt, & sic datis reddibus, sẽper remansit idem onus, *juxta regul. Quod semel placuit, 21. de reg. jur. in 6. amplius displicere nõ potest.* Ratione ostenditur, quia dũ administrationem capellaniæ præsẽs administrator retinet, nec S. Pontificem ante, aut post Concil. Trid. adijt, ut numerum Missarum minueret, &

stipendium taxaret, & dantur modij magni à testatore designati, obligatur integre suo oneri satisfacere. Dixi: *Nec adijt S. Pontificem*, quia adire non poterat Provisorem capellarum; nam, licèt capellania esset sæcularis, ille se intromittere non poterat in taxatione justi stipendij, nec in redigendo numerum Missarum ad minorem illo, quem capellaniæ fundator designavit; quia res est spiritualis, & materia, quam respicit, maximè spiritualis, ut sacrificium Missæ, & personæ Ecclesiasticæ, nempe Religiosi, quibus stipendium modiorum pro Missis designatur; ita tradunt Castr. Palaus *tom* 4. *tract*. 22. *disp. unica, punct*. 15. *num*. 6. Henao *de sacrif. Missæ disp*. 31. *num*. 89.

3 Et licèt sententia de recursu ad Provisorem capellarum sit probabilis, ut tradit Fagund. *in* 1 *Eccles. præcept. l*. 3. *cap*. 7. *num*. 16. & 17 & juxta ea, quæ dicta sunt *supra q*. 4. *numer*. 21. Provisor capellarum sententiam non protulit, ut *ex num*. 1 constat, nec administrator, & Religiosi illam expectare voluerunt.

4 Nec obstat 1. conventio facta cum Religiosis, ex qua administrator solùm tenebatur singulis annis illis tantùm tradere quatuor modios magnos, quibus libenter acquiescebant, etiam post reparationem fundi. Non, inquam hoc obstat, quia ea conventio cum Religiosis facta fuit nulla, & nullius roboris, ut mox dicemus *num*. 6. Nec taciturnitas Religiosorũ administratori aliquod tribuit jus, quia ignorabant redditus fundi post reditum ad meliorem fugem: ignorans autem nec agere, nec consentire censetur, nec pacisci dicitur, ut jam *supra* diximus, & videri potest apud Barbos. *tract. de axiom* 113. *num*. 13.

5 Nec obstat 2. dicere: licèt fundus pro statu præsenti in redditibus haberet novem modios magnos, decursu tamen temporis minus potuisse reddere; & sic novas lites exurrecturas, ut elapsis temporibus exurrexerunt; ne ergo ad eas revertatur, satius erit in contractu imo permanere, illi enim sponte Religiosi acquiescunt. Non, inquam, obstat, quia respondetur 1. illum contractum fuisse nullũ, & quod nullum est, jus aliquod tribuere non potest, & perinde est, ac si nullo modo fuisset factum. *Rot. decis*. 572. apud Farinac. 1. *part. recent*. Menoch *cons*. 230. *num*. 13. Secundo respondetur, non sequi esse lites exurgendas ex diminutione reddituum: nam reditus, vel uno, aut altero anno; vel per plures diminuentur; si uno, vel altero anno, in alijs erunt abundantiores, & sic diminutio unius anni, excessu, & alterius abundantia compensabitur; & æquum non est, ut propter hæc raro contingentia, Missæ permittantur non permanere, ut à testatore fuerunt designatæ; sic Perez de Lara *de Anniversʃ. & capell. l*. 1. *cap*. 15. *num* 18. & 19. Tambur. *in Method. celeb. Miss. l*. 3. *cap*. 1. § 3. *num*. 99. & cit. Fraxinell. & Rodrig. Pellizzar. *tom*. 1. *man. Regul. tract*. 6. *cap*. 3. *num*. 48. Henao *de sacrif. Miss disp*. 31 *num*. 96. Si verò per plures annos diminutio reddituum duret, tunc recurrendum erit ad Sedem Apostolicam, juxta Decretum *Sac. Congr. cit. quæst. præced. num*. 18. & *infra citand*. Sic alijs relatis Bordon *tom*. 1. *resol*. 25. *q*. 21. Pellizar. *proxime*. Si tamen fundus in totum pereat, & nullos afferat redditus, absque culpa administratoris, tunc Missæ in totum cessabunt; cum beneficium datur propter officium, sic *DD cit* & *infra citand*. & sic omnes lites exterminabuntur.

6 Nec ex contractibus cum Religiosis initis administrator manet liber ad solvendos eos sex modios magnos ipsis Religiosis; non manet liber per primum: nempe contractum, quia fuit nullus, sive fuisset mitus ante, vel post Concil. Trident. quia nec ante, nec post illud, potestatem habuerunt ipsi Religiosi, nec administrator, ad reducendas Missas ad minorem numerum: ad illam enim reductionem requiritur potestas, & spiritualis, & jurisdictionis, quæ in illis non dabatur. Dato enim, quòd habuissent causam ad reductionem; justa causa non dat potestatem, aut jurisdictionem.

7 Imo addo, nec Episcopum ante, vel post Concil. Trid. habuisse potestatem, reducendi ad minorem numerum eas capellaniæ Missas, tam ob tenuitatem, quam ob diminutionem stipendij. Ratio est, quia, ut inquit Marchin. *de Ordin. tract*. 3 *part*. 2. *cap*. 19. *num*. 2, & alij Concil. Trid *sess*. 25. *de reform. cap* 4 dum concedit Episcopis facultatem moderandi Missas, non constituisse jus novum, sed innovasse illam facultatem, quæ illis in conc. *Brachar*. 4 *act*. 4. *cap*. 16. *in fine*, tradabatur, & quæ habetur *in cap. Cum accessissent*, *& cap. cùm ex parte de constit*. Sed in Concil. Trident. *loco cit* non conceditur facultas moderandi Missas positas in limine fundationis Ecclesiæ, Beneficij, aut Capellæ, ut sustinent Tambur. *in Method. celebr Miss. l*. 3. *cap*. 1. § 2 *num*. 7. Henao *de sacrif. Miss. d*. 31. *num*. 48. Lezan. *tom* 1. *cap* 21. *num*. 6. *& tom*. 4 *Verb. Missa num*. 30 & pluribus relatis Dian 1. *part. tract*. 14. *resol*. 1. Barbos. *de potest. Episcop. alleg*. 29. *num*. 12. & *in collect. ad cit. locum Trid. n*. 7. Castr. Palaus *tom*. 4. *tract*. 22. *disp. unic. punct*. 15. *num*. 4. Sed Missæ dictæ capellaniæ fuerunt positæ in limine, seu fundatione ejusdem capellaniæ: ergo nec ante, nec post Concil. Trid. Episcopi habuerunt potestatem ad illas reducendas ad minorem numerum.

8 Nec etiam Generales dictorum Religiosorum ante vel post Concil Trid. ad minorem numerum poterant reducere Missas dictæ Capellaniæ in limine fundationis positas. Non ante, quia ante Concil. Trid. ad has aut alias Missarum reductiones nullam habuerũt facultatem: facultas enim illis in Concil. Trid. concessa, non fuit jus novum, ut ait Marchin *cit. dict. tract*. 3. *part*. 2. *cap*. 19. *num*. 2. & alij. Nec post Concil. Trid. nam facultas ibi concessa æqualis fuit illi, quæ concessa fuit Episcopis; &

& ut supra vidimus, Episcopis non fuit concessa ad moderandas Missas in limine fundationis capellæ positas: ergo nec illis. Et ita specialiter docent Henao *cit. dict. disp.* 31. *num.* 87. Lesan. *locis cit.* Tambur *dict. num.* 7. Pellizzarius *in Man. Regul. tract.* 6. *cap.* 3. *num.* 62. Et expresè constat ex Decret. S. Congr. Concil. *supra cit* ibi: *Ne Episcopus, aut Generalis reducat onera Missarum celebrandarum, aut post Conc. Trid. imposita, aut in limine fundationis.*

9 Ex hac resolutione, circa Generales, rectè infertur, non posse Provinciales dictorum Religiosorum extra, aut in suis Capitulis Provincialibus ad minorem numerum Missas in fundatione Capellaniæ reducere: Nam si Generales eam non habent facultatem, illam à fortiori non habebunt Provinciales. Nec oppositum innuit Castr. Palaus *cit num.* 3. nam loquitur de reductione Missarum in limine capellaniæ non appositarum, juxta ab eo tradita *supra.* Nec tenuit Bruno *part.* 2. *de privil. Regul. tract.* 8 *cap.* 1. *propos.* 8. referens hanc Card. Declarationem: *Religiosi, qui ob paupertatem sacerdotum, Missarum oneri satisfacere non possunt, in suis capitulis Provincialibus, prout magis expedire judicaverint, providere poterunt.* Nam præterquam, quòd non reperiatur apud Barbos. ut notavit Henao *cit. num.* 88. non est contra nos, nec loquitur de nostro casu.

10 Ex dictis tribus num. præcedentibus bene sequitur, conventionem inter eas partes initam fuisse nullam. Nam si Episcopi, Generales, & Provinciales eam Missarum reductionem moderari non poterant; multo minus eam inter se potuerunt ipsæ partes moderari. Et etiam dato, & non concesso, quòd dicti Prælati eam efficere potuissent, ab illis fuisse factam non constat.

11 Non obstat 1. dicere, licitum esse superiori Regulari, ac particulari sacerdoti, propria authoritate secum convenire circa Missarum reductionem ad minorem numerum; quando decursu temporis census agri, aut domus pro Missis celebrandis in singulos annos, ita decreverunt, ut jam non sint, ut initio cõstituti, ad eas celebrandas Missas; ut defendunt Franciscus Bordon *in consil. Regul. tom.* 1. *resol.* 25. *num.* 37. Aversa *de Sacram. Euchar. q.* 11 *sect.* 18. §. *Quod si*, Franciscus de Lug. *de Sacram. l.* 5, *cap* 12. *q* 9 *num.* 27. Villal *in Arca Vital. in quæst.* 2. *de Just* asserentes, hanc reductionem Missarum per commutationem fieri ex æquitate, & justitia, & non per dispensationem. Idem videtur sentire Emman. Alvares Pegas, *Resolut. forens. practic. cap* 4. *num.* 237. ubi inquit ex jure, & aliquibus DD. diminutis bonis Capellaniæ, minui debere onus Missarum, & alia onera: sed in nostro fundi redditus decursu temporis ex fluminis alluvionibus ita decreverunt, ut jam non essent, sicut initio constituti: ergo si superior secum potest convenire, quando decrescunt redditus, etiam poterit cum administratore convenire, quod secum habet conventum.

12 Non, inquam, obstat, quia respondetur negando maiorem, nam ex ipso jure, ante Trident. & post ipsum Trident. S. Congreg. ex consensu, & approbatione S. Pontificis Vrbani VII. eam potestatem Episcoporum restrinxit, voluitque, ut immediate á Sede Apostolica non solùm ea reductio, sed etiam Missarum commutatio dependeret. Si enim eæ Missarum commutationes, seu reductiones à superiori, seu administratore authoritate privatâ fieri possunt, Ad quid requirentur tot jura, & Decreta Pontificum. Quæ privatam superant authoritatem. Quare prædictam opinionem ut improbabilem rejiciunt Azor 2. *part. instit. moral. l.* 6. *cap.* 24. *q.* 6 & expressius *tom.* 3. *l.* 12. *cap* 6. *q.* 4 Perez de Lara, *pluribus adductis rationibus, l.* 1. *de Anniversar. & Capell. l.* 1. *cap.* 14 Dian. *part.* 7. *tract.* 12. *resol.* 22 *& part.* 10. *tract.* 16. *resol.* 65. Quartus *in appendic. de Sacrif. Missæ q.* 4. *punct.* 2. *diffic.* 5 Alfonsus de Leon. *de offic capell. q* 5. *sect.* 14. *num.* 237. Pellizar. *in Man. Regul. tom.* 1 *tract* 6. *cap.* 3. *num.* 43. & 44. Tambur. *in Method. celebrand. Miss. l.* 3. *cap.* 1 § 2 *num.* 2 *in fine*, Henao *de Sacrif. Miss. disp.* 31. *sect.* 10. *num.* 90.

13 Non obstat 2. dicere: Quando stipendium Missarum est minus infimo justo, & non datur facilis recursus ad S. Pontificem, potest adiri Episcopus, ut inquit Henao *proximè n* 94 in fine; & si is non potest adiri, licebit privato sacerdoti (& idem dicendum de superiore] diminuere numerum Missarum, ut inquit ipse Henao, & Castr. Palaus *dict. tom.* 4. *tract.* 22. *disp. unic. punct.* 15. *num.* 7. ergo etiam si sit notabilis difficultas in adeũdo S. Pontifice, & Episcopo, poterit superior Religiosorum, & administrator capellaniæ diminuere Missas juxta quantitatem stipendij à testatore designati. Non, inquam, obstat id dicere, quia antecedens, non bene supponit dari notabilem difficultatem adeundi S. Pontificem: vel enim illa notabilis difficultas provenire potest ob distantiam, vel ob paupertatem, non primum, quia distantia non tollit, quòd in alijs negotijs ad S. Pontificem recurratur; non secundum, nam ne ea detur excusatio; dicitur, in eo Decreto *in Declarationibus* §. 1. à Sede Apostolica *absque ulla impensa esse id statuendum, quod magis in Domino è re esse judicaverit.* De difficultate adeundi Episcopum non est curandum, quia non sufficit post latum Decretum S. Congreg. sub Urbano, nec ante illud, quia bene inquit Castr. Palaus *loco cit.* eam difficultatem moraliter contingere non posse.

4 Nec etiam per secundum contractum manent liberi Religiosi, & administrator. Quia contractus fuit inter illos initus ob maiores redituum diminutiones, convenientes, quod fructus sequentibus annis percepti dividerentur in quinque partes, & quatuor perciperent Religiosi

ligiosi, & cum quinta maneret administrator. quæ divisio nec justa, nec aqualis fuit: nam juxta communem DD. doctrinam, fieri debebat pro rata inter duo legata á testatore relicta, & salarium administratoris, ut infra dicetur, nempe inter sex modios magnos pro Missa quotidiana, & modium magnum, pro septenis Missis in singulis annis, & portionem octoginta mensurarum pro labore administratori relictarum, ut tradit Sanch. *l.4 consil.cap. 2. dub. 11. num 5.* His tamen *ad* §. 3 relictis.

15 Ad contractum initum cum maiori Missarum diminutione, ex maiori fructuum diminutione, dicendum est fuisse nullum. Constat enim *ex num*, 1. fuisse initum post *Decretum S.Congr.sub Urbano VIII. editum* 21. *Junij anni* 1625. In quo Decreto annullantur quæcunque Missarum reductiones inconsultâ sede Apostolicâ: ibi: *Ac primò districtè prohibet, ac interdicit, ne Episcopi in Diœcesana Synodo, aut Generales in Capitulis Generalibus, aut alias quomodocunque reducant onera Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis; sed pro ijs omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis, ad Apostolicam Sedem recurratur, quæ re diligenter perspecta, id statuet, quod magis in Domino expedire arbitrabitur. Alioqui reductiones, moderationes, & commutationes hujusmodi, si quas contra hujus prohibitionis formam fieri contigerit, omnino nullas, atque inanes decernit.* Sic S. Congregatio.

§. II.

Quinam Administrator, aut Religiosi teneantur Missas omissas tempore, quo fundus fructus designatos non tulit; satisfacere?

SUMMARIUM.

16 *Constat, plures fuisse Missas omissas post utrunque contractum.*
17 *Certum est, non teneri administratorem.*
18 *Tenentur Religiosi.*
19 *Non excusantur ex contractibus nullis initis.*
20 *Etiamsi frumenti anni diebus æquarentur, etiam tenebantur, ad Sedem Apostolicam recurrere.*
21 *Ex doctrina Mendo probatur.*
22 *Hæc doctrina in præsenti verificatur.*
23 *Regulares ad Missas omissas ratione rei acceptæ tenentur, data bona fide.*
24 *Decretum S.Congr.ubique terrarum obligat.*

16 Ex dictis *numer.* 1. constat Religiosos Missas Capellaniæ singulis diebus nõ celebrasse, nisi eas tantùm, quæ stipendio designato adæquabant; & cum per plures annos quatuor tantùm modios magnos, & per plusquam viginti annos, quatuor tantùm partes fructus fundi recepissent, & missas per eos annos celebrassent, habita ratione totius stipendij designati, & non stipendij, singulis missis æstimati; certum est plures Missas esse ab illis debitas animæ testatoris.

17 Et certum est, has Missas omissas satisfacere non teneri administratorem. Ratio est, quia taxativè à testatore fuerunt designati sex modij magni pro eleemosyna Missæ quotidianæ cujuslibet anni: sed quando eleemosyna ex fructibus alicujus fundi taxativè designatur pro Missa singulis annis, aliunde supplenda non est, ex *text.in l.Cum certus ff. de tritic.vino, & oleo leg.* nec administrator, etiam si sit hæres testatoris, tenetur de suo solvere, quando fructus fundi designati fuerunt deminuti; ut tradunt Perez de Lara *de Anniversf. & capell.l.1.cap.15.num.20.& versf. sed tu dic*, & cum Fraxinell. Pellizzar. *in Manual. Regul. tom. 1.tract.6 cap.3.num.45.* Henao *de sacrif. Miss. disp.31.num.99.* Tambur. *in Method. celebrand. Miss l.3.cap.1.§.3. num.89.* ergo cum taxativè sex modij magni pro eleemosyna Missæ quotidianæ singulis annis sint designati, administrator de suo non tenetur, si diminutio datur in fructibus fundi.

18 An verò teneantur Religiosi ad eas Missas omissas? Certum mihi persuadeo teneri; & moveor primò, quia testator, absque aliqua distinctione, pro Missa quotidiana designavit pro singulis annis sex modios magnos frumenti, ex redditibus sui fundi, & Religiosi in hac forma, & absque aliqua conditione, acceptarunt; ergo illas omnes singulis annis non celebrantes ad omissas tenentur: Nam non adimplens id, propter quod aliquid datur, à cessante causa amittit datum, ut habetur per totum *ff.causa data.* Et Perez de Lara *de Anniversf & capell l.2. cap.8.num.3.inquit* ex ijs textibus, esse talem non adimplentem, capellania privandum.

19 Secundò, quia dicti Religiosi authoritate propriâ, & non legitimâ, Missas in limine, seu fundatione capellaniæ positas, ad minorem numerum reduxerunt; ut vidimus §. *antecedente* varijs in locis: sed tales reductiones fuerunt nullæ, ut ibi ostenditur; & quòd nullum est, perinde est, ac si non fuisset factum, ut ibi *num 5.* demonstratur: ergo ad omissas tenentur.

20 Tertiò, quia dato, quòd fundator capellaniæ tot reliquisset mensuras frumenti, quot erant Missæ celebrandæ singulis anni diebus; si non expressit, mensuram quandam esse ad rationem stipendij pro qualibet Missa, sed absolutè sex modios magnos frumenti designavit pro missis unius anni; non potest reductio ad minorem numerum fieri, absque authoritate Apostolica, tam ante, & post Trident. quam ante Decretum S. Congreg. sub Urbano, ex jure communi, & post ipsum Decretum. Alias enim eluderetur necessitas recurrendi ad Sedem Apostolicam. Poterit enim dicere Capellanus, aut nostri Religiosi: Fundator reliquit sex modios magnos pro Missis celebran.

celebrandis singulis diebus hujus anni. Unus modius magnus pro eleemosyna correspondet sextæ anni parti, & alij quinque modij alijs quinque anni partibus: ergo si fructus fundi decrescant pro quinta parte, pro quinquena anni parte diminuentur Missæ ipsius anni; & si decrescant pro duabus quinquennis partibus Missæ à me diminuentur pro alijs duabus quinquenis partibus; & eum solùm recipiam quatuor modios, solùm celebrabo Missas illis partibus correspondentes. Hoc autem non est dicendum. Ad quid enim tot jura, si ita quilibet procedere possit. Vide P. Henao *de Sacrif. Missæ disp.* 31. *num.* 99. in simili casu; & P. Mendo *de ordin. militarib. disquis.* 9 *q.* 5.

21 Quartò moveor ex doctrina Mendo *proximè num.* 41. quam approbat P. Henao citatus, sic dicentis: *Si legatum sit ducentorum ducatorum annuatim pro triginta Missis in singulos annos, etiam si decursu temporis centum tantum nummi aurei percipiantur, non esse diminuendum numerum Missarum, quia pro obligatione perpetua ad triginta Missas sufficiens, & commodum est id stipendium*: ergo a fortiori idem dicendum est in nostro casu: nam si legatum erat sex modiorum magnorum annuatim pro singulis Missis unius anni; etiam si decursu temporis, quatuor tantùm modij magni percipiantur, aut paucis mensuris minus sufficiens, & commodum est stipendium.

22 Hæc consequentia confirmatur: nam licèt his triginta annis elapsis in numero modiorum magnorum data fuisset diminutio; data non fuit in stipendio Missarum, nam tempore institutricis capellaniæ, unus modius magnus formenti, ut plurimum decem aureorum pretio æstimabatur: at tempore, quo quatuor modij magni frumenti, vel quatuor partes redditus fundi à Religiosis percipiebantur, quilibet modius magnus frumenti triginta, & quadraginta aureis ad minimum, constabat: ergo diminutio modiorum satis compensatur cum incremento pretij frumenti. Hæc ratio est adeo efficax, ut omnes magni faciant, quòd census potius in fructibus, quam in pecunijs solvantur; & ordinariè contingit, quòd eleemosyna olim in pecunia designata, hodie non sit congrua, & è contra, quæ in fructibus designatur, maius indies habeat incrementum; & cum dicta capella ante Tridentinum fuisset instituta, in quo vile erat frumenti pretium, hìc necessario debent in considerationem adduci. Non obstat, quòd etiam olim stipendium Missæ erat limitatum, & his temporibus maius habeat incrementum; quia ob multitudinem sacerdotum, & Religiosorum maximè extra hanc civitatem populosam, sacerdotes, & Religiosi, pro stipendio antiquitus currenti, contenti sint.

23 Nec obstat 1. quòd Regularis, qui his temporibus, bona fide unica Missa satis fecit obligationi plurium Missarum, ubi devenit ad malam fidem, non tenetur ad restitutionem: ergo etiam Religiosi, qui bonâ fide aliquibus Missis satisfecerunt obligationi Missæ quotidianæ, ad aliam restitutionem non tenentur. Antecedens admittit Bordon. *tom.* 1. *resol.* 25. *num* 22. ex ea ratione, quia obligatio restitutionis supponit culpam mortalem, juxta Sanch. *l.* 2. *Summ. cap.* 23. *num.* 160. & alios; vel saltem culpam venialem, juxta alios DD. hic autem nulla culpa intervenit, ut suppono sed etiam in prædictis Religiosis nulla culpa intervenit, ut supponimus: ergo ad Missas omissas per eos annos non tenentur. Non, inquam, obstat, quia respondetur negando antecendens cum Aversi. *q.* 11. *de Euch. sect.* 17. & Pellizzar. *in Man Regul tract.* 6. *cap.* 3. *num.* 56. Ad rationem dicendum est, cum Regularem non teneri ad restitutionem, ratione injustæ acceptionis, at tenetur ratione rei acceptæ; sicut tenetur ille, qui bonâ fide rem alienam accepit, putans esse suam; deprehendens postea suam non esse eam tenetur restituere: sic ille Regularis deprehendens non potuisse unica Missa obligationi plurium Missarum satisfacere, tenetur Missas omissas satisfacere. Eodem modo neganda est utraque consequentia: Regulares enim bonâ fide non celebrantes omnes Missas per eos annos, non tenentur ad restitutionem ratione injustæ acceptionis; & postquam cognoverint eam non practicari doctrinam, nec ante, nec post Decretum S. Cong. ut dictum est, tenentur eas Missas omissas celebrare, ratione rei acceptæ, nempe quatuor modiorum magnorum, aut quatuor partium redditus fundi, quas acceperunt, quin satisfacerent oneri Missæ quotidianæ in singulos annos, non aditâ Sede Apostolica, ut tenebantur.

24 Non obstat 2. non paucos DD. quos citatos invenies apud Henao *de Sacrif. Miss. disp.* 31. *a numer.* 114. docuisse, Decretum S. Congr. ab Vrbano VIII. confirmatum, & observari jussum; nec receptum, nec acceptatũ esse pluribus in locis, nec etiam in Hispania, ac proinde in Portugallia non obligare: ergo Religiosi poterant in ultimo contractu, cum administratore inito, Missas minuere, juxta stipendij diminutionem. Non, inquam, obstat, quia opinio eorum DD. ut minimum tanquam temeraria, & scandalosa ab Alexandro VII. anno 1665. fuit damnata, non formaliter, sed consecutivè; ut *ex propositi.* 8. & 9. *damnatis* inferunt Moya *tom.* 1. *qq. select. tract* 3. *disp.* 8 *q.* 6. *num.* 20. Carden. *in disp. select. tract.* 1. *disp.* 6. *cap.* 1. *art.* 11. *à num.* 416. at Decreta Ss. Pontificũ, quamvis in omnibus locis non publicentur, in omnibus tamen habere vim obligandi. Respõdetur adhuc dato, & nullo modo concessio, quòd id Decretum non sit in Hispania publicatum, nec in illa obligare; ab ipsis Religiosis negari nequit, in Hispania fuisse publicatũ Concil. Trident. & in illa obligare, & ipsum jus commune; & juxta hæc jura, non poterant

Religi-

Religiosi moderari, aut diminuere Missas in limine capellaniæ impositas ob diminutionem redditum fundi: nam ad id nec authoritatem, nec privilegium à Sede Apostolica habebant, ut *supra* demonstratur.

§. II.

An illi centum, & quinquaginta aurei ex mulcta Provisoris Vallarum per administratorem insumpti, solvi debeant à legatarijs ex reparatione fundi, utilitatem, & commodum reportantibus?

SUMMARIUM.

25 *Referuntur legatarij fundi reparati.*
26 *Dicti aurei impensi pro rata solvi debent inter Religiosos, & administratorem, ut legatarii.*
27 *Si fundus in redditibus tantùm ferat sex modios magnos Religiosis pro Missis legatos, ad Religiosos tantum tota pertinebit impensa.*
28 *Quando legata excedunt facultatem hæreditatis pro rata detrahendum est a legatis.*
29 *Ferendus non est, qui vult commodum, nolens sentire onus.*
30 *Non tenetur administrator, quia solus à Provisore vallarum fuit conventus.*
31 *Si fundus pereat culpâ administratoris, hic tenetur ad illius onera; at non tenetur ad reparationem.*
32 *In legatis pijs non præcedunt semper magis pia*

25 Ex dictis *num.* 1. constat, testatorem triplex constituisse legatum in redditibus sui fundi, habentis in redditibus octo modios magnos, & viginti mensuras frumenti. Primum sex modijs magnis constans, Religiosis fuit relictum cum onere celebrandi Missam singulis anni diebus in perpetuum. Secundum constabat uno modio magno, administratori relicto cum onere faciendi celebrare septenas Missas singulis annis. Tertium fuit conditionatum: si fundus extra redditus designatos, alios redderet, pauperibus elargiendum. Fundus autem ante reparationem nullos reddit, & pauperes nullos receperunt; at post fundi reparationem, superabundant octoginta mensuræ pauperibus distribuendæ. Non agimus in hoc §. de viginti mensuris supra modium magnum administratori ex suo salario, & labore debitis, & á testatore pro eo munere relictis. De his enim distinctius §. *sequenti* agendum erit.

26 Ad quæstionem in titulo propositam, respondeo, illam aureorum impensam pro rata esse solvendam à Religiosis, & ab administratore, qua legatario, & ab eodem, qua administratore habente salarium ut §. sequenti dicetur. Probatur primò, quia ille fundus habebat in redditibus octo modios magnos, & viginti mensuras de quibus taxativè per Religiosos, & administratorem disposuit testator: sed quando aliqua dispositio restringitur ad redditus alicujus fundi taxativè, si aliquis detur defectus, aliunde suppleri non debet juxta *l. Cum certus ff. de tritic. vino, & olio*: ergo ipsis met, inter quos facta fuit dispositio, suppleri debet; cum non dentur alij, à quibus suppleatur; & hæc resolutio cohæret cum his, quæ dicta sunt *supra num.* 17. cum DD. ibi cit. Et confirmatur, quia si hæres non tenetur ad eas impensas, & alius, ad illas non tenetur tenentur ipsi interesse habentes, seu legatarij, pro rata legati. Vide Perez de Lara *cit. ibi.*

27 Secundò probatur, quia si testator eũdem fundum in redditibus sex modios magnos tantùm habentem, ipsis solis Religiosis cum eo onere legasset; & ipse fundus indigeret illis centum, & quinquaginta aurejs, ut eos redditus quotannis redderet, certum est, ipsos Religiosos ad eam contributionem, & mulctam teneri, ne onus Missarum deficeret sua culpa: ergo etiam tenebuntur, quando non ipsi soli, sed cum alijs sunt legatarij in redditibus ipsius fundi; nam idem jus est de toto; quoad totum, quod est de parte quoad partem, *l. Quæ de toto ff. de rei vendic.* quia pars est ejusdem naturæ, & qualitatis, cujus est totum *l. Si grege legato ff. de leg.* 1 *Vide* Perez de Lara *cit. dict. l.* 1. *cap.* 15. *num.* 9. & alios *supra num.* 17.

28 Tertio probatur: Quando legata excedunt facultatem hæreditatis, pro rata ab ipsis legatis facienda est detractio illius excessus ut cum communi DD. tenent Sanch. *l.* 4. *decal. cap.* 11. *num.* 40. *& l.* 4 *consil. cap.* 2. *dub.* 11. *Bonacin. de contract. disp.* 3. *q. ult. punct. ult. numer.* 27. Valq. *de rest. cap.* 11. *dub.* 6. & alij plures, quos citant: ergo etiamsi agatur de incremento, seu reparatione legatorum, pro rata ipsorum, ad ipsum incrementum, seu reparationem concurrendum est: contrariorum enim eadem est disciplina §. *In principio, inst. de his qui sunt sui, aut alien. juris*: ergo nostri legatarij ad reparationem fundi, ex cujus melioratione dependebant incrementa suorum legatorum, pro rata debebant concurrere.

29 Quartò probatur: Ferendus non est, qui vult commodum, & onus sentire non vult, ut cum Card. Tusch. Bellet. & alijs tradit Barbos. *de Axiomat.* 169. *in l. secundum naturam ff. de reg. jur.* oppositum statuentem, sic: *Qui sentit onus, debet etiam sentire* & *commodum*: ergo ferendi non sunt Religiosi, volentes ex fundo sentire commodum sex modiorum magnorum, & nolentes onus contributionis ad fundi meliorationem sentire. Hoc enim injustum de illis præsumi non potest.

30 Nec obstat 1. dicere, Religiosos non teneri ad contributionem, & mulctam; & patet, quia si tenerentur ad eam, illos conveniret Provisor Vallarum, sed respectu de fundi solùm convenit administratorem, ut mulctam subiret ad utilitatem communem: ergo administrator

nistrator solus, & non ipsi Religiosi cum illo, pro rata ad illam tenetur. Non, inquam, obstat id dicere, quia Provisor Vallarum recurrit ad administratorem fundi, cui fundi cura, locatio, & collectio fructum incumbebat, & solvere legata ex illis, quibus relicta fuerunt. Nec ex hoc recursu ad administratorem bene arguitur, eum solum teneri ad multam, quia solus commodum ex fundo non capiebat.

31 Non obstat 2. dicere; convenire DD. quòd pereunte fundo ad Missas relicto, culpa administratoris, teneatur ipse, ad omnes Missas super ipsum fundum impositas. Ut tenent Tambor *in method. celebr. Miss. l* 3. *capit.* 1. §. 3. *num* 89. Henao *de sacrif. Miss. disp.*31. *num.*96 Bordonus *tom.*1. *resol.*25. *q.*21. & alij quos citat: ergo si ad mulctam, & contributionem non concurreret ad supplendas Missas, ea de causa diminutas, teneretur: ergo solus ad contributionem tenebatur. Non, inquam, hoc obstat dicere, quia antecedens eorum DD. est verum. Ex illo tamen non sequitur, administratorem teneri solum ad mulctam, aut contributionem dictam; nam administrator aliquorum bonorum, non tenetur ad impensas in utilitatem eorum bonorum factas, sed ipsi tantùm, qui in ijs bonis habent eam utilitatem & commodum Et hoc bene colligitur ex traditis à Molin. *tom.*2. *disp.*554. *vers. Quarto.* Loquente de negotiorum gestore, qui est quidam administrator, & à loquentibus de tutoribus, & curatoribus; qui etiam dicuntur administratores. Vide Fragos. *tom.*1. *resp. Christ. disp.*17 *num.*9. *Vers. sed quid dicendum.* Et alij communiter id docent.

32 Non obstat 3. Quòd, quando legata pia facultatem hæreditatis excedunt, & omnibus non potest satisfieri, prius legata magis pia solvenda sunt, quàm minus pia: his enim, etiam cum damno illa sunt præferenda, ut indicant aliqui DD. quos refert Ioannes Valerius *indifferent. utriusque fori, Verb. legatum, differ.* 2. *num.*2. Sed magis pium est legatum ad Missam quotidianam in singulos annos, quam legatum relictum ad septenas Missas in quolibet anno, & quam ipsum salarium administratori relictum: ergo ne periret fundus pro Missa singulis diebus in perpetuum, tenebatur administrator cum damno aliorum, contribuere juxta mulctam, ne fundus periret. Non, inquam, hæc obstant, quia respondetur 1. negando maiorem cum communi DD. *supra numer.* 28, asserentium in solutione legatorum non dari prælationem inter legata magis, aut minus pia, sed omnia pro rata esse solvenda; si tamen agatur de eorum incremento, aut melioratione, jam ibi vidimus pro rata illis, & suæ necessitati esse occurrendum. Respondetur secundò, dato, quòd inter legata pia, aut magis pia detur prælatio. At inter legata pro Missis relicta, unum præ altero, non dicitur magis pium: cum utrumque sit pro Missis, ad animam testatoris. Respondetur tertiò; licèt magis pium videatur legatum pro Missa quotidiana in singulos annos relictum, quam legatum pro septenis Missis, in singulos annos; de testatore præsumere non possumus, huic legato deficere voluisse, casu, quo redditus fundi pro parte deficerent, ut constat ex facta exceptione pro pauperibus, & non pro illo, nam de legato pro pauperibus, inquit, deficere, deficientibus redditibus, & de legato pro septenis Missis relicto, ea non inquit; exceptio autem in contrarium format regulam. *l. Quæsitum* §. *denique ff. de fundo instrum.* quæ maximè habet locum in concessione legatorum, ut videre est, apud Barbos. *tract. de axiomat.* 85 *num* 4.

33 De salario administratori relicto §. *sequenti* dicendum. Legatum verò pro pauperibus relictum, quoad hanc impensam, in considerationem venire nequit, quia illis nihil determinatum fuit relictum; & in determinato, non potest pro certa impensa certa imponi contributio.

§. IV.

An administrator ex salario à testatore sibi relicto, ad impensam pro rata teneatur, dum facta fuit pro utilitate, & commoditate fundi?

SUMMARIUM.

34 *Præcedenti* §. dictum est, administratorem teneri, quâ legatarium unius modij magni, cum onere septenarum Missarum singulis annis pro rata contribuere, ad impensam factam pro reparatione, & utilitate fundi facta In præsenti agitur; an quâ administrator salarium determinatum octoginta mensurarum habens ex administratione dicti fundi, teneatur pro rata contribuere ad impensam factam in commoditatem proficuam fundi? Et respondeo, mihi probabilius esse, teneri ex hac duplici ratione. Prima, quia fundus non solùm legatarijs, sed etiam ipsi administratori attingit, omnes enim emolumentum à fructibus ipsius fundi accipiunt: sed quod omnes tangit, & singulis est proficuum, ab omnibus, & singulis debet approbari, ut colligitur ex text. *in l. Per fundum* 11 *ff. de servit. rustic & Reg. Quod omnes*; 29. *de reg. jur. in* 6. ergo cum fundus omnibus sit proficuum, ab omnibus, & ipso administratore approbari debet, concurrendo ad impensam factam. Secunda ratio: Demus enim quod fundus nullos ferat fructus, Nullum salarium habebit administrator: Etsi demus, quòd medietatem fructus ferat, dimidiatum habebit salarium; & si fructus designatos ferat, suum designatum habebit salarium: *idem enim jus est de toto ad totum, quod est de parte ad partem,* ut dictum est,

est, ex ipso jure *num.* 27. ergo si legatarij contribuere debent, ut suum habeant legatum, etiam administrator, ut suum habeat salarium ad impensam factam contribuere debet.

35 Nec obstat *Ordin. Reg. l tit.* 62 §. 55. dicens, si capella non habeat redditus, quibus onera adimpleantur, administrator salarium, habere deberet, vel in compromisso designatum, vel designandum à Provisore: ergo semper debet habere suum salarium à testatore designatum, sive dentur redditus ad onera capellæ, sive non dentur. Non, inquam, obstat, quia Ordinatio solum exprimit, & vult, quòd administrator habeat salarium; dignus est enim operarius mercede sua; ut tamen mercedem habeat designatam, debent fructus existere in statu à Testatore designato, & ut dentur, debet contribuere. Ad quod faciunt dicta §. *antecedentia.*

§. V.

An administrator possit se compensare pro parte mulctæ, sibi non satisfactæ & pro legato, unius modij magni, & salario in illo incremento de novo adveniente, quæ per multos annos obtinere non potuit.

SUMMARIUM.

36 *Non potest in incremento fructuum de novo aucto.*

37 *Non potest in Religiosorum bonis, si alia via debita sua potest acquirere.*

38 *Potest occulte, si alia via sua debita non potest obtinere.*

39 *Incrementum non dicitur bonum ex industria acquisitum.*

40 *Non potest se compensare in fructibus ad pauperes pertinentibus.*

36 Ex dictis §. 3 constat teneri Religiosos pro rata ad mulctam contribuere; & etiam teneri ad restitutionem illorum fructuum pro rata, quos ex contractibus nullis acceperunt, pro illis annis, quibus fundus non reddidit designatos à testatore; quia pro rata fructus erat distribuendi inter ipsos, pro onere suscepto, & alijs oneribus à testatore designatis. De contractibus *à num.* 6. diximus, In præsenti ad quæsitum respondeo; non posse administratorem pro ijs bonis sibi à Religiosis non satisfactis, se compensare in illo incremento quadraginta mensurarum, quæ ex beneficio fundi acreverunt solitis olim redditibus. Ratio est evidens: quia illud incrementum fructuum ex dispositione testatoris, pauperibus debetur: compensatio autem fieri non potest ex bonis alienis. Sic cum communi Card. de Lug. *disp.* 16. *Justit n* 90,

37 Nec etiam potest se compensare in bonis, ad Religiosos pertinentibus; quando aliâ viâ suum debitum potest recuperare; petendo illud à Religiosis, vel coram judice; quia nullus potest propria authoritate possessorem spoliare: hoc enim ad judicem pertinet. Hæc resolutio est etiam communis. Cardin *de Lug. cit. num.* 91.

38 Si tamen administrator dicta debita à Religiosis nō potest recuperare, nisi cum magna difficultate, expensis, litibus, & molestijs, occultè potest se compensare; quia ex hac compensatione neque scandalum, neque Reip perturbatio sequitur, & hac ordinis inversione. Sic Card. de Lug. *proxime, & n* 91. Dian *part.* 2. *tract.* 2. *miscel resolut.* 48. & alij contra aliquos.

39 Nec obstat dicere, administratorem suis centum, & quinquaginta aureis, & proprio nomine ad fundi reparationem concurisse, repugnantibus Religiosis concurrere; & sic fructus ex reparatione fundi augmentati, sunt fructus suæ pecuniæ: ergo omnes illæ quadraginta mensuræ ad ipsum administratorem pertinent, quæ fuerunt adjectæ per reparationem fundi: Etsi pro rata ad ipsos religiosos pertinent, quia ad reparationem fundi pro rata concurrere tenebantur; ut supradictum est § 3. in hac parte ad Religiosos pro rata pertinent, se poterit compensare. Et quòd hi fructus ex factis expensis, ad administratorem tantùm, vel ad illum, & Religiosos pertineant, ostenditur, quia DD. communiter docent, esse fructus monasterij illos, quos in incremento ex industria Religiosorum habuit fundus, vel molendinum, seu viridarium, ipsi monasterio pro Missis legata; ut tradunt Tambur. *l.* 3. *Method. Miss. celeb cap* 1. §. 3. *num.* 92. Perez *de Lara l.* 1. *cap.* 15. *numer.* 18. & 19. Pellizzar. *in Man. Regul tom.* 1. *tract.* 6. *cap.* 3. *nu.* 31. Henao *de sacr. f. Miss. disp.* 31. *num.* 96 ergo etiam incrementum fructuum, quod fundus ex dicta contributione reddidit, vel tantùm pertinebit ad administratorem, vel etiam pro rata ad Religiosos, si dictæ contributioni pro rata satisfaciant.

40 Non, inquam, hæc obstant: Nam si vera essent, probarent non solùm ad administratorem illis quadraginta mensuras pertinere in solidum; quia solus concurrit ad mulctam; sed etiam illi quinque modij magni, quos tulit fundus, supra alios quatuor, post repatationem factam. Hoc tamen dicendum non censeo. Et hujus ratio est, quia fundus hoc incrementum in fructibus non habuit ex industria hujus administratoris, nec ex suo concursu centum, & quinquaginta aureorum ad mulctam, pro reparatione sui fundi; sed ex industria Provisoris Vallarum, & aliorum hominum, in illis scalabitanis agris sua prædia habentium; & convenientium, quòd authoritate, & præcepto judicis, sub certa pœna contribuerint, ob bonum commune, ad ostium fluminis Alpiacæ aperiendum, ne in agros

suum

ſuum curſum contortus deflexiſſet. Ex hac induſtria, & contributione, habita ratione menſuræ prædiorum perſonarum particularium, fundus noſtræ litis reparationem obtinuit. Quare dicendum non eſt ex induſtria, aut expenſis adminiſtratoris fundum in redditibus habuiſſe incrementum, ſed ab eo, ad quod adminiſtrator ex juſtitia tenebatur; Quod in exemplis á citatis DD. adductis non datur, & noſter caſus ab illis eſt maximè diverſus. His ita declaratis, illud incrementum, quod in fructibus pertinet ad pauperes; & ſuper illud pro ſuis debitis non poteſt adminiſtrator ſe compenſare; ut ſupra *num.*36. dicitur.

§. VI.

Quæ eleemoſyna ſeptenis Miſſis ſit deſignanda adminiſtratori legatario unius modij magni à teſtatore impoſitis? Et quid de incremento fundi pauperibus relicto?

SUMMARIUM.

41 *Eleemoſyna deſignatur à S. Congr. Concil.*
42 *Antiqua olim deſignata erat ſatis congrua.*
43 *Incrementum fructuum fundi ſingulis annis pauperibus erogandum.*

41 Reſolutio quæſiti, primo loco in tit. propoſiti, expreſsè habetur a S. Cc. Congreg. Concil. Trid interpretum, ſibi ab Urbano VIII. attributa, ad reſolutionem eorum, quæ propoſita fuerunt Decretis S. Congreg. *ſupra cit.* & ibi ad quintum quæſitum, ſic reſpondetur: *Ad quintum cenſuit, ubi nullam certam eleemoſynam teſtator reliquit, eſſe ab Epiſcopo præſcribendam eleemoſynam congruam, quæ reſpondeat oneribus Miſſarum celebrandarum, ſecundum morem civitatis, vel Provinciæ.* Sic reſponſio. Et cum teſtator legaſſet unum modium magnum frumenti ſuo adminiſtratori, cum onere dicendarum ſeptem Miſſarum, in quolibet anno, eleemoſynâ non deſignatâ; ab Epiſcopo erit deſignanda. In eo tempore, quo fundus ad quatuor modios magnos decreſcit; ex conventione partium fuit attributa eleemoſyna quindecim aureorum pro illis ſeptem Miſſis in quolibet anno, & ſimul pro lumine, vino, &c. quæ maximè excedit conſuetam pro Miſſis in civitate, & Provincia dicendis.

42 Sive tamen ea conventio fuiſſet inita ante, vel poſt Decretum S.Cc.cong. exiſtimarem eſſe ſatis congruam illam, quæ non excederet quinque aureos pro illis ſeptem Miſſis, & illarum paramentis, lumine, vino, &c. Etſi Religioſi huic eleemoſynæ non acquieſcant, recurratur ad Epiſcopum, qui forſan minorem deſignabit; ut tenet conſuetudo, & præſcribit S.Cc. Congreg.

43 Quod attinet ad ſecundum in titulo quæſitum, ſcilicet de incremento fructuum pauperibus relicto? Reſpondeo illud incrementum poſt reparationem fundi acquiſitum, (ſatisfactis legatis, & ſalario adminiſtratoris primo loco] abſque ulla diminuitione pauperibus ejuſdem Oppidi teſtatoris eſſe erogandum. Hæc reſolutio patet ex dictis, & præcipuè ex num.40.

QUÆSTIO XXVI.

An diſpoſitio tertij bonorum commiſſa teſtamentariorum arbitrio, ſit valida, & in operibus ſuis expendenda, aut ex illis bonis inſtitui poſſit capellania?

SUMMARIUM

1 *Facti ſpecies.*
2 *Teſtamentum fuit validum.*
3 *Validum etiam fuit legatum.*

1 ANtonius ſuum condidit teſtamentum, in quo ſuos nepotes in legitimis ſibi debitis hæredes inſtituit; & circa ſuum bonorum tertium diſpoſuit, quòd executores ab eo nominati, de illo pro ſua anima facerent, quod ipſe pro animabus ſuis faceret, ſi ab illis inſtitutus, illis ſuperſtes fuiſſet. Quærunt 1. An factâ eâ diſpoſitione, teſtamentum ſit validum? 2. An ex tertio bonorum ditiſſimo poſſint nepotibus hæredibus aliquam tradere partem, ſive teneantur totum in operibus pijs expendere? 3. An poſſint ex ijs bonis capellam inſtituere, cum onere certarum Miſſarum ſingulis hebdomadis pro anima teſtatoris in perpetuum celebrandarum?

§. I.

An validum ſit teſtamentum, in quo teſtator heredes inſtituit in ſuis tantùm legitimis ſuos nepotes & de ſuo tertio bonorum diſpoſuit ad arbitrium ſuorum executorum?

2 Reſpondeo, eſſe validum. Ratio eſt, quia in eo teſtamento, hæredes fuerunt inſtituti nepotes, qui tantùm dabantur hæredes neceſſarij, in ſuis legitimis portionibus. Imo etiam erat validum, ſi de nepotibus mentionē non faceret, diſponens tantùm de ſuo tertio; quia ex hac tantùm diſpoſitione, cenſetur illos inſtituiſſe in ſuis legitimis portionibus. Sic habetur expreſſe *in Ord. l.4. tit* 82. *in princip.* & declarant, exornantque Cald. Pereyr. *de nomin. q.9. num.*7. Negreiros Luſit. *in introduct. ad ult volunt. l.1. cap.4 numer.*23. Fagund. *l.* 6. *de juſt. cap.*13 *num.*17. Pinheyr. *de teſtam. diſp.*3. *num.*77 Et ſic factâ nepotum inſtitutione, anima teſtatoris manet legataria ipſius tertij bonorum, & non hæres Cald. Pereyr. *cit. num.*10.

3 Non ſolùm teſtamentum fuit validum, ſed etiam legatum tertij bonorum, eſto pia opera arbitrio executorum commiſſa fuiſſent.

Ratio est quia cùm sint designata in communi ad opera pia in animæ utilitatem, valida fuit dispositio; ut colligitur ex text. *in cap. Cum tibi, de testam.* & defendit cum communi sententia, & Covarr. Anton. Gom. Emman. da Costa, & alijs Molin. *de just. tract. 2. disp. 157. Vers. Legatum, aut.* Imo ex adductis verbis commissionis factæ, constat esse validum, sicut validum fuit hoc, ex hac dispositione: *Committo dispositioni Petri, & Pauli omnia mea bona, ut ipsi de illis faciant, aut disponant, prout voluerint, vel ut ego facerem.* Quia præsumitur, voluntatem testatoris fuisse, ut ea bona in utilitatem animæ suæ insumarentur, ut consuluit Fagundus *de Just. l. 6. cap. 3. num 24.* & tradunt Perez de Lara *de Anniversf. & capell. l. 1 cap 10. numer. 104* cum Bertach. *in repert. Verb. Animam meam*, & Fragos. *tom. 3 resp. Christ. disp 8. § 16. num. 508* ergo idem dicendum de præsenti casu, in quo verba legati sunt clariora.

§. II.

An executores possint partem aliquam ex tertio bonorum nepotibus testatoris tradere; an verò ea bona omnia teneatur in operibus pijs expendere?

SUMMARIUM.

4 *Tenentur ea omnia expendere in operibus pijs.*
5 *Testator censetur, se conformare cum dispositione juris communis*
6 *Voluntas testatoris præsumitur esse pro meliori parte.*
7 *Testator suum tertium in operibus jussit insumere.*
8 *Executores, irrequisito hærede, voluntatem testatoris interpretari possunt.*

4 Respondeo non posse. Moveor; Quia hæc fuit ultima voluntas testatoris animam suam instituentis legatariam, in illo tertio suorum bonorum; ut constat ex sua dispositione, & constat etiam; eos nepotes esse divites, & non indigere: sed executores sub peccato gravi testatoris voluntatem adimplere tenentur; ut docent communiter DD. quos referunt, & sequuntur Molin. *de Just. tract. 2. disp. 251. Vers Dubium item est*, Fragos. *dict. tom. 3. disp. 8 § 16 num. 473.* Pinheyr. *de testam. in appendice a num. 160.* & alij, quos citant.

5 Secundò moveor, quia præsumi nequit, testatorem voluntatem habuisse, relinquendi partem sui tertij nepotibus suis, illam non exprimens: quia omnis testator se conformare censetur cum dispositione juris communis, ex Gloss. communiter recepta *in l. Gallus, §. Quidam rectè, Verb. non exprimat ff. de liber. & posthum.* Et tradunt Curtius Junior; Rolandus, Tiberius, Decianus, & Raudensis, quos refert, & sequitur Perez de Lara *de Ann. & Capell. l. 1. cap. 21. num. 53.* Sed si hic testator partem sui tertij nepotibus relinquere voluisset, contra jus commune disponeret: nam de una parte disponeret, alia sine dispositione manente, & per consequens, quoad unam partem testatus, intestatus quoad aliam, quod leges non admittunt. Vide Card. de Lug. *de Just. disp. 22. num. 275.* & alios, quos citat. Dicendum ergo est, testatorem omne suum tertium pro anima sua reliquisse.

6 Tertiò moveor, præsumi non posse, eam testatoris voluntatem fuisse, etiam dato quòd ibi detur dubium; Nam in dubio, semper testatoris voluntas præsumenda est pro parte meliori, & sic interpretanda est, juxta *regul in cap. Cum dilecti, de donat.* & illa pars melior censetur, quæ in favorem animæ, vel causæ piæ redundat, ut tradunt Armill. & Fabien. quos citatos, sequitur Fragos. *dict. tom. 3. disput. 8. §. 16. num. 508.* Ægid. Lusit. *in l. 1. C. de Sacrosanct. Eccles. 3 part. § 1. num. 9 vers. Quare*, & alij jam *supra cit.*

7 Nec obstat 1. dicere, testatorem non totam suam tertiam, in operibus pijs pro sua anima expendere jussisse, sed tantum; *quod ipsi executores de suo bonorum tertio facerent pro sua anima, ut ipse pro eorum animabus faceret*: ergo ex vi horum verborum, non implicat, quod executores possint tertij partem in operibus pijs, & aliam partem cum nepotibus testatoris expendere. Non inquam, obstat, ut ex dictis pro nostra resolutione liquet.

8 Non obstat 2. dicere: Quando testator suæ interpretationem voluntatis dubiæ alicui specialiter non commisit, possunt executores, etiam irrequisito hærede, illam interpretari, ut cum Baldo, Anchar. tenet Fragos. *dict. tom. 3. disp 8 §. 16. num. 501* Sed verba dispositionis testatoris aliquam dubietatem continere videntur, dum expresse non disposuit, quod omnia suæ tertiæ bona pro illius anima insumerentur: ergo executores eam voluntatem interpretantes, possunt aliquam partem nepotibus tribuere. Non, inquam obstat, quia verba dispositionis fuerunt expressa, quod bonorũ tertium pro anima insumeretur, modum autẽ illud insumendi arbitrio executorum reliquit.

§. III.

An ex ijs tertij bonis executores capellam instituere possint, cum onere singulis hebdomadis in perpetuum certas, & determinatas Missas celebrandi pro anima testatoris?

SUMMARIUM.

9 *Possunt absolutè.*
10 *Possunt in ea institutione graviter suas onerare conscientias.*

9 Respon-

9 Respondeo, absolutè loquendo, posse. Ratio est, quia testator in sua dispositione jussit, executores ab eo designatos, de suo bonorum tertio, pro anima sua posse facere quod ipse pro eorum animabus faceret. Ex qua dispositione illud bonorum tertium in operibus pijs expendendum est, ut inquit Molin. *de just tract. 2. disp. 134. vers. illud juxta*: sed capellania etiam temporalis est opus pium, ut sustinent Navarr. *tom. 1. tract. de reddit. benef. Eccles. q. 1. 26. moneo num. 1.* Garcia *de benef. 1. part. cap. 2. num. 104. & 107.* Peres de Lara *de Anniversf. & Capell. l. 2. cap. 1 numer. 34.* cum Fabr. Guidon. Azor. *1. part. l. 10. instit. moral. cap. 3. vers. Hoc ut clarius explicem*, & *part. 2. l. 3. cap. 8. q. 3.* & alij: ergo ex illo bonorum tertio, capellaniam possunt executores instituere.

10 Dixi *absolutè loquendo*, quia in ea institutione capellæ poterunt executores suas onerare conscientias, imponendo tales conditiones, aut tam paucas Missas, ut potiùs videantur cum tertij bonis manere, aut consanguineos ditare, quàm facere quod de ipsis testator sperabat, aut quod ipsi de suis bonis fieri voluissent. Quare si rectè, & servatis oneribus Missarum, cum respectu proportionato ad redditus ipsorum bonorum capella instituatur; illis assentior.

QUÆSTIO XXVII.

An testator in suo testamento jubens bona sua in operibus pijs erogari per suum executorem, si alius testatoris debitor illa erogat, peccet mortaliter, & teneatur ad restitutionem?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *In quo sensu quæstio procedat.*
3 *Si bona fide illa erogavit, nec peccavit, nec tenetur ad restitutionem.*
4 *Si mala fide operatus est; testator tamen nulla opera pia in particulari designavit, non peccavit mortaliter.*
5 *Duo excusantia talem operantem, ex Molin.*
6 *Si testator pauperes designavit, nullos tamen in particulari, mortaliter non peccavit.*
7 *Si testator pauperes designavit, aut aliqua specialia opera pia, mortaliter peccavit, & tenetur ad restitutionem.*
8 *Si opera designata jam sunt mandata executioni, & solum restant elargienda pauperibus, non peccavit.*

1 ZAcharias in bonis habens quinque millia ducatorum, testamentum condidit, in quo animam suam hæredem suorum bonorum universalem instituit, designans executorem, ut ea omnia bona in pijs operibus distribueret. Franciscus autem illius existens debitor centum aureorum, de quibus, nec per chirographum, nec per aliam viam constabat, illos authoritate propria distribuit, dotando partem virgini pauperi; & aliam pauperibus erogando; Ignorabat tamen an in illa dispositione aliqua darentur legata particularia, quibus per suam particularem distributionem damnum inferret. Post factū quærit, An in ea distributione mortaliter peccaverit, aut ad restitutionem teneatur.

RESOLUTIO.

2 Siquidem ignorat de dispositione particulari legatorum, nobis utendum est aliqua distinctione, ut post notitiam dispositionis cognoscat, quando restituere teneatur. Vel enim testator nulla in particulari designavit opera pia, vel illa designavit: Si hoc secundum, vel designavit pauperes in communi, vel certum genus pauperum, nempe viduas pauperes, aut virgines dotandas; vel tot Missas pro sua anima, aut pro alijs obligationibus celebrandas; & reliqua pauperibus distribuenda. His distinctionibus præsuppositis, per sequentes conclusiones satisfaciam.

3 Respondeo, & Dico primò. Si Franciscus in ea pia opera designata, aut non designata à testatore, illos centum aureos insumpsit bonâ fide, existimans, ab ipso posse fieri eam erogationem, censeo ad nullam teneri restitutionem. Ratio est, qui licèt propria authoritate ea gesserit, bonâ tamen fide id gessit, & in nihilo factus est ditior, ut fatetur. Sic in simili Sanch. *l. 4 consil. capit. 2. dub. 18. numer. 1. in fine*, Vasques *in opusc. de testam. cap. 9. §. 3. num. 84.*

4 Dico secundò (præcisa bonâ fide) si nulla à testatore in particulari designata sunt opera pia, quamvis malè fecerit, eos centum aureos non tradendo executori testatoris, ut per illum in operibus pijs distribuerentur; testatori tamen quoad substantiam satisfecit. Et ex hoc peccatum mortale non commisit. Sic Sanch. *cit. in simili*, & expressè Molin. *tom. 3 disp. 742. num. 3.* non tamen ita expressè Bonacin. *tom. 2. de rest. in gener. disp. 1. q. 4. punct. 1 num. 8.*

5 Duo tamen tradit Molin. cit. ad præsentem casum congrua. Primum, si illi centum aurei absque probabili honoris, & famæ periculo executori tradi non possint, nullum peccatum committere ipsum Franciscum, eam distributionem per se ipsum facientem. Ratio est, quia ita præsumitur de testatoris voluntate; aliàs enim esset irrationabiliter invitus. Secundum: si difficile sit illud debitum ad testatoris executorem transmitti; & debitum nō sit magnæ quantitatis; peccatum mortale non interveniet, in eo præcisè, quòd executio per ipsum debitorem fieret. Sic Molin. Utrùm autem debitum prædictum magnæ quantitatis dicatur? Iudico non dici, respectu quinque milliū ducatorum in operibus pijs distribuendorum, juxta ea quæ dicuntur de parvitate

materiæ in opere servili pro die festo. Vide Castr. Palaum *tom.2.tract.8.disp. 2. punct. 3.* & alios ab eo citatos.

6 Dico tertiò: Si testator pauperes tantùm designavit; & non aliquos in particulari; Existimo Franciscum mortaliter non peccasse, eos distribuendo aureos pro dote pauperis Virginis, & alijs pauperibus. Ratio est, quia voluntati testatoris satisfecit; nam virgo pauper dotata, & alij erāt re vera pauperes. Et quā vis modum testatoris non servasset, tradendo eos nūmos executori, mortaliter nō peccavit, ut jam notavimus. Confirmatur, nam si executor pecuniam pauperibus erogandam pro dotibus Virginum distribuat, testatoris voluntati satisfecit. Ut cum Palatio, Baessa, & Pinell. tenet Fragos. 3.*part.disp* 8 §.16.*num.* 488. ergo etiam Franciscus; licet in modo non satisfecerit, qui defectus ad mortale non sufficit.

7 Dico quartò: si testator in particulari pauperes designavit, v. g. viduas honeste viventes; aut aliqua speciala opera, pia nempe Missas non poterat Franciscus illud debitum testatoris distribuere pro dote illa, aut pauperibus. Imo [præcisa bonâ fide] tenetur ad restitutionem; quia voluntati testatoris non satisfecit. Et ostenditur exemplo executoris, qui distribuens bona testatoris in alijs operibus pijs à testatore non designatis, ad restitutionem tenetur, ut dicunt Sanch. & Fragos. *locis cit.* ergo à fortiori tenetur Franciscus eam pecuniam distribuens, cùm nec sit executor, nec eam distribuerat; juxta dispositionem testatoris.

8 Si tamen ultra ea opera pia, à testatore speciāliter designata, & jam ab executore mandata executioni; vel habente bona testatoris, ut exequantur, pauperes etiam sint designati in communi; tunc juxta *supradicta* voluntati testatoris à Francisco est satisfactum.

QUÆSTIO XXVIII.

An legatūm viduis honestis relictum, distribui possit pro fæminis testatoris consanguineis, vitam cælibem agentibus; aut saltem ex dispensatione.

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Non potest distribui, ex ipso jure & DD.*
3 *Legatum orphanis relictum non potest tradi habenti patrem inutilem.*
4 *Proponitur opposita sententia.*
5 *Respondetur ad fundamenta opposita.*
6 *Probabile est, posse dictum legatum pro duabus, aut tribus tantum viduis testatoris consanguinis distribui.*
7 *Probabilius oppositum.*

1 NIcolaus in suo testamento disposuit de duabus Missis celebrandis singulis hebdomadis in designato sacello per sacerdotem consanguineum, si daretur, de quo casu egi *supra q.* 18 Et quod singuls annis bonæ famæ viduis centum mensuræ frumenti, distribuerentur. Hoc legatum ad hunc locum remissimus. Et circa illud duo quæruntur: Primum, An dictum legatum distribui possit pro fæminis testatoris consanguineis vitam cælibem agentibus? An saltem ex dispensatione.

§. I.

An legatum centum mensurarum frumenti, viduis honestis relictum, distribui possit fæminis testatoris consanguineis, vitam cælibem gerentibus?

2 Respondeo non posse, ex hac duplici ratione. Prima est, quia dictæ fæminæ licèt vitam cælibem gerant, vere non sunt viduæ, nec viduarum appellatione veniunt. Viduæ enim appellantur, & jure dicuntur illæ, quarum mariti mortui sunt, ut constat ex text. *in cap. vidua* 16.*dist.*34. ibi: *Vidua est, cujus maritus mortuus est,* & *ex text in cap.significantibus, de offic.delegat. cap.Ex tenore, cap. Ex parte, de foro compet.* & alijs cit. à Rebuff *ad l.*242.§.*Viduam, vers. Primo limitatur, de verbor.signif pag.*773 apud Barbos. *de Appell.*272.*n.*1. Sed legatum in propria forma, & specie est implendum; ut expressè habetur in Clem *Quia contingit, de Relig.domib.* & colligitur *ex Concil.Trid.sess.*25.*cap.*8. *de reform.* & DD quos citat, & sequitur Sanch.*l.*4.*consil cap.* 2.*dub* 13.*n.*2 ubi inquit, *hunc casum decidi a Panormit.cap.Ne pro defectu, de elect.n.* 2. *ubi inquit ex communi usu loquendi; tātum appellatur vidua, cujus maritus mortuus est. Unde si in aliquo statuto fieret mentio de viduis, intelligerem de relictis mortuis maritis.* Sic ex Panormit. Sanch. & alia in idem assertum, ex alijs refert DD. ergo cum fæminæ vitam cælibem gerentes Testatoris consanguineæ, nō sint Viduæ, in forma propria illis non potest distribui illud legatum.

3 Secunda ratio: Quia ex ijsdem juribus, & DD Asserunt Sanch.*cit.* Cardin. de Lug. *de just.disp.*24.*n.*303. Escobar.*tom.*5. *Theod. moral. l.*38.*sect.* 3.*de contract.gratuit, dub.*124.*nu.*496. Legatum relictum puellis orphanis, non posse dari illis, quæ patrem habent inutilem; ex data ratione, quia legatum impleri debet in propria forma, & specie: at quæ habent patrem quamvis inutilem, non sunt orphanæ in propria forma, & specie: ergo etiam idem dicendum de legato frumenti viduis honestis relicto quod dari nequit fæminis testatoris consanguineis, licèt maritos habeant inutiles, vel vitam cælibem agant.

4 Nec obstat, Dian.*part.*11.*tract.* 3.*resol.*8. ut probabile asserentem, illud legatum posse distribui, & dari fæminis vitam cælibem gerentibus; ex hac duplici ratione; prima, quia fæmina vitā cælibem agens venit appellatione viduæ

viduæ *in l. Malum* 242. §. *Viduam*, *ibi*: *Non solum eam, quæ aliquando nupta fuisset, sed eam quoque mulierem, quæ virum non habuisset, appellari, de verbor. signif.* Secunda, quia in confirmationem suæ sententiæ adducit Hieronymum Thausserum *in select. disput. volum. 1. disp. 3 Thes. 10. lit.* B. in probationem adducentem privilegium concessum, *in l. unic. C. Quando imperator, inter pupillos*, Viduis, quod ex eadem l. extenditur ad fœminas cælibem vitam agentibus, Quod etiam conceditur *in Ordin. l. 3 tit.* 5. §. 3, Eandem sententiam defendunt plures apud Sanch. *cit. numer. 1.* Et à fortiori idem dicerent de fœminis testatoris consanguineis. Non, inquam, hæc obstant, quia ex rationibus à nobis adductis, constat legata esse in forma, & specie propria adimplenda, si ita fieri potest; si ergo dentur viduæ honestæ; ad consanguineas vitam cælibem agentes, legatum applicari non potest. Si tamen viduæ proprie dictæ non dentur, legatum dari potest fœminis viros habentibus inutiles, & in hoc sensu, ut probabilem admitto dictam sententiam

5 Nec leges à Dian. adductæ aliud probant, non *l. Malum*, quia non loquitur proprie de viduis, sed tantum de ijs, quæ impropriè dicuntur viduæ; ut etiam loquuntur alij text. & Glossæ apud Sanch. *cit.* Nec Dian. & alij DD. id rectè probant *ex l. Unic. cit. Nec Ordin. proxima* privilegium viduis concedens, fœminis vitam cælibem agentibus, & maritos habentibus inutiles extenditur; nam eâ privilegijs extensione, alicui non infertur grave præjudicium, nec res alteri propria auferetur; nec jus ad aliquam rem acquisitum: at in præsenti grave damnum viduis, quæ verè viduæ sunt, infertur, quibus jus ad legatum est acquisitum; & non illis, quæ vitam agunt cælibem, vel viros habent inutiles, quia verè non sunt viduæ, sed impropriè & metaphoricè.

6 An verò dictum legatum, si in eo oppido duæ, aut tres fœminæ viduæ consanguineæ testatoris, & alhæ viduæ dentur non consanguineæ, possit his redictis, dari legatum illis duabus, aut tribus consanguineis? Respondeo probabiliter posse, quia præsumere possumus, has magis diligere, & potiùs elegisse testatorem. Sic cum Parisio, Padill. & Mantica Sanch. *l. 4. cons. cap. 1. dub. 60. num. 5.*

7 Probabilius tamen existimo, dictum legatum esse dandum omnibus viduis illius oppidi, sive sint, sive non consanguineæ testatoris. Primo quia testator solùm de Viduis mentionem fecit, & nō in particulari; de viduis suis consanguineis; cum illam fuerit de legato suæ capellaniæ, in casu, quo darentur clerici consanguinei; ut dicitur *num. 1.* & vidimus *supra quæst. 18.* Secundò, quia legatum fuit viduis honestæ vitæ, absque alia notatione relictum, per quandam propositionem indefinitam: propositio autem indefinita æquipollet universali, ut plures docent, apud Barbos. *tract. de Axiom. 123. num. 1. 2. 3. & 4.* & maximè in omni dispositione, ut tenat *a num. 11.* Tertiò quia est contra mentem testatoris. Sic contra Sanch. Card. de Lug *disp. 24. num. 80.*

§. II.

An dispensari possit, quòd dictum legatum viduis honestis relictum distribuatur fœminis testatoris consanguineis?

SUMMARIUM.

8 *Episcopus eam non potest concedere dispensationem; nec S. Pontifex.*

9 *Legatum Orphanis relictum dari nequit habentibus patrem inutilem. Nec Papa, aut Princeps legitimare naturalem cum præjudicio legitimorum.*

10 *S. Pontifex non potest auferre onus à donationibus Ecclesiæ factis, sub eo onere.*

11 *S. Pontifex legata, & ultimas voluntates non potest absque causa commutare; & multo minus, si jus alicui jam sit acquisitum.*

12 *Episcopus non potest commutare legatum inæquale, & melius de consensu hæredum, & nullo modo; si alicui jus jam sit acquisitum.*

13 *Non datur fundamentum ad aliam testatoris interpretationem.*

8 Respondeo, nec Episcopum, nec S. Pontificem posse commutare dictum frumenti legatum concessum à testatore viduis honestis, ut consanguineis fœminis testatoris distribuatur. Ratio est, quia nemo spoliari debet jure suo quæsito, ut ex textu *in cap. Discretionem, ad finem, de eo, qui cognovit consanguin.* & *ex l. 1. §. Si quid à principe, & §. Merito ff. nequid in loco public.* tradunt Sanch. *lib. 2. matr. disp. 22 num 6.* Fagund. *l. 5. de just. cap. 4. num. 16.* cum plurimis, quos ibi citant: sed viduæ honestæ illius oppidi testatoris jus acquisierunt ad illud frumenti legatum, ergo cum illarum præjudicio, nec ab Episcopo, nec à Summ. Pontifice potest illud legatum mutari ad fœminas pauperes testatoris consanguineas.

9 Confirmatur 1. qui ex eadem ratione, inquit Sanch. *l. 4. cons. cap. 2. dub. 13. num. 2.* non posse dari legatum Orphanis relictum puellis habentibus patrem inutilem. Secundò, quia ex eadem ratione tradit Gamma *decis. 278. nu. 12. & 13.* non posse Papam legitimare filium naturalem Regis Aragonum, in præjudicium fratris ipsius Regis, nec Principem filium naturalem, cum præjudicio legitimorum: ergo idē dicendum in nostro præsenti casu.

10 Tertiò confirmatur: Quia si hæc nostra resolutio non est vera, dicemus, quód possit S. Pontifex contra voluntatem contrahentium, de contractibus ab ipsis initis cū Ecclesia disponere cōtra eorū volūtatē v g. si quis

donet aliqua Ecclesiæ sub tali onere, posset cum præjudicio donatoris onus auferre, & sic donatorum voluntates defraudare, quod absurdissimum esset; ut inquit Cardin. de Lug. *de just. disp.* 24 *num.* 312. ergo etiam non poterit, contra jus à fœminis honestis viduis acquisitum, legatum ipsis relictum auferre.

11 Nec obstat 1. docere plures DD quos affert, sed non sequitur Sanch. *l.* 4. *cons. cap.* 2. *dub.* 1. *num.* 1. & 2. sequitur verò Torrecill. *in exam. potest. & jurisdict. Episc. tract.* 1 *quæst.* 7. *sect. unic. diff.* 12. *a num* 76. posse S. Pontificem absque causa commutare legata, & ultimas voluntates: ergo poterit supradictum legatum commutare, cum præjudicio dictarum viduarum. Non, inquam, obstat doctrina eorum DD. quia illam dicunt falsam apud ipsum Torrecillam Card de Lug. & Uvading. & oppositam tradunt communiter DD. Datâ tamen eâ sententiâ, illius DD. id non docent, quando jam in legatis, & ultimis voluntatibus alicui tertio acquisitum est jus, ut in nostro casu.

12 Non obstat 2. dicere, quòd plures DD. quos citat & sequitur Torrecill. *proxime dict. tract.* 1. *q* 7 *sect. unic. diff.* 12. *num* 65. asserunt, posse Episcopum commutare legatum in testamento relictum in æquale, & melius, de consensu heredum; sed æquale, aut melius est, quod dictum frumenti legatum distribuatur pro fœminis pauperibus testatoris consanguineis, quam pro viduis honestis: ergo. Non, inquam obstat opinio eorum DD quia oppositam ut veram sequuntur Molin. *disp.* 249. *Vers. Verùm autem.* Cardin. de Lug. *dict. disp.* 24 *num.* 313. Bonac. *de contract. disp.* 3. *q.* 17. *punct.* 8. §. 9. *num.* 3. Et quamvis Sanch. *cit. dub.* 3 *num.* 5. hanc communem, quam sequitur, dicat probabiliorem, unde traditam videatur sentire probabilem; non obstat, quia aliud est mutare legatum in æquale, aut melius, aut commutare illud de fœminis viduis, quæ ad illud jam habent jus acquisitum; quod nec Episcopus, nec ipse S. Pontifex possunt commutare, ut constat ex dictis.

13 Nec obstat 3. quòd ex interpretatione voluntatis testatoris, dictum frumenti legatum commutari possit; nam si testator prævidisset pro tempore futuro, suas consanguineas paupertate esse opprimendas; illis potius, quam viduis non consanguineis providisset; Quam dispositionem dum testamentum condidit, non fuit, quia erant divites. Non, inquam, obstat, quia nullum datur fundamentum, ad eam interpretationem; nam testator, quoad suæ capellaniæ ministerium de suis consanguineis clericis meminit; & ad manum erat, quod etiam de fœminis consanguineis meminisset; at illi magis pium visum fuit, dictũ legatum viduis relinquere distribuendum.

QUÆSTIO XXIX.

An fructus pendentes in vinea legata tempore mortis testatoris, sint hæredis, aut legatariorum?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Pertinent fructus ad legatarios ex jure, & DD.*
3 *Fructus pendentes in re vendita sunt emptoris.*
4 *Fructus pendentes pertinent ad successorem moratus à morte antecessoris.*
5 *Fructus percepti post aditam hæreditatem ad hæredem, & non ad fideicommissarium pertinent.*
6 *Fructus pendentes legatarijs debiti, restituendi sunt juxta æstimationem, quam habebant tempore mortis testatoris.*

1 TEleſphorus omnium ſuorum bonorum Mariam inſtituit hæredem; reſervans omne conflatile argenteum, & vineam ad debitorum ſolutionem, & ſuffragia deſignata, Reſiduumque pro certis conſanguineis diſtribui mandavit; & occubuit menſe Aprilis. Maria ſtatim hæreditatem adivit, & inculpabiliter legata diſtulit, & interim vineæ fructus collegit. Quæritur an dicti fructus ad legatarios, an ad ipſam pertineant?

RESOLUTIO.

2 Reſpondeo, pertinere ad legatarios. Probatur primò ex ipſo jure, nam id habetur expreſsè *in l. Nihil*, §. *Fructus*, ibi: *Fructus ex fundo pure legato, poſt aditam hæreditatem, a legatario perceptos, ad ipſum pertinere, colonus autem cum hærede, ex conductu habere actionem ff. de legat.* 1. & alijs, & ex DD. Molin. *tom.* 1. *tract.* 2 *disp.* 49 *in principio*, Sanch. *l.* 4. *conſ. cap.* 2 *dub.* 16 *num.* 1. Pinheyr. 2. *part. Emphyt diſp.* 8. *ſect.* 6. *num.* 120. & *de teſtam. diſp.* 4. *ſect.* 8. §. 13. *numer.* 1382. & alijs apud ipſos.

Probatur ſecundò ratione, qui fructus pendentes, vel ſunt pars rei, illos pruducentis, vel illius acceſſoris, juxta text. *in l Fructus pendentes ff. de rei vendic* ibi: *Fructus pendentes pars fundi eſſe videntur.* & DD. Fagund *de juſt. l.* 5. *cap.* 8. *num.* 2. Fragoſ. *tom.* 3. *Reip. Chriſt diſp.* 20. §. 4 *num.* 3 Caſtr. Palaus *tom.* 7. *diſp* 5 *punct.* 15. *nu.* 1. pluribus allatis: ergo fructus in vinea legata pendentes, cum ſint pars ipſius vineæ ad legatarios pertinent.

3 Tertiò probatur; quia fructus in re vendita pendentes, pertinent ad emptorem ex eo die, quo contractus perficitur, niſi aliud inter contrahentes ſit conventum, ut relatis pluribus, tradunt Fagunt *dict. l* 5. *capit.* 8. *numer.* 2. Caſtr. Palaus *loc. cit.* Card. de Lug *de juſt. diſp.* 26 *n.*

26.*numer.* 210. ergo etiam fructus in re legata pendentes sunt legatarij ex eo die, quo mortuus est legans; quia morte legantis, seu testatoris legatum perficitur, ut inquit D. Paulus, & dicitur *l.* 1 *ff. de testam.*

4 Quartò probatur; nam fructus pendentes pertinent ad successorem maioratus à die, quo mortus est antecessor, & non ad hæredes defuncti, ut probabilius contra Costam, Gammam, & Valasc. sentiunt cum alijs Benedict. Ægid. Lusit. *in l. Ex hoc jure ff. de just. & jur. vers Contrariam verò*, Fragos. *tom.* 3. *disp.* 20. § 4. *n.* 3 ergo etiam fructus pendentes in vinea, non ad hæredem, sed ad illos, quibus vinea fuit legata, a die mortis testatoris pertinebunt.

5 Nec obstat, quòd Immola, Ripa, & Mantica apud Pinheyr. cit. videantur sentire, illos fructus pendentes non ad legatarios, sed ad hæredem pertinere; ex hac ratione quia hujusmodi fructus, post aditam hæreditatem percepti, non acquiruntur hæreditati, cum per additionem desinat esse hæreditas, sed acquiruntur hæredi: sed hæc hæres, post aditam hæreditatem, eos fructus vineæ percepit: ergo ipsi, & non legatarijs acquisiti fuerunt. Non, inquam, hoc obstat, quia ut dicti fructus ad legatarios pertineant, sufficit, quòd ante aditam hæreditatem in vinea essent pendentes, & sic non hæreditatem auxerunt hæredis, sed legatum legatarijs, quibus vinea fuit legata.

6 Sub inquiritur tamen; an fructus immaturi pendentes, quando Telesphorus mortuus est, & collecti ab herede, quando jam erant maturi, legatarijs restitui debeant, secundum valorem, quem habebant, quando Telesphorus mortuus est, aut juxta eum, quem habebant, quando ab hærede sunt collecti? Respondeo debere restitui secundum æstimationem, quam habebant tempore mortis Telesphori: ita cum Peregrin. Pinheyrus *cit. disp.* 4. *de testam. numer.* 1382. Et quamvis à Peregrin dissentiat, quia hic loquitur de obligatione restitutionis a die mortis testatoris, & ille ex adita hæreditate, hæres Maria post mortem testatoris statim hæreditatem adivit. Eandem nostram resolutionem tenent Fagund. *cit. num.* 4. & 5 Cardin. *de Lug. dict. disp.* 26 *num.* 211. loquentes de venditione in suo esse perfecta. Ratio hujus, & nostræ resolutionis est, quia mortuo testatore dominium rei legatæ ad legatarium pertinet, in eo statu, quo invenitur, quando legatur.

QUÆSTIO XXX.

An lucrum pecuniæ datæ ad rationem census, & modius magnus tritici ex venditione de retro, pertineat ad hæredem, aut legatarios?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Lucra non soluta pertinent ad hæredem.*
3 *Potest etiam hæres sibi retinere omnes modios magnos non solutos.*
4 *Modius magnus, adhuc prædio adhærens, Legatarijs pertinet.*

1 ITerum reddit Telesphorus [de quo præcedenti quæst.) mandans in suo testamento dictæ Mariæ [quam omnium suorum mobilium bonorum hæredem instituit, exceptis conflatibilibus argenteis, & alijs, ut vidimus *præcedenti quæst. num.* 1.] quòd certam pecuniarum summam, quam ad rationem census sub certo lucro, singulis annis cuidam tradiderat, ad se ipsam reassumeret; ut poterat ex contractu inito illum dissolvens, & ea pecunia emptionem de retro redimeret, ex qua illi singulis annis solvebatur modius magnus tritici. Quæritur, An lucra illius pecuniæ & tritici modium magnum legatarijs teneatur restituere?

RESOLUTIO.

2 In præsentiarum non agimus de justitia contractus, dandi pecuniam ad rationem census cùm interesse; de illa agemus *infra disp.* 4. *q.* 1. Nec de pacto retrovendendi in favorem emptoris, aut in favorem, & emptoris, & venditoris. De his videantur Molin. Less. & alij apud Card. de Lug. *de just. disp.* 26. *sect.* 13. §. 1. ubi, etiam tractat de hac materia. Agimus tantum de quæsitis. Et ad primum, de lucro ex pecunia ad rationem census habito.

Respondeo, omnia lucra non soluta, & solvenda ex pecunia data ad rationem Census, pertinere ad Mariam hæredem, & non ad legatarios. Ratio est, quia ea lucra tam debita ex præteritis annis, quàm postea solvenda, sunt mobilia; & omnia mobilia, ex dispositione testatoris, pertinent ad Mariam, ut ad heredem. Quòd sint mobilia constat 1. quia ex mobilibus debita sunt mobilia, ut inquit Molin. *tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 68. *Vers. ut Panormitanus prope finem*: at pecunia ad rationem census tradita mobilis est. 2 Quia pecunia fœnori, seu cambijs deputata venit nomine mobilium, ut cum Pinell. Menoch. & alijs sentit Fragos. 3. *part. de Regim. reip. Christ. disp.* 8 §. 12. *num.* 383. *vers Quoad pecuniam*: ergo etiam fœnus, seu lucrum ex pecunia ad rationem census, data est mobile.

3 Ad secundum de modio magno tritici, ex emptione de retro habito, respondeo, posse dictam hæredem Mariam sibi retinere omnes modios magnos annis præteritis Testatori nõ solutos, quia utpote debiti, in mobilibus computantur. At modius magnus tritici, post aditam hæreditatem, & sibi solutus, ad ipsam non pertinet, sed ad legatarios, quibus prædium fuit legatum; quia computatur, ut immobilis, dum prædio adhæret. Utraque reso-

lutio ostenditur, quia pensiones decursæ non censentur legatæ, sed decurrendæ: pensiones autem non solutæ eorum modiorum in vita testatoris sunt decursæ, & post illius mortem & aditam hæreditatem, sunt decurrendæ. Sic ex Castr Palao *tom.7.de Iust. commut. disput.6. punct.2.num.7.*

4 Nec obstat, dicere, eos modios tritici esse immobiles, quia provenerunt ex re immobili, in qua erant impositi; & colligitur ex Molin. *cit* id probante *ex Clem. Exivi de paradiso, § cum que annui redditus, de verb. signif.* ibi: *Cumque annui redditus inter immobilia censeantur ex jure*: at modij tritici erant annui redditus: ergo non ad hæredem, sed ad legatarios pertinent. Non, inquam, obstat, quia nec Clem. nec Molin. loquuntur de modijs tritici jam præteritis annis decursis; nam hi sunt mobiles, ut ex se constat; sed de decurrendis: hi enim sunt immobiles, ut dictum est.

QUÆSTIO XXXI.

An legatum sub conditione nubendi, & expresse non ingrediendi Religionem relictum, amittatur dato Religionis ingressu?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Legatum non debetur, si Martina Religionem ingrediatur.*
3 *DD. oppositum concedentes præsumunt, eam fuisse tacitam testatoris voluntatem.*
4 *Legatum prædij sub conditione matrimonij relictum, at non relictum sub conditione Religionis; quia maiora sunt onera matrimonij, non acquiritur a Martina per Religionis ingressum.*
5 *Leges Authentic. de hoc casu non agunt; nec conditio in nostro casu habetur pro non apposita.*
6 *Nec l. Titiæ illi opponitur.*
7 *Voluntati testatoris standum est, quando sini dispositionis conformatur.*

1 GOndiçallus in suo testamento filiæ fratris sui Martinæ prædium reliquit opulentum, his verbis: *Si filia fratris mei Martina nubat, illi tale prædium relinquo; si tamen fiat Monialis, illud ei non relinquo.* Martina Religionem ingressa est. Quæritur, an amiserit legatum?

RESOLUTIO.

2 Respondetur, Martinam per Religionis ingressum amisisse legatum prædij à patruo sibi relictum. Probatur primò, quia in ultimis dispositionibus semper attendenda est voluntas testatoris, & observanda, quando aliud à legibus ob bonum publicum, non est dispositum; & liquet *ex l. In conditionibus 19. ff. de condit. & demonstr. l. si mihi, & tibi, §. sin, de leg. 3 l. penult. ff. eod.* & DD. quos jam *supra q.7.* citavimus: at in præsenti casu voluntas testatoris est expressa, nolentis suum prædium Martinæ relinquere, si Monialis fieret; nec contra illam jus commune aliquid disposuit: ergo per ingressum Religionis, & professionem in ea emissam, legatum prædij Martina amisit.

3 Secundò probatur; quia ideo plures DD. asserunt, posse prædium alicui puellæ legatum, sub conditione, *si nupserit*, eidem dari, si Religionem ingrediatur, seu si Monialis fiat, quia hanc præsumitur fuisse tacitam testatoris voluntatem. Sic Covarr. *l.1.var. resol. cap.19.num.10 post principium*, ibi: *Si alicui legata fuerint centum, si nupserit, & is Religionem fuerit professus, idem legatum adipiscitur; præsumitur enim testatorem de nuptijs cogitantem, idem facturum, si de ingressu Religionis cogitaret.* Nata, Boer. Ochagau. Basil. Pont. apud Dian. *part.5.tract.14 resol.35.* & alij apud Sanch. *l.1. de matr. disp.33.num.31.* Sic expresse, & clarè constat de voluntate Gondiçalli, noluisse suum prædium filiæ sui fratris Martinæ relinquere; si Monialis fieret: ergo facta Monialis legatum prædij amisit. Sanch. *cit. numer.30.* cum pluribus.

4 Tertiò probatur, quia illa conditio: *Si tamen fiat Monialis prædium ei non relinquo*, censeri nequit turpis, nec posita, ut Martinam à Religione averteret; sed ut maiori dote meliores nuptias inveniret, & sic haberet, quo decentius onera matrimonij portaret. Sic enim vidimus in pluribus maioratuum institutionibus, apponi clausulam, ne in illis Moniales, Religiosi, aut sacerdotes succedant; quæ clausula non apponitur, ut aliquà Religione, aut altari avertantur; sed ut familiæ conserventur; ut bene docent Sanch. Molin. Theol. & alij quos refert Fagund. *de just. l.1. cap.* 8 *nu.11.* ergo etiam in nostro casu, conditio *si Monialis fiat, ei prædium non relinquo*, non fuit, ut sobrinam Martinam á Religione retraheret, sed quia in Religione eo prædio non indigebat, & si nuberet, multum ei prodesset Hæc sententia est communis, non solum in terminis, in quibus de illa agimus, sed etiam, quando testator absolutè relinquit aliquod legatum alicui certæ, aut incertæ puellæ ad suas nuptias, quod ei tradi non potest, ut fiat Monialis, ut tenent innumeri, quos refert, & sequitur Sanc. *dict. l.1 de matr. disp.33. num.32.* Perez de Lara *de Anniversi. & capell. l.1 cap.21.nu.26.* Cardin de Lug. *de just. disp.24. sect.11.n.293* Fagund. *de just. l.1. cit. cap 8 num.11.* Molin. *tom 1. tract.2. disput 207. & alij.* Hanc communem sententiam probant, quia si legatum ad nuptias relictum datur Religionem ingredientibus, jam legatum in propria, & specifica forma non impletur; at ex jure & DD. ostendimus *supra q.28.num.2.* legatum in propria, & specifica

ſpecifica forma eſſe implendum, ſi fieri poteſt. Et idem dicere poſſumus, de legato à Gondiçalo Martinæ ſui fratris filiæ relicto; & ſi illa voluit eſſe Monialis, illud amiſit, aliter non adimpletur, ut expreſsè diſpoſuit teſtator. Et ſic in noſtro caſu tenet Sanch. *d* 34. *num.* 11. & alij ab eo citati.

5 Nec obſtat 1. contra præſentem caſum, quòd aliqui DD. docent illam conditionem; *Si Monialis fiat*, eſſe rejiciendam *per Authent. de Sanctiſſ. Epiſcop.* §. *ſed & hoc præſenti, & Authentic. niſi rogatis C de Trebell.* hi ſunt Bald. Decius, Acoſta, & alij, quos referunt Sanch. *dict. num.* 11. & Baſil. *Pont l* 3. *cap.* 7. *num.* 13. qui eos ſequitur, quia inquit, imperatorem Iuſtinianũ in favorem Religionis in eo Authentico ſtatuiſſe eas conditiones pro non adjectas eſſe habendas in caſu, quo ad religionem tranſiret legataria: ergo cum Martina ad religionem tranſijſſet, legatum prædij obtinebit, quia cõditio ſui patrui *Si Monialis fiat, prædium ei non relinquo* rejicienda eſt. Non, inquam, obſtat Authenticum, quia eum non habet ſenſum, ut ait rectè Sanch. *dict. diſp.* 33. *num.* 31. & *diſp.* 34 *num.* 11. nec DD. cit. & Baſilius, quia diſpoſitio illius Authentici continet jus novum; nam ante illud editum ſervandum non erat, ut verba illius Authentici apertè indicant; & ſic non debet extendi in præjudicium hæredum, nec aliorum, niſi ad illud tantùm, quòd continet, ſic Card. de Lug *de juſt. dict. diſp.* 24. *num.* 294. Etſi dicta conditio rejiciatur, erit cum præjudicio hæredis. Quare reſpondenũ eſt, eam novellam Iuſtiniani non loqui de caſu noſtro, in quo teſtator, ſeu legator expreſsè excluſit Religionem; ſed quando aliquid ſimpliciter, & abſolutè fuit legatum ſub conditione nuptiarum, nam hoc caſu præſumitur eam fuiſſe voluntatem teſtatoris, ut bene notant Molin. *tom* 1. *tract.* 3 *diſp.* 207. *verſ. Ad primum in fine*, Fagund. *l.* 6. *de juſt. cap* 5. *num.* 27.

6 Non obſtat 2. quia conditio, *Si tamen fiat Monialis, prædium ei non relinquo*, cùm ſit Religioni contraria, habetur pro non appoſita, & alia, *Si filia fratris mei Martina nubat, tale relinquo prædium*, habetur pro appoſita; & ſi Religionem ingreſſa fuerit, legatum illud comparare poteſt: ergo illi, & Monaſterio prædium debetur. Antecedens probatur *ex tx. in l. Titiæ*, ibi: *Titiæ ſi non nupſerit, ducenta, ſi nupſerit centum legavi. ff. de condit. & demonſtr.* Quæ lex concedit Titiæ nubenti; ut in judicio ducenta petat; quia conditio *ſi non nupſerit*, habetur pro non appoſita, quia eſt contraria matrimonio: ergo etiam Martina in noſtro caſu conſequetur prædium legatum, Religionem ingrediens, quia conditio illa, *ſi fiat Monialis, prædium ei non relinquo*, habetur pro non appoſita, quia eſt contraria matrimonio ſpirituali, quod præferri debet. Non, inquam, obſtat; quia ad antecedens reſpondetur, illam conditionem, *ſi Monialis fiat, prædium illi non relinquo*; nec eſſe contrariam Religioni, nec haberi pro non appoſita, quando teſtator, ſeu legans inductus fuit bono fine, ut Religionem excluderet; quia in illa Martina tanti non indigebat, ſi nuberet. Vide Molin. *cit. verſ. ſecunda concluſio*, Fagund. *num.* 27. Ad probationem *ex l. Titiæ* deductam, nihil arguitur contra nos, quia in ea *l. Titiæ* conceditur, ut petat ducenta, ſi nubat, quia conditio, *ſi non nupſerit* eſt contradictoria, *ſi nupſerit*, ut patet; & cùm ſit nociva Reip. habetur in jure pro non appoſita, utpote matrimonio repugnans: at in noſtro caſu conditio, *ſi fiat Monialis prædium illi non relinquo*, non eſt contraria Religioni, quando teſtator bono fine inductus fuit ad non relinquendum prædium, ſi Monialis fieret; ut diximus.

7 Non obſtat 3. quia *Si Titiæ legentur ducenta, ſi nupſerit; & centum ſi Religionem ingrediatur*; Si illa Religionem ingrediatur, ducenta conſequetur; & non ſolum centum relictum, quia hoc minus legatum, in eo, quo alio minus eſt, Religioni eſt contrarium, & ab illa avertens, & pro non appoſito rejiciendum ut tradunt Bartol. & Socin. *in l.* 2 *ff. de his, quæ pœnæ nomin. num.* 1. Anton. *cap. In præſentia, nu.* 23. *de probat.* Felin. *ibid. num.* 37. Sylveſt. *Verb. legatum* 1. *q.* 9. & *Verb. Hereditas* 4. *in fine*, Tabien. *Verb. Heres q.* 16 *num.* 17. Beja *in ſum. poſt caſum* 66 & alij plures, quos affert & ſequitur Dian. *part.* 2. *tract.* 16. *reſol.* 50. *fine*: ergo etiam ſi relinquatur prædium *ſi nupſerit*, & expreſsè non relinquatur, *ſi Monialis fiat*, hoc habebitur pro non appoſito, utpote à Religione avertente, & aliud aſſequetur: nempe prædium ſi Religionem ingreſſa fuerit: nam ſi ex parte rejecta valet argumentum, ut totum aſſequatur, etiam valebit ex toto rejecto, ut totum aſſequatur. Non, inquam obſtat, quia dato antecedente, reſpondetur negando conſequentiam: diverſa ratio eſt; quia ij DD. ſupponunt illa ducenta eſſe á teſtatore legata Titiæ. *ſi nupſerit*, animo eam avertendi, & retrahendi à Religione, & ſic ea conditio habetur pro non appoſita: at in noſtro caſu, is non fuit animus ſed quia in ſtatu matrimonij eo prædio indigebat, & non in ſtatu Religionis. Et in dubijs ſemper is animus, & bonus finis in teſtatore præſumitur; quando aliud non expreſſerit: malum enim non præſumitur, niſi probetur. DD. apud Barboſ. *tract. de axiomat.* 37. *num.* 4. & 142. *num.* 2.

8 Dixi, *dato antecedente*, quia probabilius illud negant Molin. *dicta diſp.* 207. *verſ Tertia concluſio*, Sanch. *l.* 1. *de matr diſp.* 34. Villal. *tom.* 2. *tract.* 30. *diff.* 29 *numer.* 7. Fagund. *l* 1. *Inſtit. cap.* 8. *num.* 11. *junct num.* 13. *& l* 6. *cap.* 5 *num* 25 & alij quos citant. Ex dictis ratio eſt manifeſta, & jam aſſignata; quia voluntati teſtatoris ſtandum eſt; & quia maiores expenſæ ad onera matrimonij ſuſtinenda requiruntur, quàm ad Religionis ſtatum; in quo Chriſti paupertas

ſectatur,

sectatur, contemptus mundi, & perfectio amplectitur; nec ex hoc fine excessus in legato nubenti relicto pro non appositio habetur; & etiam hoc patet ex qualitate legati, quod nubenti multum convenit, & non Moniali de commodo prædij non curanti.

QUÆSTIO XXXII.

An legatum orphanis maritandis relictum dari possit existenti, extra domicilium legantis?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Legatum relictum pauperibus distribuendum, inter pauperes oppidi in quo conditum est testamentum, vel testator habet domicilium, distribuendum est, nisi aliud ex conjecturis colligatur.*
3 *Si in eo oppido non dentur pauperes, vicinis erogandum est legatum.*
4 *Nullæ dantur conjecturæ, ut legatum Virgini Bracharensi detur.*
5 *In sententiam oppositam consentirem, si in domicilio testatoris, aut locis vicinis non darentur Orphanæ maritandæ.*
6 *Ex testamento DD. Bajulivi non datur libera potestas ad elegendas orphanas extra suum domicilium.*
7 *Ex Const. B. Pij V. colligitur, posse eligi pauperes cujuscunque loci, quando ex fructibus amissis ob horas canonicas illis facienda est restitutio.*
8 *Exemplum Provincialis oppositum non convincit.*

1 D. D. Ludovicus de Tavora Bajulivus de Leça, á civitate Portugallensi per leucam distanti in suo testamento duas reliquit dotes duabus Orphanis maritandis in singulos annos; quarum electionem commisit Rectori Collegij ejusdem civitatis, societatis IESU, cujus erat fundator. Unum ex his dotibus petijt virgo orphana Bracharensis civitatis, in qua nec testamentum condidit, nec redditus habebat, nec domicilium. Hoc enim habebat in oppido de Leça Bajulatus capite, & ordinis Militensis suprema dignitate. Quæritur; An executor, seu elector harum Orphanarum possit ad unam dotem, eligere Bracharensem, omissis domicilium habentibus in oppido de Leça?

RESOLUTIO.

2 Respondeo, non posse Moveor, nam quando testator aliqua disposuit legata, inter pauperes distribui, inter pauperes illius oppidi, in quo fuit conditum testamentum, distribuenda sunt; dummodo testator illud extra suum domicilium nõ dedisset aut ex conjecturis aliud non colligatur. Sic ex text. *in l. si quis ad declinandum C. de Episc. & cleric.* ibi: *in qua testator larem fovere, & degere noscitur.* Et ex Gloss. *in cap. si pater 1. de testam. in 6. Verb. Pauperes*, ibi: *De pauperibus loci proprij sensisse intelligitur; ubi fomentum vivens, consolationes, & servitia à multis recipit.* Et DD communiter, pluribus relatis, Sanch. *l. 4. consil cap. 1. dub 60. num. 1. 2. & 3.* Card. de Lug. *de just. disp. 24. sect. 11. numer. 279.* & pluribus latè cit. Barbos. *in collect. ad cit. l si quis ad declinandum num. 13.* & *ad l Nulli licere, eodem titul num. 17.* Sed testator mortuus est in civitate Portugallensi, prope oppidum de Leça, in quo suum habebat domicilium, & bonam suorum reddituum partem; & absolutè disposuit in suo testamento, quod singulis annis duabus virginibus Orphanis darentur duæ dotes à Collegij Rectore electis: ergo degentibus in oppido de Leça dari debent, & non alijs extra illud testatoris domicilium.

3 Addit Menoch. *de arbitrar. cas. 222. num. 4. argumento cit. tex si quis ad declinandum*: Si aliquod legatum pauperibus relinquatur, & in eo loco, in quo mortuus est, seu domicilium habet legator, nulli dentur pauperes, legatum vicinis esse erogandum: sed in oppido de Leça dabantur plures virgines pauperes, & orphanæ, & Brachara per plures leucas, à Leça distabat, ergo habentibus domicilium Lecæ, dandæ erant dotes, & nullo modo habenti domicilium Bracharæ; etiam dato, quòd Lecæ nullæ darentur orphanæ pauperes maritandæ; quia civitas Portugallensis, & non Bracharensis, est ex locis vicinis domicilio testatoris.

4 Confirmatur nostra resolutio, quia nullæ dabantur conjecturæ, ex quibus colligi potuisset; dotem aliquam ab hoc testatore relictam, posse dari alicui orphanæ virgini Bracharensi. Quia nec ex ea civitate, nec oppidis vicinis hic Bajulivus aliquos percipiebat fructus, aut redditus, nec unquam in illa habuit domicilium, aut natale; nec ex verbis sui testamenti, circa prædictas electiones, aliquod dabatur verbum, ex quo colligi potuisset, posse eas dotes extrahi ad oppida, quæ ex domicilio testatoris non essent.

5 Fateor, me votis, & conatibus aliquorum subscribere studuisse; at in casu, quo dantur aliquæ virgines habentes conditiones requisitas in oppido de Leça, & post hoc oppidum, in oppidis vicis, nulla ex alijs ad has dotes potest eligi, sic sentio. Si tamen in his non darentur, poterat tunc locum habere illa Bracharensis. Cæterum aliquæ adduci possint rationes ad oppositum opinandum; nec aliquorum DD. deerit authoritas; sed dictis non obstant.

6 Non obstat prima ratio; quia quando testator suo commisit executori testamentario electionem pauperum, non tenetur executor pauperes domicilij testatoris eligere, sed potest quoscunque

quoscunque, undecunque sint, eligere, ut fatentur Gregor. Lop. *in l cit. Si quis ad declinandum C. de Episc. & Cleric. Vers De aquel lugar* Francus *in cap. Si pater 1. & cit. de testam. in 6. n.* 12. Ioann. Andreas, Domin. Lopes, ibi, Ancharr. *in cap. fin. de testam. in 6. num.* 12. Capella Tolesana 128. Collectarius *cap. Ioannes, de testam. num.* 10. Mantica *num.* 2. quos refert, & sequitur Sanch. *cit. dict. l* 4 *cap.* 1. *dub.* 60. *num.* 4. Contra Matienzo *l. 5. recop. tit.* 4. *l.* 14. *Glossa* 1. *n.* 10. & Covarr. *in cap. cum tibi, de testam. num.* 14 Sed testator D. Bajulivus Rectori collegij commisit electionem virginum orphanarum ad has dotes: ergo Rector non tenetur illas eligere ex domicilio testatoris, sed undecunque sint. Nô inquam, obstat ea opinio, quia nô equidem est vera juxta id, quod sentio. In ea tamen latet æquivocatio speciosa, quæ opponitur nostræ resolutioni, quæ ut manifestè appareat; Advertendum est legatum pauperibus relictũ, ordinariè fit sine electione hujus, vel illius, aut aliquorum particularium pauperum, & tunc per pauperes domicilij testatoris est distribuendum legatum; quia pauperibus tantùm favere intendit testator, & non ipsi executori testamentario. Alio modo pauperibus relinquitur legatum, distribuendum â testatore, committente ipsam electionem pauperum executori; intendente non solum pauperibus favorem, sed etiam ipsi executori; & cum ipse favor ad pauperes, & executorem attineat; mirum non est, quod amplietur quoad executorem ab aliquibus DD ut ipsos pauperes possit eligere undecunque sint: At quando legantur dotes ad virgines orphanas maritandas, cum omnes virgines non dotentur; necessaria semper est electio, & sine electione non dotantur, ut in pauperibus contingit, quia sæpius sine aliqua electione eleemosyna illis erogatur. Quare Rectori Bajulivo commissa est electio Orphanarum, ut illas eligeret; non potestate extra ordinaria, sed absoluta, juxta *textum cit. in cap. Si quis ad declinandum, & DD.* & quamvis nec textum, nec DD. in ea absoluta electione testator expressisset; dispositio semper intelligitur esse facta, & facienda juxta jus commune, ut notatum est, non semel in hoc opere, & quæcunque alia interpretatio est violenta, & improbabilis, utpote contra *l. citatam*; quæ disponit ea, quæ juxta illam diximus.

7 Non obstat secunda: Nam licet *in Conc. Lateran. Sub Leone X. & in Motu B. Pij V. incipiente Ex proximo Lateranensi* decernãtur fructus, quos beneficiarius non fecit suos ob omissionẽ horarum Canonicarum, erogandos esse, vel in fabricam ipsorum beneficiorum, vel in pauperum eleemosynas. Nomine *pauperum* non venire pauperes loci beneficij, in quo beneficiarius suum habet domicilium, seu redditus, sed quoscunque pauperes, ubicunque sint, tenent Soar. *tom. 2. de Relig. tract. 6. l. 4. capit.* 30. *num.* 20. Bonac. *de horis Canon. in 1. tom. disput. 1. q. 5 punct. 4. numer* 3. Dian 1 *part. tract. 12. resol.* 27. Filliuc. *tract. 23. cap* 10. Molfes *in sum. tract. 5. cap 5. num.* 22 Castr. Palaus *tom 2 disp 2. de hor. Canon punct. 7. num* 11 Leand. *tom. 6. tract.* 8 *disp. 7. q.* 29. & alij, quos citant. Ex hac ratione, quia in *supradicto* Motu, nulla apponitur limitatio: sed à nostro testatore D. Bajulivo nulla apposita est limitatio loci, circa electionem Virginum Orphanarum: ergo à Rectore poterant eligi virgines Orphanæ, undecunque essent ad dotes à testatore relictas. Non, inquam obstat, quia B. Pij V Motus, circa restitutionem eorum fructuum faciendam, vel fabricæ beneficiorum, vel pauperibus, ab ijs DD. intelligitur, casu, quo facienda sit restitutio pauperibus; & per pauperes intelliguntur pauperes, cujuscunque loci sint. Ex eo fundamento efficaci; quia hoc loco, si facienda sit restitutio fabricæ Ecclesiæ, designatur fabrica beneficiorum eorundum; non tamen (si facienda sit pauperibus) designantur pauperes loci, ut designantur in omissione residentiæ in Trident. *sess.* 23. *cap. de reform.* ibi: *aut pauperibus loci erogare*, ex quibus expressionibus in citatis Decretis, DD. justissimè firmant regulam in contrarium, in restitutione fructuum ex omissione horarum. An in nostro casu, in quo agitur de testamentis, & legatis, standum est dispositioni *l. cit. Si quis ad declinandum*, & DD. communi sensui, quando aliud non datur expressum à testatore, nec ex conjecturis, aliud colligatur.

8 Non obstat tertio, quod annis elapsis á Provinciali, illud visitante collegium, ad unam illarum dotium fuit electa virgo Orphana Bracharensis; & præsumitur, illam electionem maturo judicio fuisse factam: ergo etiam modo ita fieri potest. Non, inquam; obstat, quia fortasse illo anno, non dabatur fœmina dotanda ex domicilio testatoris, aut ex locis vicinis. Vel respondetur, Prnvincialem informationẽ sumpsisse ab illis, qui hoc jus non examinarũt, vel interesse obcæcati, ita non bene intellexerunt. Additur, exemplis non esse standum, quando veritas exemplis resistit, ut ex jure, & DD. ostendit Barbos. *tract. de axiom.* 86. *num.* 3.

QUÆSTIO XXXIII.

An administratrix bonorum cujusdam testatricis, tuta in conscientia maneat, per condonationem debiti, sibi factam à mercenarijs; & illas à marcenarijs, quando libuerit, removere possit; & illarum portiones, & capellani, authoritate Episcopi, ad minores reducere?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*

2 *Per condonationem spontaneam tuta manet; at non creditur, fuisse spontaneam.*

3 *Spon-*

3 *Spontanea non fuit ex metu amittendi mercenarias.*

4 *Si legatum mercenarijs non solvitur, poterunt ut sacerdos, deficiente stipendio, alias in suis orationibus habere applicationes.*

5 *Confirmatur ex doctrina Card. de Lug.*

6 *Idem ostenditur ex Ordin. Regia.*

7 *Condonatio debiti, est vera donatio, non tamen ad illam requiritur insinuatio, licet probabilius sit oppositum.*

8 *Non obstant leges adductæ, quæ in nostro casu non verificantur.*

9 *Nec nobis adversatur exemplum sacerdotis, ut n. 5. dicitur.*

1 MArcella nobilis fœmina, in suo testamento anno 1577. condito, duo reliquit legata. Primum, capellano ab administratore designando, sexaginta fanegarum typhæcarum, *vulgò sessenta fanegas de senteo*, cum onere celebrandi in sua capella quatuor Missas singulis hebdomadis in singulos annos pro sua anima. Secundum, duabus mercenarijs, etiam ab administratore designandis, & ad illius placitum removendis, & alijs substituendis; Legatum his assignatum pro singulis annis duodecim fangis typhæ constabat, [fanga quædam quatuor continet mensuras, *vulgo quatro alqueires*] cum onere recitandi singulis diebus in sua capella Rosarij Sanctiss. Virginis pro sua anima. Hoc legatum annuum per annos duodecim non obtinuerunt, incuria capellani, cui hæc demandata erat cura. Soluto tamen duodecimi anni; alia aliorum annorum condonarunt. Quæritur 1. An administratrix in conscientia secura maneat per condonationem à dictis legatarijs factam? 2. An illas removere possit à suis mercenarijs, cũ illi placuerit? 3. An authoritate Episcopi tam capellani legatum, quàm mercenariarum ad minus reducere possit, ex eo quòd excedat notabiliter eleemosynas solitas?

§. I.

An administratrix, per condonationes factas à mercenarijs; tuta in conscientia maneat?

2 Affirmativè responderem, si daretur, eas fœminas mercenarias liberè, & spontaneé eas fecisse condonationes. Quia tamen mihi persuadere non possim, illas eas omnino fecisse liberè, & spontaneè; censeo, administratricem teneri ad restitutionem legatorum annorum præteritorum. Et ad hoc judicandũ, moveor seqq rationibus.

3 Prima sit; quia condonatio illarum portionum, est quædam donatio, donatio autem est datio omnino liberalis, ut constat ex illius definitione: *Est datio liberalis irredibilis, id est non in commutationem pro re alia, quæ retribuatur*; ut ex D. Thom. & Aristotelle 4. *Ethic. cap.* 2. & *ex l. Senatus ff. mort. caus. donat.* colligitur: condonatio autem earum portionum in ijs circunstantijs, non fuit omnino liberalis, sed ex metu facta, ne ab ipsis mercenarijs expellerentur; aut ne illis lis moveretur; & cùm essent pauperes, administratrix autem dives, à lite, quam persequi nequibant, meritò timebant se esse casuræ: cùm ergo in praxi vix in similibus eventibus metus cessèt, condonatio facta non tenuit, quia non fuit omnino liberalis. Vide Rebell. *de obligat. Iust. part.* 2. *l.* 1. *q.* 5 *concluf.* 1 & alios apud Dian. *part.* 3. *tract.* 5. *resol.* 118.

4 Secunda ratio colligi potest ab exemplo cujusdam sacerdotis capellaniam habentis, & finito anno eleemosynam conventam non accipientis, nec valentis eam recipere. Pro sequenti anno hanc cõcepit intentionem]: Quòd Missæ quotidianæ applicatæ redderentur pro onere capellaniæ, casu, quo finito anno illarum, eleemosynam accepisset; quod Deus jam sciebat: sin autem, ex tunc illas pro his, aut alijs obligationibus applicabat; sic etiam dictæ mercenariæ se gerere poterant, dum suum stipendium non solvebatur, cum damno animæ testatoris, si forsan in Purgatorio existebat, & aliarum in illo existentium.

5 Tertiam rationem deduco ex doctrina Card. de Lug. *disp.* 21. *de Euchar. n.* 32. & Tambur. *in Method. celebr. Miss. l.* 3 *cap.* 1. §. 1. *numer.* 14. *Vers. in rigore* existimantium esse veram sententiam adductam à Dian. 1. *part. tract.* 14. *resol.* 13. de sacerdote partem eleemosynæ manualis Missæ condonante, si ab eo spontaneè, & omnino liberaliter condonetur. Quia tamen hæc condonatio plerumque fit ex metu, eas non accipiendi Missas, vel quòd fortasse aliæ de futuro non darentur; sequitur quòd condonatio non sit omnino liberalis. Et in alio, & non in hoc sensu intelligit Card. de Lug. DD. à Dian. *citatos*. Et in fine addit, hanc condonationem in praxi contingere non posse. Sic in nostro præsenti casu de condonatione facta à mercenarijs.

6 Quarta ratio desumi potest ab Ordin. Reg. *l.* 4 *tit.* 62. §. 1. ubi in ordine ad insinuationem ad donationes requisitam, præmittitur inquisitio: in qua donans interrogatur, num ab aliquo inductus fuerit ad donandum calliditate aliqua, fraude, metu, & similibus? Insuper quod interrogentur aliqui vicini donantis, de quibus præsumitur, hæc probe nõ ignaraturos. Si autem hæc inquisitio ad condonationes prædictas faciendas præcederet, crederem à senatoribus Palatinis, approbandas non esse.

7 Non intendo probare has condonationes debitorum per undecim annos debitas, fuisse nullas, quia in qualibet ex his mercenarijs excedebant centum, & quinquaginta aureos, quæ condonationes insinuatione indigebant, juxta *cit. Ordin. in principio*. Non; inquam

quam hoc intendo probare; nam ad condonationes debitorum diversis, & pluribus annis contractorum, insinuatio non requiritur, ut defendunt Bartol· *in l. Modestin. numer.* 1. *ff. de donat.* Bald. *in l. illud C. de sacrosanct. Eccles.* Sylvest. *Verb. donat.* 1. *q.* 7. ex part. Rebell. de *oblig. just. part.* 2. *l.* 18. *q.* 6. *num.* 8. quæ opinio cũ sit probabilis, & administratrici favet, de illa non curo; quamvis oppositam, ut probabiliorem sequantur, relatis Bartol. Anton. Gom. Gutierr. Gama Molin. *tom.* 2. 278. *Vers. Bartol.* Castr. Palaus *tom.* 7. *de just. commut. disp.* 2. *punct.* 23. §. 2. *numer.* 3. Fagundes *l.* 4. *de just. cap.* 9. *num.* 21.

8 Non obstat 1. dicere, condonationes illarum eleemosynarum esse veras donationes juxta *text. in l. In ædibus* §. 1. *in principio l. Modestinus*, & *l. Quidam in principio ff. de donat.* & Castr. Palaus *tom.* 7. *cit. disp.* 2 *punct.* 23 §. 2. *numer.* 2. Sed dictæ mercenariæ donare, non sunt prohibitæ: sunt etiam sub sua, & non sub alterius potestate: ergo condonare poterant eas debitas eleemosynas. Non, inquam, hoc nego, si condonationes fuerunt spontaneæ, & omnino liberales; secus dicendum si ex metu fuerunt factæ; ut ex dictis præsumitur.

9 Non obstat secundo sacerdotem, per alterum facientem Missam celebrare, posse sibi partem eleemosynæ manualis retinere, datam sibi ad eam celebrandam, si celebrans eam partem spontaneè condonet; imo, & totam eleemosynam manualem, quam pro sacrificio illo celebrando accepit, si alium inveniat sacerdotem, qui gratis eam celebret, ut tradunt Ioann. de la Cruz *in director. conscient. part* 2. *de sacrif. Miss. quæst.* 2. *dub.* 8. *concluf.* 1. Homobon *de exam. Eccles. part.* 1. *tract.* 4. *cap.* 14. *quæst.* 191. Villal. *in sum. prima part. tract.* 8. *diff.* 15. *numer.* 4. quos refert, & sequitur Dian. *dict.* 1. *part. tract.* 14. *resol.* 13. addens sic sensisse multos ex sua; & nostra Relig. nec non illustriss. de la Riba Vicarium Generalem, omnes ab eo consultos. Quæ sententia videtur certa, si sacerdos celebrans spontè, & omnino liberè eam partem, seu totam eleemosynam condonet; quamvis S. Conc. Congreg. authoritate Urbani VIII. *in Decret. edict.* 1625. *absolutè dicat*: *liberè absolutè integram eleemosynam tribuere sacerdoti celebranti, nec ullam ipsius partem sibi retinere posse*: Sed dictæ mercenariæ liberè, & absolutè condonarunt eleemosynas sibi debitas per annos undecim: ergo administratrix ipsarum condonatione tuta in conscientia manet. Non, inquam, hæc obstant, nam jam *supra* illi sententiæ *num.* 5. responsum fuit.

§. II.

An administratrix pro suo libito absque causa dictas mercenarias à mercenarijs expellere possit?

SUMMARIUM.

10 *Decisio dependet ab intellectu verborum testatricis.*

11 *Verba testatricis intelliguntur, datâ justâ, & rationabili causâ.*

12 *Oppositum est probabile, non tamen consulendum.*

13 *Licentia ad confessiones audiendas sine limitatione temporis, sine causa non revocatur.*

14 *Episcopus Vicarium Generalem eligens absolute sine limitatione temporis pro suo libito removere non potest.*

15 *Mercenariæ admissæ ad beneplacitum administratricis absque causa expelli non possunt.*

16 *Assignantur causæ justæ ad eam remotionem.*

17 *Verbum possit in dispositione voluntatem licitam importat.*

18 *Verba dispositionis interpretanda sunt juxta jus commune.*

10 Decisio hujus quæstionis dependet ab intellectu verborum testatricis, in suo testamento administratori dictorum, quæ sic habent: *Et poterit dictas mercenarias pro suo libito ab hoc legato expellere, & alias earum loco admittere.* Quæ verba *pro suo libito* coincidunt cum his *pro suo arbitrio*; An verò hæc verba importent in hac dispositione voluntatem liberam, aut regulatam, difficile est proferre sententiam.

11 Scio, non paucos DD. tenere clausulam *pro libito* importare liberam voluntatem, & non regulatam, sic Surd. *decis.* 10 *numer.* 50. Mar. Anton. *Variar. resol. l.* 1. *resol.* 74. *numer.* 8. Maresc. *etiam variar. resol l.* 1. *cap.* 22. *numer.* 30. præcipuè, quando dicitur: *libero tuo arbitrio committimus*, ex Decio *in l. In personam* §. *Generaliter num.* 2. *ff. de reg. jur.* Menoch. *de arbitrar. l.* 1. *quæst.* 7. *a num.* 33. Monet. *de commut. ultim. volunt cap.* 1. *num.* 143. fine, quos affert, & sequitur Barbos. *tract. de clausul.* 11. *numer.* 4. Quia tamen dicta administratrix illas fœminas ad eas mercenarias admisit absolutè, absque ulla determinatione temporis; censeo illas non posse pro suo libito dimittere, absque justa, & rationabili causa.

12 Probatur primò, quia approbatio ad audiendas confessiones alicui confessario concessa absolutè, & absque limitatione temporis sine justa, & rationabili causa, ab Episcopo revocari non potest, ut cum Ioann. & Ludov. à Cruce, Nuno & alijs defendit Leand

tom. 1. *tract.* 5. *disp.* 11. *q.* 86. & ego tradidi *in Expos. Bull. Cruc. disp.* 14. *num.* 92. Sed dictæ mercenariæ fuerunt electæ ad illud legatum absolutè, & absque limitatione temporis: ergo absque justa, & rationabili causa, ab eo removeri non possunt.

13 Secundò, Quia ex eo, quòd Episcopus absolutè, & absque limitatione temporis, Vicarium generalem elegit, illum pro suo libito ab officio removere non potest, ut tenent Ioannes Salorzanus *de Indiarum jure l.* 3. *capit.* 8. *numer.* 48. Ioannes Baptista Larrea. *in decis. Granas. decis.* 2. *numer.* 1. Machad. *tom.* 2. *l.* 4. *part.* 3. *tract.* 2. *docum.* 6. *num.* 4. quos refert, & sequitur Dian. *part.* 10. *tract.* 15 *resol.* 24. Quaranta *Verb. Capitulum, Sede Vacante* §. 12. *quæritur Vers. Dubitatur*, apud Barbos. de potest. Episc. *alleg.* 54 *numer.* 171. Licèt probabiliter, apud ipsos Dian. & Barbos. plures oppositum sentiant; sed dictæ mercenariæ absolutè, & sine limitatione temporis fuerunt electæ ad illud munus recitandi Rosarium pro anima testatricis, ex dicto legato: ergo pro libito administratricis non possunt removeri.

14 Tertiò; quia etiam dato, quòd dictæ mercenariæ à principio fuissent electæ, ad beneplacitum administratricis, adhuc absque justa, & rationabili causa non possunt removeri à suo legato. Ratio est, quia licentia ad audiendas confessiones, ad beneplacitum illam concedentis, non potest absque juxta & rationabili causa revocari, ut sentiunt cum Soar. & Fagund. Bardi *in Bullam Cruciat. part.* 2. *tract.* 5. *capitul.* 1. *numer.* 101. Card. de Lug. *de Pœnit. disput.* 21. *numer.* 63. & 64. Arriag *ibid. disp.* 42. *num.* 30 Leandr. *tom.* 1. *tract.* 5. *disput.* 11. *quæst.* 87. & ego *in expos. Bull. disp* 14. *numer.* 90. ergo etiam dato, quòd ipsæ fœminæ, ad eas mercenarias, ad beneplacitum administratricis fuissent admissæ, absque rationabili causa, expelli non poterant.

15 Si inquiratur, quæ causa dari possit justa, & rationabilis, ut hæc mercenariæ à suo legato acquisito, expelli possint: Respondeo cum distinctione: Si à testatrice aliqua assignata fuit; nempe, ut essent honestæ vitæ, seu ut viverent honestè, & tales non sint; validè, & licitè expelli possunt: Si verò nulla fuit assignata, & culpabiliter deficiant in ijs, quæ ad suam obligationem concernunt, licitè expelli possunt. Sic in similibus DD.

16 Nec obstat 1. dicere, dictionem *poterit* quando affirmativè profertur in aliqua dispositione, importare liberam voluntatem, & non necessitatem, ut ex leg. & DD. notant Sanch. *l.* 6. *de matr. disp.* 38. *numer.* 20. Melchior Phœbus *decis.* 9. *numer.* 6 Barbos. *tract. de dict.* 268. *numer.* 1. Sed dictio *poterit* affirmativè profertur in verbis testatricis: *Et poterit pro suo libito illas expellere, & alias substituere.* ergo administratrix, ex sua libera voluntate, potest eas fœminas à legato expellere. Non, inquam obstat; quia licèt dictio *poterit* de se liberam importet voluntatem, quando res disponendæ sunt in eodem statu, non tamen quando sunt in diverso: at mercenariæ in diverso sunt statu, quia absolutè, & sine aliqua clausula, ad id legatum fuerunt admissiæ, & post hanc admissionem, absque justa causa non possunt legato privari. Vel respondetur, *ut numer. seqq.*

17 Non obstat secundò dicere, verba esse intelligenda, & interpretanda juxta, suam propriam significationem *l. Non aliter ff. de legat.* 3. & Doctores apud Barbos. *tract. de axiom.* 222. *numer.* 24. Sed hæc verba: *Et poterit pro suo libito eas expellere, & alias suo loco substituere* Significant liberam facultatem, & voluntatem, expellendi eas fœminas, quando administratrici placuerit: ergo pro libito in quocunque tempore, & anni parte, possunt à legato expelli. Non, inquam, hoc obstat, quia respondetur ad minorem, non posse eas mercenarias à legato expelli, post absolutam, & sine limitatione temporis admissionem; quia hâc datâ admissione, perpetuæ supponuntur, ut colligitur, ex Ordin. Reg *l.* 1. *titul.* 62. §. 61. supponente, has mercenarias semel ad legata, & illorum onera admissas, esse perpetuas, ibi. *Quando aliqua mercenaria vacaverit, persona, cui incumbit illam præsentare, id intra mensem geret, & si gestum non fuerit, Provisor per se ipsum providebit.* Et juxta hanc legem Regiam intelligi debet dispositio testatricis, quando administratrix mercenarias ad hoc legatum providit absolutè, & absque limitatione temporis.

§. III.

An authoritate Episcopi tam Capellani, quâ mercenariarum legatum ad minus reduci possit, ex eo, quod excedat notabiliter elemosynas solitas?

SUMMARIUM.

18 *Ad minus reduci nequeunt.*

19 *Tenetur administratrix eas superabundantes eleemosynas singulis annis solvere.*

20 *Legatum in specie & mensura relictum, in eadem specie, & mensura ad implendum est.*

18 Respondeo, non posse. Ratio est, quia neque Summ. Pontifex, absque justa, & rationabili causa, commutare potest legata, & ultimas testatorum voluntates, ut cum cómuni sententia docent Sanch. *l.* 6. *consil. cap.* 2. *dub.* 1. *n* 3. & 4. Molin *tom.* 1 *disp* 249 *in princip. & expresè vers. Utrũ autè*, Card. *de Lug. de just. disp.* 24.

disp. 24. num. 312. & 313. diminuere verò legata, est illa mutare, seu commutare in minora.

19 Immo addo, teneri administratricem illa legata absque diminutione capellano, & mercenarijs solvere. Ratio est, quia censetur testatricem voluisse ipsum excessum illis legatarijs concedere, tum pinguem capellaniam, tum mercenarias superabundantes. Sic de Capellano Tambur. *in Method. celeb. Miss. l.* 3. *cap.* 1. §. 3. *num.* 73. & circa mercenarias Provisor Regius tenetur, juxta *dict. Ordin, l.* 1. *tit.* 62. §. 61. inquirere, an rectè ab administratoribus sint provisæ, juxta testatoris dispositionem.

20 Nec obstat, quòd diminutis fructibus in fundo ad Missas relictis, authoritate S. Congreg. Missæ reducantur ad minorem numerum: ergo fructibus accrescentibus, authoritate S. Pontificis, aut Episcopi, in ipsis fructibus fieri poterit diminutio. Non, inquam, obstat, quia in nostro casu mensuræ typhæ numero non sunt augmentatæ; quod vero illarum mensurarum decursu temporis valor excreverit; si non accrevissent, imo diminuerentur, non tenebatur administratrix excessum in valore legatarijs augere; sed illas mensuras tantum tradere, quæ ipsis legatarijs à testatrice fuerunt assignatæ, juxta ea, quæ diximus *supra q.* 26. *numer.* 6. ergo etiam quamvis mensuræ designatæ in valore crevissent, semper tradendæ sunt eædem mensuræ.

DISPUTATIO III.

DE CENSURIS, PÆNIS ECCLESIASTICIS, & Simonia.

QUÆSTIO I.

An virtute Bullæ Cruciatæ Lusitaniæ concessæ, in foro externo, censuræ à jure latæ absolvi possint.

SUMMARIUM.

1 *Quæ censuræ dicantur à jure, & quæ ab homine.*
2 *Virtute Bullæ Lusitanæ possunt absolvi censuræ pro foro externo, & judiciali.*
3 *Confirmatur ex verbis declaratorijs.*
4 *Authoritate Costæ probatur.*
5 *Idem authoritate Themudi Vicarij generalis.*
6 *Idem privilegium aliqui etiam tribuunt Bullæ Hispanæ, sed non rectè.*
7 *Debet in foro externo, & judiciali constare de satisfactione partis, & de absolutione obtenta.*
8 *Doctissimus Soar. Lusitanus notitiam non habuit de discrimine dato inter Bullas Lusitanas, & Hispanas.*
9 *Declaratio ab Vrbano facta circa Bullam, non Lusitanam sed Hispanam procedit.*

1 DE hac quæstione latè disserui *in Expositione Bullæ Cruciatæ disp.* 17. *sect.* 4. *a num.* 43. Quia tamen sæpius occurrunt occasiones utendi hoc privilegio, iterum ad illud redeo, ut repetitione ad multorum notitiam perveniat. Et suppono ad illius intelligentiam, censuras vel dici à jure, vel ab homine. Quæ dicuntur à jure, illæ sunt, quæ mediâ aliquâ lege, vel constitutione feruntur; ab homine verò, quæ medio aliquo præcepto temporali, & transitorio ab aliquo Prælato, aut judice sunt latæ. Hoc supposito, ad quæstionem.

2 Respondeo affirmativè. Ratio est, quia ita habetur in textu Bullæ Cruciatæ Latinæ, his Portugalliæ Regnis concessæ, in quadam declaratione, quæ non datur in Bulla Hispana, & habet sic: *Declarantes absolutiones vigore præsentium, satisfacta parte, faciendas ab excommunicationibus, & alijs censuris Ecclesiasticis ab homine latis, & ferendis nemini omnino, sive laico in foro judiciali prodesse; sed cum tantum excommunicatum ubique, & ab omnibus, &c.* Si ergo S. Pontifex in his verbis asserit, absolutionem à censuris ab homine, non prodesse in foro externo, seu judiciali, satisfactâ parte, excludendo censuras à jure, consequenter asserit, satisfactâ parte, prodesse absolutionem à censuris à jure in foro externo, & judiciali.

3 Et quamvis ex dictis verbis evidenter dicta consequentia inferatur; adhuc dicere poteramus, S. Pontificem voluisse hoc privilegium nostræ Bullæ concedere; alias taceret dictam declarationem; quam tacuit in Bulla Hispana; Et ideo DD. illam exponentes, dicunt communiter, non prodesse Bullam pro absolutione á censuris in foro externo; & idem nos tenebamur dicere, si ea S. Pontificis non daretur declaratio; quia tamen in nostra datur, & non in Hispana, per nostram Bullam absolvi possunt censuræ à jure; non tamen ab homine in foro externo, & per Bullam Hispanam, nec à jure, nec ab homine, in eodem foro.

4 Hanc doctrinam sequutus fuit primus Sebastianus à Costa de Andrade Canonicus Eborensis Doctoralis, ejusdem Archiepiscopatus, & gubernator, & Commissarius Bullæ Cruciatæ, & ad Episcopatum Capitis Viridis electus, *in Exposit. Bullæ Cruciat. Lusitanæ,*

disp. 50. Vers. Mihi verò, fol. mihi 103. *Est vers. Prima sic*, ait, se duos sacerdotes liberasse, qui se invicem manus violentas injecerunt, consulens, ut quam primum Bullam sumerent, & ab excommunicatione se facerent, absolvere; & se cum illis ad cautelam dispensasse in irregularitate. Et profuisse illis in foro externo, & judiciali apud Vicarium Generalem; [apud quem Promotor Ecclesiasticus Eborensis eos accusavit) per sententiam eos legitimè absolutos, proferentem, & declarantem ministrantes in altari, irregularitatem non incurrisse; quia virtute Bullæ, & absolutos, & dispensatos fuisse. Sebastian. à Costa sequitur Doctor Sebastianus de Abreu in Academia Eborensi primariæ cathedræ Theologiæ moderator, & ejusdem Academiæ Cancellarius, *de Paroch. l.* 10. *numer.* 540. *in fine.*

5 Et ex Costa idem tenet Themud. Vicarius Generalis in hac Diœcesi Ulyssiponensi, & antea Gubernator Episcopatuum Portalegrensis, & Bayensis, in statu Brasilienssi, & in eadem civitate Bullæ Cruciatæ Commissarius, *part.* 2. *decis.* 219. *à numer.* 6. ubi fatetur, non semel eamdem doctrinam consuluisse, & in irregularitatibus dispensasse, dum esset Bullæ Commissarius.

6 Ex eodem Costa idem tradit Dian. 1. *part tract.* 11. *resol.* 26. *Vers. Notandum est verò*, ubi hoc privilegium etiam tribuit Bullæ Hispaniæ Regnis concessæ. Hoc tamen non est verum, ut ostendi in *Expos. Bullæ loco cit. à numer.* 30. Ex Costa, & Diana idem asserit Leandr. *tom.* 4. *tract.* 2 *disp.* 17. *quæst.* 97 *Vers. Quarto.* Quamvis non bene dicat, hoc privilegium Bullæ Portugalliæ á B. Pio V. fuisse concessum. Ab illo tamen non fuit concessum, sed primò à Gregorio XIV. & à successoribus quoad aliqua privilegia Bulla ampliata, & extensa usque ad præsens tempus.

7 Ut hoc nostræ Bullæ privilegium in foro externo, & judiciali finem in aliquo possit habere desideratum; necesse est, ut certò constet partem fuisse satisfactam, & de absolutione à confessario virtute Bullæ præstitâ, per schedulam ab eo signatam, eo modo, quo latè dixi in *Expos. Bullæ, loco cit. sect.* 5. *à numer.* 52.

8 Non obstat 1. dicere Soar. Lusit. *de pœnit. tract.* 7 *disp.* 2. *num.* 309. absolutionem à censuris virtute Bullæ, solùm pro foro conscientiæ prodesse. Non, inquam hoc dictum obstat, quia vel locutus fuit de Bulla Hispana, in qua non datur dictum privilegium. Vel dicendum, dictum Doctorem existimasse Bullam in Portugallia, & Hispania esse eamdem in privilegijs, absque aliquo discrimine, ut hodie etiam aliqui docti existimant; & etiam aliqui, qui Bullam Hispanicam declararunt, quamvis jam ex nostra Bullæ expositione, aliqua detur moderatio.

9 Nec obstant 2. verba per interparenthesym adducta in *Constit.* 105. *aliàs* 48. *ab Urbano VIII. lata, & edita anno Dñi* 1630. *die* 19. *Junij*, quæ habetur apud Cherub. *tom.* 4 *fol.* 63. & incipit: *In specula militaris Ecclesiæ*, in quibus verbis dicitur, absolutionem datam, etiam à reservatis in Cœna Domini, non suffragari, nisi in foro conscientiæ, & nô externo, ibi: *Concessionem S. Cruciatæ (quæ respectu facultatis hujusmodi, etiam laicis, & clericis sæcularibus cujuscunque status, gradus, & qualitatis, & conditionis, etiam speciali nota dignæ quoad casus reservatos, non nisi in foro conscientiæ, non autem in foro externo suffragatur] aliorumque indultorum hujusmodi, &c.* Non, inquam, obstant talia verba, quia in *citato loco nostræ Expositit. Bullæ à numer.* 40. [rejecto Leandri consil. *loco citat.*] ostendi verba Constitit. Urbani de Bulla Lusitaniæ concessa non loqui, & cùm ex ibi dictis, clarè hoc constet, non est opus, ut idem hìc repetamus.

QUÆSTIO II.

An nobilis vir ex actionibus parum reverenter exercitis in suum Prælatum, excommunicationem incurrerit; & potuerit Vicarius Generalis illum excommunicatum declarare?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Probabilius videtur, incurrisse excommunicationem latam in cap. Si quis suadente.*
3 *Non videtur improbabile oppositum.*
4 *Assertum Filliuc. & Dian.*
5 *Nobilis non incurrit excommunicationem latam in* 11. *Canone Bullæ Cœnæ.*

1 VIcarius Generalis Diœcesis cujusdam insulæ hujus Regni, virum nobilem excommunicatum declaravit; & alijs mulctavit pœnis, ex data occasione. Quia vir nobilis dolore affectus erga Episcopum, illi honorem, & gratiam visitationis factæ, non referentem, has duas actiones contra illum fuit operatus. Primam, Iter faciens equo generoso, obviam occurrens Episcopo, per viam adeo angustam de ambulanti, (sex palmos circa latitudinem non excedentem) illum cogeret, atteri sylvis, & vepribus ex eo viæ latere vestes antistitis offendentibus. Secundam, quia ipse Episcopus ex pulvere, à generoso equo excitato aliquam sustinuit discompositionem. Et facta per testes experientia, inventum est, non potuisse eum nobilem per viam tam angustam transire, quin equus Episcopum tangeret

tangeret. Quæritur 1. An nobilis vir ijs actionibus incurrerit excommunicationem? 2. An Vicarius generalis ipsius Episcopi potuerit excommunicatum declarare, & mulctis afficere.

§. I.

An vir nobilis consternans Episcopum â via bona ad aspera spineta & ab excitati equi pulvere lædens & ita constringens eundem indecenter iter agere excommunicationem incurrerit?

2 Cum dictus Episcopus esset clericus, & Episcopus, de duplici excommunicatione quæstio agitari potest. De prima, quæ *in cap. siquis* 17. *q.* 4. contra offendentes clericos fertur. De secunda, quæ fertur contra offendentes Episcopos *in Can.* 11. *Bullæ Cœnæ*. Quod attinet ad primam, videtur probabilius, virum nobilem illam incurrisse. Sic colligitur ex *textu in cap. Nuper*, 29 ibi: *Non credimus, laicos panam excommunicationis evadere, quamvis per eorum factum corporalis lasio non fuerit subsecuta, citra quam violentia sæpius circa clericos nequiter perpetratur de sentent. excommun.* Et quamvis textus loquatur de laicis in vinculis, & custodia, sine læsione, clericos detinentibus; ratio textus adducta ad præsentem casum accomodatur; nam aliquæ dantur actiones, quæ licet corpus non lædant, graviter tamen unius clerici in ea dignitate constituti gravitet lædunt. Idem colligitur ex DD. Sylvest. *Verb. Excommunicatio 6. a num. 5.* Caiet. *eod. cap.* 10. Navarr. *in sum. cap. 27. num. 77.* Molin. *tract. 3. disp. 51. num.* 1. Sayr. *de Cens. cap. 26. à num. 21.* Avil. *2. part. cap. 5. disp. 3. dub. 12.* Bonacin. *tom. 1. disp. 2. de excomm. q. 4. punct. primo*, § 1. & *tom. 3. disp. 2. de Censur. extra Bullam q. 3. punct. 6. sect. 1.* Laym. *l. 1. sum. tract. 5. part. 2. cap. 5. num. 5.* quos affert, & sequitur Castr. Palaus *tom. 6. disp. 3. punct. 23 §. 2. num. 2.* ibi: *Item si pulverem in eum jactes, ejus vestimenta illi adhærentia dilaceres.* Dian. *part. 9. tract. 4. resol. 26.* ibi: *Aut cum adeo furiose persequitur, ut cogatur se præcipitare, aut aliud malum ad se liberandum subire.*

3 Dixi: *censeo probabilius virum nobilem excommunicationem incurrisse*; quia valde probabile est, illam non incurrisse; quia certò constabat, virum nobilem ex proposito, & animo noluisse suum Prælatum offendere, cogendo illum sylvis, & vepribus atteri, & pulvere expelibus equi moto disturbari. In dubio autem facti; nemo censendus est excommunicatus, ex ea regul. quia *in dubijs, melior est conditio possidentis.* Sic Sanch. *in sum. l. 1. cap. 10. numer. 55.* Laym. *l. 1. tract. 5. capitul. 5 §. 4 numer. 38.* & omnes communiter. Et Dian. *part. 4. tract. 3. resol. 35.* asserit se consuluisse in facti contingentia, non fuisse excommunicatum quemdam virum dubitantem, etiam post factam diligentiam, an percussérit clericum? Et in præsenti casu vir nobilis existimabat, se non esse excommunicatum, quia nullam præbuit occasionem; ut Episcopus sylvis, aut vepribus læderetur, aut pulvere ab equo moto disturbaretur; Vicarius autem generalis; reo suam bonam famam possidenti, in his dubijs favere tenebatur.

4 Addo, quod inquit Filliuc *tract. 13 numer. 129.* & ex illo Dian. *cit.* quod dubitans de aliquo, an incurrerit excommunicationem, non teneri illum vitare, quia illi injuriam inferret; quia melior est conditio possidentis. Si tamen dubitet de denuntiatione, & certus sit de excommunicatione, non teneri illum vitare; potest tamen si velit; hæc Filliuc.

5 Quòd attinet ad secundam: Existimo, illum nobilem non incurrisse excommunicationem, latam *in Canon. 11. Bullæ Cœnæ* contra offendentes Episcopos. Ratio est quia in illo Canone referuntur actiones, ob quas contrahitur ea excommunicatio; & solùm de actione *percutientes*, poterat esse dubitatio: at cùm actio *percutere*, idem sit, ac cum dolore cædere, ut inquiunt Ugolin. Decard. & Bonacin. quos refert, & sequitur Leand. *tom. 4. tract. 3. disput. 11. q. 2.* Episcopus tangendo vestibus sylvas, et vepres, dolorem non sustinuit, hanc excommunicationem non incurrit.

§. II.

An Vicarius Generalis ipsius Episcopi virum illum nobilem potuerit declarate excommunicatum, & mulctis afficere?

SUMMARIUM.

6 *Non potuit, quia operatus est contra ipsum jus & DD.*
7 *Specialiter in causa Episcopi.*
8 *Quando Episcopus, ut suspectus recusari potest etiam potest Vicarius generalis.*
9 *Quando Episcopus est suspensus à sua jurisdictione, etiam Vicarius est suspensus.*
10 *Illa declaratio non erat necessaria.*
11 *Vicarius Generalis non est ordinarius ad judicandum de injuria in Episcopum commissa.*
12 *Non sunt facienda mala, ut veniant bona. Mittenda erat querela ad superiorem.*
13 *Ob bonum commune, nullus uti potest jurisdictione, quam non habet.*
14 *Nulla datur limitatio, quæ præsenti casu, locum habet. vnica cit.*

6 Respondeo non potuisse. Ratio est, quia non poterat ipse Episcopus: ergo etiam non potuit ipse Vicarius Generalis. Antecedens

est certum; quia sic expresse definitur à S. Gregorio *in cap. inter querelas* 23. *quæst.* 4. & habetur *in l Unica, C. nequis in sua causa*, & in *Ord. Regia l.* 3. *titul.* 24. & alijs ex hac ratione, quia absolute omnibus prohibetur, ne jus in sua causa dicant. Conveniunt quæ DD de hoc scribentes, Gregor. Lopes *l.* 10. *verb. Sobre el tit.* 4. *part.* 3. & *l.* 3. *Verb. Amigos tit.* 14. *part* 4 & *l* 14. *Verb Nodeven, tit.* 14. *part.* 5. Bernard. Dias *reg.* 581 Valasc. *consult* 173. *num.* 19 Menoch, Surd. & alij quos late citat, & sequitur Barbos *in collect. ad cit. l unicam*, & Emman. Barbos. *in remiss. ad cit. Ordin.* Fragos. 1. *part. Regim. Reip. Christ. disp.* 9. § 2 *num.* 21. Leand. *tom.* 4. *de cens. tract.* 1. *disp.* 2. *q.* 41. & cum Soar. Villal. Dian. Dicastill. *de Censur. disp* 1 *dubit.* 7. *in fine n.* 159.

7 Et specialiter, quòd Episcopus in suis personalibus causis non possit judicium ferre, tradunt Surd. *consil.* 50. *Zerol. in praxi Episcop. part* 1. *Verb. Episcopus vers.* 34 *pag.* 155. Marta *in votis decis. vot.* 57. *num.* 13. Alexand. Trentacinq. *Variar. resol. l.* 2 *tit de judic. resol* 5. *num* 7. Vterque Barbos. *cit. August in collect. num.* 7 Emman. *in Ord. num.* 5. Leand. & alij ab eo *cit dict. q* 41. Sed Vicarius generalis unum, idemque tribunal cum Episcopo constituit. *cap.* 2. *de consuet. in* 6 & *cap Romana, de appell. etiam in* 6. & DD. quos latè refert, & sequitur Sanch. *l.* 3. *de matr. disp.* 30. *num.* 2 & omnes: ergo si Episcopus dictum virum non poterat excommunicatum declarare, nec mulctis afficere; nec etiam potuit Vicarius Generalis. Maior hujus rationis est certa, quia causa Episcopi erat personalis, & non suæ Ecclesiæ, nec offensa existimata fuit ratione sui officij, nec vindicta existimata digna ea declaratione, nec mulctis. Minor etiam est certa; consequentia autem rectè infertur.

8 Et stabilitur 1. Nam quando Episcopus, ut suspectus, recusari potest, etiam Vicarius generalis, ut suspectus recusatur, licèt contra illum nulla sit suspicio, *cap. Insinuante*, ubi Abbas *num* 2. *de offic. delegat.* Glos. *Verb. Episcopus in cap si contra unum, de offic. legat. in* 6. Et DD. quos latè refert, & sequitur Barbos. *de off. & potest. Episc part.* 3. *alleg.* 54 *num.* 149. Sed Episcopus in præsenti, ut suspectus in causa propria, illum nobilem excommunicatum non poterat declarare, nec mulctis afficere: ergo nec ipse Vicarius Generalis.

9 Secundò stabilitur: quippe, quando Episcopus jurisdictione est suspensus, quia majori excommunicatione est innodatus, & denuntiatus, Vicarius Generalis, etiam suam non potest exercere jurisdictionem, quia sicut per excommunicationem suspenditur Episcopi jurisdictio *cap Ad probandum* 24. *de re judic. cap Audivimus* 24. *q* 1 ita etiam Vicarij jurisdictio suspenditur, *cap.* 1 *de offic. Vicarij in* 6. & omnes DD. de hac materia scribentes, Soar. *de Cens. disp.* 14 *sect* 1. *num.* 1 Molin. *tract.* 5. *disp.* 10. *num.* 2. Sanch. *l.* 3. *de matr. disp.* 30. *numer.* 6. Azor, Avila, Gutierr. Gonzal. & alij innumeri apud. *cit.* & Barbos *proxime dict. alleg* 54 *numer.* 146. Sed Episcopus jurisdictionem non habebat ad declarandum illum nobilem excommunicatum, quia ab ipso jure erat prohibitus: ergo nec poterat ipse vicarius.

10 Nec illa declaratio erat necessaria, juxta mentem ipsius Vicarij Generalis, quia [ut fatetur ipse Vicarius] actiones, quas commisit ipse vir nobilis in Episcopum, erant maximè notoriæ; declaratio autem est in causa, ut fideles vitent excommunicatum: sed in læsione, seu percussione, clerici; quando hæc est maximè notoria tam ex facto, quàm ex ipso jure, non est necessaria declaratio; ut constat *ex Concil. Constant.* & *à Martino* V. *confirmante*, & ab eo *edita Const* quæ incipit: *Ad evitanda scandala*, ibi: *Salvo, si quem sacrilega manuum injectione in clericum, in sententiam latam in Canone adeo notorie constiterit incidisse, quod factum non possit aliqua tergiversatione celari, nec aliquo suffragio excusari; nam a communione illius, licèt denuntiatus non fuerit, volumus abstineri juxta Canonicas sanctiones.* Ergo non erat necessaria talis declaratio excommunicationis.

11 Nec obstat 1. quòd denuntiatio censuræ à jure latæ, facienda est ab Ordinario illius loci, in quo patratum est delictum, aut à proprio ordinario ipsius delinquentis, præcedente sententia declaratoria criminis, etiam si crimen sit notorium, ut tenent Filliuc. *tract.* 11. *c. p.* 4, *num.* 111. & 112 Soar. *de Censur. disput.* 3. *section.* 14. *num.* 6. & 7. Alterius, Cornejo, Bonac. Machad. Candid. & alij, quos affert, & sequitur Leand. *tom.* 4. *de cens. tract* 1. *disp.* 7. *q* 6. & 7. Sed Vicarius Generalis est Ordinarius, ut constat *ex cap.* 2. *de offic. Vicarij*, & DD. quos latè refert, & sequitur Sanch. *l.* 3 *de matr. disp.* 29 *num* 3. illius loci, in quo patratum est delictum, & viri nobilis illud patrantis: ergo ab illo erat declarandus, & puniendus. Non, inquam, obstat, quia respondetur concedendo maiorem, & minorem, negando consequentiam, quia Vicarius delicti commissi in personam Episcopi non est Ordinarius, sicut non est ipse Episcopus, ut ex dictis liquet.

12 Non obstat 2. quia si Vicarius Generalis illum nobilem non declaret excommunicatum, & pœnis afficeret, magna daretur cõfusio, & scandali occasio, cum non esset alius, qui in illa Diœcesi, illum declarare possit, & nobilis posset aliquam afferre probabilem excusationem sui facti, si ad denuntiationem nõ procederetur, & sic impunis maneret irreverentia in suum Prælatum commissa: ergo nõ obstante, quòd denuntiatio excommunicationis, & sententia præcedens essent circa causam personalem Episcopi, necessariò fuit denuntiatus, præcedente sententiâ. Non, inquã, hæc obstant, quia non sunt facienda mala, ut veniant bona, & agere contra leges oppositũ disponentes, malum est. Quare ut scandalum,

& confessio tolleretur, mittenda erat querela de excessu ab eo nobile commissio erga suum Prælatum, ad Archiepiscopum superiorem, aut Nuntium, & interim in causa morari.

13 Non obstat 3 Quando bonum commune exigit denuntiationem, datur obligatio denuntiandi: sed bonum commune, & civitatis exigebat denuntiationem, ut conscientiæ timoratorum, & scrupulosorum sedarentur: ergo Non, inquam, id obstat, quia dato, quod bonum commune eam exigeret denuntiationem, ea exigentia non dabat potestatem Vicario Generali; ut illam præstaret; ut ex dictis constat.

14 Non obstat 4. dicere, quòd plures dantur limitationes ad illam *l. unicam C. nequis in sua causa*, ut videre est apud Barbos. *in collect. ad dictam l. a num* 9. & inter illas aliqua dari potest, quæ Vicarium excuset. Non, inquam, hoc obstat dictum; quia inter ibi numeratas, nullam invenio illum excusantem. Si enim daretur habita ibi *num.* 9 nempe *consuetudo*, quod Episcopus, aut Vicarius Generalis judicet in proprio Episcopi facto, valida fuisset ea sententia, & declaratio; quia consuetudo jurisdictionem tribuit, ut tradunt Surd. Avendan. & Trentacinq a Barbos. ibi *cit.* Et inquit Gloss. *in cap. 1 de pœnis in 6. Verb. Punire, in fine.* Text tamen ibi huic non favet resolutioni, nam ex illo satis colligitur, non posse Episcopum injuriam sibi illatam punire; nam requirit, quod injuria sit notoria, ibi: *dummodo ea injuria notoria* injuria. Injuria autem notoria est illa, quæ fuit patrata coram maiori parte vicinæ, collegij, aut oppidi, ut videre est, apud Leand *part. 4. tract. 2. disp. 2. q* 12. vel quæ nulla possit tergiversatione celari, ut habetur apud Castr. Palaum *tom. 6. de censur. disp. 2. punct. 4.* at injuria putata ab illo nobili commissa, non fuit coram maiori parte vicinæ, seu civitatis, sed extra illam coram duobus, aut tribus, qui Episcopum comitabantur; & poterat multis tergiversationibus celari. Addo, cit. Gloss. *Verb. Punire*, asserere, non posse Episcopum injuriam sibi illatam punire, ibi: *Dixit hic Bernardus, quod si injuria illa Prælato, ipsum tantũ contingit, non potest aliquem pro injuria punire.* Et si Prælatus non potest, neque etiam poterat ipse Vicarius: est enim illius tribunal idem, ac Episcopi.

QUÆSTIO III.

An requiratur sententia judicis, ut publicus clerici percussor vitetur; & sufficiat sententia judicis sæcularis illum condemnantis, ut sit vitandus?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Requiritur sententia judicis Ecclesiastici, & non sufficit notoreitas delicti patrati, sed requiritur sententia.*
3 *Adducuntur DD. id asserentes.*
4 *Non sufficit, quod homicidium fuisset patratum coram tribus, aut quatuor personis.*

1 CLemens in quadam via angusta, intra limites cujusdam villæ Diœcesis Portugallensis clericum occidit, & intra eandem diem, homicidium, & delinquens divulgatus fuit, delinquens autem in tuto positus loco, unde quotidie Missæ sacrificio assistere poterat, & de facto assistebat, repugnantibus oppidanis cum illo ei sacrificio assistere. Ad domum supplicationis Portugallensis de lato hoc delicto ibi Clemens à senatoribus sententia capitis damnatus fuit. Quæritur 1. An Clemens ante hanc sententiam, nullâ præcedente sententiâ excommunicationis declaratoriâ à judice Ecclesiastico fuisset vitandus? 2. An post sententiam senatus?

§. I.

An Clemens notorius clerici homicida sit Vitandus ante ullam sententiam?

2 Respondeo, non esse vitandum. Ratio est, quia duo requiruntur, ut aliquis clerici percussor vitetur. Primum, quòd delictum, seu percussio sit notoria; secundum, quod illa percussio nulla possit tergiversatione celari, aut remedio juris niti, ut apertè constat *ex Concil. Constant. a Martino V. confirmato*, & *ab eo edita Constit.* quæ incipit: *Ad evitanda scandala*, ibi: *Salvo, siquidem sacrilega manuum injectione in clericum in sententiam latam in Canone, adeo notoriè constiterit, incidisse, quòd factũ non possit aliqua tergiversatione celari, nec aliquo suffragio excusari; nam a communione illius, licèt denuntiatus non fuerit, volumus abstineri, juxta Canonicis sanctiones* Sed homicidium clerici à Clemente patratum, licèt sit notorium per totum oppidum; cum adhuc possit aliqua tergiversatione celari, & remedio juris excusari, dicente Clemente, se esse ebrium, se in suam justam defensionem, eum clericum occidisse, se non cognivisse eum esse clericum, &c. ergo non datâ sententiâ, quæ injustum homicidium declaret, Clemens non est vitandus.

3 Hæc sententia hodie communiter recipitur, illam sequuntur, citatis Soar. Avila, Sayro & alijs Fagund. *in 1. Eccles. præcept. l. 2. cap. 5. num.* 12. ibi: *Opus est ergo, ut constet, percussorem nullam habuisse causam percutiendi, ut evitetur: nam si potest probabilitate aliquam alligare veram causam, qua à peccato excusetur quandiu non constiterit, non ita esse, non erit vitandus: hoc autem constare non potest, nisi per judicis sententiam.* Ioann. Garcia in *summ. moral. tract. 1. diff. 3. dub. 2 punct. 5. numer.* 42. ibi: *Et publice*

publico percussor no se ha de evitar, si potest aliqua tergiversatione celari ejus percussio, de suerte, que sino fue la percussion delante todo el pueblo, o convencido della por sententia, o confession del reo, aunque mas aya rumor, y fama, que uno sacudo a un clerigo, no se ha de evitar. Dian. *part.*3. *tract.*5.*resol.*14. & *part.*11.*tract.*8.*resol.*21. *vers. sed ex his*, duo de viginti affert. DD. qui hanc sententiam sequuti fuerunt, qui ibi videri possunt.

4 Quare non obstat dicere, illum clerici homicidium fuisse patratrum coram tribus, aut quatuor testibus, qui postea illud homicidium in judicio deposuerunt; quorum testimonijs homicida capite damnatus fuit: ergo si fuerunt sufficientes ad damnationem, etiam ad evitationem cum fama publica sufficiebant. Non, inquam obstat, quia licèt ipsi testes ad damnationem sufficerent, fuit post auditum reum per suum procuratorem, & tunc eo audito, justè lata fuit sententia, & ante illum auditum, poterant ipsi oppidani existimare illum habere aliquod remedium juris, & causam, qua se defenderet; & dum non constabat de injustitia illata, quamvis scirent de testibus occulatis, illũ vitare non tenebantur.

§. II.

An Clemens sit vitandus, post latam sententiam à senatoribus sæcularibus.

SUMMARIUM.

5 *Est vitandus.*
6 *Illa sententia erat sufficiens, data dispositione Extravag. Ad evitanda.*

5 Respondeo, esse vitandum. Ratio est, quia ex *cit. Extravag. Ad evitanda scandala*, & verbis illius adductis, constat, solùm requiri ad evitationem percussoris clerici, notoreitatem percussionis, & quòd nullum juris remedium habeat, quo excusetur, vel quo percussio celari possit: sed hæc dantur per senatus sententiam, contra Clementem latam: ergo nullâ aliâ datâ sententia, est vitandus. Maior patet ex ipsa Extravag. Minor ostenditur, quia notoreitas juris illa dicitur, de qua constat per juridicam sententiam, latam in legitimo judicio, & per legitimam testium depositionem, ut cum Navarr. Less. & alijs, tradit Fagund. *supra cit. in* 1. *Eccles. præcept. l.*2 *cap.*5. *num.* 12. at sententia contra Clementem in senatu lata fuit juridica, & in legitimo judicio, & per legitimam testium depositionem, & audito Clemente, per suum procuratorem: ergo dantur omnia per sententiam à senatu latam, quæ requiruntur ab Extrav. ut Clemens sit vitandus.

6 Non obstat, dicere, hanc sententiam debere esse latam ab aliquo judice Ecclesiastico, & non à senatu sæculari; hic enim potestatem non habet, ut ex sua sententia aliquis clerici percussor dicatur vitandus. Non, inquam hoc dictum obstat, quia Clemens ex sententia in senatu lata non declaratur vitandus; sed declaratur fuisse notorium clerici percussorem nullam habentem causam ad homicidium patrandum; quâ sententiâ datâ, in judicio sæculari, sequitur dispositio dict. Extrav quæ ad percussorem clerici non requirit sententiam, nec declaratoriam criminis; ut constat ex his verbis: *Nam à communione illius, licèt denuntiatus non fuerit, volumus abstineri juxta Canonicas sanctiones.* Quare etiam non obstat, dicere DD. supra citatos, requirentes sententiam judicis Ecclesiastici, ut percussor clerici censeatur vitandus; nam ut rectè cohæreant cũ textus verbis, sententiam debent intelligere legitimam, sive sit lata à judice Ecclesiastico circa declarationem, sive à sæculari, circa punitionem delinquentis, aut satisfactionem: partis offensæ; licèt circa alias excommuniones, aliter sit dicendum.

QUÆSTIO IV.

An sacerdos in Ecclesia coram pluribus clericum in minoribus percutiens, non habentem conditiones à Tridentino requisitas, excommunicationem incurrerit?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Probabile est, incurrisse.*
3 *Sacerdotes seniores percutientes adolescentes in minoribus, perturbantes divina officia, excommunicationem non incurrunt.*
4 *Percutiens clericum habitum clericalem, & tonsuram deferentem excommunicationem non incurrit, si de mandato Episcopi Ecclesiæ non inserviat.*
5 *Probabilius est, excommunicationem incurrisse.*
6 *Resolutio ex dictis.*

1 MArcelinus sacerdos in Ecclesia coram multis Gorgonium clericum in minoribus linea tunica inductum, pugno percussit, non habentem requisita à *Trident. sess.*23 *cap.*6, *de reformat.* Hæc autem sunt 1. habere beneficium. 2. habitum & tonsuram deferrre, & de mandato Episcopi alicui inservire Ecclesiæ 3. Degere in aliquo seminario de licentia Episcopi in habitu clericali. 4 Incedere in aliqua schola in habitu, & tonsura de licentia Episcopi. Quæritur 1. An incurrerit excommunicationem latam *in eas siquis?* 2. An ea percussio fuerit mortalis? A quo possit absolvi?

§. I.

§. I.

An pugno percutiens clericum in minoribus requisita à Tridentino non habentem, excommunicationem Canonis incurrerit?

2 Respondeo, probabile esse, non incurrisse Marcellinum excommunicationem. Ratio est, quia ut incurreret excommunicationem, necesse erat, quòd Gorgonius percussus haberet requisita *in Trident, sess. 23. cap. 6. de reform.* ut gauderet privilegio fori, nempe *relata num.* 1. ut refert decisum Armendar. *in recopil. leg. Navarr. l. 2. tit. 19. l. 1. de foro competent num. 2. apud Barbos. in collect. ad Trid. cit. num. 20* sed constat, Gorgonium illa requisita à Trident. non habere: ergo non gaudet privilegio fori. Sed quæ requiruntur ut clericus gaudeat privilegio fori, requiruntur, ut gaudeat privilegio Canon. *Siquis suadente 17 quæst. 4.* ut dicunt Emman. Rodrig *l. 1. Sum. cap. 80. num. 17.* Florian. de Solis *tract de cens l. 2. cap fin. nu. 14* Banuel. 2 *2. q. 12, art. 1. diff. 3. dict. ult.* Soar. *tom. 5. in 3 part. de Cens. disp 22. sect. 1. numer. 11.* Ægid. Conine *de Sacram. disp. 14. dub. 15. num. 163* Laym *l. 2 tract. 5. part. 2 cap. 5 num. 4. vers. Tertio, probabile.* Basæus *in suis florib. Verb. Excommunicatio 7 num. 3.* Ergo Marcelinus illum percutiens excommunicationem non incurrit.

3 Confirmatur, quia plures DD asserunt sacerdotes seniores adolescentes in minoribus percutientes, divina officia perturbantes, excommunicationem non incurrere. Sic Molin. *tom. 3 disp. 56 num. 8.* Filliuc. Soar. Ægid. Reginald quos affert, & sequitur Dicastill *tract. 10. Censur. dub. 58. cap. 3. num. 1058.* sed sacerdos Marcellin. erat senior adolescente Gorgonio, & fortasse, quod illum percusserit ob perturbationem divini officij, vel quia in aliquo defecit, ad quod tenebatur: ergo probabile est, quòd excommunicationem non incurrerit.

4 Nec obstat, Gorgonium percussum esse linea tunica indutum, & tonsuram deferentem, & in Ecclesiæ illius servitio existere, quæ à Trident. designantur: ergo juxta citatos DD. *num. 2* privilegio canon. & fori debet gaudere, & illum percutiens excommunicationem incurrere. Non, inquam, obstat, nam quamvis Gorgonius habitum, & tonsuram deferret, & in servitio illius Ecclesiæ existeret, non tamen in serviebat de licentia, seu mandato Episcopi, quod necessarium erat, ut privilegio Canon. & fori gauderet, ut cum Menoch. Cened. & alijs tradit Barbos. *in Collect ad cit locum Trid. num. 31.*

5 Dixi *num. 2. probabile esse, Marcellinum non incurrisse excommunicationem.* Nam probabilius censeo, illam incurrisse. Ratio est, quia in illo *cap. siquis 17. q. 4.* hoc privilegium clericis in minoribus erat concessum absolutè, etiam si de licentia Episcopi servitio Ecclesiæ addicti non essent: Concilium autem hoc non restrinxit, sed tantum privilegium fori: ergo cum hæc privilegia Canonis, & fori sint distincta ex dispositione juris *in l. Præcipimus C. de appell* privilegium Canonis fuit relictum. Sic docent Navarr. *l. 5. consil. tit. de privileg. consil. 24. in edit. 2.* Molin. *tract. 3 de just disp 54. nu. 9.* Avil. *de Censur. part. 2. cap. 1. disp. 2, dub. 9. concluf. 3.* Iulius *Clar. l. 5. sentent. §. fin. q. 36 num. 19.* Castr. Palaus *tom. 6. de cens. disput. 8 punct. 3 §. 1. num. 3.* Idem tenent Gonzal. *in reg. 8. Cancell. Gloss. 5. §. 5 num. 7.* Garcia *de Benef. part. 2 cap. 2. num. 20.* Dian. *part. 3. tract. 5. resol. 82.* Hi tres DD. *cit. locis* afferunt Declarat. S. Cc. Congr. sic declaranrem: *Clerici, qui in hoc Decreto Concil. privilegio fori privantur, privilegio tamen Canonis non intelliguntur privati*: ergo, qui hos clericos in minoribus percutiunt, quamvis privilegio fori non gaudeant, excommunicationem incurrunt.

6 Ex hac probabiliori sententia sequitur, sacerdotem Marcelinum incurrisse excommunicationem *Canon. Si quis*, percutientem Gordonium clericum in minoribus. Cæterum cũ sententia *num. 2 allata* sit probabilis, & aliqui DD. ex citatis, post adductam Declarationem scriptissent, probabile videtur, Marcellinum sacerdotem excommunicatione Canonis, non esse innodatum.

§. II.

An sacerdos in Ecclesia coram multis pugno clericum in minoribus percutiens peccet mortaliter?

SUMMARIUM

7 *Excommunicatio non incurritur propter peccatum mortale internum.*
8 *Percussio fuit mortalis ex datis circunstantijs.*
9 *Sacerdos excesit limites correctionis.*
10 *Quando percutiens tenetur ad aliquam satisfactionem, injuria censetur gravis.*
11 *Pueri in minoribus se ad invicem percutientes, si absolutionem postulent, ab Episcopo Diacesano sunt absolvendi.*
12 *Pueri in minoribus se pugnis percutientes, non peccant mortaliter, licèt aliquando percussio sit gravis.*
13 *Percussio illata à sacerdote seniore puero in minoribus, non censetur gravis, secus illata adolescenti.*

7 Hæc quæstio procedit de percussione præcisè sumpta, & pro ut fuit externa; nam de interna intentione, etiam si esset mortaliter peccaminosa, non procedit: excommunicatio enim non incurritur, nisi propter peccatum mortale externum, & non internum; ut communiter defendunt DD. cum Sanch. *l. 2. decal.*

decal. cap. 8 *num.* 7. Portel. *in dub. Regul. Verb. Excommunicatio, in addit. num.* 11 & alij apud Dian. *part.* 5. *tract.* 9. *resol.* 41. Hoc suppositio.

8 Respondeo, dictam percussionem fuisse mortalem. Moveor primò, quia ex circunstantijs colligitur, quando percussio sit gravis, aut levis, ut tradunt Ægid. Coninch. *disp.* 14. *dub* 15 *num.* 190. Laym. *l.* 1 *sum. tract.* 5. *part.* 2. *cap.* 5. *num.* 8. *Vers. Altera*, Molin. *tom.* 4. *Just. tract* 3. *disp.* 51. & *alij*: Sed dicta percussio facta fuit in templo, coram plurimis personis, & pugno in adolescentem linea tunica indutum, à sacerdote non Prælato Ecclesiæ, nec magistro adolescentis [si enim talis foret, excusari poterat per textum, *Ex tenore de sentent. excomm.*] & culpæ non fuit proportionata, ac demum statui clericali injuriosa: ergo fuit mortalis.

9 Secundò, quia tametsi sacerdos percutiens esset senior, & causa correctionis clericum percusserit, modum excessit, & externè se ostendit, ira gravi motum fuisse in adolescentem non puerum; & sic operans, mortaliter peccavit, ut cum Soar. Navarr. tenet Dicastill. *tract* 10 *de Cens. dub.* 58. *cap.* 3. *num.* 1052.

10 Tertiò, quia ut inquit Soar. *tom.* 5. *de cens. in* 3. *part. disp.* 22 *sect* 1. *num* 23. *in fine* cum Cajet. & Navarr. signum esse gravis injuriæ, seu injuriosæ percussionis, quando percutiens ad aliquam tenetur satisfactionem, seu restitutionem: at positis circunstantijs, sacerdos percutiens ad aliquam tenetur satisfactionem, seu restitutionem adolescenti faciendam, veniam ab illo obtinendo. ergo.

11 Quartò moveor ex *text. in cap. Pueris, ult. de sentent. excomm.* in quo statuitur, pueros in *Canon siquis* incidentes; si ante, vel post pubertatem absolvi postulent, ab Episcopo Diœcesano beneficium absolutionis posse consequi; & illum illud impertiri: ergo à fortiori, qui non puerum, sed adolescentem ita injuriosè percussit, censendus est graviter peccasse, & absolutione indigere.

12 Nec obstat 1 quod Sotus *in* 4. *distinct.* 22. *q.* 1. *art.* 2. § *Cùm vero*, à mortali excusat pueros clericos se pugnis, etiam in templo percutientes, quia plerumque hæc injuria, inter illos levis censetur; licèt aliquando gravis esse soleat: ergo etiam in præsenti casu injuria censetur fuisse levis, licèt ex accidenti potuerit esse gravis. Non, inquam, obstat, quia in præsenti casu percussio, & injuria non fuit inter pueros, sed in adolescentem clericum per sacerdotem illata.

13 Non obstat 2. quia percussio à sacerdote facta, in adolescentem in minoribus constitutum, divina officia perturbantem, non censetur gravis, ut docent Molin. & alij *num.* 3. *cit.* ergo etiam facta à sacerdote ob correctionem, levis censeri debet. Non, inquam, obstat, quia injuria illata ab hoc sacerdote ex circunstantijs, & qualitate injuriæ fuit gravis, ut ex dictis constat.

§. III.

14 *Quæ percussio dicatur levis, mediocris, aut enormis.*

15 *Sacerdos ab Episcopo, vel virtute Bullæ Cruciatæ absolvi potest.*

14 Hæc quæstio procedit juxta probabiliorem sententiam *de qua* §. 1. *num.* 5. nam juxta minus probabilem *num.* 2. *adductam*, absolutione non indiget, quia juxta illam hic sacerdos excommunicationem non incurrit. Illa probabiliori supposita, adverte; Percussiones esse in triplici differentia, leves, mediocres, & graves, seu enormes. Percussio levis illa [regulariter loquendo] dicitur, quæ arbitrio prudentis, ad peccatum mortale sufficit. Vir autem prudens illam censet levem, & mortalem, quæ fit pugno, palma, manu, pede, digito, baculo, vel lapide, quæ nullam maculam, vel sugillationem carnium relinquit, & sine effusione multi sanguinis; ut patet ex *Extrav. Ioannis XXII.* Vide Navarr *in sum. cap.* 27. *num.* 92. Molin. *dict. tract.* 3 *disp.* 57. *numer.* 1. Sayr. *de Cens. l.* 3. *cap* 203. *num.* 8. Philiarch. *part.* 1 *l.* 3 *de offic sacerdot. cap.* 33. Soar. *cit. dict.* 5. *tom. de Cens. disp.* 22. *sect.* 1 *num a numer* 88. & alios, quos affert Bonac. *tom.* 3. *de Cens. in part. disp.* 2. *q.* 3. *punct.* 6 *sect.* 5. *num.* 8. Gravis, seu enormis percussio illa censetur, quæ est media inter levem, & gravem. Si vero dubitetur, an percussio sit levis, vel mediocris, aut gravis, judicanda est gravis, seu enormis, ut liquet ex *cit. Extrav.* Hoc supposito.

15 Ad tit. quæst. respondetur, eam percussionem à sacerdote Marcellino patratam, ab Episcopo posse absolvi. Ratio est, quia cum sit pugno facta, censetur levis, & absolutio percussionis levis Episcopo conceditur in *cap. Pervenit, de Sentent. excomm.* Et quamvis ea percussio ex circunstantijs qualitatis personæ percussæ gravis dici possit, adolescens percussus eis non pollebat circunstantijs personæ, & qualitatis. Nec esse indutum, linea tunica, & in templo inserviendo, & percussionem coram pluribus fuisse patratum; non illam adeo aggravant, ut dicamus fuisse gravem, aut mediocrem; tametsi eam mortalem judicemus. Potest etiam absolvi in utroque foro virtute nostræ Bullæ Cruciatæ; recole tamen ad hanc absolutionem, *dicta supra q.* 1. Illum tamen posset absolvere pro foro conscientiæ confessarium facultatem habentem ab Ordinario ad absolvendos casus in Diœcesi reservatos. Etsi placet, vide Dian. *part.* 9 *tract.* 4 *resol.* 53 ubi consulto de hac agit facultate.

QUÆS-

QUÆSTIO V.

An advocatus ex vi monitorij manifestare teneatur, suum clientem testamentum habere, quod illi sub secreto naturali, & juramento manifestavit?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Tenetur, præmissâ correctione fraternâ.*
3 *Lex charitatis exigit, ut peccatum proximi vitemus, cum minima lasione famæ, qua possumus.*
4 *Nemo tenetur ex edicto sub excommunicatione manifestare delictum, quod probare nequit.*
5 *Manifestatio ex monitorio non fit in judicio.*
6 *Si dentur sufficientia indicia, ad forum externum proceditur.*
7 *Quæ sub secreto naturali committuntur, in nullo casu sunt manifestanda, nisi detur damnum tertij, aut communitatis.*
8 *Consiliores casuum conscientiæ, medici, chirurgi, obstetricis, & similes, tenentur ad secretum eorum, quæ illis committuntur, ratione consilij, aut alicujus emolumenti.*

1 DUm lis mota fuisset in senatu Portugallensi, circa bonorum hæreditatem. Petrus suo advocato duo testamenta manifestavit, ab eodem testatore condita. Ultimo loco conditum, ex quo partis justitia pendebat, sub secreto naturali, & juramento. Ad petitionem partis Ordinarius excommunicationem ipso facto prorulit contra habentem, vel scientes de eo ultimo testamento; si intra decem dies illud non traderent, vel habentem non revelarent. Quærit advocatus: An ex vi monitorij, & excommunicationis in eo latæ, habentem testamentum revelare teneatur.

RESOLUTIO.

2 Respondeo teneri, præmissa prius fraternâ correctione, si illa profutura speretur; & non datur periculum in mora, etiam si ex revelatione aliqua sequatur infamia. Ratio est, quia nemo tenetur ad servandum secretum naturale, etiam juramento firmatum, nec famam proximi nocentis cum gravi damno proximi innocentis. Vt cum D. Thom. Navarr. Caiet. Medin. Ludov. Lopes, Sanch. & Paludan. tenent Molin. *tom. 5 disp. 5. num. 6.* Fagund *in præcept. decal. l. 8. cap. 6. numer. 7.* & pluribus relatis Bonac. *tom. 2. disp. 2. de restit. in particul. q. 2 punct. unic. num. 9.* Trullench. *l. 7. decal cap. 10. num. 11.* Cardin. *de Lug. tom. 1. de Iust. disp. 14. sect. 9 num. 142.* Dicastill. *tract. 10. dub. 42. num. 728.* & 731. Fragos. *tom. 1, Regim. Reip. Christ. disp. 13. num. 44.* Etiam si juramento sit confirmatum, ut dixi, quia juramentum non est contra bonos mores, nec vinculum iniquitatis. Fragos. *cum pluribus num. 45.* Et si sub pœna excommunicationis præcipiatur revelatio [ut in nostro casu] tenet cũ Navarr. & Sot. Soar. *tom. 5. in 3 part. disp. 20. sect. 3 num. 11.* & cum P. Navarr. Henriq. Arag. Filliuc. Avila, Azor, Alter. Valent. & alijs Bonac. *tom. 1. disp. 6. de obligat. denunt. punct. 1. §. 5. num. 2. in fine*, Dicastill. *proximè*: sed si advocatus non revelet, Petrum habere ultimum testamentum, datur damnum grave proximi innocentis: non enim habebit hæreditatem sibi relictam in eo testamento primum revocante: ergo tenetur advocatus Petrum, illud testamentum habentem manifestare.

3 Dixi: *præmissâ prius fraterna correctione*, quia lex charitatis exigit, ut peccatum proximi vitemus cum minima læsione famæ, qua possumus, ut asserunt Less. *l. 2. just. cap. 11. dub. 9. num. 60.* Henriq. *l. 11 de matr. cap. 14. num. 5. in fine*, Navarr *in Sum. Latin. cap. 22. num. 83.* Rodrig. *tom. 1 Sum. in 2 edit. cap. 217. num. 7* Gutierr. *in qq. Canon. cap. 11 & 28.* Sanch. *l. 3. de matr. disp. 13. num. 3.* Fagund *supra num. 3.* Dicastill. *cit. num 732.* Sin autem Petrus monitioni, seu fraternæ correctioni acquiescere nequeat; ab advocato est denuntiandus; non solum, ut damnum proximi temporale vitetur, sed ut spirituale ipsius Petri removeatur: nolens enim illud ultimum testamentum tradere, est in peccato mortali, à quo liberari non potest, nisi tradendo testamentum; ex quo justitia proximi constat.

4 Nec obstat 1. contra hanc resolutionem neminem sub excommunicatione in edicto contenta, teneri (generaliter loquendo] manifestare delicta, quæ in judicio probare non potest, ut tenent Rodrig. *de ordin judic. cap. 2. concluf. 3 & cap. 4 concluf. 11.* Ludov. Lopes *part. 2. cap. 10. column 1.* Cordub & alij plures, quos referunt, & sequuntur Bonac. *dict. tom. 1 disp. 6. de oner & oblig. denunt. punct 1. § 4. num. 4* Dicastill. *tract. 10. de Cens. dub 44 num. 737.* aliquos excipiens casus. Et id probant ex *text. in cap. Plerumque boni viri*, & *cap. Placuit, 6. q 2* & *in cap sacerdos, de pœnit. 6. dist.* & *in cap. Qualiter & quando 1. de accusat.* Et hanc sententiam adeo veram existimat Angel. *Verb. Excommunicatio 3. § 20.* ut quamvis superior præcipiat, sub excommunicatione, ut denuntiemus, quantumvis non possimus probare, nullo modo teneamur; quia tale præceptum continet in tolerabilem errorem: sed advocatus probare non potest, se vidisse in manibus Petri, & apud illum esse illud testamentum: ergo ex vi edicti, seu monitorij, sub excommunicatione, non potest manifestare, Petrum illud testamentum habere.

5 Non, inquam, obstat, quia respondetur 1. eam sententiam procedere de denuntiatione

tione facienda in judicio ex vi edicti; & non de facienda ut peccata, & damna proximi spiritualia, & temporalia vitentur. Ex praxi enim Ecclesiastica hujus Regni non fit denuntiatio in judicio, aut aliquo tribunali. Imo in monitorio præcipitur, quòd fiat coram parocho, qui monitorium publicavit, nullis adhibitis testibus. Parocho autem præcipitur, quòd denuntiationem sibi factam Ordinario manifestet, qui edictum ad petitionem partis concessit. Ordinarius autem audito denuntiante, quòd sibi videtur justum, disponet, ad bonum animæ denuntiati, & denuntiantis

6 Secundò respondetur, eam sententiam procedere, quando non dantur indicia sufficientia contra denuntiatum, seu denuntiandum: at in præsenti dabantur sufficientia indicia ad præsumendum, Petrum illud habere testamentum; nam ut habebat primum à testatore conditum illi favens; ita etiam ultimum habere poterat, quod parti prodesse poterat; & illi justitiam conferebat. Addo ex Avil *part.2.cap,5.disp.4.dub.* 3. *concluſ.* 8. asserente cum Navarr. *in sum.cap.* 17. *numer.* 134. eum, qui denuntiare tenetur, non denuntiando, non solùm excommunicationem incurrere, sed etiam teneri ad restitutionem damnificato faciendam.

7 Non obstat adhuc 2.dictum advocatum non alia via accepisse, Petrum habere illud ultimum testamentum, nisi quia illi Petrus id manifestavit sub secreto naturali, & promissione sub juramento facta non manifestandi: sed quæ ita sub secreto committuntur, non sunt aliquo casu manifestanda, ut tradunt Caiet. 2.2.*q.*70.*art.* 1. Molin. *tom.*5.*de Iust. disp.* 5.*numer.* 1. & alij communiter: ergo advocatus servare tenetur secretum, etiam in casu, quo sub pæna excommunicationis latæ sententiæ denuntiare præcipiatur. Non, inquam, obstat, quia ea sententia procedit de secreto commisso, in quo non datur damnum tertij, nec damnum spirituale in nolente scripturam tradere, ex qua dependet justitia partis.

8 Non obstat 3. dicere advocatum teneri secretum servare in ijs, quæ à suo cliente dicuntur, causa consilij, & instructionis ad suam causam probe tractandam; ut etiam tenentur consulti de casibus conscientiæ, medici, chirurgi, obstetrices, & similes in ijs, quæ illis deteguntur causa consilij, solaminis, aut alterius emolumenti, ut juxta placita DD. & suas artes remedium adhibeant: nam hi omnes, eo ipso, quòd hæc munia profitentur; etiam non adhibito juramento secreti, illud servare tenentur; etiamsi sub juramento interrogentur, ut dicunt Navarr. *in man. capit.* 25. Molin. *cit num.*2 & cum Bonac. & allij Trullench. *l* 7.*decal.cap.* 10.*dub.*32.*num.*11. Sed Petrus illud ultimum testamentum advocato revelavit ad suam causam prosequendam, ergo advocatus illud revelare, non tenetur. Non inquam, hoc obstat, quia in præsenti casu datur diversa ratio; ut ex dictis constat. Vide Dicastill. *cit. num.* 727. & 728. ubi pluribus relatis, declarat obligationem eorum, qui ratione consultationis aliquod secretum cognoverunt, & per edictum sub excommunicatione, ipso facto, illud manifestare obstringuntur.

QUÆSTIO VI.

An vicarius ejusdem Parochiæ validè declarasset excommunicatum sacerdotem, cognoscens, illum deliquisse contra statutum ejusdem Ecclesiæ, in quo transgressoribus, ipso facto, erat imposita excommunicatio?

SUMMARIUM

1 *Facti species.*
2 *Non fuit validè declaratus ex defectu jurisdictionis in parocho.*
3 *Etiam fuit invalidè declaratus, casu quo Parochus habuisset jurisdictionem, quia non præcesit sententia declaratoria.*
4 *Etiamsi delictum sit notorium, sententia declaratoria præcedere debet.*
5 *Declaratio excommunicationis non potest fieri à quocunque, etiam si delictum sit notorium.*
6 *Nec ab habente jurisdictionem, si non præcedat declaratoria sententia.*
7 *Si parochus, apud se sententiam haberet, bene facturus, sacerdotem admonens ante publicationem.*

1 A Thanasius sacerdos, contra statutum suæ Ecclesiæ parochialis deliquit, in quo contra delinquentes, ipso facto ferebatur excommunicatio; Vicarius autem ipsius parochialis, nullâ aliâ adhibitâ diligentiâ, illum publice excommunicatum declaravit. Quæritur an validè?

RESOLUTIO.

2 Respondeo, validè non fuisse declaratum. Ostenditur hac triplici ratione. Prima, quia declaratio excommunicationis, est illius pænæ executio, executio autem pænæ à legitimo superiore, seu de illius mandato est facienda, ut colligitur, ex *Clement.* 2 *vers. Locorũ de pœnis, & cap. de illis*, 6. *q.* 3. Ubi Gloss. *Verb. Excommunicentur*, inquit: *Excommunicentur ab ipsius loci Episcopo, vel in cujus jurisdictione deliquerunt*: sed legitimus superior hujus pænæ declarationis est Ordinarius illius Ecclesiæ qui fecit statutum, aut illud confirmavit conditum de illius mandato à suo visitatore; & non parochus, seu vicarius illius Ecclesiæ, ergo invalidè fuit declaratus. Hæc doctrina inter DD. est communis, Soar. *de Cens. disput.*3. *sect.*14.*num.*7. Alter. *l.* 3. *disp.* 5. *capit.*3.*dub.*2. Filli-

Filliuc *tract.* 11. *cap.* 4. *quæst.* 9. *num* 112. Bonac. *tom* 1. *disp.* 1. *de Cens. q.* 1. *punct.* 13. *propos.* 2. Candid. *de Cens. disquis.* 22. *art.* 30. *dubit.* 3, Covarruv. *in cap. Alma mater* 1 *part.* §. 2. *num.* 9. Machad. *l.* 1. *part.* 3. *tract.* 1. *docum.* 14. *num.* 3. Leand. *tom.* 4. *tract.* 1 *disp.* 7. *q.* 4. & 6.

3 Secunda ratio, quia dato, quòd ipse Vicarius parochus jurisdictionem habuisset ad eam faciendam declarationem, & excommunicationis denuntiationem, ante illam tenebatur, citare Athanasium, ut se possit defendere, & probare suam innocentiam: nam declaratio excommunicationis est actus judicialis, & consequenter publicus, publicitate j uris: ergo necessariò facienda est cum causæ cognitione, parte citatâ. Et hujus citationis defectu, declaratio fuit non solùm injusta, sed etiam nulla, & invalida, ut rectè colligitur ex illo principio: *Contra inauditam partem, nihil potest in judicio definiri*; ut habetur *in cap.* 1. *de causa poss. & propriet. cap. Nos in quemquam* 2. *q.* 2. & Clement *Pastoralis ad finem, de rejudic. l. de unoquoque ff. de rejudic.* Gloss *ibi*, & DD. Felin Curtius senior, Cardin. Imol. Gigas, Covarr Navarr. Soar. Alter. Candidus, Cornejo, Filliuc quos affert, & sequitur Leand. *cit. q.* 8. & 9. Bonacin *proximè, Vers. Quinta propositio* Dicastill *tract.* 10. *de Censur. dubit* 20 *num.* 274.

4 Tertia ratio; quia ante denuntiationem ceniuræ incurlæ, semper præcedere debet sententia delicti declaratoria, etiam si sit notorium: quamvis enim tale sit, mora liter non potest esse in excusabile, ut colligitur *ex cap. Pervenit*, & *ex capit. Inter dilectos, de excess. Prælat.*

5 Nec obstat 1. dicere, contra primam rationem, posse fieri denuntiationem à quocumque in casu, quo crimen sit adeo clarum, & publicum, ut nulla tergiversatione celari possit, ut cum Geminian defendit Vgolin. *tab.* 1. *cap* 21 § 1. *circa initium*: sed transgressio statuti ab Athanasio commissa, in tota parochia est publica: ergo si á quocunque denuntiari potest, à fortiori potuit à parocho? Non, inquâ obstat, nec sententia eorum DD Quia ad denuntiationem excommunicati, requiritur potestas jurisdictionis, quæ non datur in quocunque, nec in ipso parocho; ut constat ex dictis.

6 Non obstat 2. dicere contra tertiam rationem, nullam requiri sententiam declaratoriam, quando delictum est adeo notorium, ut nullam habeat, nec habere possit excusationem, ut sustinent Felin Panormit. & Dominic. apud Leand *dict. disp.* 7. *q.* 7 sed delictum Athanasij erat notorium: ergo non requirebatur sententia declaratoria, sed sufficiebat, dicere parochum coram populo; *Athanasium esse excommunicatum, quia tale statutum transgressus fuit, in quo erat imposita ipso facto excommunicatio contra transgressores*, quòd tantùm fecit Vicarius parochus. Non, inquam, obstat dictum, quia sententia eorum DD. non admittitur ab alijs, qui communiter dicunt, etiam in casu, quo delictum sit notorium, & videatur nullam habere excusationem, semper requiri sententiam declaratoriam, ut probatur ex *text. in cap. Pervenit, & cap. inter delictos*, in ea tertia ratione adductis, & tradunt S. Sylvest. Caiet. Covarr. quos referunt, & sequuntur Soar. *dict. disp* 3. *sect.* 14 *num.* 6. & 8. Filliuc. *tract.* 11. *cap.* 4. *q.* 10. *num.* 11. Bonac. *proximè*, & Leand. *dict. q.* 7. & apud ipsum Machad *cit. docum.* 14. *num.* 3.

7 Addo cum Navarr. Henriq. Soar. Gutierr. Armill Avila, & alijs, quos affert, & sectatur Dicastill. *dict. tract.* 10. *de Censur. dub.* 26 *nu.* 373. Si dictus parochus apud se haberet eam sententiam declaratoriam, optimè facturum, si antequam publicaretur, admoneret declarandum, ut resipiscat, & ordinarium conveniat. At hic parochus illam non habens, coram populo, dixit, illum sacerdotem esse excommunicatum, illius delictum referens; & hac de causa ab omnibus esse vitandum. Hoc autè dicitur, excommunicationis declaratio. Pro praxi tamen vide Dicastill *dict. tract.* 10. *de Cens disp.* 28. *n.* 398. Leand. *cit. disp.* 8. *q.* 22.

QUÆSTIO VII.

An apellatio excommunicationis à Iudice Ecclesiastico latæ, & in effectu suspensivo non recepta; & per gravamen ad tribunal Regium interpositum, censeatur excommunicatio suspensa?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Non subsistente causâ appellationis, datâ bonâ fide in appellante, suspenditur pro foro interno excommunicatio.*
3 *Non tamen pro foro externo.*
4 *Per gravamen ad Regium tribunal interpositum, non suspenditur excommunicatio.*
5 *Si malâ fide appellavit, graviter peccavit.*

1 VIcarius cujusdam parochialis Ecclesiæ Philippum suum coadjutorem, per epistolam tempore habili ante Pascha Resurrectionis à coadjutoria dimisit, juxta Constit synodales suæ Diœcesis, & aliarum hujus Regni. At post octavam Paschatis, nõ erat Philippo dimissionis coadjutoriæ denuntiatio facta; nec ille pro dimisso se habuit Hoc nõ obstante, Vicarius Ieonimum subdiaconum, ante festum S. Ioannis Baptistæ, ad coadjutoriam præsentavit. Vicarius Generalis Episcopi hũc Ieonimnm non admisit, duplici ex causa; prima, quia erat subdiaconus tantùm; secunda, quia Philippus tẽpore à Const. synod designato, nõ fuit dimissus Et cũ dubia supervenirẽt; à Vicario parochiali Generalis Vicarius requisitus, alij tertiò coadjutoriã cõmendarũt & sub pœna excõmunicationis, ipso facto, Vicarius

Generalis Philippo præcepit, ut dimitteret coadjutoriam; & claves domûs Residentiæ novo commendato traderet Philippus ab excommunicatione ad S. Sedem appellavit, Vicarius verò generalis appellationem in effectu suspensivo non recepit. Et quia in utroque effectu, recepta non fuit ad Regiam coronam gravamen interposuit; quia ex non recepta appellatione, Iudex Ecclesiasticus vim, & manifestam violentiam illi inferebat. Hæc facti species. Quæritur 1. An Philippus ab excommunicatione sit suspensus, per appellationem factam, & gravamen ad tribunal Regium interpositum? 2. An licitum sit, adire tribunal Regium, ut compellat judicem Ecclesiasticum, ut cesset ab inferenda vi, & violentia manifesta? 3 An subditis jubere possint, ut excommunicatum non vitent, nec pro excommunicato habeant?

§. I.

An Philippus, per appellationem interpositam, & gravamen ad Regium tribunal, suspensus maneat ab excommunicatione?

2 Respondeo, Philippum in foro interiori, non incurrisse excommunicationem, judici Ecclesiastico non obediendo. Ratio est, quia bonâ fide appellavit, existimans, se habere causam sufficientem, & probabilem ad appellandum, & dum hæc bona fides in eo perseverat, effectus excommunicationis non incurrit. Sic tenet Dicastill. *tract* 10 *de Censur. disp* 1. *dub.* 28. *num.* 321. & alij plures citandi *infra q.* 9. *num.* 14 & 15.

3 In foro tamen externo, dum non probat suam innocentiam, censetur excommunicatus, & effectus excommunicationis incurret; quia obedientiæ judicis repugnando; illi præcipientis claves domûs Residentiæ tradere, contumaciam ostendit. Nam judici obtemperandum est, quia semper præsumitur, justum præcipere, ut omnes concedunt. Et cum appellationem in effectu suspensivo, non recepisset poterat judex ea præcipere; in eo enim effectu appellatio non suspendit excommunicationem.

4 Nec per gravamen interpositum ad Coronam Regiam, ea excommunicatio fuit suspensa. Ratio est, quia ad judicem Ecclesiasticum, & non ad secularem pertinet, cognoscere, & judicare, utrum appellatio sit recipienda à sententia, quam ipse competenter tulit; ut expressè deciditur, in Concil. Trid. *sess.* 25. *cap.* 3. *de reform.* loquente de excommunicatione, ibi: *Cum non ad seculares, sed Ecclesiasticos hæc cognitio pertineat.* Et per illud gravamen interpositum, nec excommunicatio, nec jurisdictio judicis Ecclesiastici suspenditur. Unde sequitur, si tempore designato, coadjutoriam, & claves domûs residentiæ non tradidit, excommunicationem incurrisse. Nec judex Ecclesiasticus, pendente recursu in eo Regio tribunali, ad ulteriora procedens, attentatum commisit, quia ille tribunal, non est superior legitimus judicis Ecclesiastici; ut docte ostendit Oliva *de fer. Eccles part.* 1. *q.* 20 *per totam, a num.* 3.

5 Addo, si Phillippus mala fide appellavit ad S. Sedem, & interposuit gravamen ad Regiam Coronam, sciens se legitimo tempore fuisse à Coadjutoria dimissum; & solum hæc egit, ut sequenti anno, in coadjutoria permaneret, graviter peccasse, & talem appellationem, non suspendisse vim præcepti; nec etiam in effectu devolutivo, quamvis à judice Ecclesiastico in eo effectu fuisset recepta. Ratio est, quia fraus, & dolus nemini patrocinari debent, nec ea est vera defensio, sed offensio.

§. II.

An licitum sit, gravamen ad Regium tribunal interponere, ut compellat Iudicem Ecclesiasticum, ut cesset ab inferenda vi, & violentia manifesta?

SUMMARIUM.

6 *Referuntur DD pro parte negativa.*
7 *Pro affirmativa referuntur.*
8 *Iudicium inter has sententias*
9 *Resolutio ad præsentem Phillipi casum.*

6 Hæc quæstio est maximè controversa inter Nuntios, & ministros Regis, illis abominantes talem recursum, hos non desistentes à sua immemoriali consuetudine. DD. tam TT. quàm juristæ, etiam variè, & diversè sentiunt. Horum opiniones non referam, sed tantùm DD. qui unam, & alteram oppositam, sectantur; & postea judicium proferam, & ultimo loco, ad casum mihi propositū, respondebo.

Pro parte negativa, nempe non esse licitum recursum, seu gravamen [ut dicunt] ad Regiam Coronam, primo loco adduco Augustin. Barbos. Lusit. *in collect. ad cap. S. Mariæ*, 10. *de Const.* ubi *num.* 14. pro sua sententia citat Mandos Azor. Marc. Anton. Gratian. Alter Laym. Decard Bonac. Dian Soar. & aliquas decisiones Rotæ, & oppositam detestatur, ejusque fundamenta dissolvit; eamdem sequitur *in Collect. ad cap Regum officium*, 23. *q* 5 *numer.* 2 & *in collect. ad Trident. sess.* 25. *cap.* 3, *de reform num.* 2. in quibus locis, oppositam sententiam vocat ab usum; Hanc etiam amplectuntur non pauci, quos refert, & sequitur Dian. 1. *part. tract.* 2. *resol.* 14. & 3 *part. tract* 1. *resol.* 53. videatur etiam ibi *resol.* 64. & rationes pro utraque sententia.

6 Pro parte affirmativa citat Barbos. *in Collectan. ad cit. cap. Regum officium*, Covarr. Navarr. Lopes, Osanch. Avendan. Menoch. Perez Vivald. Humad. Ioann. Segur, Davalos, Salzed. Azeved. Gutierr. Soar. de Pace, Curiam Philippi,

Philippi, Agia Morl. Ioseph. de sesse, Valasc. Cabed. Bernard. Grevæ, & alios *in collect. ad cit. cap. S. Maria, num. 7.* & *cit. caput Trid. num.* 29. His addo Fragos. *tom. 2. de regim. Reip. Christ. disp. 3. de Cens. Bullæ Cæn. §. 13. numer.* 258. *Vers. Porro integrum erit*, doctissimum Oliva *de foro Eccles. 1. part. q. 17. num. 19. & seqq.* & Dicastill. *tract. 10 de Cens. disp. 1. dub. 57. per totam suis capitibus distincta*, qui hanc opinionem pro utraque parte longè, eruditè, latèque discutiunt. Plures etiam adducit Dian. *cit. locis* ex Iuristis & TT.

7 In hac quæstione semper mihi visum fuit, hos recursus ad Regiam coronam nō esse licitos, quando datur Magistratus Ecclesiasticus, qui hanc vim, & manifestam violentiam arcere potest: si autem hic non detur; & aditus ad S. Pontificem sit difficilis, tunc licitus erit ipse recursus. Nam ad Regis officium pertinet, de manu calumniatorum liberare vi oppressos, ut constat *ex cap. Principes 23 q. 1. cap. Regum officium. eod. q. 5.* & ex *Ordin. Reg. l. 1. tit. 9. §. 12.* & ex ipsa praxi, & consuetudine tanti temporis, cujus non est memoria, quæ habet vim consuetudinis, seu dispensationis, & tenent DD. jam cit. & Fragos. *vers. Contra verò* & cum pluribus Emman. Barbos. *in Remiss. ad Ordin. l. 1. tit. 3 § 6. num 3*

Videatur etiam Portel *in addit. ad dub. Regul. in fine operis Verb. Appellare, num. 3* & Sousa *in Bull. Cænæ capit. 15. disput. 78. nu. 2.* Et præcisa ipsa praxi, & consuetudine; sufficit pro ratione ipsum jus naturale, quod postulat, ut oppressus defendatur ab eo, qui potest; sive opprimatur à judice Ecclesiastico, sive sæculari; & sicut ille censuris potest illum defendere, sic etiam iste privatione temporalitatum; ut videre est apud Olivam, Dicastill. & alios *citatos.*

7 Ex his patet, quid respondendum sit ad quæsitum Philippi recurrentis ad tribunal Regium ob violentiam non acceptatæ appellationis; nam debebat recurrere pro illa violentia ad superiorem Archiepiscopum, aut Nuntium, qui prope erant, & non ad tribunal Regium, ut fecit.

§. III.

An Iudices Coronæ Regiæ suis subditis jubere queant, ne vitent excommunicatum, vel pro excommunicato habeant?

SUMMARIUM.

19 *Resolutio habetur expressè in Ordin. Regia.*
20 *Intellectus Ordin. Reg.*
21 *Æquitas Ordin. magis ostenditur.*
22 *Oliva asserit, multorum illum intellectum, ingenium torquere.*
23 *Quemdam adducit intellectum.*
24 *Iudices seculares mandantes dispositum in Ordin. non procedunt jurisdictionaliter.*
23 *Solus Summ. Pontifex in uno effectu excommunicationis potest dispensare, alio non dispensato.*
26 *Datâ notoreitate nullitatis censuræ, nullum producit effectum, nec in spiritualibus, nec, in temporalibus.*

19 Respondeo, ita haberi expressè, *in Ord. Reg. l. 1. titul. 9. §. 12. & titul. 12. §. 6.* In notorijs violentijs, quam defendere debent, omnes concedentes, recursum, ad Regiam Coronam esse licitum, causa violentiæ tollendæ, quando est notoria; quam esse licitam cum aliquibus diximus *supra numer. 7.* licèt aliquanto restrictius, quàm alij. Defensio autem, ex dispositione facta, ne vitentur excommunicati, vel pro excommunicatis non habeantur, aliquibus videtur difficilis.

20 Intellectus autem, & mens Ordin. Regiæ videtur esse; in hoc mandato ad subditos, ex parte ministrorum Regiæ Coronæ, nullam intervenire authoritatem judicandi de Censuris: Nam hæc materia omnino est extra suam jurisdictionem; ut ex pluribus textibus, & Concil. verbis, jam allatis apertè constat. Supponunt ergo dicti Regis ministri) facto examine ad solum prædictum finem propulsandæ violentiæ, & injustitiæ, quòd examen non est actus jurisdictionis] adesse violentiam, & injustitiam manifestam, & sic occurrunt ad defendendum innocentem ab injuria illata à judice Ecclesiastico, mandando subditis per ipsum judicem, non evitari ab illis; nec ab illo pœnas excommunicati recipiat. Hoc remedio utuntur, ut oppressos liberent, injustè uexatos protegant, & innocentes defendant, cùm aliud opportunius non se offerat. Et sic consuetudine viget, & viguit. Ita expressè Ordin. Regia *citatis locis*, & latius Covarr. *l. 1. partic. qq. cap. 35.* Barbos. *in l. Titia ff. solut. matr. & alij.*

21 Ut hujus tamen Ordin. Regiæ maior appareat æquitas, & justificatio; lentè considerandi veniunt termini, quibus utitur, ut oppressos censurâ invalidâ, aut injustâ defendat; quia numquam interponit verbum, per quod Iudici Coronæ præcipiat, ut declaret dictam censuram, pro invalida, aut injusta. Imo vult quòd in omni eventu observetur debita reverentia dispositioni sacrorum Canonum *in cap. Quoniam, de immunit. Eccles. in 6. in cap. unico, de his, quæ &c. & cap. Quicunque, de sentent. excomm. in 6.* & in alijs.

22 Defensio dictæ Ordin verbis adductis, difficilis visa fuit Doctori Feliciano Oliva, & Sousa, jam cit. *dicta part. 1. de foro Ecclesiast. q. 24. n. 9. vers. sequentium conclusionem*, ubi inquit, jā torquere ingenium eorum, qui eas Ordin. defendere voluerunt; & suum etiam de præsenti torquere. Implorato tamen Christi auxilio, duas in medio profert conclusiones,

in quibus existimat, esse omnino mentem *Ord cit.* dum præcipit, ne subditi vitent excommunicatum. Prima est, non posse Iudices Regiæ Coronæ, per viam tollendæ violentiæ, quanvis excommunicatio sit nulla, præcipere subditis, ne excommunicatum in spiritualibus vitent; quia in spiritualibus, jurisdictionem non habent. Secunda, posse tamen præcipere, ne vitent in temporalibus, quia circa temporalia, jurisdictionem habent. Hæc inquit. *num.* 10. & *seqq.*

23 At pace Doctissimi, hic intellectus ad dicta verba Ordin. mihi non placet primo: Quia Ordin. *cit. locis.* Statuens, ne evitetur excommunicatus, per viam tollendæ violentiæ manifestæ, & notoriæ; & Iudices Regis juxta illam id mandantes non procedunt jurisdictionaliter, sive vitatio sit in rebus spiritualibus, sive in temporalibus; quia certum est, non posse Principes, nec illorum ministros, cognoscere de nullitate excommunicationis, ut liquet *ex Conc. Trident. cit sess. 25 cap. 3. de reform.* ibi: *Cum non ad seculares, sed ad Ecclesiasticos hæc cognitio pertineat*, sed procedere ad tollendam notoriam violentiam, supponentes excommunicationem fuisse nullam, eo modo, quo judicium formarunt, si vidissent ipsos judices Ecclesiasticos aliquem corporaliter injuriare, & accurrerent effectum injuriæ, & injustitiæ impedientes

24 Secundò, non placet ea mens Ordin. Quia supponit Oliva effectus excommunicationis inter se esse separabiles, & posse unum ligare, non ligante altero. Quod non est verum: Nam solus Summ. Pontifex, manente censurâ, dispensare potest, quòd unus effectus censuræ maneat, alio non manente; quod alij Prælati non possunt. Ut communiter tradunt TT. cum Soar. *dict. tom. 5. in 3. part. de Censur. disp. 6. sect. 4. a num. 4* Bonac. *tom. 1. disp. 1. etiam de Cens. in communi quæst. 1. punct. ult. a num. 4* Castr. Palaus *tom. 6. disput. 1. punct. 10. num. 2.* Filliuc. & alij, quos refert, & sequitur Leandr. *tom. 4. tract. 1. disput. 10. quæst. 7. & 8.* ergo quamvis Princeps sæcularis jurisdictionem habeat temporalem in suos subditos, non potest illis præcipere, ne excommunicatos in temporalibus evitent, nam quoad effectus, etiam temporales excommunicationis, nullam habet jurisdictionem. Et suspendere unum effectum excommunicationis, alio manente, est solùm Summ. Pontificis: si ergo [ut inquit Oliva,) non possunt ministri Tribunalis Regij jubere subditis, ne excommunicatum in spiritualibus evitent, etiam non possunt jubere, ne in temporalibus evitent.

25 Nec obstat dicere Olivam; excommunicationem, de qua loquimur, esse notoriè nullam, ac per consequens, ac si non esset; & ut talem nullum producere effectum, ut ex textibus, & DD. ostenditur, nec absolutione indigere *ex text. in cap. Id præsentiam, de Appell.* cum DD. ab eo *cit.* & alijs quos adducit Barbos. *in collect. ad dict. cap. Ad præsentiam.* Non, inquam hoc obstat, quia catâ hâc notorietate de nullitate sententiæ. excommunicatio nullum producit, nec absolutione indiget. Positâ autem jussione ministrorum Regis ad tollendam violentiam, nec in spiritualibus, nec in temporalibus, dabitur obligatio vitandi nulliter excommunicatum; quia in his terminis datâ eâ jussione etiam cessat omne scandalum, si forte dicatur, quod sine ea illud dari poterat.

QUÆSTIO VIII.

An sacerdos suspensus ob susceptos ordines cũ falsis dimissorijs, denuntiatus, & punitus ex ilio ad Indiam Orientalem, ibique ab Archiepiscopo virtute Bullæ, & authoritate propriâ absolutus, & reversus ad Regnum, iterum punitus, validè fuisset absolutus, & impunis relinquendus?

SUMMARIUM

1 *Facti species.*
2 *Episcopus ordines conferre non tenetur, nisi beneficiarijs, & in dignitate Ecclesiastica constitutis.*
3 *Idem est Ordinari dimissorijs falsis, ac Ordinari sine licentia proprij Episcopi.*
4 *Non est idem suscipere ordines furtivè, ac illos suscipere ab alieno Episcopo.*
5 *Suscipiens ordines ab alieno Episcopo cum dimissorijs falsis suspensionem incurrit.*
6 *Suspensio incursa est censura, & no merè pœna.*
7 *Suspensio notoria, & denuntiata. S. Pontifici reservatur.*

1 CÆlestinus à suo Prælato circa scientiam, ætatem, genus, mores, & patrimonium examinatus, & approbatus, nolente tamen illum ad ordines admittere, ad vicinum Regnum se contulit, ibique ab alieno Episcopo dimissorijs falsis omnes suscepit ordines sacros. Hoc sciens proprius Prælatus eũ in carcerem detrusit, suspensum declaravit, & sexenio exilij in Indiam Orientalem condemnavit. In Indiam cum Archiepiscopo Goano, hanc totam litem apprime sciente, navigavit. Goæ verò ipse Archiepiscopus post Archiepiscopatũ adeptum, ipsi Cælestino sacerdoti mandavit, ut Bullam Cruciatæ acciperet, ac virtute illius illum ab omni censura, & propria facultate in quantum poterat, absolvit, & beneficium, ex quo viveret, contulit. Post biennium ægra valeditudine afflictus, de mandato, seu consilio Archiepiscopi, ad Regnum, datis ei litteris commendatitijs regressus fuit. In Regno extra

extra originis Diœcesim in quodam parochiali beneficio collatus; gratiâque visitandi, & videndi senes parentes in patriam redijt. Ibique à successore Episcopo, sententia latoris jam ad impleta, iterum in carcerem detruditur, ex hac tantùm data causa: Quia erat irregularis, nam suspensione publica ligatus ordines sacros exercuerat; à qua suspensione, utpote S. Pontifici reservata, ab Archiepiscopo Goano nec absolvi, nec dispensari poterat. Per internuntium ad me recurrit. Quæritur primò An à dicta suspensione, virtute Bullæ pro utroque foro, Cælestinus potuisset absolvi? 2. An Archiepiscopus Goanus potuisset eam publicam suspensionem absolvere, seu dispensare? 3 An incurrerit irregularitatem? Et An Prælatus successor latoris sententiæ, eas absolutiones pro bonis habere teneatur.

§. I.

Aliqua, claritatis gratiâ ad resolutionem supponuntur?

2 Primò suppono, Episcopum non teneri ordines conferre, nec dimissorias suis subditis concedere; si non sint beneficiati, aut in dignitate constituti Ecclesiastica. Constat *ex text. in cap. Ad aures, de tempor. Ordin.* & maximè *ex Concil. Trid. sess. 21. de reform. cap. 2.* Nec ex eo, quod neget; unus aut alter ab eo ad superiorem appellare potest: Quia Concil. Trident. id suo arbitrio relinquit, ibi: *Quos Episcopus judicaverit assumendos*, arbitrium autem, & conscientiam inferioris, superior immutare non potest. Sic pluribus relatis Barbos. *in Collect. ad cit. locum Trident. à num. 54. & de potest. Episcop. part. 2. alleg. 4. numer. 66.*

3 Secundò suppono, idem esse ordinari cum dimissorijs falsis, ac ordinari sine licentia proprij, cum Episcopo alieno. Dian. *part. 11. tract. 6. resol 4. in principio.*

4 Tertiò suppono, non esse idem, ordines suscipere furtivè, ac illas suscipere ab alieno Episcopo: nam furtiva ordinatio tunc datur, quando aliquis cum alijs ordinandis se ingerit, & sic nesciente, & nolente, nec approbante Episcopo, ordinem suscipit. Barbos. *tom. 3. in Collect. Decret. ad cap. 1. de eo qui furtivè ordines, &c. num.* Fragos. *2. part. Regim. Reip. Christ. disp. 19. §. 3. num. 8. Vers. Quoad tertium.* Leand. Soar. Sayr. & plures, quos refero *in Exposit. Bull. disp. 18. num. 317.*

5 Quartò suppono, illum, qui suscipit ordinem ab alieno Episcopo cum dimissorijs falsis, ipso jure incurrere suspensiooem latam in Extravag. Pij II. quæ incipit: *Cum ex sacrorum*, & *Trident. sess. 23. de reform. cap. 8.* alijs que in locis; & cum pluribus Castr. Palaus *tom. 6. de Cens. disp. 4. punct. 10. §. 1. num. 4.* & alij mox citandi. Et si absque illius absolutione in sacris ministret, irregularitatem incurrit. Sic Philibert. March. *de Ordin. tract. 1. part. 5. cap. 5. num. 2. & cap. 11. num. 8. & 16* Leandr. *tom. 4. de Cens. tract. 4. disp. 4. q. 14.* Dicastill. *tract. 10. de Censur. disp 4. dubit. 7. cap. 3 num. 215. & seqq.*

6 Quinto suppono, dictam suspensionem esse censuram, & non merè pœnam: illa enim imponitur, ut medicina, ut fidelis ab inobedientia resipiscat; hæc in vindictam commissi delicti: Illa imponitur absque temporis limitatione, hæc pro tempore limitato; Illa non tollitur absque absolutione, hæc per dispensationem; & cessat elapso tempore, pro quo imposita fuit, si ante illud, non datur dispensatio illius. Ita Tolet. *l. 1. sum. cap. 46. num. 1.* Soar. *tom. 5. in 3. part. de Cens. disp. 25. sect. 1. num. 3. post medium*, & *disp 26. sect. 1. num. 14.* Castr. Palaus *dict. disp. 4. punct. 1. num 3. post medium*, Gasp. Hurt. *de suspens. diff. 3, & diff. 11.* Tambur. *l. 10 de Cens. & irreg. tract. 2. cap. 1. num. 1. & seqq.* Hos ultimos vide, maiorem addentes explicationem, nobis non necessariam.

7 Sextò suppono dictam suspensionem, si fuerit notoria, & denuntiata, S. Pontifici esse reservatam: secus si fuerit occulta; nam sic ab Episcopo potest absolvi, juxta *Trident. sess. 24. cap. 6. de reform.* Sic cum Marchin. Leandr. *cit. dict. q. 14. vers. Dubium tertium*, Dicastill. *nuper allatus num. 222.*

§. II.

An Cælestinus virtute Bullæ Cruciatæ à suspensione incursa ob ordines susceptos, cum dimissorijs falsis pro utroque foro absolvi possit.

SUMMARIUM.

8 *Censuræ à jure latæ virtute Bullæ absolvi possunt in utroque foro, si non sint ex exceptuatis in Bulla.*
9 *Ostenditur ex ipso Bullæ textu.*
10 *Ex authoritate Costæ, & praxi.*
11 *Ex authoritate Themud. Vicarij Generalis, & Bullæ subcommissarij.*
12 *Ex authoritate Doct. Abreu.*
13 *Ex alijs.*
14 *Dicta suspensio est censura, & à jure lata, & non de exceptuatis.*
15 *Dubium non ingerit Soar. Lusit.*
16 *Decretum Urbani VIII. non adversatur.*
17 *Nec adversatur, quòd pars nō fuerit satisfacta.*
18 *Nec contra Archiepiscopum Goanum aliqua opponi queunt.*

8 De hac quæstione egi *hac disp. q. 1.* aliqua tamen hoc loco repetenda duxi, ut Illustrissimum Episcopum ad commiserationem sacerdotis Cælestini in vinculis habentem, moverem. Et quia hæc ad justitiam hujus sacerdotis

multum faciebant. Respondeo igitur, ad quæstionem in titulo propositam, ut certum, & absque ulla dubitatione, potuisse dictum sacerdotem virtute nostræ Bullæ Lusitanæ à dicta suspensione tâm in foro conscientiæ, quam in foro externo absolvi, quin ad Sedem Apostolicam recurreret. Ratio est, quia censuræ à jure latæ, virtute Bullæ Cruciatæ his Portugalliæ Regnis concessæ, absolvi possunt à quocunque confessario ab ordinario approbato, non solum in foro conscientiæ; quod Bullæ Regnis Hispaniæ concessæ tribuitur; sed etiam in foro externo, quod per Bullam Hispaniæ non conceditur. Cum hac duplici, aut triplici limitatione. Prima, ne censuræ absolvendæ sint ex latis contra hæreticos, conspiratores in personam, & statum Rom. Pontificis, falsificatores literarum Apostolicarũ, & supplicationum, & omnes alios casus qui excommunicatione feriuntur *in* 11. 12. 13. & 14 *canone Bullæ Cœnæ*. Secunda limitatio est, quòd prius parti sit satisfactum. Quamvis hæc non sit omnino necessaria: ut *infra* ex DD ostenditur. Tertia limitatio, quòd absolutio à reservatis S. Pontifici conferatur semel in vita, & iterum in mortis articulo; hoc est durante anno Bullæ.

9 Probatur primò ex ipso textu Bullæ Lusitanæ, ubi post concessionem absolutionis censurarum, hæc additur declaratio, quæ in Bulla Hispaniæ concessa, non reperitur: *Declarantes absolutiones vigore præsentium, satisfactâ parte faciendas ab excommunicatione, & alijs censuris Ecclesiasticis ab homine latis, & ferendis, nemini omnino, sive Ecclesiastico, sive laico in foro judiciali prodesse; sed eum tandiu excommunicatum ubique, & ab omnibus nihilominus reputari; nec si sacerdos presbyter, aut alias in sacris ordinibus constitutus fuerit, nullibi Missam celebrare, aut alias se sacris immiscere possit, donec eis a suo judice absolutionis beneficium ab hujusmodi censuris meruerit obtinere.* Ex qua declaratione, apertè colligitur absolutionem à Censuris à jure obtentam, esse validam pro foro externo. Nam cùm per illam exclusivam S. Pontifex dicat, solum à censuris ab homine latis non esse validam absolutionem in foro externo, seu judiciali, necessariò sequitur esse validam absolutionem à censuris à jure latis, in foro externo, & judiciali.

10 Secundò probatur ex authoritate authorum Lusitanorum, qui de hac Bulla, aut scripserunt, aut de hoc privilegio tractarunt, diligenter perpendentes adductam Bullæ declarationem. Primus sit, Sebastianus à Costa de Andrada, Eboræ sub Commissarius Bullæ Cruciat. & ejusdem Archiepiscopatus gubernator, & Canonicus Doctoralis, ac electus in Episcopatum Capitis viridis Antistes; in *Expos. Bull Lusit. q.* 50. *vers. Mihi vero fol. mihi* 103. Et *vers. sequenti* post allatas rationes in confirmationem, hæc inquit: *Atque ita ego liberavi duos presbyteros, qui in se manus violentas injecerunt ad invicem; proindeque in sententiam Can. Si quis suadente, inciderunt; quibus consilium dedi, ut quam primum se absolvi facerent, virtute Bullæ ab excommunicatione Canon. cum illis que ad cautelam dispensavi in irregularitate incursa, ex eoque forte ligati Ecclesiastica censurâ in altari ministraverint: Cum verò post aliquos menses, promotor hujus Ecclesiasticæ Curiæ eos accusaret, ab illisque panas excommunicatorum exigeret, illique schedulam confessoris, de absolutione facta, virtute Bullæ, ostenderent. Officialis hujus Diœcesis definitivâ sententia judicavit, illos legitimè fuisse absolutos, proindeque non incurrisse postea irregularitatem, ministrando in altari; quia prius virtute Bullæ fuerunt rite absoluti ab excommunicatione lata in Canon. Sic Costa.*

11 Secundus sit, Doct. Themud. hujus Archiepiscopatus Vicarius Generalis, & antea Episcopatum Portalegrensis, & Bayensis, in statu Brasiliæ gubernator, & in hoc statu sub commissarius Bullæ Cruciatæ, qui eamdem doctrinam defendit 2. *part. decis.* 219. *a numer.* 6. ubi ait, se non semel eamdem consuluisse, & in irregularitatibus incursis dispensasse.

12 Tertius est Doct. Sebastianus de Abreu *de Paroch. l.* 10. *num.* 540. *in fine*, sic dicens. *Absolutio verò censurarum a jure valebit, etiam pro foro externo, quia Bulla de solis censuris ab homine, ait non prodesse pro foro externo.* Sic Abreus.

13 Eamdem doctrinam, ex Costa sequuti fuerunt Dian. 1 *part. tract.* 12. *resol.* 26. *Vers. Notandum est verò*, Leand. *tom.* 4. *tract.* 2 *disput.* 17. *q.* 93. *vers. Quarto, quia absolutio.* Eandem sæpius consului, & secutus fui *in Expos. Bull. disp.* 17 *a num.* 43. Et *à num.* 52. ostendi quomodo in exteriori foro constare debet, de absolutione censuræ à jure obtenta, salvo sigillo confessionis cum DD. ibi allatis.

14 Sed ex *dictis num.* 5 constat, hanc suspensionem esse à jure; & non ab homine latam & ex *num.* 6 esse censuram, & non mere pœnam, quia erat perpetua, & non in pœnam delicti commissi, sed imposita in medicinam, ne delictum committeretur, & supponunt DD. illam inter censuras afferentes. Constat etiam ex litteris Commendatijs Illustrissimi Archiepiscopi Goani, dictum Cœlestinum sacerdotem virtute Bullæ fuisse absolutum ab ipsa suspensione: ergo non obstante, quòd fuisset denuntiatus suspensus, molestari nullo modo potest à suo Prælato.

15 Nec obstat 1. Doctiss. Soar. Lusit. *de pœnit. tract.* 7. *disp.* 2 *nu.* 309 dicens virtute Bullæ, solum posse absolvi censuras pro foro interno. Non, inquam, obstat, quia locutus fuit juxta Bullam Hispaniæ Regnis concessam, in qua non datur ad privilegium, & non juxta Lusitaniæ Regnis concessam; de qua fortasse non habuit notitiam, ex defectu AA. de illa agentium, vel existimans privilegia utriusque Bullæ, & contextus esse eadem, cum

in

in privilegijs, & contextu maximè differant.

16 Non obstat 2. contra traditam resolutionem, *Constit. Vrbani VIII. edicta anno* 1630. *die* 19. *Junij* habita apud cherub. *tom.* 4 *fol.*63. incipiens: *In specula militantis*, in qua declarat S. Pontifex absolutionem datam, etiam à reservatis in Cæna Domini virtute Bullæ non suffragari, nisi in foro conscientiæ. Non, inquam obstat, quia Respondeo [omissâ solutione Leand. *loco cit.* quæ jam in *Expos. Bullæ* non placuit) eam declarationem non fuisse, circa Bullam Portugalliæ concessam, in qua jam dabatur declaratio circa absolutionem censurarum, sed circa Bullam Hispaniæ concessam, in qua non dabatur ea declaratio, & ex alijs efficacioribus rationibus, ut ostendi in *Expos. Bull. dict. disp.*17 *a num.*48 Et dato, & nullo modo concesso, quod etiam de nostra Bulla Lusitana loqueretur, in illa tamen tempore Urbani, & successorum semper venit cum eadem declaratione adducta *supra*; unde ab illa non est recedendum ex ea Urbani declaratione.

17 Non obstat 3. dicere, quòd in ea absolutione suspensionis, virtute Bullæ, pars non fuerit satisfacta, quod à Bulla requiritur: non enim dict. sacerdos Cælestinus satisfecit Prælato, ordines sine suis litteris ab alieno suscipiens; sententiæ à Prælato latæ non satisfecit, nam exilium indictum impletum non fuit, & forsan, quòd nec pœna pecuniaria condemnationis. Non, inquam, hæc obstant 1. quia ad validitatem absolutionis censuræ, non requiritur partis satisfactio, quamvis ut sit licita requiratur. Sic Sanch. *l.*3.*de matr. disp.*33. *num.*3. Avil *de cens. part.*2. *cap.*7. *disp.*3. *numer.*9. *concl.*2. Lesan. *tom.*3. *qq. Regul. Vero. Bull. Cruciat num.*32 *in fine*, & alij, quos refero, & sectatus fui *in Expos. Bullæ, disp.* 17. *num.* 10. Non, inquam obstat 2. quia in contractione hujus suspensionis, nulla pars fuit læsa; nulli enim illata est injuria; nec nomine partis læsæ venit Prælatus, Ecclesiæ, nec tabellio, cui non est solitum, nec condemnatio pecuniaria, in pœnam delicti lata. Ita Henrriq. *l* 13.*cap.* 28. *nu.* 1. Leandr. *part.*4. *tract* 2. *disp* 17. *q* 98 ubi alios affert, Tambur *l* 5 *de pœnit. tract. de cas. reserv. cap.*12. §.4. *num.*13 & *tract. de Bull. cap.* 11. §. 7. *num.*2. Ego ipse *in Expos. Bull. disp.* 17. *num.*24. alios citans: at quando nulla datur persona offensa, & damnificata, cessat ea conditio requisita.

18 Nec obstat 4 dici ab aliquo, Archiepiscopum Goanum ignorasse virtutem Bullæ, quoad absolutionem suspensionis à jure, & sic tantùm absolvisse ab illa pro foro interno. Non, inquam, id obstat, quia ignorantia de nullo Prælato præsumi potest, ut bene colligitur *ex reg. Ignorantia de reg. jur. in* 6, semper enim præsumitur in suis actionibus cum scientia operari. Et dato, quòd ignorasset privilegium pro foro externo, adhuc pro illo ab ea suspensione absolvit; quia absolvit, in quantum potuit, & pœnitens indigebat: ille verò poterat pro illo foro externo virtute Bullæ, illum sacerdotem absolvere, & sacerdos illa absolutione indigebat. Nec ignorantia illi potestatem limitavit, ut apparet in potente absolvere à censuris, & casibus reservatis, qui absolvit à Censuris oblitis, & reservationem aufert à reservatis oblitis; quamvis in confessario, & pœnitente detur, ignorantia earum censurarum, & reservatorum; ut defendunt Sylvest. Covarr. Sa, Ægid. Coninch, quos affert, & sequitur Castr. Palaus *tom.* 4. *tract.* 23. *de pœnit. disp. unic. punct* 15 § 6 *numer.* 3. Averl. Card. de Lug. Dian. Bosius, & alij plures, quos refero, & sequor *in Expos. Bull. disp.* 15. *nu.* 143.

§. III.

An præciso Bullæ privilegio potuerit Archiepiscopus Goanus pro foro externo dictum sacerdotem, ab ea suspensione absolvere?

SUMMARIUM.

19 *Potuit Archiepiscopus absolvere.*
20 *Occurritur ad id, quòd sit censura publica.*

19 Diximus §. *præcedenti*, ut certum, potuisse sacerdotem Cælestinum absolvi ab ea suspensione, virtute Bullæ, non obstante, quod esset publica, & S. Pontifici reservata. In præsenti respondeo, potuisse etiam absolvi, præciso ipso privilegio Bullæ, cum aliqua tamen limitatione, ab ipso Illustrissimo Archiepiscopo. Hæc resolutio melius probari nequit quàm ex ipsa praxi, & consuetudine, in statu Brasilienſi, Regnis Angolæ, & India Orientali vigenti. De vigenti in statu Brasilienſi, sum testis oculatus: In eadem quippe navi, quâ mare Bayam transmittebam, duo sacerdotes propter delicta à Portugallia exules, navigabant, ab usu ordinum pro toto tempore sui exilij, suspensi. Cum Bayæse Ordinario præsentarent, ut suum subirent exilium: Ordinarius probe cognoscens, hos sacerdotes aliud non habere, ex quo vitam sustentare potuissent; & non esse decens, neque decorum sacerdotali statui, ut vitam servilem, & nigritarum agerent, illos jussit suos ordines exercere, ut sic decore vivere potuissent; & absoluto exilio ad Regnum remittuntur etiam absolutâ pœnâ suspensionis. Et si in sacris, degradati in illum statum, non sint præsbyteratu insigniti, Ordinarius illis confert officiũ æditui, quo decore vivere possint; & si hoc non est sufficiens, illos ad Regnum cum litteris commendatitijs remittit; exilium non approbans. Et sic fit satis sententiæ judicis Ecclesiastici, illos ad eum statum degradantis. Et sic potuit Archiepiscopus Goanus cum sacerdote Cælestino agere, à suspensione publica

absolvendo, & beneficium, ex quo viveret, conferendo, absque dedecore status sacerdotalis: ergo cum ad Regnum Cælestinus justa de causa, non absoluto exilio, rediret, censetur ipsum exilium ex jure adimpletum, & suspensio per absolutionem Archiepiscopi Illustrissimi ablata.

20 Nec obstat, dicere, dari diversam rationem in adductis suspensionibus; nam suspensiones illorum sacerdotum, ad statum Brasilienſem exilium patientium, erant merè suspensiones: quæ cessant elapso tempore, pro quo fuerunt impositæ, ut dictum est *supra nu.* 6. cum pluribus DD. at suspensio sacerdotis Cælestini non erat mera pæna, sed censura, quæ sine temporis limitatione imponitur, ut constat ex *cit. num* 6 & quamvis ab illustrissimo Archiepiscopo per absolutionem fuisset ablata; in perpetuum ablata non fuit, quia erat publica, & reservata S. Pontifici, sed tantùm dum justum dabatur impedimentum, recurrendi ad S. Pontificem, aut illius legatum: & per regressum ad Regnum, jam cessavit impedimentum. Non, inquam, obstat, hæc maior ratio, quia respondetur primò sacerdotem Cælestinum, se bona fide fuisse absolutum, existimantem non cum limitatione, sed absolutè, ut constat ex absolutione collata; & sufficit bona fides. Sic Leand. *tom.* 4. *tract.* 4. *de suspens. disp.* 4. *quæst.* 14. *Vers. Dubium secundum.* Respondeo 2. adhuc personaliter non posse adire Pontificem, nec tenetur per procuratorem, ut tradunt Ugolin. *de Cens. tab.* 1. *cap.* 14 §. 5. *num* 4. & Castr. Palaus. *tom.* 6. *de Cens. disp.* 1. *punct.* 11. §. 2. *num.* 8 Respondeo 3. quoad forum internum adhuc se non censeri obligatum, adeundi S. Pontificem, & hoc sufficit, ut in eam suspensionem non reincidat; *argum. Gloss. in cap. significati* 2. *de homic.* & Navarr. *in sum cap.* 27. *num.* 89. & 115.

§. IV.

An sacerdos Cælestinus irregularitatem, ministrando actus Ordinis, incurrerit? Et Prælatus latoris sententiæ exilij successor, dictas absolutiones suspensionis pro bonis habere teneatur.

SUMMARIUM.

21 *Irregularitatem non incurrit, celebrando post censuræ absolutionem.*

22 *Irregularitas ex delicto proveniens absque peccato meo non incurritur.*

23 *Prælatus territorij pro absolutionibus obtentis, stare tenetur.*

24 *Episcopus aliquando data justa causa dispensare tenetur; & dispensationes, & absolutiones ab alijs obtentas habere pro bonis.*

21 Quoad primum propositum: Respondeo, non incurrisse irregularitatem. Ratio est, quia dictus sacerdos cum censura suspensionis, antequam ab illustrissimo Archiepiscopo virtute Bullæ, & authoritate propria fuisset absolutus, nec Missam novam, nec aliud ordinis ministerium exercuit: sed ex dictis constat, validam fuisse absolutionem, tam virtute Bullæ, quàm ex consuetudine, & praxi in India Orientali recepta: ergo cum aliud non detur, unde oppositum dici possit, standum est pro innocentia sacerdotis.

22 Et certissimum mihi est, hunc sacerdotem, post dictas absolutiones existimasse, se ritè ab ea suspensione esse absolutum; Et hâc datâ bonâ fide ministrantem in sacris, peccatum mortale non commisisset: ergo nec irregularitatem. Nam irregularitas ex delicto proveniens, absque peccato mortali non incurritur. Vt cum communi DD. docent Soar. *tom.* 5. *in* 3 *part. de cens. disp.* 40. *sect. num.* 15. Castr Palaus *tom.* 6. *de cens. disp.* 6. *punct.* 2. *num.* 1 & cum Sayr. Scot. Leciſio Turrian. Hurt. Cernej Filliuc Gibalin Pellizzar & alijs Leandr. *tom.* 5. *de Irreg. tract.* 1. *disp.* 1. *q.* 5. Confirmatur, quia bona fides excusat à suspensione latâ contra suscipientes primam tonsuram, & minores ordines ab alieno Episcopo *ex vi Const. ab Vrbano VIII. Latæ die undecimo Decembris* 1624. ut cum pluribus inquit Leand. *tom.* 4 *tract.* 4. *de suspens. disp.* 4 *q.* 14. *Vers. Dubium secundum*: ergo etiam excusat ab irregularitate incurrenda illum, qui bonâ fide, & moraliter certus existimat, se non esse suspensione innodatum.

23 Quoad secundum in titulo propositũ: Respondeo, Illustrissimum Prælatum successorem latoris sententiæ exilij, stare teneri, pro absolutionibus ab hoc sacerdote obtentis, quia de illis ei constat per literas commendatitias Reverendiss. & Illustriss. Archiepiscopi Goanni; nec ex dictis illi non potest non constare, fuisse validè, & licitè absolutum. Et teneri, hac duplici ratione, ostenditur. 1. quia ubi culpa non est, pæna intercedere non debet. *Regul.* 23. ibi: *sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus, de reg. jur. in* 6. At in hoc sacerdote nulla subest causa, ut puniatur. Et ita D. Thom. omnes TT. & Iurisperiti apud Barbos. *de axiomat.* 181. *num.* 1. At ex dictis constat, & aliò constabit, hunc sacerdotem non commisisse culpam in absolutionibus à suo Prælato obtentis, nec in ministerio altaris, nec in defectu integritatis ex illis: nam de sua infirma valetudine, litteras ostendit Illustrissimi Archiepiscopi illum ad Regnum mittentis: ergo.

24 Secunda ratio: nam juxta *dicta disp.* 1. *q.* 36. *a num.* 9. vidimus teneri aliquando Episcopum dispensare, datâ justâ causâ, ut tradũt plures, & graves DD. quos ibi adducimus: ergo à fortiori stare tenetur pro absolutionibus, & dispensationibus ab alijs Prælatis obtentis; dum de illis constat; & expressè illi non cõstat, fuisse

fuisse invalidas: ergo si Illustrissimus Archiepiscopus tenebatur dictum sacerdotem in illis circunstantijs absolvere virtute Bullæ; & dispensare juxta praxim, & consuetudinem illius statutus, etiam Episcopus suæ originis stare tenetur pro ipsa absolutione, & dispensatione.

QUÆSTIO IX.

An per sententiam in genere suspensus, interposita appellatione, possit omnia sua Prioris munia exercere?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *DD. Varia placita.*
3 *Probabilius videtur à Iudice fuisse suspensum a beneficio.*
4 *Unusquisque in eo puniri censetur, in quo deliquit.*
5 *Fructus beneficij percipere non potest Prior.*
6 *Potest suo fungi officio in spiritualibus, & temporalibus.*
7 *Potest omnes fructus lucrari.*
8 *Plures docent, eam sententiam esse invalidam.*
9 *Id probare intendunt; sed refutantur num. 11.*
10 *Alij communiter asserunt, eam sententiam esse validam, & suspendere ab officio, & beneficio.*
11 *Id ostenditur ex pluribus text.*
12 *Non tamen nostram resolutionem contrariantur.*
13 *Si ab officio, & beneficio suspendatur, à quibus abstinere debeat.*

1 MArcellinus Prior cujusdam Ecclesiæ Regij Patronatus, clericum cuidam beneficio suæ Ecclesiæ præsentavit; existimans, ex aliorum dictis, Priores illius Ecclesiæ, sicut aliarum Priores, esse in possessione earum præsentationum. Iudex tamen contra eum sententiam protulit, mulctans suspensione, & pœna pecuniaria. Nulla addita declaratione circa suspensionem, an esset ab officio, aut beneficio, aut ab utroque. Ab hac sententia tempore habili, appellationem interposuit; quæ recepta non fuit, nisi tantum quoad pœnam pecuniariam. Quæritur 1 An manserit suspensus ab officio, & beneficio, & quæ exercere possit? 2. An ex appellatione interposita, quæ recepta non fuit, aliqua possit agere?

§. I.

An Marcellinus per sententiam suspensionis in genere suspensus manserit ab officio, & beneficio, & quæ agere possit?

2 Circa hanc sententiam: *Sis suspensus* absque alio addito, & determinatione speciei suspensionis, inter DD. diversæ circumferuntur sententiæ. 1. asserit, eam suspensionem in genere suspendere reum ab officio, & beneficio; ut *infra num.* 10.2. & oppositam docet esse invalidam; *de illa num.* 8. 3. est media, & procedit consideratis antecedentibus, & consequentibus, & juxta eam resolvitur quid sit tenendū? De illa num. 3. Et propter hanc varietatem, dicunt non pauci DD. recurrendum esse ad Iudicem, ut suam declaret sententiam Sic Sayr *in Thesaur. l.* 4 *cap.* 4 *num.* 3. Quia tamen in præsenti sententia, Prior ad Iudicem non recurret, & Iudex eam non declarabit; juxta dicta *num.* 1.

3 Respondeo, mihi probabilius videri, Marcellinum per eam sententiam suspensionis in genere, mansisse suspensum à beneficio, & non ab officio. Moveor primò, quia plures conveniunt DD datâ hâc indeterminatione, & dubietate, si ex materia limitari potest ea suspensio, limitandam esse; ut potius censeatur lata pro suspensione à beneficio, quàm ab officio; ita Sayr. *cit. dict. l.* 3. *cap.* 4. *num.* 4 Filliuc *tract.* 17 *cap.* 1. *num.* 8. Dicastill. *tract.* 10. *disp.* 4 *de suspens. dub.* 2. *num.* 27 Soar. *de Censur. disp* 31. *sect* 3 *num.* 15. & alij: sed Prior Marcellinus fuit suspensus, quia nominavit quemdam clericum ab beneficium; intendens habere potestatem ex suo beneficio Prioratus præsentandi, quemcunque voluerit clericum: ergo existimare possumus, judicem illum solùm suspendere voluisse à beneficio, quia prætextu illius, fecit præsentationem, & commisit delictum.

4 Secundò moveor, ex illo principio, quòd unusquisque in eo puniri censetur in quo deliquit, *arg. text. in cap. Si quis comprimissarius, do elect. in* 6. Sed dict. Prior punitus fuit pro præsentatione clerici ad beneficium: ergo in suspensione á beneficio fuit punitus, & non suspensione a beneficio. Hæc *ex cit. text.* sunt probabilia, ut talia visa fuerunt Soar. *cit. dict disp.* 25 *sect.* 2. *num.* 9 *post medium.*

5 Iuxta hanc sententiam, Cælestinus Prior manet prohibitus, beneficij fructus percipere. Quare non solùm graviter, illos percipiendo, peccabit, sed ad illorum restitutionē tenebitur. Sic omnes, Cornejo, Hurt. Avil. Sylvest. Henriq. Baunes, Luciſius, Soar. Cast. Palaus, quos affert, & sequitur Leand. *tom.* 4. *de Cens. tract.* 4 *de suspens. disp.* 3. *q.* 26 Etiam ante judicis sententiam: nam si suspensus ab officio, ante judicis sententiam, est privatus ab omni actu officij, ita etiam suspensus à beneficio, ante sententiam judicis, est privatus ab omni beneficij fructu. Sic Castr. Palaus *dict. tom.* 6 *disp* 4 *de suspens punct.* 5. § 2. *num.* 6. *in fine*, & alij contra plures, apud Leand. *cit.* quorum sententia falsa reputatur ab Hurt. *diffic.* 4. *de suspens num.* 10.

6 Assero tamen, Priorem Cælestinum solùm à beneficio. Suspensum, non manere suspensum ab officio, etiam illo, quod competit

petit ratione beneficij. Et sic potest fungi suo officio, in spiritualibus, & temporalibus. Sic Glossa *in cap. Intimarensis, de elect. verb. ad miseram*, quam approbat, & laudat Panormit. *ibidem*, dicens: *Suspensus a beneficio, tenetur interim officiare in eo beneficio.* Et sequuntur Sylvest. *Verb. Suspensio, q. 5.* Henriq. *l. 13. cap. 32. num. 3.* Laym. *l. 1. tract. 5 part. 3 cap. 1. num. 3.* Dicastill. *dict. tract. 10. disp. 4. de suspens. dub. 2. num. 26 & 32.* & alijs relatis Leand. *dict. tract. 4 disp. 3. q. 1.*

7 Addunt Laym. *cit.* petr. Navarr. *l. 2. de rest. cap 2. num 237.* Dicastill. *dict. numer. 32.* Avil. *de Cens part 2. cap 6 disp 2. dub. 2. concluss. 6.* Taner *tom. 4. disp. 6. q. 10. dub. 7. numer. 137,* Ioann. Præpos. *in 3. part. q. 2. de Suspens. dub. 2. num. 22.* quos refert, & sequitur Dian *part. 5. tract. 10. resol. 3. vers. Si suspensum a beneficio*, suum præstet officium à quo non est suspensus, posse omnes fructus lucrari. Solùmque intelligi privatum à perceptione fructuum, & à temporali administratione, illique aconomum esse constituendum, sic etiam expressius Laym.

Nec in his terminis videtur contrarius Leand. *cit. q. 28* & ab eo *citati*. Nam supponunt hunc beneficiatum fructibus sui beneficij ante sententiam judicis esse privatum, quod etiam concedimus. At addimus, propter officium à quo non est privatus, quod præstat per se, vel per alium, posse fructus lucrari, quibus se, & suos alat, non à se percipiendis, seu ab aconomo: nam si se ingerat interdictæ sibi administrationi, beneficio ipso jure privabitur, *cap. Cupientes § caterum, de elect. in 6.* ut cum communi docet Sayr. *supra cap. 6. numer. 1.* Vide Gastr. Palaum *dict. tom. 6 de Cens a sp 4 punct. 5. §. 1 num. 7.* in sensu magis rigoroso, & Pellizzar. *tract. 7. cap 3. a num. 29.*

8 Nec obstat contra nostram resolutionem 1. sententia asserentium, non esse validam sententiam, in qua quis profertur suspensus, sine expressione suspensionis ab officio aut à beneficio, aut ab utroque, ut tradunt Soar. *tom. 5. in 3. part. de Censur. disp. 25 sect. 2. num 8.* & 9. Cornejo *tract. ac Cens. ingen. disp. 4. dub. 1. vers. infero tertio*, Alter *tom. 2. disp. 7. cap. 1. q. 9. num. 9.* Leand *tom. 4 tract. 1. disp. 4 q 7.* & cit. Aloys. eandem sequitur sententiam *tract 4. disp. 3. q. 2* & Filliuc *tract. 11. cap 3. num 55.* ibi: *In excommunicatione satis est ad eam ferendam, exprimere verbum excommunicationis, quia excommunicatio simpliciter prolata, sumitur pro maiori excommunicatione, atque ita est infima species ex modo, quo sumitur: in suspensione autem non ita est, quia suspensio genus quoddam est ad suspensionem ab officio; & a beneficio; ideo non satis esset, dicere: Sis suspensus, sed debet exprimi: sis suspensus ab officio, vel à beneficio, quia hæ tantum sunt species infimæ.* Sic Filliuc. alij verò tacitis nominibus citantur à Sayr. *dict. l. 4. Thesaur. cap. 4 num. 2. in fine.*

9 Hanc sententiam probant, quia sententia judicis, ut sit valida, debet esse certa, & determinata: Sed *ex cit. Authoribus*, constat, esse incertam, & indeterminatam, quoad suspensionem in genere latam, nempe: *Sit suspensus*, ut ipsi probant: ergo dicta sententia fuit invalida Maior constat ex textibus in *toto titul. C. de sentent. quæ sine cert. quantit. profertur*, & ex *l. Cum ex pluribus ff. de fideicommiss. liber.* Minor patet ex adducta probatione à Filliuc. ergo.

Non inquam obstat ea sententia, nec illius probatio 1. quia sententia eorum DD. habet locum, quando ex verbis, aut circunstantijs, aut ex intentione judicis, non colligitur limitatio: at in sententia adducta colligitur, ex circunstantijs fuisse latam sententiam pro suspensione à beneficio, ut probavimus *num. 3. & 4.* Non obstat 2. quia ea sententia nimis libera, cessent circunstantiæ limitationis, videtur Sayro cit. nam in jure plures reperiuntur sententiæ sic latæ, ut *infra num. 11.* videbimus.

10 Nec obstat 2 sententia communis defendens, suspensionem in genere à judice prolatam, esse validam, & absolutè suspendere à beneficio, & ab officio. Sic cum Sylvest. Henriq. Bernard. Dias, Sayr. *cit. num. 5.* & relatis Avil. Coninch. Vgolin. & alijs Bonacin. *tom. 1 disp. 3 de suspens punct. 2. num. 1.* Castr. Palaus *tom. 6. de Cens. disp. 4 de suspens punct. 1. num. 3.* Filliuc. *tract 17 cap. 1. num. 8.* Dicastill. *dict. tract. 10. disp. 4. de suspens. dubit. 2 num. 27.* Soar. *tom. 5. in 3 part de Cens. disp. 31. sect. 3. in 15. in fine*, Barbos. *in Collect. ad Extrav. Divina, num. 5. de privil* Pellizar. *tom 2 tract. 7. cap. 3. numer. 10.* Dian. *part. 5. tract. 10. resol 14.* referens Mercer. & Gordon.

11 Probatur primò ex ipso jure, in quo sæpius imponitur suspensio absolutè, quin explicetur, an sit ab officio, aut à beneficio, aut ab utroque: & tamen dici nequit, quòd ea impositio sit nulla, aut nullius effectus: ergo etiam dici nequit, quòd sententia judicis, his verbis. *Sit suspensus*, absque expressione, & determinatione suspensionis à beneficio, aut officio, aut ab utroque, sit nulla. Maior expressè constat *ex text. in cap cum bonæ*, ibi: *In eos fecit sententiam suspensionis promulgari, de ætat & qualit, Cap. sane 2* ibi: *poterit, vel interdici, vel suspensionis sententia a judice delegato compelli, de offic. & potest judic. delegat. Cap. Ut clericorum* ibi: *Si quis igitur hac de causa suspensus, præsumpserit celebrare*, &c. *de vita, & honest. cleric. Clem. 1. § quibus*, ibi: *Suspensionis sententiam usque ad satisfactionem debitam, eo ipso concurrant, de privil. & cess. privil. Extravag. Divina*, ibi: *Tam in dantes, quam recipientes excommunicationis, suspensionis & interdicti latas sententias promulgamus, quas volumus eos ipso facto incurrere, de privileg. inter commun & Concil. Trident, sess 24 cap 1 de reform. prope finem.* ibi: *Ipso jure tandiu suspensus maneat, quandiu ab Ordinario ejus*

ejus parochi &c. Hæc ex ipso jure: ergo si hæ sententiæ suspensionis absolutè sunt validæ, quamvis non detur determinatio suspensionis, cur non erit valida sententia judicis, si absolutè proferat suspensionem, licet eam non determinet.

12 Secundò probatur ex ipsa ratione: sub appellatione generis veniunt species: sed suspensio est genus, vel quasi genus ad suspensionem ab officio, & à beneficio: ergo absolutè suspensus, per sententiam judicis, manet suspensus ab officio, & à beneficio. Confirmatur, quia judex ex ea suspensione, in sua sententia lata, aliquam intendit inferre pœnam, & cum non detur maior ratio, cur voluisset infligere pœnam, suspensionis à beneficio, aut ab officio, dicendum est inflixisse utranque. Non, inquam, obstant contra nostram resolutionem *text. adducti*; nec ratio: quia DD. *citat.* pro ea sententia allati, si ex circunstantijs possunt determinare eam supensionem in genere ad suspensionem à beneficio, vel ad suspensionem ab officio, ad illas, eas determinant. Et P. Soar. *cit. dict. nu.* 8. & 9. aliquas *ex cit. textibus*, determinat potius ad unam, quam ad utranque, & *infra disp.* 31. *sect.* 3 *num* 15. *in fine*, loquens *de Extrav.* 2. *de privilegijs*, in qua fertur sententia suspensionis absolutè, absque determinatione hujus, vel illius suspensionis, hæc inquit: *Ubi solum oportet advertere, ibi ferri suspensionem absolutè, & absque ulla determinatione, quæ neque ex verbis, neque ex materia, neque aliunde potest commodè limitari, ideoque suspensionem tam ab officio, quam a beneficio; complecti.* Sic Soar at in nostro casu, habemus fundamentum, ex ipsa materia suspensionis in ea sententia latæ, ad illam limitandam ad suspensionem à beneficio, & nō amplectendi suspensionem ab officio, ut *supra* probavimus ex ipso Soar.

13 Quia tamen ea sententia *num.* 10. *allata* est communis cum dicta limitatione, si placitum nostrum *a num.* 3. *adductum* à sapientibus non admittatur; Respondeo Marcellinum Priorem non posse suum Pastoris officium, nec ordines exercere, nec in choro capitulare, aut officiare, quamvis ut laicus, alias ad recitandum adjuvare possit. Aquibus alijs, ratione dictæ suspensionis absolutæ, complectentis suspensiones ab officio, & à beneficio abstinere debet? Videri possunt, apud Sayrum *cit. dict. l.* 4 *cap.* 4. *& seqq.* Henriq. *l.* 13 *de excomm. & suspens. cap.* 35. §. 1, Ugolin. *de Cens. tabul.* 4. *cap.* 6. §. 1. Tollet. *l.* 1. *instruct. cap.* 14. & alios communiter.

§. II.

An Marcellinus ex appellatione interposita, quæ admissa non fuit, aliqua divina exercere valeat?

SUMMARIUM.

14 *Si legitimam existimabat appellationem, irregularitatem non contraxit, suum munus exercens.*

15 *Secus si illam justam non existimabat.*

16 *Pro foro externo, exercere non potest actus à quibus fuit suspensus.*

17 *Per violationem suspensionis mere pœnæ, incurritur irregularitas.*

18 *Non incurritur, pro usu beneficij.*

4 In duplici sensu hæc quæstio agitari potest. Vel pro foro interno, vel pro externo. Si in interno agitetur, adhuc distinctione nobis utendum est: Nam vel parochus Marcellinus, quando interposuit appellationem, illam existimabat legitimam, vel non. Si illam legitimam existimabat, potest in foro interno suum obire officium, quin incurrat irregularitatem; etiam si judex ad quem appellavit, pronuntiet, illam appellationem fuisse nullam & rectè à judice à quo, repulsam. Sic Gloss. communiter recepta *cap. solet, Verb. in officijs, de sentent. excomm. in* 6 & colligitur *ex cap. Ad præsentiam, de appell.* Navarr. *in Man. cap.* 23. *num.* 104 *Vers. succedit tamen quæstio*, Avil. *de Cens. part.* 2 *cap. & disp.* 5. *dub* 12. Covarr. *in cap. Alma mater part.* 1. §. 7. *num.* 7 Laym. *l.* 1 *tract.* 5 *part.* 1 *cap.* 6. *num* 2. *Vers. Quares*, Castro Palaus *tom.* 6. *de censur disp.* 1 *punct.* 8. *num* 3 Dicastill. *tract.* 10 *de Censur disp.* 1. *dubit.* 23. *num.* 421. Ratione probari potest. Quia ad incurrendam irregularitatem, ex eo, quòd suum munus Pastoris obeat, requiritur temeritas, aut mala fides, & & culpa mortalis: sed cum bona fide, hæc nō dantur: ergo irregularitatem non incurrit.

15 Si tamen Prior Marcellinus quando appellationem interposuit, illam injustam, & illegitimam existimabat; & solùm ob dilatationem litis, aut ob aliam ob causam appellavit graviter peccavit; & sic munus, à quo fuit suspensus, obire non potest; nam eam suspensionem non suspendit appellatio; & illâ non suspensâ, si ea, quæ suspendit, exerceat, irregularitatem incurret. Sic Salzed. *ad Bernard. capit.* 35. §. *Nec etiam.* citans. Navarr. *in repet. capit. Cùm contingat. remed.* 3. Avil Laym. Castr. Palaus, & Dicastill. *loc. cit.*

16 In secundo sensu, nempe in foro externo? Respondeo non posse ea exercere, à quibus fuit suspensus; & si ea exerceat, censebitur irregularis, quousque judex ad quem, de claret fuisse legitimam. Nam ab eo declarata legitima, existente bonâ fide, & ut tali probata, non censebitur irregularis Sic colligitur ex Avil. Castr. Palao, Dicastill. *l.* 11. Vide etiam Navarr. *l.* 1. *consil. tit* 5 *de elect. & electi potest. consil.* 6 ubi inquit suspensionem, cujus violatio irregularitatem inducit, per appellationem non suspendi. Quæ verba intelligi debēt, juxta nobis dicta.

17 Nec

17 Nec obstat, dictam suspensionem à judice latam, esse puram pœnam delicti, & non censuram *juxta dict. q. præced. num.* 6. sed ex sola violatione censuræ incurritur irregularitas, ut colligitur *ex cap. is cui, de sentent. excomm. in* 6. ergo non incurreretur per violationem dictæ suspensionis; quæ non est censura. Non, inquam, hoc obstat, quia respondetur negando minorem; quia irregularitas non incurritur tantùm ex violatione suspensionis, quæ est censura, sed etiam ex violatione illius, quæ est purè pœna, ut constat ex Iuribus *in cap.* 1. *de rejudic. & de sentent. excomm. in* 6. & tradit Soar. *tom.* 5 *in* 3. *part. disp.* 26. *sect.* 1. *num.* 4 & alij plures quos afferunt, & sequuntur Leand. *tom.* 5. *de irregul. tract.* 2 *disp.* 22. *q.* 5. Pellizzar *in man. Regul. tract.* 7 *cap.* 3. *num.* 8. & ego *in Expos. Bull. disp.* 17. *num.* 184.

18 Adverto tamen, ad proximè dicta, nõ omnem violationem suspensionis, irregularitatem inducere, sed eam tantùm, quæ est in usum ordinum: nam jura de nullo alio actu loquentur. Quare non incurritur pro usu beneficij, aut jurisdictionis, actum ordinis non includentis, ut asserit Soar. *cit. in* 6. & ex illo Pellizarius *proximè num* 47 Ex quo colligitur Marcellinum Priorem, cum probabiliter, aut probabilius, per sententiam, non fuisset suspensus ab officio, sed tantùm à beneficio; etiam si exercuisset ea, quæ erant sui officij, & beneficij, exceptis, quæ erant jurisdictionis beneficij, & actum ordinis includebant, in foro externo irregularitatem non incurrisse, post appellationem non admissam.

QUÆSTIO X.

An tempore interdicti localis specialis à Parochia observati, possit in oratorijs privatis, juxta aliam opinionem, Missa celebrari? An saltem virtute Bullæ Cruciatæ?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Proponitur communis opinio.*
3 *Altera adducitur.*
4 *Hanc, Parochiæ fuerunt secutæ.*
5 *Oratorijs celebrari non possunt Missæ, stando opinione communi.*
6 *Ratione ostenditur.*
7 *Inferior potest, se non conformare cum opinione superioris, non tamen in observatione interdicti.*
8 *Ea opinio communis à Parochis non observata excusat privilegiatos à Missa audienda.*

1 DIe sexto Martij 1669. ob contumacem inobedientiam cujusdam Iudicis sæcularis, Capitulum Bracharense, Sede Vacante, interdicto mixto, nempe de ambulatorio, suppositi Parochias Sedis Cathedralis, Victoriæ, & S. Ildefonsi civitatis Portugallensis: in his enim, non solùm degebant ipse Iudex, sed etiam alij cooperantes, & dantes causam huic interdicto. Post dies quinque, easdem Parochias Cessationi à divinis, & civitatem interdicto generali, & postea cessationi à divinis subjicit. Primis illis quinque diebus, dictæ Parochiæ interdictum, ut speciale loci observarunt. Quæritur 1. An in Oratorijs ijs Parochijs existentibus, celebrari possint singulis diebus Missæ, juxta opinionem asserentem, illud interdictum esse generale locale, servatis conditionibus *cap. Alma mater, de sentent. excomm. in* 6. 2. An saltem virtute Bullæ Cruciatæ?

§. I.

An in Oratorijs, ijs Parochijs existentibus, singulis diebus Missæ celebrari possint juxta opinionem asserentem, illud interdictum esse generale locale, servatis conditionibus *cap. Alma mater.*

2 Ad resolutionem suppono 1. in interdicto locali generali licere quotidie, celebrare Missas, & alia divina officia in privatis oratorijs, & alijs Ecclesijs; non tamen esse licitum, tempore interdicti specialis localis. Videatur Leand. *tom.* 4. *tract.* 5. *disp.* 4. *q* 4. *&* 5.

Secundò suppono, interdictum pro illis tribus Parochijs civitatis Portugallensis latum, scilicet pro Parochia Sedis Cathedralis, Victoriæ, & S. Ildephonsi, juxta probabiliorem sententiam asserentem esse locale generale, ut communiter tenent Authores. Soar. *tom.* 5. *in* 3. *part disp.* 32 *sect.* 2. *num.* 7. Ægid. Coninch. *disp.* 17 *de interdict. dub.* 1. *num.* 16. Filliuc. *tract.* 18. *cap.* 1. *num.* 5. Castr. Palao *tom.* 6. *de Cens. disp.* 5. *punct.* 1 *num.* 4. Dicastill. *tract.* 10. *de Cens disp.* 5. *de interdict. dubit.* 1. *num.* 12. Navarr. Ugolin. Cornejo, & Henriques, quos affert, & sequitur Leand, *proxime disp.* 1, *q.* 6. Fragos. 2. *part. Regim. Reip. Christ. disp.* 2. § 4. *num* 24 Probatur, quia in præsenti edicto, non fuerunt interdictæ Ecclesiæ Sedis Cathedralis, Victoriæ, aut S. Ildephonsi, sed Parochiæ, quæ continebant totum districtum, & locum, in quo habitant parochiani, & sunt plures Ecclesiæ, & Monasteria: sed interdictum hæc continens, est generale, ut colligitur ex textu *in cap. Cum in parte, de verbor. signif* & alijs.

3 Probabiliter tamen defendunt aliqui tale interdictum, esse speciale locale, sic Avil. *de Cens. part.* 5. *disp. & dub.* 1. *Vers. Hinc sequitur*, Alterius *de Interdicto disp.* 1 *cap.* 4. *dub.* 1 *column* 2. *num.* 7. Bonac. *tom* 1. *disp.* 5 *de interd. punct.* 1. *num.* 7. Covarr *in cap. Alma mater, part.* 2. §. 1. *num.* 9. citans Abbat. Calder, & alios, & Abreus *de Paroch. l.* 10. *sect.* 3 *de Interd. num.* 480 & alijs. Probant quia illud dicitur generale, quod totum aliquod sine exceptione comprehendit: sed

sed quando una tantum, aut duo, aut tres Parochiæ unius civitatis, quæ alias plures comprehendit, totum dici nequeunt, sed pars: ergo interdictum latum in illam partem, partiale est, & non generale. Hæc sententia est probabilis.

4 Illam sequutum fuit Reverendiss. Capitulum, Sede Vacante; & juxta illam nec in illis Parochijs, nec in alijs Ecclesijs, quæ in earum ambitu, continebantur, celebrata sunt divina officia, nisi una tantùm Missa, in hebdomada, pro renovenda Eucharistia. Cessante privilegio *in cap. Alma mater, cit.* concessio, cum illis quatuor conditionibus, nempe: *Ianuis clausis, voce submissa, excommunicatis, & interdictis exclusis, & non pulsatis campanis.* Quod solùm habet locum, in interdicto locali generali, & non in speciali; ut tradunt Gloss communiter recepta, *in dict. Alma mater, Verb. Ecclesijs*, Covarr. Tolet. Sanch. Soar. Henriq. Avil. Cominch. Laym. Bonacin & alij, quos referunt, & sequuntur Castr. Palaus *dict. tom. 6 disp 5. punct. 5 num. 10.* Leand. *tom. 4. tract. 5. disp. 4. q. 5* Dicastill. *tract. 10. disp. 5. numer. 22. & 147.* His suppositis.

5 Respondeo, non posse, celebrari Missas in Oratorijs, in ambitu illarum Parochiarum, existentibus; juxta opinionem magis communem asserentem, illud interdictum esse locale generale, & non speciale, ut dictum est, *supra num. 2. Vers secundo suppono.* Moveor primo, quia omnes Ecclesiæ, & oratoria, quæ sunt in ambitu Parochiæ interdictæ, interdictum servare tenentur, quod ipsa Parochia servat, ut omnes dicunt; Vide Castr. Palaum *cit. dict. disp. 5. punct. 2. §. 1. num. 8 in fine*, sed dictæ Parochiæ servant interdictum locale speciale: ergo etiam oratoria, quæ sunt earum ambitu, illud idem interdictum servare tenentur Maior est certa, quia nullum est inconveniens; quod res inanimatæ hujus inhabilitatis, & violationis sint capaces. Minor patet, quia sicut servare tenentur interdictum, sic videntur servare teneri, id ipsum interdictum, quod ipsæ Parochiæ servant.

6 Secundò moveor, quia membra suo corpori conformari se debent; ut in recitatione officij, juxta plures DD. quos citat, & sequitur Fragol 2 *part. Regim. Reip. Christianæ, disp 22. de horis Canon. §. 1 num. 10. in fine*, sed oratoria sunt veluti membra Parochiæ, cui subjacent: ergo in observatione talis, aut talis speciei interdicti, conformari se debent.

7 Nec obstat 1 quòd unusquisque potest ex duabus opinionibus probabilibus in praxi sequi, quam maluerit, ut pluribus citatis, tenet Sanch *in Sum tom. 1. ll. 1. cap. 9. num. 14* & relatis Basil. Pont. Malder. Filliuc, Taner. utroq Barbos Emman. & August. Villalob. Ioann. Sanch. Lorca, Martin Alvares Sanctarell. Portel. Dian. *part. 2. tract. 13. resol. 1. & alijs* Moya *tom. 1. qq. select. tract. 1. q. 6. num. 5. & 11.* Sed opinio docens, interdictum pro illis tribus Parochijs latum, esse generale locale, est non solùm probabilis, sed longe probabilior aliâ, quam sequutum fuit Reverendiss. Capitulum Sede Vacante, & aliæ Parochiæ: ergo juxta privilegium *in cap Alma mater, de sentent. excommun. in 6.* concessum, poterit sacerdos in oratorijs privatis celebrare, servatis conditionibus in eo *cap.* requisitis, juxta eam opinionem. Non, inquam, hoc obstat; nam licèt inferior possit, se non conformare cum superiore, sequendo opinionem probabilem diversam ab illa, quam ille sequitur; in præsenti casu, nec est probabilis, nec probabilior opinio, docens posse Ecclesias, aut oratoria aliud servare interdictum, diversum ab eo, quod servant Parochiæ; in quarum ambitu existunt, quia tenentur servare interdictum, quod illæ servant.

8 Non obstat 2. Nam habentes Bullam tempore interdicti localis generalis, diebus festis audire Missam, tenentur; ut cum probabiliori sententia, & plusquam triginta DD. defendimus in *Exposit. Bull. cap. 11. sect. 16. a nu. 110.* sed probabilior sententia etiam tenet, dictum interdictum esse locale generale, & non speciale locale; ut dictum est: ergo eo tempore, & poterunt habentes Bullam in oratorijs privatis, & diebus festis, tenebuntur Missam audire, si sacerdotem habeant, qui sponte, & absque eleemosyna illam celebrare velit. Non, inquam, obstat, quia ij DD. & illa probabilior opinio procedit de interdicto, generali locali, quod servatur à Parochia; at quando datur, seu servatur interdictum speciale locale in ea Parochia, non dantur eæ Missæ nec in oratorijs celebrari possunt, ordinariè loquendo, ad illas quæ audiendas, non tenetur.

§. III.

An saltem, virtute Bullæ Cruciatæ, pro eo tempore, celebrari possint Missæ in oratorijs privatis, & alijs Ecclesijs?

SUMMARIUM.

9 *Non possunt virtute Bullæ Cruciatæ Hispaniæ concessæ.*

10 *Possunt virtute Bullæ Lusitaniæ concessæ.*

11 *Possunt Bullam Lusitaniæ concessam habentes, audire die Dominicâ, & festivâ illam Missam, quæ celebrari conceditur ad revocandam Eucharistiam, in cap. Permittimus.*

12 *Etsi hæc celebretur die festivo, illam tenentur audire juxta probabiliorem opinionem.*

13 *Nec textus, in cap. Quod inter de panit. & remiss & cap. Permittimus, de sentent. excomm nobis sunt contrarij.*

9 Diximus §. *præcedenti* non posse Missas celebrari in Oratorijs privatis pro illis diebus

in quibus, illis tribus Parochijs, servatur interdictum speciale locale; quamvis detur opinio, quòd illud interdictum dicatur locale generale. Nunc inquirimus, an saltem, virtute Bullæ Cruciatæ, possit Missa celebrari in eo interdicto, & in omni speciali locali? Respondeo, ut certum non posse virtute Bullæ Cruciatæ Hispaniæ concessæ. Ratio est, quia per eam Bullam, privilegium non conceditur, audiendi Missam, tempore interdicti specialis localis, sed tantùm pro tempore interdicti localis generalis, ut expressè constat ex verbis ipsius Bullæ, ibi: *Ut possint in Ecclesijs, in quibus aliàs divina Officia, interdicto durante, quomodo libet celebrare permissum fuerit, vel in privato oratorio, &c.* Sed ex jure *in cap. Alma mater, de sent. excomm. in* 6. solùm permittitur, seu conceditur celebrare divina officia cum moderationibus supra allatis in interdicto locali generali: ergo per dictam Bullam solùm in eo interdicto conceditur audire Missam, & non interdicto locali speciali. Ut sentiunt agentes de ea Bulla, Covarr. *in cap. Alma mater, part.* 2. §. 4. *numer.* 1. Henriq. *l.* 7. *cap* 13. *numer.* 3. *lit. E.* Trullench *tom.* 3. *l* 1. *de Expos. Bull.* §. 3. *dub.* 2. *numer.* 8. Tambur. *tom.* 2. *tract. de Bull. Cruc. capit.* 1 §. 1. *numer.* 3. *& alijs in locis*. Vasq. *tom.* 3. *in* 3. *part. disp.* 219. *cap.* 2. *numer.* 43. Villal. *claus.* 4. *Bull. numer.* 14. Castr. Pallaus *tom.* 4. *tract.* 25. *de Bull. Cruciat. disp unic punct.* 6. *num.* 5 *in fine*, & alij: ergo virtute dictæ Bullæ, &c.

10 Si tamen loquamur de Bulla Cruciata Portugalliæ Regnis concessa; dicendum est, non solùm virtute illius, posse audiri Missas tempore interdicti localis generalis, sed etiam tempore interdicti localis specialis; & non solùm in Ecclesijs illi interdicto subjectis, sed etiam oratorijs in ambitu earum Parochiarum existentibus, ibi: *Ut libere possint in privato Oratorio ad divinum cultum duntaxat deputato, ab Ordinario loci approbando, & visitando, etiam in locis interdicto suppositis.* Unde verba: *Etiam in locis interdicto suppositis*, cum sint generalia, includunt omnia interdicta localia, tam loci specialis, quàm loci generalis, & pro utroque sumi debent: sumi enim debent pro ut sonant, & secundum propriam significationem; ut cum pluribus tradit Barbos. *tract. de Axiomat.* 222. *num.* 1. *in fine*, *& num.* 4. Et quòd virtute Bullæ Cruciatæ Lusitaniæ concessæ, possint audire Missam illam habentes, etiam in interdicto loci specialis, tenet Abreus *de Paroch. l.* 10. *cap.* 3. *de Bull. Cruciat. sect.* 2. *num.* 506. Et ego, hoc privilegio expressè, & ex professo egi, *in Expos. Bullæ disput.* 11. *sect.* 3. *num.* 8. Vide locum.

11 Ex hoc privilegio sequitur, posse, eam Bullam habentes, audire illam Missam, quæ *in cap. Permittimus, de sententia excom.* in qualibet hebdomada conceditur, tempore interdicti loci specialis celebrari, ad renovandam Eucharistiam. Quia eo tempore ad illam audiendam privilegium habent.

12 Imo addo, sacerdotes, & alios dictam Bullam habentes juxta probabiliorem sententiam teneri diebus festivis Missas audire, quia data Bulla, & sacerdote celebrante, nullum datur impedimentum, ut suppono, ut Missa non audiatur. Et quòd diximus *supra num.* 8. de obligatione audiendi Missam tempore interdicti loci generalis, virtute Bullæ, intelligitur etiam juxta nostram Bullam pro tempore interdicti loci specialis.

13 Nec obstant textus *id cap. Quòd in te, de pœnit. & remiss. & cap. Permittimus, de sentent. excomm.* in quibus ea conceditur Missa tempore interdicti loci specialis, pro renovanda Eucharistia; cui Missæ nec clerici, nec laici assistere, queunt, sed tantùm sacerdos, cum suo ministro, ut videre est apud Castr. Palaum *tom.* 6. *de Cens. disp.* 6 *punct* 9. § 2. *num* 4. ergo alij assistere etiam, licet privilegiati, non possunt. Non, inquam, obstant, quia ij textus procedunt, præciso Bullæ privilegio, quod conceditur in Bulla Lusitaniæ concessa; quare negatur consequentia.

QUÆSTIO XI.

An Moniales Benedictinæ non exemptæ, possint tempore interdicti, sive specialis, sive generalis loci, sive Cessationis à divinis, cum suis famulabus, puellis in monasterio, causa educationis, degentibus, sumere sacramenta, sepelire defunctas, cum moderationibus *in cap. Alma mater* requisitis?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Possint pro tempore interdicti loci generalis.*
3 *Privilegia Religiosis concessa, Monialibus ejusdem ordinis conceduntur, etiamsi non subdentur ijsdem Religiosis.*
4 *Religiosis Benedictinis de Portugallia, à Sixto V. conceduntur privilegia Mendicantium, & non Mendicantium.*
5 *Religiosis S. Benedicti conceditur à Leone X. celebrare divina in festivitatibus aliquorum Ordinis sanctorum tempore interdicti.*
6 *Eadem conceduntur ab eodem Leone in alijs festivitatibus.*
7 *Puellis cum dictis Monialibus degentibus, & illarum famulabus conceditur audire divina, & decedentibus, Ecclesiastica sepeliri sepultura.*

1 Eisdem perseverantibus interdictis, specialis; & generalis loci, & cessatione à divinis in eadem Portugallensi civitate, in qua erat Monasterium Religiosarum S. Benedicti, Ordinario subditarum. Et cum his interdictis illarum conscientiæ, vexarentur, pro

pro illis Quæritur 1. quid possint ipsæ puellæ, cum illis causa educationis, degentes, & illarum famulæ tempore intredicti loci generalis? 2. Quid tempore interdicti loci specialis? 3. Quid, tempore Cessationis à divinis?

§. I.

Quid possint Moniales S Benedicti, tempore interdicti generalis, facere? Et quid puellæ ibi degentes, & illarum famulæ?

2 Respondeo posse dictas Moniales, tempore interdicti localis generalis, in suis Ecclesijs dicere divina officia, submissa voce: januis clausis, non pulsatis campanis, excluisque excommunicatis, ac interdictis, facereque celebrare Missas, per sacerdotes sæculares, seu Regulares. Ratio est, quia id conceditur omnibus sacerdotibus indiscriminatim, ut possint pro singulis diebus in Ecclesijs, & Monasterijs celebrare. Ita cum Perin. & Gavant. Tambur. *de jure Abbatiss. disp. 15. q. 8. num. 2.* Pellizzar. *tom. 2. tract. 10. cap. 9. num. 32.* Lezan. *tom. 1. de Regul. c. p. 21. num. 19.*

3 Et quamvis ibi sit sermo de Regularibus, & non de Monialibus; privilegia alicui Religioni hominum concessa Monialibus ejus Ordinis conceduntur, dummodo ea privilegia, non repugnent eorum statui, & sexui. Ita sustinent Rodrig. *tom. 1. q. 13. art. 12.* Soar *de leg. l. 8. cap. 10. num. 3.* Bonac. *ibid. disp. 1. q. 3. punct. 7. §. 2. num. 2.* Castr. Palaus *tom 1. tract 3, disp. 4 cap. 9. num. 1* Tambur. *de jur. Abbatiss. disp. 17. q. num. 1.* Pellizzar. *tom. 2 tract 10. cap 9 num. 1.* Et hoc astruunt contra aliquos; sive ipsæ sint Ordinario, sive Prælatis ejusdem ordinis subjectæ.

4 At Religiosis S Benedicti de Portugallia concessa sunt Mendicantium, & aliarum Religionum privilegia, ut constat ex Bulla Sixti V. anno 1587. concessa Quam fatetur; vidisse authenticam Emman Rodrig. *tom. 1. qq. Regul q. 55. art. 6.* In qua Bulla conceduntur etiam dictis Religiosis Benedictinis omnia privilegia concessa, & concedenda Ordini Cisterciensi. Cui ordini privilegia Mendicantium, & non Mendicantium, per Gregorium XIV. sunt concessa. Ut videre est apud Rodrig. *cit.*

5 Et specialiter loquendo de privilegijs, pro tempore interdicti, videatur Rodrig. *tom. 2. qq. Regular q. 113 per totam, & specialiter art. 4.* ubi inquit, posse Religiosos S. Benedicti ex privilegio ipsis concesso à Leone X. solemniter celebrare Missas, & divina officia diebus S. Benedicti S. Gregorij Papæ, S. Bernardi, S. Mauri, S. Placidi, & aliorum Ss. ejusdem Ordinis.

6 Ex eodem Leone X. concessum est ipsis Benedictinis; ut possint tempore interdicti, sive ijsdem moderationibus, celebrare divina in festivitatibus Conceptionis, Visitationis, ac Nativitatis B. Virginis, in nativitate S. Joannis Baptistæ, & in festis Sanctorum Ordinis; nec non illorum Sanctorum, & Sanctarum, sub quorum invocationibus illarum templa erecta sunt, aut quorum corpora in ijs reposita sunt Nec non in hebdomada sancta, ac Resurrectionis Dominicæ, & per octavas earumdem omnium festivitatum. Denique quoties aliqua Monialis professionem emiserit, aut in Ecclesia sepeliatur. Sic Casa rubius *in compend. privil. Mendic. Verb. Interdictum 2. num. 10.* Lezan. *tom. 1, de Regul. cap. 21. num. 19.* Pellizzar. *tom. 2. tract. 10. cap. 9. num. 33.* Et eadem absque dictis moderationibus, ex ipso jure communi, per *Extravag. Martini V.* in festo Ss. Sacramenti, & per octavam. Sic DD. *loc. cit.* Ex dictis constat, quæ Moniales Benedictinæ tempore interdicti localis generalis absque scrupulo agere possint; & possunt ea omnia quæ Religiosi S. Benedicti ut *supra diximus*, quamvis ijs Religiosis subditæ non sint.

7 Quoad puellas, in eo Monasterio causa educationis, degentes? Respondeo, posse tempore interdicti, & Cessationis à divinis, interesse Divinis Officijs, audire Missam, recipere Sacramenta; & si decedant, Ecclesiastica sepeliri sepulturâ. Eodem privilegio gaudent earum famulæ, procuratores, & operarij, ex privilegio Bullato Cysterciensibus ab Eugenio IV. concesso; quod referunt Sayr. *l. 5. de Cens. cap. 7. num. 22.* Pellizzar. *proximè numer* 34. Et etiam refertur *in Comped. nostrorum privilegiorum Verb. Interdictum*, § 2. ex Paulo III. nostris domibus, & collegijs concessum Vide Pellizzar. *cit.*

§. II.

Quæ divina Moniales Benedictinæ, tempore interdicti loci specialis, agere valeant?

SUMMARIUM.

8 *Possunt ea omnia, quæ possunt agere tempore interdicti generalis loci, ex privilegijs Eugenij IV. & Julij II.*

9 *Privilegium Julij II. per errorem posuit Rodrig. inter privilegia vivæ vocis Oraculorum.*

10 *Aliqua probabiliter per Concil. Trident. revocantur.*

11 *Probabilius est, non revocari, nisi concessa ante Trident.*

12 *Post Trident. pro tempore interdicti loci generalis, & specialis plura concesserit privilegia B. Pius V.*

8 Respondeo, posse dictas Moniales, & omnes in privilegijs cum Mendicantibus communicantes, ea omnia pro tempore interdicti loci specialis, quæ illis, pro interdicto loci generalis, conceduntur. Sic constat ex duplici

privilegio; primo ab Eugenio IV. concessio Benedictis, pro congregatione Hispaniæ; secundo à Iulio II Augustinianis concessio. De primo fit mētio in nostrorū priviligiorū *Copedio Verb. Interdictum* §.4. & refertur, in *Copend. Minor. Verb. interdictum* 3. § 11. & concessum fuit per litteras authenticas. Secundum referunt Casarubius *in Compend. privil. Mendic. Verb. Interdictum* 3. §. *Decimo Iulius II.* Peirin. *tom.* 1. *privil. Minim. in Const.* 2. *Sixti IV. num* 54. Tambur. *de Iure Abbat*, quos affert, & sequitur Lezan. *tom.* 3. *Verb. interdictū, num.* 31. Portel *in dub. Regul. Verb. Interdictum Regul. num.* 73. Qui omnes notant, hoc esse magnum privilegium. Nam quando jure communi *cap. Alma mater, cit.* suspenditur interdictum, in aliquibus festivitatibus, non suspenditur, quando interdictum est loci specialis: at juxta hæc privilegia, suspenditur.

9 Nec obstat 1. quòd Emm. Rodrigues posuisset hoc privilegium Iulij II. *in Bullario Regul. subst. vivæ vocis oraculorum post Bullam* 22. *Iulij* 11. Non, inquam, obstat; quia id fuit per errorem; constat enim fuisse concessum per Bullam, ex verbis, quibus postea eam refert. Et hoc Bullæ originale Romæ asservatur in archivo Augustinianorum; & refertur integra, in eorum Bullario; ubi est *Const* 5. *ejusdem Iulij, ubi* §. 7 hæc fuit facta concessio. Ut notavit dil gentissimus P. Emmanuel Paes *in addit. manu scriptis. ad compend nostror. privileg. ex mandato N. R. P. Generalis Mutij Vitelleschi. Verb. Interdictum, vers. Post* §. 3. *fol. mihi* 56.

10 Nec obstat 2 aliqua *ex supra dictis* stare posse, contra Decretum Concil. Trident. *sess.* 25. *cap.* 22. *de Regul* in quo revocantur Regularium privilegia à S. S, Pontificibus pro tempore interdicti concessa, ut fatentur Navarr. *in man. cap.* 27. *num.* 190. Garcia *de benef. part.* 3. *cap.* 2. *a num* 278. & *in addit. ad part.* 5. *cap.* 8. *num.* 87. *vers ad* 8. Armendarius *in adait. ad recop. leg. Navarræ, l.* 2. *tit.* 18 *l.* 7. *de relig. num.* 73. hiduo postremi asserentes, sic declarasse S. Card. Congreg & quamvis B. Pius V. ea postea privilegia revalidaverit *in Const. Etsi Mendicantium*, Gregorius tamen XIII ea revocavit, quatenus dicto Concil. Trid. erant contraria.

11 Non, inquam, obstat; nam licèt ea sint probabilia, probabilius tamen est, ea pro suis festis, & alijs certis diebus concessa à Conc. Trident. non esse revocata; quia mens Concil. fuit ea tantùm revocare, quæ à quibusdam Religiosis dicebantur, haberi de nullatenus servando quocunque interdicto; ut erant Fratres milites S. Ioannis Hierosalymitani, virtute concessionis Anastasij IV. Alexandri III. & IV. Urbani III. Clementis III. & IV. & Fratres Minimi ex privilegio Leonis X. Vt tradunt Rodrig *in Expos Bullæ Cruciat.* §. 5. *num.* 16. & *tom.* 2. *qq. Regul. q.* 112. *art.* 1 Sorbus *in addit. ad compend. Mendic. Verb. interdictū* 3. § *sed alij DD*, Henriq. *l.* 13. *cap.* 48. §. 1. *Sayr. de Cens l.* 5. *cap.* 13. *num.* 24. & 25. Ioann. de la Cruz *de Stat. Relig l.* 2. *cap.* 7. *dub.* 2. *conclus* 2. Mirand. *in man. Prælat. tom.* 2. *q.* 37. *art.* 12. *resol.* 1. Homobon *de exam. Eccles. tract.* 11. *cap* 12. *q.* 25. *resol.* 1. Dian. *part.* 3. *tract.* 2. *resol.* 133. & *part* 4. *tract.* 4. *resol* 213. Lesan, *de Regul. tom.* 1. *cap*, 21. *num.* 19. & *tom.* 3. *Verb. Interdictum numer.* 28. & 29. ad declarationem S. Congr. Card. & alias allatas, respondens, non sibi constare authentice; & S. Congr. hujusmodi declarationibus, non authenticis, fidem non esse adhibendam declaravit. Et dato, quod illa revocaverit, illa tantum revocavit, quæ ante Trident. fuerunt concessa; at post illud, illa Minoribus concessit Clemens VIII. & sic illis uti possunt cum illis communicantes Sic cum Tambur. Lezan *Verb Interdictum num.* 29 *in fine.*

12 Hic affero aliud privilegium, pro tempore interdicti generalis, & specialis loci, concessum, de quo meminit idem P Emman. Paes *loco supra cit. Verb. Interdictum*, ubi post *additionem ad* §. 7 *compend. nostrorum privileg in Verb. Interdictum*, sic ait: *Postea ex voluntate ejusdem R. P. Generalis addendus est* § 8. *Quia privilegium in eo contentum, post Concil. Trid. fuit concessum Ex concessione Bullata Pij V. die* 23. *Decembris anno* 1567. *facta Ordini S. Hieronymi in Hispania, possunt Fratres illius Ordinis in suis Monasterijs tempore Interdicti Generalis, vel specialis, etiam authoritate Apostolica apponendi, Officium Divinum, & Missam, alta voce, & januis apertis publice dicere, celebrare, & cantare, & omnes Christi fideles illis assistere, & interesse liberè, & licite, in sequentibus diebus, videlicet Epiphanie, Ascensionis, & Assumptionis B. Mariæ Virginis, singulorum Apostolorum, in Dominica Palmarum Feria quinta, & sexta, & sabbato maioris hebdomada, in festo SS. Trinitatis, in festis Conceptionis Nativitatis, Purificationis, Annuntiationis, & visitationis B Mariæ, Nativitatis S Ioannis, S. Marci, & S. Luca, & Omnium Sanctorum, & in commemoratione omnium fidelium defunctorum pro Missa, & processione, & in die obitus alicujus Religiosi dicti Ordinis, pro, Missa, & officio pro ipso defuncto dicenda. Habetur in Compendio privilegiorum illius Ordinis Romæ excusso anno* 1591. *Verb. Interdictum* § 9. *Constat autem fuisse per Bullam, quia dicitur ibi concessisse ad perpetuam rei memoriam.* Sic P. Emman. Paes nostræ Societatis IESV.

§. III.

Quæ divina Moniales Benedictinæ tempore cessationis à divinis agere valeant?

SUMMARIUM.

13 *Possunt tempore Cessationis à divinis, quæ possunt tempore cujuscunque interdicti.*

14 *Oppos-*

14 *Oppositum inferri potest, quia indultum Leonis X. concessum fuisse videtur vivæ vocis oraculo.*
15 *Probabile visum fuit DD. Academiæ Eborensis, fuisse concessum per signaturam.*
16 *Ab aliquibus censentur revocata ea oracula vivæ vocis, quæ merè talia sunt.*
17 *Vivæ vocis oracula sub quacunque verborum forma, per signaturam, Bullata manent.*
18 *Idem confirmatur ex Bulla Gregorij XV. Theatinis concessa.*
19 *Si confirmatio fiat per Bullam, mutat naturam vivæ vocis Oraculorum.*
10 *Gregorius XV. non revocavit vivæ vocis oracula, quæ ante revocationem, suum sortita fuerant effectum.*
21 *De Bordoni explicatione, non est curandum.*
22 *Conclusio ex dictis.*

13 Respondeo, plures sentire DD. posse dictas Moniales tempore cessationis à divinis, secretò facere celebrare, sicut tempore cujuscunque interdicti, idque toties, quoties, ut inquit Casarubius *in compendio Mendic. Verb. Interdictum* 1. *num.* 17. his verbis: *Leox declaravit, & concessit Fratribus Minoribus, quod in forma observationis, nulla sit differentia, inter Cessationem a divinis, & interdictum quodcunque.* Idem expresse tenent Peirinis *tom.* 1. *privil. Minim. in Const* 2. *Sixti IV. num* 52. Lelan. *tom.* 1. *qq Regul. cap* 1. *num* 20. Rodrig. *tom.* 2. *qq. Regul q.* 116 & *q.* 115. *art.* 4. & innuit capucin. *in Compend. Verb Interdictum fol* 162 § *Item decimo*, & expressè Sayr. *in Thesaur. casuum conscl.* 5. *cap* 19 *num.* 6 ubi hoc privilegium probat ex pluribus juris communis textibus, & ex privilegijs sixti IV. Clementis IV. & Leonis X. Henriq. *tom.* 2. *l.* 13 *cap* 53. *lit. r. & s.* videatur, & *litt. Q.* ex ejsdem textibus, & sixti IV. Portel. *in dub. Regul. Verb. Interdictum num.* 74. ubi inquit, PP. nostri Collegij S Antonij in Cessatione a divinis, imposita nostræ Ecclesiæ, celebrasse ex privileg. Leonis X. Missas. Et ego ipse tum testis de eadem celebratione in præsenti cessatione à divinis in nostro Collegio Portugallensi, & in alijs Regularium Ecclesijs, ex eodem privilegio, non tamen in choro recitatæ sunt horæ Canonicæ. Eâdem doctrinam videtur insinuare Pellizzar. *tom.* 2. *tract.* 10 *de Monial privil. cap.* 9. *num.* 32. *in fine*, per hæc verba: *Quod diximus de tempore interacti, proportionaliter militat etiam pro tempore cessationis à divinis.*

14 At contra citat. Authores, videtur obstare primò. Quod illa concessio, pro tempore Cessationis à divinis nullo alio jure nitatur, nisi supra dicto indulto Leonis X. ut inquit Pellizzar. *citat. tract. 7. capitul.* 4. *num.* 106. Quod hodie non subsistit; quia fuit vivæ vocis oraculum, & intra illa oracula illud numerat Rodrigues *in Bullario, intra alia hujus Pontificis, numer.* 8. *fol. mihi* 332. In generali autem vivæ vocis oraculorum revocatione à Gregorio XV. & Urbano VIII. hoc etiam abrogatum fuit. De alijs verò privilegijs à Sexto IV. & Clementi IV. à Sayr. & Henriq. relatis, inter DD. non constat. De alio non dissimili indulto mentionem facit Rodrig. *in Bullar. Bulla* 38. *ab eodem* Pontifice concessio Congreg. S Benedicti Vallis oleti: in titulo tamen inquit, fuisse vivæ vocis oraculum.

15 Non, inquam, hæc videntur obstare, quia probabile est, illud indultum Leonis X. non fuisse vivæ vocis oraculum, sed per signaturam concessum, ut constat, ex quadam consultatione ex annotationibus manu scriptis P. Emman. Paes nostræ societatis, ad nostrorum privilegiorum compendium *annot.* 44. in qua se remittit *ad* 30. Ubi inquit privilegium Leonis X. Minoribus concessum sibi, & PP Sebastiano à Couto, Gaspari de Miranda, Michaeli Tinoco, Francisco Freyre, & alijs DD & Magistris Eborensis academiæ visum fuisse probabile, non vivæ vocis oraculum; sed per signaturam ab ipso Leone X fuisse concessum, solvendo omnes rationes contrarias, quibus Collector Minorum, Emman Rodrig. & alij adduci potuerunt, ad affirmandum, dictum privilegium fuisse vivæ vocis oraculo concessum. Proceditque idem Paes: *Quare mihi probabile est. posse nos adhuc hoc privilegio uti, & omnes Regulares, qui Franciscanorum privilegijs gaudent. Et idem dicimus de alijs privilegijs in nostro Compendio contentis, quæ simul, & eodem modo à Leone X. Minoribus concessa fuerunt, ut constat ex Bullar. Regul apud Rodrig. fol. mihi* 331, *ab initio usque ad num* 23 *inclusive. Et ideo in ijs privilegijs remissionem ad hanc annotationem* 30. *faciemus, ut etiam in illis, adhunc* §. 3. *remissionem fecit noster novus collector, qui è nostris tribus rationibus unum tantum hic posuit.* Sic Paes Cujus dicta, magnam habent authoritatem, quia diligentissimus fuit veritatis indagator.

16 Hæc resolutio DD Eborensis Academiæ confirmatur 1. ex Peirin. *de privilegiorum Minimorum capit.* 12. & Leand. *tom.* 2 *tract.* 9. *disp.* 34 *q.* 16. ufferentibus, per Bullam Urbani solùm censeri revocata ea vocis oracula, quæ merè talia sunt: at indultum Leonis X. licèt ab aliquibus jam *citat.* dicatur esse vivæ vocis oraculum, rationem habet indulti, & gratiæ concessæ per novam; & Bullatam confirmationem, ex certa scientia à Gregorio XIII qui decimo Octobris anni 1575 confirmavit ordini Minimorum, & consequenter alijs Ordinibus communicantibus de prilegijs talis Ordinis, omnia privilegia vivæ vocis oraculi, usque ad illud tempus à Ss. Pontificibus concessa: sed quæ confirmatur ex certa scientia, vim habet novæ cõcessionis, ut videre est apud Pellizzar. *dict. tr.* 8. *cap.* 1 *n.* 26. ergo dictũ vivæ vocis oraculũ à Leone X. cõcessũ, dato qd; tale

esset, non est jam vivæ vocis oraculum, sed privilegium per signaturam.

17 Secundò confirmatur eadem resolutio ex Bulla Pauli V. confirmantis die 23. Maij 1605. privilegia PP. Dominicanorum, per quoscunque Pontifices Romanos, per se ipsũ, & per sedem Apostolicam *sub quacumque verborum forma, & expressione in genere, & in specie, & per solam signaturam, & vivæ vocis oraculo, aut alias quomodolibet concessa*, ut videre est apud Pellizzar. *citat dict. tract. 8. cap. 1. sect. 5. num. 131. Vers. Addo quod.* Vnde constat vivæ vocis oracula manere Bullata, & non tantùm vivæ vocis oracula.

18 Tertiò confirmatur ex Bulla Gregorij XV. incipiente: *In Apostolicæ*, 16. *Octobris* 1621. in qua Theatinorum privilegia, per quoscunque Romanos Pontifices, ipsis concessa principaliter, aut per communicationem aliarum Religionum ex certa scientia, & de plenitudine potestatis simpliciter confirmavit. Et sic revalidavit etiam privilegia alias revocata, tam illorum propria; quàm aliorum ijs communicata; & consequenter ea, quæ cum fuissent vivæ vocis oraculo concessa, facta sunt Bullata. Et cùm sit quoddam privilegium, & gratia communicatur. Pellizzar. *supra alios citans.*

19 Nec obstat dicere cum Bordon. *tom. 2. resol. 31. num. 5.* contra Peirin. & illius sectatores, confirmationem, seu innovationem vivæ vocis oraculorum per Bullam factam, illorũ naturam non mutare; alias enim non dicerentur confirmari, sed novum esse, recipere. Non, inquam, obstat id dictum; nam si confirmatio, seu innovatio fiat vivæ vocis oraculo, verum est, illius naturam non mutare: secus erit si confirmatio, & innovatio fiat per Bullam [ut in nostro casu,) tunc enim vivæ vocis oraculi natura mutatur. Si enim juxta eundem Bordonum, vivæ vocis oraculum est gratia, seu concessio facta ore tenus, sine scriptura, si vivæ vocis oraculo addatur Bulla, sive ad confirmationem, seu ad innovationem, jam vivæ vocis oraculum non manet.

20 Contra eosdem Authores videtur obstare secundò; quia dato, quòd indultum Leonis X. concessum fuisset vivæ vocis oraculo. Gregorius XV. non revocavit vivæ vocis oracula, quæ ante revocationem, suum sortita fuerant effectum, [ut constat ex ipsa constit.) quamvis effectus tractum habere successivum in futurum, ut declaravit S. Card. Congreg. negotijs Regularium præposita, ut videre est apud Peirin. *tom. 2. de privileg. Minim. in Const. Gregorij XV.* Lezan. *tom. 1. qq. Regul. cap. 3. nu. 21* Pellizzar. *in Man. Regul. tom. 2 tract. 8. cap. 1. sect. 5. num. 130.* Leand. *tom. 2 tract. 9 disp. 24 q. 16.* Nec Urbanus VIII. per suam Constit. revocavit privilegia, quæ sortita sunt effectum, ante suam Constit. ut debebat exprimere, si in hoc coarctare vellet Constit. Gregorij, ut expressè, revocavit vivæ vocis oracula quæ fuerunt confirmata, manu propria S. R. E. Cardinalium, quæ per Gregorium XV. in sua Constit. fuerunt concessa: ergo dum illa non coarctavit, sequitur illa confirmasse, sic DD. *locis cit.*

21 Nec obstat Bordon. *tom. 2. resol. 52 nu. 8.* oppositum sustinens, dum asserit, quando effectus ita potest multiplicari, ut unus ab alio non dependeat; ut indultum absolvendi à reservatis; & consequenter in nostro casu indultum pro cessatione à divinis concessum; parum referre, quod suum sortiturus esset effectum, nam hoc indultum censetur revocatum. Non inquam obstat hæc Bordoni explicatio; nam doctrina dictorum DD. est probabilis; & cũ indultum Leonis X. à Regularibus processione à divinis, sit ante dictas revocationes practicatum; post illas dicendum est, posse illos probabiliter, illo gaudere.

22 Ex dictis in hac quæst. sequitur, Moniales S. Benedicti, tempore interdicti generalis, specialis, & Cessationis à divinis posse, cum suis famulabus, & puellis, in eo monasterio causa edictionis regentibus, recipere sacramenta, sepelire defunctas, Missas audire cum moderationibus *in cap. Alma mater cit.* contentis. Alia quæ hic desiderari valent, ex *infra dicendis* colligi poterunt.

QUÆSTIO XII.

An Religiosi eleemosynis victum quærentes, aliquod habeant privilegium non servandi interdictum?

SUMMARIUM

1 *Facti species.*
2 *Omnes Regulares, & Moniales non servantes interdictum, quod observatur à Matrice, aut à Parochia loci, ubi degunt, excommunicationem, ipso facto, incurrunt.*
3 *Adducitur privilegium Gregorij IX. Et Rodrig ex illo, præceptum inferens, utrumque interdictum.*
4 *Collector ex verbis Gregorij advertit Fratres Minores in partibus, nullum observare interdictum; at oppositum, fuit declaratum.*
5 *Ex privilegio Leonis X. non servant interdictum speciale.*
6 *In civitate Portugallensi, illud speciale interdictum, justè non servarunt.*

1 PEr id tempus, quo interdictum à determinatis Parochijs, aut à tota civitate, servabatur; non pauci adverterunt, in certi conventus Ecclesia, interdictum non servari, cum ab alijs Religiosorum familijs, & à Cathedrali servaretur. Et cùm illius Ecclesiæ Religiosi interrogarentur, cur interdictum non servarent? Responderunt, se habere privi-

privilegium, quia mendicatu, & fidelium eleemosynis vivebant. Si tamen esset aliquis, qui Fratribus de alimentis, & victui necessarijs, providere, dignaretur, mox ut reliqui Regulares interdictum observarent. Post paucos tamen dies, ut cæteri observarunt. Quæritur 1. An aliqui Regulares privilegium, non servandi interdictum, obtineant? 2. Aut privilegium non servandi interdictum speciale, post Trident. vigeat?

§. I.

An aliqui dentur Regulares, privilegium non servandi interdictum, obtinentes?

2 Respondeo, omnes Regulares, & Moniales non servantes interdictum, quod à Matrice Ecclesia, aut à Parochia loci, in qua degunt, servatur, ipso facto excommunicationem incurrere. Expresè habetur *in Clem.* 1. *de sentent. excommunicat.* ibi: *Alioquin non servantes, excommunicationis sententiæ hoc ipso volumus subjacere.* Sic omnes apud Leand. *tom.* 4. *tract.* 5. *disp* 8. *q.* 20. ubi plures refert: ergo supponit, cum ipsis DD. nullos dari Regulares privilegium obtinentes, ad non servandum interdictum, quando à tota civitate, aut à Parochia, in qua degunt, observatur. Et si interdictum sit Generale, illud servare tenentur, cum moderationibus *in cap. Alma mater* contentis, ut expresè supponitur in litteris Anastasij, & Alexandri IV. Urbani, & Clementis III. & IV. & Gregorij IX. addentis hæc verba: *Verumtamen si Generale interdictum fuerit in hujusmodi locis prolatum, exclusis excommunicatis, & nominatim interdictis, clausis januis, absque signorum pulsatione planè divina celebretis.* Sic ex Rodrig. *tom.* 2. *qq. Regul. q.* 108. *art.* 2.

3 In hac Bulla Gregorij IX. inquit Rodrig. cit. esse inclusum præceptum, ad universos Ecclesiarum Prælatos, ut fratres Minores excommunicare, aut eorum Ecclesias interdicere, nullatenus præsumant. Et sic habetur *in compend. Mendic. tit. Interdictum* 1. *num.* 26 & 27.

4 Advertit tamen eorum privilegiorum collector *cit. loco*, quòd ex verbis Gregorij à Rodrig. adductis, Fratres Minores in partibus nullum servabant interdictum; etiam si Matrix illud observaret, existimantes verba Pontificis, etiam de interdicto loci generalis intelligi. Cùm tamen ab Universitate Salmantina declaratum fuisset, privilegium solùm loqui de interdicto loci speciali, ab officiali Dæcesano prohibiti sunt, ne de extero interdictum attentarent, sed ut alij Religiosi, illud observarent; & ut id fieret, oppositа fuerunt verba jam allata in litteris Pontificum ut in fine *n.* 2.

5 Idem privilegium, de interdicto loci specialis, videntur habere dicti fratres à Leone X. in Bulla, quæ incipit: *Cum sancta regula vestra*, & habetur *in Bullar. Regul. apud Rodrig. Bulla* 29. *cujus data est die* 23. *Julij* 1519. in hunc modum: *Quòd Ecclesiæ fratrum non possint specialiter interdici, nisi ipsi causam dederint interdicto, vel nisi, qui obtinuerit, ut interdicantur hujusmodi Ecclesiæ, provideat sufficienter Fratribus, de rebus victus necessarijs. Si tamen tota civitas, seu oppidum interdicto supposita sit, etiam domus Fratrum in ea civitate, seu oppido consistens interdicto subjicitur; aliàs januis apertis & campanis pulsatis Missas, & alia divina officia celebrare poterunt.* Sic ex prædicta Bulla.

6 Quando autem civitas Portugallensis, quoad aliquas tantùm Parochias, interdicta fuit; ad interdictum non tenebantur dicti Fratres; quia illorum domus non consistebat in ambitu alicujus Parochiæ specialiter interdictæ; juxta sententiam Capituli Sedis Vacantis; nec etiamsi consisteret, juxta citatam Bullam speciali interdicto tenebatur, quia tota civitas interdicto non erat supposita; at supposito toti civitati interdicto loci generalis, & ab alijs Regularibus observato, tutâ conscientiâ, nec per unum tantùm diem, poterant illud non servare, quia nullum ad id privilegium obtinebant.

§. II.

An privilegium non servandi interdictum speciale, post Trident. vigeat?

SUMMARIUM.

7 *Videtur non esse abrogatum post Trid.*
8 *At oppositum videtur verius.*

7 Ex dictis, videtur privilegium *num.* 5. *adductum* ex Leone X. non esse per Trident. abrogatum. Nam citet *supra q* 11. *num.* 10 & 11. plures DD. contra alios, defendent. privilegia Regularibus concessa, pro tempore interdicti, non esse per ipsum Trident. abrogata, nisi illa tantùm, quæ ab aliquibus Regularibus dicebantur, se ad illa non teneri: at Fratres de quibus hæc quæstio procedit, hæc non dicent; sed dicere poterant *ex cit. indultis* se non teneri ad interdictum speciale, quando sua Ecclesia specialiter fuerit interdicta; & nó detur interdictum speciale, in omnibus civitatis Ecclesijs; ut sentire videtur Rodrig. *cit. dicto tom.* 2 *qq. Regul. q.* 108. *art.* 2.

8 Ego tamen, salvo melioris consilio, existimo, dictum privilegium Leonis X. fuisse per Tridentinum abrogatum. Ratio est, quia DD. *supra cit.* asserunt, non esse revocata ea privilegia, quæ Regularibus erant concessa pro suis festis, & aliquibus certis diebus; sed ea tantùm, quæ à quibusdam Religiosis dicebantur sibi concessa de nullatenus servando quocumque interdicto, numerantibus Pontifices, à quibus hæc habebant privilegia;

vilegia; nempe Anastasium IV. Alexandrum III & IV. Vrbanum, & Clementem III. & IV. & Leonem X. qui re vera, ut vidimus ex Rodrig. *cit. dict. tom. 2. qq. Regul. q. 108. art 2.* solùm videtur illos concessisse interdictum loci specialis: ergo ea tantùm privilegia videntur à Concil. revocari; nec nobis erit contrarius ipse Rodrig. *cit q. 112. art 1. vers. sed contra Navarr.* vide alios *supra citatos.*

QUÆSTIO XIII.

An Regulares ex vi suorum privilegiorum tempore interdicti, aut cessationis à divinis, aliquas personas sæculares ad Missam admittere possint?

SUMMARIUM.

1 *Nicolaus V. concessit Benedictinis, quòd possint admittere sex personas singulis diebus successivè.*
2 *Idem privilegium concessit Ioannes Episcopus Prænestinus Priori de Monserrate.*
3 *Nicolaus Francus legatus a latere concessit Benedictinis, ut quindecim personas possint admittere.*
4 *Consultius est, non uti privilegio Nicolai V.*
5 *Non convenit uti privilegijs Ioannis Prænestini, nec Nicolai Franci.*
6 *PP. nostræ Societatis his privilegijs uti nequeũt*
7 *Fratres Minores ad divina recipere nequeunt fratres, aut sorores Tertij ordinis.*

1 ANte resolutionem adverto, aliqua offerri privilegia, quæ Regularibus facultatem cõcedunt admittendi aliquas personas sæculares, ad audienda divina, tempore interdicti. Primum, quòd affertur, est Nicolai V. concedentis Priori S. Benedicti Vallisoleti, ut tempore interdicti, sive generalis, sive specialis, aut Cessationis à divinis, possit inter vivos, & mulieres successivè admittere, singulis diebus sex personas, ad audiendam Missam; ac divina officia, recipiendaque Sacramenta. Et si eo tempore contingat, eas mori, Ecclesiasticæ posse sepulturæ donari, absque solemnitate: dummodo ipse Prior, vel aliqua ipsarum sex personarum interdicto, aut Cessationi à divinis causam nõ dederint, & ipsum interdictum positum non sit, nec confirmatum à Sede Apostolica. Hæc concessio fuit Bullata, & refertur à Casarub. *in compend Verb. Interdictum 1. numer.* 23. Rodrig. *tom 2. qq. Regul. q.* 112. *art.* 6. Pellizzar. *in Man. Regul. tom. 2. tract. 8. cap. 5. sect. 2. numer* 98. & alijs.

2 Secundum, ijsdem verbis fuit concessũ à Ioanne Episcopo Prænestino Priori de Monserrate, dum foras exit ad loca sic interdicta. Refertur *in Compend Cisterc. ut Interdictum* §. 13. ut fatentur Henriq. *tom. 2. l. 13. de excomm. & interdict. cap. 48. §. 3 litt. K.* Rodrig. *cit.* Hoc privilegium videtur fuisse vivæ vocis oraculo concessum.

3 Tertium fuit concessum à Nicolao Frãco legato à latere Benedictinis, ut possint pro tempore interdicti ab Ordinario lati, admittere ad Missam, & alia divina officia quindecim personas qualibet die, de ijs, quæ non dederunt causam interdicto: non addita dictione *successivè* ut concessit Nicolaus V. circa sex personas. Unde juxta hanc concessionem Nicolai Franci, possunt simul recipere quindecim personas, quia lege non distinguente, nec determinante, quòd successivè recipiantur, nec nos distinguere, nec determinare debemus. Hæc concessio fuit facta vivæ vocis oraculo. De illa fit mentio à Casarub *cit. num. 24.* Rodrig. Pellizzar. *locis cit.* Lezan. *tom. 3. Verb. interdictum num. 32.* & *tom. 1. cap. 21. numer. 19.* prope finem, relatis Peirin. & Tambur.

4 Primo privilegio, à Nicolao V. concesso, uti potest; quia fuit Bullatum. Illo tamen consultius est, non uti, quia in usu non est, apud Regulares, vel sequitur scandalum apud ipsos, ex aliorum electione; ut tradunt Lezan. *tom. 1. qq. Regul: cap. 21. num. 19. & tom. 3. Verb. Interdictum num.* 32. & hoc maximè habet locum, in his Regnis Lusitaniæ, & Hispaniæ, in quibus datur Bulla Cruciat, cujus virtute, possunt Missam audire, & divinis assistere; tempore interdicti generalis; & in Lusitania etiam tempore interdicti specialis, ut diximus *q. 10. num, 10.*

5 De secundo, & tertio privilegio à Ioanne Episcopo Prænestino, & Nicolao Franco concessis; cum ea privilegia sint vivæ vocis oracula, & hæc à Gregorio XV. & Urbano VIII. sint revocata, illis uti, non possunt Regulares. Nec in casu, quòd ab aliquo dicatur, fuisse Bullata, juxta superius dictas ob rationem *num præcedens* allatam.

6 Nec à Patribus nostræ societatis IESU, præcisis ijs rationibus, dictis privilegijs uti, licet; nam in præfatione nostrorum privilegiorum, dicitur, non licere illis uti privilegijs, quæ in eo compendio comprehensa non sunt, nisi de licentia Præpositi Generalis; & in necessitatis casu, quando periculum esset in mora censentur Provincialibus, & Visitatoribus pro illo tantùm casu communicata: at dicta privilegia in nostro compendio non comprehenduntur.

7 Adverto ad calcem hujus quæstionis, *in Clem. 3 de sentent. excomm.* specialiter excommunicari Fratres Minores, si tempore interdicti recipiant in suis Ecclesijs ad divina fratres, & Sorores Tertij Ordinis S. Francisci, & tradunt DD. quos affert, & sequitur Leand. *tom. 4. tract. 5. disp. 8. q. 20.*

QUÆS-

QUÆSTIO XIV.

An tempore interdicti licitum sit celebrare Novenam S. Francisci Xaverij manifestando sacram Eucharistiam, cantando litanias sine oratione, & recitando orationes Ss. Sacramenti, & S. Francisci Xaverij?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Placuit non desistere à Novena, quia in ea nõ continetur Divinum Officium.*
3 *Ad Novenam potest pulsari campana, & ad concionem post illam habendam.*
4 *Licitum est, tempore interdicti, pulsare campanas, ad aliquam solemnitatem indicandam.*
5 *Si tempore interdicti occurrat solemnitas Communionis generalis, licitum est Sabbato antecedente, pulsare campanas.*
6 *In solemnitate Novenæ non dantur argumenta quæ dantur contra pulsationem campanarum in Communione Generali.*

1 INceperat novena S. Francisci Xaverij, in templo nostri Collegij Portugallensis, quando latum, & publicatum fuit interdictum speciale, indictis tribus Parochijs, in quarum unius ambitu, erat dictum templum, & post paucos dies, in tota civitate latum fuit interdictum locale generale. Fraternitate S. Apostoli Orientis non placuit ab incepta Novena desistere; erat enim illius Iudex, & caput Illustrissimus D. D. Nicolaus Monteiro illius civitatis Episcopus; & illo tempore Episcopus tantùm electus, & concursus populi magnus; & insita devotione in S. Xaverium, ægrè ferebat à Novena incepta desistere. Et Novena, licèt non omnium suffragijs continuanda venit. Ad illius enim celebritatem, hæc in more erant actiones 1. Cãpanâ maximâ dabatur signum, ad convocandum populum, & Concionem miraculi de vita S. aliquibus Sacræ scripturæ locis passibus ornati. 2. A sacristia egrediebatur sacerdos superpelliceo, stola, & pluviali indutus, aperiebat sacrarium, sacram exponebat Eucharistiam in custodia, & reposita in ipso altari ante sacrarium, genibus flexis orabat, dum in corpore, seu cruce delubri, musici cum suis instrumentis cantabant. 3 A musicis cantabantur litaniæ B Virginis, & pro hoc interdicti tempore, sine oratione; cantabantur etiam antiphonæ SS. Sacramenti, & S. Xaverij; & orationes pro tempore hoc interdicti, sine *Dominus vobiscum* à sacerdote in ultimo altaris gradu, ubi erat, dicebantur. 4 A sacerdote recludebatur in Sacrario Sacra Eucharistia, pro hoc tempore, non facta super populum benedictione, sed cantantibus lingua vulgari musicis aliquas cantilenas. Quæritur An aliqua, ex his quatuor actionibus tempore interdicti, sit prohibita.

§. I.

An tempore interdicti, sit prohibitum pulsare campanam collegij maximam ad solemnitatem Novenæ S. Francisci Xaverij, & concionem miraculi?

2 Placuit non desistere à Novena incepta. Ratio est, quia continuare poterat absque eo, quod divinum officium diceretur, quod tempore interdicti prohibetur; & in illius solemnitate abstrahi poterat, ab illis ritibus, qui juxta DD. non licent tempore interdicti, januis apertis, ut hæc Novena celebrabatur.

3 Quòd verò licitum sit pulsare campanas tempore interdicti ad convocandum populum ad concionem, aut aliqua munia etiam Ecclesiastica, & sacra dummodo non sit ad horas Canonicas, aut Missarum solemnia celebranda, ut certum tradunt DD. Navarr. Covarr. Alterius, Henriques. Avila, Filliuc. Castr. Palaus, Hurt. & alij, quos refert & sequitur Leand. *tom.* 4 *tract.* 5. *disp.* 4 *q.* 24. & cũ pluribus Sayr. *in Thesaur. casuum. conscient. l.* 5. *c.* 9 *num* 11 Dicastill. *tract.* 10. *de Cens. disp.* 5. *num* 150. & Quintanad. *tom.* 1 *singul. tract.* 1. *appendic dub.* 16 *num* 3. Sed solemnitas Novenæ S. Xaverij non comprehendit horas Canonicas, nec Missarum solemnia celebranda; celebratur enim vespere post horam quartam, in qua Missæ non celebrantur, & in nostro Collegio, in quo non recitantur horæ Canonicæ: ergo ad illam pulsari potest campana maior, & ad subsequentem concionem.

4 Confirmatur 1 quia licitum est, pulsari campanas ad indicandam aliquam solemnitatem populo tempore interdicti, ut asserũt cit. Sayr. *num* 12 Bonac *tom.* 1. *disp.* 5. *de interd. punct* 4. *num.* 8. Dicastill *proxime dict. num.* 150. ibi: *Respondeo cum communi sententia licere campana convocare populum ad concionem: tum ad comitandam Eucharistiam, quæ portatur ad ægrotos, tum ad salutationem angelicam, quæ certis horis dici solet, tum ad indicandam populo diei festi solemnitatem, ut in multis locis fit subvesperum ante diei festum, &c.* quia hæc non sunt divina officia: ergo etiam ex eadem ratione licitum erit pulsare campanam, ad convocandum populum ad solemnitatem Novenæ S. Francisci Xaverij.

5 Secundò confirmatur, quia si tempore interdicti, occurrat solemnitas communionis generalis, quæ in nostris Domibus, & Collegijs celebratur, quartâ singulorum mensium Dominicâ, licitum est pulsare campanas sabbato antecedente meridiano, & nocturno tempore, & summo manè in ipsa Dominica, ad commonendum populum de hoc jubilæo,

ut

ut non tolum, ut probabilius, sed ut certum docet Quintanad. *cit. dict. dub.* 16. *sed etiam dub.* 17. & 18 *per totam*: ergo etiam licitum erit pulsare campanam, tempore interdicti, pro solemnitate Novenæ S. Xaverij ad convocandum populum ad illius assistentiam.

6 Nec contra nostram resolutionem vigent argumenta ab ipso Quintanad. allata, contra suam doctrinam sanam, & veram, quæ facile dissolvit *dub* 17. *cit.* Non enim contra nos vigent: quia in pulsatione campanæ ad Novenam S. Xaverij, non datur administratio Eucharistiæ solemniter facta à sacerdote, vestibus sacris, vel extra Missam, superpellicio, & stola induto, quæ dicitur Officium Divinum, & datur in tabilæo illo. Alia plura de pulsatione campanarum, ad nostrum casum congruentia, videri possunt in Quintanad. *cit. dict. dubijs* 16. & sequentibus usque ad finem tractatus.

§. II.

An pro solemnitate Novenæ S. Xaverij, tempore interdicti, liceat sacerdoti superpelliceo, stola, & pluviali induto, aperire sacrarium, & in publico sacram exponere Eucharistiam in custodia, super ipsum altare, reposita?

SUMMARIUM

7 *Esse licitum, plures sentiunt DD.*

8 *Tempore Interdicti prohibetur, audiri Missas & divina officia, non tamen januis apertis Videre Sacram Eucharistiam, & illam adorare.*

9 *Officium Divinum formaliter consistit in Verbis, & non in actionibus.*

10 *Actiones ab hoc sacerdote exercitæ, non veniunt nomine Sacramentalium, tempore interdicti, prohibitorum.*

11 *Cæremoniæ sacræ, quæ primo, & per se ordini sacro sunt annexæ, & ex institutione Christi, & Ecclesiæ a clericis solum fieri permittuntur, Veniunt nomine Divini Officij, si etiam verbis consistant.*

12 *Quamvis ea cæremoniæ sacræ, nomine Divini Officij veniant, probabile videtur, non esse prohibitos tempore interdicti.*

13 *Ex Portel & alijs possunt generaliter interdicti assistere communioni privilegiatorum.*

14 *Ex Soar tempore interdicti pulsantur campanæ, quando sacra Eucharistia ad infirmos defertur, quia in ea delatione, nec celebratur Missa, nec aliud Divinum Officium.*

7 Respondeo, esse licitum. Moveor primò, quia manifestare solemniter S. Eucharistiam, & illam adorare extra Missæ sacrificium, ut quando ad infirmos defertur, non est actio, quæ tempore interdicti prohibeatur. Non ex eo, quòd ea actio sit consequens ad eam necessitatem, & à jure permissa, ut aliquis apud Quintanad. *citand* excogitavit; sed quia videre, & adorare Sacrosanctum Christi Domini corpus extra Missam, non est assistere divino officio, nec sacramentum recipere. Sic Quintanad. *cit dict dub.* 16 *num.* 5 & 6. & apud illum Vivald. Navarr. Emman. & Hieronym. Rodrig. & alij, quibus addo Soar. *tom.* 5. *in* 3. *part. disp.* 34 *sect. num.* 36 Portel. *in dub. Regul. Verb. Interdictum num.* 33. Villalob. 1. *part. tract.* 19 *diffic.* 5 *num.* 4. Sayr. *cit. in Thesaur. dict. l.* 5. *cap.* 7. *num.* 28. Castr. Palaum *tom.* 6. *de Cens. disp.* 5 *punct.* 4. §. 1. *num.* 10. Sed in illa actione Novenæ S. Xaverij, nihil aliud datur, nisi manifestare Eucharistiam, aperiendo sacrarium, & illam in publico exponendo, ut ab omnibus adoretur: ergo ea actio, tempore interdicti, est licita.

8 Nec obstat Navarr. *in Sum. Lusit. cap.* 27 *de Cens. num.* 174 *ad finem*, ibi: *Nec aperire fenestram nec foramen per quod videatur corpus Domini nostri*; citatque in margine *Clement.* 1. *cum suis Gloss. de sentent. excom.* ergo si in tempore interdicti, non est licitum aperire fenestram, vel foramen, per quod videatur corpus Domini nostri, nec etiam pro eo tempore licitum erit, aperire sacrarium, & exponere sacram Eucharistiam, ut à populo videatur. Non, inquam, obstat Navarr. quia intelligitur, juxta *Clem. cit & Gloss.* reprobantem quorundam Religiosorum excessum, qui cùm prohibitum esset, ut nulli ad Ecclesiam accedant, ut valeant Missam audire, aut aliud officium Divinum; faciebant foramina in suis januis, & parietibus, ut populus audiret Divinum Officium. Hæc patent ex ipsa *Clem. & Gloss.* Sic sentus Navarr. & non alius; nam eo ipso *capite num.* 178. non negat, posse videri, tempore interdicti, corpus Domini nec esse contra illum aspectum ibi: *Nam ex ijs actibus, non prohibetur per interdictum visus Sanctissimi Sacramenti, nisi in Missa.*

9 Moveor secundò, quia ideo actiones hujus sacerdotis essent prohibitæ, quia vel veniunt nomine Divini Officij, vel nomine Sacramentalium: sed nutrius nomine veniunt? ergo. Minor ostenditur; quia non veniunt nomine Divini Officij, nam Officium Divinũ formaliter consistit in verbis, & non in actionibus; ut inquit Soar. *cit. dicta disp.* 34. *sect.* 3. *num.* 5. ibi: *Suppono deinde, licet hujusmodi Officium Divinum interdictum includat cæremonias quæ consistunt in actionibus, vel alijs ritibus, aut vestimentis &c. formaliter tamen, ut sic dicam, consistit in verbis, ideſt in aliqua deprecatione, vel laudatione divina.* Sic Soar. At sacerdos in proposita actione nullum proferebat verbum, sed eas faciebat actiones, quæ formaliter Officiũ Divinum non constituebant.

10 Nec etiam eæ actiones hujus sacerdotis veniunt nomine Sacramentalium, quæ tẽpore interdicti prohibẽtur, ut sunt eæ cæremoniæ

moniæ sacræ, quæ spectant, ad solemnem ritum Sacramentorum immediatè, vel præparatoriè, vel consecutivè, ut est solemnis benedictio nuptiarum, benedictio templi, &c. ut videre est apud Avil. *de Censur part. 5. disp. 4. sect. 1. dub* 1. & alios plures, quos refert Leand. *tom 4 tract. 5. disp. 5. q. 43.* Sed in actionibus ab hoc sacerdote exhibitæ, nullum invenitur sacramentale, ex prohibitis, tempore interdicti: ergo.

11 Nec obstat, quòd sub nomine Divini Officij, & cæremoniarum sacrarum veniant ea, quæ primo, & per se alicui ordini sacro sunt annexa, & quæ à solis clericis ex institutione Christi, vel Ecclesiæ fieri permittuntur, ut asserit Soar. *cit. dicta sect. 3. num. 7.* Castr. Palaus *dict. tom. 6. de cens. disp. 5 punct. 4. § 2. numer. 1.* & alij communiter: sed aperire ostium sacrarij cum superpelliceo, stola, & pluviali est ordini sacro annexum; & quod à solo deputato ad eam actionem, fieri potest: ergo. Non inquam, hoc obstat, quia ij DD. ea asserentes, loquuntur de ijs, quæ verbis, & non tantùm actionibus, veniunt nomine Divini Officij, aut cæremoniarum sacrarum, seu sacramentalium: at actiones ab hoc sacerdote gestæ, non verbis, sed actionibus consistunt, juxta ea quæ *præcedenti num.* diximus ex Soar. Alia ratio ex sequenti probatione desumetur.

12 Tertio moveor, quia licèt actiones *præcedenti num.* designatæ nomine Divini Officij veniant, probabile videtur, tempore interdicti, non esse prohibitas. Ostenditur *ex ipso jure novo Cap. Alma mater, de sent. excom. in* 6. ubi nomine divinorum officiorum, veniunt Missæ, & Horæ Canonicæ, & non aliæ actiones, seu preces, etiamsi pro Diuino Officio aliàs reputentur. Constat ex verbis ipsius *cap. in §. Adjicimus*, ibi: *Adjicimus præterea, quod singulis diebus in Ecclesijs, & Monasterijs, Missæ celebrentur, & alia dicantur divina officia, sicut prius, submissâ tamen voce, januis clausis, excommunicatis, ac interdictis exclusis, & campanis etiam non pulsatis.* Ex quibus apertè constat, pro Divinis Officijs intelligi *Horas canonicas*, & non alias actiones, aut preces; quia textus immediatè addit assistentiam illorum, qui distributiones lucrantur; quæ regulariter non lucrantur, ex alijs actionibus, & precibus, etiam si divina reputentur officia: ergo pro tempore interdicti dictæ actiones, & preces non videntur prohibitæ, sic accepi à Quintanad. *cit dict tract. 1. appendicis, dub. 17. numer. 2.* ubi hæc latius ex ipso jure & DD. probat.

13 Confirmatur, quia ex Portel. *in dub. Regul. Verb. interdictum num. 25.* citante Soar. & ex Henriq Bonac. & alijs, quos citat, & sequitur Quintanad. *cit. dict. dub. 17. num. 5.* & dicentibus non prohiberi generaliter interdictis, assistere in Ecclesia, quando sacra Eucharistia privilegiatis ministratur: ergo in *cap Alma mater cit.* non venit nomine Divini Officij, administrari sacram Eucharistiam; nam si veniret, assistere non possint generaliter interdicti: ergo etiam actiones ab hoc sacerdote exercitæ, nomine Divini Officij, tempore interdicti non veniunt; quia non est tantum aperire sacrarium sacerdotem superpellicco, stola, & pluviali indutum, quantum est, quòd sacerdos vestibus sacris privilegiatis Eucharistiam administret.

14 Confirmatur, quia *in cap. Alma mater cit.* prohibetur, pulsari campanas ad Missam, & divina officia, hoc est ad horas Canonicas; quæ tamen non prohibentur pulsari, quando sacra Eucharistia ad infirmos defertur, ut docent omnes, & ipsa praxis confirmat; & diversam rationem reddit Soar. *cit. disp. 33. sect. 1. num. 26.* quia deferri Eucharistiam ad infirmos non est Missam dicere, nec aliud Divinum Officium: ergo etiam non est divinum officium, quod tempore interdicti prohibeatur, aperire sacrarium sacerdotem indutum, etiam pluviali, & exponere sacram Eucharistiam, licèt sit actio sacra, quæ à solis sacerdotibus exhibetur; sicut etiam actio deferendi sacram Eucharistiam infirmis.

§. III.

An pro solemnitate Novenæ S. Xaverij, tempore interdicti, licitum sit, quòd musici, corpore Ecclesiæ, cantent litanias B. Virginis, & vulgari lingua aliquas canticelas, exposita S. Eucharistia?

SUMMARIUM.

15 *Licitum est cantare litanias, sine oratione.*

16 *Licitum etiam est, alias cantiones à musicis cantari.*

17 *Privilegium habent Minores has dicendi in processionibus, per claustra. Et absque privilegio, illas poterant dicere, ut dicũt aliqui AA.*

15 Hæc erat tertia actio, quæ pro solemnitate Novenæ S. Francisci Xaverij exercebatur. Et circa dubium est, licitum esse, à musicis, cum Organo, & alijs instrumentis musicis in choro, & extra illum, in corpore Ecclesiæ, cantare litanias, tempore interdicti, sine oratione. Quia litaniæ ita cantatæ, nõ sunt Officium Divinum. Sic cum Rodrig. *tom. 2. qq. Regul q 9 art. 2.* Quintanad. *cit. dub. 18. num. 3.* Addo potuisse cantari cum sua oratione recitata ab aliquo ex eo numero musicorum, etiam sacerdote, sine stola, & Dominus vobiscum; ut fieri solet in confraternitatibus laicorum, quæ non reputantur Divinum Officium. Et sic omnes videntur sentire, apud Leand. *tom. 4. tract 5. disp. 4. q. 44* & sentiunt Navarr. Henriq Soar Avil. Castr. Palaus, Bonacin. Vivald. & Filliuc. ab ipso Leand *ibi cit.*

16 Etiam est absque dubio posse cani à musicis

musicis aliquas cantiones in laudem SS. Sacramenti, & S. Indiæ Orientalis Apostoli, ut de facto pro Novenæ tempore, mediam horam, non multum excedente, fiebat. Quæ cum non sint officia divina, tempore interdicti, non prohibentur; Et non solùm hæc, sed etiam Hymni, & aliqui Psalmi, & aliqua carmina devota Latina; & vulgari lingua cantari possunt, & his omnibus interesse potest omnis populus, & ipsi interdicti, & venerationi S. Eucharistiæ solemniter manifestatæ, ut videre est, apud Quintanad. *cit. dict. dub* 18. *num.* 3. quia hæc tempore interdicti non sunt prohibita.

17 Hæc dicta in his *num.* 15. & 16. Confirmantur ex privilegio à Leone x Minoribus concesso: Quod *tempore interdicti Ordinarij possint prædicti Fratres Minores facere processiones per claustra sua dicendo litanias, vel hymnos, aut alia devota carmina, dum tamen aliquod Divinum Officium non dicant.* Ex quo privilegio, duo inferri possunt, primum ea non esse Officium Divinum: ergo manifestatâ S. Eucharistiâ, dici possunt. Secundum dictum privilegium nihil concedere ultra jus commune; ut inquit Quintanad. *cit. dict. dub.* 18. *num.* 4. & apud illum, idem innuit Rodrig. *tom.* 2. *qq.* 109 *art.* 2. ubi refert id privilegium; quod etiam habetur *in supplem. ordin. fol.* 62. & *in compend. Mendic. tit. Interdictum* 1. §. 2.

§. IV.

An pro solemnitate Novenæ S. Xaverij, possit tempore interdicti à sacerdote januis apertis in Sacrario Sacra Eucharistia recludi, dictis versiculis & orationibus Ss. Sacramenti, & S. Xaverij; Et an hæ à sacerdote dici queant cum Sacramento, populum benedicente?

SUMMARIUM.

18 *Potest sacerdos indutus. ut est, in Sacrario recludere S. Eucharistiam, & ab aliquo musico dici orationes.*

19 *Poterat sacerdos indutus, ut erat dicere orationes cum Dominus vobiscum, & cum Sacramento, populum benedicere.*

20 *Quando infirmis sacramentum defertur, hæc licent; non quia sunt consequentia, sed quia non sunt prohibita.*

18 Hæc erat quarta actio in hac Novena exhibita. Et licitum esse videtur posse sacerdotem ad solvendam Novenam, ita superpelliceo, stola, & pluviali, ut est indutus, juxta *dicta* § 2 nihil dicendo, nec benedicendo, populum cum Sacramento, in sacrario sacram recludere Eucharistiam; dictis antecedenter à Cantoribus *versiculis Panem de Cælo, &c.* & ab aliquo etiam sacerdote, sine superpelliceo, stola, & pluviali, & Dominus vobiscum, dicta oratione, *Deus qui nobis, &c.* & mox *cantat. versic. Ora pro nobis S. Francisce, &c.* & ab eodem eodem modo, recitatâ oratione, *Deus qui Indiarum gentes, &c.* Ratio est, quia in his actibus, nullum est Officium Divinum, quod tempore interdicti, prohibeatur. Non enim est in ea actione sacerdotis, quia in illa nulla verba profert, & *supra num.* 9. dictum est ex Soar. Officium Divinum formaliter consistere in verbis. Nec etiam datur Officium Divinum, in versiculis, & orationibus in choro à musicis cantatis, quia hæc fiunt, ut fieri solet in confraternitatibus laicis, quæ non reputantur Officium Divinum, ut cum communi DD. dictum est *supra num.* 15. Nec etiam obstat, quòd sacra Eucharistia sit loco publico, & januis apertis, dum hæc fiunt, quia jam supradictum est *num.* 7. & 8. cum communi DD. non esse prohibitum, nisi in Missa, tempore interdicti, videre Sacram Eucharistiam: ergo licitè hæc fieri potuerunt in solemnitate hujus Novenæ.

19 Maior videtur esse difficultas, An potuerit ipse sacerdos, ita ut erat superpelliceo, stola, & pluviali indutus, cantatis versiculis, jam assignatis, eadem dicere orationes cum *Dominus vobiscum*, & cum Sacramento, populum benedicere? Respondeo affirmativè cum Quintanad *cit. dub. ult. num.* 1, & *seqq.* Probatur primo, quia ea fieri possunt tempore interdicti, ad quæ populus campanis vocari potest, eo tempore interdicti, sed *ex capit. Alma mater* ad omnia divina officia, præter Missas, & Horas Canonicas, potest populus campanis vocari, ut inquit Quintanad *cit.* & nos ex illo supra *num* 12 ergo licet eæ actiones hujus sacerdotis sint officia divina, cum non sint, Missa nec Horæ Canonicæ, non prohibentur fieri ex hoc jure novo limitante antiquum pro hoc tempore.

20 Secundò probatur; quia eæ actiones fieri ab Ecclesia jubentur per sacerdotem, quando recit, de ministranda Eucharistia infirmo; & publicè, solemniter que fieri posse coram interdictis, praxis, ususque receptus confirmat, & docent, sentiuntque DD. à Quintanad. relati *proximè num.* 3. & *dub.* 16. *num.* 5. Nec ideo hæc fiunt, & licent, quia in jure conceditur administratio Eucharistiæ pro infirmis; & consequentia sunt ad illam administrationem; sed quia non sunt prohibita; & par est, ut Eucharistia cum omni decentia, cultu, & solemnitate eat, redeat, & recludatur: cùm ergo eadem ratio militet in nostro casu, etiam hæc in illo licebunt, cùm extra Missam & Horas Canonicas, in nostro templo vespertino tempore fiat solemnitas hujus S. Xaverij Novenæ. Hæc tamen in hac solemnitate non fuerunt facta sed ut *supra numer. præcedente* quia timor me retraxit, & non videram dicta à sapientissimo viro Quintanad. Si enim ea videram, hoc duce, non trepidarem cum illo enim omnis timor abesse poterat. QVÆS-

QUÆSTIO XV.

An tempore interdicti, sacerdos privilegiatus sibi possit assumere ministrum non privilegiatum, non deficiente privilegiato illi sponte volenti, in Missa inservire?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Negat communis sententia.*
3 *Hac sententia non placuit Dian. 9 part. & placuit in 5.*
4 *Concesso privilegio, conceditur accessorium necessarium, non tamen non necessarium.*
5 *Concesso privilegio ad recitandum paulo post meridiem, socio non conceditur nisi cum limitationibus.*
6 *Communis sententia tenet, posse non privilegiatum, recitare, satisfacere qui juxta privilegium privilegiati.*
7 *Famulus non privilegiatus, de more comitans privilegiatum, potest in Missa herum adjuvare, licet dentur privilegiatis.*

1 THomas sacerdos, ex Bulla Cruciata Lusitaniæ concessa ad celebrandum, tempore interdicti specialis, & generalis loci privilegium habebat, & onus ex quadam capellania celebrandi singulis diebus, in quodam sacello; duos etiam habebat vicinos laicos, unum Bullam habentem, & alterum illa carentem, cujus devotioni magis satisfacere cupiebat: quia tamen ambo libenter se offerebant ad illi in Missa inserviendum. Quæritur; An non privilegiatum possit sibi assumere; saltem alternativè.

RESOLUTIO.

2 Respondeo cum communi DD. sententia, non posse. Ratio est, quia privilegiato solùm conceduntur ea, sive quibus privilegium esset inutile, ut expressè colligitur ex doctrina Soar. *de leg. l.* 8 *cap* 10 *num.* 5. loquentis de privilegio omnino favorabili absque præjudicio juris communis, aut alicujus tertij concessio: sed quando datur aliquis ex privilegio, qui sponte ministrare vult sacerdoti in Missa, ipsi sacerdoti privilegium concessum inutile non redditur: ergo Thomas sacerdos non privilegiatum ministrum assumere nequit, nec etiam alternativè. Ita Soar. *tom.* 5. *in* 3. *part. disp* 34. *sect.* 1. *numer.* 35. & *de legib. l.* 3. *cap.* 11. *numer.* 7. Covarr. Navarr. Avila, Henriq. & Laym. quos citat, & sequitur Castr. Palaus *tom.* 6. *disp.* 5 *punct* 5. § 2. *numer.* 16. Portel. *in dub. Regul. Verb. interdictum numer.* 29. Rodrigues *tom.* 2. *qq. Regul. q.* 114. *column.* 4. Præposit. Villal. Mercer. Ludovic. à Cruce, quos refert, & sequitur Dian. *part.* 5. *tract.* 10. *resol.* 87.

3 Quamvis hoc loco, hæc sententia Dianæ placuisset, non tamen illi placuit *part.* 9. *tract.* 1. *resol.* 27. ut inquit *Vers. sed hac opinio*, citatque Soar. *loco cit. proxime de leg.* ubi consentit in præsenti casu, cum sententia allata. At illius fundamenta non obstant, contra traditam sententiam.

4 Non enim obstat primò, dicere, concedentem aliquod privilegium, concedere censeri omnia, quæ illius usui sunt accessoria, & à voluntate concedentis dependentia, ut colligitur ex *cap. Præterea, de offic. judic. de legat.* & ex Gloss. ibi notante; *concesso enim principali, conceditur, & accessorium.* Et concesso privilegio ad Missam dicendam, etiam conceditur ad sumendum ministrum. Non, inquam, hoc obstat, quia fatemur, concesso privilegio ad Missam celebrandam, etiam concedi accessorium necessarium; & quando datur minister privilegiatus, necessarius non est, non privilegiatus.

5 Non obstat 2. hæc doctrina, quia sufficit, quòd accessorium sit decens, quamvis necessarium non sit; ut patet in habente privilegium recitandi matutinum paulo post meridiem, qui ut adjuvetur sibi assumi socium, in quo est eadem recitandi obligatio; & tamen potest Divinum Officium recitare cum socio, non simpliciter necessario, quia id est decens, & conforme choro Ecclesiastico: ergo etiam in præsenti casu, quamvis minister non sit necessarius, quia datur privilegiatus, est decens, quia Missa semper cum ministro celebratur, quod non datur in recitatione Officij divini, quod sine socio recitari potest. Non, inquam, hoc obstat; quia antecedens negant Soar. & Arriag. illum citans, *tom.* 4. *de leg. disp* 32. *sect.* 2. *num.* 13. in casu, quo dictum privilegium non sit extensum ad socium. Nec conformitas cum choro Ecclesiastico sufficit, ut socius à recitatione eximatur, ea hora recitando: nam ea gratia cùm sit magna, nullum datur fundamentum, ut dicamus fuisse ad socium extensam, juxta illud axioma: *privilegia tantùm valent, quantum sonant.* Et juxta hanc Soar. & Arriag. doctrinam tenetur ipse privilegiatus alium adhibere sacerdotem, idem privilegium habentem, pro socio; si tamen dictus privilegiatus commodè sine socio; recitare non valet, jam habet causam, ut socium assumat, & ex ea causa socius suæ obligationi satisfaciet, ratione societatis; sic in nostro præsenti casu, cujus exemplo utuntur dicti DD.

6 Respondeo secundo, concedendo antecedens, & negando consequentiam, Diversa ratio est, quia DD. communiter concedunt habentem privilegium recitandi Divinum Officium ante tempus, vel per Breviarium

brevius, extendi ad socium dictum privilegium non habentem; ut sustinent Henriq. *in sum. l. 7. cap* 30. *numer.* 4. Portel. *in dub. Regul. Verb. Horæ Canonicæ numer.* 8. Dian. *part.* 2. *tract* 12. *de Horis Canon. resol.* 55. Rodrig. *in summ. tom.* 4. *cap.* 68. *numer.* 10. Lezan. *tom.* 3 *Verb. Breviarium num.* 10. Pellizzar. *in Man. Regul. tom.* 1 *tract.* 5. *cap.* 8 *sect.* 2. *numer.* 67. Quintanad. *tom.* 1 *singul. tract* 8 *singul* 8 *numer.* 9. & apud ipsum Attens. *l.* 3. *titul* 12. Tambur. *l.* 2. *decal. cap.* 5 § 2. *numer.* 27. Leand. *tom.* 6. *tract.* 8. *disp.* 3. *quæst* 16 ex his rationibus, quia in contractu societatis, socij in lucro pares sunt; & quia dispositio legis, aut privilegij in uno correlativo, ad aliud censetur extensa, ubi eadem datur ratio *l. fin. ff. de acceptilat.* & alijs: At pro nostro præsenti casu, non dantur DD. nec ratio convincens. Imo placitum Dian. probabile non videtur, quia cum communi DD stetit pro sententia *numer.* 2. *adducta*, & postea se non retractans pro opposita, sine sufficienti fundamento.

7 Non obstat tertio, quòd sacerdos, ad Ecclesiam Regularium, tempore interdicti accedens, famulum sibi servientem, & comitantem adducens, potest illum admittere, ut ministrum ad inserviendum Missæ, quanvis privilegium non habeat; & alij dentur privilegiati; ut tenet Portel *in dub. Regul. Verb. Interdictum numer.* 29. Idem dicendum de privilegium sibi habente concessum per Bullam, ut omnes ejus famuli, qui eum de more comitari solent, possint cum illo divinis assistere; & *ex cap. licet de privilegijs in* 6 & Doctores Navarr. Sot. Sa, Tolet. Ugolin. Henriq. Laym. Avila Bonac. & alij quos afferunt, & sequitur Castr. Palaus *tom.* 6. *disput.* 5. *punct.* 5. § 2 *numer.* 16. Dicastill. *tract.* 10. *disput.* 5. *de interdict. dubit.* 4. *capit.* 3. *numer.* 175. Portel *proximè* loquentes de habentibus privilegium ad audiendam Missam, & alia divina tempore interdicti: sed si hic sacerdos privilegiatus, duos habeat famulos, unum privilegiatum, & alterum non privilegiatum sibi assumere, ut Missæ inserviat: ergo etiam noster Thomas sacerdos, circa illos amicos, alium privilegiatum, & alterum non. Non, inquam, hæc obstant; nam sacerdos potest suum famulum admittere, licèt alij dentur privilegiati, quia famulus ratione comitatûs, jam est privilegiatus; at in nostro casu non datur hoc privilegium comitatûs, nec famulatûs in eo amico, & datur alius privilegiatus, qui libenter vult ipsi Thomæ in Missa inservire.

QUÆSTIO XVI.

An in Oratorijs privatis de licentia Summi Pontificis concessis, & ab Ordinario approbatis tempore interdicti localis generalis liceat celebrare Missas, & alia divina officia.

SUMMARIUM.

1 *Licet cũ moderationibus in capit. Alma mater.*
2 *Probabilior sententia negat.*

1 DE hac quæstione pro hoc tempore interdicti generalis fui interrogatus, præciso Bullæ privilegio, nam juxta illud in nostra Bulla Lusitana concessum satis amplum, dixi *supra quæst.* 10. §. 2. *per totum.* Illo autem præciso, valde probabile est, posse in his Oratorijs privatis tempore interdicti generalis, & non specialis loci, celebrari Missas cum illis moderationibus *in cap. Alma mater, de sentent. excommunic. in* 6. allatis, nempe: *Submissa voce, januis clausis, excommunicatis, & interdictis exclusis, & campanis non pulsatis.* Ratio est, quia in materia favorabili, qualis est præsens, nomine Ecclesiarum, non solùm veniunt Hospitalia, & alia sacella in civitate, & extra civitatem existentia, ut plures tradunt pro communi sententia citandi, sed etiam oratoria privata authoritate S. Pontificis concessa, & ab Ordinario approbata juxta *Trident. sess.* 22. *Decret. De observandis in Miss. celebr.* & clausula circa ipsa Oratoria, in eorum Brevibus inclusa. Hanc sententiam sequuntur Navarr. *in sum. cap.* 177. *num.* 175. Soar. *tom.* 5 *in* 3 *part. de Cens. disp.* 34. *sect.* 1. *num.* 9. Avil. *de Cens. part.* 5. *disp.* 4. *sect.* 2. *dub.* 3. Henriq. *tom.* 2 *l.* 13. *capit.* 46 *numer.* 1. Ugolin. Sayr. Filliuc. Laym. Molfes. Præpol. Bald. Trullench. Ludovicus à Cruce, Moscosus, Villal. Baunes, & alij, quos referunt, & sequuntur Dian. *part.* 5. *tract.* 10. *resol.* 60. Leand. *tom.* 4 *tract.* 5. *disp.* 4. *q.* 7. Et cum hæc sententia tot habeat patronos, qui illam, saltem, ut probabilem fatentur, ad praxim tutâ conscientiâ reduci potest.

2 Probabilior tamen sententia defendit in ijs oratorijs, pro tempore interdicti, celebrare Missas non licere. Sic Calderin. Covarr. Francus, quos refert, & sequitur Sanch. *l.* 7. *de matr. disp.* 8. *num.* 13. Castr. Palaus *tom.* 6. *de Cens, disp.* 5 *punct.* 4. § 2. *num.* 7. Bonac. *tom.* 1 *disp.* 5 *de Interdict punct.* 4 *num.* 11. & cum Luysio Merced. Hurt. apud Leand. *mox cit.* Dicastill. *tract.* 10. *disp.* 5. *de interd. dubit.* 4 *cap.* 4 *n.* 154. Probant 1. quia *in cap. Alma mater cit.* solùm permittitur in Ecclesijs, & Monasterijs divina celebrare §. Adjicimus, ibi: *Adjicimus præterea, quòd singulis diebus, in Ecclesijs, & Monasterijs Missa celebrentur, & alia divina officia, sicut prius* At oratoria privata nomine Ecclesiarum, aut Mona-

Monasteriorum non veniunt. Secundò, quia finis hujus concessionis fuit, ne devotio Ecclesiastica collaberetur, & alia inconvenientia sequerentur, si in totum cessaretur à divinis officijs, quibus inconvenientibus sufficienter occurritur: si in Ecclesijs, & Monasterijs, & non in alijs locis privatis, nempe Oratorijs, divina officia peragantur.

QUÆSTIO XVII.

An liceat tempore interdicti, & Cessationis à divinis liceat in fine concionis, in qua populo imago devota passionis Christi ostenditur, à musicis in choro aliquos *versiculos Psalmi Miserere mei Deus* cantari?

1 IN hoc tempore interdicti in fine prædicationis vespertinæ in nostro Collegio, passionis Christi imago devota ostendebatur populo, & coram illa musici ex more aliquos Psalmi *versiculis miserere mei Deus* cantabant. Et cùm inter illos aliqui essent sacerdotes, dubitarunt an pro illo tempore potuissent illos versiculos cantare non servatis moderationibus *Cap. Alma mater.*

2 Respondi, licere, quia illi cantus non sunt divina officia, quamvis adsint sacerdotes illos versiculos cantantes; quia Psalmi, hymni & litaniæ cantari solent in confraternitatibus, & etiam aliqui Psalmi, & hymnus *Te Deum Laudamus*, quando sacra Eucharistia ad ægrotos defertur, quæ cùm Officium Divinum non constituant, pro hoc tempore non prohibentur, ut jam *supra* dictum est. *q.* 14. *num.* 15. & 16. & tenet Quintanad. *tom.* 1. *sing. tract.* 1. *appendic. dub.* 18. *num.* 3.

QUÆSTIO XVIII.

An interdicta tota civitate Portugallensi, interdicto locali generali, quæ Ecclesiæ, & sacella sunt extra muros existentia interdicta censeantur?

SUMMARIUM.

1 *Certum est. suburbia, & ædificia continentia censeri interdicta.*
2 *Quid veniat, nomine suburbium.*
3 *Quæ propinquitas requiratur, ut ædificia continentia, interdicta censeantur?*
4 *Oppida extra fluvium Durium, illarum Ecclesiæ, & sacella non censentur interdicta.*
5 *Oppidum de Miragaya, illius Ecclesia Parochialis, & sacella censentur interdicta, & similia.*
6 *Ecclesia Collegiata de Cedofeita, non censetur interdicta.*
7 *Interdictum censetur sacellum S. Ovidij, ad Parochiam Cedofeita pertinens.*
8 *In suburbijs Monasteria existentia interdicta censentur.*
9 *Sacellum ex Villa do Bom Iardim interdictũ censetur.*

1 RESpondeo, certum esse, interdictâ civitate, interdicto locali generali, etiam suburbia interdicta manere; & non solùm suburbia sed ædificia continentia; expressè habetur *in cap. Si civitas de sentent. excommun. in* 6. *ibi: Si civitas, castrum, aut villa subjiciantur Ecclesiastico interdicto, illorum suburbia, & continentia ædificia, eo ipso, intelligi volumus interdicta.*

2 Per suburbia intelliguntur omnia ædificia extra muros ipsi civitati contigua, vel prope illam existentia, ad quæ commode incolæ civitatis pro audiendis, aut celebrandis divina, se conferre possunt. Per continentia autem ædificia, intelliguntur ædificia, quæ esto sint extra civitatem, non sunt tamen ipsis muris contigua, sunt verò ab ipsis muris separata, seu ab illis, aut à suburbijs non multum distantia. Sic Soar. *tom* 5. *in* 3. *part, disp.* 32. *sect.* 2. *num* 15. Castr. Pallaus *tom.* 6 *disp.* 5. *punct.* 2. §. 1. *num.* 2. & alij apud Avil *mox citandum*, & Barbos. *tract. de Appell. jur. appell.* 4. *num.* 1. & 2.

3 Quænam autem propinquitas requiratur, ut suburbia, & ædificia continentia, censeantur comprehensa in dicto *cap. Si civitas*? Respondet Sylvest. *Verb. Interdictum* 2. §. 4. censeri, quæ distant per unum milliarium, quod probabile dicit Sayr. *l.* 5. *cap.* 3 *numer.* 3. Villal. *autem tom.* 1. *tract.* 20. *diff.* 6. existimat comprehendi, quæ distant ad minus per mediam leucam. Soar. verò, & Castr. Palaus *locis cit.* existimant, & alij plures, quos citant, hãc propinquitatem, à judice à quo latum est interdictum, esse definiendam. Quod si nolit; id esse definiendum à DD. & sapientibus; qui considerare debent, an distantia sit tanta, quòd interdictum vili, vel non vilipendatur; quia populus commodè, vel non commodè ad illa continentia confluere potest, ut divina audiat officia, ut ex *cit. cap* satis colligitur. Idem sustinet Avila de Cens *part.* 5. *disp.* 1. *dub.* 3.

4 Ex his DD. placitis censeo, in hoc interdicto non venire nomine *sub Vrbium, nec ædificiorum continentium*, Villanovam, & Gayam. Ex hac duplici ratione; prima; quia per Durium fluvium dividuntur à civitate interdicta & eaquæ ita dividuntur, non dicuntur suburbia, nec ædificia continentia, ut colligitur ex Rebuff. *in l. Absentem, de verbor. signif.* Azevedo *ad Curiam Pisanam l.* 2. *cap.* 5. *num.* 3. & expressè tenet Emman. Barbos. de his oppidis *in Remiss. ad l.* 3. *Ordinat. titul.* 1. § 1 *numer.* 5. Secunda quia licet distantia à civitate tanta non sit quia solùm intermediat fluvius; non tamen parvipenditur interdictum, quia fluvius latitudinem habet considerabilem, & cymbis trajicitur. Et sic jam obtinuit praxis, quòd plures ad hæc oppida confluant,

ant, ut divina audiant, quamvis, nec per medium distent milliarium; nisi tantùm per eam divisionem a civitate.

5 Secus dicendũ, de oppido de Miragaya, illius Parochia, & sacellis in ea contentis; Quia hæc villa, quamvis populosa, est muris civitatis contigua, & ultima ædificia, non multum distantia. Idem dicendum erat de Parochia S. Ildefonsi, etiam extra muros; à latere adverso civitatis, quia tamen specialiter fuerat & generaliter erat interdicta, circa illam dari non poterat dubitatio.

6 Maior poterat esse dubitatio de Parochia Collegiata de Cedofeita à muris civitatis per milliarium distante. At ex alijs interdictis transactis, jam in possione erat, his interdictis non subjici. Et sic ad illam ex civitate interdicta plures confluebant personæ, ut divinis assisterent.

7 In suburbijs tamen civitatis, seu ab illis non multum separatum erat quoddam sacellum invocationis S. Ovidij ad Parochialem de Cedofeita pertinens; & quia Parochia, & illius caput interdictum non observabat, existimabant plures, nec sacellum illud observare debere. Et hac ratione plures ad illud confluebant sacerdotes, ad dicendas Missas januis apertis, & alijs non observatis moderationibus *cap. Alma mater.* Hac non obstante ratione censui, dictum sacellum interdicto subjici, quamvis Parochiæ non interdictæ esset subjectum; Ratio est; nam licèt suburbia, & ædificia continentia ad aliam Diœcesim, aut dominium pertineant, ad illa extendetur civitatis interdictum: si enim non extenderetur, interdictum vel penderetur, quia commodè ad illa pro divinis audiendis, confluerent plures, ut ex *cap. si civitatis tit.* expressè colligitur, & docent DD. Soar. *cit. dict. num.* 25. Castr. Palaus *num.* 1. & omnes: ergo etiam licet sacellum S. Ovidij ad Parochiam Cedofeitæ non interdictam pertineat, in illo interdictum est observandum; quia est in suburbijs civitatis, & ædificijs continentibus; & textus de illo loquitur; & sic postea fuit observatum.

8 Non solùm in suburbijs, & ædificijs continentibus, interdictum fuit observatum, sed etiam in Monasterijs exemptis; ibi consistentibus, tam ex *cap. si civitas cit.* sed etiam quia ita definitur *in Concil. Trid. sess. 25. cap. 12. & 22. de Regul* & DD. Villal. expressè 1. *part. tract* 20. *diff.* 6. *num.* 4. Et in omnibus sacellis, & erimitorijs ibi existentibus, juxta rationem textus, & DD. *citatos.*

9 Nec poterat suboriri dubium de sacello Villæ *do Bom Iardim*, nam licet, nec esset continguum muris civitatis, à suburbijs, & ædificijs continentibus, non erat multum separatum; & *sub ædificijs continentibus* venire poterat; quia distabat per triginta passus à muris. Et quamvis hæc ratio cessaret, Parochia S. Ildefonsi, cui subdebatur, erat interdicta; & interdicta aliqua Parochia omnia sacella, & erimitoria; in ejus ambitu existentia, interdicta manent, ut cum Soar. Navarr. Filliuc. Bonac. & alijs tradit Dicastill. *dict. tract.* 10. *de Censur. disp.* 5 *dubit.* 1. *num* 12. ex ea ratione, quia accessorium sequitur principale.

QUÆSTIO XIX.

An tempore interdicti; aut Cessationis à divinis, Extrema unctio conferri debeat moribundo, qui aliud recipere non potuit Sacramentum?

SUMMARIUM.

1 *Non solum ministrari debet, sed ad id tenetur Parochus.*
2 *Si infirmus jam alia Sacramenta receperit, & postulet Extremam Unctionem Parochus illam tenetur ministrare.*
3 *Quid sentiant DD maximè Castr. Palaus.*
4 *Cap. Non est nobis, non loquitur de hoc singulari casu.*

1 TEmpore Cessationis à divinis, vir quidam apoplexia oppressus, & sensibus distitutus, nec pœnitentiam, nec Sacram Eucharistiam recipere poterat. Quæsitum fuit, an illi Extrema Unctio conferri potuisset? Respondi, non solùm potuisse, & posse, sed ipsum Parochum ad id teneri. Prima pars ostenditur: quia Ecclesia non intendit negare Sacramenta, quando ad salutem sunt necessaria: sed quando moribundus non potest recipere Sacramentum Pœnitentiæ, aut Eucharistiæ, Extrema Unctio est omnino necessaria: ergo. Minor probatur, quia per hoc Sacramentum, non solùm remittuntur peccata venialia, sed etiam mortalia, quoad culpam, ut pluribus relatis tradit, Dicastill. *de Extrem. tract. 7. disp. unic. dub.* 6. ergo propter interdictum, aut Cessationem à divinis, negari non potest hoc Sacramentum moribundo, qui pœnitentiam, aut Eucharistiam recipere non vallet. Ita docent Chapavill. *de modo ministrandi Sacramentum tempore pestis cap.* 4 *q.* 3. Laym. *l.* 1. *Sum. tract.* 5. *part* 4. *cap.* 2. *num.* 2 *vers. De Sacramento*, Paludan. Zambran. Torreblanc. Villalob quos refert, & sequitur Dian. 1 *part tract.* 4. *resol.* 171. *& part.* 5. *tract* 10 *resol.* 72. Trullench *in Bull. Cruciat. l.* 1 *tract. dub.* 7, *num.* 2. Et relato Baunes *q.* 15 *col.* 2. *pag.* 411. existimante, oppositum non esse probabile, & alijs Leandr. *tom.* 1. *tract.* 4 *disp.* 3. *q.* 18. *& part.* 4. *tract.* 5 *disp* 5 *q.* 36. Castr. Palaus *tom.* 6 *de Cens. disp.* 5 *punct.* 9. §. 2. *num.* 20. Dicastill. *tract* 10. *de Cens disp.* 5. *dubit.* 4. *cap.* 3. *num.* 130. In fine dicens, hanc sententiam non solùm probabilem, sed omnino veram existimare.

2 Ex prædicta ratione, probata etiam manet secunda pars nostræ resolutionis, nempe teneri Parochum dicto moribundo Extremam

tremam unctionem ministrare. Et confirmatur primò, quia certissimum est, teneri Parochum sub mortali, parentibus Extremam unctionem ministrare, etiam si alia Sacramenta jam susceperint, & etiam si ad eam suscipiendam graviter non adstringantur; ut cum communi sententia sustinent Sa, Adam. Hurt. Molfes. Chapeavill. Barbos. Granad. Taner. Bonacin. Soar Laym. quos affert; & sequitur Quintanad. *tom. 1 singul. tract. 5. singul. 8. num. 4.* Sed hic moribundus, etiam petet virtualiter, seu interpretativè, id est; petiturus esset, si meminisset, ut cum pluribus inquit Leand. *1. part. tract 2. disp 3. q. 15.* ergo à fortiori tenetur Parochus, illum ungere, quia aliud non potest suscipere Sacramentum, saltem sub conditione: *si capax est.* Et hæc doctrina maximè habet locum, si moribundus Bullam habeat Cruciatæ; nam illam habens, jam habet privilegium.

3 Secundò confirmatur exijs, quæ dicùt DD. desiderantes, hoc Sacramentum ministrari omnibus, privilegium non habentibus, etiamsi Pænitentiæ, & Eucharistiæ Sacramenta jam suscepissent. Videamus, quid dicat Doctissimus Castr. Palaus *cit. dicto num. 20. Quinimo, ut rectè advertit* Sayr. *l. 5 cap 7. num. 33. præstaret sanè, ut S. Pontifex omnibus morituris, hoc Sacramentum, sicut, & Eucharistiam permitteret, tum ob ejus utilitatem, tum ob necessitatem; quæ aliquando evenire potest, ut omissò hoc Sacramento infirmus in æternum pereat, qui si illud susciperet, salutem æternam obtineret, uti late prosequitur Cardin. Bellarminus nostræ societatis IESU. decus, & ornamentum, tract. de Extrema unctione cap. 8.* Sic Palaus. Si ergo hi DD. hoc desiderant, pro illis moribundis, qui alia susceperunt sacramenta, cur negandum est illi, qui alia suscipere, non potuit.

4 Nec obstat textus in *cap. Non est nobis, de sponsal.* in quo dicitur tempore Cessationis à divinis, morientibus ministrari tantùm posse Baptismum, Pænitentiam, & Viaticum, ibi: *Nulla divina officia præter Baptismum parvulorum, & Pœnitentiam morientium, adjuncto etiam viatico, celebretis.* Et quamvis DD. ex benignitate Ecclesiæ, doceant, posse tempore Cessationis à divinis, ea ministrari, & recipi Sacramenta, quæ tempore interdicti licent, ut ex communi doctrina tradunt Covarr. Henriq. Sayr. Bonac. Soar. Avila, Laiman, quos refert, & sequitur Castr. Palaus *tom. 6. de Cens. disp. 5 punct. 9 §. 2. num. 11.* Leand. *tom. 5. tract. 3. q. 6.* ibi: *Non tamen sacramenta, nisi quæ licent tempore interdicti.* At tempore interdicti non potest ministrari Extrema unctio laicis, *ex cit. cap. Non est nobis, & cap Quòd in te, de pœnit. & remiss.* & omnes conveniunt DD. apud Castr. Palaum *dict. disp. 5. punct. 4 §. 1. numer. 16.* Dicastill. *tract. 10 de Censur. disput. 5. dub. 4. cap. 3. num. 131.* Et expressè de moribundo, non habente privilegium, nec potente recipere Sacramentum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, tenent Ledesm. Ludovic. de S. Ioann. apud Leand. *supra cit.* Non, inquam hæc obstant, quia ea ratio, & DD. fundantur in jure; ipsum autem jus non loquitur de hoc casu singulari, in quo unctio potest esse medium necessarium, ad salutem hujus moribundi [si sit tantùm attritus,] sed de casu ordinario, nempe de moribundo, qui aliud recepit Sacramentum, sic ex DD. *citatis.*

QUÆSTIO XX.

An interdictum ab ingressu Ecclesiæ, in totam civitatem latum, omnes comprehendat cives; & quid per illud prohiberi censeatur.

SUMMARIUM.

1 *Solum comprehendit quos, interdicto causam dederunt.*
2 *Interdictum generale, aut speciale personale, ultra delinquentes, nisi a S. Pontifice, vel quando delictum est capitis, aut communitatis, ferri non potest,*
3 *Aliqui DD. interdictum limitatum posse ferri, per breve tempus, ob culpam venialem, existimant.*
4 *Interdictum ab ingressu Ecclesiæ est limitatum*
5 *Interdictus ab Ingressu Ecclesiæ, illam ingredi potest ad orandum, dum quando Missæ, & alia divina, non celebrantur.*
6 *Ex rigore juris, nec ad orandum potest ingredi.*
7 *Adducitur intellectus ad text. in cap. Latorem.*
8 *Gordon. & aliorum sententia non admittitur.*

1 REspondeo, interdictum ab ingressu Ecclesiæ [quod in hac occasione etiam latum fuit, in omnem civitatem] cives non comprehendere, sed eos tantùm, qui ei interdicto causam dederunt. Ratio est, quia hoc interdictum est personale, & non locale, & ab alijs personalibus differt, quia non est totale, sed partiale, & forte addit aliquem effectum, quem alia interdicta personalia non habent. Sic Soar. *tom. 5. in 3. part. disp. 35. sect 4. num. 1. 2. & expressius 4.* sed interdictum personale non afficit innocentes, qui nullam commiserunt culpam, ut à Prælato interdictum feratur: ergo cives non comprehendit, sed illos tantùm, ob quos interdictum latum fuit.

2 Confirmatur, quia interdictum generale, aut speciale personale à nullo ferri potest, nisi contra delinquentes, vel à solo S. Pontifice: quando crimen est capitis, aut communitatis, *Argum. cap. Non est vobis, de sponsal.* Et ut certum traditur à Soar. *cit. disp. 36 sect. 3 num 2.* Sylvestr. Angel. Novarr. Sot. Henriq. Coninch. Laym. & Hurtadus, quos citat, & sequitur Castr. Palaus *tom. 6. de Cens. disp. 5. punct 3 § 2. num 3.*

3 Et quamvis Soar. *cit. numer.* 3. Dicastill. *tract.* 10. *de Cens. disp.* 5. *dub.* 3. *numer.* 90. & alij sustineant, posse interdictum limitatum, v. g. interdictum ab ingressu Ecclesiæ, vel à sacra communione, per breve tempus imponi, ob culpam venialem: In his civibus, nec venialis culpa, ad hoc personale interdictum, adfuit.

4 Dixi, *limitatum interdictum* quia hoc interdictum ab ingressu Ecclesiæ, est quoddam peculiare interdicti genus, & censura quædam ut supponitur *in cap. Is cui de sentent. excom. in* 6, *cap. Episcoporum, de privileg. etiam in* 6. *& capit. sacro, de sentent. excomm.* & tradunt Soar *cit. dict. tom.* 5. *in* 3 *part. disp.* 35 *sect.* 4 *num.* 4. Castr. Palaus *dict. tom.* 6. *de Cens. disp.* 5. § 4. *num.* 1. Alter Filliuc. Baunes, & alij, quos refert, & sequitur Leand. *tom.* 4. *tract.* 5. *disp.* 7. *q.* 1. Ita hoc interdicto intellecto, incolæ civitatis, tempore interdicti localis generalis loci, habentes privilegium, ad Ecclesias recurrebant pro divinis audiendis, non curantes de interdicto ab ingressu Ecclesiæ, quia ut personale illos non afficiebat, sed tantùm delinquentes.

5 Pro delinquentibus tamen inquiritur, quid per interdictum ab ingressu Ecclesiæ prohibitum censeatur? Respondeo, mihi probabiliorem videri sententiam, docentem, prohiberi ingressum Ecclesiæ, ad ibi Missas, aut divina officia celebranda, aut audienda; non tamen ad ibi privatim orandum. Ratio est, quia Ecclesia primò, & propriè instituta est, ad Missas audiendas, & divina officia celebranda, & non ad privatas orationes fundandas, nisi per accidens, & consecutivè; ut defendunt relati, Innocent. Navarr. Covarruv Costa, Sayr. Laym. Avila, & Bonacin. Castr. Palaus *tom.* 6. *de Cens. disp.* 5. *punct.* 4. § 4 *nu* 5 Dicastill. *tract.* 10. *de Cens. disp* 5 *dubit.* 4. *num* 210. *in fine*, Dian *part.* 5. *tract.* 10. *resol.* 72. & alij apud Leand. *tom.* 4. *tract.* 5 *disp.* 7 *q.* 10.

6 Nec obstat secunda sententia asserens, per interdictum ab ingressu Ecclesiæ, prohiberi ingressum Ecclesiæ, ad ibi Missas audiendas, officia divina celebranda, & ibi privatim orandum; non tamen prohiberi per Ecclesiam transire; in illa loqui, disputare, & concionem audire. Probatur authoritate *text. in cap. Latorem* 33 *q.* 2. in quo prohibetur per annum integrum cuidam matricidæ ingressus Ecclesiæ, & subditur, *ut ante fores Ecclesiæ stans, orans, & deprecans Deum, perseveret*: ergo per dictum interdictum prohibetur in Ecclesia privatim orare, & divinis assistere Et ratione ostenditur, quia Ecclesia primò, & principaliter instituta est, ad in ea privatim orandum, ad Missas, & divina officia celebranda: ergo intedictus ab ingressu Ecclesiæ, illam ingredi non potest, ad illa, ad quæ primò, & principaliter instituta fuit. Hanc sententiam tenent Abbas, Calderin. Felin. Ugolin. Sylvest. & Monach. quos refert, & sequitur Soar. *cit. disp.* 35. *sect.* 4. *a num.* 20. Alter. *disp.* 7. *de interdict cap.* 2. *col.* 3. & pluribus cit. Leand. *loco proximè cit.* Hanc sententiam in rigore juris existimant probabiliorem Soar. Castr. Palaus, Leandr. & alij *locis cit.*

7 Non, inquam, obstat dicta sententia licèt sit maximè probabilis: nam ad *text. in cap Latorem* respondetur primo, id fuisse dispositum in ipso casu particulari, ut constat ex dictione *perseveret* quæ denotat præceptum, ad fores Ecclesiæ perseverandi, quod in interdictis ab ingressu Ecclesiæ, non datur. Sic Dicastill. *cit. dub.* 1. *num.* 23. Castr. Palaus; & alij. Secundò respondetur cum ijsdem Dicastill. & Castr. Palao *cit.* in eo textu dici, quòd ipse matricida ad fores Ecclesiæ oret, & Deum deprecetur, quando divina officia celebrantur: Si verò, non celebrentur; vel oret in ipsa Ecclesia, vel extra illam. Et hoc patet, quia post hunc annum præcipitur huic matricidæ, quòd duobus sequentibus annis, oret in Ecclesia inter audientes, ideſt, divina officia: ergo signum est, hæc tantùm fuisse prohibita.

8 Nec obstat tertia sententia affirmans interdictum ab ingressu Ecclesiæ prohibere ipsum materialem ingressum in Ecclesiam; Ratio est, quia interdictum ab Ingressu Ecclesiæ, sine aliqua distinctione, ingressum in Ecclesiam prohibet; & ubi lex non distinguit nec nos distinguere debemus Sic cum Abbate *in cap. Cùm Ecclesia, de immunit. Eccles. numer.* 5. Calderin *tract. de interd. part.* 1. *num.* 50. *vers. sed quæritur*, & alijs Gordon *tom.* 2. *l.* 7. *q.* 16. *cap.* 8. *num.* 56. Non, inquam, obstat hæc sententia ut ex rationibus præcedentium, manet probatum.

QUÆSTIO XXI.

An laici tempore Cessationis à divinis in loco sacro sepeliri possint?

SUMMARIUM

1 *Non procedit quæstio de clericis.*
2 *Nec etiam procedit de illis Parochijs, quæ primò interdicto de ambulatorio, & generali loci suppositæ fuerunt, & postea Cessationi a divinis.*
3 *Laici sepeliri possunt in Parochijs, quæ tantum sunt suppositæ Cessationi a divinis.*
4 *Opposita sententia proponitur.*
5 *Sed ipsi sententiæ respondetur.*
6 *Sequelæ ex dictis infertur, & probatur.*
7 *Negatur sequela, & assignatur dispensatio.*
8 *Sequela conceditur, authoritate Dicastill.*

1 REspondeo, præsentem quæstionem non procedere de clericis: Quia illis tempore Cessationis à divinis conceditur, quod tempore interdicti, illis concessum est; nempe sepultura in loco sacro, cum silentio tradita, & absque officio funerali. Sic praxis, & consuetudo interpretata est *text. in cap.*

cap. Quod in te, de panit. & remiss. in quo sepultura eo modo concedebatur, quo tempore interdicti Sic cum communi sententia Bonac. Soar. & alij, quos refert, & sequitur Leandr. *tom. 5. tract. 3. disp. 3. q. 31.*

2 Nec etiam procedit de illis Parochijs, de quibus *supra q.* 10. dictum est, fuisse primo interdicto deambulatorio, & generali suppositas, & post paucos dies, Cessationi à divinis; & cum Cessationi à divinis interdictum præsupponatur; ut fere semper contingit, quod per impositionem Cessationis non cessavit; certum est, non posse laicos incolas illarum Parochiarum, loco sacro sepeliri, absque speciali privilegio; quia interdictum sive locale, sive personale hunc etiam habet effectum, ut constat, ex *text. in cap. Quod in te, de panit. & remiss* Procedit igitur quæstio, de Parochijs S. Nicolai intra, & S. Petri de Miragaya extra muros contiguis; quæ interdicto non fuerunt suppositæ, sed immediatè, cum alijs illius civitatis Portugallensis, Cessationi à divinis fuerunt suppositæ. De his ergo tantùm.

3 Respondeo, posse laicos incolas harum Parochiarum, tempore Cessationis à divinis, sepeliri in loco sacro, absque divinorum officiorum solemnitate. Ita sentiunt Soar *tom 5. in 3. part. disp. 39. sect. 2. num.* 34. Ægidius Coninch *disp. 17. dub. 7. num* 84. Laym. *tom. 1. l 1. tract 5. part 4. cap. 6. num. 3. Vers Denique* Dicastill. *tract. 10. de Cens. disp 5. dub* 8 *cap* 3 *numer.* 291 & probabilem dicunt Castr. Palaus *tom* 6 *de Cens disp* 6. *punct* 9 §. 2. *num.* 12 Bonac. *tom.* 1 *disp.* 6 *num* 8. & in idem inclinat Villal. *tom.* 1. *tract.* 20. *diff.* 2. *num.* 15. licèt in fine, oppositam sententiam amplectatur, ob authoritatem DD. nam nostra, ex ejus fundamentis, illi magis placet. Ratio hujus nostræ resolutionis est, quia tempore Cessationis à divinis solùm prohibentur divina officia, ut patet ex *cap. An est vobis, de sponsalibus* sed sepultura sacra præcisè sumpta, non venit nomine *divinorum officiorum*, ut omnes docent: ergo eo tempore non est prohibita.

4 Nec obstat opposita sententia, pro qua stant senatus Salmaticensis, Medin. & Covarr quos affert, & sequitur Henriq. *tom.* 3. *l.* 13. *cap* 53. *num* 4 Alterius *disp.* 2 *capit* 5. *column.* 4. *vers. Sed nihilominus*, Navarr. *in sum. capit*, 27. *num.* 188 Leand. *tom* 5 *tract.* 3. *disp.* 3 *q.* 30. juxta praxim, & consuetudinem, Villal. *proximè cit.* ex DD. authoritate. Hæc sententia probatur, quia plura prohibentur, tempore Cessationis à divinis, quam tempore interdicti: sed tempore, interdicti, Ecclesiastica sepultura laicis prohibita est: ergo etiam tempore Cessationis.

5 Non, inquam, obstat hæc sententia, quia velle extendere effectum interdicti, de prohibitione sepulturæ sacræ ad Cessationem, quia plura prohibentur tempore Cessationis, quàm interdicti, videtur libere dictum: quia interdictum, & Cessatio sunt omnino diversa; & prohibita tempore interdicti, ad Cessationem extendi non debent; quando in textu non exprimuntur: sumus enim in materia odiosa, in qua prohibitiones potius sunt restringendæ, quàm ampliandæ.

6 Nec obstat, quòd ex nostra resolutione *num.* 3. *adducta*, dicatur, sequi, posse, dictos laicos incolas illarum Parochiarum, tempore Cessationis à divinis assistere Missis, si aliqui dentur sacerdotes, qui ex privilegio illas celebrent. Sequela probatur. Quia ideo laici tempore puræ Cessationis possunt sepulturâ sacrâ sepeliri; quia *in cap. Non est vobis, cit.* in quo agitur de prohibitis tempore Cessationis, non prohibetur sepultura; sed etiam in eo *cap. Non est vobis* non prohibentur laicis, sed tantùm clericis divina officia. Et tamen, licet res sit odiosa, prohibitio, tempore Cessationis, divinorum officiorum extenditur ad laicos, ut defendunt Soar. Filliuc. Bonac. quos refert, & sequitur Castr Palaus *dict tom 6. punct 9. §. 2. num.* 4. & alij plures: ergo etiam licèt in eo textu, de Ecclesiastica sepultura mentio non fiat, & res sit odiosa, prohibitio ad illam extendetur.

7 Non, inquam, obstat, quia respondetur negando sequelam, & illius probationis consequentiam: diversa ratio est, quia in dicta pura Cessatione, omnes clerici celebrari prohibentur; & omnes laici, & clerici, ne tali celebrationi assistant, si aliquando contingat. Quod manifestè constat *ex cap. Quod in te, de panit & remiss. & cap Permittimus, de sentent. excommunic.* ubi semel in hebdomada, pro renovanda Eucharistia, celebrari permissum est; & tali celebrationi, nec clerici, nec laici assistere possunt, sed solus sacerdos, cum suo ministro, ut cum communi tenet Castr. Palaus *proximè*. Addo, prohibitis principalibus, nempe clericis, etiam censentur prohibiti minus principales, nempe laici. Et hoc expressè cõstat: nam si *in cap Alma mater, de sententia excommunic. in 6.* conceditur clericis tempore interdicti generalis loci, servatis moderationibus, ibi adductis, & negatur laicis. Quomodo dici potest, quòd tempore Cessationis à divinis, permittatur laicis assistere divinis, quod clericis negatur? Hoc enim intelligibile non est: ergo cùm in eo textu prohibeantur clerici divinis assistere, jam ipsi laici prohibiti censentur.

8 Sequelam, quam proximé negavimus, concedit Dicastill. *cit dicta dubit.* 8. *cap* 3. *num.* 286. salvo meliori judicio; & nisi aliud habeat consuetudo, & Cessatio sit in dicta ab interdicto separata; quod rarò contingit, [contigit tamen præsenti casu.) Et contra DD. in minori probationis citatos, ostendere intendit. [Et quidem ingeniosè] Ex prohibitione enim [inquit) sacerdotum, non rectè inferri laicorum prohibitionem; quia res est odiosa, & nõ

extendenda. Ad rationem, quòd prohibito principali, minus principale censeatur prohibitum, inquit, se cudice, nullius esse momenti. Nam minus principale, in hoc casu, non censetur prohibitum, sed impeditum, seu impotens: si enim non est, qui celebret, nec etiam erit, qui audiat celebrantem. Unde si cessaret prohibitio in sacerdote, ex aliquo privilegio, cessabit etiam impossibilitas ex parte laici, & poterit audire. Sic Dicastill. Et juxta hujus Doctoris doctrinam, potuissem ego dare consilium laicis harum Parochiarum, ut præsenti casu, ad domos Religiosas, in ijs Parochijs existentes recurrent, ad Missas audiendas; quia Religiosi, quoad tempus Cessationis à divinis, idem habent privilegium, quod tempore interdicti; ut *supradictum est.* Hoc tamen dare consilium, ausus non fui.

QUÆSTIO XXII.

An eunuchus à nativitate sit irregularis?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *In utroque foro non est irregularis.*
3 *Si mala fide in suscipiendis ordinibus, & beneficium Parochiale, peccavit pœnitentiam agat.*

1 IOannes à nativitate eunuchus dubitans, an esset irregularis? Deposito dubio, ordines sacros suscepit; & postea Parochiale obtinuit beneficium; in cujus possessione per multos annos perseveravit. Quæritur, quomodo se gerere debeat, ut in utroque foro, tutâ conscientiâ beneficium possideat?

RESOLUTIO.

2 Respondeo, dictum eunuchum non esse irregularem in utroque foro, ex eo defectu; etiamsi de illo publicè constet. Hæc resolutio est expressa *in can. Eunuchus*, 8. *dist.* 55. ibi: *Vel si ita natus est, & est dignus, fiat Episcopus.* Ex quo apertè constat, dispensatione non indiguisse, ut ordines susciperet, & beneficium quodcunque obtineret. Ratione ostenditur, quia ex eo defectu nulla exterior apparet deformitas, nec inhabilitas ad altaris ministerium; nec inde illum oritur scandalum. Sic contra *Sot. l. 5. de justitia q. 2. art.* 1. & Cajet. 2. 2. *q.* 65 *art.* 1. tenent Henriq. *tom. 2. l.* 14 *capit.* 8. *num.* 1. *in fine*, & *in Gloss. lit. t.* Navarr. Vivald. Tolet. Innocent. Filliuc. Bonac. Lublin. Lamus, Gibalin. quos refert & sequitur Leandr. *to. 5. tract. 2. disp. 2 q. 55* & relatis à Molin. Layman. Covarr. & alij, à Castr. Palaus *to. 6. de Censur. disp. 6 punct.* 12. *num.* 5 dum asserunt, carentes absque culpa testiculis, non esse irregulares: secus si culpâ propriâ, ille defectus proveniret; quæ in nostro casu non provenit.

3 Cæterum cum ex interrogatione istius sacerdotis inferri possit, se mala fide, in suscipiendis ordinibus, & adeptione, & possessione beneficij Parochialis processisse suæ consulet conscientiæ; & juxta illam, pœnitentiam agat: nulla enim alia indiget dispensatione, pro utroque foro.

QUÆSTIO XXIII.

An Episcopus dispensare possit in irregularitate homicidij casualis, ad forum contentiosum deducti, finito judicio, homicida punito, & satisfactâ parte?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Potest Episcopus dispensare.*
3 *Dispensatio Conc. Trident. non adversatur.*
4 *Non obstat, quòd delictum sit publicum, & notorium.*
5 *Nec quod sit deductum ad forum contentiosũ & ibi punitum.*

1 APpollinarius sacerdos, in repentina quadam rixa, præter intentionem sacerdotem occidit. Deducta causa ad forum contentiosum, in eo pœna pecuniaria ad partem condemnatus, & declaratus fuit incurrisse irregularitatem ex homicidio casuali. Quæritur, ut *supra in tit.*

RESOLUTIO.

2 Sæpius de hoc casu fui interrogatus, & aliquando, aliquibus additis circumstantijs, de quibus sequentibus qq. Ad præsentem, in quæstionis titulo, propositum? Respondeo, posse Episcopum, in dicta irregularitate homicidij casualis, dispensare, satisfactâ parte, finito judicio, & reo punito. Sic docent. Sanch *l. 2. decal. cap.* 11 *num.* 21. Henriq *l.* 14. *de irregul cap.* 7. *num.* 5. Avila *de Cens. 2. part. disp. 2. dub.* 7. & *part.* 7. *disp* 10. *dub.* 7. Regin. *in praxi l.* 30. *tract. 2. num.* 29. *Vers. sexto* G. Hurt. *de irreg disp. 2 difficult.* 20. Sebast. à Bonon *tract de elect. part. 2. cap* 4. *dub.* 71. *num.* 13. Dian. 4 *part. tract. 2. disp* 17. *q.* 56. & 5 *part. tract. 2. disp.* 27. *q.* 10. Fragos. *de Regim. Reip. Christ part. 2. disp.* 18 § 9. *num* 13. ibi: *Dicendum tamen bene posse Episcopum dispensare, post finitum judicium, quia mens Concil. est conservare authoritatem judicibus; cum ergo judex sententiam tulerit, eamque executioni tradidit, nihil illi honoris, seu authoritatis detractum est. Item quia ea de causa adjicitur occultum delictum, ut obvietur publico scandalo, quod deletur per sententiam judicis. & punitionem reo impositam, satisfactumque est reip. offensæ, &c.* Sic Fragos. & alij, quos allati citant. Probatur primò, quia finis *Consil. Trid. sess.* 24 *cap.* 6. *de reform* reservan-

reservando delicta publica, & deducta ad forum contentiosum, fuit, ne per dispensationem, & absolutionem Episcopi, impediretur satisfactio publica pro delictis publicis exhibenda; & ne detraheretur authoritati judicum, quam authoritatem conservare intendebat: at nullum ex his inconvenientibus datur quando finito judicio, & punito delinquente Episcopus dispensat.

3 Secundò probatur, quia ideo Concil. Trid. eam dispensationem, seu absolutionem, in delictis occultis, Episcopis concedit, & non in publicis; ut omne vitetur scandalum. Hoc tamen cessat per punitionem factam à judice, & humiliter a delinquente toleratam. Hæc sententia non semel, me consulente, ad praxim fuit deducta.

4 Nec obstat opposita sententia, quam relatis Gutierr. Garcia, & Rodrig. sequitur Soar. *tom. 5. in 3. part. disp. 41. sect. 2. num. 5. ad finem*, nec non Sayr. *de Cens. l. 4 cap. 17. num. 13.* Bonac *ibidem disp. 1. q. 3. punct. 2. numer. 2.* & expressius *disp. 7. q. 5 punct. 1 num. 6.* Barbos. *de potest. Episc. part. 2. alleg. 39. numer. 35.* Castr. Palaus *1. part. tract. 4 disp. 4. punct. 3 §. 1. num. 17.* & alij. Ex hac duplici ratione: Prima, quia illud homicidium est publicum, & notorium, ut pote probatum in judicio: quæ enim ibi probantur notoria sunt; ut pluribus relatis, tradunt Mascard. Monoch. & Tiraquel. apud Castr. Palaum *proxime*: Episcopus autem non potest dispensare in irregularitatibus notorijs, & publicis, ut ex ipso jure colligunt Soar. *cit.* 3. Bonac. *dict. disp 7. q. 5. punct. 1 a num. 3.*

5 Secunda ratio, quia illud homicidium est deductum ad forum contentiosum, & ibi punitum: Episcopi autem non possunt uti privilegio ipsis *in Trident sess. 24. cap. 6 de reform.* concesso, circa delicta ad forum contentiosum deducta. Non, inquam, obstat hæc sententia, quia licet sit maximè probabilis; illius tamen rationes ex *dictis numer. 2. & 3.* manent solutæ.

QUÆSTIO XXIV.

An possit Episcopus dispensare in irregularitate ex homicidio casuali orta, finito judicio, punito delinquente, & satisfactâ parte, quando delinquens prius adijt Pontificem, & Pontifex jussit, quod Ordinarius informaret?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Potest Episcopus dispensare, non obstante recursu ad S. Pontificem.*
3 *Adire Pontificem ad rem aliquam petendam, nullum præventionis effectum operatur.*
4 *Quando Episcopus dispensat, ex commissione suæ dignitati perpetuò annexa, non astringitur dispensare ex causis, quibus solet Pontifex*
5 *Non adversatur resolutioni textus in cap. Licet, de officio legati.*

1 Sllvestro similis contingit casus *quæst. præced. num. 1.* relatus; hac tamen circunstantia vestitus, nempe, quia silvester prius recurrit ad S. Pontificem, pro dispensatione irregularitatis: Pontifex autem, ut dispensaret, jussit, ut Ordinarius informaret; Sylvester tamen omisso hoc medio, ad Episcopum vult recurrere. Quæritur An Episcopus in his terminis causæ, ad S. Pontificem affectæ dispensare possit?

RESOLUTIO.

2 Respondeo, posse Episcopum dispensare. Moveor hàc duplici, aut triplici ratione. Prima est: Quando Episcopus jure ordinario, in aliqua re dispensare potest; quamvis ad S. Pontificem ejusdem rei facta sit petitio, ut dispenset; dum non negat dispensationem, potest supplicans supplicationi ejdem renuntiare, & adire Episcopum, ut sua ordinaria potestate dispenset, defendit Sanch. *l. 8. de matr. disp. 14. num. 3.* Sed Episcopus sua ordinaria potestate, in *Trid sess. 24 cap. 6 de reform.* concessâ dispensare potest, indicta irregularitate, ut docent DD. quos *præced. quæst. num. 2.* adducimus: ergo poterit sylvester petitioni S. Pontifici facta, renuntiare, & Episcopum adire, ut sua ordinaria potestate dispenset.

3 Secunda ratio, quia adire S. Pontificem, ad rem aliquam obtinendam, nullum præventionis effectum operatur, ne liceat postea eam ab inferiori postulare *l. 1. & tot. tit. C. quando libellus*, & ibi DD. Sanch. *proximè*: ergo etiam in nostro casu, aditio ad S. Pontificem, nullum præventionis effectum operata est, ne liceat postea eam dispensationem ab Episcopo petere, & obtinere.

4 Additur ex Sanch. *cit. num. 6.* Quando Episcopus dispensat ex commissione expressa, dignitati perpetuò annexa, ut contingit in casibus *Trident. sess. 24. cap 6. de reform.* non astringi ad dispensandum ex solis causis, ex quibus solet Papa dispensare. Quare licet norit, Papam nolle dispensare ex aliquibus causis; & alijs denegasse, potest cum hoc, cui non denegavit, dispensare ex ijs causis, si eas justas judicat; & suâ potestate ordinariâ dispensat, Sic Sanch. Cum verò S. Pontifex huic delinquenti Sylvestro dispensationem in dicta irregularitate non negaverit; & potestas in dicto Trid. Episcopo concessa sit ordinaria, utpote perpetuò dignitati Episcopali annexa; ut tenet idem Sanch *l. 2. de matr. disp. 40. numer. 14.* potest Episcopus in ea dispensare irregularitate, non obstante recursu prius facto ad Sum. Pontificem.

5 Nec

5 Nec obstat, quòd Episcopus judex in ea causa esse non potest; quia ad S. Pontificem jam est affecta; & mandavit, quòd Episcopus de ea informaret, ut ipse Pontifex dispensaret, ut colligitur *ex cap. Licet, ibi in fine: Postquam negotium ad nostrum fuerat translatum examen, censuimus irritam, & inanem; de offic. legat.* & tradunt ibi Gloss. *Verb. Transtulerat*, & Anton. *num.* 8. Abbas. *num.* 3. Anchar. *num.* 2. Imol. *fine*, quos refer, & sequitur Sanch. *l.* 8. *de matr. disp.* 14 *num.* 8. Barbos. *in Collect. ad dictum cap.* Qui hoc existimant adeo verum, ut nec ex partium consensu, possit ea causa semel jam superiori præsentata, ad inferiorem judicem redire: sed in nostro casu dispensatio irregularitatis, à S. Pontifice fuit petita, & illi jam affecta est illius examen intentanti: ergo in illa Episcopus dispensare nequit. Non, inquam, obstat *text. cit. cap.* nec doctrina eorum DD. quia procedit de jurisdictione contentiosa, de qua textus agit: at jurisdictio dispensandi in dicta irregularitate, non est contentiosa, ut patet. Hæc ex doctrina Sanch.

QUÆSTIO XXV.

An possit Episcopus dispensare, in irregularitate ex homicidio casuali orta, finito judicio, punito delinquente, satisfactâ parte, non tamen absoluto exilio?

RESOLUTIO.

1 Hic casus etiam cum præcedentibus in homicidio convenit; at differt, quia adhuc exilium, quo homicida fuit damnatus, non erat absolutum. Quæritur: An ante absolutum, in irregularitate contracta, Episcopus possit dispensare?

2 Respondeo, non posse. Ratio est: quia DD. *cit. q.* 23. *nu.* 2. supponunt ad hanc dispensationem ab Episcopo obtinendam, in irregularitate homicidij casualis, requiri, quòd delictum sit punitum, & judicium finitum: at exilio non absoluto, adhuc delictum non est punitum; nec judicium dicitur finitum, si sententia, quoad omnes suas partes, mandata non sit executioni: quod non datur: exilio non absoluto. Accedit, ut *ea q. numer.* 3. dicebam, ad hanc dispensationem obtinendam, scandalum cessare debere; qua de causa Trind Episcopis concedit hanc dispensationem, in delictis occultis, & non in publicis: ergo si Episcopus dispenset, in dicta irregularitate, exilio non absoluto; non cessat scandalum, quia delictum adhuc non est, per punitionem à judice mandatam plenè punitum; nec censetur punitio humiliter à delinquente tolerata; cùm non sit adimpleta. Sic ex dictis in ea quæst. à DD. colligo.

QUÆSTIO XXVI.

An tonsor sæpius, ex præscripto medicorum, aut chirurgorum, venam scindens, morte secutâ, sit irregularis?

SUMMARIUM

1 *Facti species.*
2 *Irregularitas non incurritur, nisi in jure expressa inveniatur.*
3 *Laicus chirurgiam, aut medicinam secundum Regulas artis exercens, si aliquod membrum, sanitatis gratia, abscindat, vel duret, etiam si mors sequatur, irregularitatem nō recurrit.*
4 *Limitatur, quando mors ex imperitia, & culpa chirurgi oritur.*
5 *Si probabiliter creditur, mortem non ortam fuisse ex imperitia, irregularitas non fuit incursa.*
6 *Si autem detur dubium, ortam fuisse mortem ex imperitia, ad ordines promotio dari nequit.*
7 *Clericis in sacris non est prohibitum, sanitatis gratia, venam scindere.*
8 *Oppositum docent plures.*
9 *Adducuntur text. in cap. Tua nos, de homic. & cap. sententiam sanguinis, ne cleric. vel Monach. &c.*
10 *Ij textus nostræ non adversantur resolutioni.*
11 *Si clerici, vel Monachi mediantur per incisionem, vel adustionem; & sufficientissimam adhibeant diligentiam, irregularitatem non incurrunt.*
12 *Conclusio ex dictis.*

1 Iacobus per multos annos tonsoris, simul & scissoris uenæ, ex præscripto medicorum, & chirurgorum gratia sanitatis inducendæ, artem exercuit; intendit que ordines suscipere; & quia aliqui sunt mortui, ex quibus, per ipsum venæ scissæ fuerunt, dubitat, ex dictis à pluribus auditis, an sit irregularis? Quæritur an talis sit?

RESOLUTIO.

2 Respondeo, non esse irregularem, ex sequentibus fundamentis: Primum est, quia nulla incurritur irregularitas, nisi in jure expressa reperiatur, ut constat ex *text. in cap. Is, qui* 18. ibi: *Irregularitatis tamen, [cum id non sit expressum in jure] laqueum non incurrit, de sentent. excommunic. in* 6. & pluribus relatis tradunt Soar. *tom.* 5. *in* 3. *part. disput.* 40. *sect.* 4 *num.* 15. Sayr. *de Cens. l.* 6. *cap.* 2. *num.* 4. Castr. Palaus *tom.* 6. *disp.* 6. *punct.* 2. *num.* 1. Pellizzar. *tom.* 2 *tract.* 7. *cap.* 5. *sect.* 1. *num.* 5. Scot. Luizius, Gibalin. Bonac. Cornejo Filliuc. Hurt quos refert, & sequitur Leand. *tom.* 5. *de irregul. tract.* 1. *disput.* 1. *q.* 5. Sed nullus in jure datur textus, laicis exercere

exercere prohibens artem sectionis venæ, nec absolutè, nec sub pœna irregularitatis: ergo cum Iacobus juxta regulam artis, eam ipsam exercuerit, etiam si mors sit secuta, irregularitatem non incurrit.

3 Secundum fundamentum, ex casu fortiori. Nam si laicus chirurgiam, aut mediam artem secundum regulas artis exercens, membrum aliquod, sanitatis causâ, abscindat, vel adurat, irregularitatem non incurrit, etiam si mors sequatur, *ex supra allata ratione*, quia hæc ars in jure laicis non est prohibita, nec in ea abscisione, aut adustione, deest lenitas, aut mansuetudo, cum pars abscindatur, ut totum conservetur, ut omnes defendunt, Soar. *cit, disp.* 47 *sect.* 7. Navarr. *cap.* 27 *numer.* 219. Avil. *part.* 7. *disp.* 6 *sect.* 1. *dub.* 10. Bonac *disp* 7. *quæst.* 4 *punct.* 5. *num.* 1. Gibelin. *cap.* 4. *de irregul quæst.* 2. *conset.* 11. *a num.* 29 & præcipuè *Vers Decimo quarto*, Sayr. *l.* 7. *cap.* 4 *numer* 5, Dicastill. *tract.* 10. *disp* 7. *de irregul. dub* 16. *cap.* 11. *numer.* 870. Vide etiam *num.* 918. Fragos. *tom.* 1. *disp.* 13 *numer.* 214. Themud. *decis* 243. *numer.* 10. *plures citans*, Leand. *tit. dict. disp.* 9 *q.* 17 & alij Ergo etiam tonsor scindens venam, secundum regulas artis, irregularitatem non incurret, etiam si mors sequatur, quia ea irregularitas, non exprimitur in jure, nec ei scissioni deest lenitas, vel mansuetudo, cum vena scindatur, ut salus recuperetur.

4 Hæc resolutio à DD. allatis limitatur in casu, quo mors ægroti, ex imperitia, culpa, aut negligentia medici, aut chirurgi oriatur: nam ipse medicus, aut chirurgus ex delicto homicidij injusti manet irregularis, & sic ad ordines promoveri non potest: at in nostro casu tonsor Iacobus ex medici, aut chirurgi præscripto, secundum regulas artis, venam scidit, nulla ex sua parte interveniente culpâ, ut aliquis ægrotus perire potuisset.

5 Addo etiam in casu, quo probabiliter credatur, mortem alicujus infirmi, non ex imperitia, aut negligentia alicujus, ex dictis evenisse (quòd facile de tonsore, & difficilius de medico, aut chirurgo præsumi potest] hac existente probabilitate, ad ordines promoveri posse. Ratio est, quia ille, qui probabiliter credit, nullius mortis causam fuisse culpabilem; moraliter est certus, nullam habuisse culpam in suo exercendo munere: securè ergo ad ordines promoveri potest. Ita sentiunt de medico, aut chirurgo, in quibus facilius imperitia, aut negligentia contingere potest, [ut dixi] Avil. *cit.* id colligens *ex cap. Ad aures, de ætat. & qualit. Ordin.* Sylvest. & Angel quos affert, & sequitur Leand *cit. q.* 20

6 Secus tamen dicendum est, si dubitet, an illius imperitia, & negligentia ægrotus aliquis mortuus fuisset? ut colligitur ex cit. *cap. Ad aures*, in quo cuidam canonico, qui medicinam exercuerat, desideranti ad ordines sacros promoveri; respondit Summ. Pontifex: *Quod si super præmissis conscientia tua te remordet, ad maiores ordines, de consilio nostro ne ascendas.* Ex quo textu colligunt Henriq Avil. Silvest. Angel. quos citant & sequuntur Leand. *cit. q.* 19. & Dicastill. *supra num.* 900. non posse medicum, aut chirurgum dubitantem, an suâ imperitiâ, aut negligentiâ mors secuta fuisset, ad ordines sacros ascendere. Hæc tamen in nostro tonsore Iacobo non datur dubitatio; quia certus est, semper venam juxta regulas artis apertisse, & mortem nullam, ex illius imperitia, aut negligentia, secutam fuisse: potest ergo absque ullo scrupulo ad ordines promoveri.

7 Tertium fundamentum; quia clericis in sacris non est prohibitum scindere venam ad sanguinem emittendum, quia hoc est proprium tonsorum. Vnde si mors sequatur, talis clericus in sacris, juxta communem opinionem, non erit irregularis. Hanc sectantur Molin. *de Just. tom.* 4. *tract.* 3. *disp* 75, *num.* 4. Rodrig. *cap.* 177. *num* 9. Gibal *cap.* 4. *q* 2. *conset.* 11. *Vers. secundo observandum est*, Leand. *supra q.* 13. Et hoc censent æquè probabile, ac oppositum Dian. 4 *part. tract.* 2. *resol.* 24. Machad *l.* 1. *part.* 3 *tract.* 18. *docum* 9 *num.* 8 & probabile fatentur Pellizzar. *tom.* 1. *tract.* 7. *cap* 5. *num.* 218. Dicastill. *dict. tract* 10 *disp.* 7. *de irregul. dubit.* 16. *cap.* 11. *num.* 896

8 Et quamvis aliqui Authores sustineant, hunc clericum in sacris esse irregularem, si ex scissione venæ ægroto sequatur mors; quia scindere venam est proprium chirurgorum; & tonsores venam scindentes partialiter sunt chirurgi, ut dicunt Avil *part.* 7. *disp.* 6. *sect.* 1. *dub.* 10. *ante conclus.* 3. Bonac. *disp.* 7. *de Irregul. q.* 4. *punct.* 5. *num.* 4. *Vers.* 4. Dicastill. *loco cit. & num.* 918 Iacobus tamen tonsor, non est clericus in sacris, sed purè laicus, qui ordines suscipere vult.

9 Nec nobis obstant textus in *cap. Tua nos de homic.* ubi deciditur, fuisse irregularem Monachum, qui aperuit apostema in guture mulieris, ex quo mortua est, & in *cap sententiam sanguinis, ne clerici, vel Monachi, &c.* ubi diciditur, ne subdiaconi, Diaconi, vel sacerdotes artem chirurgiæ abscindendo, & adurendo, secundum regulam artis, exerceant: & aperire, & scindere venam est scissio. Non, inquam, obstant dicti text. quia non loquuntur de laicis, sed de clericis in sacris, & Monachis, quibus prohibitum est, exercere artes chirurgiæ, etiam secundum regulas artis; at Iacobus est laicus.

10 Addo, licèt prohibitum sit clericis in sacris, & Religiosis *in cit. cap. sententiam sanguinis*, mederi per incisionem, vel adustionem, non esse irregulares, morte sequutâ, si ne sequeretur, sufficientissimam diligentiam adhibuissent; ita ut culpam mortalem non commiserint: quamvis enim culpam commiserint, contra præceptum Pontificis, usurpando officium

cium

cium sibi prohibitum ; ex eo peccato commisso, culpam homicidij non contraxerunt, sicut illam non contrahit laicus, ut vidimus *supra num.* 3. Ita astruunt graves DD. Ægid. Coninch. *de sacram. disp* 18. *dub* 9. *num.* 83. & 87. Sot. *l.* 5. *de just. q.* 1. *art.* 9 Gasp. Hurt. *disp.* 2. *diff.* 8. *num.* 28 & *diff.* 11 *num.* 43 Præpos. *in* 3. *part. q.* 5, *de irreg. dub.* 10. *num.* 86 Gibal. *cap.* 4. *de irregul. q.* 2 *num* 8. *in expos. 2. regul. & consect.* 1. *vers. Difficilis videtur*, & *consect.* 11. *quos refert*, & sequitur Leand *cit. q* 9 alij etiam *cit.* quibus accedunt Dicastill. *supra num.* 892. Pellizzar. *tom.* 2 *tract.* 7. *cap.* 5 *num.* 210. & probabile dicunt Dian. 4. *part. tract.* 2. *resol.* 23 Machad. *l.* 1. *pract.* 3. *tract.* 18 *docum* 9. Et ad textum *in cap. Tua nos*, qui huic doctrinæ adversari videtur, ut dictum *est num.* 9. respondent : Monachum ibi non declarari irregularem ; & quando expressè irregularitas non infligitur, non contrahitur, ut *ex cap. Is qui*, diximus *numer.* 2. Nec ex inscriptione ejusdem *cap. Tua nos*, ubi dicitur Monachum fuisse irregularem ; id rectè colligitur ; quia ea inscriptio, non facit jus. Vel dicendum eam inscriptionem fuisse factam juxta communem opinionem asserentem eum Monachum fuisse irregularem.

11 Ex dictis per totam hanc quæstionem constat, posse dictum Iacobum Tonsorem ex officio, & laicum, ad ordines promoveri, quia nullum contra se habet textum, nec Doctorem, & textus, & DD. id impedientes, loquuntur de Monachis, & clericis in sacris ; & Iacobus nec ordinibus minoribus est initiatus; Nec illi adversantes, parum in rebus moralibus versati, rationes aliquas alicujus momenti adducunt.

QUÆSTIO XXVII.

An Religiosus professus à S Pontifice prohibitus, ne medicinam erga personas læculares exerceat, illam erga determinatam personam exercere potuisset, quia illius infirmitatem probe cognoscebat, & non alij, & saltem ex facultate Nuntij, aut sui Præsati?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Negat prima sententia esse prohibitum Religiosis artem medicinæ.*
3 *Affirmat secunda, citra incisionem, & adustionem ut etiam supponit prima.*
4 *Hæc confirmatur, ex privilegio nostræ societati a Gregorio XIII. concesso, & ex Brevi ab Abdoni obtento.*
5 *Allatæ sententiæ conveniunt, non esse irregulares eas artes exercentes, secutâ morte.*
6 *Illatio illarum sententiarum in Abdonis favorem.*

1 ABdon, post emissam professionem, & ordines sacros susceptos, à S. Pontifice supplicavit, ut medicinam exercere posset, cui in sæculo operam dederat, & approbatus exercuerat. Concessit S. Pontifex gratiam, erga Religiosos, & illam negavit erga sæculares, & insuper addidit ; ne his consilium daret ad illorum infirmitatum remedium. In oppido conventus habitationis Abdonis morabatur fæmina illustris, gravi infirmitate laborans, alijs medicis ignotâ, Abdoni tamen notâ. Fæmina, obremedij defectum, in pejus recedebat; Abdon ob Pontificis prohibitionem remedium dare, & applicare renuebat. Illa sæpius ad civitatis medicos peritos recurrere, non poterat ; quia à civitate per aliquas leucas distabat ; Ad Nuntium recurrit pro licentia, concedenda Abdoni, ut ei mederi, absque scrupulo potuisset : Annuit Nuntius, non tamen acquievit Abdon, nisi in scriptis licentiam videret. Noluit tamen Nuntius in scriptis eam concedere ; ne S. Pontifici contrairet in Brevi concesso, id neganti. Quæritur 1. An ars medicinæ, aut chirurgiæ absque incisione, & adustione, clericis, & Religiosis sit prohibita ? 2. An Nuntius eam potuerit licentiam concedere. 3. An eâ non concessâ, emederi fæminæ possit ipse Religiosus Abdon?

§. I.

An ars medicinæ, seu chirurgiæ absque incisione, & adustione, clericis, & Religiosis sit interdicta?

2 Ex præcedente q. constat, Religiosis, & clericis in sacris interdictum esse artes medicinæ, & chirurgiæ, incidendo, aut adurendo, exercere. In præsenti quærimus, an hæ artes illis sint interdictæ, quando absque incisione, & adustione exercentur ? Respondeo, duplicem circumferri sententiam. Prima absolutè negat : & probatur *ex cap. Ad aures de ætate, & qualit.* Ubi clemens III. respondet Canonico Colonienſi, eum non fuisse irregularem, exercendo medicinam, secutâ inde morte, si diligens ad eam cavendam fuerit. Unde colligitur, non esse illicitum Ecclesiasticis medicinam, aut chirurgiam exercere, absque incisione, & adustione, alioqui ille Canonicus esset irregularis, quamvis diligentiam adhibuerit, ut bene infertur, ex *cap, Tua nos, de homicid.* Hanc sustinet cum Card. Covarr. Hostiens. Felin. Soar. Molin. Avil. Gibalin. Sayr. Bonac. Leand. *tom.* 5. *de irregul. tract.* 2. *disp.* 9 *q.* 6. & tenet Pellizzar. *tom.* 1. *tract* 6 *cap.* 14. *num.* 32.

3 Secunda sententia absolutè affirmat ; quia hæ artes censentur sæcularia negotia, quæ statum Religiosum dedecent, præsumuntur que interdictæ, quia videntur comprehendi in generali prohibitione contenta, in toto titulo, *Ne clerici, vel Monachi sæcularibus negotijs, se immiscеant.* Hanc tradit, relatis Rosel. Angel. Silvest. Tabien. Navarr. Abbat. Sanch.

Sanch. *in sum. l. 6. cap. 14. num. 18.* & sequitur Pellizzar. *proximè num. 33.*

4 Hæc sententia confirmatur, quia ut illas exerceant absque periculo mortis subsequendæ, requiritur privilegium, ut habent à Gregorio XIII. Religiosi nostræ societatis IESU, per Bullam relatam *in compend. nostr. privil. verb. Medici*; Vt, scilicet: Quicunque nostrorum periti sunt medicinæ possint mederi quibuscunque infirmis, sive domesticis, sive externis, quando medici sæculares commodè haberi non possunt: dummodo id fiat de superiorum licentia, & citra incisionem, & adustionem, per ipsos faciendam: ergo licet Religiosis, & clericis in sacris hæ artes non sint prohibitæ, nisi quando exercentur per incisionem, vel adustionem, etiam prohibitæ censentur, quatenùs sunt sæcularia negotia; quæ Religiosis sunt prohibita; ut dictum est Et hanc prohibitionem ex suis doctis Religiosis, accepit esse latam, quamvis ignorasient, privilegium nostræ societati concessum, quo per communicationem, tua Religio gaudebat.

5 Conveniunt adductæ sententiæ, dictos Religiosos, & clericos in sacris, si dictas artes medicinæ, aut chirurgiæ exerceant, absque incisione, & adustione, nullo modo esse irregulares, etiam si ex earum exercitio, in aliquo infirmo mors inculpabiliter sequatur. Vide Leand. *cit.* alios etiam afferentem.

6 Ex illis, pro Abdone infero cum Molin. *tom. 4 de Iust. tract. 3. disp 75. nu 6* & alijs maximè Sanch. *supr. n. 19.* quodsi dictus Abdon. medicinæ artem, citra incisionem, & adustionem exerceat, id exigente alicujus necessitate (ut in casu proposito) vel ex amicitia, aut applicando medicinam alicui domestico, vel consanguineo, aut affini, non peccare; Nec etiam irregularitatem incurrere, si mors sequatur: quia hoc non est ei prohibitum, ut periculosum, sed ut indecens statui, vel quando ex eo exercitio lucrū reportare intendat. Vide *n. 16.*

§. II.

An Nuntius, aut Prælatus conventus dict. Abdoni licentiam concedere possint, ut dictæ fœminæ medeatur.

SUMMARIUM.

7 *Præciso Brevi Pontificeo, poterat Prælatus conventus licentiam concedere.*

8 *Poterat etiam Nuntius.*

9 *Etiam Brevi Pontificio non præciso, Nuntius, & Prælatus eam licentiam concedere possunt.*

10 *Possunt etiam ex nova causa existente.*

11 *Concessio à fœmina petita, Brevi Pontificio non adversatur.*

12 *Hāc licētiā Prælatus cōvētus concedere potest.*

13 *Non obstat Breve Pontificium ijs licentijs.*

7 Certum est, præcilo Brevi Pontificio ab Abdone obtento, potuisse illius Prælatum ipsi Abdoni suo Religioso, & subdito licentiam concedere, medendi illi fœminæ, quia Abdon in sæculo fuit approbatus, ad medendum omnibus, & peritus notitiæ infirmitatis, quam in ea fœmina, cognoscebat: Prælatus autem, ex Bulla Gregorij XIII. societati IESU concessa, de qua *supra num. 4.* mentionem fecimus, potestatem habebat, hujus licentiæ concedendæ, citra incisionem, & adustionem, suo Religioso perito, excommunicatione, quam sua habet Religio in privilegijs cum Religione Societatis IESU.

8 Certum etiam est, præciso dicto Brevi potuisse Dominum Nuntium eam concedere licentiam; quia potest in suos subditos, quidquid potest Episcopus in suos: Episcopus autem potest omnia, quæ sibi Papa non reservat ut tradunt DD. *in cap. Dilectus, de temporibus ordin.* Henriq. *l. 10. de sacram. ord. cap. 35. num. 2.* in Gloss. *litt. D. & de matr. l. 12. cap. 3. num. 2. in* Gloss. *litt. N.* Sanch. *l. 1 de matr. disp. 61. numer. 3.* Soar. *tom 4. in 3. part. de Pœnit part. 2 disp. 25. sect. 1. n. 13. & de legib l. 6. cap. 14 sub n. 3.* Mirand. *in Man. Prælat. tom. 2 q. 30. art. 10. conclus. 2.* Pellizzar. *in Man. Regul. tom. 7 tract. 7. cap. 2. n. 35.* post medium Torrecill. *de jurisd. Episcopor tract. 1. q. 5 sect. 2. diff. 7. n. 60.* contra plures, quos affert, & sequitur Barbos. *de potest Episc part 2. alleg. 33 n. 18. & 19 & in collect. ad cit. cap. Dilectus.* In jure autem non invenitur Episcopo prohibitum, dare licentiam clerico in sacris, ut mederi possit alicui personæ, citra incisionem, & adustionem, si in arte medica sit peritus: ergo etiam Nuntius illam concedere poterat.

9 Tota dubitatio est, an existente Brevi ab Abdone obtento, cum ea limitatione à S. Pontifice opposita, possit suus Prælatus, & ipse Nuntius eam concedere licentiam. ut Abdon ei fœminæ medeatur? Respondeo, posse. Ratio est, quia negando S. Pontifex Abdoni, ne mederetur sæcularibus, non sustulit, nec restrinxit potestatem, quam habebat suus Prælatus ex Bulla Gregorij XIII. ut vidimus *supra n 4.* Nec etiam sustulit, per eam negationem, quam habebat Nuntius: sed per negationem superioris, non tollitur, nec restringitur inferioris facultas; ut tenent Soar. *l. 6. de leg. cap 22. n. 6.* Basil. Pont. *l. 8 de matr. cap. 17. n 4.* Castr Palaus *tom. 1. tract. 3 disp. 6. punct. 16. § 4 n. 1. in fine*, Tambur. *l. 8. de matr. tract. 2. cap 9. §. 1. nu. 3.* & apud ipsum Bardi *in select. l. 6. q. 12.* contra Sanch. *l. 8 de matr. disp 14. nu. 5.* ergo existente Brevi ab Abdone obtento, in quo illi negatur facultas medendi sæcularibus illi à suo Prælato, aut à Nuntio concedi potest.

10 Dato, & non concesso, quòd Prælatus dicti Abdonis, & Nuntius illam non possint concedere licentiam ex ijsdem causis, obquas eam S. Pontifex negavit, ut tenet Sanch. *proximè citatus*: si tamen detur nova alia causa, etiam juxta Sanch. & alios adductos, poterit

Prælatus, & Nuntius cum suo subdito dispensare, seu licentiam concedere, ut ipsi fœminæ medeatur: sed datur nova causa, ut hæc concedatur licentia: ergo. Probo hanc minorem: Quia S Pontifex, ideo Abdoni licentiam medendi sæcularibus negavit; quia exercere artem medicam erga personas sæculares, est negotium sæculare, Religiosum statum dedecens, ut constat ex dictis *supra num.* 3. at quæ de præsenti datur, est mederi fœminæ illustri infirmitate tali laboranti, quam probè callet Abdon, & alij medici non cognoscunt. Deinde licèt medici periti in civitate existant; at sæpius accedere non possunt ad illud oppidum; Abdon autem est in eodem oppido, cum in illo, illius sit conventus; Hæc autem causa est diversa ab ea, obquam motus fuit Pontifex, ad illam negandam licentiam: ergo non obstante eâ negatione, poterit Prælatus, & ipse Nuntius illam concedere.

11 Præter has allatas rationes, quas probabilissimas censeo, alia occurrit mihi æque probabilissima, ut Abdon absque scrupulo, fœminæ illustri mederi queat. Hæc sic habet: Negavit S Pontifex Abdoni medicinam, erga personas sæculares, ex officio exercere; quia erat officium sæculare, statum Religiosum dedecens; qui verò uni, vel alteri fœminæ medetur, non dicitur, artem medicinæ ex officio exercere; nec consilium dare uni, vel alteri, ad illius infirmitatis remedium, est illud dare utcunque ad sæculares ex officio; sic colligo ex Molin. *cit. dict. disp. 75. num.* 6. ibi: *Quoniam id* (ideſt medicinam] *exercere quasi ex officio, non quadrat.* Idem refert Leand. *cit. dicta q. 6. in fine*: at dictus Religiosus Abdon uni, vel alteri fœminæ medendo, medicinæ artem, ex officio, & munere suo, non exercet, nam medici officium, est omnibus mederi, & non uni, aut alteri personæ, ut ex dicèdis magis patebit.

12 Confirmatur, quia sicut *in cap. sin. Ne clerici, vel Monachi* prohibetur Religiosis studium legum, & medicinæ, sic illis exercitium eorum prohiberi debet: sed Religiosis non prohibetur exercitium legum, sed illud ex officio exercere, advocati, scilicet, *cap.* 1. & 2. *de postul* & tradit Sanch. *in sum. l.* 6 *cap.* 14. *num.* 18. & Leand *dict. q.* 6. *vers. Ex quibus*: ergo etiam Religioso ex officio prohibetur medicinæ ars, & non exercitium ad unam, aut alteram personam. Ex dictis sequitur, Prælatum hujus Religiosi licentiam concedere posse, quia habet privilegium, & ob adductas rationes, quæ ad concedendam, absque scrupulo, movere possunt.

§. III.

An Abdon, non obtentâ licentiâ à suo Prælato, peccet mortaliter, ei fœminæ medendo?

SUMMARIUM.

13 *Urgente necessitate, cessat lex.*

14 *Religiosus, aut clericus in sacris non peccant mortaliter, urgente necessitate, incidendo, & adurendo, curantes.*

15 *Nec peccat mortaliter Religiosus, alicui medendo, id exigente necessitate, charitate, aut amicitiâ.*

16 *Si mors fœminæ sequatur, nõ manet irregularis.*

13 Respondeo, non peccare mortaliter Abdonem, nec irregularitem incurrere, secutâ morte, curando eam fœminam in ea urgenti necessitate; etiam non habitâ licentiâ à suo Prælato, imo ab illo, & à S. Pontifice, negata. Ratio est, quia [ut supponimus *ex num.* 1.] dictam fœminam, ex sua infirmitate in peius viuere, alium non habentem medicum, à quo curetur; nisi Abdonem, & datâ hâc urgente necessitate, cessat lex, & quodcunque præceptum positivum; imo ipsa lex, & præceptum necessitati subjacent. Sic ex ipso jure & pluribus DD tradit Barbos. *tract. de Axiomat.* 157. *num.* 1. & *seqq.* Et datâ causâ necessariâ facit, quòd sit permissum, quod ex ipso jure, est prohibitum. Idem Barbos *proximè Axiom.* 156. alios citans, ergo non obstante, quòd Abdoni sit prohibitum mederi sæcularibus, potest in hoc casu mederi.

14 Ex hac ratione, & datâ urgenti necessitate non est Abdoni, nec Religiosis, nec clericis in sacris, per ipsum jus prohibitum curare aliquem, incisione & adustione; Ratio est quia non convenit, nec est decens, quod opus, jure naturali, debitum, præceptum, aut irregularitas imponatur. Sic DD. communiter, Molin. *tom* 4. *de Just tract* 3 *disp.* 75. *n.* 3 Henriq *l.* 14. *cap.* 11. *n.* 1. *lit. H* Sayr *l.* 7. *cap.* 2. *n.* 5. Avil. *part.* 7. *disp.* 6. *sect.* 1. *dub.* 10. *post conclus* 2. *vers. Tertio supponendum est.* Bonac. *disp.* 7. *de irregul. q.* 4 *punct* 5. *n.* 4. *vers. Addo*, Rodrig. *in sum.* 1. *p. cap.* 177. Barbos *in Collect. ad cap. Tua nos, de homic. n.* 3. Dian. *part.* 4. *tract.* 2 *resol.* 23. Castr. Palaus *tom.* 6 *disp.* 6 *punct.* 15 §. 4 *n.* 8 Machad. *l.* 1. *Summ part.* 3. *tract.* 18. *docum* 9. *n.* 6. Gibalin *cap.* 4 *q.* 2. *consect.* 11. *vers. Quarto, urgente necessitate*, Pellizzar. *tom.* 2 *tract.* 7 *cap.* 5. *sect.* 4. *n.* 213 quos citat, & ut certum sequitur Leand. *tom* 5. *tract.* 2. *disp.* 9. *q.* 10. sed in nostro casu, urget necessitas, nullus enim datur medicus, qui dictæ fœminæ infirmitatem calleat: ergo quamvis per ipsum jus, per S. Pontificem, & per Prælatũ, sit prohibitum Religioso, & clericis in sacris, si non per incisionem, & adustionem curent in præsenti casu, in quo ea incisio, aut adustio nõ est necessaria, non peccabit Abdon, illam in ea urgente necessitate curando.

15 Confirmatur in nostro præsenti casu specialiter Quia si dicti AA. astruunt non obligare ipsum jus, in eo casu; etiam in nostro non obligabit prohibitio S. Pontificis, nec Prælati Regularis, in casu, quo neget licentiam. Sic Molin. *cit. n.* 6. ubi inquit; nõ peccare cõtra ipsũ jus medicũ Religiosũ, si mediatur alicui, id exigente necessitate, aut id præscribẽte charitate, vel

vel amicitiâ: quæ in præsenti casu concurrunt.

16 Nec secutâ morte erit irregularis, non solûm ex ea ratione, quam adducimus *supra num.* 6. sed quia urgente necessitate, illi fœminæ medetur, ex præcepto naturali, & charitatis, in quo eventu irregularitas non imponitur. Nec illam ex delicto incurret; quia adhibebit omnem diligentiam, ut fœminam sanitatem acquirat.

QUÆSTIO XXVIII.

An famulus transcribens rationes dictatas ab advocato, & illi ostendens placita DD. secutâ morte, sit irregularis?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Transcribens sententiam à judice dictatam, non est irregularis.*
3 *Irregularitas ex defectu lenitatis solùm à publicis Justitiæ ministris incurritur.*
4 *Doctor, & confessarius non sunt irregulares, si dicant, hunc esse morte dignum, juxta leges; & mors sequatur.*
5 *Irregularitas ex defectu lenitatis non incurritur, nisi a publicis justitiæ ministris, vel ab his, quos jura determinant.*

1 STephanus in transcriptione ratiotinationum, ad judicium sæculare, cuidam inserviebat advocato; Ordines sacros suscipere, intendi, dubitat tamen; an sit irregularis, ob exercicium hujus duplicis actionis? Primæ, quia transcripsit rationes ab advocato dictatas. Secundæ, quia sæpius libros evoluebat, placitaque DD. congruentia advocato, ostendebat; ex quibus suam ad implebat ratiotinationem. Ex quibus actionibus non semel mors fuit secuta. Quæritur: An sit irregularis?

RESOLUTIO.

2 Respondeo, non esse irregularem, ex ulla actione Non ex prima: Probatur 1. quia famulus transcribens sententiam à judice, aut notario dictatam, non incurrit irregularitatem, ex defectu lenitatis seu mansuetudinis; ut sentiunt Bonac. *tom.* 1. *disp.* 7. *de irregular. q.* 4. *punct.* 1. *num.* 5. Castr. Palaus *tom.* 6. *de Cens. disp.* 6. *punct.* 14 § 4 *num* 2 & cum alijs Leand. *tom* 5. *de rregul. tract.* 2. *disp.* 7. *q.* 85. & Dicastill. *tom.* 1. *de Iuram. & Cens.* 10. *disp* 7 *de irregul. dub.* 26. *cap* 2. *num.* 643 ergo etiam famulus transcribens rationes advocati, ut reus morte damnetur, non incurret irregularitatem, ex defectu lenitatis, seu mansuetudinis; magis enim confert ad mortem transcriptio sententiæ, quâ reus ad mortem damnatur absque ullo dubio, quâ conferat transcriptio ratiotinationis advocati, quæ cum dubio ad mortem confert; licèt mors aliquando sequatur.

3 Secundò probatur; quia irregularitas ex defectu lenitatis solùm incurritur à publicis justitiæ ministris, ut constat *ex text. in cap.* 1. *dist.* 51. *& cap. sententiam, ne clerici, vel Monachi, & cap. Prælatis, de homicid. in* 6. *& alijs*, & DD. Castr. Palao *loco cit.* & relato Vasq. Hurt. *de irregul. diff.* 11. *num.* 40. & *cit.* Machado Leand. *proximè q.* 87. & cum Vasq. & Turrian. Dian. 3. *part tract.* 5. *res.* 39. ubi refert hos justitiæ ministros, ibi: *Quia jura in quibus supponitur hæc irregularitas, solùm loquuntur de ministris justitiæ, & his, qui concurrunt ad causæ probationem, sicut advocatus, & testes, & pœnæ executionem, ut ministri justitiæ.* Sic ex Turriano Dian. Extensius hos exprimit Dicastill. *supra numer.* 640. ibi: *Hoc supposito asserendum est, Judicem Assessorem, accusatorem, denuntiatorem, testem, Tabellionem, seu notarium, & qui torquendo exprimit confessionem, reo, item qui dicta scribit, signat publicas litteras pro vindicta sanguinis destinatas, item sententiæ exequutor, ejusque cooperatores ac satellitum comitatus irregularitatem incurrere, propter defectum perfectæ lenitatis, seu mansuetudinis.* Sic Dicastill. Et hoc tempore hanc sententiam sequuntur multi viri docti: sed Stephanus transcribens rationes ab advocato dictatas, eas non transcribit, ut publicus justitiæ minister: ergo eâ irregularitatem nõ incurrit.

4 Nec etiam ex secunda actione, irregularitatem ex defectu lenitatis incurrit. Ratio est, quia hanc non incurrunt irregularitatem Doctor, aut confessarius, si interrogati, expresè respondeant, hunc esse dignum morte; & illa sequatur. Sic de Doctore fatetur Dicastill. *cit. dict. disp* 7. *dubit.* 16 *cap* 2. *nu.* 684. & de Doctore, & confessario cum Vasq. Turrian. *de Censur. l.* 9. *disp.* 66. *dub* 4. *& in* 2. 2. *tom.* 1. *disp* 93 *dub.* 2. quos sequitur Dian. *cit resol.* 80. *Vers. Ex re vera.* Et Leand. *dict tom.* 5. *tract.* 2. *disp.* 7. *q.* 32. ut multo probabius asserit, non esse irregularem confessarium, nolentem absolvere judicem, qui non vult reum punire pœnna mortis; ut tenetur, cum alijs Authoribus, quos ibi citat. Ex hac ratione: Quia nunquam incurritur irregularitas ex homicidio sequuto, ex actione, quam quis sine peccato omittere, non potest: sed Stephanus libros euolvendo ex mandato Domini, sine peccato non potest, non evolvere; & Domino, quæ in illis invenit, ostendere: ergo irregularitatem non incurrit. Deinde si Doctor, & confessarius non incurrunt eam irregularitatem, quia docent, quæ tenentur; sic eam non incurrit famulus ostendens, ea, quæ in libris reperit.

5 Faciliùs tamẽ, & efficaciùs probatur ex *dict. n.* 3. ubi dictũ est, hanc irregularitatem nõ incurri, nisi à ministris publicis justitiæ, & ab illis, qui in jure cõprehendũtur; Stephanus autem libros evolvens, ad jurãdũ advocatũ in suis rationibus, nec est publicus justitiæ minister, nec comprehenditur in jure. Quare ad ordines potest promoveri, si aliàs non sit impeditus.

QUÆSTIO XXIX.

An lapide percutiens, sit irregularis, si percussus ex sua intemperantia moriatur?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Probabilius est, non esse irregulares, ex lata sententia.*
3 *Ostenditur ex cap. studeat.*
4 *Ad irregularitatem requiritur, quòd occasio ad mortem sit proxima, vel cum remota connectatur.*
5 *Non solus alter, sed uterque irregularitatem non incurrit.*
6 *Probabile est, incurrisse irregularitatem.*
7 *Mors tribuitur & ictui, & malo regimini.*
8 *Mors in illis circunstantijs malo regimini tribuitur.*
9 *Hæc probabilitas ostenditur, ex text. in cap. Tua nos.*
10 *Ad textum respondetur.*

1 COnstat, ex sententia in supremo senatu lata, Petrum, & Paulum actione levi sæpius à Dominico provocatos, alterum eorum lapidem, in Dominicum projecisse, & illum in naribus, & vultu percussisse. Ex lapidis jactu, per aliquos dies Dominicus in lecto decubuit; è lecto surgens, ex malo regimine victus, comedendo nociva, & potus, bibendo vinum, intra mensem à percussione, mortuus est, cum magnis capitis doloribus, è naribus sanguinem ejiciens. Ex his, quæ ex actibus constant, Petrus, & Paulus, certâ pecuniâ ad accusatorem, & exilio per duos annos mulctati fuerunt. Hâc pœnâ satisfactâ, alter eorum ordines suscipere desiderat. Quæritur. An sit irregularis?

RESOLUTIO.

2 Respondeo mihi probabilius esse, Petrum, & Paulum irregularitatem non incurrisse. Moveor primò, quia ex sententia senatus constat, lapidis ictum, licet fuisset gravis, non fuisse lethalem. Et patet, quia si fuisset lethalis, pœna ordinaria homicidij casualis punirentur; at ex ipsa pœna lata, constat, non fuisse ordinariam homicidij casualis. Additur, quia in his percussionibus, sententiæ, judicis, & judicio medicorum, standum est; ut ait Bonac. *tom.* 1. *disp.* 7. *de irregularit. q.* 4 *punct.* 7. *num.* 16. *in fine*, ibi: *Verum vulneratus mortuus sit ex vulnere, vel ex alia causa, standum est judicio judicis, seu periti hominis*; & ex Iulio Clar. Fragos. *de Regim. Reip. Christ. tom.* 1. *disp.* 13. §. 3. *nu.* 63. *in fine*, ibi: *In hoc puncto potius standum est arbitrio judicis, relatione medicorum, informati, qui consideratâ qualitate, & loco vulneris, & quanto tempore vulneratus supervixerit, post vulnus illatum, pronunciabit, ex quo vulneratus decesserit.* Sed ex sententia senatus, constat; vulnus inflictum, non fuisse lethale: ergo irregularitatem non incurrerunt.

3 Secundò moveor ex *text. in cap. studeat*, 39. *dist.* 50 ubi presbytero percutiente diaconum equitantem, qui diaconus ex equo cecidit, & cervicis fractione interijt. Mandatur examinari, an diaconus fuerit percussus ad mortem; & ex illa percussione mortuus sit? Nam eo casu deciditur irregularem fore. Atti non reperiatur diaconum fuisse percussum ad mortem, presbytero injungitur pœnitentia ad tempus. Sic in nostro casu de morte Dominici, examine facto à senatoribus reperitur ictû lapidis, per se causam mortis non fuisse, sed ex vulnerati intemperantia, mortem ortam esse: & ideo pœna pecuniaria, & exilio ad breve tempus, Petrus, & Paulus damnati fuerunt. At si ex facto examine reperiretur, eam lapidationem fuisse causam mortis, pœna homicidij casualis puniêdi erât, & irregulares cêsendi.

4 Tertiò moveor, quia ad incurrendam irregularitatem, non sufficit ut cunque occasionem mortis præbere, sed necessarium est, quòd ea occasio sit proxima ad mortem; & nô sufficit, quòd sit remota, nisi cum proxima ita connectatur, ut semel posita remotâ, necessario sequatur proxima, & ejus effectus: at cû nô ex ictu lapidis proximè secuta fuerit mors, sed ex intemperantia Dominici, quæ occasio, seu causa necessario non erat connexa, cum ictu lapidis, sicut poterat esse febris, si ex eo ictu sequeretur; inde est, quòd mors ictui lapidis non tribuitur, sed ipsi intemperantiæ. Et cû ita à senatu fuisset judicatum, irregularitas cõtracta fuit. Ita defendunt Silvest. *Verb Homicidium* 2. *q.* 22. Less. *l.* 2. *de just. cap.* 9 *numer.* 102. Soar. *tom.* 5 *in* 3 *part. disp.* 45 *sect.* 6 *num.* 19. Ægid. Coninch. *disp.* 18. *num.* 70 & 86 Gasp. Hurt *de irreg. diff.* 8 *num.* 31. Tabien. Sot. Cajet. Angel Tolet. & alij, quos afferunt, & sequuntur Dian. 4. *part. tract.* 2. *resol.* 10 Castr. Palaus *tom.* 6. *de Cens. disp.* 6. *punct.* 15 §. 5. *num.* 5 Gibalin. *cap* 4 *q* 1. *consect* 10. *Vers. Tota itaque* Leand. *tom.* 5. *tract.* 2. *disp* 10. *q.* 76.

5 Ex his colligitur, non solùm alterum eorum, sed neutrum irregularitatem incurrisse; & posse dictos Petrum, & Paulum sacros ordines suscipere, nisi aliud obstet impedimentû. Nam hoc homicidium fuit merè casuale, quod nec in se, nec in causa fuit volitum; & ex hoc homicidio generaliter loquendo, non inducitur irregularitas, ut cum aliquibus, præter citatos, tradit Dicastill. *tom. de juram. & Cens. tract* 10. *disp.* 7 *de irregul. dubit.* 16. *cap.* 12. *num.* 934.

6 Fateor tamê, probabile esse, irregularitatê incurrisse, sive ille lapidis ictus fuisset levis sive gravis, nõ obstãte, quòd Dominicus ex suo malo regimine obierit. Ita sentiũt in casu quo percussio fuerit levis, D. Ant. 3. *part. tit.* 28. *cap* 2. *in princ.* Nav. *in sum. cap.* 27. *n.* 223. Henr. *l.* 14. *c.* 14 *n.* 4. Gutierr. *in qq. Can. cap.* 6. *n.* 93. Molin. *tom.* 4 *de*

de Iust. tract.3. disp.32. à num. 2. Avil. *de Cens. 7. part. disp.6 sect* 1. *dub* 5. *concluſ.*2. Laym. *in ſum. l.3 ſect.5. tract.3. part.3. cap.*10. *num.* 5. Villal. *in ſum. tom.*1. *tract* 21. *diff.*23. *num* 9. Tabien. *Verb. Irreg.*3 § 6. Maiol. *l.5. cap.*48. § 4. *num.*6. Vivald *de Irregul. num.* 141. Ledeſm 2. 2. *q.*26. *art.* 2. *de irregul.* Ludov. Carrer. Ancharan. Villadieg. Didacus Perez, Turrian. apud *ſupra citatos numer.*4. Et idem à fortiori affirmabunt in præſenti caſu, in quo percuſsio fuit gravis, ut etiam ex *citatis numer.* 4. cenſent aliqui.

7 Oſtenditur primò, quia ſi ille jactus lapidis non fuiſſet illatus, mors Dominico non eveniret; etiam datâ illius intemperantiâ: ergo illi jactus lapidis illius mortis fuit cauſa, ſaltem partialis. Confirmatur, quia ſi mors ex imperitia chirurgi ſequatur, mors nõ ſolũ chirurgo, ſed etiã vulneri tribuitur ergo etiam mors Dominici nõ ſoliũ tribuitur intemperantiæ illius, ſed etiam ipſi lapidis ictui.

8 Reſpondeo ad probationem, ex dictis patere ſolutionem, & ad confirmationem; & maximè *ex numer.* 4. & conſtat, quia mors non fuit ſecuta ex duplici cauſa, nempe ictu lapidis, & vulnerati intemperantia (ut ſupponitur in probatione, & confirmatione) ut cauſa inter ſe neceſſariò connexa; ſed ut à cauſa remota, nempe ictu lapidis, & proxima, nempe intemperantia: mors autem in illis circunſtantijs, non cauſæ remotæ, ſed proximæ, ut ſeparata, tribuitur. Nec ſanguis è naribus effuſus, & capitis dolores tribuuntur cauſæ remotæ, nempe ictui lapidis, ſed proximæ, nempe intemperantiæ; nam percuſſus, poſt octo dies ab ictu lapidis accepto, iter pedibus faciebat, nullo adjuvante. Bene ergo infertur, vulnus non fuiſſe lethale, ſed lethale, ex cauſa proxima redditum fuit, nempe ex vini potatione, & noſcivorum manducatione.

9 Secundò oſtenditur eadem probabilitas *ex text. in cap. Tua nos*, 19. *de homicidio volunt.* in quo Monachus declaratur irregularis, ut conſtat extit. ipſius text. & communi DD. ſententia, apud Leand. *tom.*5 *de rregul. tract.*2 *tract* 9. *q* 9, quia iniquè ſe habuit, ibi: *quòd licet ipſe Monachus multum deliquerit, alienum officium ſibi uſurpando, &c.* Et tamen mulieris, mors ſupervenit ex ſua inordinatione, agentis contra ipſius Monachi præſcriptum: ergo etiam licet mors Dominici, ex ipſius inordinatione ſuperveniſſet, Petrus, & Paulus irregularitatem incurrerunt, quia iniquè deliquerunt in ictu lapidis. Reſpondeo primò cõcedendo antecedens, negando conſequentiam: Diverſa ratio eſt, quia licèt mors illius mulieris ſuperveniſſet ex illius intemperantia, agentis contra ipſius Monachi præſcriptum; Monachus tamen deliquit contra ipſum jus, aperiendo apoſtema in gutture mulieris, quæ tamen apertio erat ex ſe inductiva periculi, & non deerant alij chirurgi, non prohibiti, qui eam inciſionem exercere poterant. Vel dicamus cum Dicaſtill. *dict. tract* 10. *de Irregul diſput.* 7. *dub.* 26. *cap.*12 *num* 923. jus præſumere cum Monachum, in arte chirurgiæ non eſſe ſatis inſtructum, & quamvis diligentiam, in aperiendo apoſtema, adhibuiſſet; non tamen ſufficientem adhibuit; & ex his irregularitatem incurrit, quem tantùm reſpexit ipſum jus; at in noſtro præſenti caſu reſpicere debemus cauſam mortis Dominici, quæ ſanè non ſupervenit ex ictu lapidis, ſed ex illius percuſſi intemperantia.

10 Reſpondetur ſecundò, eam irregularitatem Monachi fuiſſe incurſam, in eo caſu particulari, extepto à regula generali, ut aſſerunt Soar. Laym. Bonacin. Dian. apud. Leand. *cit. dict. tract* 2. *diſp.*9. *q.*9. Vel facilius reſpondetur, negando antecedens; quia ipſe Monachus irregularitatem non incurrit, quia mors mulieris non ſecuta fuit, ex facta curatione à Monacho ſed ex ſua intemperantia; quia vento ſe expoſuit, contra Monachi præſcriptum, ut plures ſuſtinent, apud Leand. *proximè cit.* Vide quæ diximus *ſupra q.*26 *n.*11.

QUÆSTIO XXX.

An ſit irregularis aborſum conſulens, ad illum que medicamentum præbens, dubitat tamen, an aborſus, & medicamentum habuerint effectum?

SUMMARIUM.

1 *Facti ſpecies.*
2 *Certum eſt, quocunque tempore id ſciat conſulens, diſpenſatione indigere.*
3 *Probabile eſt, non eſſe irregularem.*
4 *Probabile eſt, authoritate Tamburini ſe retractantis.*
5 *Probabile eſt, non incurri irregularitatem, quando dubitatur de animatione fœtus.*
6 *Iura, quæ abſtare videntur, hunc caſum non comprehendunt.*
7 *Stante dubio de homicidio patrato, generaliter loquendo, non incurritur irregularitas.*
8 *Ad textus obſtantes, ex communi ſententia reſpondetur.*
9 *In dubio facti homicidj, nullus ſe gerere debet irregularem.*
10 *Sententia communis proponitur.*

1 DOnatus ſacerdos conſuluit aborſum fœtus jam animati, & ad illud medicamentum præbuit, & factâ ſufficiẽti diligentiâ ad veritatem inveſtigãdam, adhuc manet dubius. Quæritur an hoc exiſtente dubio, pro irregulari ſe habere debeat.

RESOLUTIO.

2 Quæſtio procedit. quando certũ eſt, cõſilium, & auxiliũ datũ fuiſſe ad aborsũ patrandũ, fœtu jã animato: dubitatur tamẽ de aborſu, an fuiſſet patratus & ſciri non poteſt an ex cõſilio dato, ſive ex auxilio præſtito, aut nõ fuiſſet

commissus? Et certum est, quocunque tempore ex consilio, vel auxilio dato sciatur fuisse patratum; teneri Donatum dispensationem irregularitatis quærere. Secus dicendum, si auxilium, & consilium accipiens dicat, aborsum non fuisse ex ea causa patratum: non enim alius apparet modus, quo cessare possit dubium; & dum alia fortior non apparet conjectura, illi standum est.

3 Ad quæstionem in his terminis, quæ est circa factum, respondeo probabile mihi videri, Donatum non esse irregularem. Sic docet Sanch. *l.* 1. *sum. cap.* 10. *numer.* 44. *Versus finem.* Probatur primò, quia irregularitas non contrahitur, nisi expressa sit in jure, ut constat ex *cap. Is, qui, de sentent. excommun. in* 6. in jure autem non exprimitur irregularitas contra consulentem homicidium, quando dubitatur, an homicidium sit patratum? Hæc minor ostenditur, qua textus inducentes hanc irregularitatem ob consilium datum, sunt: *cap. si quis viduam.* 8. *dist.* 50. quod est *ex consil. Martin. Papæ, cap.* 26 *& cap.* 2 *de cleric. pugn. in duello, & cap. sicut dignum, §. ult de homic.* Sed hi textus loquuntur tantùm de consilio cooperante ad homicidium certum; & nihil decidunt, quando cooperatio est dubia, ut est in nostro casu: ergo stante dubio de morte, an fuerit patrata irregularitas non incurritur à consulente. Sic ex Sanch. Idem tenet Dicastill. *tom. de Iuram. & Cens. tract* 10. *disp.* 7. *de Irreg. dub.* 26 *numer.* 631. qui hanc habuit dubitationem, ut attentè legenti patebit, circa consulentem, & auxiliantem homicidium, & ab ortum; dum non constat, homicidium, aut abortum fuisse patratum. Et fatetur, hanc irregularitatem non esse in jure omnino expressam; quod potest servire commode pro tollendis scrupulis in consulente, quando non constat de commisso homicidio, & de animatione fætus; Et nos dicamus de patrato aborsu; quod idem est.

4 Idem astruunt Escobar *tract. de utroque foro, art.* 1 *num.* 74. & alius Escobar, *in Theol. moral. part.* 2. *tract.* 4 *examin.* 6. *cap.* 5 *numer* 72. existimantes, stante dubio, an homicidium sit secutum? Nullam adesse irregularitatem, generaliter loquendo. Ex hac ratione; quia dubitans, an damnum fecerit, aut homicidium patrarit, restituere non tenetur; etsi restitutio sit de jure naturali, ac divino: ergo multo minus incurretur irregularitas, quæ est juris positivi; quando dubitatur, an patratum sit homicidium? Et non improbabile judicat Pellizzar. *in Manual. Regul. tom.* 2. *tract.* 7. *sect.* 1. *num.* 24. *Vers. Imo Escobar.*

5 Non obstat, quòd, dictus Escobar in Theol. referat Dian. *part.* 8. *tract.* 7. *resol.* 6 & ibi dicentem se non audere à communi, & negativa sententia discedere; quam stylus Curiæ, Datariæ, & Pænitentiæ infalibiliter observat. Non, inquam, obstat, quia ipse Dian. *part.* 10 *tract.* 15. *resol.* 7. *& part.* 11. *tract.* 5 *resol.* 1. inquit, stylum Curiæ non obligare in foro conscientiæ, nec tollere probabilitatem contrariæ sententiæ, cum non paucis DD. quos ibi citat. Ad textus, qui etiam contra resolutionem stare videntur, respondetur *infra num* 9.

6 Secundò probatur; quia quando dubitatur de animatione fætus, irregularitas non incurritur à consulente, auxiliante, & causante abortum; quia non est certum homicidium sed dubium, & in jure huic homicidio dubio non est imposita irregularitas; nempe, quando dubitatur de animatione fætus; ut tuitinent Emman. de Moura *opuscul. de ensalm. & incant. sect.* 3. *cap.* 1. *nu.* 27. Gomes *de delict. cap.* 3 *in rubric. de homicid. in fin.* Bajard. *in addit. ad Julium Clar. q.* 68. *num.* 9. Ioann. Præpositus *in* 3. *part. q.* 5. *de irreg. dub.* 8 *num.* 58. quos citat Dian. *part.* 4. *tract.* 2. *resol.* 16. & probabile dicit; licet oppositum probabilius; accedit Pellizzarius *supra cit. dict. tract.* 7. *cap.* 5 *num.* 25. & latius *sect.* 4. *nu.* 267. *Vers. Dubium majus est*, Gibalin. *cap.* 4. *de irregul. q.* 1. *consect.* 7. & probabile inquit Leand. *tom.* 5. *de irregul. tract.* 2. *disp.* 11. *q.* 10. dum oppositum dicit probabilius: sed in præsenti casu, etiam non constat de homicidio, seu de patrato aborsu: ergo quod hi DD. dicunt de dubitatione animationis fætus, dicendum est de dubitatione patrati abortus.

7 Tertio probatur ex Tamburin. *tom.* 2. *l.* 10. *de Cens. & irreg. tract.* 4. *cap.* 5. *§. unic. num.* 6. asserente, probabile esse, non incurrere irregularitatem illum, qui dubitat, an ex suo consilio homicidium injustum fuerit commissum; quia inquit, valde differunt homicidium committere, & ad homicidium consilium dare; & quamvis homicidio dubio imposita sit irregularitas, probabile est, non esse impositam danti consilium; quando dans est dubius, an per suum consilium concurrerit ad homicidium citatque Gibalin. *cap* 4. *de irregularit. q.* 1. *num.* 32 citantem Præpositum Sanch. Rodrig. & inducet ad videndum Dian *part.* 11. *tract.* 6. *resol.* 24 *& 42.* & se retractat circa oppositum, quod docuerat *l.* 1. *in decal. cap.* 3. *§.* 7. *Verb. Irregularitas*, & inquit, nunc re perpensa, utrumque probabile videri: ergo à fortiori in nostro casu, dicendum est, irregularitatem non esse impositam Donato, qui tantùm dedit consilium, & auxilium ad abortum, & dubitat; an fuisset patratum; & supra adducti non dubitant de homicidio patrato, sed an fuerit patratum ex vi dati consilij.

8 Nec contra hanc probabilitatem, obstant textus adducti à DD. qui dicunt, eum consulentem incurrisse irregularitem, quos refert, & sequitur Bonac. *tom.* 1. *disp* 7 *de irregul. q.* 1. *punct.* 5. *num.* 8. textus autem, quibus id probant, sunt *cap. ad Audientiam, cap. significasti*, 2 *& cap. penult. de homic.* Nec in hoc dubio, possessio stat pro Donato; quia ex illo certò constat, consilium, & auxilium, ad homicidium dedisse, nempe, ad abortum fætus jam

jam animati; & solùm dubitat, an abortus fuerit commissus. Præterquam, quòd possessio stat, pro quo stat ipsius juris præsumptio; juris autem præsumptio stat contra consulentem, & auxiliantem.

9 Non, inquam, obstant citati textus; Nam quamvis nostrum casum videâtur comprehendere, illum non comprehendunt: loquuntur enim de casu tantum, in quo certum est, fuisse commissum homicidium, & dubitatur, quis occiderit? Quod non datur, quando dubium est; an commissum fuisset homicidium, seu abortus patratus, licèt certum sit datum fuisse consilium, & auxilium ad ipsum abortum patrandum. Quod quidem maximè diversum est à casibus in ijs textibus contentis; & cum dicti textus sint pœnales, ad casus non expressos extendi non debent; sic etiam respondent Authores *cit. num.* 6. quando dubium est, an fœtus sit animatus? qui asserunt consulentem, & auxiliantem, ex eadem ratione, non incurrere irregularitatem, si abortus sequatur: & sic etiam respondent Authores *à num* 3. *cit.* pro præsenti casu, vide *dicenda q. sequenti.*

QUÆSTIO XXXI.

An qui ex ignorantia juris, post quadragesimum diem à concessione fœtus consuluit abortum, effectu secuto, maneat irregularis? Et post juris scientiam, suscipiens ordines, & illos exercens, quam pœnam incurrerit?

SUMMARIUM

1 *Facti species*
2 *Quando animetur fœtus animâ rationali.*
3 *Quas pœnas incurrant procurantes, aut consentes abortum?*
4 *Quando datur ignorantia juris invincibilis?*
5 *Probabilius est, Bartholomæum non incurrisse excommunicationem, nec irregularitatem.*
6 *Delinquens, qui per censuram corrigi non potest, illam non incurrit.*
7 *Irregularitas, cum sit pœna gravissima, non obligat, ut delinquens eam in se exequatur.*
8 *Quando lex scientiam legis, & pœnæ in delinquente postulat, non incurritur pœna, si ignorantia non sit affectata.*
9 *In dubio fœtus animati, non incurritur excommunicatio, nec irregularitas*
10 *In dubijs excommunicatio non incurritur.*
11 *Nec in dubijs irregularitatis, remissivè.*
12 *Probabile est, in dubijs fœtum esse masculinum quòd sequitur à S. Pœnitentiaria; at non tollet quòd non sit etiam probabile contrarium in foro interno.*
13 *Regula in dubijs: Tutior pars est eligenda, explicatur.*

1 BArtholomæus abortum cum effectu, post quadragesimum diem à conceptione consuluit, invincibiliter existimans, huic delicto impositam non esse irregularitatem, sed tantùm reservationem. Abolita hac ignorantia, cum scientia pœnarum impositarum ordines suscepit sacros, & illos sæpius exercuit. Quæritur 1. An ignorantia juris illum ab excommunicatione, & irregularitate excusat? 2. An postea deletâ jam eâ ignorantiâ, aliquam pœnam incurrerit, suscipiendo ordines sacros, & illos exercens?

§. I.

An Bartholomæus consulens abortum post quadragesimum, sed ante quinquagesimũ, diem, cum ignorantia pœnarum à jure impositarum, secuto effectu, illas incurrerit?

2 Ad quæstionis explicationem, suppono 1. cum communi, & in praxi casuum conscientiæ recepta sententia, animam in masculis regulariter infundi post quadraginta dies; in fœminis post octoginta. Sic Azor. 3. *part. l.* 2. *cap.* 4. Quarant. *in Sum. Bullar. Verb. Abortus nu.* 5. Barbos. *de potest. Episc. alleg.* 51. *numer.* 137. Henriq. *tom.* 2. *l.* 14 *cap.* 15. *num.* 6. Sa *Verb. Homicid. num.* 2. Panormit. Navarr. Sayr. Menoch Gambar. Norbon. & alij plures, apud Leand. *tom.* 5. *tract* 2. *disp.* 11. *q.* 6. Lezan. *tom.* 3. *de regul. Verb. Abortus num.* 10. ubi inquit, hanc sententiam in sacra Pœnitentiaria esse receptam. In dubio autem, an fœtus sit masculus, aut fœmina? Censetur esse masculum; quia in dubijs tutior pars est eligenda. Et ita practicatur in Pœnitentiaria, teste eodem Lezan. cum Nold. & Barbos. ab eo *cit.* Non desunt tamen Authores asserentes, animationem fœtus tam in masculis, quam in fœminis fieri primo instanti à conceptione, alij citiùs quadragesimo die in masculis, & octogesimo in fœminis. Videatur Leand. *cit.* & ego *in Exposit. Bull disp.* 18 *à num.* 93.

3 Secundò suppono, Sixtum. V. *in Const. Effrenatam anno* 1588. *edita.* Quæ refertur de verbo ad verbum à Lezan. *cit. num.* 2. sub excommunicatione Sedi Apostolicæ reservata, interdixisse, non solùm post, sed ante animationem fœtus, abortum omnibus Christi fidelibus, etiam Regularibus. Hanc tamen Const moderatus est Gregorius XIV. Sixti Successor, *in Constit.* quæ incipit Sedes Apostolica, *anno* 1591. *edita*; Quæ etiam de verbo ad verbum refertur ab ipso Lezan. *cit. num.* 3 Ita, ut quòd pœnas abstulerit, quoad abortum, ante animationem fœtus: at post animationem; easdem pœnas excomunicationis & irregularitatis reliquit; excomunicationem tamen Sedi Apostolicæ reservare noluit, sed solum loci Ordinario. Pœnas autem procurantium auxilium, vel consilium ad abortum dantium, ad

terminos juris communis, ad sacrorum Canonum, & Concil. Trident. dispositionem reducit. Hæ Const. habentur etiam apud Cherub. *tom. 2. Bullar. Const. Sixti*, quæ ordine est 87 *fol.* 487. Gregorij, quæ ordine est, inter alias ejusdem Pontificis, 8 *fol.* 532.

4 Tertio suppono, ignorantiam juris in Bartholomæo datam, fuisse invincibilem: ignorabat enim, adesse jus prohibens, sub excommunicatione, & irregularitate, abortum consulere; quamvis sciret, esse grave peccatum, & ut tale reservatum, existimabat. Et hæc ignorantia erat invincibilis, quia illi nunquam in mentem venit, illi delicto eas pœnas esse impositas, nec ad suum statum, scire oportebat, eas esse impositas, juxta Sanch. *l.* 1. *decal. cap.* 17. Castr. Palaum *tom.* 1 *tract.* 2. *disp.* 1 *punct.* 15 *a num.* 1 *& num.* 6. Tambur. *tom.* 1. *l.* 1. *decal. cap* 2 § 10. *num.* 1. *&* 4 His suppositis.

5 Probabilius censeo, Bartholomæum, per eam ignorantiam juris invincibilem, ab excommunicatione; & irregularitate excusari. Probatur de pœna excommunicationis, quæ est pœna medicinalis, sicut aliæ censuræ, quæ ideo dicuntur, pœnæ medicinales, quia sui timore homines retrahunt, à delictis committendis: ergo necessariò expostulant cognosci, ut sui timore delinquentes detinere possint. Secundò, quia ad incurrendam excõmunicationem [& idem de alijs censuris] requiritur admonitio, ex *cap. Sacro de sentent. excomm* non censetur autem admonitus, qui invincibiliter censuram ignorat.

6 Tertiò probatur, quia non fertur censura, nisi quando aliâ viâ delinquens corrigi nequit *ex cap. Nemo Episcop.* 11. *q.* 3 ibi: *Illis qui aliter corrigi non potuerunt.* Et satis colligitur *ex Trid. sess* 25 *cap.* 3 *de reform.* ergo dum delinquens corrigi non potest per censuram; quia illam invencibiliter ignorat, illâ non afficitur. Ita Sanch *l.* 9. *de matr. disp.* 32 *num.* 13. Soar. *tom.* 5. *in* 3. *part. disp* 40. *sect* 9. *num.* 19. Castr. Palaus *tom.* 1 *tract.* 2. *disp.* 1. *punct.* 17. *num.* 5. Tambur. *tom.* 1. *l* 1. *decal. cap.* 2. § 10. *num.* 12. Bonac. Navarr. Filliuc. Baunis, Laym. Bassæus, Ægid. Candia. Sylvius, & alij plures, quos refert, & sequitur Leand. *part.* 4. *tract.* 1. *disp.* 9. *q.* 7.

7 Probatur eadem resolutio, quoad irregularitatem, quæ est ex delicto, [qualis est, de qua loquimur] quia cùm sit pœna gravissima, & extraordinaria delicti, obligaret delinquentem, ut eam in se exequatur: ergo incurri non censetur, ab invincibiliter ignorante legem, sub tali pœna esse latam. Alias committens tale delictum; nempe consilium dans ad abortum, vere pateretur, non solùm pœnas suo delicto proportionatas, sed alias extraordinarias, quæ delicti gravitatem excederent. Sic relatis Hostiens. Sylvest. Angel. Navarr. Rodrig. Philiarch. Sanch. proximè *numer.* 21. Castr Palaus *cit. num.* 6 *& tom.* 6. *disp.* 6 *punct.* 6. *num.* 3. Illam dicit probabilem Soar. *cit. n.* 22. & sequuntur etiam Tambur. *supra* Bonac. Connch. Portel. Cornijo, Machad. quos citant & sectantur Dian. 4 *part. tract.* 2 *resol.* 85 Leandr. *tom.* 5. *tract.* 1. *disp.* 4. *q.* 5.

8 Secundò probatur eadem resolutio, quo ad excommunicationem, & irregularitatem specialiter in delicto commisso. Nam quando lex scientiam legis, & pœnæ expostulat: ut si dicat, qui tale delictum scienter fuerit, sit suspensus, excommunicatus, aut irregularis, tunc necessariò requiritur ignorantia affectata, quæ scientiæ æquiparetur, ut eæ pœnæ incurrantur; ut communiter docent Authores, Sanch. *l* 9. *de matr. disp* 32. *num.* 36 Bonac. *tom.* 1. *disp.* 1. *de Cens q.* 2. *punct.* 10 *num.* 10. Trullench. *l.* 1 *decal cap.* 3. *dub* 9. § 1. *num.* 21. Maluquell. *tract. de cas. reserv. disp.* 1. *q.* 4. § 1. *num.* 133 Alphons. *de Leon. de Cens. resol.* 7. *num.* 38. & alij universaliter hanc admittunt doctrinam, Castr Palaus *tom.* 1. *tract.* 2 *disp.* 1 *punct.* 18. *numer.* 1. Tambur. *l.* 1. *decal cap* 2. §. 10 *num.* 14. Candid. Villal Layman. Filliuc. Basil. Pont. Molin. Meroll. Machad. & alij quos afferunt, & sequuntur Dian *part.* 3. *tract.* 3 *resol.* 13. & *tract.* 6. *resol.* 7. Leand. *tom.* 1 *tract.* 1. *disp.* 9 *q.* 18. Sed in Cõstit Sixti V. *supra cit.* requiritur scientia, ibi: *quæ scienter prætermissa fuerint, pœnas tam divino, quam humano jure, actam per Canonicas, &c.* ergo si ignorantia invincibilis, quæ in Bartholomæo dabatur non fuisset Crassa, supina, & affectata, illum excusabat prædicta sententia, ex illa clausula, in illa Constit. adducta, dummodo consilium ad abortum non dederit [ut non dedit] ex ingenti temeritate; nam temeritas importat latissimam culpam, & dolo æquiparatur: dolus autem non tollit scientiam, immo eam supponit. Sic. DD. cit.

9 Tertiò probatur, Bartholomæum excusari ab incursu dictæ excommunicationis, & irregularitatis, etiam dato casu, quo habuisset scientiam de jure imponente eam excommunicationem, & irregularitatem, quando consuluit dictum abortum. Ratio est, quia consilium dedit ad abortum, post quadragesimum diem, ut constat *ex num.* 1. & abortus effectum habuit, non post quinquagesimum à conceptione: sed intra hoc temporis spatium, dubitatur, an secutus fuerit abortus fœtus animati, cui soli, & non inanimati imposita est excommunicatio, & irregularitas, ut vidimus *num* 3. *ex Const. Gregorij* XIV. ergo cum detur dubium, an sit imposita excommunicatio, & irregularitas; hæ non incurruntur. Maior manet probata ex *cit num.* 1. Minor probatur, quia dubitatur, an fœtus fuerit animatus: quia sicut poterat esse masculus, sic etiam poterat esse fœmineus, qui juxta communem sententiam, animatur, octogesimo die parum, minusve: ergo verè dubitatur, an secutus fuerit abortus fœtus animati.

10 Consequentia, quo ad excommunicationem ostenditur: quia dubius an excommunicatio-

nicationem contraxerit, illam non contraxit, sive dubium sit juris, sive facti, ut tradunt Sanch *l.* 1. *sum. cap.* 10. *num.* 55. Laym. *l.* 1. *tract.* 5. *cap* 5. §. 4. *num.* 38. Cornejo, & alij quos refert & sequitur Dian. *part.* 4. *tract.* 3. *resol.* 35. & 5. *part tract* 9 *resol.* 44. & 94 & cum Bonacin. Meroll. Caramuel, & citatis Tambur. *l.* 1 *decal. cap.* 3. §. 7. *Verb Censuræ num.* 1. & *Verb. Leges, & Præcepta num* 1. Et quamvis plures, & graves DD apud Dian. *cit* defendant in dubio facti censeri irregularitatem incurrisse, quod tamen defendunt adducti, est probabile.

11 Quoad irregularitatem eadem consequentia constat ex dictis, & DD. *q. præcedenti à num.* 6. *allatis*, ubi ad fundamenta oppositæ sententiæ, satisfecimus, & hic ea iterum repetere, non est necessarium.

12 Non obstat 1. dicere cum Nald. *Verbo abortus*, Navarr. *in Man. cap.* 15. *num.* 14. Gambarupt. *de reservat. fol.* 191. *vers. num.* 6. Eman. Rodrig. *tom.* 1. *sum cap.* 175. *num.* 4. Barbos. *part.* 3. *alleg.* 51 *num.* 138 & cum Felicio, Dicastill. Avil. & alijs Leand *tom.* 5 *tract.* 2. *disp.* 11. *q.* 11. Filiuc. & alijs non paucis apud Tambur. mox citandum, fœtum post quadragesimum diem præsumi masculum, & non fœmineum, & ita servare in Sacra Pœnitentiaria ut jam ex Lezan. *supra* notavimus: ergo consilium ad abortum datum, effectu secuto post illud tempus, non est sine excommunicatione, & irregularitate, quia supponitur fœtus animatus. Non, inquam hæc obstant, quia respondeo, eam opinionem esse probabilem, & ut talem, & tutiorem eam sequi S. Pœnitentiariam. Hoc tamen non tollit, quod probabile non sit, cum fœtum esset præsumendum fœmineum, saltem pro foro interno, ex his rationibus 1. quia sic minus gravatur delinquens, & in dubio semper favendum est reo. 2. Ex Castr. Palao *tom.* 1. *tract.* 3 *de leg. punct.* 2. §. 1. *num.* 8 ibi: *Quoties duæ præsumptiones in uno actu concurrunt, illa prævalere debet, pro qua est honestas, & excludenda præsumptio maius delictum committens.* 3 Quia juxta sententiam *num.* 2. *adductam*, prius est, fœtum esse inanimatum, quam animatum: ergo post quadragesimum diem, nisi probetur contrarium, præsumendum est, esse inanimatum; quia pro eo stat possessio. 4 Quia si quis percutiat clericum, dubitans esse clericum? Clericus non præsumitur, quia prius est, non esse clericum, quam clericum esse. Sic respondet Tamburin. *l.* 1 *decal. cap.* 3. §. 7. *num* 2. & idem sentit *l.* 6. *decal. cap.* 2. §. 4 *num.* 3.

13 Non obstat 2. dici, in textibus citatis pro contraria sententia, *q. præcedenti num.* 8. *In dubijs, tutiorem partem esse eligendam*, & hac ratione fundantur dicti textus ad irregularitatem inducendam: sed hæc ratio habet eundem locum, sive dubium sit ex parte homicidæ, sive ex parte homicidij; & ubi est eadem ratio, dicitur adesse eadem lex, non extensivè, sed comprehensivè, ut ex jure, & DD. ostendit Barbos. *tract. de Axiom Iur. axiom*, 197. *numer.* 7. Non, inquam, obstat, eam rationem, & regulam in ijs textibus apponi, quia in illis non apponitur, ut præceptum, sed ut consilium. Et patet 1. quia ibi dicitur, tutius esse: ergo supponitur oppositum esse tutum. 2 quia si esset obligatio sequendi illam regulam, in omnibus dubijs facti, & in omnibus irregularitatibus, haberet locum Sanch *l.* 2. *de matr disput.* 42. *num.* 9. Castr. Palaus *proximè num* 4 *prope finem*, & *num.* 10 Navarr. *in cap. siquis autem, de Pœnit. disp.* 7. Giballen. *l.* 3. 1 *part. scient. Canon.* Unde non obligat, nisi posito superioris præcepto, nec etiam habet locum in alijs irregularitatibus Castr. Palaus *cit. num.* 10. Vide *quæst præcedentem.*

§. II.

An abolitâ ignorantiâ in Bartholomæo, aliquam pœnam incurrerit, suscipiens ordines sacros, & illos exercens?

SUMMARIUM.

14 *Nullam incurrit.*

15 *Excommunicatio, & irregularitas non imponuntur existimationi.*

14 Respondeo non incurrisse aliquam pœnam. Ratio est quia ex dictis constat, non incurrisse excommunicationem, nec irregularitatem, consulendo abortum, cum ignorantia invincibili earum pœnarum ipsi delicto impositarum, quando abortus est fœtus animati. Nec per sententiam illarum postea acquisitam etiam in communi opinione, illas incurrit: nam scientia præcedere debet delictum, sub eis pœnis prohibitum, ut ipsæ pœnæ incurrantur. Qui enim invincibiliter ignorat, hodie esse diem jejunij, non peccat comedendo carnes; nec etiam ex eo quod postea sciat, fuisse diem jejunij, tenetur alia die jejunare, per ignorantiam enim illud onus jejunij, ipsi dici annexum, cessavit; sic etiam cessavit per ignorantiam ipsa excommunicatio, & irregularitas ipsi consilio annexa, per effectum secutam.

15 Nec etiam eas pœnas incurrit, existimans se excommunicatum, & irregularem ordines sacros suscipiendo, & illos exercendo, nam licèt graviter peccasset cum ea existimatione, ordines suscipiendo, & illos exercenda non tamen incurrit eas pœnas, quæ erant impositæ consulenti abortum fœtus animati, præcisâ ignorantiâ invincibili; excommunicatio autem, & irregularitas non est imposita existimationi, nec attentationi, sed ipsi delicto. Vide Dicastill. *dict. disp.* 7. *num.* 106. Nec dato, quòd esset irregularis, aliam irregularitatem incurreret, ordines suscipiendo, & illis utendo; secus si esset excommunicatus. Sic omnes.

QUÆS-

QUÆSTIO XXXII.

An Parochus hominem interficiens, à quo probabiliter esse occidendum, existimabat, possit suum munus Parochiale exercere, dum in foro contentioso agitur de causa?

SUMMARIUM

1 *Facti species.*
2 *Habendus est pro irregulari in foro externo.*
3 *Non sufficit dicere, se occidisse in sui defensionem, nisi probet.*
4 *Hæc irregularitas est à jure, & non expectatur, ut ab homine imponatur.*
5 *Non obstat, teneri ad effectus irregularitatis exequendos, ante judicis sententiam.*
6 *Quid sentiendum pro foro conscientiæ.*
7 *Author in foro conscientiæ hunc ab irregularitate non excusat.*
8 *Ex opinione probabili non licet ablatio pecuniæ & a fortiori, vitæ.*

1 CYriacus cujusdam Parochiæ Vicarius hominem interfecit, quia probabiliter existimavit, se illum velle occidere. Litteris severitatis confessativis, in foro contentioso agit de sua indemnitate; Quæritur 1. An interim se habere debeat, ut irregularem? 2. Quas actiones sacras, & jurisdictionem, exercere valeat?

§. I.

An dum agitur causa in judicio contentioso vicarius occisor, se gerere debeat, ut irregularis?

2 Respondeo in foro externo, se esse habendum pro irregulari, non absolutè, sed quoad effectum abtinendi à divinis. Sic colligitur à communi DD. doctrina, quæ in materia homicidij, irregularem existimat homicidam, qui certò homicidium commisit, dum per judicis sententiam non constat, in suam defensionem, fuisse commissum. DD. videri possunt, quos magno numero refert, & amplectitur Castr. Palaus *tom 6. de Cens. disput. 6. punct. 3. num.* 8. Probatur 1. quia apud omnes illius Parochiæ incolas constat, Cyriacum Vicarium homicidium commisisse voluntarium, ut ipse etiam fatetur in charta securitatis confessativa delicti, & certum est, homicidio voluntario injusto impositam esse irregularitatem *in cap 1. de homic.* & *Trident sess. 14. cap. 7. de reform.* & in alijs juris textibus; & cùm possessio sit pro ipso jure, & causa defensionis nec sit probata, nec per sententiam, ut justa judicata, Cyriacus ut irregularis habendus est, & á divinis abstinere tenetur.

3 Secundò probatur ex ipso *Conc. Trident. loco proximè citato* non permittente etiam datâ causâ defensionis, absque dispensatione homicidam se divinis immiscere, ibi: *Vel vim vi repellendo, ut quis se a morte defenderet, fuisse commissum, narretur: quam ob causam, etiam ad sacrorum ordinum, & alterius ministerium, & beneficia quæcunque, ac dignitates, jure quodammodo dispensatio debeatur, &c.* Ex quibus verbis colligitur deductâ causâ ad forum contentiosum, [ut in præsenti casu deducta est) ad judicem pertinere ferre sententiam, an ex ea defensione in causa illius homicidij, secuta, vel non secuta sit irregularitas; & interim homicida à divinorum exercitio abstinere debet. Sic etiam colligitur ex Henriq. *l. 14. capit. 10. num. 2. in Gloss. lit. M* & alij apud Soar. *tom 5. in 3. part. disp. 46 sect. 1. n. 7.* Concil. declarantibus.

4 Tertiò probatur, quia ut Cyriacus se habeat, ut irregularis, sententiam judicis declaratoriam, nullo modo expectare debet, nâ irregularitas non ab homine imponenda est, sed à jure est imposita, ut communi DD sensu, expressè tradunt Portel. *in dub. Regul. Verb. irregularitas num.* 18 Pellizzar. *in Manual. Reg. tom. 2. tract. 7. cap. 5 num.* 13. Cornejo *tract. 5 de irregul. disp. 3. dub. unic.* Leand. *tom. 5. de irregul. tract. 1. disp. 2 q. 10.* & alij: ergo cùm in præsenti casu, irregularitas sit à jure, & jam sit, vel non sit incursa, & solùm expectetur hujus incursus, vel non incursus, sententia judicis declaratoria; ante hanc declarationem abstinere debet Cyriacus ab illis actionibus, quæ per irregularitatem impediuntur.

5 Nec obstat, posse quem teneri, ad exequendos pænæ effectus, antequam ei intimetur pæna. Non, inquam obstat, quando hi effectus consistunt, non in agendo, sed solùm in abstinendo ab ipsis effectibus, propter periculum scandali, ut in præsenti casu.

6 Dixi *supra num 2. in foro externo* nam in foro conscientiæ dicunt Authores, standum esse judicio prudentis viri, vel ipsius homicidæ, si alioquin capax sit ad judicandum; examinari enim debent conditiones requisitæ ad justam defensionem. Sic cum Soar. Dicastill. *tom. de Iuram. & Censur. tract. 10. disp. 7. de irregul. dubit. 16 cap. 10. num. 868. & 869.*

7 Fateor tamen, me nunquam ex dictis, ab hoc vicario, illum in foro conscientiæ ab irregularitate existimarem liberum; nam DD conveniunt ex opinione probabili, non licere quemquam occidere. Videatur Tamburin. *tom. 1. l. 6 decal. cap. 1. §. 1. num. 15. & 16.* Leand. *tom. 5. de irreg. tract. 2. disp. 12. q. 19.* & alijs plures, quos latè citant.

8 Ego tamen meæ existimationis resolutionem, sic probo: Quia in materia justitiæ v.g. compensationis non est justum, nec licitum privatâ authoritate accipere sibi rem, quam alter possidet, etiamsi probabilius judicat, rem esse suam, ut docent Thom. Sanch. *l. 6. decal. cap. 3. num. 7.* Soar. *l. 5. de leg. capit. 18. num. 20.*

*num.*20 Card.de Lug.*tom.*1.*de Iust.disp.*16 *sect* 5.*num.*97. & alij communiter: ergo a fortiori ex opinione probabili, non licuit Cyriaco vicario spoliare, seu privare vitâ hominem, illâ justè possidentem; quia probabiliter existimavit, eum hominem se ipsum velle occidere. Nec pro foro conscientiæ Authorem inveniri qui ita absolutè illi faveat.

§. II.

Quas actiones sacras, & jurisdictionem exercere valeat Cyriacus ante sententiam declaratoriam?

SUMMARIUM.

9 *Non potest Parochianis Sacramenta ministrare*
10 *Non potest se ipsum communicare particulis jam consecratis.*
11 *Peccat mortaliter confessiones audiens; validæ tamen erunt.*
12 *Potest baptizare non solemniter.*
13 *Potest matrimonijs assistere, non tamen illa benedicere.*
14 *Potest solemniter omnes actus ordinum Minorum exercere; canere in choro, & in officio defunctorum cum alijs clericis; Et sepeliri loco sacro.*
15 *Potest Parochianis dare licentiam, ut alijs sacerdotibus confiteantur, & sacerdotibus, ut matrimonijs assistant.*
16 *Potest, dum non privatur vicaria, per alium sacerdotem, ab Ordinario approbatum, suo muneri satisfacere.*
17 *Non est privatus fructibus sui beneficij.*

9 Respondeo, & Dico primò, non posse dictum Vicarium suis Parochianis ministrare sacramenta. Primò, ob periculum scandali. Secundò, quia dum non declaratur, sententia judicis, defensionem fuisse licitam, & validâ, ut irregularis se habere debet: Irregularibus autem ordinatis prohibitum est usus ordinis susceptj, ut colligitur *ex cap. fin. de tempor. ordin.* & *cap. Inquisitionis* 1.*de accusat.* Et sic irregularitas privat omnibus actionibus, quæ sunt propriæ ordinati ordine sacro, non tamen illis, quæ sunt communes clericis, & laicis, ut sunt recipere Sacramenta Pænitentiæ, Communionis, & Extremaunctionis. Sic de irregulari sentiunt cum Henriq. Filliuc. Vgolin. & alijs Bonac.*tom.*1.*disp* 7.*de irregul.q.*1.*punct.*4.*num.* 5.Castr. Palaus *tom.*6 *de Cens disp.* 6.*punct.*5.*n.*2. & 3.Pellizzar. *tom.*2.*in Man. Regul. tract.*7.*cap.* 5.*num.*16.Leand.*tom.*5.*de irregul.tract.*1.*disp.*3.*q.*5 Tambur.*tom.*2.*l.*10.*tract.*4.*cap.*6 §.2.*num.* 8.& alij plures.

10 Dico secundò: quamvis ipse Vicarius sacram communionem more laicorum possit recipere; non tamen potest ex particulis consecratis se ipsum communicare. Ratio est quia hæc communio ministerium sacerdotis proprium includit.

11 Dico tertiò: Peccat mortaliter dictus Vicarius confessiones excipiendo. Ratio est, quia actus ordinis vere exercet contra Ecclesiæ prohibitionem, & propter scandalum. An verò validè illas excipiat? Respondeo validè excipere, & absolvere. Ratio est, quia hic vicarius non est declaratus irregularis, nec ante declarationem caret jurisdictione: ergo non apparet unde validæ non sint. Sic Soar. *de irregulari non denuntiatio, & tolerato tom.*5.*in* 3.*part disp.*40 *sect.*2.*num.*45.Bonacin *cit. num.* 19. & 20.Baunes, Præpositi.Cornejo, Villalob. & alij plures, quos afferunt, & sequuntur Dian. *part.*4.*tract* 2.*resol.*68 Leand.*proxime q.*8. & 9. Et idem dicendum de hoc Vicario, licèt non sit absolutè irregularis, quia in statu, quo est, ut talis reputatur.

12 Dico quartò: Huic Vicario non est prohibitum, baptisare absque solemnitate. Ratio est, quia actus ordinis non est: ergo sicut non prohibetur irregulari absolutè, ut tradunt Soar.*dict disp.*40.*sect.*2.*num.* 8. Castr. Palaus *proxime dict num.*4. & DD. communiter, quorum plures citant, & sequuntur Leand. *supra q.*6.Tambur.*cit.* §.3.*num.*5 Sic etiam non prohibetur huic irregulari.

13 Dico quinto: Hic vicarius matrimonio potest assistere, illud tamen solemniter benedicere nequit. Ratio est, quia hoc actum ordinis requirit, non tamen illud. Sic de irregulari absolutè Soar.*dict.disp.*40.*sect.*2.*num* 26 Filliuc.*tract* 19.*num.*77 Bonac.*cit. num.* 15. & alij communiter: ergo idem dicendum de hoc Vicario, qui pacificè suam possidet Parochiam dum sententiam declaratoriam judicis Ecclesiastici expectat.

14 Dico sextò: Potest dictus Vicarius exercere solemniter omnes actus ordinum Minorum. Ratio est, quia irregularibus solùm prohibetur usus ordinis sacri. Potest etiam cũ alijs clericis solemniter Officium Divinum canere in choro; & in officijs, quæ in sua,, vel in alijs Parochijs fiunt pro defunctis; dummodo ea non canat, quæ ex usu Ecclesiæ, sunt deputata alicui ordini sacro, ut est dicere orationem cum Dominus vobiscum, & similia. Sic Ægid Coninch.*disp.*18.*dub* 1.*num.*3.Tambur. *cit.num.*5. Potest etiam, si moriatur, in loco sacro sepeliri. Hæc enim actio, & laicis, & clericis est communis, quæ irregularibus non prohibetur. Castr.Palaus *dict.tom.*6.*disp.*6.*punct.* 5.*num.* 4.

15 Dico septimò: Potest dict. Vicarius suis Parochianis concedere, ut alij Parocho confiteantur; Et sacerdotibus, ut possint assistere matrimonijs; & tempore obligationis communionis Paschalis, ut suis Parochianis sacram ministrent communionem. Ita Coninch. *cit.* Castr. Palaus *cit. num.* 14. cum Bonac.& alijs.

16 Dico

16 Dico octavo: Potest dictus Vicarius, dum irregularis non declaratur, & etiam postea declaratione factâ, dum per sententiam vicariâ non privatur, per aliquem sacerdotem ab ordinario approbatum, suo muneri vicarij satisfacere, in ijs, actionibus, quæ ratione irregularitatis illi sunt prohibitæ. Hoc enim nec est illicitum, nec contra justitiam. Sic Soar. *cit. disp.* 44 *num.* 19. & cum Navarr. Cordub. & alijs Castr. Palaus *cit. num.* 11.

17 Dico nonò: Hic Vicarius fructibus sui beneficij non est privatus, nec illis privandus est per sententiam, si munera, seu onera suæ Vicariæ per se, vel per alium exerceat, quia illius vicariæ titulum retinet; & posito muneris exercitio, jus habet fructus percipiendi. Coninch. *cit dict. disp.* 18. *dub.* 1. *num.* 5 Soar. *disp.* 40 *sect.* 2. *num.* 20 Bonac. *cit punct.* 4 *num.* 10. Laym *l.* 1. *summ. tract.* 5 *part.* 5. *cap.* 1 *num.* 1. *corolar.* 3. Castr. Palaus *supra num.* 13. Pellizzar. *dict. tom.* 2 *tract.* 7. *sect.* 1. *num.* 18 Leand. *tom* 5. *tract.* 1. *disp.* 3. *q.* 14. *& alij.* Hæc pro hoc quæsito sufficiat.

QUÆSTIO XXXIII.

An Abbas cujusdam Parochialis cum alijs hominibus, quadam domo criminosos detinens, illos justitiæ ministris tradens, ac dicens: *inter illos esse quemdam homicidam*, factâ protestatione, & secuta morte sit irregularis?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Communis sententia affirmat.*
3. 4. 5. & 6. *Stabilitur authoritate Authorum.*
7 *Protestatio fuit inutilis;*
8 *Abbas non fuit accusator.*
9 *Dato quod fuisset accusator, protestatio illi non proderat.*
10 *Nec etiam fuit testis.*
11 *Plures docent, prodesse testi protestationem cũ aliqua limitatione, sicut prodest accusatori.*
12 *Horum DD. sententia non habet locum in Abbate.*
13 *Protestatio non fuit juridica.*
14 *Forma, qua fieri debebat.*
15 *Præfertur in præsenti casu opposita sententia, & quæ ad illius intelligentiam considerantur.*
16 *Irregularitas ex delicto, absque peccato mortali, non incurritur.*
17 *Licitum est personæ privatæ detinere inventos in flagranti delicto, ut statim judici tradantur. Vide n.* 25.
18 *Ordinatio Lusitana non adversatur.*
19 *Manifestare peccatum publicum, ubi est publicum, non est peccatum mortale.*
20 *Manifestare delinquentem, personam in individuo non manifestando, est inutile.*
21 *Manifestari ex odio & malâ voluntate interna delinquentem, secutâ morte, irregularitas non incurritur.*
22 *Abbas, & socij irregularitatem ex defectu limitationis non incurrerunt.*
23 *Verba dicta ab Abbate: Inter illos homines esse homicidam, non sufficiunt in quacunque sententia, ad contrahendam irregularitatem.*
24 *Confirmatur tradita resolutio ex similibus casibus a DD. adductis.*
25 *Idem colligitur ex Castro Palao in casu nostro simili.*

1 CUjusdam Parochiæ Abbas ad sedandos quorundam insultus accurrit, illorum unum ligno percussit; ex quo alij lacessiti eum percutere intentarunt; ad suam fugiens domum; mox armatus cum amicis, & famulis illos sequens, in domo quadam repertos, detinuit; ministros justitiæ vocavit, ac tradens, illis indicavit, inter illos esse quemdam homicidam; addens protestationem, se nullum illorum velle, ad mortem accusare, nec illorum esse partem. Secutâ morte homicidæ, justitiæ authoritate; magna in illa Parochia exorta fuit perturbatio, dicẽtibus Parochianis & vicinis, illum Abbatem esse irregularem; quia illius causâ, secutâ ea mors fuerat. Quæritur 1. An Abbas, ac amici illum associantes, irregularitatem incurrissent? 2 An morte secutâ, beneficiũ amisisset? 3. An sui beneficij fructus percipere possit? 4. An per aliũ beneficium impetrari possit, aut Patronus alium præsentare? 5. A quo posset Abbas dispensationem obtinere? 6. Quomodo se gerere debeat in regimine suæ Ecclesiæ.

§. I.

An Abbas, & amici illum associantes irregularitatem incurrissent?

2 Prima, & communis sententia affirmat Probat, quia indicantes dicti Abbas, & socij reum, seu homicidam, & illum detinentes, ut à justitia caperetur, causa fuerunt mortis injustæ, & illius cooperatores; quia ea detentio non fuit ordinata ad civilem executionem, ideſt ad restitutionem alicujus damni illati, sed tantùm ad criminalem executionem, quæ secutâ morte, absque irregularitate, esse non potest. Sic aliquibus relatis Soar. *tom.* 5. *in* 3. *part. disp.* 47 *sect.* 2 *num.* 19. & 20. Sed Abbas, & socij homicidam. & alios detinuerunt, ut â justitiâ caperentur, in ordine ad causam criminalem: ergo secutâ morte irregularitatem incurrerunt..

3 Idem, relatis Navarr. Angel Ugol. & & alijs pluribus, colligitur ex Bonacin. *tom.* 1. *disp.* 7. *de irregul. q.* 4. *punct.* 1. *numer.* 19 dicente ibi: *Decimo quarto sequitur, eum qui satellitibus directè, vel indirectè indicando reum, fuit causa, ut caperetur, incurrere notam irregularitatis, secutâ mutilatione, vel morte: nam censetur cooperator mortis, &c.* Sed dictus Abbas, & socij homicidam

homicidam ministris Iustitiæ indicarunt, dicentes, inter eos criminosos esse homicidam, & causa fuerunt, ut caperetur: ergo secutâ morte irregularitatem incurrerunt.

4 Idem sustinet Laym. *in sum. l. 3. sect. 5. tract. 3 part. 3. cap 7. num. 1. in fine*, ibi: *Adde etiam irregularem fieri eum, qui criminosum judici tradit, si postea justo supplicio afficiatur, sicuti docet* Glos. *recepta, juncto textu in cap. Unum, 33. quæst. 5.* Navarr. *in cap. Periculosè dist. 1. de panit. ad finem notat. 2.* At Abbas homicidam judici tradit, qui justo supplicio mortis fuit affectus: ergo est irregularis.

5 Idem tenet Dicastill *tom. 1. de Iuram. & Censur. tract. 10. de Cens. disp. 7. de irregul. dubit. 26. cap. 2. num. 660.* ibi: *Ille verò, qui fuit causa, ut reus caperetur, etiam si præmiserit protestationem; aut coactus fuerit, irregularis a multis censetur, &c.* Abbas autem fuit causa, ut homicida caperetur, quin fuisset ad id coactus; ergo irregularis censetur.

6 Confirmatur hæc sententia ex pluribus DD. qui communiter docent apud Leandr. *tom. 5. de irregul. tract 2. disput. 7. q. 76* esse irregularem illum, qui à judice interrogatus, qua via fur incedit? Illam indicaret, & inventus, ad mortem fuit damnatus, ex ea ratione, quia extitit mortis cooperator. Et quamvis Leand cum alijs, eum ab irregularitate excuset, propter præceptum judicis, in præsenti casu non adfuit præceptum judicis, ut ille homicida detineretur, & judici indicaretur; sed spontaneè, & dolosè, ad vindictam anteactæ invasionis in illum, ipse Abbas cum socijs, illum cum alijs criminosis detinuerunt, & ministris justitiæ indicarent.

7 Nec dictus Abbas ab ea irregularitate excusatur, ob protestationem coram justitiæ ministris factam; quia ex multis capitibus fuit inutilis. Primò, quia illius homicidæ non erat accusator, sed mortis cooperator, tradendo justitiæ ministris homicidam; cooperatores autem in causa sanguinis, omnes irregularitatem incurrunt, etiam facta protestatione, nisi in jure exprimantur. In jure verò excipitur tantùm accusator *in capit. Prælatis, de homicid.* Sic cum communi sententia Soar. *cit. dict. disp 47. sect. 3 numer. 2. in fine* Filliuc Henriq. Regim. Ugol. & alij plurimi, quos citat. & sequitur Bonacin. *cit. dict. q. 4 punct. 3. numer. 8.* non autem excipitur traditor.

8 Et quòd non fuerit accusator, ostenditur. Quia accusatio, *Est delectio alicujus criminis ad vindictam legitima interveniente subscriptione*, ut communiter tradunt DD. apud Iulium Clarum in *practica §. fin. quæst. 12. nu. 1.* & in verbis à nostro Abbate prolatis, hæc non inveniuntur. Addo, hodie, loco accusationis, interponi libellum continentem nomen querelantis, querelati, judicis, criminis commissi, & dici datæ hujus querelæ; & si hac deficiente, corruit accusatio, ut tradit Farinac. *in praxi crimin. tom. 1. titul. 2. quæst. 12. numer. 4. 5. & 6.* & juxta hanc doctrinam Abbas, non fuit accusator, nec ex hoc capite; illi prodest protestatio.

9 Secundò, quia dato, quòd fuerit accusator, ut alicui videbatur, in ipsis verbis justitiæ ministris prolatis: *Hic hos homines habetis, & illorum unus est homicida*, protestatio illi esset inutilis: quia non erat in causa propria, nec suorum propinquorum, aut domesticorum, sed personæ sibi extraneæ ab homicida occisæ; in *cap. Autem 2. de homicid.* hic favor, erga personas extraneas, non conceditur; & tradunt Soar. *cit. sect. 2. num. 17.* Molin. *tract. 3. disp. 8. numer. 8.* Castr Palaus *tom. 6. disp. 6. punct. 14. §. 2 numer. 7.* Bonac. & Dicastill. *locis cit.* & alij, quos refert, & sequitur Leand *supra q. 58.*

10 Tertiò, Nec etiam excusatur, quia in ijs verbis videbatur fuisse testis; & testis aliquando ab irregularitate excusatur, per protestationem. Nam præterquam quod non fuerit testis, hic favor testi conceditur ab aliquibus DD. quando fuit obligatus, testimonium ferre ex ipso jure naturali, aut judicis præcepto, aut per metum gravem; sic Dicastill. *cit. dicto num. 660.* Castr, Palaus *supra §. 3. num. 4.* Leand. *quæst. 68. & 69.* Abbas autem dato, quòd fuerit testis, ea verba non protulit obligatus ex ipso jure naturali, judicis præcepto, nec per metum gravem, sed spontaneè.

11 Fateor tamen, non deesse graves AA. asserentes, testem protestationem permittentem, ab irregularitate excusari in omnibus casibus, in quibus excusatur ipse accusator; ut tenent aliqui, quos affert, & sequitur Leand. *cit. q. 70.* Non tamen bene pro hac parte citat Castr. Palaum *dicta disput. 6. punct. 14. §. 3. numer. 4.* nam hoc loco loquitur, ut loquutus fuit Soar. de ferente testimonium in causa civili ad instantiam partis, petentis absque timore irregularitatis, causam prosequi: & pro hoc citat Soar. & alios.

12 Concessâ tamen eâ illorum AA, sententia, in hoc Abbate locum habere nequit, qui verè in verbis *supra prolatis* non fuit testis, nec testis in causa sanguinis esse poterat, ut colligitur *ex cap. His à quibus, 23. q. 8.* Vnde ad id cogi non potest. Vide Castr. Palaum *citat. num. 1.* multos citantem. Addo, testem propriè esse illum, qui intra judicium, de aliqua re testificatur; & in criminalibus semper in præsentia judicis, ex *Authent. de testib. §. quoniam, in fin. collat. 7.* ut habetur *à Gloss. in cap. Tua nos, de homic. Verb. Nuntius tradidit.* Tambur. *l. 10. de Cens. & irreg. tract. 4. cap. 15 §. 13. num. 30, in fin.*

13 Quartò fuit inutilis dicta protestatio, quia non fuit juridica, nempe facta coram judice, apud quem querela deponitur,

& facta ab Abbate fuit coram judicis ministris. Et erat facienda his, aut similibus verbis, ut invenitur apud Bonac. *cit. dict. quæst.* 4. *punct.* 2. *num.* 9. *Domine, peto cures mihi satisfactionem exhiberi à Titio, quia mihi damnum intulit, protestorque, me nulla ratione intendere pœnam sanguinis, mutilationem, aut mortem. Ita colligitur ex cap.* 2. *de homic. in* 6. Non est tamen necessarium, quòd fiat in scriptis, nam in nullo jure id requiritur. Vide etiam Vgol. *de irreg. cap.* 6 §. 7.

14 Protestatio autem, in præsenti casu; sic fieri debebat, coram ipso judice: *Domine peto, mihi satisfactionem exhiberi, ab his hominibus, quos detinui in hac domo, & tibi trado, quia rixis meam perturbarunt Ecclesiam; & cum admonitus adirem ad eos pacandos, intentarunt me opere inhonestare; protestorque me nulla ratione intendere pœnam sanguinis, mutilationem, aut mortem.* Et quamvis inadvertenter diceret, ut dixit: *Inter eos homines esse homicidam*, adhuc immunis esset ab irregularitate, morte secutâ. Sic Dian. *part.* 4. *tract.* 2. *resol.* 75. & aljs relatis Covarruv *tom.* 1. *de relect. Clem. Si furiosus, de homic. part.* 2. §. 5. *numer.* 3. *Vers. Decimo addo*, etiam si ipsis actionibus detur accusatio: nam hæc protestatio facienda est cum ipsa accusatione; & licèt fiat post illam ante sententiæ prolationem, adhuc proderit Et quamvis vis ex hoc capite prosit, ex allatis *supra* non prodest.

Præfertur opposita sententia.

15 Quamvis allata sententia fuisset communis, & ut probabiliorem communiter defendebant Doctores Opposita tamen multis hodie, & mihi probabilior videtur. Ut illius maiorem probabilitatem ostendam; examinandum est, an irregularitas, quam, dicitur, incurrisse Abbatem cum suis socijs, esset ex delicto, aut ex defectu lenitatis, & mansuetudinis: non enim hic occurrere potest alia irregularitas: sed Abbas cum socijs, per allatas cooperationes, non incurrit irregularitatem ex delicto, nec ex defectu lenitatis, secutâ morte illius homicidæ: ergo non bene asseritur, Abbatem esse irregularem.

16 Probatur, non incurrisse irregularitatem ex delicto ortam. Ratio est, quia irregularitas, quæ ob delictum incurritur, est gravissima pœna, quæ non incurritur, nisi ob gravem culpam mortalem, ut tenent DD. quos latè citat, & sequitur Leand. *tom.* 5 *de irregular. tract.* 1. *disput.* 1. *quæst.* 7. Sed Abbas & socij in cooperationibus, contra illum homicidam, peccatum mortale non commiserunt: ergo nec irregularitatem ex delicto.

17 Minor probatur, quia detinendo homicidam, & alios in quadam domo, ad illos judici tradendos, non est peccatum mortale: nam ut inquit Farinacius cum pluribus, *in praxi crimin. tom.* 1. *quæst.* 27. *numer.* 22. licitum est cuicumque personæ privatæ, detinere inventos in flagranti delicto, ad illos statim tradendos judici: sed Abbas, & alij socij illos detinuerunt homines, quando delicta perturbationis commiserunt, ad illos statim judici tradendos; & intra unius, aut alterius horæ spatium tradiderunt: ergo ex hac detentione, & traditione, peccatum mortale non commiserunt: ex actione enim licita, & concessa peccatum mortale non consurgit.

18 Nec obstat *Ordin. Reg. l.* 5. *titul* 95. §. 1. ibi: *Detinendo, aut custodiendo tali modo, quod non sit in sua libertate*; Sed Abbas, & socij eo modo dictos homines detinuerunt, ut sua libertate uti non possint: ergo ita detinendo peccatum mortale commiserunt. Non, inquam obstat dicta Ordin. Regia; nam ibi prohibentur carceres privati cum pœnis ibi contentis, non tamen prohibetur detentio criminosi, ut mox judici tradatur, ut inquit Farinac. & plures alij; & ita colligitur ex *cit. l. Regia*, ut videre est apud Molin. *tom.* 4. *tract.* 3. *disp* 2. *n.* 17. Alvar. Valasc. *Vide n.* 23. & 24 *infra*

19 Nec etiam ipse Abbas, & socij peccatum mortale commiserunt, manifestando ipsis Iustitiæ ministris, inter eos homines unum existere homicidam; nam manifestare peccatum publicum in loco ubi est publicum, notoritate facti; non est peccatum mortale, ut omnes concedimus: sed peccatum homicidij illius hominis, in eo loco, erat publicum; notoreitate facti: ergo illum manifestando, peccatum mortale non commiserunt.

20 Addo, dictum Abbatem, & socios determinatè non manifestasse illum homicidam, sed indeterminatè, dicentes inter eos homines esse homicidam; ergo nec juxta primam sententiam mortis secutæ fuerunt cooperatores. Consequentia patet, nam sicut testimonium testis est inutile, non manifestantis in individuo criminosum, ut omnes docent; sic dictum Abbatis, & sociorum, nullum determinatè illorum hominum dicentium, esse homicidam, est inutile. Ostenditur etiam juxta oppositam sententiam. Nam quando aliquis interrogatus de casu homicidij in particulari, & individuo, respondeo, homicidas esse morte puniendos, & viarum grassatores, juxta leges esse suspendendos, quamvis justitiæ ministri ex ijs colligant; hunc esse morte dignum, secutâ morte, irregularis non est, sic respondens; quia determinatè de hoc homicida non respondit, ut videre est apud Dicastill, *dict. tract.* 10 *disp.* 7. *dubit.* 26. *numer.* 666. & 667. ergo etiam nec juxta oppositam sententiam, irregulares erunt Abbas, & socij dicentes inter eos homines à se detentos, esse homicidam indeterminatè.

21 Nec

21 Nec obstat dicere, Abbatem, & socios adducta verba dixisse justitiæ ministris ex odio, & mala intentione: ergo peccatum mortale commiserunt. Non, inquam, hoc obstat, quia respondetur ex ijs verbis, id non præsumi. Et dato, quòd dicta verba, ex odio protulissent; odium internum tantùm, & peccatum contra charitatem, ad contrahendam irregularitatem ex delicto ortam, non sufficere quia requiritur peccatum externum contra justitiam, ut cum pluribus defendit Leand. *cit. dict. tom. 5. tract 2. disp. 10. q. 88.* Tamburin. *tom. 2. l. 10. tract. 4. cap. 15. §. 9 num. 1.*

22 Non incurrerunt etiam dict. Abbas, & socij irregularitatem ex defectu lenitatis, & mansuetudinis. Moveor, quia hæc irregularitas in jure, privatis non imponitur pœnis; sed tantùm justitiæ ministris, & ijs, qui concurrunt ad causæ probationem, ut accusator, & testis, vel ad pœnæ executionem, ut relato Vasq. docent Gasp. Hurt. *de irregul. diffic. 11. num. 40.* Tutrian. *de Censur. l. 9. disput. 66. dub. 3.* Castr. Palaus *tom. 6. disp. 6. punct. 14. § 3. num 5. & §. 4. num. 2.* Leand. *tom. 5. tract. 2. disp. 7. q. 31 & 85.* Dicastill. *dict. tract. 10. de Censur. disp. 7. dubit 26. num 846.* & esse aperte probabile inquit Machad. *l. 1. part. 3. tract. 18. docum. 4. num. 2.* apud Leand. *cit. q. 87.* Dian. *part. 3 tract 5. resol. 79.* & *in addit. ad 3. part. resol. 15* & *part. 11 tract. 2. resol. 63.* citans DD. sequentes hanc sententiam, præter citatos, Caru. de Lug. Lezanam, Basiaum, Bauny Cælestin. Serram, Ciarlinum, Antonell. Verricell. Ioanem Pontium, Brunum, Constantin. de Castr. Gazin. Carpensem. Escob. Valentiam, Pellizzar. Martinon. Remigium, quibus adhuc addo Tamburin. *dict. l. 10. tract. 4 de irregul. cap. 15. §. 13. num 15.* Moyam *in qq. select. tom. 1. tract 5. q. 5. num. 94.* & plures Neotoricos, sed dictus Abbas, & socij, ut plurimum ad mortem illius homicidæ, in prædictis verbis, & actionibus, ut privatæ personæ concurrerunt, & non ut justitiæ ministri, nec ad causæ probationem, non enim fuerunt accusatores, nec testes, ut dictum est, nec ad pœnæ mortis executionem: ergo irregularitatem ex defectu lenitatis, non incurrerunt, etiam si ad eam mortem, modo prædicto, fuissent cooperatores.

23 Minor probatur, quia verba dicta ab Abbate: *Inter illos homines esse homicidam*, non sufficiunt in quacunque sententia, ad irregularitatem contrahendam. Ratio est, quia manifestare aliquod indicium extra judicium, quo judex deinde utitur, ad inquirendum de reo ejusque delicto, non sufficit ad incurrendam irregularitatem, ut docet Tamburin. *cit. num. 22* ergo quamvis judex, ex prædictis verbis ab Abbate prolatis, moveretur ad inquirendum de homicida, non ideo Abbas fieret irregularis, quia ea verba in judicio non fuerunt prolata, nec ipse fuit testis, nec accusator, & dato quòd talis fuisset, tunc prodesset protestatio ab eo facta.

24 Confirmatur hæc sententia, ex casu simili apud Tambur. *cit* § 11. *num.* 8 & ex ijs, quæ dicit Gibalin. *de irregul. cap. 4. quæst 3 consect. 7. difficult.* 13. Secundò apud Leandr. *proxime q.* 61. de eo, qui clamore in furem, excitat vicinos, qui capitur, & judici traditur; ab eo que occiditur; qui non est irregularis, quia ipse met cum furem poterat capere, & judici tradere, quin irregularitatem incurrerit; sic Gibalinus, & alij apud Leand. ergo si capiens latronem, illum judici tradere poterat, qui ab ipso judice occiditur, non incurrit irregularitatem, à fortiori illam non incurrent Abbas, & socij detinentes eos homines, inter quos erat homicida, & illos judici tradentes ex alia causa, & non ob homicidium ab eo homine commissum.

25 Idem colligitur ex Castr. Palao *cit.* §. 2. *num.* 10. *in fine*, asserente, contra aliquos, detinentem, & comprehendentem furem, ac illum judici tradentem, ad sua bona compensanda, non esse irregularem, secutâ morte; etiam si prævideat ex ea traditione, mortem esse secuturam, quando non potest eam excusare mortem, absque propriorum bonorum jactura; quia ex ejus actione, mors non est secutura, nec detentionis actio illicita fuit: ergo etiam quamvis ab Abbate, & socijs mors homicidæ prævisa fuisset, irregularitatem non incurrerunt, quia actio traditionis homicidæ, judicis ministris, facta fuit, ut satisfactionem ab ipsis hominibus haberent, & sic mortis secutæ non fuerunt causa, nec illorum detentio fuit illicita, ut etiam *supra* ostendimus.

26 Aliqui adducuntur textus contra hanc ultimam sententiam, facile tamen ex dictis dissolvi possunt, & apud Tambur. *cit. num.* 11. illos invenies solutos. Vide etiam *dict. supra quæst.* 28.

§. II.

An morte secutâ, Abbas beneficium amisisset?

SUMMARIUM

27 *In quo sensu hæc procedat quæstio.*
28 *Certum est, beneficium non amisisse.*
29 *Etiam in foro conscientiæ beneficium non amisit.*
30 *Textus, qui possunt obstare, de præsenti casu non agunt.*
31 *Quamvis beneficium detur propter officium, si officium, amittatur, non amittitur beneficium.*

27 Hæc quæstio non procedit juxta sententiam ultimò loco traditam, nam ut vidimus, Abbas, & socij illam irregularitatem non incurrerunt, potest tamen procedere,

juxta aliquos DD. qui adhærentes sententiæ communi primo loco agitatæ, dicunt, eos incurrisse irregularitatem, ex defectu lenitatis; quæ cum alijs irregularitatibus, in his tribus convenit effectibus. Primò, quòd hominem impediat à susciendis ordinibus. Secundò, quòd illum impediat ab ordinis usu. Tertiò, quòd illum impediat à beneficijs, & Ecclesiastica jurisdictione. Primus cessat in Abbate presbytero; de secundo nempe de usu ordinis & jurisdictione, satis dictum est quæst præced §. 2. De tertio hic breviter agendum.

28 Respondeo igitur, ut certum, dictum Abbatem, morte homicidæ secutâ, suo beneficio non manere privatum. Probatur ex his rationibus 1. quia ut ex dictis constat, nulla in contractione illius irregularitatis, commissa est culpa mortalis: sed privare beneficiarium suo beneficio per ipsam irregularitatem est gravissima pœna ab ea irregularitate orta: ergo absque culpa mortali contrahi non debet. 2. Quia nullus datur textus eam pœnam imponens irregulari ex defectu lenitatis. 3. Nam licèt aliqui dentur textus, qui ipso jure beneficijs privant irregulares, ex delicto; ut *cap 1. de homic. in 6.* circa assassinos, *cap. cum secundum leges, de Pœn. in 6.* circa hæreticos, *cap. si quis Episcopus 1. q. 1.* circa Simoniacos, & *Concil. Trid. sess. 14. cap. 7. de reform.* circa homicidas voluntarias; Omnes tamen DD docent, nullum ex his criminosis beneficiarium, suis beneficijs teneri, se spoliare, nisi accedat sententia criminis declaratoria. Sic Soar *tom. 5. in 3. part. disp. 40. sect. 2 num. 15. & seqq. & disp. 44. sect. 4 num. 2.* Castr. Palaus *tom. 6. disp. 6 punct. 5. num. 9.* Bonac. *tom. 1. disp. 7. de irregul. q. 1. punct. 4 num. 8.* & pluribus relatis Leand. *tom. 5 tract 1. disp. 3 q. 13.* ergo à fortiori illam privationem non incurret irregularis, ex defectu lenitatis, absque textu, illam pœnam inducente sine culpa.

29 Tenebitur tamen ipse Abbas juxta sententiam communem *à numer. 2.* relatam, dispensationem quærere propter periculum, scandali; & maximè si à judice declaretur irregularis, ex defectu lenitatis. At juxta aliam sententiam, quam probabiliorem existimabimus, & de qua egimus *a numer. 15.* illa non indiget dispensatione, & cessante scandalo illa potest, uti pro utroque foro, quia hodie est communis intra Recentiores.

30 Nec obstat, quòd aliqui Doctores apud *supra* allatos, absolutè opinati sunt, irregulares beneficio obtinentes ante ipsam irregularitatem, esse privatos. Non enim obstat, nam textus, ex quibus id probabant, non loquuntur de irregularitate, ex defectu lenitatis, sed ex delicto: & maximè, ex delicto hæresis, simoniæ, & homicidij, de quibus hic non agimus.

31 Non obstat secundò, quia beneficium datur propter officium, ut tradunt Garcia, *de benef. part. 1. capitul. 11. numer. 1.* Monet. *de distrib. quotidian. part. 2. quæst 2. numer. 40.* & alij communiter: sed dictus Abbas ex ea irregularitate, ex defectu lenitatis, manet privatus usu ordinis; qui est effectus cujuscunque irregularitatis, ut *supra* vidimus, & illius officium principaliter, & ex maiori parte in usu ordinis consistit: ergo cessante officio, cessabit etiam beneficium. Non, inquam, hoc obstat, quia Abbas beneficium obtinuit, ante incursum ipsius irregularitatis, juxta eam sententiam, & post eam irregularitatem contractam, à nullo jure obligatur, illud dimittere; & officium, ante obtentam dispensationem, per alium exercebit, in ijs, quæ ex ea irregularitate, prohibentur.

§. III.

An Abbas interim fructus sui beneficij percipere possit?

32 Certum est, posse juxta ultimam opinionem, ex qua irregularis non reputatur. Et idem dicendum juxta primam opinionem, ex qua irregularis censetur, si munera sui beneficij, per se, vel per alium exerceat. Ratio est clara: nam si irregulares ex delicto fructus suorum beneficiorum percipere possunt, dum per sententiam illis non privantur; & per se, & per alios munera illorum exercent, ut defendunt Soar. *dicta disp 40. sect. 2. numer. 20.* Ægid. Coninch. *disp. 18 dub. 1. numer. 5.* Filliuc. *tract. 19. numer. 69* Bonac. *dict. disp. 7. quæst. 1 punct. 4. numer. 10.* Laym. *l. 1. sum. tract. 5 part. 5 cap. 1. numer. 1 corol. 3.* Castr Palaus *tom. 6. disput. 6. punct. 5. num. 13.* Pellizz. *tom. 2 Man. Regul. tract 7 cap 5. sect. 1. num. 18.* Leand. *dict. tom. 5. tract. 1 disp 3 quæst. 14* & alij: ergo à fortiori illos poterit Abbas percipere, quia non ex delicto sed ex defectu lenitatis irregularitatem incurrit, si per se, & per alium munera sui beneficij exerceat.

§. IV.

An per alium, beneficium impetrari possit, aut Patronus alium præsentare?

SUMMARIUM.

33 *Non potest ab alio impetrari, nec à patrono præsentari.*
34 *Abbati opponi non potest fuisse accusatorem.*
35 *Nec etiam fuisse testem.*
36 *Nec potest impetrari, si non sit juris Patronatus beneficium.*

33 Respondeo non posse ab alio impetrari, nec Patronum alium præsentare. Ostenditur primò, quia beneficium adhuc nõ vacavit; quia

quia provocatione, lata non est sententia declaratoria. Secundò, quia Abbas pro se habet opinionem, se non incurrisse irregularitatem. Tertiò, quia data opinione, se incurrisse irregularitatem, non fuit ex delicto, sed ex defectu lenitatis, quæ absque culpa incurritur, & absque culpa, nullus suo beneficio est privandus.

34 Et quid dicendum, si Abbas à promotore justitiæ accusetur, non solùm incurrisse irregularitatem ex defectu lenitatis utcunque, sed etiam fuisse accusatorem homicidæ; poterit ne aliquis, pendente eâ accusatione, illud beneficium impetrare, aut Patronus illud præsentare? Respondeo, non posse, quia per accusationem interpositam, adhuc non vacat beneficium. Secundò respondeo, eam promotoris accusationem esse inutilem; quia Abbas verbis jam *num.* 1 *adductis*, non fuit accusator, ut constat *ex dictis a numer.* 7. Tertio respondeo, dato quod fuisset accusator, tunc illi proderit protestatio facta, coram justitiæ ministris.

35 Et quid, si accusatur fuisse testem homicidij commissi dicens: *Inter eos homines, esse homicidam* poterit Patronus ad illud beneficium alium præsentare ea pendente accusatione? Respondeo 1. non posse ex dictis *proximè*, quia adhuc beneficium non vacavit. Secundò, quia ex dictis *supra num.* 12. satis constat, non fuisse testem, in illis verbis.

36 Et quòd Patronus ad beneficium nullum possit præsentare, antequam beneficium vacet; expresè deciditur *in cap. illud de jur. Patron.* & *cap. ult. de concession præbend.* & traditur à Barbos *de potest. Episc. part.* 3. *alleg* 72. *a num.* 1. & *præcipue, num* 6. Castr. Palao *tom.* 2. *tract.* 13. *disp.* 2. *punct.* 5. *num.* 1. & *punct.* 11 §. 6. *num.* 1. & *disp.* 3 *punct.* 5 *num.* 1 Fragos 2 *part. disp* 20 §. 7 *num.* 13. alios citante: sed beneficium Abbatis adhuc non vacavit: ergo à Patrono præsentari nequit. Addo si illud præsentet ante vacationem, præsentationem esse nullam, etiam in casu, quo Abbas per sententiam, postea beneficio sit privandus. Sic DD. *cit.*

37 Et dato, quod beneficium non sit juris patronatus laici, adhuc ab aliquo impetrari non potest ante vacationem, per sententiam declaratoriã. Ratio est primò, quia Abbas non fuit testis illius homicidij; ut à *dicto numer.* 12. ostendimus. Secundò, quia nullus suo beneficio privari potest; nisi intercedente lege & sententia simul: sententia autem privationis beneficij ferri non potest, nisi ob delicta, aut omninò similia, quibus privatio beneficiorum cavetur ab ipso jure imponenda: cùm enim sit gravissima pæna, absque gravissima culpa, imponi nequit, ut pluribus relatis sustinent Azor 3 *part. l.* 7. *cap.* 16, 17. & 18 Barbos *de potest Episc. part.* 3. *alleg.* 37. *in medio versus finem* Gonzal. *in reg.* 8. Glos. 15 *à numer.* 135. Garcia *de benefic. part.* 11. *capit.* 10. *numer.* 1. Castr. Palaus *tom.* 2. *tract.* 13. *disp* 6 *punct.* 3, §. 8. *numer* 1. referentes delicta quibus aliqui ex lege, & sententia privari possunt. Sed Abbas etiam si esset testis, (qualis non fuit) ad eam depositionem culpam gravem, nec gravissimam commisit: ergo nunquam à beneficio justè privandus erit.

§. V.

A quo possit Abbas dispensationem irregularitatis impetrare.

SUMMARIUM.

38 *Facile impetratur dispensatio irregularitatis à promoto jam ad ordines.*

39 *Plures existimarunt, posse Episcopum dispensare in irregularitate ex defectu lenitatis*

40 *Oppositum est tenendum.*

41 *Commissarius Bullæ Hispanæ potest juxta DD. non paucos.*

38 Datâ eâ primâ opinione, de qua *à num.* 2. (nam juxta secundam, de qua *a num.* 15. non indiget dispensatione) respondeo, Abbatem facile posse dispensationem impetrare. Primo, quia in illa contrahenda irregularitate, nullam commisit culpam. Secundò, quia si in irregularitatibus ex delicto facilius dispensatur cum jam promoto ad ordines, ut in susceptis ministret; quàm cum non promoto, ut ad sacros, promoveatur; ut citato Maiol. *in marg.* tradit Henriq. *tom.* 2. *l.* 14. *cap.* 17. *num.* 6. à fortiori facilius dispensabitur cum irregulari, ex defectu lenitatis, jam ad ordines promoto; ut in illis ministret, cùm in ea irregularitatis contractione, nulla affuisset culpa.

39 A quo autem ea dispensatio impetrare possit? Respondeo, non deesse DD. asserentes, eam posse impetrare ab Episcopo; sic cum Emman. de Sa Rodrig. Campanil Vivald. Medin & Covarruv Barbos *de potest. Episc* 2. *part. alleg* 39 *num.* 47. & cit. Sa, Hieron. Rodrig. Novario a Dian. 4. *part. tract.* 2. *resol.* 69. pro eadem sententia, illam fatetur probabilem, probabiliorem tamen oppositam, idem inquit Leand. *tom.* 5. *disp.* 7. *q.* 134. Pro eadem sententiam citat decem, & octo DD. Pascal. *in qq. moralibus centur* 3. *q.* 226. illam tamen non sequitur. Illam probant ex *Concil. Trident sess.* 24. *capit* 6. *de reform.* dicente ibi, dari Episcopis facultatem dispensandi in omni irregularitate, quæ non sit ex homicidio injusto voluntario: at irregularitas ex defectu lenitatis non est ex homicidio injusto voluntario. Hæc sententia ex authoritate est probabilis.

40 Dicendum tamen est, non posse Episcopum eam irregularitatem dispensare: nam

in Concil. Trid. solùm conceditur Episcopis, dispensare irregularitates ex delicto occulto; & non in omni irregularitate: irregularitas autem ex defectu lenitatis, non est ex delicto. Sic cum pluribus Bonacin *tom. 1. disp. 7 quæst. 4 punct. 4. num. 13.* Avila *de Cens. part. 7. disp. 6. sect. 5. dub. 1.* Dian. Leand. & Pasqualig *locis. cit.* Tambur. *tom. 2. l. 10. tract. 4 de irregul. cap. 15. §. 17 num. 6.*

41 Utrùm verò Commissarius Bullæ Cruciat. in irregularitate ex defectu lenitatis orta dispensare possit? Respondeo, non posse Commissari Bullæ Lusitaniæ concessæ; quia in hac Bulla ad hanc irregularitatem dispensandam facultas non conceditur; sed tantùm ad irregularitates contractas ab illis, qui quibuvis Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pænis ligati, Missas, & alia divina officia celebraverint, ut dicitur in Bulla Latina, & nos diximus *in Expos. Bullæ disp. 23. num. 36.* Secùs dicendum de Commissario Cruciatæ Hispaniæ concessæ. In illa enim maior conceditur facultas ex clausula ad alias plures irregularitates extensa, ib.: *super quacunque irregularitate, quæ nos procedat ex homicidio voluntario*: irregularitas autem ex defectu lenitatis non provenit ex homicidio voluntario, sed ex occisione hominis; nam homicidium est crimen, occisio autem hominis potest esse sine crimine, & culpa. Sic Avila *cit. Concl. 3. vers. sequitur*, Dian *proximè* Cornejo, Machado, quos citat, & sequitur Leand. *supra q. 136.* Tambur. *tom. 2 l. 10. tract. 4. cap. 15. §. 17. num. 7.*

§. VI.

Quomodo se gerere debeat Abbas in regimine suæ Ecclesiæ.

42 De hac quæstione diximus *q. præcedente a num. 9 usque ad finem quæstionis*; Recole ibi dicta, quæ sufficiunt, juxta primam sententiam *a num. 2 allatam*; nam juxta secundam *a num. 15.* in qua irregularitatem non intelligimus incurri; hæc non sunt necessaria. Hanc tamen quæstionem extendimus, quia ab Advocato partis, ita petitum fuit.

QUÆSTIO XXXIV.

An habens plantas pedum distortas sit irregularis, & admissus ab ordinario ad suscipiendos ordines Minores, quoad Maiores demitti possit?

SUMMARIUM

1 *Facti species.*
2 *Non est irregularis.*
3 *A judice competente, ad Minores ordines fuit juditatus non irregularis.*
4 *Judicium ordinarij est veluti sententia, quæ transit in rem judicatam; & ab illa non receditur, si injusta non appareat.*
5 *Concessis dimissorijs ad suscipiendos ordines Minores, censetur non dari impedimentum.*
6 *Non censetur missus Ioannes, ut ab Episcopo eum ordinaturo dispensetur in præsenti casu.*
7 *Qui non potest ad ordines Maiores aliquem admittere, nec illum ad Minores admittere potest.*
8 *Prohibitâ irregulari susceptione ordinis, etiam prohibetur prima tonsura.*
9 *Non adversatur textus in cap. 1. de filijs presbyter.*
10 *Defectus pedum in Ioanne, nec ex propria culpa, nec ex aliena processit.*

1 IOannes musicus, non ex propria culpa imos pedes, seu ut dicitur, plantas pedum habebat distortas. Hæc tamen distortio non illum impedit ambulare, currere, ascendere scalas, & montes. Sede vacante à vicario generali in spiritualibus, dimissorias obtinuit, ad suscipiendos ordines Minores à quocunque Episcopo; ad Maiores repugnat, illas concedere; quia ex eo corporis defectu, illum irregularem præsumit. Quæritur. An sit irregularis ex eo defectu; & debeant ad Maiores ordines dimissoriæ concedi?

RESOLUTIO.

2 Respondeo, Ioannem non esse irregularem, ex defectu corporis plantas pedum distortas habentis. Moveor primò, quia duplicem assignant DD. rationem; ob quam hic habens plantas pedis distortas irregularis censeri possit. Prima est, si absque baculo ad altare non possit ascendere. Secunda est, ne claudicatio magnam generet deformitatem, sed hæc corporis vitia in Ioanne non dantur: ergo non est irregularis. Maior, quoad primam partem constat ex textu *in cap. Nullus Episcopus, de cons. secr. dist. 1.* ibi: *Nullus Episcopus, presbyter, aut Diaconus, ad solemnia Missarum celebranda, præsumat cum baculo introire*, &c. Gloss. ibi. Secunda colligitur *ex cap. 2. de cleric. ægrotant.* ibi: *Quia nec securè propter debilitatem, nec sine scandalo, propter deformitatem membri, hoc fieri posse considimus*, & ex alijs, & DD Castr Palao *tom. 6. disp. 6. punct. 11 num. 3.* Gibal. *de irregular. cap. 3. q. 2. consect. 3.* Tolet. *l. 1. sum cap. 63. num. 5.* Leand. *tom. 5. tract 2. disp. 2. q. 2 & 51.* Dicastill. *tom de juram. & cens tract 10 disp. 7. de irregul dub. 8. num. 170* Soar. Sayr. Molin. & alijs pluribus, quos citant: sed Ioann. ex neutro, ex his capitibus est irregularis; non ex primo, quia ambulat, currit, ascendit scalas & montes absque baculo; nec ex secundo; quia illa levis deformitas, quæ apparere potest, non apparet, quia vestibus oblongis usque ad imos pedes tegitur. Et sic cessat illa deformitas; & ita cessante, præter citatos, tenent, non esse irregularem

Bonac.

Bonac. *tom.* 1. *disp.* 7. *q.* 2. *punct.* 2. *num.* 14. Filliuc *tract.* 19. *cap.* 6 *num.* 173. Baslæus *Verb. Irregularitas* 2. *num.* 6. Tamburin. *tom.* 2. *l.* 10. *cap.* 8. §. 1. *numer.* 15.

3 Secundò moveor, quia Ioannes bene notus à Vicario Generali in spiritualibus ex eo Sede Vacante, accepit litteras dimissorias, ut à quocumque Episcopo ordines Minores susciperet potuisset, & de facto, illos susceperit à quodam Episcopo. Unde sequitur, Ioannem irregularem non fuisse judicatum ab ipso Vicario Generali in spiritualibus, illum probè cognoscente, & facultatem habente ab ipso Capitulo, Sede Vacante, ad hoc judicium ferendum. Et communiter docent DD. ad Episcopum, & Ordinarium pertinere judicare de his corporis defectibus; an inducant, aut non inducant irregularitatem. Sic Soar. *tom.* 5. *in* 3. *part. disp.* 51. *sect.* 2 *num.* 18. Bonac. *cit. num.* 36. Avila 7. *part disp.* 3 *dub* 2. Castr. Palaus *proximè* Tamburin. *allatus cap* 7. §. 2, *num.* 2. Dicastill *num* 172 Dian. 3. *part tract.* 6. *resol.* 61. & 4. *part. tract.* 2 *resol.* 73. Leand. *adductus q.* 81 & plurimi quos citant, id colligentes *ex cap.* 2. *de corpor. vitiat.* qui textus bene ponderatur à Soar. & Castill. *locis cit.*

4 Ex his sequitur judicium latum à Vicario generali in spiritualibus de persona Ioannis fuisse quamdam sententiam jurisdictionalem, ut colligitur *ex text. in cap.* 1. *de corpor. vitiat.* & notarunt Henriq. *l.* 14. *cap.* 8. *numer.* 2. Sayr. *l.* 6. *cap.* 7. *in fine*, & *cap.* 8 *numer.* 11. Laym. *l.* 1 *sum. tract.* 5 *part* 5. *cap.* 7. *in fine*, quos refert, & sequitur Castr. Palaus *dict. num.* 3. *prope finem*: at à sententia lata, & re judicata non licet recedere, si injusta non apparet; non tamen in præsenti apparet, quia pro se communem DD. sensum, ut dictum est, tenet.

5 Nec obstat, dicere Vicarium Generalem in spiritualibus non declarasse Ioannem pro non irregulari, sed illi dimissorias litteras concessisse, ad suscipiendos Minores ordines ab Episcopo, ut ab illo declaretur, pro irregulari, aut pro non irregulari; concedunt DD. posse mitti ordinandum ad Episcopum, à quo ordines sunt suscipiendi, ut ab illo declaretur irregularis, aut non irregularis: sic Sayr Avila, Soar Henriq. Maiol. Ugolin. Filliuc. & Reginald, quos refert, & tuetur Bonac. *tom.* 1. *disp.* 7 *de irreg. q* 5. *punct.* 1. *num.* 9. Non, inquam, obstat; id dictum quia ipsi citati DD. dicunt, quando Episcopus aliquem irregularem ad ordines admittit, vel concedit dimissorias, cum eo censeri in irregularitate dispensare; vel concedere facultatem, ut ab Episcopo, ad quem mittitur, dispensetur; & cùm Episcopus ad quem Ioannes missus fuit, ut ordinaretur, illum ordinavit, eum non cognocens irregularem; ergo illius judicio standum est.

6 In præsenti tamen casu censeo, Vicarium Generalem in spiritualibus non judicasse Ioannem irregularem, & ideo illi dimissorias ad ordines Minores concessisse: si enim ita nō judicasset, difficile à peccato mortali esset immunis, quia mittere irregularem ad eum, qui in dicta irregularitate dispensare non poterat; nec etiam de illa cognoscere, peccatum mortale est, dimissoriæ autem erant absolutæ nullam dantes notitiam de tali corporis defectu, & Ioannes vestibus oblongis, facillimè suum defectum occultabat. Ne ergo dicamus Vicarium Generalem in spiritualibus peccasse mortaliter, concedendo dimissorias irregulari, & illum ad Episcopum mittendo, ut ordinaretur; potius dicendum mihi est, illum irregularem non judicasse. Sic colligo ex illis, quæ asserit Escobar *tom.* 6. *Theol. moral. l.* 53. *sect.* 2. *num.* 141 & 142.

7 Ex hac congruentissima ratione sequitur Ioannem, non censeri irregularem ad suscipiendos ordines Maiores, quia jam ad Minores irregularis non fuit habitus. Ratio est, quia si esset irregularis ad Maiores ordines, etiam talis esset ad Minores; & solus Pontifex cum illo tam ad Minores; quam Maiores ordines dispensare poterat: in hac enim irregularitate ex defectu corporis, inferior dispensare nequit. Sic communiter sentiunt DD. Navarr. *in sum. cap.* 17 *num.* 200 Soar. *dict. disp.* 51. *sect.* 2. *num.* 18 Sayr. *l.* 6. *cap.* 8. *in fine*, Avil. *part.* 7. *disp.* 3 *dub.* 3 Covarr. *in Clem. si furiosus*, 1, *part. initio num* 7. Castr. Palaus *dict. tom.* 6. *disput.* 6. *punct* 11. *in fine*, Bonacin. *dict. disp.* 7. *q.* 2 *punct.* 2 *num.* 36. Molin *tract.* 3. *disp.* 70. *num.* 19. Ugolin. *tract. de irreg. cap.* 52. §. 2. Filliuc. *tract.* 19. *cap.* 6. *num.* 180. Regin. *l.* 30. *num.* 45. & 59. Dicastill. *dicta disp* 7. *dubit.* 8. *num.* 216 Leand *tom.* 5. *tract* 2 *disp* 2. *q.* 82. Escob. *tom.* 6. *l.* 53. *sect.* 2. *dub.* 13. Tambur. *tom.* 2. *cap.* 8 § 3. *num.* 1.

8 Et hanc resolutionem adeo aliqui existimant veram, ut prohibitâ irregulari ordinis susceptione etiam illi prima tonsura prohibita censeatur: Ex eo quod ad ordines suscipiendos sit dispositio, & in statu clericorum constituat irregularem. Vide Escob. *cit. num.* 102. Castr. Palaum. *punct.* 5 *num.* 2 Ne ergo dicamus Vicarium Generalem in spiritualibus, sine potestate dispensare in dicta irregularitate, potius dicendum est, illum irregularem non judicasse, quia illum cognoverat, & illius defectus apud omnes erat publicus.

9 Nec obstat, quòd Episcopus, & Capitulum, Sede Vacante, potest dispensare cum irregulari ex defectu natalium; nempe, cum quocumque illegitimo, ut ordines Minores suscipiat, non tamen Maiores, ut omnes concedunt, apud Castr. Palaum *dicta disp.* 6 *punct.* 9. *num.* 7. Leand. *dict. tom.* 5. *tract.* 2. *disp.* 3 *q* 50. Escob *tom.* 6. *l.* 53. *sect.* 1. *num.* 75. & expressè de Capitulo Sede Vacante Castr. Palaus *num.* 11. ergo etiam authoritate Capituli, Vicarius Generalis in spiritualibus, potuit cum Ioanne dispensare in eo defectu ad suscipiendos Mino-

res ordines, licèt non possit cum eo dispensare, ut Maiores suscipiat. Non, inquam, obstat, quia respondeo, negando consequentiam. Diversa ratio est; quia Episcopus, & Capitulum Sede Vacante dispensant cum habentibus defectum natalium in irregularitate ad ordines Minores suscipiendos, quia id illis expresè conceditur *in cap. 1. de filijs presbyt.* ibi: *Is qui defectum patitur natalium, ex dispensatione Episcopi licitè potest [si ei aliud Canonicum non obstat] ad ordines promoveri minores &c.* At id Episcopo, ad habentes defectum corporis non conceditur. Et sicut irregularitas non contrahitur, nisi in jure expressa habeatur *cap Is, qui de sentent. excomm. in* 6. ita dispensatio Episcopo non conceditur expedienda, nisi in jure illi expresse concedatur: in jure autem Concil. Trid *sess.* 24. *cap.* 6. *de reform.* Solùm conceditur Episcopo, ut possit dispensare in ijs, quæ proveniunt ex delicto occulto, excepto homicidio voluntario. Vide Soar. *tom.* 5. *in* 3. *part. disp* 44 *sect.* 2 *num.* 4. Escobar *proxime nu.* 73.

10 Adverto, quamvis Ioannes dixisset, habuisse illum defectum corporis, absque propria culpa, ut constat ex dictis *num.* 1. non sequi, illum fuisse passum culpâ alienâ. Licet enim culpa alterius illum habuisset defectum, non ex eo, esset irregularis; quia jura hanc irregularitatem impotentiæ, de propia culpa, & non de aliena loquuntur, ut sentiunt Præpositt *in* 3. *part. q.* 5. *dub* 115. *num.* 117. Hurt. *de irreg. disp.* 14. *num.* 52. Acunâ *in decret.* 1 *part. per dist.* 33. *cap.* 2. *numer.* 6. Ægid. Coninch. *disp.* 18. *dub.* 14. *num.* 108. Henriq. *l.* 14. *cap* 8. *num.* 3. Tolet. *l.* 1. *cap.* 6 *in fine*, & hoc plures dicunt probabile ex contraria sententia, quos sequuntur Dian. 4. *p. tract.* 2. *resol.* 60. Leand. *cit. tract.* 2. *disp* 2. *q.* 59.

QUÆSTIO XXXV.

An dispensatio, habentis oculum sinistrum erutum, in supplica dicentis, se carere visu ejusdem oculi, sit valida?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Fuit valida, quia à Vicario generali in spiritualibus, ut valida fuit expedita.*
3 *Vitium corporis, quod non affert deformitatem, horrorem, aut impedimentum ad usum ordinis, non inducit irregularitatem.*
4 *In præsenti, & simili casu prius attenditur ad deformitatem, quam ad visus carentiam.*
5 *Glossa idem sentit de carente oculo, ac de carente visu.*
6 *Ex DD. idem ostenditur.*
7 *Dispensatio non fuit subreptitia.*
8 *Illâ indigebat Raymundus juxta aliquos DD.*
9 *Non est irregularis habens utrunque oculum integrum, & carens visu in dextro oculo.*

1 RAymundus ordinandus, à S. Pontifice dispensationem obtinuit; in cujus supplica dicebat, se in sinistro Canonis oculo, visus pati carentiam, cùm ipsum oculum beberet erutum; loco tamen illius, vitri oculo utebatur, adeo affabrè facto, ut circunstantibus, nullo carere oculo videretur, ut notavi illi sæpius alloquens; in visu verò aliquem ostendit defectum. Quæritur, An dispensatio fuisset valida, dicendo in suplica loco oculi eruti, se carentiam visus pati?

RESOLUTIO.

2 Respondeo validam fuisse eam dispensationem. Moveor primò, quia rescriptum à S. Pontifice obtentum, executioni datum fuit à Vicario Generali in spiritualibus, probè cognoscente Raymundum, & illius defectum cum esset ejusdem civitatis incola, in dubijs autem pro sententia judicis, & superioris standum est.

3 Secundò. Quia omnes conveniunt DD tunc vitium corporis irregularitatem inducere, quando affert publicam deformitatem, aut notabilem gignit horrorem, aut impedit decentem usum, & exercitium ordinis; ut regulam generalem, sic astruunt DD quos referunt, & sequuntur Leand. *tom.* 5. *de irregul. tract.* 2. *disp.* 2. *q.* 2. Pellizzar. *tom.* 2. *Man. Regul tract.* 7 *cap.* 5. *num.* 2. id colligentes *ex cap. ult de corp. vitiat.* Sed Raymundus nullam patitur deformitatem, defectum tegens per oculum vitreum, & illum movens æqualiter, ac sanum, nec alium notabilem horrorem, ex ipsa arte generatur, nec impedimentum habet ad unum, & exercitium ordinis; nam tali virtute videndi pollet in oculo dextro, ut Canonem sine deformitate possit legere; aut quia ipsum Canonem memoriâ tenet: ergo dicens in supplica se visu oculi sinistri carere, falsam non narravit, nam aliam deformitatem ex oculo eruto, non patiabatur.

4 Tertiò, quia in præsenti, & simili casu, potius attendendum est ad deformitatem dicti oculi, quam ad carentiam illius usus, ideo enim Gloss. *in cap* 2. *de verb. signif.* idem dicit de carente oculo, & de carente ejus visu apud Alexand. *in sum. cap.* 27. *num.* 199 *vers. Quarto dico*; ibi: *Licet Gloss. in cap.* 2. *de verb. signific. idem de carente oculo & de carente ejus visu, videatur censuisse, etiam si integer appareat secundum Alexand. in cap. Hinc etiam* 49 *dist. & Uvendel in* 4. *dist.* 15. *q.* 1. *col.* 18. *quod teneri potest de oculo sinistro, quem stylus Romanus oculum Canonis appellat, cum est necesse videre eo, ut Canonem Missæ sine in decore, & nimia faciei ad populum conversione legere posset: alias secus. Quod nuper consuluimus ei, qui visu dextri oculi tantùm valebat, ut sine tali conversione legere posset; magis enim deformitas, quam defectus visus videtur in hoc expensus, & ideo in cap. si Evangelia, disponens de*

de carentia oculi, quæ gravem inducit deformitatem. non est extendendum ad carentiam visus, quæ eam non facit, argum. Odia, de reg. jur. in 6. Sic Navarrus. Quem sequuntur Avil. Bonac. Dian. Pellizzar. Raym. apud Leandr. *supra q.* 9. ergo si per artem cessat deformitas oculi erecti, valida fuit dispensatio.

5 Hæc confirmantur, & magis stabiliuntur ab his, quæ dicuntur à Tamburin. *tom.* 2. *l.* 10. *tract.* 4. *de irreg. cap.* 8. §. 1. *num.* 2. ibi: *Si autem alicui unus oculus, vel unius oculi visus desit, sic distingue; Si desit dexter, & notabilis defectus seu deformitas non appareat, vel per artem sufficienter tegatur, irregularis non est: si desit sinister,* [*quem vulgus oculum Canonis appellat*] *adest per aliquos DD. irregularitas, sed nimis rigidè. Quare meritò per alios, si ex quocunque capite, legendo, vel recitando Canonem, non debeat sacerdos, se cum notabili deformitate convertere ad illum legendum* [*quam certè deformitatem facillimum erit evitare*] *irregularitatem ex hoc capite non pertimescat. Lege* Navarr. *in sum. cap.* 27 *num* 199 Soar. *de Cens. disp.* 51 *sect.* 2. *num.* 15. G. Hurt *de irregul. disp.* 2 *diff* 14. *num* 51. Ioann. *Præpos. in* 3. *part. q.* 5. *de irregul. dub.* 44. *num.* 113. *Lege etiam* Laym *l.* 1. *tract.* 5. *part* 5. *capitul.* 7. Hucusque Tamburin. Videri etiam possunt non pauci, apud Pellizzar. *dict. tract.* 7. *cap.* 5. *numer.* 58. Filliuc. *tract.* 19 *num.* 168. idem sentientes: sed in Raymundo ex carentia sinistri oculi nulla apparet deformitas, satis, sufficienterque tecta, & suppressa per oculum vitreum, eandem habentem æqualitem, & motum, ac ipsum dextrum, ut sæpius notavi cum per aliquos annos esset meus auditor; nec hunc defectum scirem, nisi ab eo essem edoctus. Deinde legit Canonem, ut jam dixi: ergo deformitas, (quæ magis attendenda est,] cùm non datur, validè dispensationem obtinuit.

6 Quartò moveor ex dictis præcedenti quæst. *num.* 2 *in fine.* ubi diximus cum Bonac. Filliuc. Bassæo, Tamburin. & alijs non censeri irregularem, habentem pedes distortos, quando eam deformitatem vestibus oblongis tegere potest; & sine alio impedimento ad altare ascendere: ergo etiam Raymundus, non erit irregularis censendus, ex deformitate oculi eruti orta, quia ea deformitas tegitur ex oculo vitreo, & aliqua versione, ad legendum Canonem & etiam tegitur ex visu perspicaci, quo pollet oculus dexter, & quia canonem memoriâ tenet.

7 Nec obstat, dicere, in his terminis Raymundum non indiguisse dispensatione; & tamen illam impetravit non narrando verum. Non, inquam, id obstat; quia responderi potest primò, quòd ad sedandam suam conscientiam, illa indigebat, narrando verum; nempe se carere visu oculi sinistri; nam plures DD sentiunt esse irregularem carentem visu, in oculo sinistro, licèt in illo nullam habeat deformitatem. Sic Henriq. *l.* 14 *cap.* 8. *num.* 2. Filliuc. *tract.* 19. *cap.* 6. *num.* 168 Soar. *tom.* 5. *in* 3. *part. disp.* 51. *sect.* 3. *num.* 16. & ex stylo Curiæ ea indigebat dispensatione, ut inquit Tolet. *l.* 1. *cap.* 63. *num.* 5. *Vers. Hi omnes*, quia existimant, deforme esse totum caput vertere ad legendum Canonem. Et sic dispensatio non fuit supervacanea. Respondeo secundò, se narrasse verum, quia deformitas, quæ ex oculo eruto oriri poterat, per artem cessaverat, & sic per sententiam eorum DD. ad ordines poterat promoveri.

8 Nec obstat secundò, dicere, illam dispensationem fuisse nullam, quia in text. *cap. si Evangelica, dist.* 55, expressè deciditur, habentem oculum erutum esse irregularem, ibi: *Nam illi, cui erutus est oculus, non possunt secundum Canones, sacerdotij jura concedi.* Et DD. ut certum id fatentur, Avil. Ægid Regin. Hurt. Machad. Villal. apud Leand. *dict. tom.* 5. *tract* 2. *disp.* 2. *q.* 2. Sed Raymundus habet oculum sinistrum erutum, quem defectum in supplica, non expressit: ergo dispensatio fuit nulla. Non, inquam, obstat, quia ex dictis constat ex eo defectu nullam pati deformitatem ob quam textus illam inducit irregularitatem. Nam si Raymundus erectum habuisset oculum dextrum, ut habebat sinistrum, & aliqua arte potuisset tegere hunc defectum, non esset irregularis, ut vidimus *supra* apud Tamburin. *num.* 5. *allatum* ergo si aliqua arte potuisset tegere deformitatem, ut potuit, quam habebat in oculo sinistro, irregularis non erit; quia oculo dextro absque indecentia Canonem legere potest.

9 Confirmatur, quia plures DD asserunt non esse irregularem habentem utrunque oculum integrum, quanvis careat visu dextri. Sic Avila 7. *part. disp* 3. *dub.* 1. Dian. 5. *part tract.* 6. *resol.* 22. Dicastill. *tom. de Iuram. & Cens. tract.* 10 *disp.* 7. *dubit* 8 *num.* 173, & omnes, apud Le. and. proximè *q.* 8. Navarr. *in sum. cap* 27. *numer.* 199. Henriq. *l.* 14 *cap* 8. *num.* 2 Filliuc. *tract.* 19. *cap.* 6 *q* 5 *num*, 168 Bonac *tom.* 1 *disp* 7, *de irreg. q.* 2 *punct.* 2. *num* 2 Castraus Palaus *tom* 6. *disp.* 6 *punct.* 12. *num* 3. Villal. *tract* 2. *diffic* 35. *num.* 14. Gebalin. *de irregul cap* 3. *q* 2. *consect.* 1. *Vers. Tertio.* Pellizzar. *tract.* 7. *cap* 5. *num.* 58 Molin. Ugolin Tolet Regin. apud Dian. *cit.* Ex hac ratione, quia non impeditur decens ordinis usus, nec datur notabilis horror, & deformitas: sed Raymundus cum illo oculo vitri decenter ordinis ministerium exercet, nullus datur horror, quia ejus defectus non apparet, nec cognoscitur, nec in legendo Canonem, datur deformitas: ergo quamvis careat visu oculi sinistri, non censebitur irregularis.

QUÆSTIO XXXVI.

An ille, cui deest index digitus, sit irregularis?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*

2 *Non*

2 *Non est irregularis, ut probatur ex jure.*
3 *Ratione ostenditur.*
4 *Ut fiat signum crucis in Missa, non videtur index necessarius.*
5 *Quæ deformitas ad irregularitatem requiratur.*
6 *Ille censetur irregularis, qui caret pollice, aut simul pollice, & indice.*
7 *Ad ordinarium pertinet judicare, an detur, vel non detur irregularitas.*

1 STephanus dum erat puer ex fortuito casu cujusdam lapidis, dextræ manus digitum indicem in totum amisit, medio tamen rectè scribit, & alia gerit, ac si index illi non deesset. Ad ordines promoveri desiderat. Quæritur: An sit irregularis; & si à S. Pontifice dispensationem obtinebit?

RESOLUTIO.

2 Respondeo, Alicui videbitur non esse irregularem ex text. *in cap. Qui partem dist. 55.* ibi: *Cui vero casu aliquo contigit* [nempe abscindere partem digiti (*dum aut operi rustico curam impendit, aut aliquid faciens, se non sponte percussit, hos, Canones præcipiunt, & clericos fieri, & si in clero fuerint reperti, non abjici.* Et ex *textu in cap. Later præsentium, cad. dist. 55.* in qua declaratur, non esse irregularem illum, cui à Normannis digitus sinistræ manus fuit abscisus, ibi: *Quoniam si ita est, quod a Normannis digitum ipsum habeat abscisum, ad promovendum* [*si alias dignus fuerit*] *nil ei nocebit.* Et rationem reddit. *Eo quod quid de his, qui a dominis, vel medicis, sive a paganis, non sponte tale patiuntur, sacri censeant Canones, dilectionem tuam latere, non credimus* Non declarat hic textus, an talis digitus sinister, sit index analius ipsius manus? Nec Glos. id declarat. Censendum tamen est, fuisse indicem tum, quia est principalis, & potentior totius manus, denominatio autem semper fit à digniori, & potentiori, ut ex legibus DD. ostendit. Barbos. *tract. de Axiom. 69. num. 1* tum quia expositus magis est abscisioni; ergo tum mihi probabilius videatur, textum fuisse loquutum de digito indice, & declarare in eo, S. Pontificem, non fuisse irregularem illum, cui Normanni eum digitum abscideruntnec erit Stephanus irregularis, cui lapis digitum indicem manus dextræ abscidit. Idem etiam colligi potest ex *text. in cap. ult. de corpore vitiat.* in quo non censetur irregularis Monachus, cui ex casu fortuito, barrea ferrea cadens, avulsit ungulam pollicis, si manus adhuc sit potens ad hostiam frangendam: sed Stephanus, deficiente indice, cum digito medio & pollice, potest hostiam frangere absque ulla debilitate, nam cum illis digitis scribit, & alia gerit, ac si defectum digiti indicis non pateretur.

3 Probatur ratione, quia non est irregularis ille, qui caret digito, absque sua culpa, sine quo potest elevare hostiam, illam frangere, & facere signum Crucis, ut docent Bonacin *tom. 1. disp. 7 de irregul. q. 2. punct. 2 numer.* 32. Lublin. *Verb. irregularitas num* 23. Tolet. *in sum. l. 1. cap. 63. num. 3. in fine.* Sed Stephanus absque digito indicis, potest hostiam elevare, frangere, & facere signum crucis: ergo non est irregularis. Minor ostenditur, quia pollice, & digito medio bene potest hostiam, & elevare & frangere, quia ut jam diximus; potest scribere, & alia agere; ac si haberet indicem digitum; nec in ijs actionibus gerendis, apparebit deformitas, aut scandalum. Nam quamvis aliqua apparere possit deformitas, erit tam modica, quæ equidem cum impedire non debeat; sicut inquit Glos. *in cap. ult. cit. Verb. deformitatem*, in considerationem venire non debere modicam deformitatem, quæ oriri possit ex avulsione ungulæ: ergo etiam in considerationem venire, non debet modica deformitas, quæ forsan oriri possit ex elevatione hostiæ ab Stephano, eam elevante, & frangente; in illo enim minor erit, quàm in eo, qui defectum ungulæ patitur; nam defectus ungulæ magis apparet; cùm in elevatione hostiæ, à nullo impeditur, ne à circunstantibus videatur: at defectus indicis, & illius modicæ radicis scissæ, pollice in totum tegitur.

4 Nec defectus indicis manus dextræ causare potest deformitatem, faciendo signum crucis; quia in Missa, non video, alium digitum præter pollicem, esse necessarium. Ut ostendo: nam in principio utriusque Evangelij pollice signatur liber, vel altare, si Evangelium sit S. Ioannis, in fine Missæ, ut constat ex ipsis Missalis rubricis. Et quando in ipsis Evangelijs signat se ipsum sacerdos in fronte, ore, & pectore non pollice simul & indice; sed tantum cum pollice; ut videre est apud Gavant. *part. 2. tit. 6. litt. O.* In alijs verò Missæ locis, principio, fine, & alijs, quando fit signū crucis, non fit aliquibus digitis, sed manu extensa. Quare non sunt aliqui digiti necessarij, ut in Missa fiat signum crucis, exceptis illis in quibus sacerdos tenens hostiæ particulam inter pollicem, & indicem signat ter super calicem, dicens: *Pax Domini, &c.* Et quando ipsā hostiā, ante communionem, se signat. In his tamen Stephanus loco indicis uti potest digito medio, in quo non datur immodica deformitas, ut jam vidimus. Et ulterius ostenditur: quia non est irregularis ille, qui medium digitum cum indice conjunctum habet sine divisione, ut tenet Henriq *l. 14 cap 8. numer. 1. cum aliquibus quos citat in Gloss litt m.* & Leand. *tom. 5. de irreg. tract. 2. disp. 2. q 46.*

5 Quæ autem deformitas impediat ad ordines promovendum? Glos. *in cap. 2. de cleric. ægrot. & debilit. Verb. Deformitatem*, respondet, illam impedire, quæ impedit ordinatum, ne celebret, & hoc melius potest ipso facto perpendi;

pendi; quam statuto aliquo exprimi. Hæc deformitatas rectè exprimitur in ipso *capit.2.* in quo deciditur, esse irregularem illum presbyterum, cui medietas palmæ cum duobus digitis à prædone fuit abscisa; quia inquit textus, *nec secure propter debelitatem, nec sine scandalo, propter deformitatem membri, hoc fieri posse confidimus*: At in nostro casu nulla datur debilitas in manu, nec scandalum, quia non dabitur deformitas in ordinis exercitio, ut patet ex dictis, & ipsa Gloss. asserente ibi: *Ex hoc verbo apparet, quæ deformitas ordinandum impediat.*

6 Nec obstat; quòd asserunt plures, nempe esse irregularem illum, qui caret digito pollicis, vel indicis, ut cum Zerol. Navarr. Villalob. Vgolin. Tolet. Lubin. Henriq & Gibalin. tradit Leand. *tom.5.tract.2 disp 2.quæst* 43. Non, inquam, obstat; quia ipsi DD. id astruunt ex hac ratione, quia habens defectũ pollicis, aut indicis debitè, & sine deformitate ordines exercere nequit: At ex dictis constat posse Stephanum debitè, & sine deformitate ordines exercere Quare melius dicendum est contra eos DD *cit.* illum dici irregularem, qui caret pollice, vel ita debili, ut hostiam frangere, vel elevare non valeat, ut inquiunt Henriq. *l.14.cap.8.num.1.* ibi: *Qui caret digitis dexteræ, quibus fit crucis signatio, aut pollice, quo tenere debet Eucharistiam dicitur irregularis*, & Castr. Palaus *tom.6 disp.6.punct.11 num.* 3. nullam de indice facientes mentionem. Irregularis etiam dicitur, qui caret simul indice, & pollice, ut ait Tamburin *tom.2 tract.4. de irregul.cap.8.§.1 num.15.* Si enim deficiat tantùm pollex, vel simul pollex & index datur irregularitas, quia & datur deformitas, & hostia nec frangi, nec elevari potest; hæc autem cessant si detur pollex, & digitus medius, ita loco indicis adstantis, ut in his actionibus non videatur indicis defectus.

7 Ex dictis, quid sentiam in præsenti casu; dico, & censeo ad me non pertinere de his judicium, sed ad Episcopum, & ordinarium judicare pertinere an dictus effectus inducat; an non inducat irregularitatem? Ut tenet Henriq *proximè cit.* & alij plures quos citavimus *quæst.34.num.3.* Etsi judicet, dictum defectum inducere irregularitatem, recurrat ad S. Pontificem, qui veritate narratâ, dispensabit.

QUÆSTIO XXXVII.

An comitans ex præcepto, & metu, Iudicem ad capiendum delinquentem, fiat irregularis, secutâ morte delinquentis?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Probabile est, non incurrisse irregularitatem.*
3 *Metus carceris à jure, & DD. dicitur gravis*
4 *Interficientes delinquentem, se armis defendentem, ne capiatur à judice, irregularitatem non incurrunt.*
5 *Probabilius videtur, Adrianum irregularitatem incurrisse.*
6 *Non excusatur ab irregularitate ob præceptum & metum judicis.*
7 *Testis, ob præceptum, & metum gravem ferens testimonium, secutâ morte, ab irregularitate non excusatur.*
8 *Non excusatur Adrianus ab irregularitate; dicens se non esse ex justitiæ ministris.*
9 *Satisfit fundamentis contrariæ sententiæ.*

1 ADrianus ob mandatum, & metum criminis à se commissi, judici præcipienti, ad eum comitandum, ut caperetur delinquens, qui si noluisset se tradere, erat occidendus obtemperavit Acomitantibus judicem, delinquens vinculis se tradere nolens, fuit occisus; ut à Rege in mandatis habebant. Quæritur, An Adrianus unus ex comitantibus judicem, irregularitatem incurrisset?

RESOLUTIO.

2 Respondeo, probabile mihi videre, irregularitatem non incurrisse. Quod ostendo hac duplici ratione. Prima est, quia probabile est, & probabilius à citandis, non esse irregularem testem in causa sanguinis, secutâ morte, quando præcepto, & ex metu gravi tulit testimonium; ut sustinent Ægid. Coninch. *de Sacram.disp.18 dub.10 num.96* Ioann Præpos *disp 5.de irreg.dub.13.num.105.* Bonac. *tom.1.disp.7.de irregul.q 4.punct.3.num.8* Dian. *4.part.tract.2.resol.31* & cum Mercero, Cornejo, præter citatos, Leand. *tom.5.tract.2.disp.7.q 69.* Hanc opinionem ex doctrina Soar. & aliorum tenet Gibalin. *cap.4 de irreg.q.3. à nu.1. & a num.73* Eandem amplectitur Castr. Palaus. *tom.6 disp 6 punct.14.§.3 num.4.* infine, & alij, ex hac ratione: quia testis in causa sanguinis, voluntariè se non injecit, sed coactè ad testimonium ferendum; ideoque dignus non est, ut hac afficiatur irregularitate. Et negandum non est, opinionem tot ac tales habentes DD. esse probabilem, quidquid alij *infra* citandi oppositum sentiant: ex illa ergo sic infero, si testis jussus, & coactus ad testimonium ferendum, secutâ morte, irregularitatem non incurrit; nec etiam illam incurrit Adrianus jussus à judice ad ipsum comitandum, ad capiendum delinquentem, [qui fuit occisus) ex metu carceris, quem ex crimine commisso timebat; quia ex præcepto, & coactè se injecit ad comitandum judicem.

3 Quòd verò metus carceris sit metus gravis, constat ex *l.Nec timorem, l.Qui in carcerem ff. de eo, quod metus causa.* Videatur Sanch. *l.4 de matr. disp. 5. num.9* Et quamvis nullus metus à judice Adriano fuit in præsenti incussus: Adrianus tamen timuit, si in præsenti

ipsi

ipsi judici non assentiretur, illum comitando, posse a judice ob spretum mandatum, seu invitationem; in carcerem detrudi, occasione assûptâ, ex delicto ab eo commisso, qui metus licèt intrinsecus, timetur, quòd infertur à causa libera, non ob crimen commissum, sed ob spretam invitationem; & sic eum reddet liberum, ab illa irregularitate, quia re verâ, ob malum grave de proximo eventurum judicem coactus fuit comitarij. Sic videntur sentire DD. *cit.* de teste, ex gravi metu testimonium ferente, non distinguentes, an hic metus proveniat ab intrinseco supponentes tamen, vel esse incussus à causa libera, vel probabiliter timendum, ab ea esse incutiendum.

4 Secunda ratio, quia mens istius judicis non erat, hunc delinquentem occidere, sed illum capere: habebat tamen in mandatis à Rege, si illum capere non potuisset; & armis ne caperetur, resisteret, quòd tunc illum occideret. Delinquens autem judici, & comitantibus restitit; & à comitantibus, aliter se defendere non volentibus, nec illum capere, illum occiderunt, & sic non incurrerunt irregularitatem ex defectu lenitatis; quia illum occiderunt, se defendentes ab iniquo aggressore, quia illum capere, & non interficere desiderabant Et in his circunstantijs nec Adrianus, nec alij ex comitatu judicis irregularitatem contraxerunt. Sic in his casibus tenent Maiol. Sayr. & Leandr *tom. 5. tract. 2 disp.* 10 *q.* 20. ubi loca Maioli, & Sayri refert.

5 Dixi *num* 2. hanc sententiam mihi videri probabilem, & juxta illam, Adrianum probabiliter irregularitatem non incurrisse. Opposita tamen pluribus probabilior videbitur. Probari potest, quia omnes comitantes reum ad mortem, vel judicem ad custodiam, fiunt irregulares, ut omnes fatentur, Bonacin. *tom. 1. disput. 8 de irregul. q. 4. punct. 1. num.* 8. Castr. Palaus *tom. 6. disput. 6. punct.* 14. §. 4. *numer.* 2. Tambur. *tom. 2. l.* 10. *tract. 4. cap.* 15. §. 10 *num.* 11 Sed Adrianus judicem comitatus fuit ad incarcerandum delinquentem, vel ad illum occidendum, casu, quo se ad vincula tradere noluisset, & se armis à vinculis defenderet; ergo secutâ morte, irregularis est factus.

6 Nec excusatur ab irregularitate ob præceptum judicis, & metum carceris: propter crimen à se commissum quia ut ipse fatetur, si noluisset judicem comitari, nihil ob eam inobedientiam timebat, quia judex eum obligare non intendebat; timebat tamen carcerem ob crimen commissum, in quem justè poterat ipse Iudex eum detrudere: at cum hic metus proveniisset ex delicto commisso, & ab intrinseco, illum excusare non poterat, sicut non excusat à contrahendo matrimonio illum, qui ad illud tenetur, & à voto adimplendo, ut videre est apud Sanch. *l. 4. de matr. disp.* 13. *numer.* 3 & alios DD.

7 Et etiam concessio, quòd præceptum judicis esset obligatorium, & metus esset cadens in constantem virum, & justum, ab irregularitate non esset liber. Ratio est, quia ab illa non est liber testis, qui ob eas causas fert testimonium in causa sanguinis: nam quamvis à peccato maneat immunis, non tamen, secutâ morte, ab irregularitate ex defectu lenitatis, ut cum Maiol. Tabien. Silvest Navarr Angel. Angles, Ugol. Henriq. Sayr. Avil. Villalob Filliuc. Aloysio Soar. quos citat Dian. *4. part. tract. 2 resol.* 31. & Leand. non tamen sequitur *tom. 5 tract 2. disp 7. q.* 69. sequitur tamen Hurt. *disp. 2. de irregul. diffic.* 11. *num.* 40. & Tambur. *supra allatus* §. 12. *num.* 15. Ex hac ratione, quia etiam ipse judex delinquentem occidens, fit irregularis, etiam si ad id obligatus, & coactus occidat: ergo etiam si testis ferat testimonium contra delinquentem, ex præcepto, & metu gravi coactus, morte secutâ, fit irregularis: ergo etiam fiet irregularis Adrianus judicem comitans, secutâ morte, licèt id faciat ex præcepto, & coactus.

8 Neque dicas, Adrianum non fuisse irregularem; nam licèt à judice fuisset invitatus, ad illum comitandum, ut delinquens caperetur, vel interficeretur; si capi se non permisisset; non erat tamen ex publicis Iustitiæ ministris, qui hanc contrahunt irregularitatem, ut cum Vasq. & alijs pluribus diximus *supra q.* 33. *num.* 22. & non ex privatim comitantibus, ut famuli ipsius Iudicis, quando comitantur delinquentem ad supplicium, & docente Navarr. Henriq. quos afferunt, & sequuntur Tambur. *tom. 2. l.* 10. *tract. 4. cap.* 15. §. 10. *numer.* 11. Leand *proximè q.* 91. Non, inquam hæc dicas; nam illi de quibus ij DD. agunt, non sunt ex ministris justitiæ, de quibus agunt jura, ut vidimus loco cit: at Adrianus judicem non fuit comitatus, quando reus ad supplicium ducebatnr, sed ut interficeretur, casu, quo se judici tradere noluisset: & sic contraxit irregularitatem ex defectu, interfecto delinquente à comitantibus judicem, ad eum interficiendum, in eo casu, quorum unus fuit Adrianus: sicut illam contrahit ex delicto, qui comitatur cuntes ad interficiendum aliquem, licèt hic comitans, non interficiat, ut cum communi sententia tradunt DD. apud Leand. *cit. disp.* 10. *q.* 62.

9 Quamvis hæc sententia videatur probabilior, negari nequit traditam *num.* 2. esse probabilem, ut constare potest ex ea duplici ratione, nec fundamenta contrariæ, solutione carent, nam ad illud judicis *num.* 7 adductum, respondetur, illum libere suscepisse officium, & censetur, se obligatum esse, ad infligendam sententiam sanguinis ex ea acceptatione: at Adrianus non voluntariè, sed coactè judicem comitatus fuit. Ad aliud ex *num.* 8. solutio patet ex secunda ratione.

QUÆS-

QUÆSTIO XXXVIII.

An qui ignoranter fœminam duxit corruptam & post matrimonij consummationem, etiam ignorans adulterium ab illa commissum eam cognovit, Bigamiæ interpretatione irregularitatem incurrerit?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Quando datur irregularitas Bigamiæ.*
3 *Improbabile non est, non incurrisse irregularitatem.*
4 *Ratione ostenditur.*
5 *Alio casu stabilitur.*
6 *Gibalinus eamdem approbat sententiam.*
7 *Aliqui DD hanc sententiam admittunt in casu necessitatis.*
8 *Aliqui DD. intelligunt text. in cap. Si cujus pro foro conscientiæ.*
9 *Quamvis sententia tradita sit probabilis opposita tamen est communis.*

1 HYacinthus fœminam duxit corruptam, existimans esse Virginem, & cum illa matrimonium consummavit. Eodem existente matrimonio, illa cum eodem corruptore, adulterium commisit. Hoc etiam ignorato, vitam cum ipsa degit maritalem. Hâc defunctâ uxore, ad ordines promoveri intendit. Per viam tamen occultissimam, & secretam, certò scit, suam uxorem ea dilicta commisisse ante; & post matrimonium. Quæritur, 1. An utramque incurrerit Bigamiæ interpretativæ irregularitatem? 2. A quo dispensari possit.

§. I.

An qui ignoranter fœminam duxit corruptam & stante matrimonio eam cognovit, post adulterium commissum, etiam illud ignorans sit irregularis?

2 Ut intelligatur qualis si hæc irregularitas; supponendum est triplicem dari Bigamiæ irregularitatem. Prima datur in eo, qui duo, vel plura validè successivè contraxit matrimonia; & dicitur propria, & vera Bigamia data utriusque consummatione. Secunda dicitur interpretativa; & datur in eo, qui matrimonium cum vidua contraxit, ac consummavit; vel cum corrupta ab alio; vel suam uxorem cognovit, post adulterium ab ea patratum. Tertia dicitur similitudinaria; & datur in eo, qui post emissum solemne castitatis votum, in aliqua Religione, matrimonium contraxit attentatum, cum quacunque etiam virgine, illudque consummavit. Hæc constant ex *toto tit. de Bigam. non ordin.* & plura ex *dist.* 34. Hoc supposito.

3 Ad quæstionem respondeo; non esse improbabile, Hyacinthum non incurrisse irregularitatem Bigamiæ interpretativæ, contrahentem matrimonium cum fœmina corrupta, existimantem eam esse virginem, & cum illa consummantem matrimonium. Nec etiam aliam incurrit, cognoscendo eamdem uxorem etiam ignoranter post commissum ab ea adulterium. Hanc sententiam quoad utranque Bigamiæ speciem, sustinent Gloss. *in cap. 2. de Rigam.* Rebufus *de pacific. possess. num.* 194. Gregor Lop. *l.* 35. *titul.* 1. *part.* 1. Anton. Cuchul *l.* 4. *instit. Maiorat. tit.* 12. *num.* 135. Palacios *in* 4. *dist.* 27. *disp.* 4. Sa *Verb. irregularitas, ex Bigamia* 3. *num.* 3. Petr. Ledesm. *in sum. q.* 66. *de matr. art* 3. Gibalin. *cap.* 3. *de irreg. quæst.* 4. *num.* 13, Et in particulari, quòd non sit irregularis, cognoscens propriam uxorem post adulterium ab ea commissum, si adulterium fuerit occultum, & probari non possit, defendunt Bernard. Dias *in practic. cap.* 16. *in fine.* Gibalin. *proximè numer.* 12. Hos DD. invenies citatos apud citandos pro oppositâ sententia. Hanc sententiam dicit probabilem Escobar *in Theol. moral. l.* 6, *l.* 53. *sect.* 2. *cap.* 17. *numer.* 152. probabilem dicens oppositam; & *numer.* 151. plures *ex cit.* adducit.

4 Probatur hæc resolutio ex ipso jure, in *cap. si cujus, dist.* 34. ibi: *si cujus uxorem adulterium commisisse, cum esset laicus, evidenter fuerit comprobatum; hic ad ministerium Ecclesiasticum admitti non potest.* At adulterium ab uxore Hyacinthi commissum probari non potest: ergo irregularis censendus non est. Et idem colligi potest ex eodem textu ad aliam Bigamiæ speciem. Ratione ostenditur, quia actus, ob quam irregularitas contrahitur, debet esse actus ab homine, quatenus rationalis est, ac proinde quatenus ratione utitur: cognoscens autem uxorem, ignorans esse adulteram, aut corruptam putans virginem duxisse, libere suam carnem non dividit in plures: ergo non datur fundamentum, ut hanc dicatur incurrisse irregularitatem.

5 Confirmatur dicta resolutio, aliâ opinione, quæ non videtur improbabilis, [ut inquit Præpositi. *in* 3. *part. quæst.* 5. *de irregul. numer.* 135. *Salvo tamen meliori judicio*] non esse irregularem virum cognoscentem suam uxorem, quæ vi, aut dolo fuit oppressa; quia Canones inducentes hanc irregularitatem; expressè loquuntur de viro expressè cognoscente propriam uxorem, post adulterium ab ea commissum, ut ibi explicant DD Sed illa, quæ vim passa fuit, non commisit adulterium. Et hanc sententiam dicit non improbabilem ex eadem ratione Pellizzarius *tom.* 2. *tract.* 7. *cap.* 5. *numer.* 86. cum Filliuc. Et illam putat probabilem Leandr. *tom.* 5. *tract.* 2. *disput.* 6. *quæst.* 20. dum inquit oppositam probabiliorem. Si ergo

juxta hos DD. hic non incurrit irregularitatem vir, quia ibi adulterium non fuit, nec etiam illam incurrit Hyacinthus, quia existimavit illam ducens uxorem, esse virginem, vel ab eo ductam, i lam cognoscens, non esse adulteram: nam non entis, & non apparentis idem est judicium, & paria sunt, esse, & non apparere, ut ex leg. & DD. tradit Barbos. *tract. de axiom. jur. axioma* 162. *numer.* 2. & ex Rota, *decis.* 167. *numer.* 35. apud Farinac. 1. *part. recent.* quæ est pro utroque foro, ut postulat casus, de quo agitur.

6 A Gibalin. *dict. cap*, 3. *de irregul. quæst.* 4. *consect.* 5. *numer.* 29. apud Leanor. citandum, probatur; quia hæc irregularitas non incurritur, nisi ex delicto, aut infamia, sed nullum ex his datur: non datur delictum; & constat: nam contrahens matrimonium cum illa, quam ignoranter existimabat virginem, & non erat; vel illam post matrimonium, & adulterium cognoscens, existimans, ab illa nullum fuisse adulterium commissum, nullum committit delictum; nec etiam datur infamia; quia cùm hæc sint occulta, & in foro externo probari nequeant, cessat infamia: cùm ergo hæc dentur juxta sententiam hujus Authoris in præsenti casu Hyacinthus irregularitatem non incurrit.

7 P. Gobat in *sua Experim. Theol. tract.* 8. *numer.* 650 *in fine*, inquit, hanc singularem doctrinam Gibalini, [quem solùm refert) posse saltem in casu necessitatis esse usui. Idem tenet Præpositi. *in* 3. *part. q.* 5. *de irregularitat. numer.* 133. Idem videtur sentire Lessius *in* 3. *part. cap.* 8. *de irregul. dub.* 2. *numer.* 58 Probant *ex cap. si cujus dist.* 34. (quem jam supra adduximus) & ex illius verbis: *Evidenter fuerit comprobatum.* Et cùm adulterium fuerit occultum, evidenter probatũ fieri non potest.

8 Alij dantur DD. asserentes, sensum illius *cap. si cujus* esse, cognoscentem propriam uxorem, post adulterium ab ea commissum, in foro conscientiæ manere irregularem. Sic Sanch. *l.* 7. *de matr. disp* 84. *num.* 15. *prope finem* Navarr *in sum. cap.* 16. *num.* 27. & Cornejo *in* 3 *part. de Irregul tract.* 5. *disp.* 10. *dub.* 1 *q.* 4. quos refert Dian *part.* 10. *tract.* 11 *resol.* 25. Addunt que, non posse dictum cognoscentem propriam uxorem post adulterium ab ea commissum, ab ordinibus suscipiendis repelli, nisi adulterium in foro externo probetur. Quod verum existimo, juxta communem, & oppositam sententiam: at juxta à nobis traditam, ipse textus *in cap. Si cujus*, videtur posse habere sensum ab Authoribus *num.* 7. datum; nam illius verba sunt absoluta.

9 Quamvis juxta sententiam hucusque allatam, probabile sit Hyacintum irregularitatem non incurrisse; juxta communem illam incurrit. Ratio est, quia hæc irregularitas [sicut aliæ ex Bigamia ortæ] non imponitur in pœnam alicujus delicti, nec ob aliquam infamiam, sed ex defectu sacramenti, & significationis, quæ significatio dari non potest in marito adulteræ, nec ab alio corruptæ: quæ sicut in plures suam carnem divisit, sic etiam censetur, ipsum maritum in plures divisisse. Sic Sanch. *cit. dict. l.* 7 *disp.* 84. *numer.* 15. plures latè adducens. Soar. *tom.* 5. *in* 3 *part. disp.* 45 *sect* 3. *num.* 15. Garcia *de Benef. part.* 7. *cap.* 6 *num.* 16 Barbos *de potest. Episc. alleg.* 49. *num.* 9. Avil. *part.* 7. *disp.* 8. *dub.* 1. Escob. *in Theol. moral. tom.* 6. *l.* 53. *sect.* 2. *numer.* 151. & 152. Castr. Palaus *tom.* 6. *disp.* 6. *punct.* 8. *numer.* 6. Dicastill. *tom. de Iuram. & Cens. tract.* 10. *disp.* 7. *dubit.* 12. *num.* 301. & 303. Dian. *part.* 10. *tract.* 11 *resol* 25. & alij, quos citant. Et quoad ignorantem adulterium pluribus relatis Sanch. *cit.* Dian. *part.* 4. *tract.* 2. *resol.* 41. & *part.* 7. *tract.* 12. *resol.* 20. Leand. *tom.* 5. *de Irrigul. tract.* 2. *disp.* 6. *q.* 19. Pellizzar. *tom.* 2. *Man. tract.* 7. *capit.* 5. *num.* 86. & alij.

§. II.

A quo Hyacintus dispensari possit?

SUMMARIUM.

10 *Potest à S. Pontifice.*
11 *Probabile est, posse ab Episcopo dispensari.*
12 *Communis sententia tenet, non posse Episcopum dispensare.*
13 *Iuxta Trident. aliqui absolutè docent, posse Episcopum dispensare*
14 *Alij docent posse, sive delictum sit proprium, sive alienum.*
15 *Alij negant.*
16 *In hac dispensationis impetratione, utriusque irregularitatis facienda est mentio.*
17 *Non potest dispensare Commissarius Bullæ Lusitanæ.*
18 *An possit Commissarius Bullæ Hispanæ? Remissivè.*

10 Respondeo, certum esse, posse Sum. Pontificem in quacunque irregularitate dispensare. Ratio est, quia omnes Bigamiæ irregularitates, jure humano, seu Ecclesiastico, sunt introductæ. Quamvis minus bene unus, & alter id negassent de Bigamia propria, seu vera. Vide Tamburin. *tom.* 2. *tract* 4. *cap.* 16. §. 3. *num.* 1. Leand. *tom.* 5. *tract.* 2. *disp.* 6. *q.* 29. Et secundum omnes, in irregularitatibus de quibus agimus, & facile, quia fuerunt ignoranter contractæ Sic omnes communiter apud Leand. *proximè q.* 19.

11 Probabile est, posse Episcopum dispensare, vigore Concil. Trident. *sess* 24. *cap.* 6. *de reform.* si delictum ex Bigamia ortum, sit proprium, occultum, aut alienum, v. g. si vir corruptam duxerit, aut uxorem adulteram cognoverit. Ratio est. quia Trid. non distinguit, an ex de-

ex delicto proprio, vel alieno oriatur. Sic Henriq. *l.* 12. *de matr. cap.* 6. *in fine* Barbos. *de potest. Episcop part.*2. *alleg.*49. *numer.* 25 Sayr. *l.* 6. *cap.*7 *num.*9. Castr Palaus *tom* 6. *disp.*6. *punct.* 8. *numer.*16. ergo juxta hanc sententiam Hyacintus recurrere ad Episcopum potest; ut dispensationem dictarum irregularitatum obtineat, licèt ea non indigere sic dictum *supra* juxta opinionem probabilem tantùm.

12 Nec obstat, communem sententiam docere, non posse Episcopum dispensare in irregularitate proveniente ex Bigamia propria, aut interpretativa: ut pluribus relatis sustinent Castr. Palaus *tom.*6 *disp* 6 *punct.*8. *numer.* 15. Leand. *tom.*5 *tract.*2. *disp.*6. *quæst.*34. Tamburin. *tom.*2. *l.*10. *tract.*4. *cap.*16. §. 3. *numer*, 2. Dian. infra citandus, & expressè constat ex *textu in cap super eo, de Bigam.* & alijs. Non, inquam, obstat; quia illa sententia intelligitur, de irregularitate, quæ oritur de Bigamia propria, & interpretativa; quæ non oritur ex delicto occulto proprio, sive alieno, nam hæc juxta Trident. *cit.* ab Episcopo dispensari potest; ut diximus *num. præcedenti*, & de hac noster casus procedit

13 Imo juxta *Trident. cit. dict. sess.*24. *capit.* 6. *de reform.* docent plures, posse Episcopum dispensare, in omni irregularitate Bigamiæ, ex delicto occulto proveniente, abique aliqua distinctione; ex ea ratione quia ita conceditur in Trident. *loco cit.* excipiente tantùm homicidium voluntarium, & delicta ad forum contentiosum deducta. Sic Tamburin. *proxime numer.* 5. & ante illum Turrecrem. *in cap. Lector dist.* 34. Paludan. *dist.*27. *quæst.*4 *articul* 5. *numer* 35 Armill. *in sum. Verb Bigamicen. num.*9. Tabien. *q. ult.*

14 Eandem sententiam sequuntur, ut probabilem, sive delictum, ex quo oritur ea irregularitas, sit proprium, sive alienum, Præpositus *in* 3 *part. quæst.* 5. *de irregul. dub.* 7. *numer.* 138. Barthol. de Becchis *in praxi novit disp.*9. *dub.*13. *numer.*3. Tamburin. *de Iure Abbat. tom.* 2. *disp* 17. *quæst* 3. *numer.*3. Caspens *tom* 2 *tract* 25. *de Cens. disp.*5. *sect.* 14. *numer* 99. Ioann. Machad. *tom.*1. *de perfect. confess. l.*3. *part.*3. *tract.*17. *docum.*4. *numer.*2, Torrecill *in exam. Iurisd Episcop. tract.* 1. *sect* 4. *a numer.* 41. Hanc opinionem dixit probabilem, oppositam tamen tenendam, Dian. 4. *part. tract.*2. *resol.*61. & 7 *part. tract.* 2. *resol.* 35. ie remitens ad dicta *in ea* 4 *part.*

15 Hanc tamen sententiam, [quæ est probabilis] ita absolutè prolatam, non esse sustinendam, asserunt cum pluribus Sayr. *l.*6. *Thes. cap.*7. *num.*5. Sanch. *l.*7 *de matr. disp.*86 *nu.* 12 Castr. Palaus, *cit. tom.*6. *disp.*6 *punct.*8. *num.* 16. ex ea ratione, quia nullum in jure habet fundamentum. Ex his sententijs, quas modo non examinamus, constat, esse opinionem probabilem; & ex *adducta num.*11. posse Episcopum dispensare cum Hyacintho in irregularitatibus, quas juxta communem sententiam *num.*9. *allatam*, incurrit, nam juxta aliam probabilem *a nu* 3. dispensatione non indiget.

16 Adverto tamen in impetratione dispensationis hujus irregularitatis Bigamiæ interpretativæ, debere Hyacinthum facere mentionem utriusque irregularitatis; scilicet, quòd duxerit corruptam ignoranter, & quòd post adulterium ab illa commissum, eam ignoranter cognovisset. Nam hæ irregularitates sunt duæ diversæ speciei. Et licèt dentur aliqui Authores affirmantes: sufficere dicere, se habere irregularitatem Bigamiæ, id tutum non est; ut defendunt Tambur. *cit. cap*, 23 §. 4 *nu.*6 & cum Sanch. & Castr. Palao, Leand. *dict. tom:* 5. *tract.*2 *disput.*6. *quæst.* 42. & 43. Vide Dian. *part.*11. *tract* 6. *resol.*44.

17 Adverto etiam ne Hyacinthus pro dispensatione harum irregularitatum Bigamiæ, recurrat ad Commissarium generalem Bullæ Cruciatæ Lusitaniæ concessæ; quia non habet facultatem dispensandi in his Bigamiæ irregularitatibus, ut dixi *in Exposit. Bullæ Cruciatæ disp.* 23. *a numer.* 360. An verò illam habeat Commissarius Bullæ Cruciatæ Hispanus? Communiter negant DD. aliqui tamen cum aliqua moderatione affirmant. Consule Dian. 1. *part, tract.* 11. *resol.* 115. Leand *dict. tom.* 5. *tract* 2. *disp.*6 *q.*40. nam hujus resolutio ad præsentem casum non conducit.

QUÆSTIO XXXIX.

An incurratur irregularitas homicidij casualis ab eo, qui in prima, & secunda instantia, fuit ab omni pœna absolutus; & quis in ea irregularitate dispensare possit?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *In utroque foro irregularitatem non incurrit.*
3 *Ab Episcopo dispensari potest.*
4 *Etiam si per media illicita in judicio absolutionem obtinuisset.*
5 *Et etiam, si finito judicio fuisset punitus, & pars satisfacta.*
6 *Theologus, in opinione hominum, doctus non recte consilium dedit commissario Bullæ Cruciatæ Lusitani.*
7 *Invalidè dispensavit Commissarius sine culpa; & Episcopus primo repugnans, postea libenter dispensavit.*

1 FRanciscus contumelijs; & quibusdam impulsionibus, à quodam homine affectus ad suam domũ cucurrit; & arrepto dimidiato gladio illum in capite percussit, intendens tantũ in brachio percutere; & nullo modo illum occidere. Percussus ad curationem, non chirurgum, sed barbitonsorem

adhibuit; & tandem mortuus est. Deductâ causâ ad forum contentiosum ab omni pœna, & satisfactione in prima, & secunda instantia absolutus fuit Franciscus. Ex his fundamentis, quia mors evenit, non ex vulnere, sed ex barbitonsoris inscitia; ut testimonio cujusdam patuit chirurgi; & quia vulnus in propriam defensionem fuit illatum. Quæritur 1. An irregularitatem incurrerit? 2. An ab Episcopo dispensari possit?

RESOLUTIO.

2 Ea lata sententia in secunda instantia, & illius desertio appellationis, quæ fecit sententiam transire in rem judicatam, ex Gomes *super regul. de trium. possess. q.* 54. *Vers. Non obstat*, Lancellot. *de attent. 2. part. cap.* 4. *numer.* 337. & 338. Fragos. 1. *part. Regim. Reip. Christ. disp* 24. §. 11. *num.* 190 & 191. Et sic constat Franciscum in foro externo, non incurrisse irregularitatem. Nec etiam in foro interno, illam incurrit; quia illius intentio fuit, non illum occidere; nec mors ex vulnere sequuta fuit: sed quia defunctus in curatione, non chirurgum; sed barbitonsorem adhibuit; ut ex testimonio periti chirurgi in actis, & coram judice habito, constitit. De his *vide supra q.* 29 per totam, ubi invenies, datâ simili curatione non incurri irregularitatem.

3 At Franciscus scrupulis angitur circa irregularitatem, & ad suæ quietem conscientiæ, super ea dispensari desiderat, & inquirit an à sua dispensari possit Episcopo? Respondeo, posse quia ex *facti specie numer.* 1. Si ea detur irregularitas, ex homicidio casuali [ut non pauci existimarunt Authores, quos *citat. quæst.* 29. *aduximus*] est occulta. Ratio est, quia in judicio, probatum non fuit, eam dari, & quamvis illud homicidium ad forum contentiosum deductum fuisset; non fuit cum effectu; quia in eo probatum non fuit, eam dari irregularitatem; nam Franciscus ibi ab omni pœna, & satisfactione fuit absolutus Et ita tradunt Barbos. *de potest. Episcop. alleg.* 39. *numer.* 32 *citat.* Vivald. Sa, Rodrig. Veiga. Graffis, Soar. Sayr. Avila Henriq Campanil. Mare Anton. Alter Molen Sanch. Fagund. Bonac. quos citat etiam Leand. *tom.* 4. *tract.* 2. *disp.* 17. *a q.* 55 *& tom.* 5. *tract* 2 *disp.* 27. *q* 9. & alios.

4 Et hæc doctrina est adeo vera; ut plures Authores teneant, posse Episcopum, in dicta irregularitate dispensare, etiamsi aliquis, nempe reus, per media illicita absolutionem obtinuisset. Ita Soar. Sanch. Henriq. Sayr Fr. Segismund. à Bononia, Campanile, quos refert & sequitur Barbos. *cit num.* 33.

5 Addo, non solùm in dicta irregularitate posse Episcopum dispensare, quando reus in judicio fuit absolutus, & mansit impunitus; sed etiam quando reus fuit punitus: & pars est satisfacta; ut cum pluribus asserit *supra q.* 25. contra alios ibi allatos; reale locum.

6 Cæterum cum Ordinarius hos non vidisset DD. dispensare noluit cum dict. Francisco. Quare ad Commissarium Bullæ Cruciatæ Lusitanum, pro dispensatione recurrit, consilio cujusdam docti Theologi asserentis, cum pluribus DD. Commissarium Cruciatæ facultatem habere, ad dispensandum in ea irregularitate. Doctores à Theologo adducti pro ea Commissarij potestate, videri possunt apud Dian. 1. *part tract.* 11. *resol.* 111. & 112. & Leand *tom.* 5. *tract* 2. *disp.* 27. *q.* 34. *Vers. quinto.* Cõmissarius autem tot videns DD. citatos pro Commissario Cruciatæ, dispensare non renuit.

7 Invalida tamen fuit dispensatio à commissario Lusitano obtenta, quia in Bulla Lusitaniæ Regnis concessa, ea illi non conceditur potestas, ut in Exposit. Bull. *disp* 23. *a num.* 36 ostendi; & DD. ab eo Theologo adducti non de Commissario Lusitano, sed de Hispano loquuntur, ut jam notavit Themud. *tom.* 2. *dec.* 219 *num.* 7. in Statu Brasilienssi commissarius Cruciatæ. Hæc omnia videns Ordinarius Franciscí, suam, quam ante tenuerat, mutavit sententiam, facillimè dispensando cũ Frãcisco.

QUÆSTIO XXXX.

An projiciens lapidem ad terrendum pullum gallinaceum, & invitus occidens sacerdotem, casu transeuntem, excommunicationem, sacrilegiũ, & irregularitatẽ incurrerit?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Excommunicationem non incurrit.*
3 *Nec etiam in casu, quo intendisset percutere clericum Petrum, & inculpabiliter alium percutiat.*
4 *Ad incurrendam excommunicationem in cap. Si quis, latam, dolus requiritur.*
5 *Nec etiam sacrilegium commisit.*

1 IAnuarius lapidem mittens ad terrendum quemdam pullum gallinaceum ut fugeret à quadam fœmina, illum sequente, sacerdotem casu transeuntem, invitus [erant enim amici) occidit. Quæritur 1. An incurrerit excommunicationem, & sacrilegium commiserit. 2. An incurrerit irregularitatem & à quo dispensationem obtinere debeat?

§. I.

An Ianuarius excommunicationem incurrerit & sacrilegium in occisione sacerdotis casuali invitus?

2 Quoad excõmunicationem, respõdeo, illam non

non incurriſſe. Ratio eſt, quia excommunicatio *can. ſi quis ſuadente diabolo, 17. q. 4.* (de qua ſubdubitare poterat] non incurritur cum ignorantia facti, *cap. Si verò 2. de Sentent. excommunic.* ubi percutiens clericum, ignorans eſſe clericum, excommunicatione non innodatur; ut notant communiter DD. apud Sanch. *de matr. l. 9 diſp. 32 num. 27.*

3 Et in caſu ſtrictiori, idem aſſerit *num.* 41. ibi: *Quoniam projiciens lapidem, quo Titium clericum cadat, ſi caſu, & inculpabiliter percutiat alium clericum, illac tunc tranſeuntem, nec excommunicationem, nec irregularitatem, morte inde ſecuta, incurret.* E ante illum Henriq. *l. 13 cap. 23. num. 1.* & *in Gloſſ. lit. N.* addit *Quòd licet hæc ſententia non habeat aſſertorem, poſſunt tamen pro illa citari Angel. Florian. Carrer. Cepol. Ripa, & alij*, quos citat *litt. Q.* At poſt illum, plures ſubiicribunt, Fragoſ *de Regim. Reip. Chriſt. part. 2 l. 1 diſp. 2. § 1. num. 36 Verſ. Pars tamen negans*, Caſtr. Palaus *tom. 6. diſp. 33. punct. 23 §. 3. num.* 4. Dian. *part. 9 tract 4 reſolut* 31. Pelizzar. *in Man. Regul. tract. 8. cap. 6 num* 182. & alij; quidquid contra, cum pluribus teneat Leand. *part. 5 tract. 1. diſp. 9. q.* 11.

4 Imo, quamvis in alijs excommunicationibus, non excuſet ignorantia craſſa, & ſupina *cap. 2. de Conſtit. in 6.* ibi: *Ni craſſa fuerit, aut ſupina*, in hac tamen *manus violenta*, aſſerunt plures etiam excuſare: nam illa particula *Suadente diabolo* aliquid oportet operari: operatur autem dolum. Sic Abbas *in cap. 2 num. 6 de Conſtit.* Alexand. *de Novo ibidem num.* 49. Silveſt. *Verb. Ignorantia num. 4. & Verb. Excommunicatio 6. num. 6.* Rodrig *tom. 1. ſum. 2. edit. cap. 8. concluſ.* 11 *num.* 11. *ſine* Garcias *in ſumm. moral. tract. 1. diff. 3. dubio 1. punct. 4. numer.* 32. & alij apud Sanch. *citat. dict. numer* 41. & Dian. *proximè reſolut.* 42. *Verſ. Sed confirmantur.*

5 Quod attinet ad ſacrilegium, idem ſentio. Ratio eſt, quia hoc non committitur abſque irreverentia, erga Religionem, aut ſacerdotium *l. ſi ignorans 52. ff. locati*, ibi: *Non enim contemnit diſciplinam, qui ignoravit militem*, & *l. Eum, qui*, 18. *§. ſi injuriæ, verſic. At cum aliquis ff. de injurijs*: at Ianuarius penitus ignoravit, in ea occaſione per eam viam ſacerdotem amicum, quem venerabatur tranſire.

§. II.

An Ianuarius irregularitatem incurrerit: quæ diſpenſatione indigeat, & à quo?

SUMMARIUM.

6 *Non incurrit in foro interno irregularitatem ex delicto ortam.*

7 *Nec etiam irregularitatem ex defectu lenitatis, ſeu manſuetudinis.*

8 *Ianuarius lapidem mittens in pullum gallinaceum, non dabat operam rei illicitæ.*

9 *Videtur irregularitatem in foro externo incurriſſe.*

10 *Projicere in platea lapidem magnum, homicidij eſt periculoſum.*

11 *Indiget diſpenſatione pro foro externo, quæ ab Epiſcopo obtinere poteſt.*

6 Quod attinet ad primum, mihi videtur certum, in foro interno non incurriſſe irregularitatem ex delicto Ratio eſt, quia irregularitas ex delicto, ut incurratur, requiritur culpa mortalis; venialis enim non ſufficit, ut tradunt communiter DD. apud Farinacium *in fragm. crimin. part. 2. numer.* 536. quos etiam late citant, & ſequuntur Avila *de Cenſ. part. 7. diſput. 6 ſect. 1. dubit. 1. concluſ.* 3. Soar. *ibidem diſp.* 45. *ſect. 5. numer.* 7. Fagund. *in 5. decal. præcept. cap. 3. numer.* 15 *in fine*, Leand. *tom 5. tract. 1. diſp. 1. quæſt.* 7. Moya *tom. 1. in qq. ſelect. tract 5. quæſt. 5. numer. 5.* At in præſenti caſu inadvertentia, & inconſideratio cum liberat à peccato mortali ex communi, & generali doctrina apud Azor *tom. 1. inſtit. moral. l. 1 cap* 16. *quæſt. 3.* Soar. *tom. 5 in 3 part. diſp* 4. *ſect. 8 numer 5* Sanch. *l. 1. decal capit.* 16. *num. 8. & 9. qui numer.* 8. cum Soar etiam *numer.* 8. inquiunt, non differre ignorantiam ab inadvertencia, ſeu oblivione actuali, quoad excuſandum à culpa. Nam culpa, ſeu peccatum mortale non datur, ubi non eſt libertas; & ubi non eſt advertentia, deeſt libertas, *l. Si per errorem ff. de jariſd. omn. Iudic.*

7 Et quamvis irregularitas ex defectu lenitatis, ſeu manſuetudinis ſine peccato mortali incurratur *cap. 1 diſt. 51.* hæc non incurritur, niſi à miniſtris Iuſtitiæ, vel ab illis, qui ut tales ad mortem concurrunt, ut cum pluribus DD. dixi *ſupra q.* 33. *a num* 22. quidquid in oppoſitum aliqui tenuiſſent: Ianuarius autem ſacerdotem, ut miniſter juſtitiæ, non occidit; ut conſtat *ex num.* 1.

8 Nec obſtat, quod irregularitas, quæ oritur ex homicidio caſuali, contrahitur à dante operam rei illicitæ, *cap. Dilectus cap. Ea litteris*, & *cap. Lator, de homic.* at in præſenti caſu ſequutum fuit homicidium, ex eo, quòd Ianuarius ſaxum projecit in pullum gallinaceum quando fœmina illum inſequebatur. Non, inquam hoc obſtat, quia reſpondetur, projicere ſaxum ad terrendum pullum gallinaceum, non erat projectio, ad percutiendam fœminam; & cum ad hoc non eſſet, non erat illicita. Etiam *ſupra* dictum eſt, irregularitatem ex delicto nō incurri, niſi interveniente peccato mortali. Vide quæ *diximus q. 26. num. 6*

9 Quoad forum externum maius dubium eſt. Et oſtenditur, quia in his homicidijs caſualibus, ſemper jus præſumit, occidentem defeciſſe in advertentia, & diligentia debita; ut

exprimitur *in cap. Clerico projiciente lapidem dist* 50 ubi dispensatur cum eo, qui lapidem projiciens, absque advertentia, occidit infantem. *Et cap. fin. de homicid. in* 6. ubi mors casualis imputatur, eam non volenti, ibi: *Ex hoc evenire posse, debuerit cogitare.* Et *in cap. De cætero* 11. *& cap. Continebatur* 8 *de homic.*

10 Nec obstat text. *In cap. fin. de homic.* ubi dicitur, non incurrisse irregularitatem illum, qui non prævidit casum fortuitum, ibi: *Vel quia omnes casus fortuitos* [*qui prævideri non possunt*] *forsitan non prævidit.* Non, inquam obstat, quia huic textui respondetur, illum loquutum fuisse de illis casibus, qui homicidis non sunt periculosi. At projicere in platea unũ lapidem adeo magnum, quin prævideatur, an aliquis transeat, de se periculosum est, & homicidio subjectum *l. Qui occiderit, §. in hac ff. ad l. Aquiliam.* Vide Leand. *tom. 5. de irregul. tract. 2. disp. 16. q. 28.* ubi citatis DD. in simili casu, asserit lapidem projicientem non incurrisse irregularitatem, secutâ morte hominis fortuito transeuntis. At non distinguit, si in utroque foro, aut solùm in foro externo; videtur tamen utrunque forum comprehendere.

11 Ex dictis sequitur resolutio secundæ partis tituli propositi; nempe, quòd Ianuarius in foro externo dispensatione indiget, quia in eo, innocentiam suam probare nequit. Hæc autem dispensatio, cùm sit homicidij casualis ad Episcopum pertinet, ut constat ex Concil. Trident. *sess. 14 cap. 6 de reform.* apud Barbos. *ad cit. loc. Trid. in collect. a num.* 11. Et Sede vacante ad Capitulum; succedit enim in ijs, quæ sunt jurisdictionis, *cap. cùm olim, de maiorit. & obed.* & *cap. unic. cod. tit. in* 6. ut notant communiter DD. apud Barbos. *cit. num.* 16. & citandis *q sequenti num.* 6 & seqq.

QUÆSTIO XXXXI.

An irregularitas dantis consilium, ad homicidium casuale dispensari possit, post latam sententiam, contra ipsum homicidam?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Episcopus dispensare potest.*
3 *Occultum in Tridentino sumitur, non solùm, prout opponitur noto, sed prout opponitur notorio, notorietate juris, aut notorietate facti.*
4 *Homicidium hoc loco non sumitur materialiter, sed formaliter, prout est commissum ab hoc homicida.*
5 *Res, quæ in judicio probata non est, non censetur deducta ad forum contentiosum.*

1 EUstachius in sua penitus cognoscit conscientia, se irregularitatem homicidij casualis incurrisse; quia ad patrandum homicidium, consilium dedit. Deductâ causâ ad forum contentiosum, lata fuit sententia, adversus homicidam; ille autem nempe Eustachius ex sententia judicum in sui favorem, impunis evasit. In eaque sententia dicebatur, se nullam incurrisse irregularitatem. Quæritur 1. An possit ab Episcopo dispensari? 2 An possit à Capitulo Sede vacante? 3. An possit à Vicario generali? 4 An hæc dispensatio possit à Capitulo alicui committi?

§. I.

An possit ea irregularitas ab Episcopo dispensari?

2 Respondeo, posse. Potest enim Episcopus dispensare in irregularitate, proveniente ex homicidio casuali occulto, ex vi Trident *sess. 24. cap. 6 de reform.* & DD communiter apud Barbos *in Collect, ad cit. locum Trident. num.* 33. & *de potest. Episcop. alleg.* 39. *num.* 48. & Leand. *tom. 5. tract. 2. disp. 27. q. 15.* Et consilium Eustachij ad homicidium est occultum: cùm nullus sciat, suo consilio illius fuisse causam: Imò quod non fuisset, lata fuit sententia; & quòd in eo homicidio, nullam commisisset culpam.

3 Nec obstat primò, quod sex, aut septem personæ existimant, aut sciant, Eustachium id dedisse consilium. Non, in quam, obstat, quia occultum in hoc loco Concil. Trident. non sumitur, pro ut solùm opponitur noto, sed prout opponitur notorio notoreitate juris, aut notoreitate facti; ut cum pluribus DD. latè tenent Sanch. *l. 8 de matr. disp. 34. num. 35. & l. 2. decal. cap. 11. num. 19.* Soar. *tom. 5. in 3 part. disp. 41. num. 6 ante medium*, Dian. *part 7. tract. 2. resol. 15. & part. 11. tract. 8. resolut. 68.* contra Ioann. à S. Thom. nimis latè loquentem

4 Nec obstat secundò, quòd tale homicidium fuerit publicum, & notorium, & ex illo damnatus fuerit homicida. Non, inquam, obstat, quia homicidium hoc loco, non sumitur materialiter, sed formaliter, prout est commissum abhoc homicida: Est enim hæc potestas Episcopis concessa, favorabilis; quæ ut talis extendi, & non restringi debet Quam vis enim hoc homicidium fuisset publicum; in quantum homicida fuit condemnatus; tale non fuit in quãtum Eustachius ab hoc homicidio fuit absolutus, siquidem ignoratur illius fuisse consulens. Imo judicatus fuit talem non fuisse; & res inter alios acta, alijs præjudicare nequit, quibus res judicata non nocet *l. 1. C. Res inter alios acta.* Ita docent Sanch. *l. 2. summ. cap. 11. num. 21. Vers. Insuper*, Castr. Palaus *tom. 1 tract. 4 disp. 4. punct. 3 §. 1. num.* 16. Dian. *cit. resol. 18. vers. sed ego in fine*, cum Barbos. Trullench, & alijs, Leand. *tom 4 tract. 2. disp. 17. q. 55.* cum Bonac Avila, Henriq. Villal. & alijs.

5 Nec obstat, hoc homicidium, fuisse deductum ad forum contentiosum, ibi: *Exceptis alijs*

alijs deductis ad forum contentioſum. Non, inquam obſtat; nam reſpondetur, rem, quæ probata non eſt, non cenſeri, deducta ad forum contentioſum. Sic Sanch. *de matr. l.8.diſp 34.num.5.& l.2.decal.cap 11.num.21.* ibi: *Quod ſi delinquens ſit, defectu plenæ probationis in foro externo abſolutus, & ſi falſis teſtibus defenderit ſe, ſive definitivè abſolutus ſit, ſive ab inſtantia, ſeu obſervatione judicis, non dicatur delictum ad forum externum delatum.* Idem tenent Soar. *cit. num.6.* Caſtr. Palaus, & Leand. *locis cit.* Dian. *dict.reſol.* 18. cum Caſpenſ. Fagund. Marchin. Henriq. Trullench. & alijs, & Barboſ. cum pene infinitis *in collect. ad cit. Trid. cap. numer.* 39. Vide à nobis dicta *ſupra q.39.num.4.*

§. II.

An Capitulum, Sede Vacante, diſpenſare poſſit in dicta irregularitate?

SUMMARIUM

6 *Probabilior ſententia affirmat.*
7 *Satisfit oppoſitæ ſententiæ fundamento.*
8 *Capitulum non ſuccedit Epiſcopo in ijs, quæ illi competunt jure ſpeciali, ſed in ijs, quæ illi ut Ordinario competunt.*

6 Reſpondeo cum probabiliori ſententia poſſe; ut latè probant Barboſ. *de poteſtat. Epiſc. alleg.39.num.16,* Angel. Boſius *de triplic. Inhibit. ſect.1.caſ.10. num.207.* Caſpenſ. *tom.2 tract.25 diſp.5 ſect 17.num.118.* Dian. *4.part. tract. 4. reſol.211.& iterum part.7. tract.2.reſol.3 cum pluribus,* Caſtr. Palaus *tom 1.tract.4.diſp.4.punct.3. §.1.num 3.* citari etiam poteſt Leandr. 4 *part. tract.2.diſp.17. q.43* nam licèt ſolùm loquatur de abſolutione à reſervatis S. Pontifici, virtute Concil. Trid. de qua ibi agit, juxta, materiam de qua tractat; eadem eſt quæſtio de abſolutione, ac diſpenſatione circa hos caſus, & ego *præcedenti q.40 num.11.* Ratio eſt, quia Capitulum, Sede Vacante, non ſolùm ſuccedit Epiſcopo in ijs, quæ jure communi generali competunt ipſi Epiſcopo, *cap. Cum olim de maiorit.& obed* ſed etiam in ijs, quæ jure ſpeciali competunt Epiſcopo, tamquam ordinario, ut cum communi DD. probant Sanches *l 8.de matr. diſp 2. num.* 10. Garcia *de benef.part.5.cap.7.num.* 41. Caſtr. Palaus *proximè*: at prædicta poteſtas competit Epiſcopis, tanquam ordinarijs: competit enim ratione officij, neque enim reſpicit perſonam, ſed dignitatem, eamque in perpetuum.

7 Neque obſtat primò oppinio oppoſita, quam aliqui ſequuti, fuerunt, quos citat, & ſequitur Soar. *tom.5.in 3.part diſp 41.ſect.2.nu.* 13. nec non Alter *de Cenſ.tract.2.diſp.8. capit.3. concluſ.4.* Bonac. *tom.1.diſp.7 de Cenſ.q.5 punct. 1.num.7. Verſ Ego verò*, Stephan. de Alcoin. *de poteſt. Epiſc.cap.27.num.1,* & alij. Nec Declaratio Sac. Congreg. quam in contrarium adducit Soar. Non, inquam obſtat, ea opinio, nam à nobis præcedenti num. tradita, eſt probabilior, & ad praxim ſæpius reducitur, ex fortiori fundamento. Nec etiam obſtat ea Declaratio, quia reſpondetur cum Sanch. Leand. & alijs *locis cit.* non referri in forma authentica. Et ipſa S. Congreg. 2. Auguſt. anni 1631. declaravit: *Declarationibus, quæ non referuntur in forma authentica, nullam adhibendam fidem,* apud Barboſ. *in collect. Bullar. Verb. Congregatio pro interpretatione.* Accedit quod Rivius *deciſ.* 533. teſtator Congreg. rem pro noſtra ſententia declaraſſe.

8 Nec obſtat ſecundò, quòd Capitulum non ſuccedit Epiſcopo in ijs, quæ illi competunt jure ſpeciali ex Innocentio *in cap, Cum in cunctis num.7.de cleric.& Abbat.* & alijs. Non, inquam, obſtat, quia reſpondetur, id verum eſſe in ijs, quæ illi competunt, ut legato: ſecus in ijs, quæ ei competunt, ut Ordinario. Ita Sanch. Garcia, Boſſius, & Caſtr. Palaus *locis citatis.*

§. III.

An Vicarius generalis in dicta irregularitate diſpenſare poſſit?

SUMMARIUM.

9 *Aliqui videntur affirmare.*
10 *Alij exiſtimant, eam facultatem ab Epiſcopis, nec Vicarijs, nec alijs poſſe concedi.*
11 *Communis ſententia negat eam facultatem vicarijs, illis tamen eam poteſt Epiſcopus concedere.*
12 *Conceſsâ eâ poteſtate Epiſcopis abſque limitatione, Vicarijs non cenſetur conceſſa.*
13 *Non bene arguitur ex eo, quòd poteſtas diſpenſandi, ſine extentiene Epiſcopis concedatur, non poſſe illos, eam delegare.*

9 Aliqui apud Barboſ. *de poteſt. Epiſc. alleg. 39.num.13.* videntur affirmare poſſe Vicarium Generalem in dicta irregularitate diſpenſare, & illis ſubſcribit, ut probabiliter, quidam doctiſſimus magiſter. Probat, quia Concil. Triden. *cit.* duas ponit partes: In prima, hanc poteſtatem diſpenſandi in omnibus irregularitatibus Epiſcopis abſolutè, abſque ulla limitatione concedit. In ſecunda agit de poteſtate abſolvendi ab omnibus caſibus occultis S. Pontifici reſervatis. Et hanc non concedit adeo generaliter, ſed Epiſcopis, & Vicarijs ad id ſpecialiter deputatis. Cûm itaque in priori nullam adhibuerit limitationem, concedi videntur Epiſcopis, ac alijs, quibus generaliter ab Epiſcopis juriſdictio ſit delegata, & ſic extenditur ad eorum Vicarios Generales.

10 Alij exiſtimant, hanc diſpenſandi poteſtatem in prædicta irregularitate, ab Epiſcopo nec ſuis vicarijs, nec alijs concedi poſſe.

Quia in citato Decreto solis Episcopis sine ulla extensione conceditur; sicut cùm illa potestas ad absolvendum conceditur. Sic Soar. *tom. 5. in 3 part disp. 41. sect. 2. n. 8.* & alij plures.

11 Communis tamen sententia tenet, non posse Vicarium Generalem dispensare in prædictis irregularitatibus, nisi ex speciali commissione, ad id ab Episcopo, aut à capitulo Sede Vacante facta. Ratio est, quia hæc potestas competit dignitati Episcopali, ex ipso jure communi, & Ordinario, in perpetuum: ergo ipsi vicario delegari potest. Hanc tuentur Henriq. *l. 14. de irreg. cap 19. in fine, & l. 6. de pœnit. cap. 14 §. 7. & in gloss. litt. O.* cum pluribus; & relatis Sanch. Soar. & Navarr. Castr. Palaus *tom. 1 tract. 4. disp. 4 punct. 3. §. 1. num. 18.*

12 Nec obstat primò, quòd concessa ea potestate absolutè Episcopis, absque ulla limitatione, censeatur illius vicario concessa. Non, inquam, obstat, quia respondetur, quod si Trident. voluisset, eam potestatem dispensandi, vicarijs concedere, illos expressisset, sicut fecit in secunda parte: Constitutio enim in una parte, declaratur ab alia, vel suppletur, aut limitatur, & restringitur, *l. Cum in principio C. de inoffic. dotib.*

13 Non obstat secundò, quòd illa potestas dispensandi, conceditur Episcopis absque ulla extensione; & cum illa conceditur potestas absolvendi. Non obstat, inquam quia respondetur: non bene argui, ex eo, quod potestas dispensandi solis Episcopis competat; non posse alijs delegari; quia ad restrictionem aliquam concedendam, adversantem juri communi, clariora debent esse fundamenta: Sensus ergo est Potestas dispendandi in irregularitatibus, Episcopis concessa, est ita illis concessa, ut non solùm ipsis vicarijs specialiter, sed etiam alteri ab ipsis Episcopis possit delegari. At potestas absolvendi à casibus reservatis, cum salutem animarum immediatè respiciat, non alteri, quàm ipsi vicario specialiter deputato, delegari potest. Sic. Castr Palaus. Ex his patet hanc sententiam esse sustinendam. Vide *n. 15.* maximè secundam responsionem.

§. IV.

An Episcopus, aut Capitulum, Sede Vacante, possit alteri hanc committere dispensationem?

SUMMARIUM.

14 *Potest eum committere.*
15 *Limitatio Trident. cadit super absolutionem à reservatis; vel quod non committatur generaliter ad omnes casus.*
16 *Id potestate Episcopis concessa, non est electa industria persona.*

14 Ex dictis, §. præcedenti, constat resolutio affirmativa. Et illam docent Castr. Palaus *tom. 1. tract. 4. disp. 4 punct. 3. §. 1. num. 18.* cum Sanch Soar. & Navarr ab eo *cit.* Barbos. *in collect. ad Conc. Trid. sess. 24 cap 6. de reform. num. 45.* Cùm antea *in tom. de potest. Episc alleg. 39. num. 14. in fine*, dixisset, se in hoc, & præcedenti dubio, suam interponere sententiam, non audere. Probatur resolutio, quia hæc potestas cùm sit à Principe, eaque non personæ, sed dignitati in perpetuum concessa, potest, jure communi, delegari.

15 Nec obstat primò limitatio Trident. loco cit. ibi: *Per se ipsos, aut per Vicarium ad id specialiter deputandum.* Non obstat quia respondetur primò, eam limitationem cadere super absolutionem casuum reservatorum; ut dubio præcedenti notavimus, & non super dispensationem irregularitatum. Respondeo secundò, Concil. Trident. in ea limitatione, solùm velle, quód nullis alijs committatur potestas generalis ad omnes casus; non verò, quòd non committatur specialis adhunc numero casum, ut communiter docent DD. apud Dian. *part 7. tract. 2. resol 13. vers. Sed quid.* quamvis ipse cum alijs oppositū. Sequitur. *vers. sequeti.*

16 Non obstat secundò, Concil. Trident. hanc potestatem concedens Episcopis ad dispensandum in irregularitatibus, eligere personæ industriam, in dignitate Episcopali constitutæ; & talis non est, cui ab Episcopo, aut capitulo Sede vacante committitur, ut Supponimus. Non, inquam obstat, quia respondetur, negando antecedens: Nam quando ea potestas conceditur Episcopis præsentibus, & futuris in perpetuum, non censetur electa industria personæ, cum personis incognitis non concedatur ea potestas; ut asserit Iason. *in l. More ff. de jurisdict. omn. Iudic. numer. 65.* & alij plures.

QUÆSTIO XXXXII.

An fiat irregularis sacerdos, qui ex inopinato casu, manu dextrâ se communicare, nec calicem sumere potest?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Certum est posse alijs sacerdotis officijs fungi.*
3 *Non factus est irregularis ad Missæ celebrationem.*
4 *Ex eo defectu, notabilis non consurgit deformitas.*
5 *Nec consurgit impedimentum ad celebrandū.*
6 *Ex communi DD. doctrina confirmatur.*
7 *Ex dubio juris, non censetur quis irregularis.*
8 *Nec aliqui textus adversantur.*
9 *Ipse defectus ex propria culpa, non provenit.*
10 *Defectus contigit post sacerdotium susceptum; & diversitas datur.*

1 Mi-

1 MIchael ex inopinato casu oppressus, ita brachio dextro mansit semilæius, ut illud flectere nequeat, ad communicandam hostiam, & calicem; illo tamen & sinistro, hostiam, & calicem elevare potest, in Missa, frangere hostiam, & ipso dextro facere benedictiones, & alias Missiæ cæremonias. Sinistrâ tamen manu, sine aliquo impedimento, hostiam, & calicem ori applicat, & se communicat. Quæritur, An per dictum defectum fiat irregularis?

RESOLUTIO.

2 Respondeo primò, certum esse, non manere impeditum, nec irregularem per eum defectum ad alia exercenda munia sacerdotũ, ad quæ non habet impedimentum, scilicet ad audiendas confessiones, ad dandam communionem alijs personis, &c. Expresè constat *ex textu in cap 2.de cleric.agrot. & debil.* ibi: *Ipsum autem cæteris officijs sacerdotalibus fungi, minimè prohibemus.* & DD. Sic pluribus relatis Soar. *tom.5.in 3.part.disp.51 sect.2 numer.* 13. Molin. *tom.4 tract.3.disp.70. numer.* 14. Avila *de Cens. part.7.disp.3,dub.1.vers.Sed circa prædicta.* Sayr. *l.6 de Cens.cap.8 num.7.* Bonac.*tom.1.disp. 7. de irregul,q.2.punct.2.num,*26.Castr.Palaus *tom.6. disp.6.punct* 11.*num.5 & citandi num.* 10.

3 Respondeo secundò ad quæstionem: Non fieri Michaelem irregularem ad celebrandam Missam ex eo defectu. Ratio est, quia duo, aut tria requirunt DD. ad irregularitatem ex defectu corporis, ut jam *supra q* 35. *num.*3. notavi. Primum, quòd defectus publicam afferat deformitatem, aut notabilem causet horrorem. Secundum, quòd impediat congruentem ordinis usum. Sic colligunt *ex cap.2 cit.de cleric.agrot.& cap.ult.de corpore vitiat* & alij Avila *dict.part.7.disp.3.a dub.1.* Ægid. Coninch *disp.18.dub.13.Kigim l.* 30 *a numer.* 46. Hurt.*de irreg disp 2.diff* 14. Castr. Palaus *aict. tom* 6.*disp.6 punct.11.num.* 3. Machad. *de perfect.confess.l* 1 *part.3.docum* 6.Villal.*tom.1 tract.* 21 *diff.*23 Leand. *tom.5.tract.2.disp.2. q.* 2. & alij *cit. loco* à nobis adducti: At in Michaele ex eo defectu suborto, ea non dantur duo impedimenta: ut ostendo.

4 Non enim datur primum, nempe publica deformitas, aut indecentia gravis, licèt aliqualis detur,quæ tamen in considerationem venire non debet; ut constare potest ex seqq exemplis ab ipso jure allatis. Nam *in cap. 2. de corpor.vitiat.* S. Pontifex Alexander irregularem non decernit, maculam in oculo habentem; sed illum ad Archiepiscopum remittit, ut cum consilio suffraganeorum id decernat. *Et in cap 1.& ult.eodem tit.* non deciditur irregularis ille, qui in digito aliquem habebat defectum. Idem declaratur, de habente digitum abscisum *in cap Lator dist.55.* Idem statuitur in *Si quis in infirmitate, ibid.* de claudo; sic etiam irregularis non est, qui manu sinistra ori applicat hostiam, & calicem, ut communicet se ipsum; nam licet aliquam arguat deformitatem, in considerationem venire non debet, sicut in mensa laicorum, deformitas non existimatur considerabilis in eo, qui manu sinistra bucellam, & poculum ori applicat; licèt aliqua detur indecentia non gravis.

5 Nec etiam datur secundum, nempe. Incongruens ordinis usus. Nam Michael potest securè, & sine aliquo periculo Missam celebrare, hostiam utrâque manu frangere, & elevare, ut exemplis ipsius juris patefit. Nam *in cap ult,de corpore vitiat.* non dicitur irregularis ille, cui pars pollicis deest, si adhuc hostiam potest frangere. Idem diciditur *in cap. Qui partem dist.55.* de eo,cui pars digiti deficit. Idem *in cap.Siquis in infirmitate* eâd.dist. Idem *in cap.Lator,ibidem*, & in alijs.

6 Confirmatur primò eadem resolutio ex communi doctrina DD. asserentium, tunc defectum cujuscunque membri hanc inducere irregularitatem, quando ipse defectus impedit celebrationem, quæ fieri nequit, nisi indecenter, & cum notabili turpitudine; ut si aliquis brachium unum totaliter, nullatenus elevare possit, sed cogatur unico tantùm hostiam sacram, & calicem elevare, vel alicujus manus totalem usum emiserit, vel fractionem hostiæ nequeat facere ambabus, &c. Sic loquuntur Henriq *l.* 14.*cap.*8 *num.4.in fine* Lamas 1.*part Method.cap.*12.§.5.*pag.* 185. Leand. *tom.5.tract.*2.*q.*49. Sed Michael totaliter non habet brachium læsum, & potest cum illo, & sinistro hostiam, & calicem elevare, & cum manibus ambabus hostiam frangere: ergo juxta hos DD. potest Missam celebrare. Quòd verò sumptionem hostiæ, & calicis cum dextra facere non possit, id cum sinistra, absque notabili indecentia facere potest.

7 Confirmatur secundò: Quia si aliquod superstit dubium, de irregularitate hujus sacerdotis: hoc cessat, quia cùm sit dubium juris, in illo non censetur quis irregularis; quia DD. communiter tradunt in dubio juris, non incurri irregularitatem; sic pluribus relatis Sanch. *l.*1.*decal.cap.*10 *num* 42 Soar.*tom.5 in* 3 *part.disp.*40.*sect.5 num.* 18. & 19. Avila 7. *part. disp.*2 *dub.*4.Bonacin. *de Censur.disp.* 7. *de irreg. q.*1.*punct.5 num* 3.Dian.*part,*4 *tract.*2.*resol.*52. Castr. Palaus *tom.*6.*disp.*6.*punct.*3.*num.* 7.Molin *de just.tom.*4.*tract* 3 *disp* 67.*num.*3. Tamburin. *tom.*2.*l.*10.*tract.*4.*cap.*3.*num.*2 Navarr.Covarr. Flores de Mena Sayr. Ludovic Lopes, Azor, Salas, Rebell.Valent. Ægid.Coninch.Bauny, Reginald.Filliuc.Machad. Cornejo, Villalob. Henriq.Pellizzar. quos citat, & sequitur Leand. *tom.5.tract.*1.*disp* 1 *q.* 15. Sed in præsenti casu dubium est juris, an hic defectus in illo comprehendatur?

8 Nec obstant *text.in cap. Ad audientiam, cap significasti, & cap penult de homic.* ubi in dubio

bio homicidij, censetur dubitans irregularis. Non, inquam, obstant, quia respondetur, illos textus de dubio facti homicidij agere, ut *supra* in hac disp sæpius diximus: nostra tamen resolutio de dubio juris procedit.

9 Nec etiam in Michaele datur aliud impedimentum; quod ex jure impediat exercitium ordinis; nempe, quòd dictus defectus non contingat, nec eveniat culpa Michaelis; nam quando inculpabiliter accidit, hæc irregularitas non datur, sed quando ex propria culpa contingit. Ut expresè constat *ex cap. Qui partem dist.55.* ubi subjungitur ratio cur hæc irregularitas inducatur; Idem colligitur *ex cap. Maritum dist.* 33. & *cap. si quis abscederit, dist.55.* Et omnes fere tradunt DD. ut videre est apud Navarr. *in sum. cap.27 num.198* Molin *dict. tract.3. disp.67. in fine*, Sayr. *l.6. Thesaur. cap 7. num.13.* Soar. *cit. disp.51 sect.2. num.7.* Bonac. *dict. tom.1. disp.7 de irreg. q.2. punct.2. numer.29.* Barbos. *in Collect. ad citatos textus*, Tamburin. *dict. l.10. tract.4. cap.8. § 2 à num.1.* Leand. *tom. 5. tract 2. disp.2. q.56. & seqq.* & alios: Defectus autem Michaelis, illi ex inopinato casu evenit.

10 Nec hoc impedimentum Michaeli evenit ante ordines susceptos, sed post illos; Et hâc de causâ, etiam censeri non debet irregularis. Nam defectus, qui sufficit ad faciendum irregularem, & impedire, ne ordines suscipiantur, non sufficit, ut fiat irregularis ille, qui illos jam habet; si defectus supervenit sacerdoti illos jam habenti. Unde dicunt DD. Quòd amputatio pollicis impedit suscipere ordines: at si superveniat sacerdoti jam ordinato; illum non reddit irregularem. Quæ doctrina bene colligitur *ex cap. Presbyterum, de cleric. agrotant.* & inter DD. est communis apud Barbos. *in collect.* ibi, & apud Bonac. *dict. disp.7 q.2. punct. 2. num.25.* Castr Palaum *dict. disp. 6. punct. 11. num.5.* Leand. *proxime q.17.* Pellizzar. *in Man. Regul. tract.7 cap.5. numer.59.* Tambur. *proximè § 1. num. 6.* cùm verò defectus semilæsionis brachij Michaeli supervenerit, post ordines susceptos, absolutè irregularis non est. Vide *dict. num.2.*

QUÆSTIO XXXXIII.

An fiat irregularis hominem occidens, pro suo, suorumque defendendo honore, ignorans homicidio esse impositam irregularitatem?

SUMMARIUM

1 *Facti species.*
2 *Non incurrit irregularitatem ex communi sententia.*
3 *Ex delicto non incurrit irregularitatem.*
4 *Nec etiam ex defectu lenitatis.*
5 *Argumetu a contrario sensu licet valeat in alijs materijs, in materia irregularitatis non valet.*
6 *Concilij Trident. verba intelliguntur, quando in homicidio, observatum non est moderamen inculpatæ tutelæ.*
7 *In prima parte trigesimæ propositionis ab Innocentio XI. damnatæ, damnatur opinio asserentium, licitum esse, aliquem occidere propter verba contumeliosa, quando aliter calumnia vitari nequit.*
8 *In secunda parte dictæ propositionis damnatur opinio affirmantium, licitum esse, alapam impingentem sequi, & illum occidere.*

1 Hieronymus nobilis adolescens, quatuordecim suæ ætatis annos habens, iciensque, quemdam inæqualis conditionis sorori suæ scribere, & intentare loqui. Ad quam intentionem [quamvis alio titulo] domum Hieronymi paternam intrabat. Sciensque jam per oppidum rumorem sparsum, cum magna ipsius domus infamia. Quâdam die in ipsa domo illum expectans, observansque intrare eum in eadem intentione loquendi sorori, sclopetum explodens, in atrio domus, illum occidit. Cito defuncti parentes accurrerunt, & mortis causa cognitâ, & receptâ pecuniæ summâ, ne casus devulgaretur, & delicti veniâ præstitâ, acquieverunt. Post aliquos annos Hieronymus ad ordines promoveri desiderat. Quæritur 1. An incurrerit irregularitatem, hominem occidens in sui suæque sororis, ac parentum honoris defensionem, nullum pro tunc alio sibi occurrente remedio ad eum finem? 2. An ratione ætatis in illa ignorans, impositam esse irregularitatem, homicidam committenti, ut cum juramento deponet, ab illa excusetur?

§. I.

An Hieronymus irregularitatem incurrerit, hominem occidens in sui, suæque sororis, ac parentum honoris defensionem, nullo alio, pro eo tempore, ad eum finem, occurrente remedio?

2 Respondeo; alicui videri poterit; irregularitatem non incurrisse, non solùm ex *text in cap. Si verò* 1. ibi: *Cum sorore, de sentent. excomm. juxta* expositionem DD. apud Barbos. *in Collect. ad dict. cap. num.7.* ibi: *Et de illo adsit rationabilis suspicio*, sed etiam ex eo, quòd dictum hominem in defensionem sui, suorum parentum, ac sororis occidit honoris. Ostenditur, quia licitum est, occidere pro defensione bonorum magni momenti, ut communiter tradunt DD. *in l. ut vim*, cum *Gloss. ibidem, verb. Iure ff. de just. & jur.* & *in l. Furem 9. ff. ad l. Cornel. de sicar.* & *in l. 4 ff. ad l. Falcid.* quorum plures referunt Barbos. *de potest. Episc. alleg.51. num.6.* Oliva *de foro Eccles. part. 1. q. 25. num.19. & part 2. q.17. num.86.* Dian. *part.5. tr.4. de homic. resol.17.* Leand. *tom. 5. tr.2. disp.13. quæst.1.*

quæst.1.& seqq. ergo à fortiori licitum est occidere pro defensione honoris, quia non est minoris æstimationis honor, quam alia bona externa, juxta illud *Proverb.22. Melius est nomen bonum, quam divitiæ multæ.* Et quamvis aliqui DD oppositum teneant, hæc est DD. communior sententia; quos latè citant, & sequuntur Fagund. *in 5.decal.præcept.l. 5. cap* 3. *num.*20 & iterum *cap. 7. num.* 2 Dian.5 *part. tract.4 de homic.resol.4.* Leand.*dict. tom.5 tract. 2.disp.*14.*q.* 1. Dicastill. *tom. de Iuram. & Cens. tract.*10.*disp.7.de irregul.dubit.*26 *num.* 845.

3 Unde ad nostrum casum videtur, Hieronymum non incurrisse irregularitatem ex hac ratione, quia irregularitas propter homicidium, non incurritur, nisi aut ex delicto, aut ex defectu In præsenti autem casu non est incursa ex delicto: nam irregularitas ex delicto supponit peccatum mortale, ut tenet communis sententia, & astruunt pluribus relatis Farinac.*in fragm.crimin part.2 num.*536. Avila *de Cens part.7.disp.6 section.1 dub.*11 *conclus.*3. Soar.*tom.5.in* 3 *part disp.*45.*sect.5.numer.*7. Fagund *in 5.decal.præcept.l.5.cap.*3 *num* 15. *in fine,* Castr. Palaus *tom.*6.*disp.*6 *punct.*3.*numer.*2. Leandr.*dict.tom.5.tract* 1.*disp.*1.*q.* 7. & alij, quos citavimus *supra q.*40. *numer.*6. At in præsenti casu ea defensio non fuit mortaliter peccaminosa, & patet ex dictis. Et quòd pro defensione honoris irregularitas non incurratur, sustinent Fagund.*proximè*, & cum pluribus Leand.*cit.tract* 2.*disp.* 14.*q.*1. Barbos. *in Collect. ad Clem.Si Furiosus, a num.* 19.*de homic.* & Dicastill.*dict.tract.*10.*disp.* 7 *dubit.*26.*num.*845.

4 Nec etiam incurrit irregularitatem ex defectu lenitatis. Nam licet ad hanc incurrendam irregularitatem, non requiratur culpa præcedens, ut constat *ex cap.* 1 *dist.*55. illa tamen non imponitur, nisi ministris justitiæ, ut cum supra triginta DD. dixi *supra q.*33.*numer.* 22. licèt oppositum plures sentiant apud Dicastill.*proximè num.*846.quos *cit.loco* adduco.

5 Non obstat primo *text. in Clem. si furiosus, de homic.* quatenus solùm excusat ab irregularitate eum, qui pro defendenda propria vita occidit. Unde videtur, inferri argumentum à contrario sensu, non excusari eum, qui non pro defendenda propria vita occidit, sed pro defensione honoris. Non, inquam, hoc obstat, quia argumentum à contrario sentu, licet in alijs materijs valeat, *cap.Puella* 20.*q.*1. & *cap cum virum, de Regul.* non tamen in materia irregularitatis valet. Illud enim in irregularitate speciale est, quòd non incurritur ex hisce argumentis, sed solùm in casibus in jure expressis, *cap.Is,qui, de sentent.excommun. in* 6 sic docent Soar.*tom.5.in* 3.*part. disput.* 46. *sect.*2.*num.* 5. cum Sot. Castr. & alijs, quibus cum pluribus susbcribunt Bonac. *tom.*1. *disp.*7. *de irreg.q.*4.*punct.*6 *num.* 10. Fagund. *in 5. decal.præcep.l.*5.*cap.*3.*num.* 15. Castr. Palaus *tom.* 6.*disp.*6.*punct.*2.*num.*1. Gibalin.*cap.*2.*de irregul.* *q.*1.*num.*4. Pellizzar *in Manual Regul.tract.*7. *cap.*5.*num.*5. & alijs Leandr.*tom.*5.*tract.* 1 *disp.* 1.*q.*5 alias ad *cit.* textum solutiones tradit Dicastill. *cit.num* 845. At sane in casu præsenti præterquam quòd ea irregularitas non supponat peccatum, ut constat ex dictis, in jure non est expressa.

6 Non obstat secundò *Concil.Trident sess* 14 *cap.*7.*de reform* ibi: *Si verò homicidium non ex proposito, sed casu, vel vim vi repellendo, ut quis se a morte defenderet, fuisse commissum, narretur dispensatio: committatur loci ordinario.* Hujusmodi autem dispensatio supponit vinculum irregularitatis. Non, inquam, hoc obstat; quia adhunc Trid. locum respondent communiter DD.quòd intelligatur, quando in homicidio observatum non fuit moderamen inculpatæ tutelæ, quod *ex num.* 1. constat, in præsenti casu observatum fuisse Nam Hieronymus inquit, quòd ratione ætatis, illi aliud non occurrit remedium. Et equidem in proprijs terminis docent Soar.*cit.dict.disp.*46 *sect.*1.*num.*1. Fagund. *in 5 decal præcept. l.5. cap.* 3. *numer.* 2. Barbos. *in Collect.ad cit.locum Trident. cum pluribus,* & Leand.*dict.*5.*tom tract.*2.*disp* 27.*q.*18.

7 Non obstat, quòd Innocentius XI. damnavit hanc propositionem: *Fas est viro honorato, occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit,* quæ est prima pars trigesimæ propositionis, inter damnatas ab eo Pontifice; ex qua bene infertur, non esse licitum propter honorem recuperandum, aliquem interficere, etiam in casu, quòd alius non suppetat modus honorem recuperandi: non ergo Hieronymus licitè hominem occidit ad hunc finem. Non, inquam, hoc obstat, quia respondetur ibi damnari opinionem aliquorum asserentium, licitum esse, ex verbis contumeliosis, & atrocibus illatis, aliquem occidere, quando aliter hæc calumnia vitari nequit, nam verbales injuriæ verbis repelli debent, ut tradunt Societatis JESU Authores,Cardin.de Lug.*disp* 10. *de just. sect.* 10.*num* 190.Lessius *l.*2 *de justit. cap.* 9 *dub.* 12. *num.* 78 ubi postquam opinionem retulit, sic ait: *Verum hæc sententia non est sequenda: satis enim esse debet, in Rep ut injuriæ verbales verbis repelli, & legitima vindicta comprimi, & castigari possint*; & alij quos magno numero refert Sandæus *in confutat.pag* 225 ac Hieronymus non ex calumnia illata, cum hominem occidit, sed ad defendendum suum parentem, & sororis honorem; quod ex *cit. DD* licitè facere poterat; dum illi alius modus eum defendendi non suppetebat, & non supetit, ut *num præcedenti* dictum est.

8 Non obstat quartò: quod idem S. Pontifex in secunda parte dictæ propositionis,damnavit opinionem asserentem, fas esse occidere impingentem alapam,vel fuste percutientem, & post impactam alapam, & ictum, fugientem sequi, & illum occidere, ut suum honorem

rem recuperet. Ergo nec etiam fas fuit Hieronymo ad suum suorumque recuperandum honorem, illum hominem occidere. Non, inquam hoc obstat, quia respondetur, illam propositionem merito damnari, quia occisio hominis, non conducit ad honorem conservandum, & recuperandum, & est illicita; quia est vindicta, & non defensio honoris jam deperditi. Vide Card. de Lug. *loco cit.* Mendo *in stater opinion. differt. 4. ad quintum decal. præcept. quæst. 1.* Leand. *cit. tract. 2. disp. 14. quæst. 3.* At Hieronymus, non ad vindictam illum occidit hominem, sed ad defendendum suum, suorumque honorem, quem aliter amittet, & hoc modo, ut unico remedio, ut existimavit, illum conservabit. Sic ex Card. de Lug. *loco cit.* §. His omnibus non obstantibus, & ratione prædicta, censeo dictum Hieronymũ irregularitatem incurrisse, & indigere dispensatione. Hoc est meum judicium.

§. II.

An Hieronymus ratione ætatis, ignorans, esse impositam irregularitatem homicidium committenti, ab illâ excusetur.

SUMMARIUM.

9 *Ob titulum ignorantiæ ab irregularitate excusatur.*
10 *Quando ignorantia excusat à culpa, etiam excusat à pœna.*
11 *Ignorantia probatur ex juramento.*

9 Respondeo, ex hoc titulo ab irregularitate excusari posse. Ratio est, quia irregularitas ab eo non incurritur, qui ignorat illam esse impositam delicto à se commisso: at Hyeronymus ratione ætatis, quæ erat quatuordecim annorum, ignorabat, se illam incurrere: ergo. Maior ostenditur: quia DD. est communis doctrina, ignorantiam juris excusare ab irregularitate, & alijs pœnis Ecclesiasticis, ut probat *text. in cap. 2. de constit. in 6. textus in cap. Cognoscentes, eod. tit. text. in cap. Proposuisti, dist.* 82. & DD. quorum plures citat, & sequitur Sanch. *l. 9. de matr. disp. 32. num. 17.* & alios Castr Palaus *tom. 1. tract. 2. disp. 1. punct. 17. num. 1.* & *tom. 6. disp. 6 punct. 6. numer. 1.* & Leand. *tom. 1. tract. 1. disp. 4. q. 34. 5.* & 6.

10 Probatur etiam eadem resolutio, quia ignorantia excusat a culpa; & ubi culpa non est, pœna locum habere non debet *cap. sine culpa 23 de regul. jur. in 6. l. ult. fine ff. de decret. ab ordin. faciend. cap. ult. fine, qui matrimon. accusare possint, & l. Si ignorans 52 ff. locat.* & DD. omnes expresè Hurt. *disp. 1. de irregul. diff. 8.* Avila *disp. 2. dub. 7.* Ægid. *disp. 18. dub. 4.* & alij apud Leandr. *proxime dict. q. 3.*

11 Et quòd data fuisset ea ignorantia in Hieronymo, probat juramentum num. 1. de-signatum, & admitti debet, ut probatio sufficiens, ex text. *in cap. fin. §. super eo*, ibi: *nisi proprio firmaverit juramento, qui matrimon. accusare possint*; & ex communi DD. sententia, quorum plures refert, & sequitur Sanch. *l. 9. de matr. disp. 32. num 5.*

QUÆSTIO XXXXIV.

An incurrat irregularitatem occidens injustũ aggressorem, ac contumeliosum, facta ab eo prius admonitione ad aggressorem, ut eum demitteret?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Non incurrit irregularitatem.*
3 *Nec excessit moderamen inculpatæ tutelæ, quæ in tribus consistit.*
4 *Non excessit in tempore.*
5 *Nec in modo.*
6 *Nec in causa.*
7 *Non incurrit irregularitatem ex defectu lenitatis.*
8 *Nec etiam ex delicto.*
9 *Verissimus fugere non tenebatur.*
10 *Intellectus Trident. ex DD. ostenditur.*

1 VEriſſimo Scholastico in platea, quidam occurrit miles [cum quo antea nulla intercesserat contentio, aut discordia] Militi aperuit caput Verissimus, in comitatis signum; miles verò in illum malum punicum projecit, illius humerum percutiens. Verissimus comiter respondens Sic meam remuneras comitatem, offensionem pro satisfactione præstans? Miles arroganter eum minans, dixit. Quod vitam ab eo auferret. Verissimus cum suo socio sua via progressus fuit. In ipsius diei vespere in foro oppidi illi iterum obviam fuit miles; accedensque ad illum, alijs non præcedentibus verbis, contumelijs affecit, illi dicens: [non obstante, quòd Verissimus eum interpellavit, quòd bonis avibus discederet, nam ille operam litteris dabat, & arma ad rixandum non cingebat) Quòd triginta cultri vulnera infligeret. Et de facto cultrum elevavit, ad illum percutiendum. Interim verissimus, non animo occidendi, sed tantùm se defendendi, per unum passum retrocedens, è terra capiens saxum, illo in capite percussit, & occidit. Quæritur: An irregularitatem incurrerit?

RESOLUTIO.

2 Respondeo, irregularitatem non incurrisse. Ratio est; quia ille, qui in suam necessariam defensionem, cum moderamine inculpatæ tutelæ aggressorem occidit, irregularitate non innodatur; *Clement. si furiosus, de homic.*

homic. ibi: *Si furiosus, aut infans, seu dormiens hominem mutilet, aut occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit. Et idem de illo censemus, qui mortem aliter vitare non valens, suum occidit, vel mutilat invasorem.* Et in præsenti casu verissimus in suam necessariam defensionem aggressorem occidit; cum à milite armato in armatus, ut Scholasticus, invaderetur; & ab illo audiens, quòd occideretur, & triginta cultri vulnera esse recipienda; ut dens militem procinctum ad id faciendum cultrum elevans, si verissimus cito non accurreret suæ defensioni, absque dubio esset vulnerandus.

3 Quòd Verissimus moderamen inculpatæ tutelæ non excessisset, ostenditur. Nam hoc moderamen in tribus consistit, nempe in tempore, in modo, & in causa, ut communiter notant DD apud Fagund. *in 5. decal. præcept. l 5. cap 5. num.2.* Bonac. *tom. 1. disp. 7. de irreg. q. 4 punct 6. num. 1. & alios.*

4 Non excessit in tempore, quia illius defensio fuit incontinenti, in flagranti delicto invasionis, & non ex intervallo, ut constat ex text. *in cap. Si verò 1. de sentent. excomm.* ibi: *Si in continenti vim vi repellat.* Nam si repulsio sit, *ex post vi*, non erit defensio, sed vindicta ut communiter tenent DD. apud Barbos. *in Collect. ad cap. Significasti, num. 22. de homicid.* ergo cùm hoc homicidium fuisset in continenti, moderamen inculpatæ tutelæ fuit observatum.

5 Nec excessit in modo, nam hic tribus consideratur; primò, inæqualitate armorum; secundò, in æqualitate facti; Tertio inæqualitate offensionis; ut tradunt DD apud Fagund. *proximè num.5.* at Verissimus non æqualibus, nec superioribus, sed inferioribus armis sibi consuluit, ut est saxum ad militem, qui propinquius cultro aggrediebatur; & sic à morte per militem tentata evadere intendebat.

6 Nec etiam excessit, in causa. Nam repulsio fieri non debet animo vindictæ, sed defensionis, *l. Scientiam, §. Qui aliter ff. ad l. Aquiliam*, ibi: *Et hoc se tuendi duntaxat, non etiam ulciscendi causa factum sit* & *cap. Significasti 2. fine, de homic.* ibi: *non ad summendam vindictam, sed ad injuriam propulsandam.* & DD. communiter apud Leandr: *tom. 5. tract. 2. disp. 14. q. 3. vers alij verò.* Non enim vindicta in casu aliquo est licita: sed ut constat *ex numer. 1.* Verissimus animo solùm se defendendi, in militem lapidem emisit, & non vindicta: ergo in moderamine inculpatæ tutelæ; non excessit.

7 Confirmatur hæc resolutio: quia irregularitas ex homicidio orta, aut incurritur ex defectu lenitatis, aut ex delicto: & mihi certum est, Verissimum non incurrisse irregularitatem ex defectu lenitatis; nam hæc solùm incurritur à ministris Iustitiæ, & non ab alijs, ut diximus *supra, q. 33. a n. 22.* contra aliquos.

8 Nec etiam incurrit irregularitatem ex delicto: nam hæc solùm incurritur, quando defensio est injusta, & mortaliter peccaminosa, ut *pluribus citatis* dictum est *præcedenti q. num.3.* at Verissimus lapidem projicit in suam justam defensionem; quæ omni lege, & jure est justa *cap. si verò 1. de Sentent. excomm.* ibi: *cum vim vi repellere omnes leges, omniaque jura permittant, cap. significasti 2. de homic.* ibi: *vim vi repellere omnes leges, & omnia jura permittant cap. Dilectio, de sentent. excommun. in 6.* ibi: *Cum omnes leges, omniaque jura vim vi repellere, cunctisque sese defensare permittant, l. 1 §. vim vi ff. de vi, & vi armata*, ibi: *Vim vi repellere, licere Caius scribit: idque jus naturâ comparatur, l. Is, qui aggressorem 2. & l. Si quis percussorem C. ad l. Cornel. de Siccarijs*, ibi: *Siquis percussorem, ad se venientem gladio repulerit, non ut homicida tenetur, quia ut defensor propriæ salutis, in nullo peccasse videtur, l. Scientiam, 45. ff. ad legem Aquil.* ibi: *Qui cum aliter tueri se non possint, damni culpam dederint, innoxij sunt, vim enim vi defendere omnes leges, omniaque jura permittunt.* Et ut certissimum tenent DD. quos latè refert Leand. *tom. 5. tract. 2. disp. 12 q 1.*

9 Nec obstat primò, posse aliquem dicere, Verissimum debuisse potius fugere ab eo milite, quam illum occidere. Non, inquam, obstat, quia respondetur, capere fugam non teneri; siquidem nec est clericus, nec Religiosus; nec etiam si foret, ad id tenebatur, ut cum pluribus fusius tenet Leand. *dict. tom. 5. tract. 2 disp. 12. q. 34. 37. & 38.* & alijs citatis in simili casu Fagund. *in 5. decal. præcept. l. 5. cap. 7. num. 2. 8. & 9* Dian *5. part. tract. 4. resol. 4.*

10 Nec obstat secundò, quod *Conc. Trid. sess. 14. cap. 7 de reform.* asserit, ibi: *Si verò homicidium non ex proposito, sed casu, vel vim vi repellendo, ut quis se a morte defenderet, fuisse commissum, narretur dispensatio committatur loci Ordinario*: dispensatio autem impedimentum, aut vinculum supponit, *cap. Ad dissolvendum de disponsat. impub. cap. Ex parte, cap Cum olim, de verbor. signif.* Non, inquam, obstat, quia respondetur, *Concil. Trid. loco cit.* loqui de homicidio in defensionem commisso, in quo servatum non fuit moderamen inculpatæ tutelæ, ut expendunt Soar. *tom. 5. in 3. part. disp. 46 sect. 1. num. 1* Fagund. *in 5. decal. præcep. l. 5. cap 3. num. 2.* & cum communi DD. quos latè citat. & sequitur Barbol. *in Collect. ad cit. locum Trid. num. 15.*

QUÆSTIO XLV.

An obligatus ad raciotinia ex partitione conferenda, ob in officiosam hæreditatem cum suis nepotibus ex fratribus, [quæ difficillimè reddi possunt] fiat irregularis ad ordines suscipiendos?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*

2 *Ut certum non est irregularis.*
3 *Ius sub irregularitate solum prohibet administratores obligatos ad reddenda raciotinia, ex officijs publicis authoritate publica constitutos.*
4 *Linus non est, nec fuit constitutus administrator bonorum suorum nepotum.*
5 *Nec in casu, quòd esset illorum administrator, esset irregularis.*
6 *Ante Motum Sixti V. poterant obligati ad raciotinia privata, ad Religionem admitti.*
7 *Non valet argumentum a paritate rationis in materia irregularitatis.*
8 *Hæc irregularitas non afficit obligatos ad ratiocinia privatorum.*

1 LInus nobilis, bona fide ordinibus minoribus initiatus, certa bona titulo hereditatis à matre obtinuit, motâ lite à fratribus ex in officioso testamento; in cum lata fuit sententia, & jussus, ut ea bona, in æquales partes divisa, simul cum fructibus à morte matris collectis, fratribus redderet. Mater verò adhinc octo supra triginta annis vitâ decesserat, fratres etiam sunt defuncti. Hæc partitio difficile confici potest, ob plures fratrum hæredes, dubia emergentia, diversas institutiones, & ob unius fratris hæredes absentiam. Hac de causa Linus ea omnium bona possidet, ut ante latam sententiam ac illis alitur. Executioni tamen non mandat sententiam, saltem in eo, quo poterat; quia si totum, aut dimidium ex fructibus collectis, restituat, non ei supersit, ex quo, secundum suum statum vivere possit. Ut tamen restituat, ad ordines sacros promoveri cupit: nam juxta Diœcesis constitutiones, ex suo sufficiens habet patrimonium. Quæritur quid in his terminis possit?

RESOLUTIO.

2 Respondeo, ut certum, posse Movemor his rationibus: Prima. Quia obligatus ad reddendam rationem ex aliquo contractu, v. g. depositi, cujus administrationem non habet, non est irregularis; maximè si mota non sit lis de dolo, & perfidia, ut docent Sayr. Soar. Filliuc. Hurt. Bonac. Castr. Palaus, & alij, quos refert, & sequitur Leandr. *tom. 5. de irregul. tract. 2. disp 5. q. 11.* Sed Linus est obligatus ad reddendam rationem ex quodam quasi contractu, circa partitionem bonorum à matre inofficiosa relictorum; ad nepotes ex fratribus pertinentium; quorum non habet administrationem, nec super illa mota fuit lis de dolo, aut perfidia: ergo potest ad ordines promoveri.

3 Secunda ratio, quia textus, qui inducunt irregularitatem contra obligatos ad ratiocinia, comprehendunt illos tantùm, qui sunt administratores publici, & officia publica, authoritate publica habent, & administrant, ut constat *ex cap. unic. de obligat. ad ratiocin* ibi: *procuratores, actores, executores, seu curatores pupillorum*, & *cap. 1 dist. 51.* ibi: *in forensi exercitatione versati*; & *cap. 3 ibidem*, sic; *Curiales, vel quibuslibet publicis functionibus occupatos*, & *cap. Legem, dist. 52.* ibi: *qui militiæ, vel rationibus publicis sunt obligati*; & *cap. Magnus d. 54* in quo referuntur eidem, *qui in cap. Unico cit.* Sed Linus non habet eas publicas ad ministrationes: ergo ex reddendæ rationis obligatione suis nepotibus, nullum habet impedimentum ad ordinum promotionem.

4 Tertia ratio; quia nec habet privatam administrationem bonorum suorum nepotum quia nulla authoritate publica ad id fuit obligatus, sed ea bona possidet, ut semper possedit, cum obligatione tradendi bona à matre sibi relicta, & fructus ex illis perceptos ad partitionem: sed huic obligationi in illis textibus nec in alijs imponitur al qua irregularitas: ergo cum illi textus sint pœnales, ad præsentem casum extendi non debet irregularitas, in ijs imposita administratoribus publicis.

5 Quarta ratio; quia casu supposito, quòd Linus haberet privatam eorum bonorum administrationem, illam citati textus non comprehendunt, nec ad illam extenditur irregularitas in illis imposita; dum ratiocinia nepotibus non exhibet; Quia est pœnalis, ut communiter tradunt DD. Ugolin. *de irregul. capit. 58. §. 1. numer. 9.* Innocent. *in citat. cap Unico verb. numerari*, quos refert, & sequitur Villal. *tom. 1. tract 21. diffic. 37. numer. 7.* Idem sustinent Filliuc. *tractat 9. & 19. de Censur. cap. 7. numer. 198.* Escobar. *tom. 6. Theolog. moral. l. 53. sect. 2. numer. 289* dum numerat officia publica, vel authoritate publica constituta.

6 Hæc ratio confirmatur, quia ex ipso jure communi, ante Motum proprium Sixti V. non poterat quis, ad Religionem admitti, donec rationes redderet, quando ratiocinia erant publica, secùs quando erant privata, ut colligunt ex ipso jure communi, & *citat. capit. Unico* D. Anton. Rosell. Angel. Sylvest. Armill. Tabien. quos affert, & sequitur Sanch. *l. 4. decal. capit. 19. numer. 19.* ergo à fortiori Linus, dato, quod eorum bonorum nepotum haberet administrationem, ad ordines sacros promoveri potest, quia ea administratio est privata, & non ad ratiocinia publica.

7 Nec obstat primò, argumentum à paritate rationis, dicendo, idem esse dicendum in ratiocinijs publicis, ac in privatis, & Linus, quamvis ex authoritate publica non sit administrator bonorum suorum nepotum, ex necessitate talis esse videtur. Non, inquam, obstat hoc argumentum in hac materia, licet valeat in alijs, *cap. Puellæ 20. q. 1. & cap. Cùm virtù*

de

de regul. juris in 6. Et ratio est, quia irregularitas non incurritur, nisi in jure sit expressa, ut constat *ex cap. Is, qui, de sentent. excommun. in 6.* ibi: *Cum id non sit expressum in jure*, & DD. Villal. *cit. diff. 1. num. 6.* Castr. Palaus *tom. 6 disp. 6. punct. 2. num. 1.* Dicastill. *tom. de Iuram. & Cens. tract. 10. disp. 7. dubit. 1. num. 5. in fine.* Leandr. *tom. 5. tract. 1. disp. 1. q. 5. & alij quos supra q. 43. num. 5.* adducimus, Vide hunc num. at in administrationibus privatis non datur expressa irregularitas, sed tantùm in publicis, ut dicitur in *cit. textibus.*

8 Non obstat secundò, quòd aliqui dentur DD. dicentes, hanc irregularitatem non solum afficere obligatos, ad reddendam rationem administrationis publicæ, sed etiam privatæ, ut videre est apud Bonac. *tom. 1. disp. 7. q. 2. punct. 4. num. 4.* Castr. Palaum *proximè punct. 13. num. 7.* Dicast *cit. dubit 11. num. 281.* Tambur. *tom. 2. l. 10 tract. 4. cap 19. §. 1. num. 2.* Barbos. *in Collect. ad cap. Magnus, de obligat. ad ratiocin. cit. numer. 2 & 3.* Excob. *proximè, & alios*: Sed Linus videtur esse administrator personarum privatarum, nempe suorum nepotum, quorum bona possidet, de quibus rationem reddere tenetur. Non, inquam, obstat, quia respondetur, eos DD. nomine personarum privatarum intelligere tutores, curatores, & procuratores pupillorum juxta *text. in cap. unico, & cap. 3. dist. 54. cit.* & non de alijs privatis administratoribus, quâvis Linus etiam talis non sit, nam à nullo judice talis constitutus fuit, nec bona ad nepotes pertinentia sunt partita, sed cum Lini proprijs sunt mixta, ut post mortis suæ matris semper fuerunt; & ut propria ab ipso administrantur.

QUÆSTIO XLVI.

An sit subreptitia dispensatio irregularitatis unius criminis, non factâ mentione alterius jam concessæ in alio crimine ejusdem speciei.

SUMMARIUM

1 *Facti species.*
2 *Probabilis videtur non esse subreptitiam.*
3 *Res, quæ in jure expressa non est, restringenda est.*
4 *L. 3. C. de Episcop. audient. intelligitur de foro externo.*
5 *Quando impetratur secunda dispensatio, tacendo primam fuisse concessam, secunda est valida, si dispensationes sint de diversis rebus.*
6 *Ex alio capite, resolutio videtur probabilis, authoritate Fillinc.*
7 *Alia Fillinc explicatio non admittitur.*
8 *Stylus Curiæ probabilitatem oppositæ sententiæ non tollit.*
9 *Sententia communis, in exemplis adductis, à sequentibus illam nostrum non comprehendit casum.*
10 *Illatio contra præsentem casum, ex cit. l. 3. pro foro externo intelligitur.*
11 *Lex 3. citata juxta l. Ecclesiasticam, & Concil. Trident. intelligenda est.*
12 *Pro dispensatione poterat Franciscus ad Episcopum recurrere.*

1 FRanciscus voluntarium fœtus animati commisit abortum. Et à S. Pontifice irregularitatis dispensationem obtinuit, ut ad ordines promoveri posset. Elapso tempore, idem Franciscus alio abortu sentitur gravatus, ad quem non voluntariè concurrit. A cujus irregularitate, etiam dispensationem obtinuit, in supplica, mentione non factâ primæ jam concessæ. Quæritur. An hæc secunda dispensatio sit subreptitia, primæ non factâ mentione.

RESOLUTIO.

2 Respondeo, Quamvis existimem esse subreptitiam dispensationem irregularitatis unius criminis, non facta mentione alterius ejusdem speciei jam concessæ; quia à sententia communi ita decernitur, mihi probabile videbitur ex dicendis secundam dispensationem fuisse validam, in supplica non factâ mentione primæ. Moveor sequentibus rationibus. Prima: Conveniunt DD. apud Sanch. *l. 8. de matr. disp. 21. num* 12 Basil. Pont. *ibidem l. 8 cap. 17. § 1. num. 6.* tùc solùm reddi dispensationem nullam, quando in supplica tacetur casus, quem jura exprimi jubent: at dicere, textum *in l. 3. C. de Episcop audient.* crimina semel remissionem obtinere, ibi: *remissionem veniæ crimina, nisi semel commissa, non habeant*; non est dicere textum (saltem expresse tanquam conditionem, sine qua non, ad secundi criminis remissionem requiri, quòd sciat Princeps, de priori crimine commisso; ut fatetur Ægid. Coninch. *disp. 33 dub. 6. num* 87. nam licèt oppositam sententiam probabilem judicet, asserit tamen, eam conditionem in jure non esse expressam, ibi: *Quæ non habetur clare jure expressa*: ergo non factâ in supplica, mentione de prima dispensatione secunda non est subreptitia.

3 Secunda ratio: Idem Ægid. *loco citato de eadem l. 3.* loquens in ordine ad præsentem, Sic ait: *Quia res per se satis dura, & quæ non habetur clare jure expressa, prout fieri potest, mollienda est.* Quod est ipsi juri conformius, *juxta l. Cum quidam ff. de liber. & posth. & cap. Renovantes dist. 22. & cap. Odia sunt restringenda, de reg. jur in 6.* & DD. cõmuniter asserentes, leges pœnales esse restringendas. Et cũ *dict. l. 3. est mollienda, & restringenda* limitari debet, pro foro tãtũ externo, & nõ extẽdi ad forũ internũ. Ita docet. Henriq *l. 7. de indulg. cap. 17. n. 5.*

ibi: *Quãvis in dispensatione odiosa requiratur in foro exteriori, mentionem fieri de altera dispensatione prius obtenta*; citatque aliquos *in Gloss. litt. X* Idem tenet *l.* 12. *de impedim cap.* 3. *numer.* 7. ibi: *Quæ tamen retardarent concessionem, ex praxi & stylo Curiæ non vitiant in conscientia dispensationem, si taceantur; quando expresso jure non jubentur explicari.* Et DD. *in Gloss. litt. b.* Eandem doctrinam tuetur Tamburin. *tom.* 2. *l.* 8 *de matrim. tract* 2 *cap.* 9. §. 3. *numer.* 12. loquens de crimine uxoricidij secundo commissi; & relata *dict. l.* 3. sic inquit: *Intellige, quoad forum externum; & ad has extrinsecas gratias a Principe concedi solitas.* Idem docet Granad. *controvers.* 7 *tract.* 3 *part.* 2. *disp.* 17. *sect* 6. *num.* 46. ibi: *Nisi certò constiterit, talem esse stylum, ut in foro animæ obliget.* Ergo *cum lex* 3 *cit.* expresè non jubeat, quòd in secunda supplica dicatur, quòd delictum jam fuisset dispensatum; rectè sequitur, quod in foro interiori clausula non sit essentialis; & cùm casus nostræ quæstionis fuit in hoc foro, siquidem erat crimen occultum, & dispensatio a Pænitentiaria obtenta, in ea *l.* 3. non comprehenditur.

4 Confirmatur, *hanc l.* 3. *cit.* pro foro externo debere intelligi, & non pro interno. Quippe in ea jubet Imperator Valentinianus Neoterio cujusdam civitatis Præfecto, ut in die Paschatis omnes incarceratos, quorum delicta non semel fuissent remissa, à vinculis liberaret, ibi: *remissionem veniæ, nisi semel commissa, non habeant.* Et præterquam, quod hæc verba sint à judice sæculari, ad quem solùm pertinet directio pro foro externo illius rei, de qua agit lex, in illo tantùm habet effectum; nam in illo cum delicta sint publica, scandalum daretur, si in illo bis, aut sæpius remissa fuissent. Quòd non datur in foro interno, in quo crimen est occultum. Ideoque Dominus N. IESUS Christus Petro dixit, *Matth*, 18. *Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies.*

5 Tertia ratio: Conveniunt DD. oppositam sequentes sentẽtiam, asserentem, secundam dispensationem esse nullam, quando obtenta prima, impetratur secunda, tacendo primam dispensationem esse concessam, non habere locum, quando dispensationes sunt ex diversis rebus, ut videre est apud Sanch. *l.* 8. *de matr. disp.* 22, *num.* 20. Soar. *l.* 6. *de leg. cap.* 23. *numer.* 9. Basil. Pont. *l.* 8. *de matrim. capit.* 17. §. 1. *numer.* 5. At hoc videtur dari in præsenti casu; nam primum delictum fuit de homicidio voluntario, secundum verò de homicidio casuali: sic enim Franciscus inquit, fœminam sciens esse prægnantem, *Alia culpa in me non est data; nisi quadam querela infelicitatis, & infamiæ, & unum affligi de eo eventu, ex quibus, alia* [nempe fœmina] *mota fuit ad operationem aborsus, ad quem nulla præstita fuit cooperato, auxilium, aut consilium ab ipso Francisco, nec de illo scientiam habuit, nisi post delictum patratum.* Et quamvis delictum in se fuisset ejusdem speciei; quia erat de aborsu: attamen respectu ejusdem Francisci, jam sacerdotis, videtur esse diversum; quia primum fuit voluntarium, secundum verò per accidens; & casuale. Authores autem oppositæ sententiæ in exemplis ab ipsis, afferunt idem delictum, eâdem gravitate, & culpâ commissum. Et Sanch. *citat.* ibi: *de eodem crimine repetito*, cum Navarr. & alijs. At crimen nostri casus non fuit eâdem culpâ, & gravitate repetitum. Et Soar. *citatus dict. cap.* 23. *numer.* 12 relata *l.* 3 *cit.* inquit: *Ratio est, quia secundum crimen ejusdem rationis, præsertim adeo grave, ut primum, commissum post remissionem primi, magis pœnam meretur, & difficilius remissibile est* At in nostro casu, secundum crimen adeo grave, ut primum, non fuit, nec ejusdem rationis, ut patet ex dictis. Et idem Soar. expressius inquit *num sequenti* 13. in favorem nostræ resolutionis, ibi: *Ratio autem non est alia, nisi ea, quæ insinuatur ab ipso Panormit. & quam sæpe tetigimus, scilicet, quod nullum sit jus requirens per se hanc conditionem ad valorem secundæ dispensationis, etiam circa eamdem rem; nec est ratio, quæ illam probet, nisi quando occurrunt aliæ circunstantiæ explicatæ, ut satis ostensum est.* Sic Soar. Et nullus datur textus, nec circunstantia, quæ postulet in nostro casu, quod prima dispensatio concessa sit declaranda in supplica, ut secunda sit valida. Idem etiam colligitur ex doctrina Castr. Palaus *tom.* 1. *tract.* 3 *disp.* 6. *punct* 16. § 4. *numer.* 4. *numer.* 5. inquit, solùm duplici, aut in triplici eventu, faciendam esse mentionem de priori dispensatione, ut posterior sit valida. De primo, & tertio nihil contra præsentem casum. In secundo solùm videtur esse contra illum exemplum uxoricidij ad contrahendum matrimonium: nam si impetrata dispensatione, aliud committatur, in secunda dispensatione necessariò facienda est mentio de prima impetrata; in quo subscribit Sanch. Soar. & Basilio, argumento *text. l.* 3. *citat.* At in eo textu id non exprimitur. Additur non fuisse eodem modo aborsum commissum in secundo eventu, ut fuit in primo ut dictum est.

6 Quarta ratio est, ex dictis à Filliuc *tract.* 10. *cap.* 10. *num.* 325. ibi: *Si item peteretur remissio secundo ejusdem crimis, debet facere mentionem prioris, ex cap. penult. de rescript. & capit.* 2 *de filijs presbyt. in* 6. *Sed hoc non puto esse receptum.* At Tambur. *tom.* 2. *l.* 8. *tractat.* 2. *capitul.* 9. §. 3. *numer.* 13. volebat hæc ultima verba aliqua firmari ratione, ut à sua possit resolutione discedere. In illis tamen verbis illum excuso, non tamen in antecedentibus. Excuso in illis verbis, quia cum Romam scripsisset, & Pænitentiarius S Pontificis fuisset in S. Petri Pænitentiaria, dicere

poterat

poterat, in illa, non esse receptum, fieri mentionem in secunda dispensatione, prioris, quando dispensationes sunt ejusdem rationis. Unde colligitur, magnum esse argumentum, quòd non sit receptum fieri eam mentem in foro externo; nam in interno, & conscientiæ, qualis est Pœnitentiariæ, ubi assistebat, scire debebat, ibi non esse receptum; & sic satis erat suum testimonium, quin aliâ firmaret ratione.

7 Non tamen ipsum Filliucium in antecedentibus verbis excuso, quoad præsentem casum: nam inquit: *si peteretur secundò remissio ejusdem criminis, debere fieri mentionem prioris ex cap. penultim. de rescript. & cap. 2. de filijs præsbyt.* Non enim illum excuso; nam in illis textibus est sermo de certis casibus specialibus, sicut etiam *in cap. penult. de præscript.* & in illis expressè dicitur, non factâ mentione, in secunda dispensatione de prima jam concessa, secundam esse nullam; de illis autem casibus ad alios non similes non fit extensio, ut videre est apud Sanch. Soar. Basil & Castr. Palaum *citat. locis* noster autem casus illis in textibus contentis, non est similis: & solum similes comprehenduntur, ut videre est apud Doctores *citat* Ex dictis satis constat, probabile esse validam fuisse secundam dispensationem nostri casus, non factâ mentione primæ concessæ, ut etiam stabilietur *infra num. 2.*

8 Nec obstat primò dicere, hanc obligationem faciendi, mentionem primæ dispensationis in supplica secundæ oriri ex ipso Curiæ stylo, qui facit jus, juxta Sanch. *l. 3. de matrim. disput. 29 numer. 17.* & alios: ergo illi standum. Non, inquam, obstat, nam respondetur primò, plures contrarium docere, & non esse observandum in alijs tribunalibus; nec tollit probabilitatem contrariæ sententiæ, apud Dian. *part. 10. tractat. 15. resolut. 7.* & *part. 11. tractat. 5 resol. 1.* Respondetur secundò, non obligare pro foro conscientiæ, ut ex *citat.* Doctores jam vidimus, alij videri possunt, apud Dian. *proxime.* Respondetur tertiò, non obligare in Hispania, ut tenent Emmanuel. Rodrig. *tom. 4. capitul. 39. conclus. 5.* Ceval. *in qq. practicis quæst. 737. à numer. 20.* Respondetur quartò, dato, quòd obliget, dum id nobis certò non constat, ad illius observantiam non tenemur Granad. *citat. dict. controvert. 7. tractat. 3. part. 2. disput. 17. sect. 6. numer. 46.*

9 Non obstat secundò, quia communis sententia sustinet, faciendam esse mentionem in supplica secundæ dispensationis primæ jam concessæ; aliàs enim impetratio secundæ erit subreptitia; Sic Sanch *l. 8. de matrim. disput. 21. numer. 15.* & *disput. 22. numer. 20.* Soar. *de leg. l. 6. capit. 23. numer. 12.* Basil. Pont. *l. 8. de matrim. capit. 17. numer. 5.* Garcia *de benef. part. 8. capit. 3. numer. 28.* Sa aff. *de leg. tract. 14. disp. 20. sect. 15.* Laym. *tom. 1. l. 1. tract. 4. cap. 23. vers. Si aliquis*, & alij plurimi: non est ergo absque opinione probabili ab illa recedendum. Non, inquam, obstat, quia respondetur primo, eam sententiam communem à Soar. Basil. & Castr. Palao tribus regulis limitari; & in exemplis ab illis adductis noster non comprehenditur casus; ut magis patebit ex responsione ad sequentem obstantiam. Respondetur secundo nostram resolutionem esse probabilem, ut ex dictis constat, & ex jam dicendis magis constabit.

10 Nec etiam obstat tertio *l. 3 C. de Episcop. audient.* sæpius *hac quæst. citat.* & illius verbis adductis, ex quibus inferunt DD necessariò deberi fieri mentionem primæ dispensationis concessæ, quando petitur secunda, ut Princeps intelligat quantitatem, & qualitatem causæ sibi propositæ; & afferunt crimen uxoricidij jam supra adducti, & idem dicent de aborsu ob inter utrunque similitudinem: ergo necessariò in secunda dispensatione de irregularitate ex aborsu, fieri debebat mentio de prima, circa irregularitatem eandem ex aborsu obtenta, ne hæc secunda maneat subreptitia. Non, inquam, obstat, quia respondetur primò, jam illorum illationem DD. juxta eandem legem, intelligendam esse pro foro externo, in quo publica delicta iterata debent esse irremissibilia; secus dicendum, quando pro foro interno dispensatio postulatur, ut *supra* diximus cum citat. Doctores *numer. 4.* & ex ipsa ratione.

11 Respondetur secundò, ex Sanch. *l. 8. de matrim. disp. 21. num 15.* inferente generaliter, quoties in jure cavetur, ne in aliquo casu dispensatio concedatur, neve delictum remittatur, esse illius specialem faciendam mentionem in supplica ad secundam, de prima dispensatione jam concessa: cum verò in *dict. l. 3.* decidatur, quòd delictum semel remissum iterum non remittatur, infert idem Sanch. *cit.* in remissione secundi homicidij, necessariò faciendam esse mentionem remissionis primi. Quæ doctrina ab omnibus est recepta apud Castr. Palaum *dict. tom. 1. tract 3. disput. 6. punct. 16 §. 4. num. 5. in fine.* Ex illa ergo infero *dict. l. 3.* debere intelligi, juxta legem Ecclesiasticam, & Tridentin. Cùm verò *in Tridentin. sess 24. de reform. cap. 6.* non caret dispensatione committens homicidium casuale occultum, ut pluribus relatis tenet Barbos. *de potest. Episcop. alleg 39 numer. 48.* & *in collect. ad cit. Tridentin. locum numer. 33.* & absque ullo dubio alijt allatis Torrecill. *de jurisdict. Episcop tract 1. q. 1. sect 4. diffic. 27. in principio*, & alij, quos *supra q. 41. n. 2* adduxi: ergo cum secunda dispensatio à Francisco obtenta esset ex homicidio casuali occulto, nempe

ex aborsu casuali occulto; non erat in omni sententia, & rigore juris *dict. l.* 3 facienda mentio de prima dispensatione homicidij voluntarij, nempe ex aborsu voluntariè commissio. Secus dicendum existimo, si utrunque homicidium aborsus fuisset voluntarium; juxta DD *cit.* & communem sententiam. Etiam cum addito, dicta supra existimo nullo modo esse admittenda, quia sunt contra communissimâ sententiam à qua nullo modo recedo.

12 Imo addo, potuisse dictum Franciscum pro dispensatione sui homicidij casualis, ad Episcopum pro dispensatione recurrere, quin mentionem faceret de prima dispensatione à S. Pontifice impetrata, ex eadem ratione & quia Episcopo non adempta fuit potestas ad dispensandum in homicidio casuali occulto, cum eo, qui voluntariè aliud commisit; ut ex terminis concessionis *dicti Concil. capitis* patet.

QUÆSTIO XLVII.

Responsio ad Illustriss. & Reverendiss. D. Commissarium generalem Bullæ Cruciatæ super dispensationem irregularitatis; ab eo concessam, & ab Ordinario non admissam in particulari casu, quia narrata non fuit veritas ipsi commissario in petitione ipsius dispensationis.

SUMMARIUM

1 *Facti species.*
2 *Dispensatio irregularitatis ab Illustriss. D. Commissario obtenta fuit validè, & licite concessa.*
3 *Ea dispensatio pro utroque foro prodest.*
4 *Etiam si irregularitas, ad forum externum esset, & fuisset deducta, & judicium non sit finitum*
5 *Commissarius causas irregularitatis incursæ non examinat.*
6 *Nec bene respondit Vicarius in spiritualibus.*
7 *Potest procedere censuris, contra non observantes gratias ab eo concessas.*
8 *Non eximit dispensatos, per dispensationem, à pœnis debitis ob sua delicta.*
9 *Ordinarius potest litteras commendatias suis subditis sacerdotibus, ut sibi justum visum fuerit, concedere.*
10 *Ad Commissarium postulatio.*

1 PEr suam petitionem ad Illustriss. & Reverendiss. Dom. Commissarium Bullæ Cruciatæ Lusitanum recurrit quidam sacerdos, pro dispensatione irregularitatis, quam contraxerat, celebrando Missam ligatus censurâ excommunicationis. Gratiam pro utroque foro concessit illustrissimus Dominus. Sacerdos, hujus gratiæ concessione per alteram petitionem ad suam recurrit Ordinarium, ab eo postulans commendatitias litteras ad aliam, seu alias Diœceses. Responsum accepit: *Non esse locum petitioni ad litteras commendatitias, quia supplicans non erat legitimè dispensatus, quia narravit; suam appellationem, quoad irregularitatem non fuisse receptam, cum ex ultima sententia oppositum constet.* Hæc legens sacerdos, ad commissarium redijt, querens de non accepta dispensatione irregularitatis, illi suorum criminum acta offerens Illum cum actis ad me misit Illustriss. Commissarius, ut quod sentirem, proferrem.

RESPONSIO.

2 Vidi utriusque petitionis decreta. Et latum a V. Illustriss. fuit validum, justum, & licitum. Ratio est, quia Illustriss. Vest. habet potestatem ad dispensandum irregularitate contracta ab illo, qui aliqua ligatus censura Missas, aut alia divina officia celebraverit, ut expressè constat ex ipsa Bulla latina, ibi: *Ac etiam super irregularitate per eos contracta quibusvis Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis ligati, Missas, & alia divina officia, non tamen in contemptum clavium celebraverint, quomodolibet contracta, &c* Et irregularitas ab Illustriss. V. dispensata, fuit, quia dictus sacerdos cùm esset ligatus censura excommunicationis, Missas celebravit, ut ex actis sententia sui Ordinarij constat. Et quòd juxta dictam potestatem, potuisset Illustriss. V. dispensare in præsenti casu, concedunt omnes. Costa de Andrada *in Expos. Bullæ Lusin q* 97. *vers. Quibus positis.* Abreus *de Paroch. l.* 10 *sect.* 8 *num.* 602. & 603 & Expositores Bullæ Cruciatæ Hispaniæ concessæ, mox citandi, quatenus nobis conveniunt in hac clausula, & ego ipse *in Expos. nostræ Bullæ disp* 23 *num.* 36.

3 Et quod V. Illustriss. possit dispensare in dicta irregularitatè, non solùm pro foro interno, sed etiam pro externo, est commune inter DD. Sic Costa *cit. vers Secunda Conclusio*, & Expositores Bullæ Hispan. nobis in hanc clausulam convenientes, Henriq. *l.* 7. *de Indulg. cap.* 13 *num.* 15 Rodrig. *in addit. ad* §. 3 *num.* 1. Trullench. *in cap.* 7. *Bull. l.* 2 §. 3 *dub.* 1. *num.* 4. & apud ipsum, Avila *part.* 7. *disp.* 10. *dub.* 5. & Castr. Palaus *tom.* 4. *tract* 25 *de Bull. punct.* 11. *num.* 4 Villal. *tract.* 27. *num.* 6. Dian. *part.* 5. *tract.* 11. *resol.* 125. *Vers. Igitur ex his* Escob. *in Theolog. moral. l.* 7. *num.* 366. Bardi *in expos. Bullæ part.* 3. *tract.* 2. *cap.* 1. *num.* 12. Mend. *ibidem, disp.* 27. *num.* 43. Fr Ioseph Mendes *in Theol. moral. fol.* 228. *num.* 7. Ego ipse *cit. num.* 37. Et pro nostra Bulla ratio est clara, in qua conceditur nostro Commissario potestas dispensandi in dicta irregularitate, ibi: *Quomodolibet contracta.* Quæ dictio cùm sit universalis, comprehendit omnes casus, & omnia continet, ut cum cõmuni DD. tradit Barbos. *tract. de diction.* 330 *num.* 1. & 10. ergo comprehendit facultatem dispensandi pro utroque foro. Consulatur nostræ

Bullæ

Bullæ Expositio *loco cit. num.* 38. & 39. ubi aliæ rationes adducuntur efficaces.

4 Et hæc potestas Illustrissimæ V. conceditur, etiam ad dispensandum, quando eæ irregularitates ad forum contentiosum sunt deductæ, & judicium adhuc non est finitum; ut tradunt DD. citati. Unde notant ipsi DD. maiorem potestatem concedi in Bulla Commissario Cruciatæ circa has irregularitates, quam Episcopis in *Trident. sess. 24. de reform. cap* 6. Hæc ex professo egi *in Expos. Bull. loco cit. a num.* 39. Ex dictis in his *tribus non* constat potuisse Illustriss. V. dispensare cum dicto sacerdote, in irregularitate contracta, pro utroque foro; & non obstante, quòd ad forum contentiosum fuisset deducta, & in eo foro judicium circa illam non esset finitum.

5 Nec obstat, quòd sacerdos in petitione ad V. Illustriss. interposita falsum circa appellationem narrasset; nam Commissarius Bullæ generalis ex cognitione causæ juridica non dispensat, seu tantùm ad petitionem delinquentis, sive causa sit vera, sive falsa, sive irregularitas sit certò contracta, sive in dubio, sive ab scrupuloso: quia potestas Commissarij est absoluta; & ad irregularitatem, *quomodolibet contracta*; ut habetur in *clausula num.* 3 *adducta*.

6 Unde non rectè respondit Vicarius Generalis in spiritualibus auditis senatoribus sui Episcopi, dictum sacerdotem non fuisse legitimè dispensatum, quia in sua petitione ad V. Illustriss. verum non narravit; quia sive verum, sive falsum narrasset, si re vera erat irregularis, irregularitate fuit dispensatus; & si de illa dubitationem habebat, ad cautelam poterat dispensari; quia Commissarius dispensavit, in quantum poterat, & potestatem habebat ad dispensandum in ea irregularitate, sive causa adhibita fuisset vera, sive falsa; quia non dispensat sub clausulis: *Veris existentibus narratis: Si ita est. Si preces veritate nitantur.* Quod in præsenti, patebat advertere R. Vicarius Generalis in spiritualibus, & senatores illius tribunalis.

7 Duo tamen, aut tria hic sunt advertenda. Primum, posse V. Illustrissimam, & suos subdelegatos Commissarios censuris, & alijs pœnis compellere non servantes Bullæ privilegia, vel eis resistentes. Ratio est, quia Commissarius habet jurisdictionem Ecclesiasticam à S. Pontifice concessam, ad executionem eorum, quæ ipsi ab eo committuntur; & constat ex Bullis Gregorij XI. Clementis VIII. Clementis IX. Pauli V. & aliorum Pontificũ. ibi *Ad executionem præmissorum, & aliorum, juxta facultates concessas, omni, & quacunque appellatione postposita procedendi, aliaque faciendi, & exequendi, quæ in præmissis circa ea necessaria fuerint, & quomodolibet opportuna.* Et originalia harum Bullarum habentur apud V. Illustriss. post originale Bullæ Gregorij XIV. Et ita tradit Mend. *in Expositionem Bullæ Hispaniæ concessæ disp* 38 *num.* 56. & ego. *in Expos. nostræ Bullæ disp.* 24 *a num.* 30 & idem supponunt Gabriel Pereira *in Man. Reg. l.* 1 *tit* 9. §. 12. *cap.* 8. *n.* 2. & 3. & illum citans, D. Ioann. Solorzanus *tom.* 2. *de Iur. Indiar. l.* 3 *cap* 25.

8 Secundum advertendum: Quamvis dicta dispensatio irregularitatis, pro foro contentioso, prosit dicto sacerdoti, posse Ordinarium, illum ob delictum patratum, punire; nam dispensatio à V. Illustriss. concessa, illum à pœna debita non eximit, sed solùm tollit irregularitatem, ne in futurum valeat, aut ut irregularem se gerat. Quod bene notavit Bardi *supra cit. dicta disp.* 23. *num.* 41. convenit enim quod delicta, & maximè scandalosa puniatur.

9 Ex hac advertentia patet, potuisse R. Vicarium Generalem in spiritualibus negare dicto sacerdoti litteras commendatitias ab eo in sua petitione petitas, si ita æquum existimabat; nam harum concessio ad illum pertinet; nec ex eo, quòd in irregularitate sit legitimè dispensatus. illi debentur, si illius mores, illas non mereantur. Dixi: *potuisse R. Vicarium in spiritualibus negare, aut concedere ipsi sacerdoti litteras commendatitias*; intelligens ex commissione speciali Episcopi illas posse concedere, aut negare; nam apud Tambur. *tom.* 2 *l.* 7 *cap* 8. §. 2. *num.* 2 de jure has litteras concedere ad Episcopum pertinet.

10 Existimo V. Illustrissimam non debere statim contra Vicarium in spiritualibus procedere; quia privilegia Bullæ, & potestates V. illustrissimæ nescit, quia Authores non habet, a quibus ea possit addiscere, & quacunque V. Illustriss. admonitione, & cognitione illorum, quæ secum affert dispensatio dictæ irregularitatis, quæ extra illam, nulla sunt, facillimè obtemperabit V. Illustriss. mandatis.

QUÆSTIO XLVIII.

An Parochus à superiore Prælato, per sententiam suspensus ab officio Parochi possit à suo Prælato inferiore, dispensationem obtinere; & si suspensioni contra veniat, fiat irregularis?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Posse dispensari à suo Prælato inferiori Mauritium, existimavit Iuris consultus in praxi versatus.*
3 *Oppositum censeo certum ex ipso jure.*
4 *Ex DD. authoritate.*
5 *Dicta suspensio non est censura.*
6 *Episcopus ex probabiliori sententia potest suspensionem a jure latam dispensare.*
7. & *Non tamen potest dispensare latam ab homine superiore.*
8 *Virtute Bullæ Cruciatæ dispensari non potest suspensio ab homine.*

9 *Irregularitas contracta a suspenso, ob puram pœnam, quia suspensus celebravit; a Commissario pro utroque foro potest dispensari.*

1 CONtra Mauritium cujusdam Parochialis Ecclesiæ Diœcesis Portugallensis Rectorem lata fuit sententia, in prima instantia, propter verba injuriosa suo parochiano illata. Ad Metropolitanam Curiam interposuit appellationem. Et in eo senatu pœna pecuniaria, & suspensione officij Parochi per sex menses damnatus fuit. Interposità ad Sedem Apostolicam appellatione, & receptâ. A suo Episcopo Portugallensi illius suspensionis precatur dispensationem. Quæritur 1. An illam concedere possit? 2. An si Parochi officium exerceat, fiat irregularis? 3 An possit pro illis sex mensibus, alium sacerdotem approbatum substituere, qui & munera Parochi obeat, & Rectoratus fructus recipiat?

§. I.

An Episcopus Portugallensis dictam suspensionem dispensare possit.

2 Nomine Mauritij Illustrissimo Portugallensi Episcopo judicium cujusdam juris consulti præsentatum fuit, erudite, & affabrè compositum. Et cùm mihi missum fuisset, ut subscriberem, ego minimus ausus non fui; non sine querela Doctissimi Magistri primariæ cathedræ Theologiæ Moralis nostri collegij Bracharensis. Quia consultum Iuris consulti solùm nitabatur rationibus, textibus, & DD. circa pœnas à jure impositas aliquibus delictis, in quibus ipso jure Episcopus dispensare potest. At cùm dicta suspensio ab ipso jure non esset imposita delicto ab ipso Mauritio commisso, sed à Senatu Bracharensi Episcopo Portugallensi superiore; in ea Episcopus, ut inferior, dispensare non poterat, quamvis Mauritij esset Prælatus, ut ex sequentibus constabit.

3 Respondeo igitur ad quæstionem in tit. §. propositam, non posse Episcopum dispensare in ea suspensione ab officio Rectoris. Ratio est ex ipso jure deducta; quia non licet inferiori contra factum superioris dispensando venire, *l penult. §. penult ff. de aqua pluvia arc. l. Ille a quo, §. tempestivum, ff ad Trebell. l. Nam & magistratus ff de arbitr. cap. Litteras, de restit. spoliat, cap Super eo, de usuris, & cap. Ut nostrum, de appell.* Sed Episcopus Portugallensis est suffraganeus, & inferior senatu Archiepiscopatus Bracharensis: ergo non potest ire, dispensando, contra factum, nempe sententiam latam à superiore.

4 Ex authoritate DD. eadem ratio ostenditur. Sic expressè in præsenti casu Soar. *tom. 5. in 3 part. disp. 19 sect. 1. numer. 14. in fine*, ibi. *De suspensione lata ab homine, ut puram pœnam; certum est, ab illo solo tolli posse, qui illam tulit, vel a superiore; ut est communis sententia DD. in cap. Tam litteris, de testib. & Summistarum verb suspensio, & Antonin. tract. de suspens. Navarr, cap 27. num. 262.* Sic Soar. Castr. Palaus *tom. 6. disp 4. punct. 9 num 9.* ibi. *At si loquamur de suspensione ab homine lata specialiter, regulariter solus illi successor in dignitate poterit illam relaxare, ne ejus authoritas contemnatur. Quod adeo verum est, ut quamvis superior ipsius possit valide sententiam ab inferiore latam relaxare; illicitè tamen procedet, tam relaxationem concedens, ut aperte probat Gloss. in cap. &c.* Sic Palaus Bonac. *tom. 1. tract. de Cens. disp. 3. de suspens. punct. ult. num 6.* ibi: *Rogabis utrum suspensio lata, in puram pœnam pro delicto præterito, auferri possit ab Ordinario, aut alio inferiore? Resp. negativè Ratio est, tum quia suspensio lata in puram pœnam pro delicto præterito, non aufertur per absolutionem, sed per dispensationem; consequenter non potest auferri ab eo, qui est inferior eo, qui suspensionem tulerat, etiam si inferenda illa pœna nulla mentio reservationis facta fuerit.* Sic Bonac. Idem tenet Filliuc. *tract. 17. cap. 4. num. 67 & clarius num. 68.* & alij quos citant: Sed Episcopus Portugallensis est inferior Archiepiscopo Bracharensi, qui per sententiam suorum senatorum, tulit eam puram suspensionem: ergo illam dispensare non potest.

5 Et certum est, suspensionem ab officio Rectoris Mauritio impositam, in pœnam sui delicti, non esse censuram, sed meram pœnam: illa enim imponitur, ut medicina; hæc autem, ut pura pœna delicti, ut communiter tradunt DD. Soar. *cit. disp 25. sect. 1. numer. 2.* Bonac. *proximè dict. disp. 3. de suspens. punct. 1 numer. 2.* Castr. Palaus *allatus dict. disp 4 punct. 1. numer. 3. prope finem,* Tamburin. *tom. 2 l. 10. tract. 2. cap. 2. num 2.* Leand *tom. 4. tract. 4 disp. 1. q. 3.* & omnes: at prædicta suspensio à superiore non fuit imposita, ut medicina, sed in pœnam delicti commissi à Mauritio: ergo ab inferiore dispensari non potest.

6 Nec obstat primò; quia benignior, & forte, probabilior sententia tenet, posse Episcopum dispensare in suspensione a jure, in puram pœnam, delicto impositam, ut tradunt *Gloss. in Clement. 1. §. verum, verb. Excommunicationis, de hæret. & in cap. Cupientes, §. Cæterum, verb. suspensos, de elect. in 6.* Innocent. Covarruv. Vivald. Sayr. Soar. Laym. Avila, quos affert, & sequitur Castr Palaus *cit num. 6.* ergo etiam poterit dispensare in suspensione ab homine, in pœnam delicti imposita, maximè quando in perpetuum non est imposita, sed tantùm per sex menses. Non, inquam, obstat, quia respondetur primò ad antecedentem oppositam sententiam esse æque probabilem, quam tradunt gravissimi DD. ab ipso Castr Palao *cit. num. 5.* Scilicet Panormit. Felin. Angel. Sylvest. Tabien. Navarr. Philiarch. Valent

Ugol.

Ugol. Gasp. Hurt. & alij & quamvis licitum ut Episcopo, & alteri cuicunque, inter duas opiniones probabiles, sequi, quam maluerit. Attamen ipsæ opiniones non loquuntur de dispensatione suspensionis ab homine latæ, de qua nostra procedit quæstio, sed de suspensione ab ipso jure lata, quod est, quid diversum. Quare.

7 Respondetur secundò, negando consequentiam: Diversa enim datur ratio, ut Episcopus dispenset in suspensione purè pœnali à jure imposita, in pœnam delicti, quando non est reservata, ac dispensare, in suspensione purè pœnali ab homine lata in pœnam delicti, etiam si non reservetur: nam in dispensatione illius, nullius datur offensio; at in ista judex offenditur, & si sit superior, nullus datur Author asserens, posse inferiorem dispensare in suspensione, per sententiam latam à superiore in pœnam delicti.

8 Non obstat secundò, suspensionem merè pœnalem posse absolvi virtute Bullæ Cruciatæ; ut docent Cornejo, Avila, Filliuc. quos sectatur, & refert Leand. 4 *part. tract.* 4. *disp.* 5. *q.* 5. ergo etiam poterit absolvi ab Episcopo suffraganeo, licèt sit imposita à Metropolitano. Non, inquam, obstat, quia respondetur 1. consequentiam non rectè colligere, quia plura conceduntur per Bullam Cruciatæ quæ ipsis Episcopis non conceduntur; ut per se notum est Respondeo secundò negando antecedens, ut cum Bardi Tambur. & alijs communiter defendi *in Expos. Bull. Cruciat. disp* 17. *à num.* 181. Nec DD. in oppositum procedunt cohærenter, quia dicunt eam suspensionem esse censuram, & per Bullam censuras posse absolvi, & alijs in locis, *jam cit.* dicunt non esse censuram, & bene; & sic per Bullam absolvi nequit.

9 Fateor tamen, si Mauritius tempore durationis ipsius suspensionis Missas, aut alia officia divina celebret, ex qua celebratione irregularitatem incurret, posse jam irregularitatem à Commissario Cruciatæ dispensari in utroque foro, ut dixi *in Expos. Bullæ disp.* 23. *num.* 36. vide *num* 12.

§. II.

An si Mauritius suspensus Parochi officium exerceat, fiat irregularis?

SUMMARIUM.

10 *Ex ipso jure fit irregularis.*
11 *Ratione etiam ostenditur.*
12 *Non tamen durante appellatione, sed factâ desertâ per actus externos.*
13 *Opposita Canonistarum sententia non admittitur.*

10 Respondeo cum communi DD. sententia, Mauritium suspensum ab officio Parochi, si aliquod illius munus exerceat, fieri irregularem. Sic Soar. *tom.* 5. *in* 3. *part. disp.* 26. *sect.* 2. *num.* 4. & *num.* 5. oppositam sententiam vocans improbabilem. Et ut certam sequuntur Filliuc. *tract.* 17, *cap.* 10 *q.* 9 *num* 193 Alter *de Censur. disp.* 6. *cap.* 2. Bonac. *tom* 1 *in tract. de Cens. disp.* 3 *de suspens punct.* 4. *num.* 6. Tambur. *tom.* 2 *l.* 10 *tract* 4. *cap.* 14 §. 3 *num.* 9. Villal. *tom* 1. *tract.* 18. *diff.* 3. *num.* 7. & relatis Sayr existimante, esse censuram, Navarr. Tabien. Covarr. Maiol. Hostiens. Archidiac. & Ioann. Andrea Leand. *tom* 5 *tract* 2 *disp.* 22. *q.* 5. Probatur ex ipso jure *in cap.* 1. *de sentent. excommun. in* 6. ubi loquens de habente suspensionem purè pœnalem, & temporalem per annum, sic inquit: *Sciturus, quod si suspensione durante, damnabiliter ingresserit se divinis, irregularitatis laqueo se involvet, &c.* Idem habetur *cap.* 1. *de sentent. excomm. etiam in* 6. ubi violatori dispositionis S. Pontificis ibi traditæ, imponitur suspensio mere pœnalis, per mensem unum ab ingressu Ecclesiæ, & divinis officijs; & additur ibi: *Caveant autem Ecclesiarum Prælati, & judices universi, ne prædictam pœnam suspensionis incurrant, quod si contigerit, eos sic suspensos divina officia exequi, sicut prius, irregularitatem non effugient, juxta Canonicas sanctiones, &c.*

11 Ex ipsa ratione ostenditur, quia suspensio merè pœnalis, & non censura tam efficaciter privat divinis, dum durat, ac quælibet alia suspensio, quæ censura est; in hoc enim inter se conveniunt, ut tradunt DD *in præcedenti num. cit.* ergo si dictus Mauritius per sententiam latam suspensus, durante ea suspensione, Parochi officij exerceat, fit irregularis. Non erit tamen irregularis, actus jurisdictionis exercendo, quia hi actus non veniunt nomine officiorum divinorum, nec cum actu ordinis conjunguntur, ut cum Soar. Filliuc. Alter tradit Bonac *cit. vers. Rursus dixi.* Quos autem actus ordinis exercere valeat, *Vide dicta supra q.* 32 *à num.* 9.

12 Hæc tamen limitantur pro tempore, quo durabat appellatio à secunda instantia, quæ fuit respecta; appellatio autem sententiam latam suspendit; ut constat ex ipso jure communi *per totum tit ff. nil novari appellat pendent.* & *ex l. Appellatione, C de appell.* & ex jure Lusit. *Ordin. l.* 3. *tit.* 73. & DD quos latè referunt Emman Rhoss. *in remiss. ad hanc Ordin.* & Pegas *in resol. forens. cap.* 15 *à num.* 15. Si tamen Mauritius nullo modo tractat de sequenda appellatione, & actibus externis appellatio reddita est deserta, quia pœnam pecuniariam, qua damnatus fuit, jam solvit; jam currit tempus suspensionis ab officio Parochi, quo fuit damnatus; nam per desertionem appellationis, sententia lata in rem judicatam transit, ut dictum fuit *supra q* 39 *num* 2. Quando verò appellatio censeatur deserta, vide Fragos. *tom* 1. *Regim. Reip. Christ. disp.* 24. § 9. *num.* 196

13 Nec

13 Nec obstat sententia Canonistarum Innocent. specul. ex aliquorum sylv. quos sequitur Maiol. *l. 3. cap. 19. num. 16. vers. Quinta declaratio* Leon. *l. 6. de Cens. num. 5.* & probabilem dict. Villal. *tract. 18. diff. 3. num. 7.* citans Avil. *part. 3. disp. 5. dub. 8. vers. Argumentum*, sed non bene, quia ibi non loquitur de hac suspensione. Et probant, quia hæc suspensio non est censura: ergo per illius violationem irregularitas non incurritur. Non, inquam, obstat hæc sententia, ut constat *ex dictis num. 10.*

§. III.

An Mauritius pro illis sex mensibus suspensionis Parochi substituere possit aliquem sacerdotem ab ordinario approbatum, ut munus Parochiale exerceat, & interim fructus recipiat.

SUMMARIUM.

14 *Potest substituere: Non enim fuit suspensus à beneficio.*

15 *Suspensus ab officio Parochi, non est suspensus ab officio sacerdotis.*

14 Respondeo posse. Ratio est, quia per sententiam latam ab officio Parochi fuit suspensus, & nomine *officij Parochi*, non comprehenditur beneficium, ut communiter docent DD. quos latè referunt, & sequuntur Dian. *5. part. tract. 10. resol. 1.* & Lendr. *part. 4. tract. 4. disp. 3. q. 4. & 5.* Alij videri possunt *supra quæst. 33. num. 32.*

15 Adverto, Mauritium per solos tantùm sex menses fuisse suspensum ab officio Parochi, & non absolutè ob officio sacerdotis. Unde censeo, Missas posse quotidie celebrare, non tamen Missam ad Parochianos; & potest divinis officijs, & defunctorum assistere in alijs Ecclesijs, & in propria non ut Parochus, sed ut quilibet alius sacerdos particularis. In his enim divinis, Parochi officium, a quo tantum est suspensus, non exercet.

QUÆSTIO XLIX.

An sine Simonia possit aliquis suum resignare beneficium in favorem alterius, nulla sibi, nec alteri reservata pensione, dummodo ei post possessionem ipse alter omnes tribuat fructus pro sua vita?

SUMMARIUM.

1 *Facti species primi casus.*
2 *Secundi casus propositi.*
3 *Resolutio quorundam Magistrorum.*
4 *Hæ resignationes sunt Simoniacæ ex ipso jure.*
5 *Etiam authoritate DD.*
6 *Abstineri debet ab ipso pacto, ne manifesta committatur semonia, & injustitia.*
7 *Idem ostenditur ratione.*
8 *Ex justis causis aliquando à S. Pontifice ea conceditur resignatio.*
9 *Si S. Pontifex ex causa moveatur ad concedendam gratiam pro medietate, probabilius est gratiam fuisse concessam, ex industria procuratoris.*
10 *In resignatione, cum reservatione omnium fructuum, apponitur clausula. Data facultate, &c.*

1 Dionysius beneficiarius suum intendit resignare beneficium in favorem Rustici, nulla sibi, nec alteri reservata pensione; desiderat tamen hoc exprimens, quod resignatarius Rusticus post possessionem omnes illi tribuat beneficij fructus, aut illorum maiorem partem. Et si hoc esse nequeat absque Simonia; idem beneficium in favorem illius adhuc resignare vult; dummodo ei exexpresse promittat ex gratitudine, post beneficij possessionem, omnes, vel maiorem fructuum partem à resignatario esse conferendam.

2 Huic casui sequentem non dissimilem annecto, de quo etiam fui interrogatus. Quædam Monialium Abbatissa maximè desiderabat, sacerdotem suæ obligationis, ad beneficium curatum præsentare. dum monasterij regimen tenebat, quia beneficium erat præsentationis Monasterij. Precata fuit beneficiarum pro illo tempore beneficium possidentem, ut illud absolutè resignaret, & omnes illius fructus illi tribuerentur. Pro utroque casu quæritur primò: An eæ resignationes fieri possint absque labe Simoniæ? 2. An saltem à Simonia sint immunes, si factâ promissione de tribuendis fructibus ex gratitudine, illos possint percipere?

§. I.

An dictæ resignationes absque labe Simoniæ fieri possint.

3 Doctissimi Magistri de casu *num. 1.* adducto consulti, responderunt, primo modo proposito, esse Simoniacum, & necessum esse ad S. Pontificem recurrere, ut illius authoritate, simonia cessaret, & non daretur. Secundo modo proposito id esse immune à Simonia, consuluerunt Dionisio.

4 Respondeo utrasque resignationes *num 1. & 2.* propositas. esse Simoniacas, si fiant sine authoritate Pontificis. Ex ipso jure ostenditur, quia omnis pactio, conditio, aut modus, quæ ex natura rei, aut ex ipso jure beneficio non insunt, simoniam inducunt in collatione, vel renuntiatione beneficij, absque authoritate Pontificis, juxta *text. in cap. Quampio*, ibi: *Dum tamen omnis absit pactio, omnis cesset conventio 1. q. 2.* & in *cap. finali*, ibi: *In spiritualibus obtinendis omnis pactio, omnisque cõventio*

tio cessare debet; de pact. Ubi Gloss. *Verb. cessare*, reddit rationem, *Quia hujusmodi pactiones Simoniam induunt.* Et Gloss. *in cap. significatum, de præbend. vers. Itaque*, ubi postquam dixit, aliquos dicere, posse, beneficium dari cum pacto spirituali, paulo inferius subjicit: *Hæc vera essent, nisi obstaret Simonia*; & alios apud DD jam citandos.

5 Hanc doctrinam fatentur veram. Navarr. *In summ. cap.* 23 *num.* 100. *& l.* 5. *consil. tit.* 3 *de Simon consil.* 4. *&* 20. Sanch. *l.* 2. *consil. capit* 3. *dub.* 15 *a num.* 6. Soar. *tom.* 1 *de Relig. l.* 4. *de Simon. cap.* 35. *num.* 3. *ante medium*, & ad præsentes casus *cap.* 38. *num.* 5. Regin *l.* 23. *q.* 2. Vide Bonac. *tom.* 1. *& de Simon. disp.* 1. *q.* 4 §. 11, *num.* 9 *& in respons. ad* 3. *objectionem*: Sed prædicti, scilicet Beneficiarius, & Monialis Abbatissa, in ea prætentione volunt inire pactum super renuntiationem beneficij, in ijs, quæ ex obligatione non insunt ipsi beneficio: ergo non solùm, ne manifestam Simoniam committant, ab illo pacto abstinere debent, sed etiam, ne injustitiam claram; ut jam videmus ex ipso jure, & ratione.

6 Ex ipso jure, quia resignatio cum reservatione omnium, aut medietatis fructuum, est ipso jure communi prohibita: nam beneficium dividi nequit, *cap. Maiorib. de præbend.* Sed dividitur, si resignans maneret cum beneficij fructibus, & resignatarius cum jure tantum, & titulo beneficij. Nec cum diminutione conferri debet, *cap Avaritiæ*, §. *Ideoque mandamus ibidem*, & *cap. Unico* §. *omnibus ergo ut Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur*: at si resignans maneret cum omnibus, aut medietate fructuum, beneficium cum diminutione conferretur.

7 Ipsa ratione ostenditur, quia æquum non est, ut unus tantùm beneficij habeat onus, & alter illius fruatur fructibus. Sic Azor *part.* 2. *l.* 7. *cap.* 21 *q.* 1. Filliuc. *tract.* 41 *de benef. Eccles. cap.* 10. *num.* 25. Bonac *proxime dict. num.* 9. Barbos *tom.* 2. *in collect. ad cap. maiores cit.* & *cap. unico, ut Ecclesiastic. benef. & c. num.* 1.

8 Ea tamen resignatio à S. Pontifice, justis de causis, solet admitti, vel ut resignans habeat, unde commodè sustentari possit, cum alioquin titulum administrare, & functiones exercere non valeat; vel ad gratificandum beneficiarium, qui ratione laboris, & munerum egregiè gestorum, vel prærogativæ personæ, ut tradunt Azor, & Filliuc. *locis cit.* at cùm in præsentibus casibus hæ justæ causæ apparere non videantur; censeo, S. Pontificem gratiam non concessurum.

9 Si tamen talis detur causa, quâ S. Pontifex moveatur ad concedendam eam gratiam, non ut petitur cum reservatione omnium fructuum, ut ei à procuratore propositum fuit, sed tantùm pro medietate: adhuc probabilius est, validam fuisse eam gratiam; quia in acceptatione, videtur procuratorem utiliter gessisse negotium sui principalis, ut tenent Parisius *l.* 9. *q.* 17. Azor. *cit. cap.* 22. *q.* 11. Filliuc *num.* 26.

1 In hac resignatione cum reservatione omnium fructuum, opponi solet hæc clausula: *Data facultate, ut eos propria authorite percipiat.* Quæ intelligenda est, ut resignans eos omnes fructus, per se ipsum percipere possit, absque alterius consensu: supponitur enim in acceptatione beneficij, factâ à resignatario, fuisse datum consensum ab eo ad talem resignationem, ut ex *num.* 1. & 2 constat.

§. II.

An dicti beneficiati sint immunes à Simonia, si fructus omnes, aut illorum medietatem percipiant, ex factâ promissione ex gratitudine, ab ipsis acceptata?

SUMMARIUM.

11 *Non sunt immunes à Simonia.*
12 *Ex ipso jure ostenditur.*
13 *Promissio ex gratitudine beneficio non inest.*
14 *Non licet pactum de aliquo temporali retribuendo, tamquam motivo, seu pro compensatione gratuita.*
15 *Authoritate DD. stabilitur.*
16 *Oppositum sequentes non admittuntur.*
17 *Quod in mutuo constituit usuram, si pro spirituali conferatur, Simoniam constituit.*
18 *Si pactum addatur ad id, quod ex jure naturali debetur, non datur nova obligatio, at si addatur promissio ad id, quod ex gratitudine debetur, datur nova obligatio.*

11 Respondeo, non esse immunes à Simonia, nec ipsos promittentes ex gratitudine: Ratio est, quia intervenit pactum: *Renuntiabo in te meum beneficium, si promiseris ex gratitudine, quod ego illius beneficij omnes fructus, aut illorum medietatem percipiam.* Additio autem *ex gratitudine* continet falsitatem; nam eo ipso quod unus ex se promittit, & alter exigit, & acceptat, nec ille liberaliter promittit, nec iste liberaliter exigit: hoc enim est ludere verbis, ne Simonia appareat. Demus, quod sic dicat beneficiarius: *Ego tibi conferam meum beneficium, si tu mihi conferas ex gratitudine centum aureos.* Quod, ut ex se patet, est Simoniacum, & non ludendo verbis, est idem, ac conferre beneficium pro centum aureis, & spirituale pro temporali: sed omnis pactio, omnisque conventio ex ipso jure reprobatur, ut simoniaca: ergo.

12 Minor est certa, & constat ex *cap finali*, ibi: *cum in hujusmodi* [nempe spiritualibus obtinendis] *omnis pactio, omnisque conventio debeat omnino cessare, de pact.* Eadem verba habentur *in cap. Quam pio*, 1. *q.* 2. *Et in cap. Quæsitum, de rerum permut.* adnotatur, ejusmodi pacta continere semper labem Simoniæ. Idem

habetur

habetur *in cap. Tua nos, de Simonia*, ibi: *Si quis clericus cum conditione, vel pacto largiatur, aut offerat bona sua, ut illa postea, &c.* & alijs *num. 4. adductis*: Ubi notanda sunt verba, *omnis pactio, omnis quæ conventio*, in quibus dictio *omnis* comprehendit omnes pactiones, & conventiones, ut ex jure, & infinitis DD. ostendit Barbos. *de diction. 241. num. 1. & sequentibus*: ergo.

13 Maior, in qua tota est difficultas, adhuc, roboratur. Quia ut vidimus *numer 4.* in collatione beneficiorum est prohibitum omne pactum, conditio, & modus additus, qui ex natura rei, & ipso jure non insunt beneficio: sed collationi prædictorum beneficiorum additur promissio ex gratitudine, quæ ex natura rei, & ipso jure non inest eis beneficijs; nam supra gratitudinem additur obligatio ex pacto quæ est diversa, & maior ipsa gratitudine. Nam si quis deficiat gratitudini, erit ingratus, si autem promissioni deficiat, erit infidelis. Deinde gratitudo est voluntaria, & pactum promissionis voluntarium non est, & inter homines magis urget: ergo cùm collationi, seu renuntiationi beneficiorum non possit addi pactum, conditio, aut modus, quod ipsi beneficio non insit, ea promissio, quamvis gratitudinis, est Simoniaca.

14 Eadem resolutio ostenditur: Quia in obtinendis beneficijs non licet paciscì de aliquo temporali retribuendo; tamquam motivo, seu compensatione gratuita; nam S. Pontifex Innocentius XI. die quartâ Martij anni 1679. hanc damnavit propositionem: *Dare temporale pro spirituali non est Simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, sed duntaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale; vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali; aut è contra.* Quæ ex damnatis est 45. sed in beneficijs prædictis datur temporale, nempe fructus beneficiorũ, licèt non in pretium, ad minus dantur tanquam motivum conferendi spirituale, & ex compensatione gratuita, quod quidem motivum, & compensatio gratuita, videtur esse quædam promissio ex gratitudine, quæ non licet: ergo non licet paciscì de retribuendo temporali, tamquam motivum ad obtinendũ spirituale.

15 Hæc nostra resolutio est tenenda pro utroque foro, & ut vera consulenda; Illam defendunt Soar. *tom. 1. de Relig. l. 4. de Simon. cap. 45. num. 9. cum pluribus*, Laym. *l. 4. tract. 10. cap. ult. § 2. num 9.* Valent. *tom. 3. disput. 6. q. 16. punct. 3.* Azor, & Filliuc. quos refert Mend. *opin benign. differt. 1. q. 22. num. 286* & sequitur *à num. 281.* & ut communem Bonac. *tom. 1. disp 1. q. 6 punct. 1. numer. 7.* De eadem quæst. agit Dian. *part. 2. tract 2. resol. 37. & part. 3. tract. 2, resol. 44. oppositam sequens, & part. 6. tract. 7. resol 42 & parte 11. tract. 7. resol. 23* [inquit] non esse deducendam ad praxim.

16 Nec obstat primò, quòd oppositam sententiam sequantur Caetan. Sot. Covarr. Navarr. Gabiel, Ioann. Pontius, Marc. Vidal, Serr, Francisc. Galletr, Cælestin, Ghilin. & alij apud Mend. *cit. num. 277.* & Dian. *locis cit.* qui eam probabilem dicunt pro foro conscientiæ, & non pro externo: opinio autem tot habens patronos, probabilitate pro eo foro non est destituta. Non, inquam, obstat, quia respondetur 1. eam sententiam, veniâ eorũ DD. esse improbabilem, quia est contra ipsum jus commune, & vidimus, quod obligat in utroque foro. 2. quia nititur falso fundamento. 3 quia si non est probabilis pro foro externo, nec etiam est pro foro interno; nam à foro externo ad internum, & è contra, valet argumentum, Barbos. *in tract. var. loca communia argum. juris loc. 50. num. 1. 4.* Et quia esse damnatam, videtur, ab Innocentio XI.

17 Non obstat secundò: nam id, quòd in mutuo datur, si usuram constituat, si pro spirituali conferatur, Simoniam constituit, ut plures docent apud Mendo *cit.* & quando aliquid à mutuatario ex gratitudine promittitur, non committitur usura: nam ex eo pacto nihil præstatur, ut pretium mutui, quod ex justitia maneat delictum, quod ad constituendam usuram necessarium est, ut docent D. Thom. Soto, Bañes; Salon. Aragon. & alij, quos affert, & sequitur Card. de Lug *tom. 2. de Iustit. disp. 25 sect. 4 num 35.* ergo etiam non constituet Simoniam in spiritualibus promissio ex gratitudine. quia promissor ex gratitudine non manet obligatus. Non, inquam, hoc obstat, quia respondetur in utroque casu eodem modo esse philosophandum, nam promissio magis urget homines, quam ipsa tantùm obligatio antidotalis; nam in hac nulla datur taxa, sed spontanea manet quantitas remuneranti. At inter utranque datur discrimen; nam promittens ex gratitudine temporale pro spirituali, jam in conscientia ex ea promissione manet obligatus, & si fieret pro foro externo, pro eo foro obligatio civilis daretur, quæ datur in promissione facta ex gratitudine à mutuatario ipsi mutuanti. Nam promissio inter homines obligat, & ipsum pactum semper usurarium reputabitur.

18 Non obstat tertiò, quòd *num. 5. precedentis quæst.* dicebamus, licitum esse deducere in pactum sustentationem Episcopi pauperis, quæ illi absque pacto donabant ordinandi, quos ordinare non tenebatur: ergo etiam licitum erit addere promissionem, ad obligationem ex gratitudine. Non, inquam obstat, quia negatur consequentia: Diversa ratio est; nam in casu antecedentis jam ad eam donationem dabatur obligatio ex justitia ab ipso jure naturali, & addito pacto, ex illo nulla maior dabatur obligatio; at in casu consequentiæ, obligationi ex gratitudine; quæ est spontanea & liberalis, additur promissio, quæ ex justitia

obligat,

obligat; & in beneficijs, & spiritualibus est simonica. Ex *seqq. q.* hæc magis patebunt.

QUÆSTIO L.

An sit Simonia, obligare se pacto expresso ad præsentationem cujusdam Parochialis Ecclesiæ pro pensione temporali conferendam post possessionem, ex libera volũtate?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Consultum doctissimorum.*
3 *Eduardus non est tutus in conscientia juxta ipsum jus.*
4 *Nec ex eo, quòd cõtractus fuisset ex gratitudine.*
5 *Et quia eam doctrinam videtur esse damnata.*
6 *Non ex eo, quòd non extetit scriptura de eo contractu.*
7 *Nec præsumptio de sacerdote Christianorum excusat.*
8 *Nec ignorantia facit non esse irritam collationem.*
9 *Consilium in præsenti casu datur.*
10 *Supplica ad S. Pœnitentiariam.*
11 *Rescriptum ab eadem obtentum.*

1 PAtronus quidam sæcularis pactum inijt cum Eduardo, se velle eum in Ecclesia suæ præsentationis nominare, eâ conditione, quod post collationem ex sua libera voluntate, Callisto in quolibet anno tribuat centenos ducatos cum licentia S. Sanctitatis, illi tacendo pactum [ut factum est,] inter ipsos initum. Post collationem nulliter factam, quia Eduardus ætatis suæ vigesimum quartum non habebat annum; interim dictæ pensioni libenter præbuit consensum; & à S. Sanctitate Callistus litteras impetravit; & Eduardus duobus sequentibus annis pensionem solvit. Elapso hoc tempore, ab Episcopo secretò collationem ejusdem Ecclesiæ obtinuit. Angitur tamen maximis scrupulis tum simoniæ incursæ, excommunicationis ob illam latæ, & collationis nullitatis; tum percipiendi fructus Ecclesiæ, novem ab hinc annis, parum, plus minusve. In quibus ordines suscepit sacros, munus parochiale exercuit. Cupit omnium istorum defectuum absolutionem, & dispensationem à S. Pontifice obtinere, ita ut pacatus in conscientia maneat, & Parochus legitimus Ecclesiæ; quam nulliter possidet, declarans, se habere in redditibus annuis quinquaginta supra sexcentos ducatos, quos consumptos habet in necessarijs, & operibus pijs.

2 Consuluit viros Religiosos, & doctissimos, & licèt scrupulosè, illum judicarunt immunem ab excommunicatione, propter illius ignorantiam; & à simonia, propter multorum DD. opinionem, quos præcedenti quæstione *num.* 16. citavimus. Attamen doctissimis munitus consultis adhuc mente, & animo non acquievit; & quærit, an possit deponere scrupulum, cum his doctissimorum virorum consultis; & quid ad suæ conscientiæ pactum facere debeat; nam hoc tantùm intendit?

RESOLUTIO.

3 Non obstantibus illis, quæ in oblato consulto dicuntur satis ingeniosè. Respondeo, Eduardum non esse in conscientia tutum. Ratio est, quia ex dictis *num.* 1 constat, præcessisse contractum; & notum est, hunc fuisse Simoniacum *cap. super 7. de transact.* ibi: *Res sacræ, ut possideantur aliquo dato, vel retento, seu promisso, speciem credimus habere Simoniæ* & *cap. Tua nos*, 34. *de Simon.* ibi: *Si cum conditione, vel pacto largiatur... fieri non poterit, sine vitio Simoniæ.* Et *cap. Unico, ut Ecclesiast. benef. sine dimin. conferantur*, ibi: *Si ex donatione consequatur, ut ipse proventus percipiat, non est dubium, circa hæc intercedere Simoniacam pravitatem*; Et alia *præcedenti quæst.* adducta.

4 Nec eum primò reddit in conscientia tutum dici in eo consulto, contractum fuisse ex gratitudine, nam ex dictis *num.* 1. constat fuisse contractum onerosum *do ut des, facio ut facias*; & certum est inter DD. de hac quæstione tractantes, esse Simoniacum consentientem in pensione gratuita. Alij tamen asserunt, non esse Simoniacum, ut Valent. Taner. & alij, quos *quæst. præcedenti num.* 16. retulimus.

5 Cæterum hæc opinio hodie videtur esse damnata ab Innocentio XI. ut vidimus *q. præcedenti num.* 14, & ante damnationem, proparum tuta fuit existimata; ut doctissimè ostendit Mendo, ibi citatus, & ante illum Sylvius, *In resol. variis verb. Simon. num.* 2. *concluſ.* 2. Filliuc. *tom.* 3. *tract.* 45. *cap.* 10. *numer.* 24. & alij quos *cit. loco adducimus* Addo in præsenti casu, illam opinionem non habere locum; quia illa tantum asserit, posse quem obligari per contractum, ad se obligandum ex gratitudine. Et in præsenti casu non ita fuit; sed obligavit se Eduardus per contractum ad dicendum, quòd se obligabat ex gratitudine, ut ex *dictis num.* 1. constat. Quod directe est Simonia mentalis *cap. Tua nos* 34. *de Simon. cap. fin. & Extrav. 2. eodem tit.*

6 Nec secundò eum reddit tutum dicere, quòd in eo contractu videtur, non interfuisse scripturam: nam parum refert, quod extetisset, aut non extetisset scriptura, quando contractus est onerosus, *do ut des*, & de facto dedit una ex illis partibus: nam tunc altera etiam ex justitia tenetur dare; & ita observatur in emptionibus, & venditionibus, quamvis scriptura non detur.

7 Nec tertiò eum reddit tutum in conscientia dicere, tale non præsumi de sacerdote Christiano. At prolidolor! quanti sunt, qui Simoniam cõmittunt? Ex dictis tamẽ *n.* 1. cõstat

de contractu, & non dubitatur de animo. Et si dubitaretur, standum erat pro contractu, juxta communem DD. sententiam, apud Sanch. *l.1.de matr. disp.9.num.13.*

8 Nec quartò cum tutum reddit, dicere ignorantiam à pœnis excusare. Nam quamvis hic locum non habeat, nisi ignorantia Crassa, quæ non excusat, juxta textum *in cap. 2. de Constit.in 6.* ibi: *Dum tamen eorum ignorantia, crassa non fuerit, aut supina.* Et sanè ignorantia non facit, irritam non manere collationem Simoniacam, *cap.fin.1.q.5. cap. Ex insinuatione, 26.cum sequenti, de Simon.& cap.penult.de elect.* nam non esse Simoniacum, est quid substantiale in provisione beneficij, ut cum communi DD. tenet Barbos, *in Collect. ibidem.*

9 His ponderatis, censeo Eduardum Romam debere recurrere. Et quia absque scandalo dimittere non potest beneficium [suppositò, quòd delictum est occultum] postulet absolvi in foro conscientiæ, & ut licitè retinere possit tuum beneficium, & suos ordines, suamque jurisdictionem exercere ad suæ conscientiæ quietem pro dispensatione, quam facile obtinebit, ut mos est: Interim (ut scandalo obvietur) potest beneficium retinere, suos ordines, & jurisdictionis actus exercere, juxta titulum quem habet coloratum sui beneficij, adjuncto errore communi, ut communiter docent DD. apud Sanch. *de matr.l.3.disp.22.*

10 Interposuit Eduardus supplicam ad Pœnitentiam Domini Papæ; aliquibus annis antequam emanassent ab Innocentio XI damnationes 65. propositionum, inter quas 45. Sic habebat: *Dare temporale pro spirituali, non est Simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed duntaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut è contra.*

QUÆSTIO LI.

An Patronus, habens pensionem, in Ecclesia sui patronatus militis Laurentani centenorum, & viginti millium regalium, possit ad eam Ecclesiam præsentare consanguineum cum portione ducentorum, relictis alijs ducentis millibus pro pensione filij, ad studendum?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Acceptatio ejus Ecclesiæ in ea forma est mortaliter peccaminosa, & simoniaca.*
3 *Omne pactum, conventio, & promissio in præsentibus circunstantijs est Simonia.*
4 *Illatio ad præsentem casum.*

1 CAllistus illustris, in Ecclesia sui patronatus consanguineum præsentare cupit; quæ Ecclesia, in redditibus annuis, habet quingenta, & viginti millia regalia Lusitana. In quibus ipse Patronus Callistus habet pensionem militis Lauretani. *vulgo Cavaleirato*, constantem centenorum, & viginti millium regalium; & ex quadrigentis millibus remanentibus, desiderat, quòd dentur ducenta millia filio suo in Academia Conimbricensi litteris incumbenti ad suam sustentationem; & alia ducenta millia remanentia consanguineo, quem in dicta Ecclesia præsentare cupit. Qui consanguineus in hac forma præsentationem acceptare vellens, [ut de facto vult] facturus est locationem omnium fructuum generalem pro tota vita; ex qua locatione obligabitur pro singulis annis solvere ipsi Patrono trecenta, & viginti millia regalia pro sua, & filij pensione, remanentibus consanguineo præbendato dictis ducentis millibus regalibus. Quæritur 1. An in prædicta forma possit dari, & acceptari dicta Ecclesia absque peccato mortali. 2. An dato, quòd ita fiat, id pactum maneat validum? Si ita fieri nequeat; quomodo fieri debebit?

§. I.

An absque peccato mortali, in assignata forma fieri, & acceptari possit dicta præsentatio?

2 Respondeo non posse præsentari, nec acceptari eam Ecclesiam in ea forma. Ratio est, quia est quædam emptio, & venditio, ob quam consanguineus præbendatus Patrono Callisto tribuit singulis annis pro præsentatione, seu donatione Ecclesiæ, ex illius fructibus: ducenta millia regalia: hoc autem est emptio, & venditio. Quæ nihil aliud est: quam dare certum pretium, pro re certa, ut datur in præsenti casu; & in his consistit Simonia, ut cum communi DD. doctrina tenet Soar. *tom.1.de Relig. l.4.de Simon.capitul. 1. numer 9.* ibi: *Simonia est studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum.* Sed jus patronatus, quod laicis, aliquod ob obsequium conceditur, est spirituale, & spirituali annexum, *ex cap 1. & cap Præterea*, & alijs, *de Jur. patron.* & DD. Castr, Palaus *tom 3 disp 3.de Simon. punct. 14. numer. 1.* & alij.

3 Immo addo, non solum emptionem, & venditionem rigorosam, sed qualecunque pactum, conventionem & promissionem in præsentibus circunstantijs esse Simoniam, *cap. super eo 7. de transact* ibi: *Res sacræ, ut possideantur aliquo dato, vel retento, seu promisso, speciem credimus habere simoniæ*; & *cap. Tua nos, 34 de Simon.* ibi: *Siquis clericus cũ conditione, vel pacto largiatur hujusmodi oblatio, vel recepto fieri nõ poterit*

poterit, sine vitio Simoniæ; & *cap. Urico, ut Eccles. benef. sine diminut. conferantur*, ibi: *Si ex donatione consequatur, ut ipse proventus percipiat, non est dubium circa hæc, intercedere Simoniacum pravitatem.* Nec in hoc exceptuantur ipsi patroni, *cap Præterea*, 9 *de transact. jam cit.* ut probat Soar. *cit. cap.* 28. *numer.* 11. Nec ipsi Episcopi, *cap. Nisi, de præbend.* ut doctissimè ostendit Soar. *cit cap.* 24. *num.* 37.

4 Ex his expresè colligitur, Patronum Callistum non posse, sub dicta forma, ad eam Ecclesiam præsentare, non solum dictum consanguineum, sed nec alium quemcunque. Et si sub ea forma fiat præsentatio, tam Patronus, & acceptator, quàm internuntij, seu mediatores Simoniæ peccatum committunt. Quod est horrendum sacrilegium, *cap. fin* 1 *q.* 7 ibi: *Omnia crimina ad comparationem Simoniacæ hæresis, quasi pro nihilo reputantur*; *cap. Reperiuntur* 1. *q.* 1. ibi: *Vulneri canceroso ignitum injecimus ferrum, cap. Si quis Episcopus* 15. *quæst.* 3 ibi: *Turpissimum lucrum*; *cap. Sane, eadem causa, & q* ibi: *Ad instar publici criminis, & læsæ Majestatis puniendum, & cap. Sicut de Simon.* ibi: *Simoniaca pestis, &c.* Et committens hoc peccatum, extra alias pœnas, ab ipso jure, inflictas, ipso jure incurritur excommunicatio S. Pontifici reservata, *in Extravag 2. de Simon.* ibi: *Eamdem mediatores talis conventionis incurrunt.* Vide Castr. Palaum *dict. disp.* 3. *punct.* 21.

§. II.

An si subdita forma detur, & acceptetur eadem Ecclesia, maneat dicta conventio valida?

5 Respondeo non manere. Est expressum *in cap. ult. de pactis*, ibi: *Pactiones nullius penitus sunt momenti.* Et provisio illius Ecclesiæ nulla per *text. in Extrav. 2. de Simon.* ibi: *Pensiones... viribus omnino careat...de quibusvis beneficijs, aut aliquo eorum, cuiquam jus nullatenus acquiritur*; *nec inde faciat aliquis fructus suos.* Et receptores dictorum fructuum Ecclesiasticorum, ad restitutionem tenentur, ex *eadem Extravag.* ibi: *Ad illicium omnium, qua percepit, ad restitutionem sub animæ suæ periculo sit adstrictus.* Vide Castr. Palaum *citat. punct.* 26 Et hoc est verum, sive dicta Ecclesia patroni consanguineo, sive alio, sub dicta tribuatur forma.

§. III.

Quomodo dicta præsentatio fieri debeat?

SUMMARIUM.

6 *Potest authoritate Pontificis, sed difficile id concedet:*

7 *Si in animo intendatur Simonia, quamvis externè fiat titulo gratitudinis, datur Simonia mentalis.*

6 Respondeo, quòd authoritate Pontificis, sub forma assignata fieri potest, Adverto tamen, S. Pontificem illi difficile præstiturum esse assensum, ad tantam concedendam pensionem, suppositio, quòd dicta Ecclesia sit jam gravata pensione militis Lauretani, *vulgo Cavaleirato.*

7 Quæcunque alia obligatio cuicunque facta, absque Pontificis authoritate, super dictam Ecclesiam, est Simoniaca, quamvis in foro exreriori fiat titulo gratitudinis, aut cujuslibet, qui videatur justus, & honestus, si in animo intentio Simoniaca retineatur, quia est Simonia mentalis, *cap. Tua nos* 34. *de Simon. cap. fin. eodem tit.* & *Extravag. eodem*, & DD. jam *in qq. præcedentibus citatis.*

8 Nec obstat, quòd Dian. approbat. contrarium *part. 2. tract. 2. miscell. resol.* 37. & iterum *part. 3. tract. 2. resol* 64. ubi aliquo modo excusat promissionem, quando in illa exprimitur; non esse pro debito justitiæ, sed tantúm titulo liberalitatis, aut gratitudinis. Non, in quam, obstat, ea opinio, quia respondetur esse *contra textus citatos*; & ipse Dian eam retractat *part. 6. tract. 7. resol.* 42. & *part.* 11. *tract. 7. resol.* 23 ubi inquit, non esse deducendam ad praxim; & à fortiori id assereret si propositionem 45 ab Innocentio XI. damnatam vidisset. Vide *dicta supra a q.* 51.

QUÆSTIO LII.

An sit Simoniaca conventio inter Patronum, & præsentatum facta, ut præsentatus integrè expensas bullarum solvat, tam præsentati, quam pensionarij à Patrono cõstituti?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*

2 *Ea conventio est Simoniaca.*

3 *Probabile est, non esse Simoniacam, si in prima solutione pensionis retineatur summa, quam Romæ pro pensionario soluta fuit.*

4 *Videtur, præsentatum non excessisse terminos opinionis Azor.*

5 *Conventio fuit facta super solutionem expensarum utriusque Bullæ.*

6 *Conventio Patroni fuit ad id, quod erat licitũ.*

7 *Ut quis censeatur Simoniacus, necesse est re ipsa includi aliquid Simoniacum.*

8 *Si conventio extensa fuit ad non retentionem, fuit Simoniaca secus si non fuit.*

9 *Si dubitatur, Romam recurrere debent beneficiarius, & pensionarius pro foro conscientiæ ad cautelam.*

1 FRãcisc̃us Patronus cujusdã Abbatiæ sacerdotẽ ad illã præsentavit cũ reservatione pensionis centũ, & quinquaginta

ducatorum ad suum fratrem; convenientes inter se Patronus, & sacerdos, quod hic expensas Bullarum suarum, & fratris pensionarij solveret. Existimantes in hac conventione nullam intercedere Simoniam: si enim secus existimarent, id S. Pontifici manifestarent. Iuxta supplicam S. Pontifex Bullas concessit. Patronus verò, & Abbas sua bona fide gaudent; at pensionarius scrupulis angitur, & pensiones quinquennis recepit; desideratque invenire aliquem, qui eum in conscientia tutum reddat, & declaret; quâ viâ, ad suam sedandam conscientiam procedere debeat, additque, se nimirum illa pensione indigere.

RESOLUTIO.

2 Ad quæstionem in titulo propositam respondeo, eam conventionem fuisse Simoniacam. Ratio est, quia conveniunt DD. quòd se renuntians in favorem alicujus, cum reservatione pensionis, conveniat cum resignatario, ut integre solvat Bullarum expensas, tam resignatarij, quàm pensionarij, absque ordine ad consensum Pontificis; eam conventionem esse Simoniacam. Et hujus ratio est, quia petitur à resignatario onus pretio æstimabile, quod non inest naturâ suâ: de re enim unusquisque proprias Bullas solvere tenetur. Sic Soar. *tom.* 1. *de Relig. l.* 4. *Simon. cap.* 34 *numer.* 19. *in fine*, Sanch. *l.* 2. *consil. cap.* 3. *dub.* 25. *numer.* 11. Navarr. *l.* 5. *consil. titul. de Simon. consil.* 50. & 51. Flamin. *tom.* 2. *de resignat. benef. l.* 14. *q.* 7. *numer.* 9. Nicol. Garcia *part.* 11. *de benef. capitul.* 3. § 2. *num.* 147. Azor 2. *part. l.* 7. *capitul.* 27. *quæst.* 7. Castr. Palaus *tom.* 3. *disput* 3 *de Simon. punct.* 26. *numer.* 5. & alij, quos citant: ergo idem dicendum de Patrono præsentante Abbatiam, cum reservatione pensionis suo fratri, & conveniente cum præsentato, quòd solvat expensas bullarum pertinentium ad se ipsum, & pensionarium.

3 Probabile tamen est [quid quid repugnet Garcia cit.] non dari Simoniam, quando pactum, seu conventio fuit, & resignatarius integrè Romæ solvat litteras utriusque, si ille postea in prima solutione pensionis, sibi retineat eam summam, quam pro pensionario Romæ solverat; & hoc esse stylum, & praxim, sine scrupulo Simoniæ, docent Flamin. *citat.* & Azor *dicta quæst.* 7. ibi: *Stylus satis vulgaris est, ut resignatarius expendat in sua expeditione pro resignante, retinens autem id, quod impendit in primo termino solutionis pensionis; & ita practicatur, sine scrupulo.* Hanc doctrinam referens, & approbans Castr. Palaus *cit. loco*, inquit, posse resignatarium se obligare ad solvendam expeditionem Bullarum resignantis; ea tamen conditione, ut in primo termino solutionis pensionis sibi satisfaciat.

4 Alicui videbitur, præsentatum in nostro casu non excessisse terminos opinionis Azor; quia juxta stylum, expensas utriusque Bullæ solvit; & si in primo termino solutionis pensionis non retinuit, quod propensionario solvit, id fuisset, vel ob pudorem, vel gratitudinem, & sic juxta eam opinionem, non incurrisset Simoniam. Hoc tamen verum non existimo. Probabilius censeo eam non retinuisse summam, propter ignorantiam.

5 Fateor tamen, conventionem factam non fuisse, super illam non retentionem; nam tunc esset expresè Simoniaca; sed fuit super solutionem integrè expensarum utriusque Bullæ, quod est licitum, illâ datâ opinione.

6 Et si quis dicat, conventionem ex parte patroni fuisse etiam, super non retentionem pro primo termino solutionis pensionis. Huic dicto responderi potest, fuisse tantum ad extensionem illius, quod erat licitum, aut probabilius, [ut dixi] ex ignorantia; putans, conventionem se extendere ad solutionem non retinendi in primo anno expensas solutas. Quod stare poterat cum eo, quòd Patronus solùm intentionem habuerit ad extendendam conventionem ad id, quod erat licitum, nec aliud de illo præsumi potest, *cap. In cunctis*, 11. *quæst.* 3. *cap. Dudum* 16. *de præsumpt.* Imo nec ipse beneficiarius habiturus erat intentionem extendendi conventionem ad id, quod non esset licitum: nec non retinuit illam summam sibi non satisfactam, existimando esse illicitam, aut includi in ea conventione, nam ille solùm voluit includi, in ea conventione, quod erat licitum; & ignorabat, sibi non satisfacere, in termino primæ solutionis pensionis esse illicitum; quia tamen existimavit esse licitum, existimaxit includi in ipsa conventione.

7 Hoc tamen non sufficit, ut sit simoniacus; nam ut aliquis censeatur Simoniacus, necesse est, includi re ipsa aliquid Simoniacum in ea actione. Nec sufficit existimari includi, si re vera non includitur. Itaque solùm voluit, licitum includi; quod stare potuit cum existimatione conventionis non se extendendi ad non retentionem; putando esse licitam; hoc tamen non fuit illam includere, sed tantùm existimare, quòd illa includebatur. Unde remotâ ignorantiâ, potest retinere, in prima sequenti solutione pensionis, summam expensarum & sibi satisfacere, aut imputare in solutum, pro primo anno, si aliquid ad eam summam attingens debetur. Siquidem hactenus fuit impeditus ex ignorantia, & legitimè impedito non currit tempus, ut ex jure; & DD. tradit Barbola *tract de axiomat.* 116. & ignorantia facti est justum impedimentum, *Regul. Ignorantia facti de reg. jur. in* 6. Vide Barbol. *proximè per totum axiom.* 113. ut supr. *q.* 50. *num.* 13.

8 Ne-

8 Neque dicas hic datam fuisse usuram solvente resignatario pensionem fratris Patroni pensionarij ex benevolentia, & gratitudine expensas ejus Bullarum, quod videtur coincidere cum propositione damnata ab Innocentio XI. in suo Decreto incipiente: *Sanctissimus D.N.* edito 4. Martij anno 1679. Sic habente: *Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, sed solum si exigatur tanquam ex justitia debitum.* Quæ est 42 Hæc non dicas, quia data opinione Flaminis, & Azoris cit. num 3, constat eæ Stylo Curiæ satis vulgari, resignatarium in sua expeditione posse solvere pro pensionario retinente in primo termino solutionis pensionis, quod fuit expensum pro pensionario, & quando exigitur, quod in est stylo Romano, nec datur usura, nec Simonia. Et quamvis resignatarius in primo termino solutionis pensionis non retinuisset, quod solutum fuit Romæ, ne fuit ex ignorantia, quæ inducit impedimentum; & impedito sic non currit tempus, ut proxime dictum est. Et hac ratione satisfaciemus aliis objectionibus, quæ ex aliis propositionibus post 42. dictam damnatis, oriri possunt.

9 Ex dictis conclusio sit: vel dicta conventio fuit; vel non fuit extensa ad non retentionem; vel dubitatur, an incluserit talem non retentionem: si fuit extensa ad retentionem, certum est fuisse Simoniacam, ac proinde nullam. Non loquor de pœnis, nam ab his excusat ignorantia; & aliqui dicunt, etiam a restitutione excusare, sed non a nullitate. At si dicta conventio non inclusit non retentionem, in hoc casu habet locum dicta opinio Flamin. Azoris & Castr. Palai *locis cit.*

10 Si autem dubitetur, an incluserit dictam non retentionem? Tam beneficiarius, quam pensionarius Romam recurrere debent, pro foro conscientiæ, ad cautelam, ad tedandos scrupulos; quin resignentur nomina, nec Ecclesia, seu supplicando absolutionem, & dispensationem pro foro conscientiæ; quod gratis in Papæ Pœnitentiaria obtinetur. Et hoc dato dubio, nihil est altercandum in possessione, dum Romam recurritur; nam in dubijs, non est quis spoliandus possessione sua. 1

QUÆSTIO LIII.

An sit Simonia, onus in capellaniæ sæculari Capellano imponere, quod jure naturæ, nec ratione fundationis inest.

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Absque Simonia id onus Capellano imponi potest.*
3 *Capellaniæ seculares, absque Simonia pecuniâ obtineri possunt.*
4 *Commendis merè secularibus aliquod onus temporale imponi potest.*
5 *Missis à fundatore relictis onus non potest imponi.*
6 *Gloss. in cap. Dilecto filio, non loquitur de præsenti casu.*

1 LUcas sacerdos sæcularem obtinuit capellaniam à quadam nobili fœmina, capellaniæ administratrice, sub conditione docendi grammaticam duos filios, & sub alijs honestis, & parvi ponderis conditionibus; per aliquos annos, & Missarum oneri, & conditionibus impositis satisfecit. Modò tamen scrupulis angitur, an ex dictis conditionibus acceptis, quæ capellaniæ non inerant, Simoniam incurrerit?

RESOLUTIO.

2 Respondeo, posse imponi id onus capellano, sine labe Simoniæ. Ratio est, quia capellania sæcularis, quæ Episcopi authoritate erecta non est, dicitur res temporalis, & non spiritualis: ergo illi imponi potest onus temporale assignatum. Sic cum communi DD. Perez de Lara *de Anniversf. & Capell. l. 2. cap 1 num 40 & 41. ibi: Capellania fundata a testatore non est spiritualizata, tantum dicitur legatum pium, computaturque inter bona temporalia, ut ex Fabr. & Guidon tradit Petrus Gregor. ubi supra, & Alvarus Valasc consult. 60. num. 12. ubi alios refert, & nos diximus supra numer. 3. & 34. & seqq. quare posse bona collectari, & onerari, sicut bona temporalia aliorum civium, ex Ancharran Avendan. de exequend. mand. 2. part. cap. 14. num. 32. in fine; Intellige tamen deducto opere opio, ut dixi supra l. 2. cap. 20. num fin.* Ergo si propter illud onus ab administratrice additum non deficiatur oneri Missarum a fundatore relictarum, etiam non erit contra justitiam; nam capellanus in eo libenter consensit: Scienti autem, & consentienti nulla fit injuria, *Regul. Scienti de reg. jur. in 6.*

3 Idem obtinuit, quia absque labe simoniæ, pecuniâ obtineri possunt capellaniæ sæculares, ut alijs relatis docent Gonzal. *in Reg 8. Cancell. Glos. 5. in principio num. 25* ubi testatur sic à rota fuisse declaratum, & Castr. Palaus *tom. 3. disp 3. de Simon punct. 13 num. 14. Vers. idem a fortiori*: ergo etiam in præsenti casu, illud onus potuit Capellano imponi absque labe Simoniæ.

4 Confirmatur exemplo commendarum militarium, quæ ex eo, quòd sint sæculares, nullam spiritualem functionem secum adducentes vendi pecuniâ possunt, ut tradunt Soar. *tom. 1 de Relig. l 4. de Simon. cap. 27 num. 7.* Emman Rodrig *in sum. tom. 2. cap. 49 num. 12.* Vega *2. part. sum. cap. 101 casu 52.* Per Ledesm. *2. part. sum. tract. 12. circa 20. concluf.* Castr. Palaus *dict. tom. 3. tract. 17. disp 3. de Simon. punct. 13.*

num. 13. Bonacin. *tom.* 1. *& de Simon disp.* 1. *q.* 4. *num* 15. *in principio alijs relatis.* Addunt Soar. & Castr Palaus *locis citis*, illis commendis à Rege, aut Magno Magistro imponi posse aliquod onus temporale, ut ire in Africam, aut Indiam, ibique servire, vel alteri solvere pensionem, si in assignatione pensionis, justitiæ distributionis habeatur ratio, seu finis talium commendarum; & hoc absque labe Simoniæ: ergo etiam in præsenti capellaniæ præsentatione, imponi potest absque labe Simoniæ illud onus docendi filios, quia est temporalis.

5 Neque obstat primò, eam capellaniam esse legatum pium pro Missis fundatoris relictum; Missæ autem sunt quid spirituale, quibus onus imponi nequit sine simonia? Non, inquam, obstat, quia respondetur, onus docendi filios administratricis, Missis dicendis non imponi; nam hæ sunt dicendæ absque ulla diminutione, ut à fundatore fuit dispositum, sed imponitur ipsi legato pio, quod non est beneficium, sed temporale, quod potest collectari, & onerari, absque periculo Simoniæ, ut cum communi DD. diximus *num* 2.

6 Non obstat secundò, quòd onus docendi filios, fuit additum oneri Missarum capellaniæ, quod onus non inerat fundationi, capellaniæ, & onus additum, quod non inerat fundationi, est Simoniacum, argument. Gloss. *in cap. Dilecto filio, de præbend. verb. resignavit*, ubi dicitur: *Simoniacus est, qui non resignat beneficium purè, & sine aliqua conditione.* Non, inquam obstat, quia capellania est temporalis, & quamvis illud onus illi non inesset in fundatione, illi addi poterat; & Gloss. loquitur de beneficijs, quæ sunt spiritualia quibus omne onus, pactum, & conditio addita, quæ non inerant, illa reddunt Simoniaca. Vide *infra q.* 64.

QUÆSTIO LIV.

An resignatio beneficij sit Simoniaca, quando post Romam missas procurationes quid promittitur donandum, in gratitudinem?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Non est Simoniaca.*
3 *Non committitur Simonia, quando aliquid gratis, & ob gratitudinem datur.*
4 *Quando aliquid temporale traditur cum intentione recipiendi spirituale ex gratitudine, non incurritur Simonia.*
5 *Eadem est ratio de gratitudine facta ante spirituale acceptum, ac post illius receptionem.*
6 *Cautella a DD. adducta, in hoc casu non habet locum.*
7 *Potest tamen aliquando intervenire Simonia mentalis.*

1 HYlarion in favorem Petri suum resignavit beneficium cum reservatione pensionis elapsis sex, aut septem diebus, & post Romam missas preces, vulgo procuras, Hilarioni dixit Petrus, se in animo habere, capellaniam instituere, & ex gratitudine administratorem illius ipsius Hilarionis consanguineum nominare. Cui Hilarion respondit, se renuntiationem sui beneficij eâ intentione non fecisse. Attamen si eam capellaniam, & administrationem ita instituisset, in eum se gratum ostenderet. Quæritur, An ex his simonia incurratur.

RESOLUTIO.

2 Respondeo, ex his in ea resignatione non dari Simoniam. Ratio est, nam Soar. *cit. supra q* 53. *nu.* 2. cum communi DD. ex Gloss. *in Can.* 1. *q.* 1. *in principio*, & *Can. qui studet, eadem causa, & q.* Sic definiunt Simoniam: *Est sacrilegium consistens in studiosa voluntate emendi, vel vendendi, seu commutandi rem sacram, seu spiritualem, vel spirituali annexam pro temporali.* Sed Petrus habens animum instituendi capellaniam, & ad illam nominare administratorem Hilarionis consanguineum ex gratitudine; hæc illi manifestans, non fuit cum voluntate emendi renuntiationem, nec commutandi administrationem pro renuntiatione; sed tantùm ut se gratum ostenderet, & jam tempus adesset, ut ita talem se gereret, & in Hilarione nunquam adfuit voluntas, renuntiationem vendendi, ut ex *dictis num.* 1. const. tat: ergo ex ijs gestis Simonia data non fuit.

3 Eadem resolutio ostenditur primo: Cóveniunt DD. non incurri Simoniam, quando aliquid temporale gratis simpliciter datur, vel etiam in titulum gratitudinis, in recognitionem alicujus spiritualis, ut tradunt Covarruv. *1. variar. cap* 20. *num.* 4. Valent. *tom.* 3. *disput.* 6. *q.* 16 *punct.* 3. *vers.* 2. Navarr. *in Man. cap.* 23 *nu.* 106. Soar. *tom.* 1. *de Relig. l.* 4. *de Simon. capit.* 36. *num.* 2. & *cap.* 45. *a num.* 4 Filliuc *tom.* 3. *tractat.* 45. *cap. num q.* 1. & *cap.* 10 *q.* 5. *num.* 21. Bonac. *tom.* 1. *& de Simon. disp* 1. *q* 6. *punct.* 1. *numer.* 1. *Vers. Hinc patet*, & alijs relatis Quintanad. *tom.* 1 *singul. tract.* 6. *singul* 15. *num.* 7. Sed Petrus in recognitionem renuntiationis ab Hilarione factæ, seu ex gratitudine, inquit, se intendere consanguineum instituere administratorem capellaniæ fundandæ: ergo simoniam non incurret.

4 Secundò ostenditur, quia tradens aliquid temporale, intendens, ut aliquid spirituale sibi conferatur, titulo gratitudinis, non incurrit simoniam, etiam si ab eo petatur gratitudo, seu animus gratus ad consequendum illud spirituale, ut defendunt Soar. *cit. cap.* 36. *num.* 8. Filliuc. *proximè dict. cap.* 10. *numer.* 22. Bonac. *num.* 6. ergo à fortiori non incurret Simoniam Petrus, cùm post aliquos dies, & pro-

procurationem Romam missam, se attendere gratum intendit.

5 Nec obstat primò textus *in cap. Quam pio* 1. *q.* 2. & *cap. Sicut Episcopus*, *ibidem*, in quibus dicitur, gratitudinem debere esse post beneficij collationem, & non ante, ut etiam *dicimus q.* 54. *num.* 9. at in præsenti casu resignatio beneficij non erat completa, quando intentio institutionis administrationis capellæ designata fuit, nec erit, nisi post collationem. Non, inquam, obstât ij textus, nec ea, quæ diximus *supra*, quia respondetur eamdem esse rationem de gratitudine facta, post beneficium collatum, ac de facta ante collationem, ut constat *ex cap. Si quæstiones*, *de Simon. cap. placuit* 2. 1. *q.* 1. *cap. Dilectus* 2. *ibidem*, & Glossi. *in cap. Tua nos* 34. *de Sim. & in cap. Cum illis*, *de constit.* & DD quia temporale, quod dari intenditur, fit ex gratitudine, & non ut pretiũ.

6 Nec obstat secundò, quod DD. proximè *cit num.* 4. docent, cavendum esse à petitione renuntiationis beneficij, quando temporale datum ex gratudine ante renuntiationem donatum fuit; quia aliunde fieri potest, ut peccatum in hac re committatur tum ratione scandali, quia forte alij suspicari possent, peti tanquam pretium; & iniri conventionem, & pactionem, quam jura in beneficijs vetant; tum ratione periculi committendi Simoniam, quia petitur tanquam debitum, & ut obligatio alteri imposita. Non, inquam, hoc in præsenti casu obstat, quia respondetur, eam petitionem jam non habere locum, quia resignatio jam in favorem Petri Romam missa est, nec capellaniæ administratio facta est, sed dicitur tantùm fieri, intendi ex gratitudine. Et si fiat, jam erit post collationem, & possessionem resignatarij, & sic cessat peccatum scandali, & Simoniæ periculum.

7 Si instes, licèt petitio in ijs circunstantijs habere non possit locum, poterit illum habere revocatio renuntiationis, quia fuit conditionata, quæ conditio non purificatur, nisi per consensum à S. Pontifice præstitum, & illo tempore intermedio, à resignante revocari poterit: ergo ex indicio administrationis capellaniæ ex gratitudine intentatæ, præsumi potest, non ex gratitudine, sed ne renuntiatio revocaretur. Respondeo negando consequentiam, nam ex *dictis numer.* 1. id præsumi non potest. Si tamen eo indicio, ne resignatio revocaretur, ostensus fuit ipse animus instituendi eam administrationem, certum est dari Simoniam mentalem juxta textum in *cap Tua nos*, 34 *de Simonia*, quæ resignationem perfectam, & completam redderet Simoniacam.

QUÆSTIO LV.

An cessio possessionis præbendæ letigiosæ ob pensionem consanguineo cedentis promissam sit Simoniaca?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Est illicita, & Simoniaca.*
3 *Omnis pactio, conventio, & promissio in beneficijs est Simoniaca.*
4 *Ioannes Pontius asserit, non esse Simoniam, recipere aliquid, ne in defensione beneficij expensæ fiant.*
5 *Sed nec est admittendus, nec resolutioni adversatur.*

1 MArcus cujusdam Ecclesiæ cathedralis Canonicus præbendam in sui coadjutorem, cum futura successione resignavit. Et cum litteræ non accessissent, eamdem in ejusdem favorem resignavit, reservatâ sibi certa pensione redempta, & per decem annatos cessata. Accesserunt Bullæ, sed cum non essent originales, & exorta fuissent alia dubia: inter resignantem, & resignatarium, motum fuit litigium. Quod ut vitaretur, alter ejusdem cathedralis Canonicus promisit, se daturum ex sua prebenda trecenta millia regalia Lusitana in sua vita, pro singulis annis consanguineo resignantis, quibus frueretur tum in statu Ecclesiastico, tum contracto matrimonio, de licentia S. Pontificis, dummodo ipse resignans litibus cederet, & resignatarium in possessionem præbendæ intromitteret. Annuit resignans. Resignatarius possessionem cepit. Pensio redempta fuit. Et cum fierent procurationes trecentorum millium regalium Romam mittendæ, supervenit dubium, an S. Pontifex gratiam conferret? Et meritò. Tunc mediator Canonicus adhuc stante dubio consensit, fieri scripturam publicam; in illa se obligans ad donandum æquiti militiæ Lauretanæ dicta trecenta millia regalia promissa pro sua vita, absque litteris Apostolicis. Quæritur primo: An dictus contractus sit licitus, & de eo fieri possit scriptura. 2. An incurrissent pœnas latas in Simoniacos? 3. Quæ gerere debeant, ut in utroque foro tuti maneant?

§. I.

An dictus contractus sit licitus, & de eo fieri possit scriptura.

2 Respondeo, fuisse illicitum, & Simoniacum; & de eo, non potuisse fieri scripturam. Ostenditur primò, quia super beneficio litigioso nulla potest fieri tranlactio, & compositio absque S. Pontificis authoritate promittendo aliquid, pro assequendo beneficio. Expresse habetur in responsione facta ab Alexandro III. *in cap. super eo* 7. ubi: *Tale damus responsum quod transigi super re sacra, & litigiosa, non potest. Etenim res sacræ, ut possidcantur aliquo dato, vel retento, sive promisso, speciem credimus*

dimus habere Simoniæ; de transact. Et Glos. ibi *verb Res sacra*, & *verb. dato.* Idem habetur *cap. Præterea 1. & 2. ibidem, & cap. Cum pridem, de pact.* & cum communi DD. pluribus relatis Soar. *tom. 1 de Relig. l. 4. de Simon. cap. 51. num 1.* Castr. Palaus *tom 3. disp. 3. de Simon. punct. 19. num. 1.* Bonac. *tom 1. & disp. 1. de Simon. q. 14. §. 15. num 6.* Filliuc. *tom 3 tract. 45. cap. 11. num. 23.* Laim *in Sum. l. 4. tract. 10. cap. ult. §. 1. numer. 52.* Sed Marcus Canonicus cessit possessionem suo colitiganti præbendæ litigiosæ propter pensionem promissam trecentorum millium regalium à mediatore, absque S. Pontificis authoritate: ergo non solùm illicitè, sed Simoniacè ipse Marcus mediator, & resignatarius operati sunt.

3 Secundò ostenditur, quia in præsenti casu, jus litigiosum certum redditum fuit promissione trecentorum millium regalium, pro singulis annis vitæ præbendati mediatoris, & via patens ad possessionem præbendæ, ratione contractus ex justitia obligantis; & in beneficijs omnis pactio, conventio, promissio & modus prohibitus est; ut dictum est *supra ex ipso jure q. 51. num. 4. & 11.* Et ex jure incerto fit certum beneficium, quod reprobant, ut Simoniacum, illicitum, & nullum *jura proxime addu&a, num. 2.* & omnes DD. cum D. Thom. apud Moyam *tom. 1. qq. select. tract. 6. disp. 4. q. 6. num. 15. in fine.*

4 Tertio ostenditur, quia pecuniâ vexationem redimere, ut beneficij possessio acquiratur, est Simonia, quia ipsa possessio est spiritualis, ut omnes docent, ita cum Sylvest. Soto Araujo *in selectis decis. moral. disp 14. part. 2. act. 5. num. 17.* prope finem: at mediator canonicus promisit consanguineo resignantis trecenta millia regalia singulis annis pro possessione præbendæ resignatario conferenda: ne vexationem ultra pateretur: ergo.

5 Nec obstat Ioannes Pontius *in cursu Theolog. disp. 56. q. 2. concl. s. 10. numer. 37* apud Dian. *part. 11 tract. 6. resol. 7.* Sic quærens: *Quid dicendum de eo, qui habens possessionem beneficij valet illud relinquere alteri prætendenti ob aliquod pretium ab illo receptum? Respondet. Resolutio hujus casus videtur difficilior; quia hic dando possessionem beneficij videtur dare rem spiritualem, pro illo pretio: Respondeo tamen mihi videri, quod possit hoc facere sine Simonia; quia cum non sit certum, quod beneficium sit suum, sed propter probabilitatem; quam habet, quod sit suum, velle, in litigando expensas facere, nullo modo apparet Simonia, ut vitet illas expensas, aliquid recipere: quia neque quod accipit est spirituale, neque illud, pro quo accipit, hoc est, expensæ, quas faceret in litigio. Itaque siquid dat, non emit jus alterius, neque possessionem, sed solum dat alteri ratione expensarum, quas faceret, ut probaret jus alterius non esse bonum; non apparet ulla Simonia ex parte ipsius. Similiter si recipiens, neque dat ius suum, neque possessionem positivè, sed negativè tantùm promittendo, ut alter accipiat illam, sed solum recipiat aliquid, ne faciat expensas, defendendo possessionem suam, non committit ullam Simoniam.* Sic Pontius: Ergo juxta hujus Authoris dicta, si Marcus canonicus recipiat promissionem pensionis ad suum consanguineum, non pro largienda possessione, quam habet, sed pro expensis, quas facere poterit in eo litigio, simoniam non committet.

6 Non, inquam, obstat placitum hujus Authoris; quia respondetur primò, re verâ videri talem contractum simoniam palliare cum jus litigiosum; mediante pecuniâ certum fiat, & tam per illam, quàm per contractum ex justitia obligantem, via pateretur ad beneficium, quod omnes DD. cum D. Thom. 22. *q. 100. art. 2. ad 5.* reprobant. Vide Moyam *cit. proximè* Respondeo secundò, eam pensionem, non propter expensas in litigio faciendas fuisse promissam, sed propter possessionem præbendæ, ut constat ex dictis *num. 1.* & sic expressè, & non palliate fuit commissa simonia, ut etiam concedit ipse Pontius. Respondeo tertiò, nec etiam potuisse Marcum Canonicum, illam pensionem suo consanguineo acceptare pro emolumento, quo se privabat; nam Alexander VII. anno 1665. die 2. Octob. hanc damnavit propositionem: *Non est contra justitiam beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia Ecclesiastica pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficij, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.*

§. II.

An prædicti pænas latas in Simoniacos incurrerint?

SUMMARIUM.

7 *Quæ pœnæ à Simoniacis incurrantur.*
8 *Pœnæ non incurruntur, nisi Simonia ex utraque parte fuit completa.*
9 *Allati num. 1. pœnas Simoniacis impositas, non incurrerunt.*
10 *Si post obtentum beneficium salvatur pecunia ab amico promissa, pœnæ non incurruntur, si obtinens non consentiat.*
11 *Hoc adhuc est distinguendum.*
12 *Textus in cap. Ea quæ, declaratur per Extrav. 2. de Simon.*
13 *Contractus emptionis, & venditionis non censetur completus, nisi per traditionem rei, & pretium.*
14 *Cap. Nobis fuit, supponit pretium fuisse promissum ante electionem, & postea solutum.*

7 Adverto nullas pœnas in jure esse latas contra Simoniacos, nisi ab illis Simonia commissa fit in ingressu Religionis, & in ordine, & in beneficio, ut notant Lessius *l. 2. cap. 35. dub.*

dub. 23. Soar. *tom.* 1. *de Relig. l.* 4. *de Simon. capit.* 55, *num.* 5. Castr. Palaus *tom.* 3 *tract.* 17. *disp.* 3. *de Simon. punct.* 21. *num.* 2. & alij, quos citant. Pœnæ autem impositæ contra Simoniam committentes in beneficio sunt nullitas tituli, collationis, seu provisionis, excommunicatio, ipso facto, Pontifici reservata, privatio dignitatum, quas quis obtinet, inhabilitas ad ipsas, & alia, & infamia, sic Lezan. *tom.* 4. *Verbo Simonia quoad Regulares, & alij citandi.* Hoc supposito. In præsenti inquirimus: An Marcus resignans, & Canonicus mediator, inter se convenientes, circa possessionem præbendæ, & resignatarius eam possessionem capiens, mediante promissione trecentorum millium, pro singulis annis, ad consanguineam resignantis conferendorum, dictas pœnas Simoniacis impositas incurrerint? Et ratio dubitandi est, quia Simonia hactenus ex utraque parte non est completa; nam licèt possessio à resignatario sit capta, pensio tamen dictorum trecentorum millium regalium adhuc non est soluta.

8 Respondeo, (juxta rationem ipsius dubij) eos non incurrisse eas pœnas à jure latas. Sic communis sententia, quam tuentur Sanch *l.* 2 *consil. cap.* 3 *dub.* 106 *numer.* 4. & relatis Navarr. Cassiod Sarnen Zerol. Salzed. Bernard Dias, Ioannes Gutierr. Covarr. Flamin. Paris. Emman. Rodrig. Valent. Castr. Palaus *tom.* 3. *tract.* 17. *disp.* 3 *punct.* 22. *num.* 4 & adductis Lesi. Soar: Azor, Avila, & alijs innumeris, Garcia *de benef. parte* 8. *cap* 1. *num.* 19 & esse communem in Schola D. Thom. tenet Ledesm. *in sum.* 2. *part tract.* 12. *ad finem*, & pluribus citatis Dian. *part.* 10. *tract.* 16. *resol.* 15. *& part.* 11. *tract.* 6. *resol.* 30. Moya *tom.* 1 *in qq select. tract* 6 *disp.* 4 *q.* 6. *& ult* §. 3. *num.* 9 Araujo *disput.* 14. *part.* 2. *art.* 6. *num.* 10. Pelizzarius *in Man. Regul tom, tract.* 9 *cap.* 2. *section.* 1 *num.* 67. Fundamentum hujus sententiæ est, quia ita habet stylus Curiæ Rom. Et quia pœnæ non extendendæ, sed restringendæ sunt, *Regul. in pœn. de regul. jur. in* 6. & præcipuè, quia *in Extrav.* 2. *de Simon.* æquè de datione & receptione pretij, & beneficij loquitur.

9 Cùm hæc sententia sit probabilis, & in praxi tuta, ut etiam asserunt oppositam defendentes; & pro qua testatur Ioann Gutierr. *in qq. Canon l.* 1. *cap.* 9. *num* 10. esse judicatum; dicendum est dictos resignantem, resignatarium, & mediatorum, quamvis simoniam commisissent conventionalem, pœnas tamen Simoniacis impositas non incurrisse, quia ad illas incurrendas, requiritur, quod Simonia ex utraque parte sit completa. Et licèt resignans ex sua parte cessisset possessione præbendæ, & resignatarius illam cæpisset; pensio autem promissa à mediatore non est soluta.

10 Addit Moya *cit. num.* 11. cum Navarr. *l.* 5. *consil.* 10. *de Simon.* Si quis, post obtentum beneficium, pecuniam solvat, non à se, sed ab amico promissam, propter beneficium sibi conferendum, nec peccare, nec pœnas contra Simoniacos latos incurrere, si non consentiat in factum alterius, ratum habendo contractum, sed solùm ex amicitia solvat id, quod alter ex illius amicitia promisit. Nec existimat esse contra D. Thom. 2. 2. *q.* 100 *art.* 6. quia licèt dixerit, in prædicto casu, non esse obligationem resignandi beneficium, Simoniacè collatum intelligitur nisi postea forte pacto consenserit, solvendo, quod fuit promissum.

11 Cæterùm hoc intelligendum est, si solveret, ut debitum ratione contractus ab amico initi: secus si ad contractum non attendens, vellet ex gratitudine aliquid conferre; quo sensu loquutus fuit Navarr. *ut supra.* Sic Moya. Ex quibus inferri potest; in nostro casu, posse resignatarium pensionem à mediatore promissam solvere, absque peccato, & incursu pœnæ in simoniacos latæ, si non consentiat in peccatum resignantis, & mediatoris, ratum habendo contractum ab illis initum; sed solùm ex amititia solvens, quod mediator, ex amititia sui ipsius promisit.

12 Nec obstat primò, contra sententiam in favorem prædictorum adductam *text. in cap. Eaqua* 1. *q* 3. ubi Gregorius VII. sic ait: *Ea quæ à SS PP. de Simonia statuta sunt, nosque, & judicio Spiritus S. & Apostolica authoritate firmamus. Quidquid ergo, vel in sacris ordinibus, vel in Ecclesiasticis rebus, vel data, vel promissa pecunia acquisitum est, nos irritum esse, & nullas unquam vires habere, censemus*: ergo cum possessio præbendæ pecuniæ promissione acquisita fuerit, nullas vires habet, sed irrita omnino est. Non, inquam, obstat, quia respondetur hunc textum declarari per *Extrav.* 2 *de Simon.* ibi: *Qui quomodolibet dando, vel recipiendo Simoniam commiserint.* Quæ verba, æquè de datione, & receptione pretij loquuntur. Et sic intelligunt PP. Rotæ moderni; Unde id habet stylus Curiæ. Vide Lessium *de just. l.* 2 *cap.* 35. *dub.* 27. *num* 149. *in fine.* Navarr *ab eo in cap Si quando, de rescript. except* 4 *num.* 3. & 4.

13 Nec obstat 2. quòd contractus emptionis, & venditionis censetur consummatus, per traditionem rei venditæ, & in præsenti casu, tradita fuit possessio cum effectu, propter promissionem pensionis consanguineo resignantis factam. Non, inquam, hoc obstat, quia respondetur, cum contractum non censeri completum, & consummatum, dum pretium rei venditæ non traditur; & sic in venditione possessionis, non tradito pretio, nec illius parte non consummatur contractus

14 Nec obstat, quòd oppositæ sententiæ fundatur in ipso jure *cap. Ea quæ, tit.* & *cap.* 2. *de Confessis, cap. penult. de Simonia*, & *cap. Nobis fuit, cod. ubi* dicitur, electionem sub promissione pecuniæ factam, esse penitus reprobandam, quæ verba denotant nullitatem ipso jure; & hanc sententiam, ut probabiliorem

sequun-

sequuntur, relatis Cajet. Sot. Valent. Tolet. & alijs plurimis Garcia *de benef part.* 8. *capit.* 1. *a num.* 20. & probat ex pluribus decis. Rotæ; & hanc sententiam ex stylo Curiæ esse receptam; & Castr. Palaus *tom.* 3. *tract.* 17. *disp.* 3 *de Simon. punct.* 22. *num.* 5. & in illam inclinat Soar. *tom.* 1. *de Relig. l.* 4. *de Simon. cap.* 56. *num.* 26, & alij apud cit. ergo sequenda est. Non, inquam hoc obstat, quia ad *caput Ea quæ*, jam responsum est, & ad *cap. Nobis fuit* respondetur, in illius casu, textum supponere pretium promissum ante electionem, postea solutum fuisse; & DD. pro hac sententia *cit.* illam sequuntur, quia spectato jure, videtur probabilior, ex praxi tamen, & stylo Curiæ fundato in *Extravag.* 2. *de Simon.* à nobis tradita, est sequenda, ut vidimus.

§. III.

Quæ dicti gerere debeant, ut in utroque foro tuti maneant?

SUMMARIUM

15 *Simonia conventionalis per scripturam, non facta fuit realis.*
16 *Non incurrerunt excommunicationem ipso facto, Simoniacis impositam.*
17 *Possessio capta fuit valida.*
18 *Pro foro externo ad S. Pontificem recurrere debent.*

15 Respondeo, & Dico primò, dictos resignantem, resignatarium, & mediatorem, juxta sententiam in illorum favorem adductam *a num.* 8 etiam in casu, quo facta fuisset scriptura publica, de ea pensionis promissione, possessionem præbendæ nec fuisse nullam, & invalidam; dummodo nihil pensionis sit solutum. Ratio est, quia licèt prædicti commisissent simoniam conventionalem, realis non est reddita, nec completa per ipsam scripturam; ut tradit Sanch. *l.* 1. *cons. l.* 2. *cap* 3. *dub.* 106. *num.* 3. & ex illo Dian *cit. dict part.* 11. *tract.* 6. *resol.* 30.

16 Dico secundò, prædictos non incurrisse excommunicationem, impositam ipso facto, Simoniacis; Ratio est quia excommunicatio non incurritur, nisi ob contumaciam, quæ [dictâ opinione suppositâ) non committitur, nisi tradatur pensio, aut pars ipsius; ut docent Soar. *cit cap* 56. *num.* 37 & 38. Sanch. *proximè num.* 4, Castr. Palaus *supra num.* 7. & alij plures. Unde interim celebrantes, aut alios ordinis actus exercentes, irregularitatem non contraxerunt. Less. *dict. dub.* 27. *num.* 154. Soar. *num.* 36. & alij.

17 Dico tertio possessionem fuisse validam, & sic non tenetur resignatarius fructus, illo intermedio tempore perceptos, restituere, nec beneficium dimittere, dum pensio non est soluta, nec illius pars, sic Soar. *cit. numer.* 56 Sanch. *proximè num.* 4. Lessius *dicto dub.* 27. & alij. Hæc pro foro conscientiæ; nam pro foro externo.

18 Dico quartò, posse prædictos in foro externo condemnari. Ratio est quia opinio contraria est probabilis, & secundum jus probabilior. Et sic poterunt Romam recurrere, veritatem fatentes, & pensionem hactenus à mediatore non fuisse solutam, nec pœnas Simoniacis impositas juxta plures DD. incurrisse. Quia tamen plures DD, oppositum, ut probabilius doceant, supplicant pro absolutione, & dispensatione à S. Apostolica.

19 Nullo tamen modo mediator pensionem solvat; nam licèt post possessionem præbendæ captam à resignatario, potuisset ex gratitudine solvi, id tamen in præsenti casu non præsumitur; poterit tamen ex gratitudine tantùm, aliquid tribuere resignatarius, juxta dicta *num.* 10 & 11. Si tamen aliquid pensionis sit solutum; cum Simonia de conventionali fiat realis, tunc dictæ pœnæ, excepta excommunicatione, retrotrahuntur. Et sic necessaria erit pro utroque foro S. Pontificis dispensatio. Cum vero hæc sint extra præsentem casum; quando occurrerint, DD. *cit.* cõsulentur.

QUÆSTIO LVI.

An mentione non factâ in suplica ad S. Pontificem de beneficio litigioso, tertio reservari possit pensio.

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Censeo non posse.*
3 *Pensio non est merè servitus, sed etiam donatio.*
4 *Quamvis Pontifex donare possit rem litigiosam, id erit, quando in narrativa litigium manifestatur.*
5 *In beneficijs litigiosis pensio imponi potest, mentione factâ de litigio.*
6 *Quando pensio a principio fuit valida, ante sententiam judicis, semper est valida, secus si non fuit valida.*
7 *Pensionis concessio semper est in præjudicium partis, non tamen alicujus juris impetratio.*

1 LUcius Beneficiatus in beneficio litigioso, quod possidebat, pensionem tertio reservavit, quin in supplica mentionem faceret, beneficium esse litigiosum. Quæritur: An dicta pensio sit valida?

RESOLUTIO.

2 Censeo, dictam pensionem, non esse validam, ex regula; Quod alienatio rei litigiosæ, lite pendente, præsumitur in fraudem, & sic

sic est invalida, *l. Lite pendente C. de litigios. l. 1. & sequentibus ff. ut lite pendente, & l. 1. & seqq. ff. eodem tit.* Quod pluribus locupletat Guido Papa *decis.* 337. *num.* 4. Matheus de Aflict. *decis.* 369. *num.* 10. Cardinal. *consil.* 108. *num.* 1. *volum.* 4. Alexand. *consil.* 45. *num* 5. *lib.* 3. Unde ex eodem principio, res litigiosa lite pendente, non potest donari *l. ult. C. de litig.* ut expendit Boerius *decis.* 33. *num.* 2. Sed neque hypothecæ, aut pignori dari; ut multis probat Alciatus *consil.* 61 *num.* 3. *l.* 8. Pensio verò est quædam alienatio; imo quædam donatio, ut tenet Flamin. *de resign. l.* 9. *q.* 17. *numer.* 88. Vide *disp.* 4. *q.* 118. *a num* 5.

3 Nec obstat primò, doctrina Gigas, *de pension. cons.* 15. *num.* 4. asserentis, pensionem esse quamdam servitutem. Et in rebus in quibus est prohibita alienatio, potest constitui servitus, ut tenent communiter DD. apud Molin. *de primog. l* 1. *cap.* 20. *num* 3. Non, inquam, obstat, quia respondetur primò, pensionem non esse meram servitutem, seu non solùm esse servitutem, sed etiam donationem ut diximus ex Flam. *proxime.* Respondeo secundò, quamvis dominus possessor Maioratus possit pro vita sua servitutem imponere; non ita potest usufructuarius *l.* 1. *ff. communia prad l.* 2. *ff. de servit.* §. *Ideo autem, inst. de servit.* Beneficiarius autem non est dominus beneficij sed usufructuarius, ut tenet Rivius *in praxi ter for. Ecclesiast.*

4 Non obstat secundò, quòd supremus Princeps, qualis est S. Pontifex, potest donare rem litigiosam: ergo. Non, inquam, obstat, quia respondetur, quòd licèt possit donare rem litigiosam, quando vult; Et tantùm vult; quando ex narrativa id scit; & non aliàs.

5 Non obstat tertiò, supponere Gigas *de Pension. const.* 15. quòd in beneficijs litigiosis pensiones reservari possint. Non, inquam, obstat, quia respondetur; Id sanè in eo consilio supponere videri; sed non litigij factâ mentione.

6 Non obstat quartò doctrina DD. asserentium, invalidam esse pensionem in beneficio litigioso à tempore sententiæ, non tamen ante illam: ergo. Non, inquam, obstat, quia ea doctrina est vera, quando pensio à principio fuit valida, non autem quando statim fuit nulla, ob vitium subreptionis, ut inquit expresè Flamin. *de resign. l.* 6 *cap* 2. *n.* 86.

7 Non obstat quintò, posse impetrari à S. Pontifice aliquod jus sine narrativa litigij, quando impetratio non cedit in præjudicium partis. Non, inquam, obstat, quia aliud est impetrare, aliud cum effectu reservare pensionem; hoc autem semper est cum præjudicio partis, quia de se durat pro vita pensionarij, & sic concederetur à S. Pontifice id, quod est præjudicium partis.

QUÆSTIO LVII.

An præsentatio ad beneficium ob debitum, & servitia Regi, & Regno præstita, sit simoniaca, & quomodo fieri debeat sine simonia?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Non potest Ecclesia conferri absque Simonia.*
3 *Iniqua transactione lis dirimi non potest.*

1 CRispinus nomine proprio, matris & sororum litem cum procuratore fisci intendebat; articulans, Regem sibi pecuniæ quantitatem debere, quam illius pater defunctus, in fortificationibus vivens consumpserat, quarum rationes pater administrabat. Hæc lis per plures dictabat annos, existimans, se justitiam habere, & non levia, ad hanc existimationem, habebat fundamenta. Cæterum, inquit, Si Rex illi Ecclesiam sui Patronatus conferat, ex quibus redditibus, ipse, mater, ac sorores honestè vivere possint, se lite fore cessurum. Quæritur 1. An cedendo lite, possit Rex illi Ecclesiam sui Patronatus conferre? 2. Si ita fieri non possit absque Simonia, quomodo sine illa, fieri possit?

§. I.

An Crispino cedenti lite, possit Rex Ecclesiam Patronatus conferre.

2 Respondeo, non posse, quia ab utroque Simonia committitur. Ostenditur primò, quia à Rege Ecclesia propter remissionem debiti confertur; & à Crispino propter Ecclesiæ collationem, debiti remissio promittitur: collatio autem propter debiti remissionem, & promissio debiti remissionis, est simoniaca, ut constat ex *cap, Talia* 8. *q.* 3. & Gloss. *ibi verb. impunitatem*; & expresè supponitur *in cap Veniens* 10 *de testib.* & Gloss. *ibi verb. Remittere*, & DD. Soar. *tom* 1. *de Relig. l* 4. *de Simon. capit.* 38. *num.* 5. & cit. Laym. & alijs Bonac. *tom.* 1. & *de Simon. q.* 1. *num.* 10 & §. 1. *num.* 5. & relatis Flam Paris. & Panormit Castr. Palaus *tom.* 3 & *de Simon. disp* 3. *punct.* 3. *num* 2. Sed Crispinus promittit debitum remittere, quod à Rege deberi existimat, & se lite cessurum, si Rex illi Ecclesiam conferat: ergo si eam conferat, ab utroque Simonia committitur. Vide *dicta q.* 53. *num.* 3.

3 Secundò ostenditur; quia in hoc modo procedendi, ex parte Crispini; quàdam transactione iniquâ litem dirimere vult, nam *Transactio est quædam pactio non gratuita de re dubia, & lite incerta ad litem dirimendam*: sed omnis pactio, & conventio ad acquirendam Ecclesiam, seu beneficium, ut Simoniaca, est prohibita

hibita *in cap. super eo 7. de transact.* ibi: *Res sacræ, ut possideantur aliquo dato seu retento, seu promisso, speciem credimus habere Simoniæ*, & *cap. fin.* ibi: *Cum permutatio de spiritualibus ad temporalia improbetur, de rer. permut.* Et Glos. ibi: *Verb. temporalia*; & alijs juribus: cùm ergo Crispinus ad litem dirimendam, transactionem inire intendat, nequit Rex eâ de causâ absque Simonia Ecclesiam conferre.

§. II.

Quomodo absque Simonia dicta Ecclesia conferri possit?

SUMMARIUM.

4 *Potest conferri ob remunerationem liberaliter, & Crispinus suam prosequi litem.*
5 *Potest Crispinus litem relinquere, non directè ad obtinendam Ecclesiam, sed ob litis molestias & ex gratitudine Ecclesiam postulare.*
6 *Non potest, in pactum eam cessationem litis ex gratitudine factam, deducere.*

4 Ex duplici titulo, à Serenissimo Rege Crispino hæc Ecclesia absque Simonia conferri poterat. Primò, si illum idoneum existimet, conferre Ecclesiam gratis, & liberaliter, attendens ad servitia patris Crispini huic Regno facta; & Crispino jubere, quòd suam prosequatur litem; nam Ecclesia illi non confertur ob cessationem litis, sed ex gratitudine, & remuneratione. Et si Crispinus post collationem Ecclesiæ à lite desistere velit, bene; sin autem eam prosequatur. Hoc modo Simonia evitatur. Ratio est, quia Ecclesiæ collatio non fit, ut à lite cessetur, sed ob gratitudinem servitiorum patris. Ita pluribus relatis Soar. *tom. 1. de Relig. l. 4 cap. 45. num. 4.* & alij plures, quos refert & sequitur Bonac. *tom. 1 disp. 1. de Simon. q. 6. punct. 1. num. 1.* ibi: *Non committitur Simonia dum occasione rei temporalis accipitur; vel traditur aliquid spirituale, non tanquam pretium rei temporalis, sed gratis, seu titulo gratitudinis. Ita Caietanus, &c.* Sed Rex Crispino Ecclesiam non confert ob aliquod temporale, sed gratis, & ex gratitudine: ergo.

5 Secundus titulus esse potest; Si Crispinus liberaliter litem relinquat, non directè ad obtinendam à Rege Ecclesiam, sed per accidens, ad removenda perlongæ litis impedimenta, & liberari ab illius molestijs, ut inquit Roccafull. *in praxi Theol moral. tom. 2 l. 3. de 7. decal. præcept. sect. 4. cap. 2. num. 1087* apud Dian. *part. 11. tract. 6. resol. 31, vers. 1. in fine. versic. 8.* Et desistens à lite liberaliter potest intendere, & petere á Rege, quòd illi Ecclesia titulo gratitudinis conferatur, & ob patris in Regnũ servitia exhibita non ob cessationem litis, sed gratitudinem: licitum enim est ab aliquo petere, quod ipse ex naturali obligatione præstare tenetur; ut docent Soar. *proximè num. 13.* Bonac. *cit. num 5. & alij.*

6 Adverto, non posse Crispinum cessationem litis liberaliter factam in pactum deducere, quidquid dixerit Marc. Vidal. in *area Theol. moral. titul. de Simon inquisit. 2. numer. 45.* apud Dian. *cit. vers. His igitur*; nam hoc non est licitum, nec admittitur. Vide à nobis dicta, circa hanc *quæst. 51. & 52.*

QUÆSTIO LVIII.

An beneficiarius, authoritate propriâ, redimere intendens pensionis partem à se ipso impositam, simoniam committat?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Non potest fieri supplica in ea forma.*
3 *Nec etiam authoritate Episcopi fieri potest.*
4 *Omnis pactio, & conventio in resignatione beneficij prohibita est.*
5 *Supplica in ea forma facta subreptitia est.*
6 *Resignans non excusatur; ne fiant ab ipso maiores expensæ.*

1 SImon beneficiarius suum beneficium resignare intendit in favorem Taddæi, cui mille aureos debet; & potens in eo beneficio sibi reservare pensionẽ ducentorum millium regalium Lusitanorum, sibi tantùm reservat centum, & quinquaginta millia; ut sic illis quinquaginta diminutis, solvat debitum, & ex millibus aureis debitis nulla solvat lucra emergentia. Convenit tamen cum Taddæo de hac pensionis diminutione, nullam faciendam esse mentionem in supplica ad S. Pontificem; ne in exhibitione litterarum maiores fiant expensæ. Quæritur 1. An sub hac forma supplica fieri possit? 2. An fieri possit ea redemptio absque Simonia?

§. I.

An sub dicta forma supplica fieri possit.

2 Respondeo, non posse. Ratio est, quia absque Pontificis authoritate resignatarius sibi reservat ex eo beneficio quinquaginta millia regalia Lusitana, ad solvendos Taddæo debitos mille aureos: sed ea pensio, seu quinquaginta millia regalia ex ipso beneficio spirituali dicuntur spiritualia & mille aurei debiti temporale: ergo absque authoritate Pontificis nó possunt detrahi à beneficio, absque Simonia ad solvẽdos mille aureos illa quinquaginta millia regalia. Additur, quòd ex cõvẽtione utriusq; hoc prohibitũ *in c. Nisi essent.* ibi: *non quidem ex pactione partium, de præbend.* Et Glos. ibi *Verb. Ex jussione*, & tradunt Rebuff *de pacif. possess.* Cucchus *tit. 8. §. Illa quoque* Rodoan. *de Simon 2 part.*

part. cap. 14. *in fine*, Filliuc *tom.* 3. *tract.* 42. *cap.* 5. *num.* 10. Bonac. *tom.* 1. *tract. de Simon. disp.* 1. *q.* 4 §. 13. *num.* 9.

3 Imo nec authoritate Episcopi, ea fieri potest conventio, ut pluribus relatis tenent Soar. *tom* 1, *de Relig. l* 4. *de Simon. cap.* 35. *numer.* 3. Bonac. *tom.* 1. *tract. de Simon. disput.* 1. *quæst.* 4. §. 14. *numer.* 2. Castr. Palaus *tom.* 3. *de Simon. disp.* 3. *punct.* 16. *numer.* 1 & alij: ergo si ab Episcopo ea non potest imponi pensio, nec ad solvendum debitum, nec ad alios effectus; á fortiori eam non poterit resignans ad solvendum suum debitum.

4 Accedit, quód resignatio in ea forma exhibita, sine Pontificis authoritate, pactionem, & conventionem continet, nempe subtrahere quinquaginta millia regalia, ultra pensionem S. Pontifici manifestatam, ut resignanti illa millia aureorum debita solvat: at omnis pactio, & conventio in beneficij resignatione prohibita est, ut ex pluribus textib. & DD. latè ostendimus *supra q.* 51. *numer.* 4. *q.* 52 *nu* 3. *q* 53. *nu.* 3. *& q.* 54 *nu.* 3. & alijs in locis.

5 Addo, supplicam in prædicta forma exhibitam, gratiam reddere subreptitiam. Ratio est, quia taciturnitas qualitatis, quam jura, & stylus Curiæ exprimi jubent; si non exprimatur, gratiam reddit subreptitiam, ut pluribus allatis tradit Sanch *l.* 8 *de matr. disput.* 21 *numer.* 13. & 15. sed jura, & stylus Curiæ, pro forma resignationis ad favorem cum reservatione pensionis, requirunt, quod pensio designetur, & beneficium sine diminutione tradatur, ut expressé habetur *in cap. Unico, ut Ecclesiast. benef. sine dimin. conferantur.* Quod non datur in forma *num.* 1. *adducta*; nam tacetur pensio de tracta, pro solutione millium aureorum, & beneficium resignatario traditur á resignante, cum diminutione illorum quinquaginta millium regalium, pro solutione millium aureorum detractorum; quod est contra *cit. cap. Vnicum*, & contra *cap. Tuæ fraternitatis* 26. *de præbend.* Et videri potest apud Azor *part.* 2. *l.* 6. *cap.* 16. *q.* 2. & 6. Castr. Palaum *tom.* 2. *tract* 13. *de benef. disp.* 3 *punct* 1. *num.* 11. Et licet ea taciturnitas non esset contra jus commune, ut est, necessarium erat in supplica, id manifestare, juxta regulas Cancellariæ; ne gratia esset subreptitia, ut docent Menoch. *de arbit. l.* 2. *cas* 201 *n.* 78. Sanch *l.* 8 *de matr. disp.* 21 *n.* 4. Azor. *duc. part.* 2. *l*, 6. *cap.* 33. *q.* 4 Castr. Palaus *cit. disp.* 2 *punct.* 31. §. 4. *numer* 16. ergo dicta forma allata, subreptitia est.

6 Nec obstat, dicere resignantem *n.* 1. hoc facere, ne maiores fiant expensæ in impetratione litterarum suæ pensionis. Non, inquam obstat, nam per taciturnitatem illius pecuniæ subtractæ, ad solvendum debitum, gratia redditur subreptitia, ut vidimus. Nam exprimendo resignás in supplica, minorem pensionem illâ, quàm sibi reservat, annata debita defraudatur. Ideo enim in regulis Cancellariæ requiritur, quòd exprimatur valor beneficij, ne si minor exprimatur, annata de fraudetur, ut videre est apud Azor *cit. dicto tap.* 33. *q.* 4. *in fine*: ergo ne ipsa defraudetur annata, minor pensio non est exprimenda.

§. II.

An absque simonia pensionis redemptio fieri possit?

SUMMARIUM.

7 *Fieri non potest.*
8 *Oppositum docent plures.*
9 *De præsenti pro solutione debiti non agimus cum sit nulla, & simoniaca.*
10 *Modus supplicam expediendi.*

7 Loquimur in præsenti de pensione authoritate S Pontificis imposita. Et cum communi, & in praxi tenendum respondeo, non posse authoritate Pontificis, anticipatis solutionibus, pensionem redimi. Sic relatis flamin. Navarr. & Victor. Azor 2 *part. l.* 8. *cap* 10. *q.* 10. Soar. *tom.* 1. *de Relig. l.* 4. *cap.* 26. *numer.* 14. & 26. Bonac. *tom.* 1. *tract. de simon disp.* 1. *q.* 4. §. 13. *num.* 9. Eandem sententiam tenent Aragon. Henriq Beja, Rebuff. Salzed. Lopes, Rodrig. Cordub. Baunij Reginald & alij plures apud Sanch. *l.* 2. *consil cap* 3. *dub* 46. & Dian. *part.* 4 *tract.* 4. *resol.* 153. & *part.* 11. *tract.* 5. *resol.* 5. Probatur primò, quia ita habet stylus Curiæ, à quo non est recedendum. Secundò, quia pensio authoritate propria imponi non potest: ergo nec redimi. Tertio, quia pensio posita ex institutione Ecclesiæ, seu Constit. B. Pij V. 12. est quid spirituale: & quod est spirituale, absque simonia redimi nequit. Quamvis hæc sententia ex his rationibus tenenda sit, & in praxi sequenda.

8 Non desunt DD. asserentes pensionem à S. Pontifice impositam, propria authoritate, posse redimi. Ita Valent *tom.* 3. *disp* 6. *q.* 16. *punct.* 3. *vers. validius, in fine*, Laym *ex part. l.* 4. *tract* 10 *cap.* 8. *num.* 48. Sanch. *cit. num.* 19. Castr Palaus *tom* 3. *disp.* 3. *de Simon. punct.* 13. *num.* 10. Urban. ab Assumpt *in Theol. moral tract.* 3 *tit* 17. § *Examinator natura pensionis, fol* 665 Illustrissim. Araujo *in decis. moral. disp.* 14. *part.* 2. *art* 4 *nu.* 37. *vers. Dico* 3. Et non minus probabilem, quàm contrariam, hanc sententiam putat Dian *citat. dict. part.* 4. at *part.* 11 *cit.* inquit, à præcedente *n.* 7. nõ recedere. Movêtur primò quia id, quod immediate ex redemptione pensionis acquiritur, & libertas illam solvẽdi quotannis; quæ libertas nec est spiritualis, nec spirituali annexa. Secundò, quia hæc redemptio est quædam anticipatio fructuum solutio: at fructus pro tota vita simul vendi possunt ut jam *hac disp. notavimus* Cùm tamen obstet stylus Curiæ, illi standum est; sic aliqui DD. *ex cit.* & Castr. Palaus, *tom.* 2. *tract.* 13. *disp.* 1. *punct.* 11. §. 10. *n.* 12.

9 Allatæ sententiæ *n.* 7. & 8. procedunt, ut dixi, quando à Sum. Pontifice resignanti ea conditione suum beneficium, concessa fuit.

Nam in præsenti casu pensio quinquaginta millium regalium ad solutionem dicti debiti, cum à Summ. Pontifice non sit concessa, sed authoritate tantùm resignantis, & consensu resignatarij; in illis opinionibus non comprehenditur. Est enim injusta, & simoniaca, ac ipso jure prohibita, ut ex *dictis* §. *constat.*

10 Quare supplica Summ. Pontifici mittenda est, exprimendo beneficij valorem, & juxta illum reservando pensionem, ut per aliam supplicam ab eodem Summ Pontifice obtineatur facultas, partem pensionis redimendi; ut sic suum debitum à resignante contractum solvatur. Dixi: *juxta valorem beneficij fructuum, reservando pensionem.* Nam si beneficium resignandum sit parochiale, potest Summ. Pontifex eam concedere pensionem, quàm voluerit. Nam circa pensiones hujus, & quantitatem aliorum, certam non possumus dare regulam, ut inquit Garcia *part. 1. de benef. capit. 5. numer.* 371. Iure antiquo parocho imponebatur pensio cum clausula: *Dummodo tertiam partem valoris non excederet. Dummodo valor excedat centum ducatorum.* Nam juxta *Trident. sess.* 24. *capit.* 13. si non excedat, nulla resignatario pensio imponitur. Si autem beneficium sit mere simplex, quandoque solet imponi pensio non excedens medietatem, aut tertiam valoris partem. De his vide Barbosam ad *cit. Trident. locum*, Rebuff. *in praxi titul. de resignat.* Garcia *de Benef. cit. per totum* §. 3 Filliuc. *tom* 3. *tractat.* 42 *per totum capit* 5. Castr. Palaum *tom* 2. *tractat.* 13. *de benef. disp* 1 *punct* 11. §. 4. & alios, quos citant. Et post factam beneficij resignationem, & reservationem pensionis potest supplicare, ut illa quinquaginta millia regalia authoritate Pontificis, & non aliás, redimere possit, ut dictum est.

QUÆSTIO LIX.

An obtinens beneficium per sententiam judicis Apostolici, Sede vacante, contra provisum in concursu per Episcopum, possit absque simonia vexationem redimere, quam habere potest à successore Episcopo, promittendo annuam pensionem provisio per concursum, ne litem moveat, nec suam provisionē Episcopo successori manifestet?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Conventio quoad præsentationem est nulla.*
3 *Cedere lite, ob præsentationem, est Simoniacū.*
4 *Provisus in beneficio, ne jure quæsito tollatur, potest redimere vexationem, promittendo pro sua vita annuam pensionem.*
5 *Sine recursu ad Pontificem, post collationem, & possessionem obtentam, potest ex fructibus sui beneficij tribuere.*
6 *Cap. Matheus, de confirmatione, & non de electione explicatur.*
7 *Regul. 8. Cancellariæ comprehendit omnia beneficia ordinum militarium, etiam Hierosolymitani.*
8 *Oppositum plures sequuntur DD.*
9 *Oppositum non sequitur Gonzal.*
10 *Sententiam confirmat Bulla Pij IV.*
11 *His præcisis, Regul. 8. Cancellariæ cōprehendit beneficia Patronatus ordinis Hierosolymitani.*

1 VAcante quodam beneficio curato Patronatus cujusdam venerandi Bajulivi, mensibus Sedi Apostolicæ reservatis, non obstante appellatione interposita; ab Episcopo, per concursum fuit electus Carolus sacerdos, & in eo beneficio provisus, juxta dispositionem *Concil. Trident. sess.* 24. *de reform. cap.* 18. Mortuo Episcopo, Sede vacante, venerandus Bajulivus in sui favorem sententiam obtinuit. Et vicarius generalis Sedis vacantis, eam executioni mandavit; à beneficio repellens per concursum, Carolum provisum, in possessionem à Bajulivo præsentatum intromittens. Hic tamen, & ipse Bajulivus meritò timent Episcopum successorem omnia ad pristinum, & primum statum esse redacturum. Ut hoc evanescat, conveniunt, Carolum per concursum, & litteras Apostolicas provisum, & a beneficio expulsum; & pactionem cum illo ineunt; quod singulis annis vitæ præsentati, & beneficium possidentis, dabit ipse possidens ex fructibus ipsius beneficij à quo Carolus fuit expulsus, centum ducatos, dummodo verbo, aut scripto obligetur, se amplius in tali beneficio non loquuturum, nec etiam novo veniente Episcopo; & si forte de facto, possidens dictum beneficium decedat, ab ipso Bajulivo in eo beneficio erit præsentandus. Quæritur, An absque simonia hāc conventionem inire possint?

RESOLUTIO.

2 In primis respondeo hanc conventionē, quoad præsentationem, decedenti possidente, esse nullam. Ratio est, quia fit ante vacationē beneficij, dum vivit beneficiarius possidens, ut expressè colligitur *ex text. in cap. Illud, de jur. patron.* & expressius *in cap ult. de conces. præbend.* ibi: *Promissiones de non vacantibus beneficij Ecclesiarum, in quibus jus obtinet patronatus ... mandamus, quatenus id irritū decernentes*, &c. & Gloss. ibi *verb Promissiones*, & DD Barbos. *de potest. Episcop. alleg.* 72. *a n.* 1. *& præcipuè n* 6. Castr. Pal. *tom.* 2. *tract.* 13 *disp.* 2. *punct* 5. *num.* 1.

3 Addo, cedere liti, ob præsentationem ad beneficium, esse simoniacum. Ratio est, quia ob spirituale consequendum temporali ceditur, præsentatio autem ad beneficium, est quid spirituale. Soar. *tom.* 1. *de Relig. l.* 4 *de Simon. cap* 28 *à num.* 7. Laym *l.* 4. *tract.* 10 *cap* 8. *numer.* 60. & alij, quorum plures refert, & sequi-

sequitur Bonac. *tom. 1. tract. de Simon disput. 1. q. 4. num. 4.* Castr. Palaus *tom. 3. tract. 17. disp. 3. de Simon. punct. 19. num. 2.* quanvis non expressè. Vide *dicta supra q. 51. num. 14 & 52. num. 3.*

4 Secundo respondeo, si hæc de præsentatione ab illa conventione tollantur, non committi simoniam, si conventio comprehendat tantùm pensionem centum aureorum solvendam ex eo beneficio singulis annis vitæ beneficiarij possidentis. Ratio est, quia beneficiarius in illo beneficio jus habet acquisitum per sententiam judicis Apostolici, per collationem, & possessionem ab ordinario obtentam, expulso Carolo à possessione, quàm obtinebat: sed habens jus acquisitum in beneficio, potest pecunia redimere vexationem sibi faciendam in jure illo acquisito tollendo, ut expressè habetur *in cap. Dilectus 1. de Simon.* ubi Præpositus quidam dedit alteri certam pecuniæ quantitatem sub promissione non inferendi sibi injusta gravamina, & simoniacus non censetur; & *ex cap. Quæsitum 1. q. 3.* & DD. communiter cum D. Thom. 2.2. *q. 100. art. 2. ad 5.* & plurib relatis Soar *citat. cap. 50. num. 2.* Castr. Palaus *proxime punct. 20. numer. 1* Filliuc. *tom 3 tract. 45. cap. 11. numer. 1.* Bonacin. *citat. q. 6. punct. 5. num. 1,* & alij, ex hac ratione; quia non dat pecuniam pro aliqua re spirituali, sed pro cessatione ab injuria: ergo cum dictus beneficiarius jus sibi habeat acquisitum in eo beneficio, potest illa pensione centenorum ducatorum pro singulis annis suæ vitæ vexationem sibi faciendam redimere; ne his à Carolo moveatur, & ne Episcopo suam provisionem in concursu obtentam primo, manifestet in Episcopatu successuro; quæ sunt temporalia, nempe donatio pro singulis annis centenorum ducatorum, & vexatio tam à Carolo, quàm ab Episcopo inferenda

5 Et sine recursu ad Summ. Pontificem, post collationem, & possessionem obtentam, potest beneficiarius ex fructibus sui beneficij eam ducatorum summam Carolo tribuere: est enim illorum dominus; vide Card. de Lugo *tom. 1. de Just. disput. 4. à numer. 2.* & quæ *supra diximus quæst. 54. numer. 9.*

6 Neque obstat primò, *Cap. Matheus, de Simon.* ubi simoniacus censetur electus à maiori parte eligentium, paucis contradicentibus; eo quòd eo sciente, amicus certæ quantitatis munus ei, qui contradicebat, dederit: ergo idem in præsenti casu dicendum. Non, inquam, obstat *textus citat.* nam ea contradictio fuit non contra electionem, sed circa confirmationem, ut cum Soar. *citat. numer. 9.* explicat Castro Palaus *proximè punct. 20. numer. 1. vers. Neque adversus*; & ideo non fuit redemptio in jure acquisito, sed in jure acquirendo; quod absque simonia fieri non potest; ut videre est apud Castr. Palaum *citat. numer. 4.* cum pluribus ibi relatis, & Filliuc *dict. tom. 3. tract. 45. cap. 11. numer. 6.* at noster beneficiarius jure acquisito in beneficio suam redimere intendit vexationem, donando illam pensionem.

7 Nec obstat secundò, quòd Carolus jure sibi acquisito sit privatus, per sententiam Iudicis Apostolici tempore Sedis vacantis: nam adveniente novo Episcopo successore, absque mora ad suum, & idem beneficium restituetur; quippe illius jus est clarius. Ratio est; quia dictum beneficium est Patronatus Ecclesiastici, & non laici, & vacavit mente Summ. Pontifici reservato, juxta regulam 8. Cancellariæ, & juxta illam, per concursum electus fuit Carolus, & à Summ. Pontifice litteras gratiosas accepit, & ab ordinario collationem, & beneficij possessionem obtinuit; & cum dicta regula omnia beneficia etiam ordinum militarium comprehendat, teste Gonzal. *ad regul. 8. Gloss. 8. à numer. 52.* & specialiter beneficia ordinis Hyerosolymitani, ut tradunt Barbos. *de potestat. Episcop. part. 3. alleg. 57. numer. 175. in fine*, & Loterer *de re benefic. l. 2. q. 39. num. 17.* cum Gonzal. & alijs. Et quòd comprehendat omnia beneficia Patronorum Ecclesiasticorum tenent, pluribus relatis, Barbos. *in collect. ad Concil. Trident. sess. 24. de reform. cap. 18. num. 139. & 140.* & Castr. Palaus *tom. 2. tract. 13. de benef. disp. 2. punct. 10. numer. 5* ergo facili negotio sententia lata contra Carolum à successore Episcopo poterit revocari.

8 Non, inquam, hæc obstant, quia respondetur, ea non tollere, quòd beneficiarius jus non habeat acquisitum in illo beneficio; & sic pensione promissâ vexationem redimere poterit, quin simoniam committat. Nec sententia in sui favorem lata fuit nulla: Iudex enim Apostolicus sic illam stabilivit. Plures DD. tradunt beneficia juris Patronatus ordinum militarium non comprehendi in *cit. Reg. 8* Garcia *de benef. part. 5. cap. 1. num. 513 argum. regul. 3. ejusdem Cancellariæ*; quæ illam non comprehendit, Gabriel Pereyra *de Man. Reg. part. 2. cap. 58 num. 8.* & apud illum Lap. *alleg. 34. num. 11.* Gomes *in tract. de expectat. numer. 94. vers. Existis, & alios.*

9 Nec contra dictam sententiam stat Gonsal. *cit.* nam licet existimet Regulam comprehendere beneficia ordinum militarium: asserit tamen non comprehendere beneficia pertinentia ad Præposituras, & Prioratus dictorum ordinum, ex hac ratione: quia in Regula 3. non comprehenduntur; Nec dicatur, quòd comprehendantur in generali reservatione regulæ 8 quæ in speciali regula 3. non comprehenduntur. Ergo cum beneficium de quo agimus sit juris Patronatus Bajulivi, & non qualitcunque commendatarij ordinis, dicendum est juxta hunc Doctorem, dictum beneficium in dicta Regula non comprehendi.

10 Additur, quod Pius IV. in Bulla, quæ incipit;

cipit: *Inter assiduas 95.* inter aliàs hujus Pontificis, apud Cherub. *tom.* 2. in qua dicitur §. 51. beneficia ordinis Hierosolymitani non comprehendi in quacunque reservatione, tam generali, quam speciali, & additur ibi non censeri hanc Bullam derogatam, si de illa expressa non fiat mentio de verbo ad verbum. Hoc autem privilegium ob Ordinis servitia concessum fuit: privilegia vero in his terminis concessa, sunt remuneratoria, & non censentur derogata per reservationes generales; ut de patronatu laicis concessio, inquit Castr. Palaus *supra cit. num.* 2. & de concessio ex causa onerosa *punct.* 3 *numer.* 13. *in fine.* cum Garcia Sic fundata judicis sententia, & à Vicario generali admissa, Beneficiarius jus habebat acquisitum in eo beneficio, & poterat vexationem pensione promissa redimere, quam timere poterat à lite movenda per Carolum ab eo beneficio expulsum & à novo Episcopatûs successore. Hæc quoad resolutionem casus propositi.

11 Nam ab his præscindendo, fateor sententiam asserentem, beneficia Patronatus Ordinis Hierosolymitani in regula 8. Cancellariæ comprehendi, ut tenet communis sententia jam *supra numer. 7. allata*; nec oppositum in aliquo D. inveni, nisi in Garcia *citat.* alios vero à Gabriel, Pereyra in Manu Regia citatos, nec ipsum videre potui, quia ad manum non sunt. De Bulla Pij IV. adducta; dicere possum, quod ea verba in illa non sunt; nec *in* §. 51. *citat.* illa habentur expressé. In margine ad eundem §. dicitur, esse reductum ad terminos Concil. Trident. à B Pio V. qui non tantúm hunc § Sed alia plura in Bulla Pij IV. contenta, limitavit, ut videre est in sua *Constit.* 28. *ordine* apud ipsum Chirub. *dict. tom.* 2 Et si alia datur Bulla Pij IV. in qua datur ea illius privilegij concessio, illam non inveni. Addo plures esse latas sententias in Rota, & tribunalibus Episcoporum contra Commendatarios dicti Ordinis in beneficijs eorum Patronatûs, juxta Regulam 8. Cancellariæ; ex quibus colligi potest, pro Iustitia venerandi Bajulivi, jus ipsum non stare clarum.

QUÆSTIO LX.

An si obtento beneficio, per litteras Apostolicas, impediatur quis à possessione capienda, pecuniâ vexationem redimere possit, vel dimittere adversario beneficium, accipiens ab illo pensionem absque Simonia?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Potest pecuniâ redimere vexationem.*
3 *Possessio, secundum se spectata, & dicimæ sunt quid temporale.*
4 *Supposito titulo jam acquisito, possessio est quid temporale.*
5 *Quando ipsum jus acquisitum est dubium, possessio pecunia redimi non potest.*
6 *Litteræ impetratæ circa beneficium juris Patronatus Ecclesiastici non sunt subreptitiæ, si taceatur esse juris patronatus Ecclesiastici.*

1 REsignato quodam beneficio in manibus Sum. Pontificis ad favorem vitalis sacerdotis, litteris obtentis, & ab eo solutis quinque annatis, volens possessionem capere, à quodam Commendatore ordinis Hierosolymitani fuit impeditus, allegante illud beneficium esse Patronatus suæ Commendæ, & resignari non posse; & ad idem beneficium præsentavit Agricolam sacerdotem. Quæritur primo, An Vitalis vexationem, quam illi inferunt in sua capienda possessione cõmẽdatarius, & agricola pecunia possit redimere? 2 An Agricola tranlactionem cũ vitale inire possit, ut illi dimittat beneficium, illi tribuens quamdam pecuniæ summam.

§. I.

An Vitalis vexationem, quã illi inferũt in sua capiẽda possessione cõmẽdatarius, & Agricola, absque simonia, pecuniâ possit redimere?

2 Respondeo posse. Moveor primó ex dictis *q. præcedente a numer.* 4 Nam quando aliquis habet sibi jus acquisitum in aliquo beneficio, potest pecuniâ vexationem redimere absque Simonia, ut ibi sustinuimus cum communi sententia, & D. Thom Soar. Castr Palao, Filiuc. & *alijs citatis*: sed Vitalis jus habet acquisitum in beneficio; habet enim litteras Apostolicas, collationem ab ordinario, & illi solum deest possessio, à qua capienda impeditur: et sic non dubitatur, habere jus acquisitum, ut omnes fatentur Videatur Lessius *de just. l.* 2 *cap.* 35. *dub.* 18 *num.* 105. ergo absque Simonia, hanc vexationem pecuniâ potest redimere.

3 Secundò moveor; quia quando aliquis habet certam, & indubitatam institutionem, si per aliquem impediatur à possessione capienda, pecuniâ potest redimere vexationem: nam possessio secundum se, non est quid spirituale, sed ratione tituli, cui est annexa; si autem titulus, cui est annexa, jam est acquisitus, possessio est, quid temporale, & titulo debita. Sicut qui habet titulum, & jus plenum ad decimas colligendas, si illi negentur, non negatur quid spirituale, seu quod est temporale, & venibile: ergo sicut harum negatio absque Simonia, pecuniâ redimi potest, ita etiam sine illa, pecunia redimi potest impedimentum possessionis beneficij. Ita communiter juristæ *in cap. Matheus, cap. Dilectus* 1. & *cap.*

cap. Ad aures, de Simon. & TT. relatis D. Thom. Caiet. Sot. & Navarr. Leſſ. *citat. dict. dub.* 18. *numer.* 110. & alijs citatis Soar. *tom.* 1. *de Relig. l.* 4. *de Simon. cap.* 50. *numer.* 31. & allatis Rodrig. Vega, Petr. de Ledeſm. & alijs Caſtr. Palaus *tom.* 3. *tractat.* 17. *diſput.* 3. *de Simon. punct.* 20. *numer.* 4. Filliuc *tom.* 3. *tract.* 45 *cap.* 11 *num.* 10. Sed vitalis habet certam, & indubitatam collationem, & proviſionem beneficij: ergo abſque Simonia redimere poteſt vexationem ſibi illatam in poſſeſſione capienda.

4 Neque obſtat primò, quòd poſſeſſio beneficij ſit aliquid ſpirituale ex eo quod ſit connexa ordini, & clavium adminiſtrationi, ut pluribus relatis tradit Garcia *de benef. part.* 1 *cap* 2. *numer.* 53. ergo abſque Simoniâ pecuniâ redimi nequit. Non, inquam, obſtat, quia reſpondetur, *ut proxime*: nam ſuppoſito titulo jam acquiſito, ut in noſtro caſu, jam poſſeſſio ſecundùm ſe ſpectata, non eſt quid ſpirituale, ut non ſunt fructus beneficij, & decimæ poſt titulum acquiſitum ad illos habendos.

5 Neque obſtat ſecundò, quòd jus, ex quo vitalis obtinuit beneficium, vocatur in dubium, quia beneficium erat juris Patronatus Commendatarij; & quando ipſum jus vocatur in dubium, poſſeſſio pecuniâ redimi nequit, quia tunc connexa eſt ſpirituali. Non, inquam, obſtat, quia reſpondetur, id verum eſſe, quando dubium eſt circa jus, quo petitur poſſeſſio beneficij: at dubium inter hos collitigantes non eſt circa jus acquiſitum, quo petitur beneficij poſſeſſio, nam hæc petitur ex litteris à S. Pontifice conceſſis, & collatione ab ordinario obtenta Et de his non procedit controverſia inter collitigantes, ſed ex reſignatione facta de beneficio juris Patronatus. Ita Soar. Caſtr. Palaus, & Filliuc. *locis cit.*

6 Non obſtat tertiò, litteras à Sum. Pontifice impetratas eſſe ſubreptitias; quia in ſuplica reſignationis non facta fuit mentio, beneficium reſignatum eſſe juris Patronatus, quod neceſſarium erat. Non, inquam, obſtat, quia reſpondetur, antecedens eſſe verum, ſi beneficium reſignatum eſſet juris Patronatus laici, ſecus quando eſt Eccleſiaſtici; ut videre eſt apud Garciam *part.* 5 *capit.* 5 *num.* 552. & *part.* 11. *cap.* 3. *numer.* 16. & 17. Leſſium *de Iuſt. l.* 2. *cap.* 34. *numer.* 193. & 207. *in fine*, Azor 2. *part. inſtit. moral. l.* 6. *cap.* 32. *q.* 6. *in principio* & ex illo & Menoch. multis relatis, Caſtr. Palaus *tom.* 2. *tract.* 13. *diſp.* 2. *punct.* 31. *numer.* 12. beneficium autem, de quo agimus, non eſt Patronatus laicis, ſed Eccleſiaſtici.

§. II.

An Agricola cum vitale tranſactionem inire poſſit, ut hic dimittat beneficium, tribuens illi Agricola quamdam pecuniæ ſummam, quin ſimonia intercedat.

SUMMARIUM.

7 *In ea tranſactione ſimonia intervenit.*
8 *Cedere beneficio litigioſo propria authoritate, ob pecuniam eſt Simoniacum.*
9 *Nec Prælati Papâ inferiores eam tranſactionem facere poſſunt.*
10 *Vitalis libere, & authoritate ſuperioris ſuis litteris renunciare poteſt.*
11 *Caſus text. in cap. Ad audientiam, fuit ſubreptitius.*

7 Hoc erat principale intentum horum collitigantium, ut renunciatis litteris Apoſtolicis à Vitale Agricola ſua nixus præſentatione, beneficium obtinuiſſet. Reſpondeo ergo ad titulum propoſitum, non poſſe Agricolam eam tranſactionem inire cum Vitale abſque ſimonia. Hæc reſolutio ex dictis in hac, & *præcedenti quæſt.* eſt manifeſtè clara, & certa. Probatur primò, quia Agricola per ſolam præſentationem à commendatario factam jus ad beneficium non acquiſivit: ſed jure non acquiſito in beneficio, ad illud via parari non poteſt, mediante pecuniâ, abſque Simonia: ergo. Maior patet. Quia dum præſentato à Patrono non confertur á Prælato inſtitutio, non acquirit præſentatus actu jus ad beneficium, ut communiter docent Doctores quos laté citant, & ſequuntur Garcia *de benef. part.* 4. *cap.* 3. *numer.* 11. & 12. Caſtr. Palaus *tom.* 2. *tract.* 13 *de benef. diſput.* 2. *punct.* 1. *numer.* 5. Azor. 2 *part. inſtit. moral. l.* 7. *cap.* 27. *quæſt.* 9. *poſt medium*, Filliuc. *tom.* 3. *tractat* 41. *capitul.* 3. *numer.* 8. & 9 Minor oſtenditur *ex cap. Sicut tuis, cap. De eo*, & *cap. Matheus de Simon.* in quibus Simoniaci cenſentur aliqui, jus non habentes in beneficio, & contradicentibus donant pecuniam, ut illud haberent: ergo cum Agricola in illo beneficio non habeat jus quæſitum, tranſactionem facere nequit cum vitale, illi tribuendo pecuniam, ut ſic illi paretur via, ut in eo beneficio à Prælato inſtituatur. In illa enim tranſactione uterque Simoniam incurrit. Sic tenet communis TT. ſententia apud Leſſium *l.* 2. *de juſt. cap.* 35. *dub* 18. *num.* 108. Soar. *tom.* 1. *de Relig. l.* 4. *cap* 50 *num.* 23. Filliuc. *tom.* 3. *tract.* 45. *cap.* 11. *num.* 6. & *citat.* Sot. Vgolin. & Rodrig. Caſtr Palaum *tom.* 3. *tract.* 17. *diſp.* 3. *de Simon. punct.* 10 *num.* 4

8 Secundò probatur, quia cedere beneficio litigioſo, propriâ authoritate, ob pecuniam, eſt Simoniacũ, habetur expreſſe *cap. Præterea*, 1. & 2. *de trãſact. cap. cũ pridẽ, de pactis, cap.* 2

de arbitr. & cap. ult. de rer. permut. Ratione clarâ ostenditur: quia dimittitur jus in beneficio acquisitum pro temporali. Videatur Castr. Palaus *tom.* 3 *tract.* 17 *disp.* 3 *de Simon. punct.* 19. *numer.* 1.

9 Addo, nec etiam Prælatos Papâ inferiores, ad evitandam litem, hanc transactionem facere posse, imponendo uni pecuniæ summam, & alteri beneficium conferendo. Ratio est, quia hæc conventio jam inter collitigantes præcessit: & quando conventio a partibus ortum habuit, præsumitur spirituale pro temporali conferri. Textus expressus *in cap. Iam pridem, de pactis cap. Nisi, de præbend. & cap. Præterea* 1. & 2. *de transact.* Et traditur à DD. quos latè citant Garcia *part.* 1. *de benef. cap.* 5. *a num.* 340. Zerol. *in praxi Episcop.* 1. *part. verb. Simonia vers. Secundum dubium*, Castr. Palaus *tom.* 3 *tract.* 17. *disp.* 3. *de Simon. punct.* 19. *num.* 6.

10 Existimo tamen, posse vitalem litteris Apostolicis, & juri acquisito in illò beneficio renunciare purè, liberè, & authoritate superioris. Ratio est, quia omnibus licet, justâ intercedente causâ sua beneficia renunciare, nisi specialiter prohibeantur; quia unusquisque sponte suo juri cedere potest. Sic Garcia *de benef. part.* 11 *cap.* 3. *num.* 44. Castr. Palaus *tom* 2. *tract.* 13. *de benef. disp* 6. *punct.* 2 § *numer.* 1. At vitalis potest habere justam causam ad eam renuntiationem; nec datur jus eam prohibens, ut videre est apud Garciam, & Castr. Palaum *cit. in num. sequentibus*: Et factâ hâc renuntiatione, cum vacet beneficium, & jam ad resignationem non pertineat; Patronus poterit, quem maluerit, præsentare. Et si ab eo præsentatus post institutionem, & possessionem, aliquid titulo gratitudinis vitalis accipiat, non erit Simoniacus: ut cum Sylvest. *Verb. Renuntiatio q.* 1. *vers.* 3. *in simili* casu, tradit Azor *part.* 2. *l.* 7. *cap.* 27 *q.* 9. *prope finem.* Et ego dixi *supra q.* 54 *num* 9.

11 Neque obstat contra resolutionem textus *in cap. Ad audientiam* 2. ubi non damnatur, ut Simoniacus ille, qui renuntiavit litteris Apostolicis, recipiendo pecuniam, aut pensionem Ecclesiasticam, absque Pontificis authoritate, inquit enim ibi Honorius III. *Ad audientiam nostram pervenit, quòd quidam clerici, obtentis à Sede Apostolica litteris super provisione sua, in aliquibus Ecclesijs sibi subjectis, recipientes ab eis annuas pensiones, seu beneficia ut ab eorum impetratione desistant, renunciantes juri litterarum.* Et Pontifex hoc ibi, ut simoniacum non damnat; & Glossa ibi, non esse Simoniam videtur docere: ergo etiamsi vitalis litteris Apostolicis renunciet, pecuniam, aut pensionem recipiens non erit Simoniacus; nec Agricola illam tribuens. Non, inquam, obstat; quia respondetur cum communi sententia, simoniam committi, ut pluribus relatis tradit Azor *cit. dect. q.* 9. & Glossa *ibi.* Ad textum dico litteras, de quibus ibi sermo est, fuisse subreptitias, & ad beneficia obtinenda, & non obtenta; Quales sunt litteræ nostri casus. Vide Glossa. & Garciam *de benef. part.* 11. *cap.* 3. *num.* 247. & 248.

QUÆSTIO LXI.

An transactio super Patronatibus authoritate propriâ facta sit Simoniaca, reservata consanguineo pensione in illis, quæ antea inerat?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Non est Simoniaca ea transactio.*
3 *Ratione tantùm transactionis.*
4 *In transactione si non intercedat temporale, non datur simonia.*
5 *Post transactionem absolutè factam, donata fuit spontaneè pensio supra dicta.*
6 *In transactione materiæ spiritualis non beneficialis, non prohibetur largitio rei spiritualis pro spirituali.*

1 MArtinus, & Mennas super quibusdam Patronatibus litigabant, ad quemnam eorum pertinerent? Pro bono pacis inter se convenerunt, quòd dividerentur. Illis divisis Martinus libenter consensit, quòd pensio quingentorum ducatorum reservaretur fratri Mennæ pro singulis annis vitæ suæ, quæ pensio jam inerat illi in illis patronatibus, & quia præsumebatur pro Menna fortius staret jus. Quæritur: An in præsenti transactione interveniat Simonia?

RESOLUTIO.

2 Respondeo in ea transactione non intervenire Simoniam. Ratio est, quia conveniunt DD. transactionem in materia spirituali non beneficiali per largitionem, vel cessionem alterius rei, vel juris spiritualis proportionati non esse simoniacam; Ideoque de consensu partium absque Prelati authoritate, fieri posse, quantum est ex vi transactionis; ut relatis Abbat. Innocent. & alijs, docent Soar. *tom.* 1. *de Relig. l.* 4 *cap* 51 *num.* 8. & ex illo Filliuc. *tom.* 3. *tract* 25. *cap.* 12. *num.* 24. Laym. *in Theol. moral. l.* 4 *tract.* 10. *cap* 8. & *ult* §. 5. *numer.* 57. Et colligitur *ex cap. Ad quæstiones, de rer. permut.* Sed dicta transactio quamvis sit in materia spirituali: patronatus enim est jus spirituale, vel spirituali annexum, ut dicitur *in capit. jure, de jure patronat.* non est de re beneficiali; nam patronatus definitur: *Ius honorificum, onerosum, & utile, alicui in Ecclesia competens*; ut tradunt Gregor. Lopes *l.* 1. *titul.* 15. *part* 1. *verb. Derecho. num.* 2, & Abbas apud Castr. Palaum *tom.* 2. *tract.* 13. *de benef. disp.* 2. *punct.* 2. *n.* 1.

3 Dic-

3 Dictum est: *quantùm est, ex vi transactionis*: nam ut illa tranſactio vitio careat Simoniæ, neceſſaria non eſt authoritas Prælati, nam illâ deficiente, ſimonia non datur. Erit tamen neceſſaria ad valorem tranſactionis, & illius perpetuitatem. Videatur Soar. *cit. num.* 10. Filliuc *proximè*.

4 Nec tranſactio ſupradicta eſt Simoniaca ob penſionem quingentorum ducatorum fratri Mennæ ſingulis annis ſolvendam; nam illa penſio jam antea ab habente illos patronatus ſolvebatur, & cum per dictam tranſactionem ad Martinum proveniſſent, cum ſuo onere tranſierunt, quin daretur Simonia; ſicut non datur in eo, qui accepit præbendam cum onere, quod habebat ipſa præbenda ante acceptionem, ut conſtat *ex cap. ſignificatum de præbend* & quando in beneficijs apponitur beneficiario conditio, quæ ipſo jure beneficijs inerat, ſimonia non committitur, ut pluribus allatis, docet Sanch. *l. 2. conſil. cap* 3. *dub.* 25 *numer.* 1. & 5. & omnes: at dicta penſio ijs patronatibus inerat.

5 Nec obſtat, quòd Soar. & alij DD. *num.* 2. *cit.* aſſerunt dictam tranſactionem non eſſe ſimoniam, ſi non intercedat temporale, ut colligitur *ex cap. Quæſtiones, & cap. ult. de rerum permut.* at penſio quingentorum ducatorum eſt temporalis, & licet detur nomine penſionis fratri Mennæ Eccleſiaſtico, datur, ne ipſe patiatur damnum, & ut decentius ſuſtentari queat, & ſic videtur eſſe temporale; Vide Garciam *de benefic. part.* 1. *cap.* 5. *num.* 7. 8. & 9 Filliuc. *tom.* 3 *tract* 42. *cap* 9 *num.* 3. & *plures, quos citant.* Non, inquam, obſtat, quia Reſpondetur primò, juxta ea, quæ diximus *num. præcedente.* Reſpondetur 2 penſionem eſſe quia ſpirituale, ut videre eſt apud Garciam *proxime cit.* & in tranſactione materiæ ſpiritualis non beneficialis, non prohibetur largitio alicujus rei ſpiritualis pro ſpirituali, ut in *principio diximus* ex Soar, & alijs; & ſic poteſt ceſſare ſcrupulus, quia pro jure patronatus, quod eſt ſpirituale, facta fuit largitio penſionis ſpiritualis fratri Mennæ clerico.

6 Addo, ad omnem tollendum ſcrupulum Martinum poſt completam tranſactionem cũ Menna ſpontaneè eam donaſſe portionem, ſeu penſionem, in qua donatione nulla poterat intercedere ſimonia, juxta ea, quædixi *ſupra q.* 54. *num* 9. & *q præcedente num.* 10. *in fine.*

7 Adhuc addo, quòd ſi dicti patronatus Martini, & Mennæ erant reales, hoc eſt aliquibus oppidis annexi, quorum Martinus, & Menna erant Domini, poſſe permutari, cum alia re temporali facta oppidi. Ut videre eſt apud Caſtr. Palaum *tom.* 2. *tract.* 13 *de benef. diſp.* 2. *punct.* 4 *numer.* 9. At caſus propoſitus in hoc ſenſu, non inquiritur.

QUÆSTIO LXII.

An committatur Simonia, ſi capellania dimittatur ob eleemoſynam ſummæ pecuniæ elargiendam fabricæ alterius capellaniæ.

SUMMARIUM.

1 *Facti ſpecies.*
2 *Non committitur ſimonia, quando capellania eſt temporalis.*
3 *Capellaniæ ſeculares inter temporalia computantur.*
4 *Opera Miſericordiæ externæ non ſunt res ſacræ.*
5 *Illam pecuniæ ſummam poterat Stanislaus ſibi aſſumere ſine labe ſimoniæ.*
6 *Committitur ſimonia; ſi dimittatur capellania, authoritate Epiſcopi erecta, ob eleemoſynam fabricæ capellæ erogandam.*
7 *Iuxta Turrianum Simonia non committitur, ſi promittatur eleemoſyna, ad novam capellam fabricandam, ſi altera capella dimittatur.*
8 *Non committitur ſimonia ab Epiſcopis, Bullam juxta ſuas facultates concedentibus, ſi eleemoſynas illarum alicui operi pio applicent.*
9 *Prælati diſpenſantes in votis, juramentis, & diebus feſtis pro eleemoſynis, non committunt Simoniam, ſi illas applicent alicui operi pio.*
10 *In capellanijs authoritate Epiſcopi erectis, quæ non ſunt beneficia poterat tradita doctrina habere locum.*

1 STanislaus capellaniam ſæcularem inſtituit, ad illam que ſacerdotem Martinum præſentavit. Cupienſque, hanc capellaniam vacare, ut illam filio ſuo conferat, poſtulat à Martino, ut illam dimittat; & illius loco, alia de novo fundata illi conferetur. Annuit Martinus, ſub conditione, ut ab eo elargiatur eleemoſyna viginti millium regalium Luſitanorum ad capellam novam non plene fundatam. Quæritur: An committant Simoniam?

RESOLUTIO.

2 In duplici ſenſu agendum nobis eſt de capellania; Primo de illa, quæ eſt ſæcularis authoritate Epiſcopi non erecta; qualis eſt hæc, de qua agitur, Secundò, de illa, quæ authoritate Epiſcopi eſt erecta. Quod attinet ad primum: Reſpondeo, non committi ſimoniam à Martino nolente dimittere capellaniam, niſi ab Stanislao elargiatur ea eleemoſyna, pro ea nova capella plenè ædificanda, nec ab ipſo Stanislao eam eleemoſynam tribuente. Probatur primò, quia materia ſimoniæ eſt res ſacra, ſeu ſpiritualis, & ſupernaturalis, ſeu ſpirituali annexa, ut cum communi DD. te-

nent Bonacin *tom.1.tractat.de Simon.disp. 1. q. 1.num 5. in fine*, & Castr. Palaus *tom.3.tract. 17 disp.3.de Simon.punct. 1. num. 2.* Sed capellania sæcularis, & eleemosyna pro ea elargienda nõ sunt res sacræ, seu spirituales, nec supernaturales, seu spiritualibus annexæ: ergo ea conventio, circa eas res non est Simoniaca.

3 Minor patet, quoad primam partem: nam capellaniæ sæculares sunt quædam legata relicta cum obligatione celebrandi tot Missas, vel recitandi tot preces, ut astruunt Gonsales *in Regul.8.Cancellar. Gloss.5.numer 20.* Salzed. *in practic.cap.18.num.9.* Navarr. *in consil.5. & 7. de præbend.* Nicol. Garcia *de benef. 1.part. cap.2.num.81.* Castr. Palaus *tom. 2, tract. 13 de benef.disp. 1,punct.6 num. 1.* & sic prophanæ dicuntur, quia non sunt spiritualizatæ, inter quæ temporalia computantur, ut pluribus relatis, inquit Perez de Lara *de Capell & Anniversl 2,cap. 1.num 34.* & 40. & Azor 1. *part. instit.moral.10.cap 3 q.5.* cà ratione, quia authoritate Episcopi non sunt erectæ.

4 Secunda pars ostenditur, quia eleemosyna pro Ecclesiâ fabricandâ in operibus Misericordiæ comprehenditur: at opera Misecordiæ externa, ex se non sunt res sacræ, nec supernaturales, sed naturales, & quædam virtutes morales, ut tradunt Soar. *tom. 1. de Relig l.4 cap.8.num. 24* Filliuc. *tom 3.tract. 45. cap.2 q. 10 num 17.* Valent. & Reginald; quos affert, & sequitur Bonacin. *tom. 1. tractat. de Simon disp 1.q 4.num. 7.* cùm ergo capellania sæcularis, & eleemosyna eroganda, pro fabrica Capellæ, non sint res sacræ, spirituales, nec supernaturales, seu spiritualibus annexæ, materia non sunt simoniæ, & sine illa, circa illas convenire poterant Stanislaus, & Martinus.

5 Secundò probatur, quia sine labe Simoniæ, poterat sacerdos Martinus pro dimissione capellaniæ in manibus Stanislai, illius institutoris eam pecuniæ Summam sibi assumere: ergo à fortiori poterit illam dimittere cum conditione, ut ea pecuniæ summa pro capellæ fabrica tradatur. Antecedens admittunt Gonzal *in Reg 8.Cancell. Gloss.5 in principio num.25* & testatur ita fuisse sæpe à Rotâ declaratum; nempe, *capellanias, quæ authoritate Episcopi non sunt erectæ, posse absque labe. Simoniæ pecuniâ obtineri*, & Castr. Palaus *tom. 3 tract.17 disp 3 de Simon.punct.13 num. 14. in fine* Vide *supra q 55.*

6 Quod attinet ad secundum sensum, in quo inquiritur, An committatur Simonia, si dimittatur capellania authoritate Episcopi erecta, sub conditione eleemosynæ fabricæ capellæ erogandæ? Respondeo, simoniam committi. Ratio est, quia capellaniæ quando authoritate Episcopi eriguntur, & in perpetuum conferuntur, propriè sunt beneficia Ecclesiastica. Garcia *de benef.part.1 cap 2.num. 82.* Gonzal. *ad regul.8, Cancell Gloss. 5. num. 20.* Salzed. & alij *jam supra cit.* Castr. Palaus *tom.2. tract. 13 de benef. disp.1.punct.6 num. 1.* & pluribus late relatis, Peres de Lara *de Anniversl. & Capell.l. 1.cap.1.num.16. & l.2.cap 12.numer.58.* Filliuc. *tom.3.tract.41. cap. 1. numer. 15* & alij communiter: sed si aliquid tribuatur fabricæ Ecclesiæ, aut pauperibus, ut beneficium obtineatur, simonia committitur; ut expresè dicitur ab Alexandro 11. *in cap Ex multis 9. q.3.* ibi: *Constituimus, & eodem modo firmamus, ut nullus cujuscunque gradus clericus, pro Ecclesiæ beneficio aliquid audeat conferre, aut fabricæ Ecclesiarum, seu etiam, quod pauperibus sit tribuendum, &c.* ergo cùm in adoptione capellaniæ, quæ est beneficium, aliqua pecuniæ summa exigatur, prò fabrica alterius capellæ novæ fabricatæ, committitur Simonia, & pactum est illicitum.

7 Si tamen Stanislaus promittat Martino suo Capellano, se daturum eam pecuniæ summam in eleemosynam ad novam capellam, si dimittat capellaniam, authoritate Episcopi erectam, & ea de causa dimittat capellaniam, neuter committet simoniam, juxta Turrianum *in select.part.2.disp. 16. dub. 3.* quem citat, & sequitur Dian. *part.5.tract. 14 resol. 75.* quia Martinus offerens dimissionem illius beneficij, nihil accipit temporale, pro illa beneficij dimissione, aut intercessione, sed movet Stanislaum ad bene operandum per obligationem pecuniæ ad actum honestum; & hoc probant aliquibus exemplis, in quibus ex communi DD. non datur Simonia.

8 Nec obstat primò, quod *in Expositione Bull.disp. 1.à num.* 38. diximus, cum plurimis DD licitum esse Episcopis, absque Simonia, concedere Bullam juxta jurisdictionem, & facultates, quas habent, applicantibus eleemosynas Bullarum ad aliquod opus pium: ergo licitum erit absque Simonia dimittere capellaniam ob pecuniam, quando illa non capellano, sed fabricæ novæ capellæ applicatur, aut cuilibet operi pio. Non, inquam, hoc obstat, quia respondetur, dari maiorem rationem: nam illa, quæ in Bulla ab Episcopis concessa includuntur, non sunt circa beneficia, sed circa aliquas facultates, quas habent; at illa tributio eleemosynæ pro fabrica capellæ est propter dimissionem capellaniæ, quæ est beneficium, & *in text. in cap. Ex multis cit.* datur illius eleemosynæ prohibitio.

9 Nec obstat secundò, quòd docent Soar. *tsm 1.de Relig.l.4.cap.20.numer. 15 in fine*, Emman. Rodrig. *tom.2.summ. capit 48. num.4.* Castr. Palaus *tom 3.tract.17.disput. 3. de Simon. punct. 13. num 42.* cum Panormit. D. Thom. Covarr. Sot. Navarr. & *citatis* de Prælato dispensante in votis, juramentis, & labore, in diebus festis, qui potest in pænam imponere aliquam eleemosynam loco pio, & non sibi, quin operetur contra *Concil. Trident. sess.22.cap. 5. & sess.24. de reform.cap.5. & sess. 25. capit. 18.* Statu-

Statuens, non posse exigi absque Simonia, etiam in propriam dispensantis sustentationem, sed pijs operibus in commutationem, eam eleemosynam imponendam. Non, inquam, hoc obstat, quia respondetur *ut proxime* hæc non procedere de materiâ beneficiali; at capellania, de qua agimus, est beneficium, & in beneficijs eleemosynæ ad pia loca, & pauperes etiam sunt prohibitæ per textum *Ex multis citat.*

10 Quare, si dentur capelaniæ authoritate Episcopi erectæ, quæ propriè non sint beneficia, quales videntur esse illæ, quæ non sunt perpetuæ, poterat in illis habere locum doctrina tradita: His tamen supersedeo; videantur Garcia, & Castr. Palaus, & DD. *supra, & non proximè cit.* asserentes capellanias non perpetuas, non esse beneficia.

QUÆSTIO LXIII.

An committat simoniam præbens consensum, ut ipsius soror nubat sobrino cujusdam Abbatis, eâ intentione, & spe, ut ipse Abbas sibi resignet Abbatiam, aliàs consensum non præbiturus?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Simoniam non commisit, aliâ opinione ostenditur.*
3 *Non committunt Simoniam Episcopis servientes ea spe, ut beneficia vacantia sibi conferantur.*
4 *Absque Simonia beneficia conferri possunt consanguineis, & affinibus, si idonei sint.*
5 *Beneficij resignatio non datur ob affinitatem, tanquam ex conditione sine qua non, sed ex fine inferiori.*
6 *Textus in cap. Ut nostrum, non est contra resolutionem.*
7 *Nec etiam contra illam cap. Nemo presbyterum.*

1 DIdacus consensit. quòd nepos ex fratre cujusdam Abbatis suam duceret sororem, eâ intentione, & spe, ut ipse Abbas suum in eo resignaret beneficium; quia Abbatis consanguinei, & amici ita ei asserebant. Annuit, aliàs non consenturus. Resignato beneficio, ut erat illius intentio, & spes. Quæritur; An simoniam commiserit?

RESOLUTIO.

2 Respondeo, simoniam non commisisse. Ostenditur aliquibus Authorum opinionibus. Prima, quia si aliquis suum resignet beneficium eâ intentione, & spe, ut alterum sibi à superiore conferatur, aliàs non resignaturus, non erit simoniacus, si non intendat alia obligatione superiorem obligare, præter antidoralem, nempe ex gratitudine; ut expressè tenent Valent. *tom.2. disp.6 q.* 13 *punct.* 3 *vers. sunt tamen, pag.* 1660. cum Sot. *q.7. art.2 & colligit ex cap.2. De rerum permutat. in 6.* Consentit Emman. Rodrig. *tom.2. summ. cap.56 nu.* 8 *in fine* Farinacius, alijs relatis *l.1. consil 75. nu.* 3. 44. 48 & 53 post medium, & *consil 68. num* 8. *in fine*, Castr. Palaus *tom.3. tract.17. disp* 3. *de Simon. punct.* 4. *numer.* 2 *in fine*, Dian. *part.6. tract 7 resol.42. in fine.* Addit Valent. & ex illo Castr. Palaus, & Dian. hoc esse verum, etiam si prædictam spem verbis, & scriptis superiori exprimat: nam in jure nullibi reperitur prohibitum, ne talis spes exprimatur: ergo etiam Simoniam Didacus non committet, consentiens, sororem suam nubere nepoti fratris Abbatis eâ intentione, & spe, ut ipse Abbas sibi suam resignet Abbatiam; aliàs non consensurus, illum non intendens obligare aliâ obligatione, præter antidoralem etiam in casu, quo hanc intentionem & spem consanguineis, & Abbatis amicis manifestasset; nam ipsi Abbati eam non manifestavit.

3 Secunda: quia plures Episcopis, & alijs Prælatis inserviunt, fere absque alio stipendio, eâ tantum spe, & animo conciliandi ipsum Episcopum, & Prælatos, ut de beneficio vacando illos provideant, nullo alio interveniente pacto. Et hos non committere simoniam adeptis beneficijs, docent Bonac. *tom.1. tractat. de Simon. disp.1. q.1. numer.4. in fine.* Valent. *cit. dict. disp.6 q.* 26. *punct.3 vers in contrarium pag* 1654. Emman. Rodrig *cit. capit.* 94. *numer.2. in 1. concluf. & cap.60. numer.* 5. Castr. Palaus *loco proxime cit* Filliuc. *tom.3 tract.* 45. *cap* 9 *num.*12. cum Caiet. Soto, & Victoria; consentit Sanch. *l.2. consil. cap.3 dub* 18 *num.* 7. addens contra aliquos, etiam si intendat principaliter servire ob beneficium. Idem ex illo affirmat Dian. *part.4. tract.4. resol.* 151. *vers. Et idem Sanch.* ergo etiam poterit Didacus ea spe, & animo conciliandi Abbatem, ut suum sibi resignet beneficium, absque Simoniâ, consentire, ut illud ineatur matrimonium, etiam in casu, quòd principaliter eam intendat resignationem, ut sanè intendebat, ut *ex dictis num.* 1. intendit.

4 Tertia: quia absque simonia, beneficia conferri possunt consanguineis, affinibus, & amicis, si idonei sint. Sic relatis D. Thom. Altisid. Adrian. Victor Sot. Covarruv. Soar. *tom.* 1. *de Relig l.4. cap* 37. *num.6* Filliuc. *tom.3 tract.* 45. *cap.9. num.7.* Laym *l.4. tract.10. cap* 8. *num.* 27. Castr. Palaus *tom.3. tract.17. disp* 3 *de Simon punct* 3. *num* 8. *vers. Quod si preces, & seqq.* cum Molfes. Reginald. Tolet. Rodrig & alijs, quos citant; ergo etiam absque simoniâ. poterit Didacus per matronium cum sorore à se concessum intendere affinitatem, ut ob illam, beneficij resignationem habeat ab Abbate. Qui aliàs sibi beneficium non resignabit.

5 Nec

5 Nec obstat primò, quòd Abbas resignando beneficium in Didacum, quia illi factus est affinis, & Didacus consentiens in sororis matrimonium ob spem resignationis, hæc principaliter intendentes simoniam committere videntur; Quia resignatio, utpote spiritualis, tractatur ut carnalis, & veluti conditio ad conferendam, & obtinendam beneficij resignationem. Non, inquam, hoc obstat; quia respondetur, non dari beneficij resignationem ob affinitatem, seu matrimonium contractum, tanquam ex conditione sub qua non, sed ex fine inferiori, nempe ex fine affinitatis, & matrimonij contracti: ex natura tamen rei hoc simoniacum non est; quia in jure non est prohibitum: nec erit iniquum, si Didacus ad beneficium sit idoneus, ut de facto inventus est Quòd verò Didacus principaliter suo consensu ad sororis matrimonium resignationem intenderit; & Abbas principaliter affinitatem. Hæc non inducunt simoniam, ut inquiunt Sanch. *supra* Castr. Palaus *tom.3. tract. 17. disp. 3. de Simon. punct.4. num.3. vers. dicendum.*

6 Nec obstat secundò *text. in cap. ut nostrum, ut Ecclesiast. benef. sine dimin. conferantur*, in quo reprehenditur Episcopus, quòd consanguineo beneficium contulisset, ibi: *Quia non affectu carnali, sed discreto judicio debuisti Ecclesiasticum officium, & beneficium in persona magis idonea dispensare.* Non, inquam, obstat textus, quia respondetur, ibi non comprehendi Episcopum, ut reum simoniæ, sed ob violationem justitiæ distributivæ; quia contulit beneficium minus idoneo, ob carnis affectum.

7 Nec obstat tertiò *cap. Nemo presbyterũ* 14. *de Simon.* in quo prohibetur, pœnitētia ad reconciliationem adducere, vel ab illa removere, gratia, vel favore, & subditur; *Quia simoniacum est utrunque.* Et prius indicaverat, consanguinitatem esse sufficiens pretium ad simoniam inducendam, si propter illam detur beneficium. Non, inquam, obstat; quia respondetur, primum intelligi debere de gratia, vel favore expostulato in compensationem, & commutationem doni spiritualis; secundum verò debere intelligi, de consanguinitate ex postulata in compensationem: aliter consanguinitas non potest esse pretium beneficij, licèt beneficium detur consanguineo; quia consanguineum esse non potest esse pretium simoniæ. Alij aliter respondent. Vide DD. *citat.* & Gloss. *ad dictum cap.*

QUÆSTIO LXIV.

An capitularis, Sede vacante, suo famulo suffragia capitularium promittens, ut ei conferatur beneficium, sub aliquibus circunstantijs, tacite, & expressè simoniam respuentibus; & famulus ex gratitudine pecuniam promittens, tacitèquè annuens capitularis, simoniam commiserint?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Simoniam non commiserunt.*
3 *Capitularis promissioni ex gratitudine annuit, & non ex alio titulo.*
4 *Annuere promissioni, & promittere pecuniam ante beneficium obtentum ob gratitudinem, in foro externo præsumitur Simoniacũ.*
5 *Quamvis ea intrinsece mala non sint, in illis non bene arguitur ex usura ad Simoniam.*
6 *In præsenti casu, & foro externo non est præsumenda simonia.*

1 GRegorius cujusdam cathedralis Sedis Vacantis capitularis, optionem ab alijs capitularibus habebat conferendi beneficium ab eo eligendo; [optio sanè non laudanda, imo maximè reprobanda] Convenit capitularis suum famulum, illi referens, aliquos esse sibi larga manu pecuniam offerentes, si suffragia ab alijs capitularibus obtinuisset, ut illis beneficium vacans conferretur. Attamen ipse illis respondit, se nolle Simonias, nec suam onerare conscientiam. Cui famulus: Domine mi, ego ex gratitudine, pro singulis annis, triginta millia regalia Lusitana tribuam, quæ jam antecessor solvebat. Capitularis tacuit. Impetravit famulus litteras ad beneficium, Et post beneficium collatum, & possessum, primò anno triginta millia regalia solvit; in sequentibus, nec solvit, nec ab illo postulata fuerunt. Quæritur: An simoniam commiserint?

RESOLUTIO.

2 Respondeo simoniam non commisisse. Ratio est, quia emptio, & venditio ad simoniam requisitæ, ex naturâ rei, debent esse contractus onerosus: sed inter capitularem, & ejus famulum nullus præcessit contractus: ergo simonia ab illis non fuit commissa. Maior traditur à Castr. Palao *tom.3. tract. 17. de Simon. disp 3 punct.4 num.2.* & deducitur à definitione simoniæ, quæ dicitur: *studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum*, ut habetur à Gloss. *in can. Qui studet, 1. q. 1. in principio causæ*, licèt reputet particulam *spirituali annexum*, superfluam. Et DD. communiter. Minor ostenditur, quia capitularis expressè asseruit, se nolle Simonias, nec suam onerare conscientiam; quia de causa, promissiones largas ab alijs factas acceptare noluit; nec famulus eas voluit; ideo dixit: se ex gratitudine, pro singulis annis, triginta millia regalia donaturum; non tamen ex pretio. Quare contractum non inierunt, nec simoniam commiserunt. Quod enim datur ex gratitudine pro beneficio, & quod inerat ipsi beneficio, alicui collato; non videtur esse simoniacum.

niacum. Vt pluribus allatis ostenditur Soar. *tom.1.de Rolig.l.4 cap.45 num.4.& 8.* Et est doctrina communis, ut videre est apud Bonac. *tom.1.tract.de simon. disp.1.q.1 numer.6* Filliuc. *tom.3.tract.45.cap. 10. num. 10.* Castr. Palaum *cit.*& alij communiter.

3 Neque obstat textus, *in Regul. Qui. tacit. de regul.jur. in 6.* quæ verificatur, quando tacens, consentit in sui favorem, non tamen in sui præjudicium, ut pluribus relatis tradit Sanch.*l 1.de matr.disp.5.num.5.*& Barbos.*tract. de Axiom.jur. Axiom.217. num.2.& 3.*at capitularis post promissionem a famulo factam, de donatione triginta millium regalium tacuit. Non, inquam, obstat, quia respondetur, capitularem tacuisse promissioni ex gratitudine factæ, quam expressit famulus, & non expretio, ut apertè constat ex verbis præcedentibus, dicentem se nolle simonias, nec suam onerare conscientiam; & ex eo, quód acceptis illis triginta millibus regalibus,à famulo donatis, pro primo anno; in sequentibus illa petere non ausus fuit ex mero scrupulo, nec famulus ex eodem tactus, illa amplius noluit donare.

4 Dixi *num.2. Capitularem, & famulum simoniam non commisisse*, quia in foro externo illam commisisse præsumi potest. Ratio est, quia donatio ex gratitudine, promissa fuit, ante beneficium obtentum; sic scandalum oriri potest, & deficere recta intentio, nam fragilitas humana illecta, ipsâ donatione ex una parte, & ex alia, beneficio, redditus habente temporales, in gratitudine consistere non potest, ut non pauci notarunt DD. ut videre est apud Soar. *cit.num.8.in fine*, quos ipse sequitur, & Filiuc. *proximè num.22.in fine*, Bonac. *num.6. cit.etiam in fine*, & Sanctorius *de pœn.part.2.cap.* 15.apud Dian.*part.11.tract.6. resol.* 31. Sic inquiensem: *Duo tamen hic ad notaverim,alterum qui hoc fecerit, in foro externo præsumeretur Simoniacus, alterum, quòd difficile esset in his formalitatibus sub præcisa ratione doni consistere; impossibile tamen non est.* Sic Sanctorius.

5 Quanvis ex cit. DD. cavendum sit ab his petitionibus, & promissionibus ex gratitudine, maximè ante beneficium collatum, ut in præsenti casu; id tamen absolutè loquendo, non est intrinsecè malum, nec simoniacum: nam sicut usura excluditur, reducendo contractum ad aliquem justum titulum percipiendi lucrum, ita etiam excluditur Simonia reducendo exhibitionem pecuniæ ad aliquem honestum titulum, pro quo exhiberi possit; ut inquit Soar. *cit.* & expressius Palqualig *in qq. Canon.centur.4.q.378.num.6.*apud Dian. *cit.* Et licet eadem fere ratio sit de simoniâ & usurâ; hic tamen hoc exemplum non bene aptatur: nam in usurâ plures dantur tituli, ex quibus lucrum licitè recipi potest, ut sunt lucrũ cessans, damnum emergens, & periculum sortis, ut communiter dicunt DD. Et sic potest reduci contractus ad titulum justum, cùm plures dentur: at ut vitetur simonia, omnis pactio fugienda est; & ideo non est licita pactio de obligatione antidorali, seu ex gratitudine, ut notavimus *supra q.51.num.14. & q. 52.num.5.* & solùm adduci potest titulus ex gratitudine, qui tamen est periculosus, ut ex cit. DD. constat.

6 Fateor tamen in præsenti casu, simoniam etiam pro foro externo præsumi non posse, ut ex circunstantijs adductis constare potest. Et in facto alicujus, dum non probatur, delictum præsumi non potest, *l. Merito ff. pro socio*; Et quia factum proximi in meliorem partem, vel intentionem accipiendum est; si illius capax sit factum, ut constat *ex cap. 2. Estote misericordes, & cap. Dudum, ad finem, de probat.* & quia quilibet jus habet ad bonam famam, & existimationem, in cujus possessione existit, nisi oppositum probetur, & constet; & cùm uterque tam Gregorius, quam illius famulus circa præsentem sint scrupulosi, & animo expresso simoniam evitare intendissent, illam non commiserunt ut ex cit. DD. satis colligitur.

QUÆSTIO LXV.

An capitularis, Sede vacante, suo famulo suffragia capitularium, ut sibi beneficium conferatur, promittens, sub conditione tradendi singulis annis sibi ipsi capitulari, vel alteri pensionem triginta millium regalium; & traditis primo anno, ambo pœnas simoniacorum incurrerint?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Pœna Simoniæ confidentialis.*
3 *Hæc simonia non est confidentialis.*
4 *Non comprehenditur in primo modo Simoniæ confidentialis.*
5 *Nec etiam comprehenditur in secundo modo simoniæ confidentialis.*
6 *Nec etiam in tertio modo comprehenditur.*
7 *Nec etiam in quarto.*
8 *In quibus hæc Simonia inveniatur?*
9 *Mediatores illam non committunt.*

1 HAnc quæstionem præcedenti cõjungo, quia convenit cum illa in modo conferendi beneficium, ut videri potest *num.1.præcedentis quæstionis*, & ab illâ differt; quia capitularis à famulo petiit ob suffragia obtenta pensionem triginta millium regalium Lusitanorum, pro singulis annis vitæ suæ, sibi, vel alteri à se nominando; & famulus amore obtinendi beneficium, illam promisit; & impetratis litteris, illam solvit primo anno, & non amplius. Et cum certum sit, ambos simoniam incurrisse; dubitabunt; an illius

illius pænas incurrerint? Ad illius explicationem, inquiritur 1. An hæc simonia sit confidentialis? 2. An illius pænas incurrissent?

§. I.

An dicta simonia sit confidentialis?

1 Pænæ simoniæ confidentialis sunt sequentes 1. Excommunicatio S. Pontifici reservata, tam dantibus, quàm accipientibus. 2. Episcopis, & collatoribus interdictum. 3. Resignatio, & collatio beneficij nulla. 4. Inhabilitas ad idem, & ad alia beneficia obtinenda. 5. Relervatur illud beneficium, in quo hæc simonia est commissa Sedi Apostolicæ; ita ut Ordinarius non possit in illius provisione se intromittere. 9 Fructus male percepti cameræ Apostolicæ applicantur. 7. Privat illam committentem, omnibus beneficijs, & pensionibus antea obtentis, & inhabilitatem inducit ad alia obtinenda. Sic Soar. *tom.* 1. *de Relig. l.* 4. *cap.* 43 *num.* 13. Navarr. *in Man, cap.* 23 *numer.* 110 Castr. Palaus *tom.* 3. *tract.* 17. *disp.* 3. *de Simon. punct.* 25 *num.* 8 Azor. *part.* 3 *Instit. moral l.* 12. *cap.* 10 *q* 4. Dian. *part.* 11. *tract.* 5 *resol.* 20. & omnes communiter.

3 Ad titulum propositum respondeo, juxta *Constit. Pij IV. incipientem*: *Romanum Pontificem*, quæ habetur *in Bullar. Cherub. tom* 2 *inter alias hujus Pontificis, ordine* 85. *fol.* 90. & B. Pij V. incipientem, *Intolerabilis*, apud Cherubin. *inter alias hujus Pontificis, ordine* 85 *fol.* 213. hanc Simoniam non esse confidentialem. Probatur primò, quia simonia confidentialis quatuor modis contingit, ut videre est apud Bonacin. *tom.* 1. *tract. de Simon. disp.* 1. *q.* 7. *punct.* 1. §. 1. & in illis non comprehenditur; & constabit, per illos discurrendo, ut à Bonacin. proponuntur

4 Non enim in primo comprehenditur. Nam simonia confidentialis tunc datur, quando beneficium ab aliquo recipitur. qui hoc illi resignat cum spe, & confidentiâ, ut ipse recipiens beneficium, illud postea dimittat, vel solvat fructus, in favorem resignantis, amici, vel alterius, quem resignans nominaverit; ut patet ex Constit. B. Pij V. ibi: *Statuimus, ut si quacumque authoritate Ecclesiam, vel Monasterium, aliudve beneficium Ecclesiasticum qualecunque ex resignatione, vel cessione cujuscunque personæ simpliciter, aut cum circuitu, &c.* At beneficium, de quo agimus, non fuit à famulo obtentum, per resignationem, vel cessionem capitularis, ut aperte constat *ex dictis num.* 1.

5 Nec in secundo modo, quo contingit hæc simonia, qui sic est: Quando quis alteri beneficium confert, confidens, quòd beneficiarius resignabit beneficium juxta volùtatem conferentis, aut fructus, vel eorum partem, aut pensionem tradet sibi, vel alteri, ut patet ex verbis *num.* 7. *adducendis*: sed Capitularis beneficium non contulit, sed capitulum Sede vacante, instituit ipsum famulum, mediatione Capitularis intercedente.

6 Nec in tertio modo, qui datur, quando quis aliquem elegit ad beneficium, cum spe, & fiduciâ explicandâ *proximè* ex verbis Constit. mox *num.* 7. adducendis: at Capitularis famulum non elegit ad illud beneficium, sed ex prævio examine ad plura suffragia illum instituit Capitulum, ut à S. Pontifice beneficium obtineret.

7 Nec etiam in quarto modo comprehenditur, qui modus tunc datur, quando patronus, licèt laicus, aliquem præsentat cum præfectâ confidentiâ. Hi tres ultimi modi continentur in verbis Constit. B. Pij V. ibi: *Si ordinarius, aut alius collator contulerit ante hac, aut conferat in futurum beneficium Ecclesiasticum quo vis modo vacans, eâ conditione tacitâ, vel expressâ, ut postea in alterum pro arbitrio collatoris, aut alterius cujuscunque contra juris communis ordinationem disponatur, sive de eo provisus, fructus illius, vel partem ad utilitatem, vel libitum conferentis, vel cedentis, aut alterius, relinquat, & remittat, seu pensionem illi, vel illis, quem, vel quos idem collator, aut cedens, vel alius per se, vel alium scripto, aut verbo jusserit, seu significaverit, persolvat, & pariter si patrono etiam laico, vel alteri præsentatori, seu electori contigerit, aut contingat id fieri*: ergo cum dictus capitularis non fuerit collator, præsentans aut eligens ad beneficium, simoniam confidentialem non commisit.

8 Secundò probatur, quia simonia confidentialis specialiter invenitur in renuntiationibus, aut collationibus beneficiorum, committiturque à privatis renuntiationibus, vel providentibus aliquo modo beneficia, vel ab illis, qui tali modo illa recipiunt; & à provisoribus beneficiorum, vel ab illis, qui ad provisionem aliquo modo concurrunt, ut præsentando, nominando, eligendo, conferendo, & commutando. Et committitur hæc simonia, quando aliquam ex his actionibus faciunt, cum eadem confidentia: Quòd ille, quem eligunt, præsentant, confirmant, instituunt, vel cui conferunt, aut commendant, postea illud renuntiabit, aut dimittet aliquo modo in alterius favorem, vel fructus ejus, aut partem illorum illi persolvat. Sic expressè Soar. *tom.* 1. *de Relig cap.* 43. *num.* 2 & 3. Less. *de just. l.* 2. *cap.* 35. *dub* 16. *num* 96. ibi: *Si alicui beneficium aliqua ratione procures, eligendo, præsentando, postulando, resignando in favorem, conferendo, instituendo, confirmando, vel commendando, cum pacto, ut is, qui beneficium istud accepturus est, illud idem tibi, vel alteri, aliquando resignet, seu relinquat, aut ut pensionem ex eo, vel fructus aliquos alteri præstet, erit simonia confidentialis* Sic Lessius Layman. *in summ. l.* 4 *tract.* 10 *cap* 8. & *ult. num.* 75. ibi: *Hæc specialis Simonia damnata est contra eos, qui beneficiũ Ecclesiasticum simplex,*

aut

aut curatum, Regulare, aut sæculare alicui procurant, eligendo, præsentando, confirmando, instituendo, resignando cum certa confidentia, idest, expresso, aut tacito pacto, ut is, cui procuratur, elapso aliquo tempore, illi ipsi, qui procuraverat, vel alteri signet, vel pensionem, aut fructus ex eo præstet. Vide Navarr. in sum. cap. 23. numer. 109. & 110. *Bensfeld. Rubric. de Simon. notab.* 6. Nicol. Garcia *de benef. part.* 11, *capit.* 3. §. 2. Ugolin. *tabul.* 1, *cap.* 22. Maiolum. *l.* 5 *cap.* 45 Mascard. *tom.* 3. *de probat. conclus.* 6 Sic Laym, è cõtra Castr. Palaum *tom.* 3. *tract.* 17. *disput.* 3. *de Simon. punct.* 18 *numer.* 4. existimantem simoniam confidentialem incurri sine pacto expresso, & tacito, cum Bulla B. Pij V. hanc habeat clausulam: *Sola dimittentis intentione*, quæ ut obliget quoad pœnas, debet manifestari) sed dictus capitularis his modis non procuravit beneficium ad suum famulum; quia ad illud eum non elegit, procuravit, confirmavit, nec instituit: ergo licèt pensionem alicui tertio procuraverit, simoniam confidentialem non commisit, nec etiam illius famulus tactus beneficiarius, promittendo pensionem illi tertio eam commisit juxta mox dicenda; nec illam commisit beneficium recipiens, quia ut inquit Soar. *in verbis allatis* illam committunt recipientes tali modo, quali illam committunt resignantes, & provisores: & cum capitularis suo facto illam non commisit confidentialem, ut vidimus, nec illam commisit ipse famulus beneficium recipiens.

9 Tertiò probatur: quia capitularis procurando, & obtinendo suffragia a Canonicis ad suum instituendum in eo beneficio famulum, extitit tantùm mediator, & interventor, ut ex terminis patet: sed in Bullis Pij IV, & B. Pij V. nulla fit mentio de mediatoribus, & interventoribus; & cùm materia sit odiosa, non est extendenda ad non expressos in ipsis Bullis; ut non extendi docent Soar. *cit. num.* 15. Bonacin. *cit. dict. quæst.* 7. §. 1. *numer.* 11. Laym *dict. l.* 4 *tract.* 10. *capit.* 8. *& ult. numer.* 78. Castr. Palaus *allata disput.* 3 *de Simon. punct.* 25. *numer.* 8. *in fine*, & alij, contra Navarr. Quarant & alios: ergo dictus capitularis simoniam confidentialem, nec ipse famulus commisit; nam juxta Soar. *numer. præcedenti citat.* si illam non commisit mediator, & interventor, nec etiam illam commisit ille, pro qua fuit mediatio, & interventio.

Hac resolutâ quæst; procedamus ad resolutionem quæstionis in titulo propositæ, de qua fuimus interrogati.

§. II.

An capitularis sua mediatione seu interventione, procurans suo famulo beneficium ex suffragijs Canonicorum, & ab eo accipiens promissionem triginta millium regalium sibi, vel alteri pro singulis annis solvendorum, & solutis primo anno pœnas in simoniacos latas incurrerint?

SUMMARIUM.

10 *Hæc quæstio jam supra videtur resoluta.*
11 *Probabile est nõ incurrisse pœnas simoniæ realis.*
12 *Ex ipso jure ostenditur; & DD.*
13 *Nomine simoniæ comprehenditur ea, quæ propriissimè est simonia.*
14 *Adducuntur DD. pro hac sententiâ.*
15 *Limitatur in simonia confidentiali.*
16 *Simonia præsentis casus est jure humano prohibita.*
17 *Probabilius est incurrisse dictos capitularem, & famulum pœnas simoniæ realis.*

10 Quæ pœnæ sint impositæ simoniæ, quæ non est confidentialis, diximus *supra q.* 57. *num.* 7. & *num.* 8 ostendimus, eas pœnas non incurri, nisi simonia ex utraque parte sit completa, cùm probabili opinione. Et cùm in præsenti casu simonia non confidentialis, ex utraque parte sit completa, quia capitularis suffragia Canonicorum ad instituendum suum famulum procuravit, sub conditione solvendi singulis annis pensionem triginta millium regalium; & de facto famulus jam in beneficio collatus, pensionem conventam solvit primo anno; hæc quæstio ibi jam resoluta videbatur.

11 Probabile tamen censeo, dictos capitularem, & illius famulum, quamvis commisissent simoniam realem ex utraque parte completam, non incurrisse pœnas simoniæ impositas, nec restitutioni esse obligatos. Moveor, quia pœnæ simoniacis impositæ solum incurruntur per simoniam jure divino simul, & Ecclesiastico commissam: sed simonia in præsenti casu solo jure Ecclesiastico est prohibita: ergo per illam pœnæ non incurruntur.

12 Maior, in qua est tota difficultas, probatur primò *ex Extravag.* 2. *de Simon* in qua pœnæ simoniacis statuuntur, quæ sic incipit: *Cum detestabile scelus simoniacæ pravitatis, tam divinorum, quam sacrorum Canonum auctoritas abhorreat, atque damnet*: ergo loquitur de simoniâ divino simul, & Canonico jure reprobatâ: nam præfatio legis toti legidat intellectum, & ex ipsa regulatur, & causam accipit finalem; ut pluribus relatis tradunt Molin. *de primogen. l.* 1. *cap.* 5. *numer.* 3. Gutierr. *l.* 3. *qq. pract.* 17. *numer.* 89 *& quæst.* 1. *numer.* 36. & *l.* 1. *q.* 89. *numer.* 5. & 6. Mandos *in reg.* 9 *Cancel. q.* 5. *nu.* 3. Navarr. *in summ. Latin. cap.* 23. *vers.*

Quod autem, Ludovic. Gomes *Regul. de annal. possess q.* 1. Navarr. *in cap. Si quando, de rescript. excepta.* 8. *num.* 1. 8. & 9.

13 Secundò probatur, quia dictiones *tàm, & quam* in *verbis allatis cit. Extravag.* interdum copulativè sumuntur, ex adductis per Surdum *consil.* 407 *num.* 4 Simon. de Pract. *de interpret. ult. volunt. l.* 9 *dub.* 4 *num.* 89. & tunc non successivè, sed simul conjugunt. Surd. *cons.* 407. *num.* 3. *in fine* apud Barbos. *de dict.* 399. ubi alij aliter has sumunt dictiones: cum verò sint dubiæ, ipsa verba allata pro significatu potiori sumi debent, ut tenet Ludovicus Gomes *in Reg. de triennali q.* 12. §. *Sed quod regula*; Sicut etiam dicitur de excommunicatione, quæ in dubio pro maiori accipitur, *cap penult. de Sentent. excommun.* Et cùm simus in materiâ pænali, & odiosâ, ut est simonia, nomine simoniæ comprehenditur illa tantùm, quæ proprissimè est simonia; & est illa tantùm, quæ jure divino est prohibita, ut tradunt Ludovic. Gom. *supra citat. in quæst.* 12. *vers. cum igitur*, Less. *l.* 2. *de just. cap.* 35. *dub* 25. *num.* 141 *vers. Contraria tamen.*

14 Alias probationes vide apud Sanch. *l.* 2 *consil. cap* 3 *dub* 108 *num* 3. ubi resolutionem *hujus maioris* dicit probabiliorem, illam què probabilem dicit *dub* 26. *num.* 10 *post medium*, & *dub* 30. *num* 7. Et ante Sanch. illam docuerunt Arag. *in* 2 2. *q.* 100 *art.* 6. Petr. Navarr. *de restit. l.* 2. *cap.* 2. *a num.* 436 & post illum Dian. *part* 4. *tract* 4 *resol.* 155. citans Less. *ut supra*, & Regin. *tom.* 2. *l.* 23. *cap.* 12. *num* 184. & 5 *part.* 14. *resol.* 1. referens laym. *l.* 5 *tract.* 16. *cap. ult* § 2. *num.* 2 Sed non bene, & *part* 11. *tract.* 5 *resol.* 20 *vers. Et tandem dico*, asserens Rocæful. *in praxi Theol. moral. tom.* 2 *l.* 3. *de septim. decal. præcept. sect. ult. num.* 1105. illius verba refert, & eadem *part* 11. *tract.* 6. *resol* 30. *vers. Nota etiam*, citatque Girag. *de Regul. regim. part dub.* 8. *numer.* 8. & Tanerad. *de Relig. tract.* 2. *l.* 4. *de Simon. disp.* 37 *q.* 3 *num.* 8. quorum verba etiam refert. Ex his DD. rationibus allatis, & alijs apud Sanch. *citat.* dicta maior propositio est probabilis.

15 Dicta maior propositio limitatur primò in simoniâ confidentiali, quæ licèt aliquando jure humano sit tantùm prohibita, ut quando quis renuntiat beneficio pacto inito, ut sibi, vel alijs postea reddatur; vel cum reservatione pensionis non sibi, sed alijs solvendæ, pœnis tamen est subjecta, ut affirmat Sanch. *dict. dub.* 108. *num.* 4. Dian. *part.* 4. *tract* 4. *resol* 155. Secundò limitatur, quando datur aliquid notarijs, vel officialibus Episcopi; licèt enim sic simonia humano jure prohibita, incurruntur pœnæ *Trident. sess* 21. *de reform. cap.* 1. Sanch & Dian. *loc cit.* Vide Bonac. *citat. q.* 4 § 17. num. 8 Tanner. *in* 2 2. *disp.* 5. *q.* 8. *dub.* 4. *num* 25.

16 Minor probationis ostenditur, nempe simoniam, de qua agimus esse tantùm de jure humano prohibitam: nam quando electores conveniunt, ut alter in unâ electione suffragetur uni, & alter in altera alteri suffragetur, non est simonia jure divino, sed tantùm jure humano prohibita; quia jure humano sunt prohibita pacta, conventiones, ut vidimus supra *q.* 51. *num.* 4. 11. & 12. & *alijs in locis* & ultra DD. ibi cit. tenent Navarr. Angel. Rodrig. quos citant; & sequuntur Villal. *tom.* 2. *tract.* 37. *diff.* 24 *num.* 1 & Dian. *citat.* at dictus capitularis forsan quòd sic cum alijs capitulatibus convenerit, & postea cum suo famulo. Vel tantùm fuit mediator, seu interventor obtinendo ab alijs canonicis sua suffragia, ut instituerint suum famulum, & interveniente illâ mediatione, seu interventione, conventionem init cum illo. Et sic fuit simonia ex jure positivo, Dian. *proxime* alijs relatis. Cùm ergo Maior sit probabilis ex rationibus, & authoritate DD. & minor certa; consequentia probabilis censenda est.

17 Dixi, *illam maiorem esse probabilem*, nam oppositum est probabilius, quod sequuntur Navarr. Flam. Panormit. Sotus, Ludovicus Lop; quos afferunt, & sequuntur Sanch *cit. dict. dub.* 108 *num* 2. Malder. Villal. Valent. Filliuc. Moscos & alij apud Dian. *locis cit.* Ratio est quia in *Extravag* 2. *de Simon. cit.* Statuuntur pœnæ contra simoniacos, & renovantur pœnæ ab alijs Pontificibus quomodo libet latæ; & Motus B. Pij V. qui incipit: *Cum primum*, qui inter alios *est* 5. & §. *Et ut si simoniacæ pravitatis*; *ubi dict. Extrav.* inviolabiliter observari jubetur. Et cum in illa agatur de mediatoribus, & alijs simonijs jure humano prohibitis, ad omnes jure communi prohibitio extenditur. Et completæ simoniæ ex utraque parte, ut in nostro casu, pœnæ impositæ incurruntur, ut vidimus *supra q.* 57. *num.* 8. Vide Castr. Palaum *tom.* 3. *tract.* 17. *disp.* 3, *de Simon. punct.* 22. *a num* 4.

18 Nec in dictis rationibus a nobis latis aliquid invenitur, quod sit contra id, quod Innocentius XI. damnavit in propositionibus jam supra cit. maximè, *quæst.* 54. *numer.* 8.

QUÆSTIO LXVI.

An simonia incurratur à dimittente capellaniam secularem; & beneficium curatum, ob alterius beneficij receptionem?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*

2 *Non est Simonia, si ea dimittantur in manus Prælati, & Rex saturninum præsentet ad aliam sui patronatus Ecclesiam.*

3 *Non potest dimittere capellaniam patronatus Regis, intentione compensandi illam cum alia Ecclesia.*

4 *Secus,*

4 *Secus, si dimittat capellaniam, nullo præcedente pacto, nec intentione commutationem faciendi.*

1 SAturninus capellaniæ patronatus Regij capellanus, & Abbas simul Parochialis Ecclesiæ ejusdem patronatus, Capellaniam, & Parochialem Abbatiam dimittere vult, ut Rex illi aliam sui patronatus Ecclesiam conferat. Quæritur: An simoniam committat.

RESOLUTIO.

2 Respondeo non committere Saturninũ Simoniam, si Abbatiam in manibus Prælati dimittat, ut illi Rex aliam sui patronatus Ecclesiam conferat. Ratio est, quia resignatio fit in manibus Prælati, & Rex illum præsentat ad aliam Ecclesiam sui patronatus, & cùm sit beneficiorum permutatio, quamvis inæqualium in redditibus, simonia non committitur: tradere enim spirituale pro spirituali eo modo, non esse simoniam, docent cum D. Thom Soar. *tom.* 1 *de Relig. l.* 4. *cap.* 30, *num.* 5. Azor, Covarruv. Durand. & alij communiter, apud Bonac. *tom.* 1. *tract. de Simon. disp.* 1. *q.* 4. §. 12 *num* 1. & 2. Hoc enim est sine controversia.

3 Si tamen saturninus dimittat capellaniam patronatus Regij, intentione illam commutandi cum aliqua Ecclesia Parochiali, in compensationem dictæ capellaniæ dimittendæ, simoniam committit. Ratio est quia capellania Regij patronatus est res temporalis, ut *supra q.* 55. *num.* 2. dictum est: ergo compensari non potest beneficio Parochiali, quod est spirituale; & talis compensatio, & commutatio est simoniaca, ut rectè colligitur ex Bonac. *cit. num.* 9.

4 Si verò Saturninus, nullo præcedente pacto cum Rege, nec intentione commutationem faciendi, sed tantùm intentione tollendi impedimentum; quod dari potest, quia jam à Rege est provisus; & retinendo capellaniam, aliam à Rege præsentationem non obtinebit alicujus Ecclesiæ; videbatur simoniam non esse; res tamen illius simoniæ est periculosa.

QUÆSTIO LXVII.

An detur simonia in permutatione cujusdam beneficij simplicis cum loco, seu habitu cujusdam conventus, absque S. Pontificis authoritate?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Videtur certum esse simoniam; quia locus conventualis non est beneficium.*
3 *Inferiores S. Pontifice commutare nequeunt beneficium cum pensione.*
4 *Pensio apud aliquos largo modo sub beneficio comprehenditur, non tamen locus conventualis.*
5 *In spiritualibus mixtis non prohibetur permutatio unius pro alio ejusdem ordinis.*
6 *Non sufficit unum, vel alterum exemplum ad consuetudinem inducendam; nec constat in eo Tribunali, eam dari consuetudinem.*
7 *Jus patronatus coalescens ex patrono Ecclesiastico, & laico, pro laico, quoad jura & effectus judicandum est.*

1 ANdreas Prior cujusdam Parochialis Ecclesiæ patronatus ordinis Militaris S. Iacobi, convenit cum quodam fratre conventuali Palmeriensis conventûs, dimittendi beneficium simplex patronatus ejusdem ordinis in sui favorem, sub conditione, quod ipse frater conventualis dimittat locum, quem habet in eo conventu in favorem sui nepotis ex fratre, dummodo ordinis superior consentiat. Ad Tribunal Conscientiæ ordinis superiore recurrit, servitia in ordinem præstita allegans, ut hoc a Rege acciperet beneficium, & insuper aliqua adducens exempla concessionum similiũ. De mandato ipsius Tribunalis informarunt; & in favorem ipsius, Iudex ordinum Militarium, & Prior Maximus conventûs Palmeriensis magis attentus ad ordinis servitia, & exempla adducta, quàm ad proprium interesse, nam illa permutatio in sui præjudicium cedebat; quia loca conventûs ad suam pertinebant nominationem. Renuit tamen Tribunal, quia illa permutatio erat simoniaca. Quæritur: An talis sit?

RESOLUTIO.

2 Respondeo ut certum, mihi videri ad esse simoniam in permutatione illà faciendà, absque authoritate Pontificis. Probatur primo, quia ordinarijs [& illis qui potestatem habent in beneficio, instituendi, & destituendi, Castr. Palaus *tom.* 2 *tract.* 13. *de benefic disp.* 6. *punct.* 3 *num.* 2.] sola beneficiorum permutatio concessa est, *cap. quæsitum* 5. *de rerum permutatione*, & *cap.* 1. *eod titul. in* 6. & *Clem. unica, de rerum permut.* & DD. ibi; sed locus conventualis, licet sit res spiritualis, Bonac. *tom.* 1. *tractat. de simon disp* 1 *q.* 4 §. 8 *num.* 1. non est beneficium, ut ex se patet: ergo non potest absque simoniâ, sine Pontificis authoritate, permutari ab alijs inferioribus.

3 Secundò probatur, quia ex eadem ratione, docent communiter DD. non posse Summ. Pontifice inferiores, permutare beneficium cum pensione spirituali absque simoniâ, ut inquiunt Soar. *tom.* 1. *de Religg. l.* 4. *capit.* 33. *num.* 3. Filliuc. *tom.* 3 *tract.* 45, *nu.* 26 Lessius *l.* 2. *de Iust. cap.* 35. *num.* 87. Bonac. *citat.* §. 12. *num.* 9. Azor. 2. *part. l.* 8. *capitul.* 12. *q.* 8. Vgolin. *de offic. Episc. cap.* 50 §. 10. *num.* 4.

Garcia *de benef. part.* 11. *cap.* 4. *numer* 18. Castr. Palaus *tom.* 2. *tract.* 13 *disp* 6 *punct.* 3. § 3 *num.* 8. & alij: ergo à fortiori non potest absque simoniâ à Tribunali Conscientiæ ea fieri commutatio cum habitu conventuali.

4 Dixi *a fortiori*, nam aliqui DD. apud Soar. *citat. num.* 2. & 7. contra communem doctrinam sustinent, pensionem spiritualem largo modo sub beneficio comprehendi: At locus conventualis nec largo modo sub beneficio comprehenditur; nam illi nec definitio, nec proprietates beneficij conveniunt. Addo, *cap. Quæsitum, & cap. Unicum, citata*, in quibus hæc potestas permutandi beneficia Episcopis conceditur, loqui de beneficijs, quæ sunt proprie beneficia, & locus conventualis non est proprie beneficium.

5 Tertio probatur, quia licèt in spiritualibus mixtis, non prohibeatur permutatio unius pro alio ejusdem ordinis, sicut non prohibetur *in cap. Ad quæstiones, de rerum permut.* imo approbatur permutatio pro alia pure facta. Ubi Gloss. reddit rationem, quia spirituale pro spirituali commutatur. In nostro autem casu nec ea spiritualia sunt ejusdem ordinis, ut constat. Additur, quod locus est quid spirituale, & aliud est quoddam beneficium, interquæ permutatio est prohibita, ut dictum est.

6 Neque obstat primò, quòd dentur exempla permutationum similium ab ipso Tribunali concessarum. Non, inquam, obstat, quia respondetur primò, non sufficere unum, vel alterum exemplum ad consuetudinem inducendam *l. Item apud Labeonem*, §. *aliud est*, *ff. de jure jurand* & relatis Soar. Bonac. Salas, Basil. Pontio tenet Castr. Palaus *tom.* 1. *tract.* 3. *punct.* 2. § 3. *num.* 3. Respondetur secundò, nam licèt consuetudo de his permutationibus, dum purè, & simpliciter fiunt, sint tantùm de jure humano, ut colligitur ex Laym. Sot & alijs, quos sequitur Bonacin. *tom.* 1. *tract. de Simon disp.* 1. *q* 4. §. 12. *numer.* 3. & sic possit dari abrogatio, ut tradunt communiter DD. apud Bonacin. *citat. q.* 6. *punct.* 6. Attamen non constat, quòd in eo Tribunali introducta sit talis consuetudo.

7 Non obstat secundò, quòd jus patronatus coalescens ex patrono Ecclesiastico, & laico, judicandum est pro laico, & non pro Ecclesiastico, quoad jura, & effectus, ut cum Perez de Lara docet Castr. Palaus *tom.* 2. *tract.* 13 *disp.* 2. *punct.* 2. *numer.* 3. ergo etiam quando permutatio coalescit ex beneficio, & alia re spirituali, judicandum est pro re spirituali, nam in spiritualibus extra materiam beneficiorum, nulla permutatio est Simoniaca, ut pluribus allatis tradit Bonac. *cit. d. q.* 4. § 12. *numer.* 1. Castr. Palaus *tom.* 3 *tractat.* 17 *disput.* 3. *de Simon. punct.* 15. *numer.* 1. Non, inquam, hoc obstat, quia respondetur, dari diversam rationem, nam in jure patronatus coalescente ex Ecclesiastico, & laico, præsumitur S. Pontificem laico præjudicare nolle, cum ille patronatus sit mixtus: at quando permutatio coalescit ex beneficio, & re spirituali non præsumitur Summ. Pontificem velle eam permutationem, cum expressè loquatur de duabus præbendis, ut *in cap. Quæsitum de duob. benefic.* ut in alijs textibus; & duabus Ecclesijs, ut in *cap. Ad quæstiones cit.* ergo cum in prædicta permutatione sermo sit de uno beneficio cum loco conventuali; & non de duobus beneficijs, absque authoritate S. Pontificis permutatio fieri nequit.

QUÆSTIO LXVIII.

An supremi Tribunalis Concientiæ examinatores recipientes præmium, seu stipendium, & provisi in concursu illud tribuentes, simoniam committant?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Simoniam non committunt.*
3 *Examinator potest intendere præmium, seu stipendium a Tribunali, non ut pretium approbationis.*
4 *Decretum Tridentin. à Castr. Palao declaratur.*
5 *S. Cardin. Declarationes loquuntur de examinatoribus in Synodo deputatis, pro concursu Parochialium, quæ in Hispania non sunt recepta.*

1 AB initio semper viguit in supremo Conscientiæ Tribunali, in quo per concursum Ecclesiæ, & beneficia curata trium ordinum Militarium providentur, quòd provisi certum, & determinatum conferant stipendium examinatoribus post aliquod tempus ab ipso Tribunali tribuendum. Hanc inveteratam consuetudinem quidam Tribunalis Deputatus, in dubium vertere conatus fuit, motus dispositione *Conc. Trident. sess.* 24 *de reform. cop.* 18 ubi prohibentur dantes, & accipientes aliquid occasione examinis; & si secus simoniam, & alias pœnas incurrant, ut *ex cit. Decreto* constat. Illustrissimus tamen Præses á Tribunalis consuetudine dimoveri noluit. Quæritur: An provisi in dictis beneficijs stipendium determinatum dantes, & examinatores illud à Tribunali recipientes, simoniam, & pœnas in Trident. latas incurrant?

RESOLUTIO.

2 Respondeo, nec provisores stipendium dãtes, nec examinatores à Tribunali illud recipientes,

pientes, simoniam, & alias pœnas incurrere. Ostenditur primò, quia absque simonia potest Episcopus ex fructibus beneficij vacantis aliquid examinatoribus assignare per modum stipendij sui laboris, seu sustentationis, etiam si aliunde habeant, ex quo sustententur. Sic expressè docent Petrus Navarr. *de restit. l.2. cap 2 numer.* 188. Petr.de Ledesm. *2.part.sum. tract.7. capitul. 1. conclus. 7. circa* 13. *difficultatem*; ubi inquit, esse communem sententiam omnium DD. & praxim receptam in Ecclesijs Hispaniæ; & ita deciditur *in Conc. Provincial. Compostell. act. 2. decret.* 24 *vers. Horum verò* His subscribunt Castr. Palaus *tom. 3. tract. 17. disput. 3 de Simon. punct. 5. numer. 3. vers. verum meo judicio, punct 9. numer. 1. & punct. 11. à numer 3.* & Quintanad *tom.1. singul. tract. 6. singul. 15. a numer.* 3. Addunt Bonacin. *tom. 1. tractat, de Simon. disput. 1 q. 6. punct. 2 diffic. 1. numer.* 6. cum Garcia *part. 5. cap. 7. numer.* 379. & cum alijs Barbos. *in Collect ad cit. locum Trident numer.* 108. & *de potest. Episcop alleg* 60. *numer.* 53. *& de ofu. & potest. paroch cap. 2 numer.* 82. dicentes posse Episcopum aliquid de suo examinatoribus synodalibus conferre titulo præmij, vel stipendij, seu sustentationis: ergo etiam absque simonia aliquid determinare tribuendum à provisis in beneficijs vacantibus potent Tribunal examinatoribus, vel de suo contribuere, &.

3 Secundò ostenditur ex sententia DD. apud Bonacin. *proximè q. 1. punct 2. numer. 1.* Castr. Palaum *citat punct. 6. numer. 2* Quintanad. *dict. singul. 15. numer.* 4. asserentium simoniam realem non committi sine mentali, à qua specificatur; nec hæc datur, nisi intendatur temporale tanquam pretium rei spiritualis, vel è contra: sed examinator potest intendere stipendium recipere ab illo tribunali, non tanquam pretium approbationis provisi, sed ut stipendium, præmium, aut eleemosynam, & in beneficio provisus illam dare, non ut pretium approbationis, sed ut ex fructibus beneficij, ad quod promovetur, vel ex alijs titulis. Circa hanc quæstion. Videri potest Quintanad. *dict. singul 15. per totum*, & me ipsum *supra q 50.*

4 Neque obstat primo *Concil. Trident. dicta sess 24. de reform. cap* 18 Sic statuens circa examinatores, & examinandos: *Caveantque, ne quidquam prorsus occasione hujus examinis, nec ante, nec post accipiant, alioquin simoniæ vitium tam ipsi, quam alij dantes incurrant, à qua absolvi nequeant, nisi dimissis beneficijs, quæ quomodocunque obtinebant, & ad alia postea inhabiles reddantur, &c.* Non, inquam, obstat, quia respondetur cum Castr. Palao *cit. dict. disput. 3 punct 5. numer. 2. vers. Verum meo judicio, post medium*, ubi sic explicat Conc. Trident sensum: *Efficitur ergo, prohibitionem Concilij intelligendam esse de receptione per modum pretij, & commutationis unius rei pro alia, non de receptione in stipendium. Vel secundo respondere possimus, prohiberi aliquid accipi ultra stipendium vel tertio prohiberi examinatoribus aliquid recipere pro approbatione concedenda: hoc enim esset recipere pro jure spirituali ad beneficium, cum per approbationem jus acquiratur approbato ad beneficium: & ita interpretatur Ledesma supra, & indicat Augustin. Barbos. 3. part. de potest. Episcop. alleg. 60 numer. 54. & in remiss. Concil. ubi adducit Farinac consil. 75. numer 3. & 48 dicentem generale esse, nunquam simoniam committi absque pacto, & conventione præcedente; & tradit Zerol 2. part. de praxi Episcopali, verb. dimissoria §. 7. cum Navarr consil. 67. de Simon. & addit, Simoniam non esse dare aliquod munus examinatoribus, non ut probetur idoneus, cum sit alias sufficiens. sed ad captandam eorum benevolentiam.* Sic Castr. Palaus.

5 Nec obstat secundo, quòd S. Congreg. in una Gerund. quam refert Garcia *part. 8. cap. 1. numer. 77.* & in una Abulens. apud eundem *part. 5. capit 7. num 2 vers. ad secundum*, & in una Salernit apud eundem *part 9. cap. 2 nu* 374 declaravit, nō posse examinatores quidquam pro labore, vel titulo stipendij ad sustentationem ex fructibus beneficij vacantis, vel alia ratione accipere; & ita sustinent præter Garciam *cit.* Bonac *allatus q. 7 punct 2 diffic, 1. n 5. vers secundo*; & relatis ipso Bonac. Aloysio Riccio Barbos. in collect *ad Trident. cit. num.* 107. *& de potest. Paroch cap 2. num.* 81. Et ipse in collect. ad Trident. *n* 108 addit, non posse Episcopum aliquod stipendium conferre, etiam minimum examinatoribus in synodo deputatis, pro concursu parochialium: & si synodus Diœcesana secus statuerit, decretum esse irritum, & nullum, refertque Bonac *cit* Massobr. Stephan. Weyms. Non, inquam, obstat, quia respondetur primò, Bonac. *proximè vers.* Tertiò, dicere, contrarium esse usu receptum in Hispania, ut *supra* diximus cum Petr Navarr. & Petr. de Ledesm; quibus addo Garciam *locis citat* & supponit Cast Palaus *cit* Respondetur secū do, declarationem S Congreg. fuisse latam pro examinatoribus synodalibus in concursu Ecclesiarum parochialium, quæ cùm sit declaratio Conc. Trident. ad examinatores Tribunalis Conscientiæ non extenditur, quamvis ad concursum Parochialium ordinum Militarium: nam hi examinatores non à synodo Diœcesana, sed ab ipso Conscientiæ Tribunali sunt deputati, authoritate, & approbatione ipsorum Ordinum Magistri; & ut in eo beneficio curato provisi accipiant collationem ab ipso Tribunali ab ordinario examinari mandantur; & si in eo examine non reperiantur idonei, alius fit cōcursus authoritate ipsius Tribunalis. Accedit ipsa praxis, & usus ab ipso Tribunalis ortu receptus.

QUÆSTIO LXIX.

An canonicus dispensatus, ad non recitandas horas Canonicas, si Canonicatum renuntiet, & alterum obtineat, possit hoc obtento eadem dispensatione gaudere?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Non potest in terminis definitionis beneficij.*
3 *S. Pontifex non dispensat ante beneficium obtentum in eo impedimento.*
4 *Dispensatio, quamvis strictè non semper sit interpretanda, in præsenti strictè est interpretanda.*
5 *Non valet argumentum in dispensationibus à paritate rationis, si a favorabilibus ad odiosa fit argumentum.*
6. & 7. *Dispensato castitatis voto absolutè, mortua prima uxore, absque alia dispensatione potest secunda duci.*
8. & 9. *Dispensato voto castitatis absolutè, cessat impedimentum ad novum matrimonium; non tamen cessat in dispensato ad non recitandū.*

1 JAnuarius post obtentum Canonicatum, advertit, se ob adversam valetudinem nimis ægrè divinum officium recitare posse. Hac ritè S. Pontifici causâ propositâ Dispensavit S. Pontifex, injuncta deinceps certa commutatione, pro arbitrio prudentis, ac docti confessarij disponenda In mentem illius Canonici venit suum Canonicatum in favorem alterius renuntiare, & alterum alibi obtinere. Quæritur; An vi dispensationis Pontificiæ, possit adepto altero Canonicatu, illo frui, non recitato officio; sed tantùm choro interesse, ut in dispensatione exprimebatur?

RESOLUTIO.

2 Respondeo, non posse: Ratio est, quia de ratione beneficij est recitatio divini officij, ut constat ex illius definitione sic habente: *Beneficium est jus percipiendi fructus, ex bonis Deo dicatis, personæ Ecclesiasticæ, propter divinum officium competens* Sic cum pluribus Castr. Palaus *tom. 2. tract. 13. disp. 1. punct. 1 num. 1. & 2.* & Garcia *de benef part. 1. cap. 2 num. 2. & nu. 3.* inquit, hanc definitionem rectè explicare naturam, & substantiam beneficij, & converti videri cum suo definito juxta *l. 1. §. solum ff. de dolo.*

3 Vnde colligitur, dispensationem prædictam esse adeo strictè interpretandam, ut non extendatur ad beneficium secundum, ut expressè habetur *cap 1. §. ille*, ibi: *nequit prætextu dispensationis hujusmodi [quam exorbitantem a jure oportet veluti odiosam restringi) nisi unicum beneficium obtinere; de filiis presbyter in 6.* Nec S. Pontifex in non recitandis horis, cum dicto beneficiato dispensabit, quia de ratione beneficij est officium divinum, ut dictum est *num. 2.* & expressè dicitur *in cap. ubi* ibi: *& minuitur cultus divinus, quem desiderabamus augeri, & officium plerumque (propter quod beneficium Ecclesiasticum datur) omittitur; de rescript. in 6.* Et gloss. *ibi verb. datur*, sic inquit: *Vnde privatus officio, & beneficio privatus intelligitur; cum sit ejus sequela & cap. Eos etiam*, ibi: *Sicut se justissimè ab officio alienos faciunt, ita beneficio Ecclesiarum privatos esse adjudicamus 81. dist.* non ergo S. Pontifex cum tali recitare non potente dispensabit; & si cum hoc canonico dispensavit, fuit post jam obtentum canonicatum, nam congruentius duxit, cum illo eo modo dispensare, quam beneficio jam obtento privare; nam Summ. Pontifex cultum divinum augere desiderat, & non minuere.

4 Nec obstat primò, dispensationem non esse adeo strictè interpretandam, ut extendi non possit, secundum verborum significationem, & secundum veresimilem concedentis mentem, præsertim cum dispensatio fit ab ipso legislatore; ut in præsenti casu. Videtur Sanch. *l. 8 de matrim. disp. 1. num. 10. 11 & 29.* Non, inquam, obstat; Nec Sanch. illi favet extensioni, quia juxta illius doctrinam debet restringi, quia à definitione, & natura beneficij exorbitat, ut dictum *est num. 3.* & quæ exorbitant à natura ipsa rerum, principalius sunt corrigenda, quàm si exorbitarent ab ipso jure communi, quæ juxta *Reg. Quæ à jure, de regul. jur. in 6.* sunt restringenda.

5 Non obstat secundò, quia licet probabilius sit in dispensationibus, non valere argumentum à paritate rationis, probabile tamen est, valere, Sanch. *cit. num. 31. & 32.* qui plures citat pro dicta probabilitate, faventes Ianuario *ex cap. Per venerabilem, Qui filij sint legimi.* Ubi S. Pontifex non solùm facit argumentum à maiori ad minus, sed à simili arguit, ibi: *Per simile quoque id videtur posse probari, &c.* Non, inquam obstat, quia casus, de quo loquitur Pontifex, & juxta Sanch. *cit* ipsi DD. loquuntur de dispensationibus in materia favorabili, qualis est legitimatio filiorum illigitimorum, quæ sanè est extendenda secundum ipsum jus: at dispensatio in præsenti casu est in materia maximè odiosa, ut jàm vidimus, & infra videbitur, ac proinde non extendenda, sed potius restringenda ad præsentem tantùm dispensationem.

6 Non obstat tertiò, quia Ianuarius absolutè, sine ulla restrictione fuit dispensatus ad obtinendum Canonicatum, quin recitet, dummodo choro interfit: ergo ea dispensatio non solùm fuit pro primo Canonicatu, sed etiam ad secundum extendenda est. Probatur consequentia, quia si quis voto castitatis obstrictus, dispensationem impetret, ut matrimoni-

monium ineat, potest secundam, & tertiam ducere uxorem, mortua prima, & secunda, ex vi primæ dispensationis, si hæc sit absoluta, & sine restrictione, ad primam tantùm expressivè, ut tenent Sanch. *l.* 8. *de matr. disp.* 31. *num.* 8. Basil. Pont. *ibidem l.* 8. *cap.* 20 §. *Unico nu.* 11. *&* 13. & alij apud Dian. *part.* 5. *tract.* 14. *resol.* 30.

7 Et si dicas non obstare eam probationem, quia paritas non est omnino ad rem, quia in casu matrimonij, dispensatio voti est ante matrimonium initum, & in præsenti casu, dispensatio non recitandi divinum officium, fuit post initum Canonicatum. Ideo aptando paritatem omnino, dico: Si quis inito jam matrimonio, cum impedimento voti, a S. Pontifice impetret dispensationem absolutam, ut potest; manebit dispensatus, non solùm ad tale matrimonium præsens, sed ad alia etiam ineunda; non obstante, quòd dispensatio obtenta fuerit post initum matrimonium; similiter in præsenti casu. Antecedens colligitur ex doctrina Sanch. qui *loco citat.* loquitur de dispensatione facta, sive antea, sive post initũ matrimonium. Et *eodem l.* 8 *de matr. disp.* 9, *nu.* 26. loquens de dispensatione facta per Episcopum cum eo, qui matrimonium contraxit, habente votum castitatis, advertit, talem dispensatum ab Episcopo, non posse inire secundum matrimonium, mortua conjuge, quod notanter advertit, quia sola Pontificis dispensatione potest contrahens, cum impedimento voti inire secundum matrimonium, mortuâ primâ conjuge; sive dispensatio sit ante, sive post initum matrimonium.

8 Non, inquam ea omnia obstant, nec ea paritas; quia respondetur per dispensationem absolutam factam in voto castitatis aufertur impedimentum, quod dabatur ad matrimonium ineundum; at hoc impedimento ablato, potest quis secundum, & tertium inire matrimonium, mortuâ primâ, & secundâ uxore. At in præsenti casu per primam dispẽsationem à S. Pontifice obtentam non aufertur impedimentum, quod datur in Ianuario ad recitandum; cum igitur dispensatio sit odiosa, in Ianuario intelligenda est de primo Canonicatu, & nullò modo extendenda est ad secundum.

9 Hanc responsionem [quam existimo veram] desumo à Merolla *tom.* 1. *disp.* 4 *cap* 6. *num* 51. apud Dian *part.* 8 *tract* 3. *resol.* 40. asserente sententiam Sanch. *l.* 8. *de matr. disp* 31. *nu.* 11 dicentis, dispensationem cum illigitimo ad beneficium non esse arctandam ad primum beneficium, esse falsam, & illius rationem; his verbis apud Dian. *cit. vers. sed hanc sententiam. Sed hæc ratio debilis est; nam per eam dispensationem, ut supponimus, non aufert Pontifex irregularitatis impedimentum, ortum ex illegitimitate, neque legitimat illegitimum* [*tunc enim vera esset opinio Sanch.*] *sed tantùm concedit, ut non distante eo impedimento, possit illegitimus consequi beneficium Cum igitur dispensatio sit odiosa, intelligenda est, de primo beneficio.* Sic Meroll apud Dian. Hanc etiam doctrinam sequutus fuit *supra disp.* 1. *de Sacram. num.* 11.

QUÆSTIO LXX.

An illi, qui mortuus est in loco distanti a duello, negari possit sepultura, & reliqua publica suffragia?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Negari non potest sepultura Ecclesiastica.*
3 *Excommunicatus toleratus sepeliri potest in loco sacro.*
4 *Non potest tamen, si moriatur in loco duelli.*

1 DE quadam persona dicitur, exisse ex duello, & absque ullo sacramento mortuum fuisse in loco distanti ab eo, in quo fuit duellum Quæritur primò: An illi negari possit sepultura Ecclesiastica? 2. An dato, quod negari nequeat sepultura Ecclesiastica, possint illi negari suffragia Ecclesiæ publica, nempe, exequiæ cum solitis cymbalorum signis, & reliquis ritibus in Ecclesia de more celebratis?

§. I.

An possit negari sepultura Ecclesiastica morienti in loco distanti ab eo, in quo fuit patratum duellum?

2 Respondeo non posse negari. Ratio est, quia *Concilium Trid. sess.* 25. *de reform. capit.* 19. Ecclesiastica sepultura solum privat duellantes in loco duelli morientes, ibi: *Si in ipso conflictu decesserint, perpetuò careant Ecclesiastica sepultura*; Et quamvis aliqui DD. affirmẽt hæc verba comprehendere etiam illos, qui ex vulneribus, quæ in duello receperunt, occubuerunt, re tamen melius consideratâ, cùm versemur in materia pœnali, quæ est restringenda, *Reg. Odia* 15. *de regul. jur. in* 6. dicendum est, solùm comprehendere illos, qui in loco duelli moriuntur. Et quidem quid diversum est, occumbere ex conflictu post finitum conflictum; & aliud, occumbere *in ipso conflictu. Confirmatur ex cap.* 1. *De torneament.* ibi: *Quòd si quis eorum ibi mortuus fuerit, quamvis ei poscenti, pœnitentia non negetur: Ecclesiasticâ tamen careat sepulturâ.* Et certum est, particulam *ibi* denotare locum conflictus, & clausula Concil. Trident. *in ipso conflictu* perinde se habere videtur, ac particula *ibi.* Ita Hurtad. *de charit disp.* 170. §. 178. Lezan. *in summ. qq. Regul. tom.* 3 *verb, Duellum num.* 14.

3 Nec obstat excommunicatio, à qua nõ

fuit absolutus, ut constat *ex num.* 1 quæ privat Ecclesiasticâ sepulturâ, *cap. sacris de sepultur. Clement. 1. eodem tit. cap. Consuluisti, de consecrat Eccles. & altaris, & cap. Placuit* 23. *q.* 5. Non, inquam, obstat hæc excommunicatio, quia, quicquid sit de jure antiquo, post *Concil. constantiense, & Extravag. Ad evitanda Martini V.* Excommunicatio solùm impedit, sepelire excommunicatum declaratum in loco sacro, quem dicimus vitandum; & non excommunicatum non declaratum, quem dicimus toleratum. Unde huic non esse denegandam sepulturam monent Lezan *citt. dict. numer.* 14. Dian. 2 *part. tract.* 16. *resol.* 54. & iterum 5 *part. tract.* 9. *resol.* 97. Accedunt Leand. *tom.* 4. *de Censur. tract.* 2. *de Excommunic. disp.* 8. *q.* 4 ubi, inquit, solùm excommunicato declarato, & vitando negari posse sepulturam, & non excommunicato tolerato. Henriq. *in summ. l.* 13. *cap* 11. *num* 3. *litt. n.* Soar. *tom.* 5. *in* 3 *part. de Censur. disp.* 12 *sect.* 4 *num.* 3. Filiuc. *tract.* 12. *cap* 4 *q.* 8. *num.* 106. Gordon *l.* 7. *q.* 8. *cap* 3. *num* 38. Laym *l.* 2 *tract.* 5 *part.* 2. *cap* 4. *num.* 8. citantes alios, idem asserentes.

4 Nec ex hoc sequitur, posse sepeliri in loco sacro occumbentem in loco duelli, quia non est denuntiatus; nam licèt Portel. *in Respons. moral. part.* 3 *cas.* 10. *num.* 3. dicat, posse sepeliri in loco sacro, quamvis in loco conflictus occubuerit, dummodo aliquod ediderit pœnitentiæ signum; id tamen non sequitur; nam quamvis hunc, excommunicatio sepulturâ non privet, illum privat Concil. Trident. inducens hanc pœnam, ut distinctam ab excommunicatione; ut jam erat distincta, vi *cap.* 1. *de Torneament.* ibi. *Quamvis ei poscenti pœnitentia non negetur: Ecclesiastica tamen careat sepultura.* Quare si occubuerit confessus, & consequenter ab excommunicatione absolutus, non vult, quòd in loco sacro sepeliatur. Unde evidenter sequitur, hanc pœnam esse diversam, & omnino distinctam ab excommunicatione ad eos, qui loco duelli occumbunt. Sic Hurtad. *de charit disp.* 1, 0 § 174. Barbos. *in Collect. ad cap* 1. *Torneament. numer.* 7. Ioann. Sanch. *in select. disp.* 36. *dum* 9, Dian. 4. *part. tract.* 4. *miscell. resol.* 192.

§. II.

An possint dicto occumbenti, in loco distanti à loco duelli negari suffragia, nempe Missæ Officia defunctorum, & cymbalorum solita signa?

SUMMARIUM.

5 *Illi, qui occubuit in loco distanti à loco duelli, negari nequeunt publica Ecclesiæ suffragia, exequiæ, & cymbalorum solita signa.*

6 *Etiam non absolutus ab excommunicatione.*

7 *Non adversatur Concil. Trident.*

8 *Concil. Trident. suffragijs non privat morientes in duello.*

9 *Suffragia non sunt pars sepulturæ Ecclesiasticæ.*

5 Respondeo, non posse. Hæc resolutio est sine controversia supositâ resolutione traditâ *num.* 2. Ratio est, quia si occumbens in loco distanti à duello, in loco sacro potest sepeliri; nullus datur titulus, ut illi negari possint suffragia, & honores funerales, ut optimè probat Barbos. *tract. de axiom.* 4. *num.* 5. cum alijs, quos ibi citat.

6 Nec obstat primò; non occumbere absolutum ab excommunicatione; quæ privat suffragijs Ecclesiæ communibus *cap sacris* 38. *& cap. A nobis* 28. *de sentent excommunic.* & honoribus funeralibus, *cap. Placuit*, 23. *q.* 5. Nõ, inquam obstat, quia respondetur, id tantùm habere locum in excommunicatis declaratis, & vitandis, & non in toleratis, qui vitandi non sunt post Concil. Constantiense *in Extrav. Ad evitanda, Martin. V.* Ita Navarr. *in Man. cap.* 27 *num* 36. Henriq *l.* 1. *cap.* 11. *num.* 2. Hostiens. *in cap. Cum voluntate, de sentent. excomm.* D. Anton. 3 *part. tit. l.* 25. *num.* 76. Angel *Verb. Excommunicatio, tit. Ægid. de sacram. a. sp.* 14. *dubit.* 6. *num* 40 Hurtad. *disp.* 1. *de excommun difficult.* 4. Megad 3 *part. l.* 2. *cap.* 2. *num* 20. Dian. *part.* 5. *tract* 9. *resol.* 74. Sayrus *de Censur. l* 2. *cap* 4. *num* 6. Reginald *l* 32. *num.* 79. Ugolin. *de Censur. tabul.* 2. § 2. *num.* 5. Castr. Palaus *tom.* 6. *de Censur. disp.* 2 *punct.* 6. *num* 10. Villalob *tract.* 17. *difficult.* 4 *concl.* 3. *num.* 8 Machad. *l* 1. *part.* 3. *tract.* 3. *docum.* 4. *num.* 4 Scio aliquos DD oppositũ docere apud Leand. *citat supra tract.* 2 *de censur. disp.* 3. *q.* 12. opinio tamen tradita favorabilior est, & cum versemur in materia pœnali, illa alia est restringenda.

7 Nec obstat secundò *Concil. Trident. dicta sess.* 25. *de reform. cap.* 19. privans occumbentes in duello sepulturâ Ecclesiasticâ; & hac non concessâ, etiam reliqua suffragia non conceduntur. Non, inquam, obstat, quia solùm privat morientes in ipso conflictu, ut dictum *est num.* 2.

8 Secundò respondetur, Concil. Trident. solùm privare Ecclesiasticâ sepulturâ morientes in duello, & non eos privare communibus Ecclesiæ suffragijs, & cùm versemur in materia pœnali, verba Concil. Trident. non sunt extendenda ad suffragia, sed restringenda ad verba, quæ exprimuntur. Quare, ut pro his celebrari possint Missæ, & fieri communia Ecclesiæ suffragia, expressè tradunt Portel. *in respõs. moral. part*, 3. *casu* 10. *num* 2. Navarr. *in Man. cap* 27. *num* 36. & expressius *tract. de orat. capit.* 19. *concl.* 6. Henriq. *l.* 9. *cap.* 15. *num.* 3. Reginald. *l.* 32. *num.* 76. Dian. 4. *part. tract.* 4. *miscell. resolut.* 192. *vers. Sed hic oritur pulchra quæstio*, qui loquuntur de illis, qui moriuntur in duello, & aliquod pœnitentiæ signum ediderunt; in casu verò, quod nullum ediderint; loquuntur Hurtad.

Hurt. *de charit. disp.* 170. §. 175. & Lezan. *dict. tom.* 3. *verb. Duellum. num.* 14.

9 Fateor tamen, aliquos esse DD. oppositum sentientes, nixos in eo, quòd hæc suffragia sepulturæ sacræ sint partes, & illi accessoria; & prohibito principali, etiam accessorium prohibetur: *Accessorium enim naturam sequi congruit sui principalis, Reg. Accessorium de Regul. jur. in* 6. At huic fundamento respondeo cum DD proximè citatis, asserentibus, talia suffragia, nec esse partem Ecclesiasticæ sepulturæ, siquidem in parte, tempore, & loco diverso fieri possunt; nec concesso principali, nempe sepultura Ecclesiastica, censetur concessum accessorium, ut tenent communiter DD. apud Barbos. *tract. de axiom.* 4. *num.* 5.] suffragia sunt accessoria sepulturæ, sed sepultura, & suffragia sunt diversi effectus; & ut diversi, & distincti reputantur in ordine ad excommunicationem, & de illis, ut distinctis in ordine ad illam, loquuntur DD. maxime, quia versamur in materia pœnali, quæ est restringenda.

QUÆSTIO LXXI.

An Regulares pecuniam recipientes pro ingressu novitij simoniam, & alias pœnas incurrant?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Extravag. 1. inter communes, nec est recepta, nec in usu.*
3 *Pœnæ non incurruntur, nisi per actum consummatum.*
4 *Novitius potest professionem emittere.*
5 *Qui se oneratos sentiunt in simonia, pecuniam restituant.*
6 *Si pecunia pro temporali sustentatione ingredientis recipiatur, simonia non committitur.*
7 *Textus in contrarium adducti intelliguntur de pecunijs acceptis pro ingressu Religionis, qui est spiritualis.*

1 CUjusdam Religionis Prælatus in Capitulo proposuit suis subditis, suffragium habentibus, si novitium quemdam juvenem recipere voluissent, illius patrem illis donaturam centum, & quinquaginta millia regalia Lusitana; ille tamen trecenta petierat, & postea ducenta; at juvenis pater plus dare nolebat; quàm dicta centum, & quinquaginta. Hoc videntes PP. suffragium habentes, juvenem ad habitum receperunt; & nunc pro illo ultima suffragia sumpserunt. In hac causa judicatum fuit, simoniam fuisse commissam, & Religiosos in eo capitulo interessentes voce activa, & passivâ mansisse suspensos; & pro dispensatione supplicare debere. Quæritur 1. An dictus novitius realiter emittere debeat professionem? 2. Quomodo cum illo sit agendum? Et cum pecunia recepta?

RESOLUTIO.

2 In primis dico, me non esse pro tali sententia, quantum ad suspentionem dictorum Religiosorum, & reservationem, ac reliquas pœnas impositas, simoniam committentibus pro ingressu Religionis, ab Urbano IV. *in Extravag. 1. de Simonia, inter communes.* Quæ primo, quia hæc Extravagans non est recepta, nec versatur in usu, ut testantur Lessius *l.* 2. *de Just. cap* 35. *num.* 131. Layman. *l.* 4 *tract.* 10. *de Simon num.* 69. Pellizar. *in Man. Regul. tract.* 3. *cap* 1. *num.* 63.

3 Secundo, & principaliter, quia pœnæ hujus Extravagantis non incurruntur per ingressum ad habitum, sed solùm per ingressum ad professionem: pœnæ enim non incurruntur, nisi per actum consummatum, ut est communis DD sententia, & solus ingressus, per professionem, censetur consummatus. Ita Laym. *cit. num.* 68 & 70. Pellizzarius *citat. num.* 65. Bonac. *de censur. d. punct.* 2 *q.* 7. *punct.* 4. *num.* 1. Reginald. *l.* 23. *nu.* 175. Filliucius *tract.* 45 *cap.* 17 *q.* 4 *num.* 12. Barbos. *in Collect. ad Extrav. 1. de simon. inter communes num.* 5. Ubi de pœn hujus Extrav inquit: *Qui dant, vel recipiunt aliquid tempore receptionis ad habitum, nisi professio emissa sit, quia censura non incurritur, nisi ad sit effectus completus sub censura prohibitus, qui solum adest, dum sit traditio rei temporalis, & spiritualis, nempe professio, seu admissio ad professionem. Unde si receptio ad habitum fuit simoniaca, sed professio postea gratis admittitur, quia scilicet factum retractatur, & pecunia non recipitur, vel redditur, excommunicatio non incurritur, &c.* Et in prædicto casu dictus novitius non emisit professionem.

4 Ad primum igitur, in quo inquiritur: Si dictus novitius realiter possit emittere professionem? Respondeo, posse. Ratio est, quia in sacris canonibus non est aliqua in contrarium dispositio. Textus enim *in cap. de Regularibus* 25. & *text. in cap Quoniam* 46 *de Simon.* asserentes extra monasterium esse ejiciendos, & recludendos in altero Fratres, & Moniales, qui per simoniam ingressi sunt, &c Manifestè loquuntur de illis, qui per professionem ingressi fuerunt, ut est communis DD sententia, quos latè citant, & sequuntur Barbos. *proxime* Rodrig. *tom.* 3. *q* 63 *art.* 3 Sanch. *l.* 5. *decal. cap.* 4. *num.* 39. Pellizzar *in Manual, Regul. tract.* 3 *cap.* 1. *num.* 63 Lezan *tom.* 1. *cap.* 2. *num* 13. Laym. *citat num* 70. Peregrin. *in const. part.* 2. *cap.* 2 *litter G.* §. 13.

5 Ad secundum, in quo quæritur, Quomodo se debeant habere Regulares cum dicto novitio? Respondeo: si monasterium in dicta simonia se oneratum reperit, pecuniam, quã accepit, restituere debere. Et cum nec ipsum mo-

monasterium, nec novitius aliquam incurrerint pœnam [cùm hæc non incurratur ob quodcunque simoniæ peccatum, sed solùm per consummatum, quod hic non fuit, siquidem d. novitius adhuc non emisit professionem) evidenter sequitur, nullam aliam esse necessariam dispensationem, aut absolutionem.

6 Quoad tertium in quo petitur; quomodo se habere debeat monasterium cum pecunia recepta? Iam respondi, si Monasterium intelligit, se incurrisse simoniam, debet statim illam restituere. Dico, *si intelligit se incurrisse dictam simoniam*; nam si solùm eam recepit pecuniam, non pro ingressu spirituali, sed pro temporali sustentatione ingredientis, non committitur simonia, sicut nam non committunt Moniales, quæ illas cum dote recipiunt; nec illi, qui cum dote Sacramentum matrimonij celebrant; nec qui cum patrimonio ordinis sacramentum suscipiunt. Quod latè, & doctè probat Soar *l. 4. de Simon. capit. 17. num 6. in tom.* 1. *de Relig.* Laym *l. 4 tract.* 10 *cap. ult. de simon. n. 70. vers. Deinde*; ubi inquit, *raro hanc simoniam incurri pro ingressu Religionis.* Pellizzar. *in cit. Man. tract. 7. cap. 2. numer.* 121. ubi, ait, pecuniam datam pro sustentatione ingredientis non esse simoniacam, etiam si monasterium sit dives, ibi: *In isto casu non intervenit simonia, cum temporale non recipiatur pro spirituali, (id est pro ingressu Religionis] sed pro temporali [ideſt pro sustentatione ingredientis] quod utique verum habet, sive monasterium sit pauper, sive dives.* Idem quasi per eadem verba, inquit Barbos. *in Collect. ad d. Extravag.* 1. *de Simon num.* 3. cum Sylvest. Sot. Miranu. & Bonacin.

7 Nec obstant *text in cap. Nullus* 1. *quæst.* 2. text. *in cap Non satis* text. *in cap. de Regul* textus *in cap. non veniens*, & text. *in cap. Audivimus, de Simon.* Et text. *in Extravag.* 1. *de Simon.* Non obstant inquam quia hi text. intelliguntur de pecuniis acceptis pro ingressu Religionis, qui est spiritualis, & non pro acceptis pro sustentatione ingredientis, quæ est temporalis, ut tenent DD. quos latè citant, & sequitur Soar. *cit. num.* 4. & 7 & Pellizzar. *num.* 121. ac Layman, *proxime num.* 70.

QUÆSTIO LXXII.

An Iudex Apostolicus collationem conferre teneatur impetranti litteras Apostolicas, qui vera narravit, fundatus in quadam clausula in litteris habita?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Clausula, in qua Iudex Apostolicus hæret, errorem non continet.*
3 *Litteræ Apostolicæ cum narrativa conformantur.*
4 *In casu, quo detur error, non est circa causam finalem.*
5 *Iudex Apostolicus collationem tenetur conferre*
6 *Impetrans, collationem obtinens absque scrupulo suum beneficium servire potest.*

1 REmigius clericus ob dubia intervenientia, cum clerico Angelo super æconomiam, aut beneficium simplex, ad quod ambo litteras impetrarunt, & possessionem ambo ceperunt, Angelo censuris, & sequestratione molestiam infert; quæ sentiens talis Æconomus compositionem, cum dicto Remigio init; dando illi certam pecuniæ summam pro fructibus, quos in se habebat, ex capellis, & anniversarijs illius præsentis anni; & mansit d. Æconomus suam æconomiam in pace serviens. Anno tamen sequenti, eodem revertente dubio, ambo convenerunt in resignatione ejusdem beneficij, in favorem tertij, componentes se superfructibus hactenus perceptis. Hic tertius a S. Pontifice litteras obtinuit; & contendens, per Iudicem Apostolicum esse provisus, hic impedimentum obtulit, dicens: esse necessarium justificare clausulam in litteris contentam, scilicet: *nullis tamen per dictum Remigium fructibus perceptis.* Et constat, illum aliquos percepisse, vià compositionis cum dicto Angelo. Quæritur 1. An dictus Iudex rationem habeat, volens quòd dicta clausula verificetur, siquidem impetrans omnem veritatem S. Pontifici narravit, & ignorat, quo fundamento ea clausula apposita fuisset? 2. An provisus de tali beneficio, bonâ conscientiâ illo frui possit, non obstante talis clausulæ errore?

RESOLUTIO.

2 Primum, quòd in hac materia mihi videtur est, dictam clausulam, in qua Iudex Apostolicus heret, esse veram, & nullum continere errorem, [& secundo loco dicam, quod mihi videtur dato, quòd d. clausula errorem contineat] Respondeo igitur primò, dict. clausulam: *nullis tamen per dict. Remigium fructibus perceptis*, non continere errorem. Ratio est, quia hæc clausula referenda est ad tempus, in quo dictus Remigius prima vice egit de conventione cum dicto Angelo, non habens usque ad id tempus aliquos fructus perceptos, post habitas Bullas, quia in possessione illorum erat dict. Angelus, quem ab illa expellere intendebat. In quo denotat, Bullæ fuisse particularitates; quas, ex eo quòd non sint necessariæ ad præsentem gratiam, non specificat, ibi: *Rebusque alijs in actis causæ, & causarum hujusmodi latius deductis.* Postea procedit Bulla, referens secundam conventionem initam inter dict. Remigium, & Angelum, in qua suis juribus cesserunt, & resignationem in dicto impetrante fecerunt. Et in hac

hac secunda conventione mentionem non facit Bulla de fructibus perceptis, aut non perceptis; & verificantur reliquæ clausulæ, absque ullo præpedimento.

3 Et quòd litteræ Apostolicæ in hac forma intelligi debeant, videtur manifestum; quia ita cum narrativa S. Pontifici facta, conformantur, & alias dicta clausula: *nullis tamen per dict. Remigium fructibus perceptis*, ab officiali Curiæ fuisset intrusa, & errorem contineret, quod præsumi non debet: error enim nō præsumitur, ut latè probant Baldus *in l. Imperator 1. in principio ff. de Stat. homin.* Angel. *in l. Errore, C. de testam.* & eleganter Menoch *de præsumpt. l. 6. præsumpt. 22. numer. 2.* & *consil. 89. num 121. l. 1.* & *consil. 147. num. 3. l. 2.* & multo minus in litteris Apostolicis, quæ semper sunt exaratæ per officiales diligentes, & peritos, ut optimè probat Menoch. *de præsumpt. l. 6. præsumpt. 22 num. 5.* Ex eo principio, quòd talis error per officialem peritum commissus, culpam, & negligentiam contineret, quæ non præsumitur *l. Meritò ff. pro socio*, ut multis eruditè probat Menoch *de præsumpt. l. 5. præsumpt. 2.* & stando in his principijs, rationes scrupuli cessant, tam in judice Apostolico ad executioni mandandum litteras prædictas, quam in impetrante ad serviendum dictum beneficium post collationem.

4 Secundo loco, Respondeo, dato, quòd in dicta clausula, *Nullis tamen per dict. Remigium fructibus perceptis*, fuisset error nec ex ipso dictas litteras esse subreptitias Ratio est, quia solus error, qui est circa causam finalem; non verò, qui est circa causam impulsivam, vitiat gratiam, ut tenet communior, & probabilior sententia DD. quos latè refert, & sequitur Sanch *de matr. l. 8 disp. 21. nu.* 32. quam probat *ex cap Dudum 14 vers. nos igitur, de præbend. in 6.* & *ex cap. fin. de filijs presbyter. in 6.* at error, qui ex dict. clausula arguitur, non est circa causam finalem, sed circa causam impulsivam. Nam [ut concludit Sanch *cit. num.* 8.) causa finalis ea dicitur, qua non existente Princeps gratiam minimè concessisset, vel quâ ei significata denegasset petita; causa verò impulsiva ea est quæ falsò expressa, Principem movet ad facilius concedendum, vel si vera est, & ea non taceretur, moveret ad facilius concedendum; at re verâ prorsus concederet in utroque eventu. Et evidenter videtur errorem argutum in dicta clausula, *Nullis tamen per dict. Remigium fructibus perceptis*, nec dicere falsum, nec veritatem occultare, quâ manifestata S. Pontifici, desineret dictam resignationem concedere, nam in ordine ad illam punctum erat, quòd partes litigantes compositæ remanerent, & parum referebat, quòd dictus Remigius aliquos fructus habuisset, vel non habuisset perceptos.

5 Unde evidenter videtur, sequi primò, dictum Iudicem Apostolicum rationem non habiturum in neganda collatione dicta impetranti, in dicto beneficio; quia Sum. Pontifex mandat, ut in illo eum provideat, virtute dictarum Bullarum, ibi: *Mandamus quatenus, si per diligentem examinationem dictum N. ad hoc idoneum esse repereris, &c.* Et reliquæ clausulæ, quas S. Pontifex verificari jubet, sunt veræ. Et hæc, *Nullis tamen per dictum Remigium fructibus perceptis*, vel est vera, ut *ex dictis num. 2. & 3.* constat, vel dato, quòd contineat errorem; hic non est circa causam finalem; nam ideo S. Pontifex jubens, alias clausulas veritate stabilire, hanc non jubet; ut ex tenore dictarum Bullarum constat.

6 Secundo sequitur, dictum impetrantem provisum inde beneficio, absque ullo scrupulo illud habere posse. Itaque primo, quia bonâ fide operatus est, & S. Pontifici omnem narravit veritatem. Secundo, quia sinè Bullæ venirent, ut defluere non poterant, relatâ [ut debebat referri] dicta clausulâ, ad tempus, quo Remigius egit de prima conventione, ut constat *ex dictis*. Tertio, quia dato, quod dicta clausula errorem contineret, culpâ, vel negligentiâ officialis Curiæ, cum hic (ut probatum est) non inducat vitium subreptionis, & dictæ Bullæ sint validæ, quin ipsius impetrantis culpa intervenisset, nulla apparet ratio, cur in conscientia anxietur. Vide *dicta d. 1. q. 23, num. 7. & q. 39. num 7. & q. 40. num. 7.*

QUÆSTIO LXXIII.

An professio ex metu emissa, censeatur valida, si patiens metum reclamet, quatuor, vel quinque mensibus post mortem metum incutientis?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Metus novitiatum non annullat.*
3 *Probabilius est, metum non annullare sponsalia.*
4 *Si dictus, ut professus non reputetur, ut novitius non potest non reputari.*
5 *Novitiatus non potest finiri, nisi expleto anno, & ex justa causa ultra annum prorogari potest.*
6 *Franciscus pro professo est reputandus.*
7 *In quatuor mensibus post mortem patris, quo tempore cessavit metus, professionem ratificavit.*
8 *Id exprimitur in cap. Ad nostram.*
9 *Et in continuatione actuum aliorum professorum.*
10 *Eamdem vim habet ratihabitio tacita, & expressa.*
11 *Ad ratificationem non requiritur novus Prælati consensus.*
12 *In dubio, an professio sit ratificata, in favorem Religionis judicandum est.*

1 Fran-

1 FRanciscus quamdam Religionem ingressus, in ea professionem emisit. Post professionis quinquennium, illius pater Placidus mortuus fuit. Mortuo Placido, existit Franciscus per quatuor, aut quinque menses in eadem Religione, quàm professus fuit, in omnibus se gereris, ut Religiosus. Hoc elapso tempore, dixit Franciscus, se ingressum, & professionem emisisse metu sui parentis Placidi; super hæc cum sua Religione litem intendit. Quæritur: si in quatuor mensibus, quibus patienter fuit in Religione, post mortem sui parentis, gerens se pro monacho, reputandus sit, ut Religiosus, vel ut sæcularis, aut ut novitius?

RESOLUTIO.

2 Respondeo: Si pro Religioso professo non esset reputandus [ut mox *a num.* 6. ostendam] ad minus pro Religioso novitio esse reputandum. Ratio est, nam licèt metus professionem annullat *cap. Perlatum* 1 *cap. Cùm dilectus de ijs, quæ vi, metusve cap. Insinuante, qui clerici, vel voventes, cap. Cum monasteria* 20 *q.* 1. *cap. Præsens, eadem causa, q.* 3 Non annullat tamen novitiatum; nec est textus id exprimens.

3 Nec obstat *l. Oratio ff. de sponsalib.* & *l. si quis tutor.* 60. *vers. quamvis ff. de ritu nuptiar.* ubi dicitur, prohibito actu, prohiberi omne illud, per quod pervenitur ad illum. Unde infertur, prohibito matrimonio etiam sponsalia prohibita intelligi: ergo etiam prohibitâ professione, novitiatus prohibitus intelligitur. Non, inquam, obstat: nam ut communiter dicunt DD. cum legem solum habere locum, quando actus, qui prohibetur, prohibetur absolutè omnibus modis; & non quando, non prohibetur absolutè, nisi solùm quoad istum modum, v.g. clandestinè, aut per metum. Et sic inter DD. magis recepta opinio est, prohibitionem matrimonij per metum, non se extendere ad sponsalia, ut cum pluribus tradunt Lessius *l. 2. de justit. & jure cap. 17. num.* 37. Ægidius Coninch *de sacram. disp.* 28. *dub.* 1. *numer.* 7 Henriq. *de matr. l.* 11. *cap.* 9. *num.* 6 Nec Sanch. qui ut probabilius sequitur, sponsalia esse nulla, eo nititur principio; sed in textu *in cap. Ex litteris II. Desponsat. impub.* ubi dicitur, puellam, quæ per metum desponsata fuerat cum puero minoris ætatis, spectare non teneri. Nec hic textus id concludit; nam in illo admoneri jubetur dicta puella, ibi: *Quod si puella commonita*; & hæc admonitio supponit obligationem. Et quamvis postea sponsalia jubeantur rescindi; id non probat fuisse nulla, sed annullanda.

4 Itaque non est textus, nec principium receptum, novitiatum per metum emissum annullans. Quamvis ergo dictus Franciscus in illis quatuor mensibus, Religiosus professus non fuisset, ad minus reputandus erat pro novitio. Et hoc, non solùm quoad privilegium Canonis, quo etiam gaudent novitij, *cap. Non dubium, & cap. Ex tenore, de sentent. excommun.* nec solùm, quoad privilegium fori, quod etiam ad novitios extenditur, *cap.* 2. *de foro competent.* pro ut hos textus communiter intelligunt DD. apud Martam *de jurisdict. part.* 4. *casu* 121 *num.* 24. affirmantes, novitios quantum ad utrumque privilegium Canonis, & fori esse personas Ecclesiasticas, *cap. Duo sunt genera* 12. *q.* 1. sed etiam quoad alia professorum privilegia: quia novitij, quoad privilegia pro professis reputantur, ut docent Ancharan *in cap. Nullus, num.* 3. *de tempor. Ordin.* Giurba *consil.* 15. *num.* 8. *cum* pluribus Marta *proximè num.* 10. Tambur. *de jur. Abbat. tom.* 3. *disp.* 6. *q.* 28. *num.* 2. cum Gratian. & alijs pluribus, & ijdem gaudent privilegijs, quibus professi, ut probat Sanch. *l.* 9. *de matr. disp.* 38 & *l.* 4. *decal. cap.* 39 *num.* 3 & Fragos. *part.* 2. *disp.* 24. §. 15. *num.* 23. cum pluribus.

5 Nec obstat, esse illos quatuor menses ultra annum novitij. Non obstat, quamvis enim annus novitiatus nequeat esse minor 16. anno, per *Concil. Trid. sess.* 25. *cap.* 15. *de Regul.* ex justa tamen causa potest prorogari ultra annum; & omnes ij menses pro novitio reputantur; & quamvis ea prorogatio ex justa causa non fuisset, fortassis fuisset illicita, sed valida, ut doctè probant Castr. Palaus *tom.* 1. *tract.* 3. *disp.* 2. *punct.* 9 *num.* 8 Dian. 3. *part. tract.* 2. *de dubijs Regul. resol.* 128. cum Fr. Emman. Rodrig. Rivio, & Soar.

6 Dixi *num.* 2. *Si pro Religioso professo non esset reputandus*; nam certum mihi videtur, pro tali esse reputandum d. Franciscum. Et hoc non ex eo solùm, quia ex dictis num. 1. talem metum patris videtur fuisse solùm reverentialem; qui professionem non annullat, ut cum communi DD. probat Sanch. *l.* 4. *de matr. disp.* 6 *num.* 18. per textum *in cap. fin. Qui clerici, vel voventes.*

7 Sed principaliter, quia dato, quòd metus fuisset cadens in virum constantem, dict. Franciscus in dictis quatuor mensibus in quibus, morte parentis, causa metus cessavit, tacitè professionem ratificavit: at tacita ratificatio post transactam causam metus, validam conficit professionem, quæ erat nulla, ob causam metus, per text. *in cap.* 2. *de Regular.* ubi expresse loquitur de professione, cui mos post transactam causam non reclamatur; imo continuatur in habitu, & alijs actibus aliorum professorum, & dicitur, hanc ratificationem esse omnino validam, & firmam. Est etiam efficax textus *in cap. Cum virum, de Regular.* in quo deciditur, professionem, quæ à principio fuit nulla, per secutam ratihabitionem manere validam, ibi: *Si ratihabitione secuta, [esse quandoque contradixisse constiterit] quod antea gestum fuerat, roboratur.* Idem probatur ex

textu

textu in cap. significatum, eodem tit. ibi. *Si professionem á se prius factam ratam habuerit.*

8 Et omnibus expressior est textus *in cap. Ad nostram, de Regular.* ubi dicitur, sufficere, hanc ratihabitionem esse tacitam; Quæ consistit in eo, quòd per tres dies, post transactam causam metus, habitus retineatur, ibi: *nisi habitum intra triduum deposuerit.* Idem dicitur *in text in cap. Constitutionem, eodem tit. in* 6. ibi: *Si cessante causa metus.. triduo perseveret,* & *text. in Clement. fin. de Regular. ibi: nisi hujusmodi habitum in colore, scissura, vel forma se distinctum patienter exhibeat.*

9 Quod præcipuè intelligitur, quando talis professus continuavit in actibus aliorum professorum, illos comitando, & se gerendo, ut unus illorum, per elegantem textum *in cap vidua, de Regul.* ubi dicitur, novitiam, quæ sponte se ingerit actibus professarum, per hoc censeri professam, ibi: *Si in Ecclesia inter velatos, oblationes Deo obtulerit, velit nolit, sanctimoniæ habitum ulterius debet habere.*

10 Immo notant communiter DD. cum Panormit. *in dict. capit. Vidua numer.* 6. Azor. *tom.* 1. *l.* 12. *capit.* 4. *quæst.* 3. Sanctarell. *quæst.* 28. *variar. tom.* 1. *numer.* 52. ubi citat Angel. Tabien. Sylvestr. Armill. & alios plures, eamdem vim habere ratihabitionem tacitam, & expressam per textum *in capit. unic. de voto in* 6. ibi *per professionem expressam, & tacitam*; & per textum *in capit.* 2. *de Regul. in* 6 ibi: *Professus tacitè, vel expresse.* Et sanè in jure principium est communiter receptum: *Par est virtus taciti, & expressi, idemque operatur*; ut probat textus *in l. de quibus ff. de legib.* & text. *in l. cum quid. ff. si certum petatur*, & text. *in l. triticum ff. de verbor. obligat.*

11 Nec ad talem ratihabitionem novus requiritur consensus Prælati, sed sufficit habitus retentio, & continuatio in actibus aliorum professorum, ut docti probat Navarr. *consil.* 27. *de Regul.* & Sanctarell. *cit. dict. quæst.* 48. *numer.* 30. argumento text. *in capit. Ad id de sponsal.* ubi dicitur, matrimonium per metum celebratum manere validum; si cessante metus causâ, pars, quæ matrimonio consentit, tale matrimonium tacite ratum habeat. Idem tenet Fr. Emmanuel. Rodrig. *in summ. tom.* 2. *cap.* 8 *conclus.* 4. *numer.* 5. Hieronym. Sorbus *in compend. privileg. Mendicant. verb. Novitius numer* 4. Sanctarell. *citat. dict. numer.* 30. Sanch. *lib.* 2. *de matrim. disp* 32. *num.* 14.

12 Addunt citat. Doctores in dubio, an professio fuerit ratihabita? judicandam esse in favorem Religionis, *l. sunt personæ ff. de Religios. & sumptib. funerum.* Præterquam, quòd constat de actu, & possessio stat pro professione: Quòd doctè prosequitur Navarr. *consil.* 13. *de Regul. numer.* 10. Sanctarell. *citat. numer.* 48. Soar. *tom.* 2. *de Relig. l.* 7. *capit.* 2. *numer.* 6. Lessius *l.* 2. *de just. capit.* 41. *dub.* 7. *numer.* 76. Dian. 4. *part. tract.* 3. *de Conscient. dubit. resol.* 55.

QUÆSTIO LXXIV.

An mandante S. Pontifice, pro una Religione, professiones certo tempore emissas haberi ratas; possint dicti professi illas ratas non habere, & à Religione exire, et Prælati eos expellere?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Cum distinctione resolvitur quæst.*
3 *Post notitiam Brevis, & regimen obtinente novo Vicario, qui tacitè suas professiones ratas habuerunt, Religionem relinquere non possunt.*
4 *Hoc maximè intelligitur, quando cum aliis professis in Religionis actibus continuarunt.*
5 *Eamdem vim habet ratihabitio tatita, ac expressa.*
6 *In dubio, an professio sit rata habita, in favorem Religionis standum est.*
7 *Si intra triduum dicti reclamarunt, & ab actibus professorum se abstraxerunt, à Religione possunt exire?*
8 *Prælati tales professos à Religione expellere non possunt.*

1 QUidam Prælatus certæ Religionis, qui tenebatur à S. Pontifice intra semestre, confirmationem sui officij consequi, illam non fuit consequutus. Ob quam causam Sum. Pontifex per Breve speciale jussit omnibus, qui professiones emiserunt, post dictum semestre, eas ratas habere; certioribus prius de eo defectu factis; ut extensius ex d. Brevi constat. Quæritur 1. An tales professi eas professiones nolentes ratas habere relinquere possint talem Religionem? 2. An Prælati illos expellere possint?

RESOLUTIO.

2 Quod attinet ad primum: Respondeo cum distinctione: Non posse Religionem relinquere, si tacitè intra triduum suas professiones ratas habuerunt; & posse, si intra id tempus, eas ratas non habuerunt suppono, dictum Breve, post ratihabitionem omnium gestorum â tali Prælato, post dictum simestre, sic procedere: *Excipiuntur tamen omnes, & singulæ professiones eorum, qui in manibus ipsius, vel de ejus ordine receptæ sunt, post dictum semestre, quæ omnes erunt reiterandæ in manibus novi Vicarij, habitâ prius notitiâ per professentes de prædicto defectu.* Hoc supposito

3 Ostenditur prima pars distinctionis; nempe, non posse tales professos Religionem relinquere, seu ab illa exire; si habentes notitiam nullitatis suarum professionum, & dicti Brevis, & jam regimen obtinente novo Vicario, suas professiones tacitè ratas habuerunt; probatur *ex textu in cap. significatum, de Regular.* ibi: *Si professionem a se prius factam ratam habuerit*; ex textu *in cap Cum verum de Regular.* ubi dicitur, professionem in principio nullam, per secutam ratihabitionem manere validam, ibi: *Si ratihabitione secutâ [etsi quandoque contradixisse constiterit] quod antea gestum fuerat, roboratur*; ex textu *in cap. 2. eodem tit.* & ex textu optimo *in cap. Ad nostram, eod. tit.* ubi dicitur sufficere d. ratihabitionem tacitam, quæ consistit in retentione habitus per triduum post scientiam defectus, ibi: *Nisi habitum... intra triduum deposuerit.* Idem probatur ex textu *in cap. Constitutionem, eodem tit. in 6* ibi: *Si cessante causa, triduo perseveret*, & ex textu *in Clement. fin. de Regul.* ibi: *Nisi hujusmodi habitum in colore, scisura, vel forma distinctum, patienter exhibeat, &c.*

4 Et hoc maximè cognoscitur, quando tales professi continuarunt in exercitio actuum aliorum professorum, illos agendo, & se gerendo, ut alij professi, per optimum textum *in cap. vidua de Regular.* ibi: *Si Ecclesia inter velatas, oblationem Deo obtulerit, velit, nolit, sanctimoniæ habiturum ulterius debet habere.*

5 Unde communiter advertunt DD. cum Abbat *in d. capit vidua, numer.* 9 Azor. *Instit. moral. part. 1. l. 12. capit. 4 quæst. 3.* Sanctarell. *quæst. 48. variar tom. 1. numer. 52.* eandem vim habere ratihabitionem tacitam, ac expressam, ut probatur ex textu *in cap. 2. cit. de Regular.* ut expressè probatur *ex cap. unico, devoto in 6* ibi; *per professionem expressam, vel tacitam*, & *capit. 2 de Regul. ibidem*, ibi: *Professus tacite, vel expresse*, ex eo principio, quod: *par est virtus tacite, & expresse*, & legibus, quas adduximus *præcedenti quæst. numer.* 10. & ultra videri potest Barbos. *tract. de axiomat. juris, axiom. 218 num. 1. & 2.*

6 Conveniunt insuper DD. in dubio, an professio fuisset rata habita? Censendam esse ratam in favorem Religionis: Textum id probantem, & DD. id prosequentes, vide *quæstionem præcedentem, numer.* 12. Quamvis enim hæc in responsione horum casuum fuissent repetita, in præsenti sufficiunt dicta.

7 Secunda pars distinctionis ostenditur; scilicet, si tales professi intra triduum, post notitiam nullitatis suarum professionum reclamarunt, & se abstinuerunt ab actibus professorum, illos non amplius continuantes, liberè à tali Religione possunt exire, & illam relinquere. Ratio est evidens, quia ex dicto Brevi constat, eas professiones fuisse nullas: at quando professio ex aliquo defectu fuit nulla, si postea rata non habeatur, tacitè, vel expressè, libertatem non tollit, ut talis professus non possit eam Religionem relinquere, & liberè ab illa exire; ut probat textus expressus *in cap. significatum*; & *in cap. Ad nostram de Regular.* & text. *in cap. Constitutionem eodem titul in 6.* & textus *in Clement. fin. de Regul.* & tenent communiter DD. apud Barbos. *in Collect. ad citatos textus.* Neque enim homo liber est cogendus ad perpetuam Religionis servitutem, ut probat Navarrus *in capit. statuimus numer.* 78. ex text. *in l. Titia, §. Titio centum ff. de condit. & demonstrat.* & *ex text. in l. Liberi hominis ff. de contrahend. empt.*

8 Quod attinet ad secundum quæsitum, nempe, An Prælati tales professos a Religione possint expellere? Respondeo, non posse. Ratio est, quia, ut suppono, tales professi sunt legitimè approbati per suffragia Capituli ad suas emittendas professiones, quia d. Breve omnia alia gesta rata habet, solùm mandans dictas possessiones reiterari, & cùm dicta Religio dictos professos approbatos, & jam admissos ad professionem habeat, non potest in damnum illorum rescindere, quod legitimè ab ea gestum est, ut probat textus *in capit. Quod semel placuit, de Regul. jur. in 6.* ibi: *Quod semel placuit, amplius displicere non potest*, text. *in l. Nemo potest mutare ff. eodem titul.* ibi: *Nemo potest mutare consilium suum in alterius injuriam*; Quod latè prosequitur Caldas *de potest. eligend. cap. 16. numer. 15. vers. Et qua ad primum*, & Barbos. *in Collect. ad Regul. Quod semel, numer. 1. de Regul. jur. in 6.*

QUÆSTIO LXXV.

An variæ progressiones cujusdam Prælati, contra alium fuissent justæ, & validæ?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *In causa manifesta potest Vicarius Generalis recusare Visitatorem.*
3 *Ut aliquis recusetur ut suspectus, non requiritur posse dare sententiam.*
4 *Regulares à disciplina, & correctione, non possunt appellare.*

1 IN certa Religione, juxta suas Constitutiones in Capitulo Generali, per suffragia vocalium ejusdem Capituli, eligitur unus Visitator Generalis, cujus munus est, in fine triennij de Generali tantùm, & ejus secretario visitare. Et culpas delatas, & invertas Capitulo, & Definitorio sequenti præsentat, ut in illo de illis feratur judicium. Item

statuit

statuit Constitutio, quòd deficiente hoc visitatore electo, ante initam visitationem, quatuor visitatores ordinis cum duobus Prioribus ex antiquioribus, & uno Religioso vocali Capituli antiquiori, novum visitatorem, qui loco Definitorij visitet, eligant. Item, quòd decedente Generali in ultimo anno, primus Definitor in Vicarium Generalem eligatur. Et sic in præsenti evenit. Item evenit, quòd mandante Visitatore in Capitulo electo, petere [ut mos est] mulas Provinciæ à P. Vicario Generali ad suam visitationem, quia jam tempus ad illam advenerat. Ille non solùm illas tribuere noluit, sed ipsi P. Visitatori quasdam exceptiones intimare jussit, illum, ut suum inimicum recusans. Ad has arbitrum elegit suum particularem amicum, dicens, P. Visitatorem alium pro se sumere. Cui P. Visitator respondit, in se locum non habere aliquas exceptiones, tum quia erat visitator ordinarius, tum quia, nullas culpas contra dictum P. Vicarium Generalem erat judicaturus. Hac responsione audita, Religiosus à P. Vicario electus arbiter, sententiam protulit contra Visitatorem, illum pro suspecto declarans; & insimul mandans pro toto ordine sub pœna excommunicationis, & cum censurarum maiorum offensione, ne ullus cum illo visitasset, nec pro visitatore illum recognosceret. Ad S. Sedem ab hac sententia appellavit P. Visitator. Quia non obstante, P. Vicarius Generalis convocavit Definitores, ut certâ die ad electionem novi Visitatoris adessent in tali conventu.

Quæritur primò An d. Vicarius Generalis potuisset, ut suspectum recusare visitatorem Ordinarium in capitulo electum, non laturum sententiam circa culpas dicti P. Vicarij Generalis, & ejus secretarij inventas? 2. An Religiosus à Vicario Generali arbiter electus, sententiam ad arbitrium potuisset ferre adversus P. Visitatorem, ex sola tantùm responsione adducta *supra*? 3. An procedere potuisset censuris, & alijs gravationibus pro toto ordine, ut tulit, & ferre promisit? 4. An dato casu, quòd novafiat visitatoris electio; in illa suffragium habere debeat P. Vicarius Generalis, quia est primus Definitor, & quia contra illum futura est visitatio, nam est Vicarius Generalis, & quando in casu mortis visitatoris, in Definitorio Visitator eligitur, statuit Constitutio Generalem suffragium non habere? 5. An Vicarius Generalis totum Definitorium ut suspectum recusare possit?

§. I.

An d. Vicarius Generalis ut suspectum, potuisset recusare visitatorem Ordinarium in Capitulo electum, sententiam non laturum in culpas d. Vicarij Generalis, & ejus secretarij inventas?

2 Respondeo, potuisse, si causa suspicionum esset manifesta. Ratio desumitur ab illo principio: Quòd recusatio omnibus conceditur, ut tradit Gloss. *in cap. in singulis, de statu Monachor.* vers. *Et appellatione*, ibi: *Quia justa recusatio nulli est deneganda.* Nam censetur justa defensio, quæ est de jure naturali, ut constat ex textu *in Cap. Cùm inter, de exception.* ubi dicitur, etiam excommunicato licitum esse, exceptione interponere; quippe etiam huic licita est defensio. Ita Sanch. *l. 6. decal. cap. 8. numer. 3. & l. 6. consil. capit. 8. dub. 3. num. 17. in Man. Regul. tract 9. cap. 4. nu. 7.* Lezan. *in summ. qq. Regul. tom. 3. verb. Index num. 13.* Aldrete *de disciplina Relig. l. 12 cap 28 num. 33.*

3 Nec obstat, dictum Visitatorem, in culpas Vicarij Generalis, & ejus secretarij sententiam ferre non posse. Non, inquam, obstat, quia licèt, stante jure civili, id requiratur, stante jure Canonico non est necessarium, *cap. Super eo 12. de appellat.* Unde colligitur, ut aliquis recusari possit, ut suspectus, non esse necessarium posse ferre sententiam, sed sufficere, posse modum suæ executionis excedere, ut bene notant Barbos. *in Collectan. ad dict. cap. Super eo, num. 3.* & Stephanus Gratian. *in discept. forens. cap. 146. numer. 37. & seqq.* Addentes ex Bartol. *in l. A divo pio § Sententiam Romæ, num. 6. ff. de rejudicat.* & ex Rebuff. *tom. 1. Ad leges Galliæ, tract. de sentent. executione, Gloss. 13. num. 3.* quòd à mero executore, quando excedit modum executionis sibi commissæ, appellari potest. Et est receptum principium, posse recusari illum de quo potest appelari *d. cap. Super eo, de appellat.* ut notant communiter DD. apud Barbos. *in collect. ad d. cap. num. 10.*

4 Dixi, *Si causa suspicionum esset manifesta* nam Religiones privilegijs gaudent, ne sui Religiosi in rebus ad disciplinam, & correctionem Religiosam pertinentibus, appellari possint Quæ privilegia latè referuntur à Sorbo *in compend privileg. Mendicant num. 1.* & à Sanch. *l. 6. decal. cap. 8 num 17.* Et quod dicitur de appellatione, ad recusationem extenditur. Quæ privilegia intelligunt DD quando causa suspicionum non fuerit manifesta; ut optimè advertit Sanch. *proximè num. 11. in fine*, ibi: *Sicut num præcedenti diximus appellationem non concedi. Religiosis, nisi quando manifestus est Prælati excessus, ita nec recusatio concedenda est, nisi quando manifesta est causa suspicionis,*

Prælati, cùm textus in dicto cap. Super eo, æquiparet recusationem, & appellationem: & utraque tranquillitati Religionis æque adversetur. Videatur Fragos. *tom. 1. disp. 24. § 6. num. 83.*

§. II.

An Religiosus à Vicario Generali electus arbiter, sententiam ad arbitrium potuisset ferre adversus Visitatorem, ex sola tantum responsione adducta *supra num. 1.*

SUMMARIUM.

5 *Non poterat; suspiciones non coram eo, sed coram Capitulo, vel Definitorio probandæ erant.*
6 *Non habebat jurisdictionem.*
7 *Quando Iudex pro suspecto dari nequit, processus currere debet cum dependentia ab eo, quod postea judicandum erit.*

5 Respondeo, non potuisse: Hoc ex duobus fundamentis ostenditur. Primo, quia dictæ suspiciones probari debeant coram Capitulo, aut Definitorio, cujus Commissarius, aut delegatus erat dictus Visitator. Et licèt, quando Iudici pars suspiciones imponit; ipse Iudex, & pars arbitros debeant eligere, ut de illis judicent, *cap. Legitima, de appellat. in 6. & capit. Secundo requiris & capit. Cum speciali, de appellat.* Hæc tamen doctrina generalis in tribus limitatur casibus; unus illorum est, quando Iudex est delegatus: tunc enim suspiciones coram ordinario probari debent. Id enim probat textus, *in capit. Si contra, de offic. delegat. in 6.* & notant communiter DD. apud Francum *in capit. Cum speciali, de appellation. numer. 2.* & apud Sanch. *l. 6. consil. capit. 8. dubit. 3. numer. 26.*

6 Secundò ostenditur, & principaliter; quia semel, quod dictus visitator pro recusato se dare noluit, arbiter P. Vicarij Generalis, nullam super eum jurisdictionem habebat; nam ut arbiter super partes, illam habeat, de consensu utriusque eligendus erat; ut tenent communiter DD. cum Gloss. *in cap. Secundo requiris, verb. aliquos, de appellat.* Francus *ibidem, Speculator 1. part. titul. de recusat. §. effectus*, Tiraquel. *de revocat. donat. verb suscepcrit, num. 247.*

7 Et notare debetur, quod quando Iudex pro recusato se dare nequit, sui processus currere debent, cum dependentia tamen, quoad valorem illius, quod postea judicabitur, fuerit ne justè, aut injustè recusatus. Sic Sanch. *citat. numer. 28.* Cujus verba, quia magnæ sunt considerationis in hac materia, hic refero, & sunt sequentia. *Si verò Iudex Ecclesiasticus recusatus, non obstante recusatione, procedat, pendet ex futuro eventu: si enim postea declaretur, causam esse justam, non valet processus; Si verò declaretur esse injustam, valet.*

§. III.

An dictus arbiter procedere potuisset censuris, & alijs gravaminibus pro toto ordine, ut tulit, & ferre promisit?

SUMMARIUM

8 *Non potuit ex defectu jurisdictionis.*
9 *Sententia Pastoris sive justa, sive injusta timenda est; quomodo intelligatur.*

8 Respondeo, non potuisse. Ratio est, nam tales censuræ præterquam, quod sint latæ à non habente jurisdictionem, & consequenter nullius roboris, & valoris; sunt injustæ injustitiâ commutativâ, contra jus, quod ordo, & dictus Visitator habet ad visitandum; dum Capitulum, aut Definitorium, aut ipse visitator pro recusato non datur: censuræ verò injustæ injustitiâ commutativâ sunt nullæ, ut probat. text. *in capit. Cui est illata, & in capit. Illud 11. quæst. 3.* Quæ autem sunt nulla, nullum operantur effectum *l. 4. §. condemnatum, ff. de re judicatâ.*

9 Nec obstat text. *in cap. sententia 11. q. 3.* ibi: *Sententia Pastoris sive justa, sive injusta timenda est.* Non, inquam, obstat; quia hic textus intelligitur primò, de censura quæ est injusta injustitiâ legali; quia non est servatus ordo juris, non verò de illa, quæ est injusta injustitiâ commutativâ. Vel dic Secundò, intelligi de illa, quæ est injusta in rei veritate, dummodo sit justa secundum allegata, & probata. Vel dic tertiò, intelligi de sententia in dubio, an sit justa? nam in tali dubio, semper parendum est, *capit. Quia culpatur 23. quæst. 1.* Vel dic quartò, hanc sententiam non esse à Pastore, sed ab arbitro non habente jurisdictionem. Omnes hi quatuor sensus communiter à Doctores recipiuntur, ut videre est in Barbos. ad Collectan. in dictum *capit. Sententia 11. q. 3.*

§. IV.

§. IV.

An dato casu, quod nova fiat visitatoris electio, in illa suffragium habere debeat P. Vicarius Generalis, quia est primus Definitor, & quia contra illum futura est visitatio, nam est Vicarius Generalis, & quando in casu mortis visitatoris, in Definitorio visitator eligitur, statuit Constitutio, Generalem suffragium non habere?

10 Respondeo, suffragium non habere. Ratio est, quia Visitator depositus, quantum ad istum effectum, reputatur pro mortuo ut asserunt Barbos. *de potestat. Episcop alleg. 25. numer. 21.* Navarr. *in cap. placuit, de pœnitent. distinct. 6. numer. 263.* Sanch. *l. 8. de matrimon. disput. 28. numer. 72. & 75.* At si dict. Visitator verè obijsset, dict. Vicarius Generalis suffragium in sua electione in Definitorio non haburisset, ut disponunt Constitutiones, & sicut ratio extenditur ad præsentem casum, ita earum dispositio.

§. V.

An Vicarius Generalis totum Definitorium, ut suspectum recusare possit?

11 Respondeo, posse. Probatur ex text. *in cap. Licet ex suscepto, de foro competent.* ubi dicitur, posse totum collegium, & totam civitatem pro suspectis recusari, ut notant communiter DD. quos citant, & sequuntur Francus *in cap Postremo, de Appell. numer. 16 & 17.* Navarr. *l. 2. consil. tit. de appellat conclus. 1,* Sanch. *l. 6 consil. capit. 8. dub. 3 numer. 10.* Quod intelligi debet duabus limitationibus. Prima, quando causa suspicionum fuerit manifesta; ut constat *ex dictis num. 4.* Secunda: Quòd si dict Definitorium, pro recusato se dare, nequeat? Currere debet processus, & sententia, à qua appellare potest P. Vicarius Generalis. Et tunc pro valido, vel non valido dabitur processus, quando Capitulum sequens, pro justa, aut non justa judicaverit causam suspicionum, *juxta dicta num. 7.*

QUÆSTIO LXXVI.

An vidua obtinens licentiam á Sum. Pontifice ad se recipiendam in quoddam Monasterium cum una famula, ad illi assistendum in suis necessitatibus, facta Monialis retinere possit eamdem famulam?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*

2 *Potest absque nova licentia.*

1 BRigitta nobilis vidua à Summ. Pontifice licentiam obtinuit, ad se conferendam in unum Monasterium S. Claræ cum quadam famula, ut illi in suis necessitatibus serviret; erat enim infirmâ, & iterata simpthomata patiebatur. Hanc licentiam excutioni mandavit Imo in eodem Monasterio existent, ad sumendum statum Religiosum deliberatè se resolvit. Ad novitiatum admissa, ad emittendam professionem, proxima est. Exoptat eamdem famulam, quæ illi fuerat concessa pro statu non Religioso in statu Religioso retinere. Quæritur. An virtute licentiæ obtentæ, eam retinere possit?

RESOLUTIO.

Respondeo, posse. Ratio est, quia causa motiva dictæ gratiæ, fuit necessitas d. Brigitæ, quæ post viducitatem cum infirmitatibus in illud se recepit Monasterium, ut constat ex rescripto obtento, ibi: *Cum una ancilla, quæ illi in suis necessitatibus assistat.* & illius qualitas ibi: *Quo melius honori suo consultum sit.* Et hæ sunt, & esse solent causæ motivæ dictæ gratiæ, quando conceduntur fœminis nobilibus, se in monasterium recipientibus, vel professionem emittentibus in Monasterijs S. Claræ, ut tradunt Tamburin *de jure Abbatiss disput. 25. quæst. 16. numer. 4. in fine*; & Sanch. *l. 6. decal. capitul. 16. numer. 16* Et quando in similibus gratijs subsistit causa motiva; censentur eædem gratiæ persistere, & in suo robore, ac vigore perseverare, non obstante quacunque varietate, errore, aut falsitate, in alijs causis impulsivis, quæ in hac, & similibus gratijs sunt cætera omnia, exceptâ infirmitate, & qualitate, ut notant Tamburin, & Sanch. *locis citat.* Mutatio enim, error, seu falsitas in causis, quæ non sunt motivæ, sed solùm impulsivæ, non vitiant gratiam, ut probat *text. in capit. Dudum, vers. nos igitur, de præbend. in 6. text. in cap final. de filijs presbyter. eodem 6. text. in l Cum tale 71 § Falsam causam ff. de condit. & demonstr. text. in cap Post translationem, de renuntiat. text. in cap. Si Christus, de jure jurand. textus in capit. Cum cessante, de appellat. text. in l. 1. § Sexum ff. de postulan. d.* ut cum communi DD. tenet Sanch. *l. 8. de matrim. disput. 21. num. 32.* Barbos. *in Collect. ad dict. text.*

QUÆSTIO LXXVII.

An sit Simonia dare, aut recipere pecuniam pro beneficijs resignatione libera, hoc est, in nullius favorem?

1 REspondeo affirmative cum Soar. *tom. 1. de Relig. l. 4. cap. 35. numer. 1. fine* ibi: *Itaque hæc renuntiatio nihil ad Simoniam pertinet: nisi fortasse, quatenus pro illa facienda, pecunia intervenire potest; sic enim materia est simoniæ.* Idem tenet Sylvest. *verb. Simonia num. 2.* ibi: *Non redemi, nec res ignari. Cap. Quereſam, de Simonia* ibi *Pecunia accepta resignavit.* Et Et idem Sylvest. *num. 13.* cum Antonio de Butrio inquit: *Quòd sicut nec licet pecuniam dare immediatè pro beneficio, ita nec pro ejus vacatione, ut postea conferatur, quin præambulum est, & via ad collationem.* Idem tradit Sanches *in consil. l. 2. cap. 3 dub 27.* ibi: *Simonia est dare pretium pro resignatione, & vacatura beneficij.* Et hujus resolutionis ratio est; quia resignatio beneficij est resignatio rei spiritualis: ergo non potest vendi.

QUÆSTIO LXXVIII.

An famula è monasterio simel egressa causa infirmitatum, possit recuperata sanitate iterum recipi, saltem ex licentia Papæ absolutè concessa, ut à moniali famula habeatur?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Non potest iterum recipi.*
3 *Idem de alijs fœminis aliqua de causa urgenti monasterium ingredientibus.*

1 QUædam famula è monasterio Monialium S. Francisci egressa, causâ infirmitatum; & recuperatâ salute iterum fuit accepta, quin adverteretur esse contra jus. Aliquibus annis elapsis, illam cum alijs Moniales expulerunt, quia acceperunt, illas fuisse nulliter receptuas secundo, cum jam semel è monasterio fuissent egressæ. Nunc tamen aliquæ Moniales eam fœminam in famulam volunt recipere, ad quòd à Sede Apostolica licentiam obtinuerunt; non tamen expresse ad hanc, quæ fuit egressa, etiam expulsam, sed ad qualemcunque honestam Quæritur, An possit Vicarius Generalis, cui commissa est licentia à S. Pontifice obtenta, ut hæc fœmina tertiò idem monasterium ingrediatur, aliud non habens impedimentū?

RESOLUTIO.

2 Respondeo, mihi videri, non posse. Ratio est, quia scrupulum ingerit Breve Gregorij XIII. incipiens: *Dilecti Fili*, apud Tamborin. *de jure Abbatissar. disp. 25 q. 16. num. 4* ibi: *Quæ ancillæ, sicut Moniales clausuræ legem observent, & ibi perpetuò durante ipsarum vitâ maneant; & conversarum loco sint; sed tamen infirmitate incurabili, vel perpetua ingruenti, aut obcorruptos mores inde educi superiorum judicio possint, ita ut in eisdem Monasterijs, aut alijs amplius non recipiantur, &c.* Et Tamburin. *citat. disp 2. q. 2. num 15 inquit: Semel egressæ iterum admitti nequeunt... Licentiam novam à Sacra Congregat. petere debent, exprimendo, se prius exiisse in eodem, vel altero Monasterio, &c.* Et hæc famula, de qua agitur, ab hoc monasterio fuit demissa, & licentia habita de hac non facit mentionem expressam.

3 Et dispositum circa has famulas, etiam videtur dispositum circa uxorem, quæ ob periculum permittitur Monalium monasterium ingredi, ut cum alijs tenet Barbos. *de potestat. Episc. alleg. 102. num. 66.* ibi: *Et si semel exierit numquam postea in idem Monasterium ingredi poterit.* Vtrum verò hæc dispositio comprehendat viduas, & educandas, ita, ut si egrediantur, iterum admitti non possint? Affirmant DD. Barbos. de viduis *loco cit. num. 67* & de educandis *num 63. in fine*, Vide Pellizzarium *tom. 2 tract. 10. cap. 5. n. 187. per totum* citantem Tamborin. Fateor tamen me sciviſſe de aliquibus fœminis, quæ causâ educationis fuerunt in Monasterio & antequam professionem emisissent, ab illo fuerunt egressæ, & post aliquos dies iterum id Monasterium fuerunt ingressæ, & novitiatum inceperunt, sine S. Congregat. licentia. Cujus verò licentia, nescio, ipsi, qui eam concesserunt, viderint: nam in DD. hoc non inveni de licentia alicujus permissum, sed tantum datâ licentia S. Congreg. Vide citatos Pallizzarium, & Tamborin.

QUÆSTIO LXXIX.

An Religiosus hæres institutus à quadam persona, causam criminalem habente contra homicidam, possit de licentia sui superioris, esse accusator sine incursu irregularitatis, si protestetur, se non intendere mortem accusati, sed civiliter pœnam & satisfactionem sibi debitam?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Secuta morte irregularitem non incurrit.*
3 *Nomine Clericorum veniunt Religiosi.*
4 *Etiam si homicida Religioso damnum non intulerit, sufficit ad non incurrendam irregularitatem, quod homicida illius patruelem occiderit.*

1 QVidam Religiosus institutus fuit hæres à fœmina consanguinea, quæ

quæ causam agebat in judicio criminalem, adversus homicidam, qui occiderat patruelem dicti Religiosi, & à suo superiore facultatem habet, ut causam dictam prosequi possit, in casu, quo possit. Quæritur an dictus Religiosus cum possit prosequi, præmittendo protestationem, non petendo vindictam, sed satisfactionem civilem?

RESOLUTIO.

2 Respondeo, posse d. Religiosum, præmissa in judicio protestatione, ex duplici capite prosequi causam criminalem, quam defuncta gerebat. Ex primo capite: quia cùm sit hæres defunctæ, personam defunctæ repræsentat *ex text. in Authent. De jure curand. a morient. præstit. collat. 5.* & ex Donell. Doct. Ioannes de Carvall *ad cap. Raynald. part. 2 num* 433. ergo sicut defuncta illam causam criminalem gerere poterat, sic etiam hæres potest. Cum hac tamen limitatione, ut protestationem præmittat, ne irregularitatem incurrat. ut constat ex *text. in cap. 2 de homicidio in 6.* quæ irregularitas absque dubio incurretur precisâ protestatione, quia est accusator; & secuta morte, ab illo incurritur, ut colligitur *ex cap. sententiam, & cap. Clerici, ne Clerici, vel Monachi*, & omnes tradunt DD. apud Castr. Palaum *tom. 6, de Cens. disp 6 punct. 14 §. 2. num. 1. & 2.* Datâ tamen protestatione, illam non incurrit, ut etiam constat *ex text in Cap. Prælatis, & cleric. 2. de Homicid. in 6* & DD. quos latè citant & sequuntur Barbos. *in Collect. ad proximum cit. cap. num. 1.* & Leand. *tom. 5. de irregular. tract. 2. disp 7. q. 46.* Et hoc habet verum, etiam si ex voluntate, & animo homicidâ accusetur, ut pœnam sanguinis consequatur, modo hæc voluntas & animus externè non manifestetur, sed oppositum protestetur. Sic cum probabiliori sententia Navarrus, Henrique, Avila, & alij plures apud Castr. Palaum *cit dict. num. 2.* Et ex alio capite poterat præmissâ protestatione, accusare dictum homicidam, pro injuria illata suo patrueli, illum occidens, nullâ datâ occasione, ut plures docent DD. quos mox *num. 4.* citabimus.

3 Nec obstat primò *textus cit. in cap. Prælatis*, qui solùm loquitur de Prælatis, & Clericis: ibi *Prælatis, vel clericis, qui de laicis suis malefactoribus, &c.* nomine autem clericorũ non veniunt Religiosi, ut est, hic de quo agimus. Non, inquam, obstat, quia Religiosi in lata significatione, veniunt nomine clericorum, ut cum Card. Tusch & alijs tradit Barbos. *tract. de appellat. verb. appell. 51. num. 2.* & in favorabilibus, ibi *num. 7.* & textus absolutè loquitur de omnibus, ibi: *vel Clericis quibuscunque.*

4 Nec obstat secundò, quod hic Religiosus accusare intendit homicidam, à quo nullam accepit injuriam, sed solùm suo consanguineo factam & textus *cit. in cap. Prælatis*, requirit, quòd injuria fuisset propria, ut licitè quæri possit: ibi: *De laicis suis malefactoribus.* Unde plures, & graves DD. existimant non obstante protestatione, accusatorem irregularitatem incurrere, si pro consanguineorum injuria aliquis accuset, quando ij consanguinei non sunt parentes, filij nec fratres interse, qualis non est dictus Religiosus. Sic Soar. *de Cens. disp 47. sect. 2. numer. 17.* ibi: *Tamen ut ponimus aliquam certam regulam assignare, & ut teneamus proprietatem verborum textus, necessarium est, dicere, tantam debere esse conjunctionem, ut alterius injuria in propriam personam censeatur redundare, qualis censetur regulariter esse inter parentes, & filios, & fratres inter se, non verò in alijs gradibus, nisi aliqua specialis ratio intercedat, ut si injuria fiat in mea domo, vel persona, quæ existit sub cura, & protectione mea, vel eum alia simili circunstantia, &c.* Idem sentiunt Filliuc *tract. 19 cap. 9. num 151.* Bonacin. *tom. 1. disp 7 q. 4 punct. 2 num. 4* & lij quos citat, & Dian. *part 4. tract 2. resol. 33.* at occisus erat patruelis dicti Religiosi, & non frater.

5 Non, inquam, obstat, quia respondetur primò, quamvis ea opinio sit probabilis, probabilior est opposita, asserens non incurrere irregularitatem secutâ mortè, præmissa, protestatione, illum, qui consangninei intra quartum gradum homicidam accusat, quia talis consanguineus censetur persona propria. Ut cum pluribus tenent Leand. *tom. 5 de irregul. tract. 2 disp 7. q. 56.* & Castr. Palaus *dict. tom. 6. disp. 6 punct. 14 § 2. num. 6* ubi sic: *Quodsi roges, quando censenda est accusatio instituti in causa propria, & quando in aliena? Respondeo, censeri in causa propria institutam, si instituta sit in defensionem, & reparationem tui honoris, famæ, vel rerum temporalium, vel in reparationem parentum, filiorum, fratrum, alteriusve similis consanguinei, vel cognati. Quin imo existimo te causam propriam prosequi esse censendum, si causam tui consanguinei, vel cognati intra quartum gradum prosequaris, quia consanguinei, & cognati ita intra se conjunguntur, ut bonum, vel damnum alicujus omnium esse censeatur.* Sicuti indicat Covarr. &c. Secundo respondetur, secutâ morte homicidæ, & factâ protestatione, dictum Religiosum non incurrere irregularitatem, qui ut hæres defunctæ causam illius prosequebatur, cujus maritum dictus homicida occidit, & justa DD. citatos, illam prosequi poterat, absque irregularitatis incursione. Sic censeo.

DISPUTATIO IV.

DE RESTITUTIONE

QUÆSTIO I.

An licitus sit hic contractus: *Dare pecuniam ad rationem juris sub interesse sexti, & quarti pro quolibet pecuniæ centenario?*

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Dictus contractus non distinguitur á contractu mutui.*
3 *Ratione mutui nihil ultra sortem accipi potest; potest tamen aliquid accipi ratione damni emergentis, lucri cessantis, aut periculi sortis.*
4 *Pro mera carentia pecuniæ, vel expectandi usque ad certum tempus ultra sortem nihil potest accipi.*
5 *Ob periculum recuperandæ sortis aliquid potest accipi, & peti.*
6 *Fidejussor potest interesse accipere pro periculo, cui se exponit, fidejubendo.*
7 *Vt tamen dictus contractus sit licitus, subesse debet verè periculum sortis.*
8 *Oppositum docent graves DD.*
9 *Textus in cap. in civitate, non est contra resolutionem.*
10 *Textus in cap. Naviganti sensum alium habet diversum.*

1 IN hoc Lusitaniæ Regno viget consuetudo dandi pecuniam, v. g. centum aureos sub interesse sex, & quarti singulis annis, solvendo, dum contractus non dissolvitur; & hunc contractum vocant Lusitani: *Dare pecuniam ad rationem juris*, quia Census, qui juxta Constit. B Pij V. de Censibus, in redditibus annuis Regis, & Magnatum emuntur, appellantur communi usu *jura*, ut jam notavit Molin. *disp.* 383. *vs. in hoc Regno.* Et licèt illa cum his conveniant in nomine, & in eo, quòd sint Census, & in pretio pensionum: in re tamen non conveniunt. Nam hi census sunt merè personales, redimibiles post annum ab utraque parte; nempe à tradente pecuniam, & ab illam recipiente; intercedunt etiam inter personas, mercaturam non exercentes, & etiam nullo intercedente damno emergente, lucro cessante, aut periculo imminente: secus evenit in censibus, & redditibus annuis Regis, & Magnatum emptis, hi enim census sunt reales, & celebrantur cum clausulis in Bulla B Pij V. contentis. Quare dictus contractus, nihil aliud esse videtur, quàm quoddam mutuum: nempe dare pecuniam ad rationem juris sub interesse sex, & quarti, pro quolibet centenario post annum solvendo. Sicut enim mutuans centum aureos post annum solvendos cum interesse sex, & quarti, & mutuarius ad id implendum se obligat, omnia que sua bona ad solutionem; ita in dicto contractu, praxique istius Regni, censuista tradit centum aureos solvendos post annum, cum interesse sex, & quarti, & censuarius se obligat, omniaque sua bona post annum solvendos, & pensionem, seu interesse. Cùm ergo dictus contractus cum mutuo coincidat, & nullum inter illos detur discrimen, nisi in vocibus, quod etiam notarunt Molin. *disp.* 387. *vers. Hanc ergo, & sequent. ad Rebell.* 2 *part. l.* 10. *q.* 3. *num.* 2. & alij. Sequitur ergo per bonam consequentiam, sicut mutuum cum interesse est illicitum, & injustum ita dictum contractum esse illicitum, & injustum. Quæritur 1. An habentibus pecuniam in arca otiosam, licitum sit, illam tradere ad rationem juris sub interesse certo, pro quolibet centenario, in fine anni solvendo, ratione periculi? 2 An dictus contractus sit census personalis, & licitus? 3. An sit licitus jure positivo? 4 Sub quo interesse, intercedente periculi titulo, dari possit pecunia ad rationem juris? 5. Aliqua dubia circa eundem contractum resolvuntur.

§. I.

An habentibus pecuniam in arca otiosam, licitum sit, illam tradere ad rationem juris sub certo interesse, pro quolibet centenario, in fine anni solvendo, ratione periculi?

2 Ex dictis num 1 constat, nihil aliud esse, tradere pecuniam, ad rationem juris, sub interesse, quàm dare pecuniam mutuam sub interesse; Et sicut ratione mutui, nihil extra sortem, esse solvendum, ita etiam ratione dicti contractus dandi pecuniam ad rationem juris, præcisé sumpti, nihil, extra sortem esse solvendum. Hujus ratio est, quia usura ratione mutui jure divino est prohibita, *Luc.* 6. ibi: *Mutuum date, nihil inde sperantes*; & ex alijs scripturæ locis. Et dare pecuniam ad rationem juris, præciso alio titulo justo, est usura, jure divino prohibita. *Psalm* 14. ibi: *Quis adscendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus? Qui pecuniam suam non dedit ad usuram.* Et ex alijs locis non paucis, apud DD. citandos.

3 Constat secundò; quamvis ratione mutui nihil accipi potest, extra sortem, posse tamen aliquid accipi, ratione lucri cessantis, dam-

damni emergentis, aut periculi recuperandæ sortis, ut communiter docent TT. in materia de mutuo, & usura; & ratione eorum titulorum, aut cujusibet illius potest aliquid accipi ex eo contractu, dandi pecuniam ad rationem juris, quia hic contractus, ut dictum est; non distinguitur à contractu mutui.

4 Certum est, & observandum neminem posse ratione mutui aliquid ultra sortem exigere, pro mera carentia pecuniæ, vel ob obligationem expectandi solutionem, usque ad certum tempus: Ratio est quia Sum. Pontifices Alexander VII. & Innocentius XI. in suis Decretis has damnarunt propositiones; Innocentius in suo incipiente: *Sanctiss. Dnus noster* edito 4 Martij anni 1679. hanc: *Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non maioris faciat pecuniam præsentem, quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari.* Quæ ab hoc Pontifice inter damnatas est 41. Et Alexander, in suo secundo Decreto, quod incipit: *Sanctissimus D. N.* edito 25 Mart j anni 1666. hanc: *Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendum sortem usque ad certum tempus.* Quæ damnatis ab hoc Pontifice est 42. Quisquis sit, quod illas docuerint non pauci, quos afferunt, & citant Bonacin. *tom. 2. tract. de regul. & contract. disp. 3. q. 3. punct. 6. n. 1.* Dian. *part. 1. tract. 8. resol. 48.* & *part. 5. tract. 13. resol. 50.* & *part. 8. tract. 7. resol. 63.* & *part. 11, tract. 1, resol. 25* His præmissis.

5 Ad quæstionem propositam, respondeo, licitum esse in eo contractu aliquod interesse exigere, ob periculum recuperandæ sortis, vel illam recuperandi cum expensis, & laboribus. Ratio est, quia hoc periculum est pretio æstimabile; Quod dans pecuniam ad rationem juris non tenetur gratis subire. Ita sentiunt de mutuante pecuniam cum interesse ob periculum sortis, cui se exponit [quia est idem contractus] Azor. 3 *part. l. 5. quæst. 1.* Molin *tract. 2 disp. 604.* & ex professo. *disput. 356.* Lessius *l. 2 cap. 20. dub. 12.* Sa, Valentia, Rodrig. Navarra, Corraub. Aragon. Salon & alij, quos referunt, & sequuntur Salas. *de usur. dub. 22.* Bonac. *cit. dict. disp. 3. q. 3. punct. 5. num. 1.* Filliuc. *tract. 35 cap. 5. num. 112* Malder *tract. 6. cap. 3. dub. 14.* Dian *part. 1. tract. 8. resol. 37.* Card. de Lug *de just. tom. 2. disp. 25. numer. 81.* Castr. Palaus *tom. 7 disp. 4. punct. 17. numer. 3.* & favet D. Thom. *opusc. 73. de usur.*

6 Confirmatur hæc sententia; quia fide-jussor potest interesse accipere pro periculo, cui se exponit, fide jubendo; ut tradunt cum communi DD. sententia Molina *cit. disp. 319.* & Salas *dub. 11.* Card. de Lug *dicti disp. 25. num. 61.* & pluribus relatis Emman. Barbos. *in remiss. ad Ordin. Regiam l. 4 titul. 59. num. 1. ante finem* & alij *numer. proximo cit.* ergo etiam dans pecuniam ad rationem juris, propter periculum, expensas; & labores, quibus se exponit, potest interesse accipere. Et hoc est verum, etiam si postea nullum damnum patiatur. Nam interesse, quod exigitur, vel de quo fit pactum, & postea accipitur; non est propter damnum actuale, sed propter periculum damni, quod postea dari poterat.

7 Ut tamen dictus contractus, dandi pecuniam ad rationem juris cum interesse, propter periculum, sit licitum, debet vere subesse periculum amissionis capitalis, expensarum, seu laborum in recuperatione: nam si sub bono pignore ea detur pecunia; vel debitor, seu accipiens pecuniam sit integræ fidei, & satis experientia notus, ut v.g. est quidam Religiosorum conventus; nullum subest periculum, sed tantùm carentia pecuniæ, pro illo tempore, quo datur pecunia, Et in his terminis cùm cesset titulus periculi, & solùm detur carentia pecuniæ, interesse nec recipi, nec potest peti, Quia ea propositio est damnata, ut constat *ex dictis num. 4* Ita Bonac. *cit. num. 2.* & Card. de Lug. *num. 84. vers. Tertio arguunt.* Quare precisò periculi titulo lucri cessantis, & damni emergentis, ipse contractus est usurarius, nec aliqua potest dari consuetudo, quâ licitus reddatur; nam usuræ divino jure sunt prohibitæ, & numquam licent *cap. Super eo 4. de usur.*

8 Nec contra dictam resolutionem obstat sententia contraria, quam defendunt graves DD. asserentes, esse usurarium pro periculo recuperandæ sortis posse exigi aliquid ultra sortem. Sic Navarr. Sotus, Tolet. Conrrad, Bañes Lopes, & alij, quos referunt & sequuntur Salas. *dict. dub. 12 num. 1.* Rebellus *part. 1. l. 9 q. 12.* Ioann. de la Cruz *in Decret. conscient. part. 1. præcept. 7. q. 5. dub. 6. num. 6. conclus. 2.* referens ex Lopes, oppositum esse periculosum in fide, & alij. Non, inquam, obstat, quia respondetur, oppositam sententiam, quam adducimus *num. 5.* & 6. esse communionem, & in tribunalibus, & praxi admissam, ut *infra nu. 38.* videbimus; illum que Authorem excessisse in censura illius opinionis, quam adeo graves DD. sequuti fuerunt.

9 Nec obstat secundò, *cap. in civitate, 6. de usur.* in quo, dixit Navarr. contrariam contineri sententiam. Non, inquam, obstat, quia facile respondetur, textum illum non esse ad rem, ut legenti patebit: solùm enim in eo dicitur, ratione solutionis pretij dilatæ, non licere pluris vendere merces, quam modo valeant, nisi dubium sit, illo tempore solutionis plus, minusve valituras. Vnde potius videtur favere nostræ resolutioni: si enim licitum est, exigere aliquid supra pretium præsens, quando dubitatur, an tempore solutionis valituræ plus essent merces, propter periculum illud, cui vendens se exponit, a fortiori licebit, pretium augere pecuniæ datæ ad rationem juris, quando maiori periculo se exponit, non ratione pecuniæ, sed periculi.

10 Nec

10 Nec obstat tertio *cap. Naviganti* 19. *de usur.* ibi: *Naviganti, vel eunti ad nundinas, certam mutuans pecuniæ quantitatem pro eo, quòd susceperit in se periculum, recepturus aliquid ultra sortem, usurarius censendus est.* In quo textu definitur, esse usurarium, qui recipit aliquid ultra sortem, ex eo, quòd susciperit in se periculum mutui. Non: inquam, obstat textus: nam in eo textu casus reprobatus est; quia mutuans in ipso mutuo simul addit aliud pactum; nempe quòd pro periculo rei mutuatæ in se suscepto, aliquid ei detur ultra sortem; quod est usurarium: quia non debet ex mutuo obligari mutuatarius, ad alium celebrandum contractum; sicut non potest obligari ad vendendum, aut emendum: ergo nec ad contractum assecurationis. Alias interpretationes addunt DD. quæ videri possunt apud Card. de Lug. *cit. num.* 78. & Fragos. *tom. 1. 6. disp.* 17. §. 2. *vers. Nec obstat.*

§. II.

An dictus contractus: *Dare pecuniam ad rationem census, seu juris* (ut dicitur) sit census personalis, & licitus cum interesse?

SUMMARIUM.

11 *Est vere mutuum, & non census.*
12 *Census dupliciter accipi potest.*
13 *Si pro mero censu accipiatur, ut in praxi accipitur, est illi citus cum interesse, & usurarius.*
14 *Non potest vendi jus ad interesse, quin vendatur ipsum interesse.*
15 *Ad vitandum periculum peccati, Pontifices censum personalem prohibuerunt.*
16 *Pactum redimibilitatis in censu reali aliqui licitum existimant; at id est satis dubium.*
17 *Non est idem obligare se, & omnia sua bona ad solvendam sortem, & pensionem, ac creare censum super se, at omnia sua bona.*
18 *Census mistus coalescens ex persona, & omnibus illius bonis, quæ interesse conventum reddere possunt, est licitus jure naturæ.*
19 *Placitum Pinheyro non admittitur.*
20 *Si census personalis constituatur in fructibus, quos ipsa persona sua arte, officio, & industriâ acquirere potest, licitus à Tambur. existimatur.*

11 Respondeo, dictum contractum: *Dare pecuniam ad rationem Census, cum interesse solvendo in fine anni, nihil aliud esse*, quam dare mutuum cum interesse solvendo in fine anni, ut jam dixi *supra num* 1. & 2. Et ostenditur ex ipsa definitione mutui, sic habente: *Est contractus, quo rei alicujus numero, pondere, vel mensura constantis, dominium a mutuante in mutuatarium transfertur cum obligatione restituendi eamdem, vel similem in specie, & bonitate.* Hoc idem datur in contractu: *Dare pecuniam, cum obligatione restituendi eamdem, vel similem in specie, bonitate*; Et si hic contractus, *Dandi pecuniam* fit cum interesse ad rationem census; & mutuum detur, cum interesse post annum solvendo cum sorte, Idem datur in utroque, cum sola mutatione, in nomine, & voce, ut dixi *locis cit.*

12 Vt hæc tamen nominis, & vocis æquivocatio magis appareat. Supponendum est; censum personalem, vel esse merè personalem, vel mistè personalem. Tunc est merè personalis, quando pecunia traditur censuario à censuista, v.g mille aurei, ut censuarius in fine anni restituat Censuistæ illos mille aureos cum interesse v.g. sex, & quarti pro quolibet centenario, præciso alio titulo lucri cessantis, damni emergentis, aut periculi sortis. Census verò mistus tunc datur, quando ipse census non solùm imponitur super ipsam personam [ut evenit in censu merè personali) sed etiam immediatè super omnia bona sua; quæ bona illud interesse conventum, in fine anni reddere possunt.

13 Si loquamur de censu merè personali, super personam impositio cum interesse in fine anni solvendo, qui est idem, ac mutuum datum cum interesse post annum solvendum; dicendum est talem contractum esse illicitum, ut communiter docent DD. Navarr. Alvar. Valasc. Rebell. & innumeri, quos congerit Salas. *de Cens. dub. 3. numer. 1. in principio, & fine.* Hanc sententiam etiam cum pluribus tenent Molin. *tract. 3. disp* 387. *Vers. Hanc ergo.* Cardin. de Lug *tom. 2. de just. disp* 27 *sect. 2 § 1. numer.* 25. Probatur primò, quia in censu personali nihil aliud venditur, nisi interesse, seu pensiones post annum solvendæ; sed hoc est usurarium: nam dare centum, ut post annum reddantur centum, interesse, seu pensiones, est usurarium: ergo

14 Neque obstat dicere, non vendi interesse, nec pensiones, sed jus ad illas solvendas. Non obstat, quia non potest vendi jus ad ipsum interesse, seu pensiones, quin vendatur ipsum interesse, seu pensiones; nam qui vendit triticum, postea solvendum pretio currenti, non solum venditius, ut postea triticum solvatur, sed etiam ipsum triticum; aut è contra si solùm venditur jus ad illud, & non ipsum triticum, ita etiam non venduntur pensiones, & interesse: sed hoc est falsum in tritico, nam illud est, quod venditur: ergo etiam pensiones vendundur, quod est usurarium.

15 Secundò probatur, quia periculum peccati est vitandum, nam qui amat periculum, peribit in illo: sed S.S. Pontifices Martinus V. Calixtus III. Gregorius XIII. & B. Pijs V. ad vitanda magna usuræ, & injustitiæ pericula, inter alias conditiones, censum personalem prohibuerunt, ut videre est apud Cardin. de Lug. *disp* 27. *de just. numer.* 60 ergo

senten-

sententia illum admittens censum, saltem in praxi obiectum periculum, non est admittenda

16 Tertiò probatur, quia sicut in mutuo, fors potest repeti post annum, pro quo ipsum mutuum fuit datum, ita etiam in dicto contractu, (qui dicitur; *Dare pecuniam ad rationem census*] potest repeti post annum ab emptore, seu censuista, invito venditore, seu censuario, dummodo à censuista id ante bimestre sit denuntiatum Et licèt aliqui apud Tamburin. *tom.2.l.9 tract.2. de Cens. cap.* 4. §. 2. *num.* 3. existiment jure naturæ, pactum redimibilitatis in censu reali esse licitum; certum tamen est, esse satis dubium: nam eo constituto, non videtur fuisse emptus census, sed datum mutuum, de cujus ratione est, quòd post tempus designatum, à mutuante, possit repeti. Ut inquit Castr. Palaus *tom.* 7. *de just.disp.6.punct.*18. *num.* 26. In censu verò purè personali, ut in praxi initur, id est manifestum, ut sæpius dictum est.

17 Nec obstat, quòd venditor census ad illam pecuniam, seu sortem, & interesse, seu pensionem tot vendam, se obligat; & obligat etiam omnia sua bona præsentia, & futura; & tunc ea bona manent hypothecata ad securitatem solutionis: sed quando censuarius, seu venditor census, se obligat cum hypotheca generali omnium suorum bonorum, census jure naturæ creatur licitus, ut ex Castr. Palao & alijs mox dicemus num 18. & quidem probabiliter: ergo non est idem contractus, *Dare pecuniam ad rationem census cum interesse*, ac contractus mutui cum eodem interesse. Non, inquam, obstat, quia respondetur, negando consequentiam, non enim maior, & minor interse conectuntur; quia non est idem obligare se, & omnia sua bona ad solvendam sortem, & pensionem; ac creare census super se cum hypotheca suorum bonorum, seu super omnia bona sua: nam illa hypotheca bonorũ, sola apponitur ad securitatem solutionis, & non ut ab illis pensio solvatur [ut bene Molin. *disp* 383 *vers. Dixi quando*] comodo, quo solet apponi ad securitatem dati mutui; in quo contractu, si ex rebus datis ad securitatem, pensio, seu interesse accipiatur, ipse contractus est illicitus, & usurarius; ut expressè constat *ex cap* 1. & 2. *de usuris*; est enim illa hypotheca addita omnium bonorum, veluti pignus; quod in contractu mutui non prohibetur, ut ex *citat. cap.* expressé satis colligitur: pignus autem, & hypotheca pro eodem aliquando usurpantur, ut dicitur *in l. Res* §. *ult. ff. de pignor.* ibi: *Inter pignus, & hypothecam tantum nominis sonus differt.* Vtrumque autem convenit in hoc: *Quod si res subjecta, seu obligata pro debito, ut nisi impleatur, inde satisfiat.* Ex consueto ergo modo contrahendi, sic se habent contrahentes in hoc contractu; Quòd mutuans, & mutuatarius, quando vel traditur pignus, vel bonorum hypotheca, mutuatarius non solvens tempore designato, mutuans ex ijs satisfit; & sic etiam in adducto contractu de censu merè personali, qui revera cum mutuo coincidit. At secus contrahitur in censu personali mixto, & probabili, in quo venditor census, se & sua bona exponit, ut ex se, & suis bonis sors, & pensio solvatur, pensio, seu interesse, singulis annis; sors verò tempore, ab ipso venditore determinando; Et hic census ex jure naturali, servatâ pretij æqualitate, est validus.

18 Et ut clarius procedamus, loquamur de hoc censu personali mixto coalescente ex persona, & illius bonis, & mox regrediemur ad censum merè personalem; an aliquo modo possit esse licitus, jure naturali? Et esse licitum jure naturali censum personalem mixtum tenent aliqui DD, ex citandis, & Castro Palaus *dict tom.7. de just.disp.6 punct.*23 § 2.*num.* 3. pluribus relatis, & *num.*4. inquit hunc censum, dici personalem, & non realem; quia in eo persona principaliter obligatur. Quidquid tamen sit de hac q. de nomine; certum enim est, in hoc censu, pereuntibus bonis, ex quibus hic contractus coalescit, perire ipsum censum, ut inquit *dict.num.*3. Et si pro pensione non soluta incarceratur aliquando censuarius, etiam pro non soluto mutuo incarceratur aliquando. Ego probo, hunc contractum esse licitum ex Bulla Nicolai V. de Censibus pro Regno Ciciliæ ultra, & citra Pharum; in qua habetur posse personas, earum bona obligare. ibi: *Cum potestate vendentes personas, eorumque proprietates, redditus; jura, & omnia singula bona obligandi, & obligari faciendi.* Ex quibus verbis aperté constat, censum ita constitutum esse mistum. Hanc Bullam approbavit Gregorius XIII. cum aliquibus conditionibus, ut tollerentur aliqui abusus contra Bullam *cit.* Nicolai V. forte introducti, De his tamen dicendum §. *sequenti.*

19 Fateor tamen ex cit. verbis dictæ Bullæ, contractum, in hoc Regno usitatum, probare Francisc. Pinheiro *tom.de cens. & emphyt.* 1 *part.de cens.num.*129. citantem senatum Lusitanum, & Gabriel Pereyra, asserentes in dicto contractu *Dandi ad pecuniam rationem census cum interesse*; non reperiri usuram: At meo judicio, si dictus contractus ad praxim deducatur, ut supra dictum est *num.*1. & 2. & alijs, ut sane deducitur ab aliquibus, nec est licitus, nec admittendus, ut etiam videbimus; num. 25. nec ex cit. verbis probari potest, ut inquit P. Pinheyro.

20 Hunc tamen contractum merè personalem jure naturæ admittit Tambur. *dict. l.*9. *tract.*2.*cap.* 2.§.1.*a num.* 1. Si census constituatur in fructibus, quos homo arte suâ, officio, industriâ, &c. facere potest; dummodo ex parte emptoris, & venditoris cesset omnis fraus, & dolus: nam emptor debet cognoscere,

tales

tales esse eas operas, ut ex illis eam pensionem accipere possit; alias nihil emeret; & venditor, ne fraudet emptorem, id ipsum debet cognoscere, & manifestare; *num. tamen* 4. asserit, hos contractus mere personales propter fraudem, & usuræ timorem, jure Pontificio esse prohibitos.

§. III.

An dictus contractus: *Dare pecuniam ad rationem census, seu juris, sub intereſſe*, sit licitus jure positivo.

SUMMARIUM.

21 *Hic contractus, ut in Regni praxi habetur, est illicitus.*
22 *A SS. Pontificibus non approbatur Census personalis.*
23 *Referuntur Pontifices, qui solos Census reales licitos declararunt.*
24 *Nicolaus V. cum aliquibus conditionibus pro utraque Cicilias census concesit mistos.*
25 *Bullam Nicolai V. Gregorius XIII. approbavit, at propter abusum, census solos reales admittit.*
26 *Ad licitos census B. Pius V. in sua Bulla, plures requirit conditiones.*
27 *Ubi hac B. Pij Bulla sit in usu.*
28 *Quid statuit Clemens VIII. pro statu Ecclesiastico circa, census.*
29 *Dictus contractus jure positivo est illicitus.*
30 *Est etiam illicitus, quia ex utraque parte post annum est redimibilis.*
31 *Nec dicto contractui favet doctrina aliquorum DD.*
32 *Ex alia ratione non est licitus.*
33 *Illatio ex dictis.*
34 *Census celebrari possunt juxta consuetudinem & legem locorum; si juri divino, & naturali non repugnant.*
35 *Census personalis à Tambur. adductus juri naturali non repugnat, at repugnat adductus.*
36 *Potest aliquis ex sua voluntate se obligare ad solvendam quotannis aliquam pensionem; non tamen ex dara pecunia ad rationem census.*
37 *Quando timorati mercatores hunc celebrent contractum.*
38 *Quo sensu sit validus dictus contractus.*
39 *Habens pecunias paratas ad emendum prædium, potest juxta fructus habendos ex prædio, emere censum.*
40 *Hic contractus in Lusitania non erat tempore Molin. & aliorum DD. Lusitanorum.*

21 Dixi *supra* dictum contractum ab aliquibus in hoc Regno ad praxim deduci naturæ sustineri non potest; Quia est usurarius, & cum mutuo coincidens; & sicut mutuum sidetur sub intereſſe, non intercedentibus titulis periculi sortis, ut dixi *supra à num.* 5. & lucri cessantis, & damni emergentis, est usurarium, ut communiter docent DD. ita etiam in eo contractu, in quo datur pecunia cum intereſſe ad rationem census, non intercedentibus dictis titulis, jure naturæ est usurarius. Nunc videndum, jure positivo etiam esse usurarium, & ut tale prohibitum. Vt hoc demonstretur.

22 Suppono, plures esse Ss. Pontificum Bullas, de censibus agentes: In nulla tamen approbatur census merè personalis. Unde clare colligitur, esse illicitum, aut saltem nimis periculosum. Et quamvis mixtus, nempe personalis simul, & realis ab aliquo Pontifice pro determinato loco fuisset approbatus, mox ab alio Pontifice fuit revocatus, non ut jure naturæ contrarius, sed ob avaritiam, emptorum, qui in praxi illum injustum celebrabant.

23 Primus Pontifex, qui de censibus egit, fuit Martinus V. *in Extravag. 1. de empr. & vendit.* & non multo post Calistus III. *in Extrav. 2. eod. tit.* declarantes, solos census reales esse licitos. Videantur Molen. *tom. 2. disp.* 389. Navarr. *tom. 1. Coment. de usur. num.* 72.

24 Tertius fuit Nicolaus V. anno 1452. pro utraque Sicilia, ultra, & citra Pharum, in Bulla incipiente: *Solicitudo Pastoralis*, quæ habetur in Bullario. Et conditiones ibi ad census requisitas, ad quatuor reducunt Lupus, & Summ. Corona, quos citat, & sequitur Tamburin. *tom. 2. l. 9. de contract. tract. 2. de censib. cap.* 6. §. 1. *à num.* 3. Prima est, quod census constitui possint, aut specialiter super re certa, aut generaliter super omnibus bonis, addita etiam obligatione omnium bonorum mobilium, & immobilium, & etiam personæ, quæ vendit.

25 Hanc Bullam pro ijsdem Regnis approbavit Gregorius XIII. anno 1574. post editam Bullam B. Pij V. de Censib. cum his conditionibus. Prima ut tollantur abusus cõtra Bullam Nicolai forte introducti. Secunda, ut possit census redimi. Tertia ut in creatione census fiat mentio unius, aut plurium rerum certarum, & nominatarum. Addi tamen possit generalis obligatio omnium bonorum. De persona tamen mentionem non fuit. Hæc Bulla explicatur à Tambur. *proximè dict. cap.* 6. §. 2. *& seqq.* Unde sequitur, non ita efficaciter probari hos census personales, esse licitos juræ naturæ an Bulla Nicolai à Pinheiro *cit. de cens. disp.* 1. *n.* 130. Nam Nicolaus non inquit, census mere personales esse licitos, sed mixtos, coalescentes ex realibus simul, & personalibus, qui census jure naturæ sunt liciti. Quia tamen ex his oriebatur abusus, Gregorius solos reales census, ut licitos, & extra periculum usuræ, admisit, & in totum illam Bullam non confirmavit, ut non bene inquit Pinheirus, illam cõfirmasse.

26 Ante hanc approbationem Gregorij, B. Pius

B. Pius V. anno 1569 edidit suam Constit. quæ incipit: *Cum onus Apostolicæ*, quæ habetur inter alias hujus Pontificis in Bullario. In qua ad licitam census creationem requirit fere decem, & septem conditiones, ut inquit Tamburin. *cit.* cùm tamen ex jure naturæ tot non requirantur. Ubi tamen hæc Bulla recepta non est, non obligat, nisi tantùm quoad conditiones jure naturæ requisitas.

27 Cæterum obligare ubique, existimant plures, apud Molin. *disput.* 395. & Salas. tractat. *de Cens. dubit.* 13. & 7. quos sequitur Comitol. *l.* 3. *quæst.* 27. & ita observatur in Sac. Rota Roman. in qua judices exceptionem de non recepta pecunia, non admittunt. At non esse receptam in Gallia, Germania, & Bellogio fatentur Less. *l.* 2. *de just. capit.* 22. *dub.* 99. Tamburin *cit. capitul.* 5 *numer.* 3. Nec in Regno Castellæ Mollin. *disput.* 394 *numer.* 1. & Rebell. *de just. part.* 2. *l.* 10 *quæst. ult. numer.* 1. Nec in Sicilia, ubi est in usu Bulla Nicolai V. cum limitatione facta à Gregorio XIII. supponunt tamen in Lusitania esse receptam Rebell. *proximè* Pinheyr. *de cens. & emphyteut. part.* 1. *disput.* 2. *numer.* 80. dum inquit, se credere non esse receptam in Lusitania illam conditionem, quòd numeratio pecuniæ fiat coram notario, & testibus. Alij tamen illam conditionem requirunt pro foro externo. Videantur Bonac. *disput.* 3. *de contract. quæst.* 4. *numer.* 43. Card. de Lug. *disp.* 17. *num.* 62.

28 Denique Clemens VIII. anno 1592. Constitut. edidit, incipientem: *Quæ ad sublevationem*, in qua præcipit, ne in statu Ecclesiastico in posterum creentur census nisi ad summum ad rationem septem pro centenario. Hæc pro Lusitania non est necessaria, in qua nulli creantur census, qui excedant sex, & quartum pro quolibet centenario. Hoc supposito.

29 Ad quæstionem in titulo propositam respondeo, dictum contractum & illius praxim esse illicitam jure positivo Bullæ B. Pij V. Ostenditur primò, quia in prima clausula excluduntur census personales, & solùm approbantur reales per hæc verba: *Hac nostra Constitutione statuimus, censum, seu annuum redditum creari, constitui ve nullo modo posse, nisi in re immobili, aut quæ pro immobili habeatur, de sui natura fructifera, & quæ nominatim certis finibus designata sit.* Sed dictus contractus, seu illius praxis non creatur in aliqua re immobili, fructifera, aut certis finibus designata, sed tantùm in persona: ergo est illicitus.

30 Secundò ostenditur, eum contractum: *Dare pecuniam ad rationem census sub interesse*, ex eodem jure esse illicitum, quia ex nona, & decima clausula constat, censum esse redimibilem, ex parte censuarij, dummodo censuistam admoneat ante duos menses de redemptione facienda, ijs elapsis, & esse irredemibilem ex parte censuistæ, seu emptoris. At in prædicto contractu, seu illius praxi, census tam ex parte censuistæ, seu emptoris, quàm ex parte censuarij, seu venditoris, post annum est redimibilis ab utroque; dummodo alter alterum ante duos menses de redemptione facienda admoneat.

31 Nec praxi dicti contractus favet sententia asserens, posse dari censum redimibilem ex parte censuistæ, seu emptoris, si pretium census augeatur, quam sequuntur Conrad. Medin. Sot. Solaf. Molin. Aragon. & alij, quos afferunt Card. de Lug. *d. disp.* 17. *numer.* 111. & Tamburin. *cit. cap.* 4. §. 2. *num.* 3. Non, inquam, favet dicti contractus praxi, nam pretio census non aucto, censuarius, seu venditor obligatur ad redimendum censum ad voluntatem censuistæ, seu emptoris elapso primo anno: nam pro eodem pretio, quo in redditibus Regis, & Magnatum annuis emuntur, & vendentur census cum irredimibilitate, ex parte censuistæ, seu emptoris, venduntur hi census dictæ praxis, utcunque eodem pretio, sine ea irredimibilitate. Additur, quòd etiam data ea sententia, plures docent, eum contractum esse contra jus naturale. Sic Molinus, Anton. Gomes, & alij quos refert Salas. *supra dub.* 12. *num* 2. dicentes in multis prætorijs fuisse pronuntiatum, quòd talis conditio ex parte censuistæ, seu emptoris, pro non apposita haberetur. Idem cum Soto sentit Rebell. 2 *part. l.* 10. *q.* 7. *nu.* 3.

32 Tertiò ostenditur, dictum contractū, *Dandi pecuniam ad rationem census sub interesse, in fine anni solvendo*, non solùm esse contra jus naturale, & positivum, & illicitum, sed usurarium; quia nihil est aliud, nisi mutuum ad annum cum interesse, ut jam supra notavimus cum Molin. *disp.* 387. *vers. Hanc ergo, & sequenti*, Rebell. *proximè*, & alijs. Confirmatur, quia in contractu emptionis, & venditionis cum pacto de retrovendendi, conditio apposita cum obligatione redimendi ad voluntatem emptoris censetur iniqua, ut omnes docent; ergo etiam apposita in dicto contractu est iniqua. Secundò confirmatur, quia dictus contractus eo modo, quo in praxi habetur, à rerū natura excludit nomen mutui dati sub usuris. Nam potest dari pecunia ad rationem census, seu juris, (ut dicitur) sub interesse sex & quarti pro quolibet pecuniæ centenario, in fine anni solvendo, qui contractus in re est mutuum, palliatū, cū nomine, *Ad rationem cēsus seu juris*, cum census non sit, sed mutuū sub interesse, quòd in reali censu ex jure positivo recipitur.

3 Ex dictis infero, dictam praxim esse injustam, & dictum contractum usurarium, non solùm jure naturali, ut vidimus, sed jure positivo Bullæ B. Pij V. Ratio est, quia dicta Bulla in hoc Regno est recepta ut vidimus *numer.* 27. aliquæ tamen illius clausulæ omnino necessariæ, in hoc contractu non

observantur: Non observatur 1. quod hic census creetur in re immobili, vel quæ pro immobili habeatur. 2. non observatur, quod census sit irredimibilis ex parte censuistæ, seu dantis pecuniam ad rationem census, seu juris. 3. In censu empto in redditibus Regis, & Magnatum juxta Bullam Pij V. emptori non traditur pignus, nec hypotheca ad securitatem datæ pecuniæ pro censu; in hoc tamen contractu merè personali pignus, aut hypotheca omnium bonorum, aut fidejussor traditur ad securitatem datæ pecuniæ ad rationem census; & tamen pretium, quo hi census personales emuntur est idem in æqualitate, cum illo, quo emuntur reales. 4. In hoc censu personali interesse, seu pensio deficere nequit, quia datur pignus, hypotheca bonorum, aut fidejussor, ex quibus habebitur satisfactio, in redditibus autem Regijs, aut Magnatum interesse, seu pensio annua non semel deficit, quin aliunde satisfactio haberi possit; & tamen pretium, quo fuit emptus uterque census, est æquale. Hæc manifestant injustitiam hujus contractus.

34 Nec obstat dicere, quòd ubi Bulla B. Pij V. non est recepta, vel quoad aliqua per usum contrarium est abrogata, sufficit, quod contractus census celebretur juxta legem, & consuetudinem locorum, modo ea consuetudo juri naturali, & divino non repugnet, ut cum Lessio, Molina, & alijs sentiunt Bonacina *tom. 2. disp. 3. de contract. q. 4. punct. unic. num. 4.* Cardin. de Lug. *disp. 17. num. 61. in fine*, & omnes communiter: sed census personalis ut est in praxi in hoc Regno, juri naturali, & divino non repugnat, nam ut licitum, illum defendunt Phœbus *2. part. Arestо 70. & decis. 205. n. num. 1.* Gabriel Pereyra de Castr. *in decis. senat. decis. 84. num. 3.* Eman. Mendes de Castr. *in praxi l. 3. cap. 22.* Pinheyr. *de Censu, & emphyteus. 1. part disp. 1. numer. 129* qui fatentur, non committi usuram, quando datur pecunia sub interesse, ad rationem census, quod nihil aliud est, quàm census personalis, [ut inquit P. Pinheyr. cit.] & sic sæpius in senatu fuisse decisum: ergo non obstante Bulla B. Pij V. in illo ad praxim potest deduci juxta consuetudinem in illo introductam. Non, inquam, obstat, quia respondetur concedendo maiorem, & negando minorem, nec DD. talem contractum admittunt, cum interesse absolutè, sed supponentes, dari periculum sortis, ut diximus *supra n. num 5.* aut ratione lucri cessantis, aut damni emergentis, quando dantur. Consuetudo ergo, quæ in hoc Regno observatur, est quod non detur pecunia ad rationem census cum maiori interesse tex, & quarti pro quolibet centenario, & si plus accipiatur, licet lucrum, quod cessavit danti pecuniam, sit multo maius in tenatu, talis contractus usurarius judicatur.

35 Et quamvis census personalis eo modo, quo traditur à Tambur. ut vidimus *n. 20.* jure naturæ licitus videatur; & etiam ille, qui creatur in persona, & simul super sua bona, qui dicitur mixtus; contractus autem qui in hoc Regno est in usu, nec illi, nec huic assimilatur: nam dicere; ex eo, quòd pro solutione sortis, sub hypotheca dentur omnia bona ab accipiente eam pecuniam sub ratione census, quod dictus census censeatur creatus super ea bona, & personam; absque fundamento videtur dictum, nam hypotheca, & obligatio bonorum in pluribus contractibus exigitur ad securitatem, ut in mutuo, venditione ad terminum, & etiam in ipso censu reali, ut cum Lessio, Molin. Reginaldo, & alijs tuetur ipse Pinheyr. *cit. dict. disp. 1 num. 145.* Et sicut ex data hypotheca pro securitate mutui, dici nequit, quod mutuum constituatur super bonis illius hypothecæ, quia jam non diceretur mutuum; sic etiam data ad securitatem dicti contractus census personalis, dici nequit, quòd census etiam super illius hypothecæ bonis cõstituatur, ut jam dixi *supra n. 17* post medium; cum ergo dictus contractus juri naturali, & divino repugnet, consuetudine iniquâ introduci non potest.

36 Non obstat secundò: Potest aliquis voluntate suâ constituere se debitorem alicujus, & illi se ex justitia obligare ad solvendam pẽsionem annuam, ut factum est. *l. 2. Esdræ cap. 10.* ubi fideles se obligarunt ad certum annuum redditum pro fabrica, & necessitatibus templi. Potest etiam Princeps annuam pensionem subditis pro bello, & necessitatibus Regni imponere. Deinde potest jus ad has pensiones alteri vendere, & hic alter ex pecunia Principi tradita, illas pensiones sibi acquirere potest: ergo etiam poterit quis pecuniâ se debitorem constituere ad solvendam pecuniam annuam. Non, inquam, obstat, quia respõdetur concedendo antecedens, quoad omnes suas partes, & negando consequentiam: diversa ratio est, quia in casibus antecedentis, eæ pensiones suscipiuntur ex promissionibus, vel ex obligatione legis, in quibus susceptionibus nullum apparet inconveniens, nec injustitia: at quando ex data pecunia quis obligatur ad reddendam sortem cum interesse annuali, seu pensione annua, ut fit in censu merè personali, apparet injustitia, & usura ex mutuo, quæ jure divino, & humano est prohibita, ut patet ex dictis.

37 Dixi *supra non semel dictũ contractũ ab aliquibus colebrari*; Timorati enim nõ ita illiũ celebrant. Quidam enim mercator sic dictũ imbat contractum. *Eo tantum pecuniam huic Monasterio sub interesse quarti cum dimidio pro centenario in quolibet anno solvendo; ad rationem juris, & post primum annum ab utraque parte redimi poterit, ante duos menses admonente. Et hoc interesse accipio ex lucro mihi cessante ex illa pecunia, quam ad mercaturam designatam habebam, qua obnecessitatem,*

cessitem, & gratiam talis. Monasterij me privo. Quia tamen in eo Monasterio, fors, & interesse securitatem habent non solitum interesse mihi solvetur.

38 Ex hoc colligitur primo, posse emi censum personalem ad rationem quinque, aut sex, & quarti pro quolibet centenario, quando illud lucrum æstimatur justum ratione lucri cessantis, vel damni emergentis, aut periculi subeundi circa sortem, & pensiones. Ratio est, qui ex his titulis, seu capitibus potest aliquod justum lucrum supra sortem in mutuo exigi, ut communiter docent DD. in materia de Mutuo, & nos *supra num. 5.*

39 Secundò colligitur; si quis haberet pecunias paratas ad emendum prædium, cujus fructus deductis expensis essent centum aurei, posse ijsdem pecunijs emere censum personalem, cujus pensio annua sit centum aureorum. Ratio est, quia hoc interesse accipitur ratione lucri cessantis, quod cessat ob gratiam venditoris. Sic cum communi Card. de Lug. *de just. disp. 27. num. 24.* Fragos. *tom. 1. de Regim. Reig Christ. disp 17. num. 51. vers. Decimo tertio.* Et in hoc casu potest accipi pignus, seu hypotheca ad securitatem, quia non ratione periculi circa sortem accipitur interesse annuum, sed tantùm ratione lucri cessantis, quod verè cessat, per non emptionem prædij. Si quis alios modos acquirendi lucrum ex pecunia absque labe usuræ scire desiderat consulat Tambur. *l. 9. de contract. tractat. 1. de mutuo, & usura capitul.* 11. Videri etiam potest Fragos. *cit. dict. disp. 17. a num. 51.*

40 De praxi hujus contractus nullam mentionem fecerunt Molin. Rebell. Fagundes, & Fragos. diligentissimi in adducendis, & tractandis contractibus, qui usu, & praxi incuntur in hoc Regno. Unde colligo tempore illorum, talem non dari contractum Fragos. *tom. 1. citat. disp. 17. numer. 49. vers. Accedit*, inquit suo tempore receptissimum esse contractum societatis, simul cum contractibus assecurationis capitalis, seu sortis, & assecurationis certi interesse lucri proportionati initi. Molin. apud eumdem Fragos. ait, jàm suo tempore hunc eundem contractum esse frequentissimum. Solus ex TT. Pinheyro *locis citat.* de hoc agit contractu, & cùm dicat esse merè personalem, vel ad summum esse mistum ex hypotheca ad securitatem, & ex parte utriusque contrahentis esse redimibilem post primum annum, & cùm ex dictis constet eo modo quo contrahitur coincidere cum mutuo, & esse contra jus naturale, talem contractum non admitto cum eo interesse, si non intercedant tituli lucri cessantis, damni emergentis, & periculi recuperandæ sortis, ut sæpe dixi; nam lex & consuetudo aliter, illum licitum reddere nequeunt.

§. IV.

Sub quo interesse dari possit pecunia ad rationem census, seu juris modo explicato in foro externo, & interno?

SUMMARIUM.

41 *Quid statuerit iuxta hoc interesse Rex Castellæ, dum hoc Regnum gubernaret.*
42 *Post hanc legem, aliud consuetudine introductum fuit.*
43 *Ad hanc consuetudinem ultimo redactum fuit pretium.*
44 *Qui ex periculo pecuniæ datæ ad rationem juris plus accipit peccat mortaliter.*
45 *Explicatur sensus quæstionis.*
46 *Proponitur casus ad explicationem.*
47 *In foro conscientiæ tenetur mercator tabernarius stare contractui.*
48 *Dos dum non solvitur, possunt accipi decem pro quolibet centenario.*
49 *Quando mercator lucratur triginta quodlibet centenario, potest dans pecuniam accipere quindecim septem aut octo.*
50 *Habens pecunias ad emendum fundum, cujus fructus habent valorem centum aureorum, ex censu empto ipsa pecuniâ potest idem id accipere lucrum.*
51 *In foro conscientiæ ea observantur, quæ in foro externo, si non adsit falsa prosumptio.*

41 Dum Philippus II. hujus Portugalliæ Regni regimen obtineret, statuit, nullum ex pecunia data ad rationem census, potuisse plus accipere, quam quinque pro quolibet pecuniæ centenario. De hac lege mentionem facit Phæbus *2. part. Arest 70.*

42 Post legem hanc latam, consuetudine introductum fuit, quòd dans pecuniam ad rationem juris, accipere possit sex, & quartum pro centenario; & sic fuisse sæpius in senatu decisum, testantur Phæbus *cit. & decis. 205. à num. 1.* Gabriel Pereyr. *de decis. senat. decis. 84. num. 3.* Emman. Mendes de Castr. *in praxi l. 3. cap. 22.* Pinheyr. *de cens. & emphyt. 1. part. disp. 1. numer. 129.* Hæc consuetudo per plures viguit annos, & tempore horum DD. vigebat. ut ex illis constat.

43 Post hanc consuetudinem, alia viguit in supra dicto Regis Decreto fundatâ; ne acciperentur, nisi tantùm quinque pro aliquo centenario, ut à viris doctis accepi. At, ut video, hodie ad consuetudinem redactus est dictus contractus antiquus; quòd possit emptor, seu censuista accipere pro quodlibet centenario sex, & quartum. Et hæc est praxis tribunalium, & illâ standum, aut aliâ consuetudine, si legitimè introducta sit; ut communiter docent DD. quos latè citant; & sequitur Molinæus *de usur. q. 5. n. 117. & q. 35. n. 267.*

Rebuff. *ad constitut. Gallic. tractat.* 2. *de constit. reddit. articul.* 1 Felician. *l.* 3. *de censib. capitul.* 1. *numer.* 17. Guido Papa *consul.* 180. Covarr. *l.* 3. *variar. capitul.* 10. *numer.* 1. Navarr. *coment. de usur. num.* 104. Salas. *tract. de cens. dub.* 22. *num.* 2.

44 Ex hac consuetudine hodie introducta, sequitur peccare mortaliter contra justitiam illum, qui ex periculo sortis pecuniæ datæ ad rationem juris plus accipit, quàm sex, & quartum pro centenario, quamvis non sit usurarius. Sic defendunt Covarruv. *l.* 3. *variar. resolut. capitul.* 10. *numer.* 1 quem sequitur Layman. *l.* 3. *summ. tractat.* 4. *capitul.* 18. *in fine.* Prima pars probatur ex regula illa generali, sic habente: *Quando datur aliqua Principis taxa, vel legitima consuetudo introducta in aliqua venditione, illa debet observari sub pœna restitutionis*; Sed hæc taxa datur authoritate Principis, vel consuetudine introducta legitimè: ergo sub pœna restitutionis est observanda. Ita tradunt de pretio excedente taxam Molin. *tom.* 2. *de just. disp.* 364. *vers. Pretium*, cum Medina, Castr. Navarr. & alijs, & Tambur. *tom.* 2. *l.* 8. *tract.* 3. *cap.* 7. §. 4 *num.* 18 cum communi. Secunda pars ostenditur, quia ut supra dixi *á numer.* 5. non datur usura, quando aliquid accipitur ob periculum recuperandæ sortis. ergo si in aliquo eventu hoc periculum æstimetur maioris pretij, & æstimationis, non dabitur usura.

45 Hæc quoad taxam, & consuetudinem introductam, censeo vera in censibus realibus; nam in dicto contractu dandi pecuniam ad rationem juris, seu census cum intereſſe sex, & quarti, & pacto redimendi dictum contractum ad voluntatem censuistæ, & censuarij post unum annum elapsum, cum sit census personalis, & illicitus, & re vera mutuum, ut dictum est; ut sit licitus, nobis recurrendum est ad titulos periculi sortis recuperandæ, lucri cessantis, & damni emergentis, ut sæpius diximus, & ratione horum titulorum, poterit intereſſe esse minor, aut maior, quia in uno mutuatario poterit esse maius periculum recuperandæ sortis, quàm in alio, & in uno mutuante suam pecuniam, cessare maius lucrum, quàm in alio; & similiter in damno emergente, nam potest unus pecunias paratas habens ad emendum prædium, cujus fructus deductis expensis constarent centum aureis, illas dare potest mutuas, pro intereſſe, & pensione centum aureorum, quæ illi cessant ex eo mutuo, ut cum Card. de Lug. & Fragos. dixi *numer.* 39. Et alius illas poterit habere pecunias paratas ad reficiendam domum, vel ad sumptus domesticos, qui minus intereſſe postulet pro minori damno, quod ex illo mutuo emergit. Fateor tamen in tribunalibus ad hæc non attendi, sed ad pretium, seu intereſſe acceptum pro quolibet centenario; & si excedat sex, & quartam, censetur injustum; secus si non excedat.

46 Quoniam verò ita est praxis tribunalium in judicando; oritur dubium; An possit aliquis in foro conscientiæ licitè, & validè maius accipere intereſſe illo, pro quo stat praxis tribunalium, quando periculum recuperandæ sortis, lucrum cessans, & damnum emergens solitum in his mutui contractibus solito sunt maiora? Respondeo adducendo casum de quo fui interrogatus. Quidam mercator ab alio mercatore tabernario requisitus, ut illi daret mutuas pecunias subintereſſe? Respondit mercator, se daturum illas pecunias pro intereſſe decem pro quolibet centenario in primo anno, & deinceps dum contractu ab uno quoque non rescindatur: nam illse in quolibet anno sua pecunia lucratur triginta, & amplius, & pro lucro, quod illi cessabat, decem acquireret. Addit tamen, se ipsos in contractus scriptura, non esse faciendam mentionem de lucro decem inter ipsos convento, sed tantúm de lucro sex, & quarti; ne forte recurrat ad tribunalia aliquo tempore, & ibi contractus, ut injustus, & fortasse, ut usurarius judicetur. Inito contractu, facta scriptura, & elapso anno tabernarius mercator ad me recurrens, quæ sivit; an tutâ conscientiâ possit tradere illi mercatori decem pro lucro illi cessante in quolibet centenario? Ante resolutionem ad illo interrogavi, quantum intereſſe ex illis pecunijs, suâ minoris ponderis negotiatione acquirebat? Respondit, pro quolibet centenario, quatuordecim.

47 Facto hoc examine minimè ad resolutionem condicente, respondi, teneri in foro conscientiæ stare illi contractui. Ratio est, quia mercator poterat ex eo mutuo accipere lucrum cessans ex data pecunia, ut tradunt communiter Doctores, at lucrum cessans erat triginta pro quolibet centenario: ergo illi justè remittebat pro assecuratione sui capitalis, & alia decem remittebat pro assecuratione sui intereſſe, in quo convenerunt, & ea viginti etiam, pro cessatione laboris, qui illi cessabat in acquirendis illis triginta, quæ pro quolibet centenario in anno cessabat.

88 Ad hanc resolutionem motus fui primò, quia uxor vidua, dum dos ab heredibus mariti non solvitur, potest tutâ conscientiâ accipere decem in quolibet anno pro centenario, ut tradit Covarruv. *l.* 3. *variar. capit.* 1. *numer.* 3. *vers. septimo*, quem citat & sequitur Fragos. *tom.* 1 *Regim Reip. Christ. l.* 6. *disput.* 17. *numer.* 50 *vers. Confirmatur prope finem.*

49 Se-

49 Secundò motus fui, quia idem Fragos. *citat. numer. 51. vers. Sed mercatores*, inquit quando mercatores lucrari solent quotannis triginta pro quolibet centenario, posse dantem pecuniam quindecim accipere, & alia relinquere pro assecuratione capitalis, & certi lucri, ibi: *Sed mercatores peritissimi interrogati quantum soleant lucrari quotannis? Respondent, se pro centum lucrari triginta, & eo amplius. In quo eventu ad dominum pecuniæ pro parte sua quindecim veniunt, & illis quindecim remittit mercatori tria, vel quatuor, &c.* Et tandem resolvit septem, & octo posse recipi pro quolibet centenario: ergo pro adducto casu poterat tutâ conscientiâ mercator recipere decem.

50 Tertiò motus fui, quia Cardin. de Lug *citat. dict. disp. 27. num. 24.* asserit, posse habentem pecunias paratas ad emendum fundum, cujus fructus, deductis expensis, essent valoris centum aureorum, posse eodem pretio emere centum personalem, cujus pensio annua sit centum aureorum. Et hæc emptio est ob lucrum cessans ex data pecunia; ergo etiam in prædicto casu; ob lucrum cessans triginta pro centenario, potest mercator accipere decem pro lucro cessante.

51 Neque obstat, observari in foro conscientiæ, quod in exteriori observatur, nisi intercedat falsa præsumptio, ut est doctrina communis DD. Sot *l. 4 de just q. 5. art. 3 vers. arguitur*, Covarruv. *in cap. cum esses num. 7. de testam.* Sanch. *l. 1 de matr. disp. 5 numer. 20. vers. Tandem probatur, & disp. 21. num. 2.* Marc. Paul. Leon. *de observ. in Pœnitent. fol. 60. vers. Neque audiendum*, Escobar *tom. 3. Theol. Moral. l. 24. sect. 2. dub. 15 num. 102.* Sed ut dictum est, si dictus contractus ad forum externum deducatur, injustus judicandus est: ergo etiam in foro conscientiæ injustus censetur. Non, inquam, hoc obstat, quia respondetur, præsumptionem falsam non intercedere; nam jam diximus *supra num. 45.* eam consuetudinem debere esse circa census reales ex parte censuistæ irredimibiles; & non circa lucrum ex mutuo, qualis est contractus, de quo agitur; & juxta lucrum domino pecuniæ cessans, est accipiendus, ut dictum est.

§. V.

Aliqua dubia circa eundem contractum resoluta.

SUMMARIUM.

52 *Interesse periculi, vel lucri cessantis recipi non potest ante annum.*

53 *Interesse in oleo, tritico &c. recipi potest, non tamen ex pacto.*

54 *Si non præcedat pactum de interesse, hoc non debetur.*

55 *De lucris non solutis non debetur lucrum.*

52 Primum dubium sit: An dans pecuniam ad rationem census, seu juris modo in supradictis explicato, possit lucrum, seu interesse sex, & quarti, seu lucrum quinque, aut minus statim, seu ante annum absolutum recipere? Respondeo, non posse. Ratio est, quia non reciperet lucrum, seu interesse periculi, lucri cessantis, seu damni emergentis ex centenario, sed ex ipso centenario diminuto, v. g. ex 94. 95 aut 96. recepto statim, seu ante annum absolutum. Sic loquentes ex lucro cessante ex mutuo Molin. *tract. 2 disput. 316. in fine*, Less. *l. 2. de just. cap. 20. dub. 11. num. 100.* Rebell. *2. part. de oblig. just. l. 8. q. 6. numer. 4* Salas. *de usur. dub 20. num. 11.* Castr. Palaus *tom. 7. de just. commut. disp. 4. punct. 15. num. 9.* & alij communiter.

53 Secundum dubium: An dans pecuniam ad rationem census modo explicato possit loco lucri, aut interessis, recipere oleum, triticum, aut aliam rem, quæ pecunia non sit? Respondeo, posse, dummodo id onus mutuatario non imponat, & observetur justa compensatio illius lucri, seu interessis. Ratio primi est, quia illud onus reddet contractum usurarium juxta *caput Naviganti, de usuris.* Ratio secundi, quia id exigit ipse contractus, ut sit justus.

54 Tertium dubium: An dans pecuniam mutuam, nullâ factâ mentione de dicto contractu, lucro cessante, damno emergente, aut periculo pecuniæ mutuatæ, possit dictum lucrum, aut interesse à mutuatario exigere? Respondeo, non posse. Ratio est, quia ex mutuo nihil debetur; & tituli, seu capita, ex quibus illud lucrum, seu interesse exigi potest, ad contractum non fuerunt deducta, & præsumitur merè mutuum solvendum tempore designato; & si non solvatur, mutuatarius tenebitur ad damna emergentia, si forte ex non solutione tempore designato emerserint.

55 Quartum dubium: An si illa lucra, seu interesse per aliquos annos non sint soluta, & magnam summam, etiam capitalis, seu sortes adæquent, de illis etiam lucrum, & interesse solvi debeat, ut conventum fuit de lucro pro quolibet centenario? Respondeo, præciso aliquo pacto præcedente, certum est, non esse soluendum. Nam lucrum, & interesse ex pecunia mutua imitatur fructum, fructus autem fructum non fert alium. *l. usuræ ff. de usuris.* Si tamen pactum præcedat; Id pactum videtur injustum. Nam absurdum est lucrum pecuniæ esse etiam sortem, & bene colligitur *ex l. Si non sortem §. 1. ff. de usur.* & ex Gabriel. Pereyra de Castr. *in decis. suprem. Senatus decis. 84. num. 2.* & Salas. *tract. de usur. dub. 22. num. 5.*

QUÆSTIO II.

An Regulares, inconsulto S. Pontifice, aut S. Congregatione, mutuo possint recipere pecunias sub interesse lucri cessantis, & damni emergentis fructus sui conventus obligantes?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Quæ solemnitas ex iure communi & particulari aliquarum Religionum requiratur ad alienationem.*
3 *Non possunt inconsulto S. Pontifice aut S. Congreg. alienationem facere.*
4 *Abrogata est potestas, quam habebant ad eam alienationem, consulto tantum suo generali.*
5 *Clausula: præterquam in casibus in jure expressis, juxta probabilem opinionem potest habere locum in emphyteuticatione, non tamen in præsenti casu.*
6 *Necessitas continuationis ædificandæ Ecclesiæ non est talis, quod excuset recursum ad S. Congreg.*
7 *Nulla datur alienatio in præsenti casu.*
8 *Superior conventus excusatur a pœnis ob urgentem necessitatem.*
9 *Obligatio tradendi lucrum limitatum, & per breve tempus in considerationem venire non debet.*

1 CUjusdam conventus superior, & certæ Ecclesiæ administrator, habentis proprios redditus à redditibus conventus distinctos, mille ducatis indigebat, ad ipsius Ecclesiæ ædificium continuandum, habentis eo tempore multas saccari capsas, quæ in valore multum illos mille ducatos superabant, & cùm deficerent mercatores, qui pretio convenienti saccarum emerent, & conveniret inducias non interponere in ædificij continuatione; nec mutuaturi illos mille ducatos, voluerunt pro assecuratione illorum, & lucri cessantis initi, eas saccari capsas loco hypothecæ acceptare. Superior Ecclesiæ administrator Provincialem convenit, ab eo licentiam postulans ad recipiendos illos mille ducatos mutuos, & lucrum ex illis solvendum conventus fructus obligando. Provincialis, viris doctis auditis, & consultorum consensu, annuit.

2 Et quamvis ex *Clement* 1. *de reb. Eccles. non alienand.* & alibi requiratur pro solemnitate contractus, religiosorum monasterij convocatio, de cujus interesse agitur; in illis tamen, qui per capitula non gubernantur solùm requiritur tractatus, & consensus juxta Constitutiones, & modum agendi cujuscunque religionis. Qui in aliqua religione est, ut tractatus, & informatio cum consultoribus instituatur; quæ postea ad Generalem mittitur ad effectum, ut suum præstet consensum [nõ enim requiritur consensus ipsorum consultorum, nec superioris conventûs, de cujus agitur interesse, imo nec illius immediati superioris, sed solùm petitur, & sufficit consensus ipsius Generalis] idque ex privilegio B. Pij V. concesso anno 1566 & Gregorij XIII. anno 1575. ut notant Molin. *tom.* 2. *disp.* 468 *numer.* 12. Filliuc. *tract.* 44 *cap.* 5 *nu.* 13 Castr. Palaus *tom.* 2. *tract.* 9. *disp. unic. punct.* 25. §. 2. *numer.* 9. Pellizarius *tom.* 1. *tract.* 6. *cap* 8. *num.* 117. & alij, quos citant. Quæritur; An dicta licentia fuisset licita, & valida?

RESOLUTIO.

3 Respondeo cum limitatione *infra num.* 7. adducenda videri nec fuisse licitam, nec validam. Ratio est, quia Religiosis prohibitus est contractus, recipiendi pecunias mutuas, cum pacto solvendi lucrum, aut damnum emergens. Ita expressè declaratum fuit à S. Congregatione, approbante Urbano VIII. 21. Martij anno 1626. & decernente, eum contractum esse contra Decretum Sacræ Cõgreg. Concil. jussu ipsius S. Pontificis editum 7. Septembris anno 1624. [de quo *infra q.* 8. in fine, facienda est mentio] In quo dictus contractus recipiendi pecunias mutuò cum solutione lucri cessantis, aut damni emergentis prohibitus fuit, ut ipsa Sacr. Congreg. declaravit postea, approbante ipso Urbano Quia compertum fuerat Regulares, non obstante dicto Decreto, pecunias mutuo recipere cum solutione lucri cessantis, vel damni emergentis; & ad eludendam hanc fraudem, sic prodijt declaratio. *Cum post editum Decretum de rebus Regularium non alienandis compertum sit, Regulares, qui eodem Decreto, prohibentur, census imponere super bonis ad eorum monasteria pertinentibus; loco censuum hujusmodi pecunias ad cambium, seu mutuò accipere cum solutione lucri cessantis, & damni emergentis. Cum que ex hujusmodi contractu eludatur mens S. Congreg. cui in primis in votis fuit consulere Religionum indemnitati, quæ ex impositione censuum hujusmodi plurimum læduntur, S. D. N. approbante, dictavit, & declaravit hujusmodi contractum esse contra mentem Decreti, ut supra editi, Ideoque non licere Regularibus pecunias, ut proponitur, accipere, & si acceperint in ipsius Decreti pœnas ipso facto incidere. Datum Romæ* 21. *Martij* 1626 Quam declarationem de verbo ad verbum referunt Tamburin. *de jur. Abbat. tom* 3 *disp* 13. *q* 7. *n* 2. Pellizar. *in Man. Regul. tom.* 1. *tract.* 6. *cap.* 8 *num.* 37. & de illa mentionem faciunt Lezan. *tom.* 1. *cap.* 10. *numer* 3. cum Peirin. & 3. *part. verb. Alienatio num.* 5. & Gavant. *in Man. Episcop. verb. Alienatio, num.* 35. & alij: ergo juxta cit. Decretum, & adductam declarationem non poterat Provincialis, nec possunt Regulares

mutuo

mutuo recipere pecuniam cum solutione lucri cessantis, & damni emergentis, inconsulto S. Pontifice, aut S. Cardin. Congreg. Sic DD. *cit.* Vide *q.* 119. *num.* 3. & 4.

4 Nec obstare videtur primò, Regulares posse inconsulto S. Pontifice facere alienationes in casibus á jure permissis, & servatis juris solemnitatibus, suo tantùm consulto Generali, ut concessum fuit non paucis Religionibus, ut infra videbimus *dict. q* 8. *in fine*: & cum Generalis consuli non possit, & urgeat necessitas, sufficit Provincialis consensus. Non, inquam obstat, quia respondetur, ea privilegia Regularibus concessa, infra fines Europæ existentibus, esse abrogata per Decretum S. Congreg. cit. jussu Urbani VIII. editum 7. Septembris anno 1624. ibi: *Non obstantibus Constitut. & Ordinationibus Apostolicis in favorem quarumcunque personarum, atque Ordinum, tam Mendicantium, quam non Mendicantium, Militarium, etiam S. Ioannis Hierosolymitani, Congregationum, Societatum, ac cujusvis alterius instituti, etiam necessario, & in individuo exprimendi, &c.* Et cùm in eodem Decreto prohibeatur fieri hanc alienationem inconsultâ S. Congreg. & circa præsentem alienationem, expressius adductâ declaratione, decernente irritas, ac nullas eas alienationes, sub pœna privationis omnium officiorum, quæ tunc obtineantur, vocisque activæ, & passivæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad alia in posterum obtinenda, quam ipso facto absque alia declaratione incurrantur, sublataque generali, ac protectori illam moderandi, & relaxandi facultate; pœnisque Apostolicarum Constitutionum, & præsertim felicis record. Pauli II. quæ incipit: *Ambitiosæ*, suo robore permansuris: ergo non est recurrendum ad privilegia antea concessa; nullo enim modo potest pecunia mutuò recipi cum solutione lucri cessantis, & damni emergentis ex fructibus conventus.

5 Nec obstare videtur secundò, in eo Decreto apponi hanc clausulam *præterquam in casibus in jure permissis*, ratione cujus dicetur *infra q* 8. *num.* 5 posse fieri, juxta probabilem sententiam emphyteuticationem licite, & validè juxta jus antiquum, inconsulto Roman. Pontifice. Non, inquam, obstat, quia respondetur, id infra dici, ex opinione probabili tantùm, & authoritate gravium DD. qui illam secuti fuerunt in ea clausula fundati: at in præsenti casu expressè fatetur S. Congr. jussu S. Pontificis, approbantis declarationem dicti Decreti, prohibentisque alienationem, & irritam illam reddentis, sub pœnis allatis; & licèt in eo Decreto ea apponatur clausula, expressè constat, eam alienationem in jure antiquo non includi; & quamvis in eo continetur, eam expressè prohibet: aliàs dicetur declaratio dicti Decreti esse prorsus otiosa, quod minimè dici potest.

6 Nec obstare videtur tertiò, necessitatem continuandi Ecclesiæ ædificium instare; & non posse pro licencia ad S. Congregationem recurri; quæ necessitas in eo consistit, quòd si ædificium non continuetur, ædificium in quodam opere particulari designato, periculum patietur, nam dilatione temporis, non ita firmum permanebit. Non, inquam, obstat, quia respondetur, licet plures DD. docuissent, urgente summâ necessitate, posse fieri alienationem inconsultâ S. Congregatione, quando ejus licentia expectari non potest, ut pluribus relatis tradunt Tamburin. *de jur. Abbat. dict. tom.* 3 *disp.* 13. *q* 9. *num.* 4. Lezan. *tom* 1. *cap.* 10 *num.* 4. Pellizzar. *tom.* 1. *tract.* 6. *cap.* 8. *num.* 29. eam tamen summam necessitatem, ac urgentem in ea declaratione non apparere: nam sicut duobus annis elapsis ex defectu pecuniæ, absque periculo idem ædificium fuit dilatum; ita etiam per quatuor, aut sex menses absque periculo poterit differri. Nec est evidens dari eam necessitatem, nam cum prædicta dilatione etiam dubitatur, quod detur: & illa dicitur evidens Ecclesiæ necessitas, quæ est clara, & indubitabilis ex *text. in cap. Sine exceptione* 12 *q.* 2. & tradunt Tambur. *cit. dicta disp.* 13 *q.* 4. *num.* 12. & alij. Et de hac evidente necessitate, etiam dato, quòd sit clara, & indubitata, ad Sacr. Congreg. judicare pertinet. Nam hæc inter alias requirebatur causa, ut Regulares per sua privilegia monasterij bona alienare possint, & tamen sunt abrogata: ergo in præsenti casu erit Sacr. Congreg. necessarius consensus.

7 Hactenus dicta pro alijs alienationibus inservire poterunt, pro adducta *num.* 1. nullo modo. Ratio est, quia in illo casu nulla datur alienatio; ut patet, nec fructuum conventus, nec periculum talis alienationis; quia hic contractus mutui cum interesse lucri cessantis, & damni emergentis ad rationem sex, & quarti pro quolibet centenario celebratur ad tempus semestre, vel ad summum unius anni: sed ante semestre elapsum capsæ saccari vendentur, & soluto lucro, & sorte rescindetur mutui contractus, absque periculo bonorum, & fructuum conventus; & cum hoc modo indemnitas detur bonorum, & fructuum conventus, quibus S. Congreg. illâ declaratione voluit consulere, ut inquit ibi: *Cui in primis in votis fuit consulere Regularium indemnitati, &c.* potest Provincialis eam concedere licentiam inconsulta S. Congreg. quin pœnas dicti Decreti, & alias *Extravag. Ambitiosæ* incurrat; quia re verâ in ea licentia concessa, ad nullam bonorum, & fructuum conventus alienationem dedit licentiam, sed solùm ad speciem; ad incurrendas tamen dictas pœnas realis in effectu requiritur alienatio; ut relatis Covarruv. & Filliuc tenet Pellizzarius *dict. cap.* 8. *num.* 7.

8 Non obstat dicere, quòd per eam licen-

tiam non eximitur Provincialis ab alienatione commissa, & illorum pœnis: nam quamvis conventus ex ea licentia minus non habeat in suis bonis, habet tamen Ecclesia, quæ etiam comprehenditur in alienatione suorum bonorum, per ipsum mutuum cum solutione lucri cessantis, & damni emergentis, cujus administrator est superior conventus: ergo si ratione conventus non incurruntur pœnæ, quia conventus per ipsum contractum non est inventus minus habens, incurrentur tamen ratione Ecclesiæ, quæ per ipsum contractum in suis fructibus inventa est minus habens. Non, inquam, obstat, quia respondetur primò jam ex *supra citat. DD. num.* 6. constare pœnas *cit.* Decreti, & illius declarationis non incurri, quando ob necessitatem urgentem ad S. Congregationem recurri non potest; & hæc aderat, si ædificium non continuaretur per illud breve tempus quatuor, & sex mensium, quia lapicidæ in illo ædificio laborantes ad aliud diverterentur externum, & vendito tempore commodo saccaro, facilè nec redirent, nec alij æquè boni invenirentur.

9 Respondeo secundò, illam solutionem unicam lucri cessantis, per illud breve tempus in consideracionem venire non debere: quia id lucrum ex ea pecunia est limitatum respectu illius Ecclesiæ magnos habentis redditus annuos; nam sicut in alienatione immobilium, inconsultâ S. Congreg. non venit res alienanda parvi valoris, datâ necessitate, juxta *text. in cap. Terrulas* 12. *q.* 2 ut relatis Rebuff. Redoan. Rivio, Seraphyn. Ugolin. Quarant. Bonac. Gavant. defendunt Tambur. *cit. q.* 9. *nu.* 2. Lezan. *tom.* 1. *cap.* 10. *num.* 4. & alij; ita etiam venire non debet pecunia soluta pro lucro cessante, & damno emergente, quæ pro sex mensibus ex eo mutuo mille ducatorum tredecim millia regalia Lusitana non excederet; quæ summa respectu continuationis ædificij est minoris considerationis. Nam si hæc summa absque ullo contractu alienaretur in aliud opus Ecclesiæ, non æquè proficuum, alienatio non diceretur.

QUÆSTIO III.

An inito contractu dandi pecuniam ad rationem juris, sub interesse sex, & quarti, & postea scriptura initi mutui includente eã summam conventam, triennio absoluto solvendam, contractus sit usurarius, & cõventa summa in foro conscientiæ solvenda?

SUMMARIUM

1 *Facti species.*
2 *Scriptura fictione mutui validè fieri poterat, summam pecuniæ datam, & redditus includens.*
3 *Fictio non inducitur absque æquitate, quæ hic data fuit.*
4 *Scriptura facta sub fictione mutui, in qua sub mutuo includebatur sors, & redditus, usuram non continet.*
5 *Adducitur quarta ratio tribus efficacior.*

1 FRancisco homo illustris à Benedicto mercatore petijt quatuor mille aureos ad rationem juris, sub interesse sex, & quarti, pro quolibet centenario solvendo singulis annis. Ad solutionem capitalis, & redditum consignationem annuam offerens, ex qua solvenda essent intra triennium. In confectione scripturæ per notarium, [cùm esset potens] ad evitanda omnia impedimenta, & præpedimenta, quæ postea supervenire poterant; suo secretario mandavit, quòd in summam redigeret capitale, & redditus trium annorum; & facto hoc computo, scriptura conficeretur, non de contractu inter se, & Benedictum inito; sed de tota illa summa mutua, solvenda post triennium; cujus summæ debitorem dicto benedicto se constituebat. Et ad solutionem totius illius pecuniæ in summam redactam designavit fidejussorem, & principalem solventem; ne consignatio oblata deesset Benedicto mercatori. In confectionis forma hujus scripturæ, non intervenit Benedictus; pecuniam tamen numeravit, & scripturam subscripsit. Absoluto triennio, & mortuo Francisco, Benedictus ex scriptura facta litem intendit, & sententiam contra fidejussorem obtinuit. Latæ sententiæ fidejussor gravamen interposuit, opponens, contractum esse usurarium; quia scriptura erat de mutuo, ex quo jura, seu redditus recipi non poterant. Pro foro conscientiæ, quæritur 1. An potuisset scriptura confici de tota illa summa, quâ constabant sors, seu capitale, & redditus, supponendo fictione juris, totam illam summam absoluto triennio, esse mutuum? 2 An Franciscus, & fideijussor teneantur solvere Benedicto totum capitale, & redditus in forma expresse inita, per rationationem, & scripturam, quam Franciscus conficere jussit; in qua Benedictus non intervenit, nisi pecuniam numerando, & scripturam subscribendo? 3. An dato, & non concesso, quòd scriptura sit nulla, teneatur Franciscus, & ejus fidejussor solvere dictam pecuniam Benedicto mercatori? His ita postulatis ad primum, in quo postulatur.

§. I.

An potuerit scriptura de tota illa summa confici, quâ constabant capitale, & redditus, supponendo fictione juris, totam illam summam absoluto triennio esse mutuum?

2 Respondo, posse. Ratio est, 1. Quia fictio idem operatur, quod veritas *l.* 1. *ff. de adopt. l. Cum ex oratione ff. de excusation. tutor.* & tan-

tantùm operatur fictio in casu ficto, quantum veritas in casu vero, *l In principio C. de rei uxor. act. l.* 1. *§. hoc senat. ff. ad Trebel. cap. Ad audientiam, de cleric. non resid.* & DD. Gonzal. *in Reg.* 8. *Cancel gloss.* 51 *num.* 28. Rota *decis.* 104. *num.* 3. *& decis.* 319. *num.* 3. apud Farinac. *part.* 1. *recent.* & alij apud Barbos. *tract. de axiom.* 97. *numer.* 1 Et quia paria sunt, esse talem, ac haberi pro tali, Barbos. *ibidem cum pluribus num.* 2. & in præsenti casu idem continebat scriptura de mutuo quoad debitum; quantum contractus dandi quatuor mille aureos sub interesse sex, & quarti quolibet anno, post triennium elapsum solvendos, cum ipsis redditibus, seu ipso interesse. Debitum enim idem erat in veritate, quod debebat Franciscus ex eo contractu, licèt fictione diceretur in scriptura, esse ex mutuo.

3 Secunda ratio: quia non datur fictio, nisi aliqua suadente æquitate secundum Bartol. *l. Si isqui pro emptore, num.* 67. *de usucapion.* ab omnibus ibi receptam, à Cæpha *consil.* 253. *num.* 38. *l* 2. & ab Alvar. Valasc. *tom.* 2. *consult. ac rerum &c. consult.* 148. *num.* 15. Sed æquitas ad eam fictionem suasit Franciscum, quia ad securitatem pecuniæ datæ ad rationem juris sub interesse à Benedicto, convenientius erat, scripturam conficere de mutuo dato ad triennium, quam scripturam facere de pecunia data ab rationem juris sub interesse sex, & quarti in quolibet anno, omnia solvenda post triennium. Quis enim dubitare potest, æquius fuisse scripturam conficere de mutuo, quam de dicto contractu?

4 Tertia ratio: quia si facta fuit scriptura, in qua sub fictione mutui computabantur mutuum, & redditus, absoluto triennio solvenda: nulla ibi appareat usura quia ex eo aggregato ex mutuo, & redditibus usuræ non feruntur, ut constat, & si feruntur ex dictis quatuor millibus aureis expresse in scriptura positis, sub nomine mutui, etiam non adest usura, quia Benedictus erat mercator, & ex sua pecunia poterat ferre lucrum cessans, & aliquid propter periculum recuperandi suam sortem, & lucra cessantia; ut cum pluribus tenet Castr. Palaus *tom* 7 *de Iust. commut. disp.* 4 *punct.* 15. *&* 17. & est TT communis doctrina, ut jam præcedentibus qq. diximus.

5 Quarta, & tribus antecedentibus efficacior ratio: quia ut per totam *quæst.* 1. diximus non semel; contractum dandi pecuniam ad rationem juris, seu census sub interesse sex, & quarti, aut minoris cum facultate post annum redimibilitatis ex parte censuistæ, seu emptoris, nihil aliud esse, quàm mutuum, cum Molin. Rebell & Navarr. sed dictus cõtractus celebratus inter Franciscum, & Benedictum, erat dandi pecuniam ad rationem juris, & census sub interesse sex, & quarti cum facultate redimibilitatis á Benedicto emptore, triennio absoluto: ergo cùm ita celebratus nihil esset nisi mutuum, cum eodem interesse ratione lucri cessantis; potuit Franciscus absque ulla fictione, & omni veritate, conficere scripturam de mutuo à Benedicto dato; quia non solùm capitale erat mutuum, sed etiam ipsum lucrum cessans unius; vel alterius anni erat mutuum, quia Benedictus per ipsam scripturam ad illud non petendum, nisi triennio absoluto manebat obligatus. Unde bene colligitur ex hac sola ratione, scripturam fuisse veram, & nullo modo contradici posse.

§. II.

An Franciscus & ejus fidejussor teneantur Benedicto totum capitale, & redditus in forma expresse initos solvere per rationem, & scripturam?

SUMMARIUM.

6 *Tenentur in foro externo.*
7 *Et in foro interno.*

6 Respondeo, teneri. Ratio est, quia in tribunalibus quando constat de eo contractu, dandi pecuniam ad rationem census sub interesse sex, & quarti, in quolibet anno solvendo, fertur sententia, pro dante pecuniam, quia contractus censetur licitus. Sic Phæbus 2. *part. Arest.* 70 *& decis.* 205 *à numer.* 1. Gabriel Pereyr. *decis.* 84. *num.* 3. Emman. Mendes de Castr. *in praxi l.* 3 *cap.* 22. Pinheyro *de Cens. & & emphyt.* 1. *part. disp.* 1. *num.* 129. ergo si in tribunalibus, nullo alio facto examine, contractus censetur licitus, á fortiori in præsenti casu, de quo constat dari lucrum cessans in Benedicto mercatore, qui suis pecunijs mercaturam agebat.

7 Pro foro conscientiæ etiam ratio urget. Quia ex contractu licito, oritur obligatio restituendi, definitur enim contractus *in l. Labeo ff. de verb. signific. Est ultro, citroque obligatio*; & cum Benedictus, ex sua parte dedit quatuor millia aureorum, cum obligatione reddituum ad certum tempus tradenda; tenentur Franciscus, & illius fidejussor ea omnia tradenda tempore designato, ut ex sua parte promiserunt. Est communis doctrina, Vidcantur Castr, Palaus *cit. disp* 1. *punct.* 1. *num* 2. Fagundes *de Iust. l.* 1. *cap.* 4 *num.* 4. & plures, quos citant.

§. III.

An, in casu negato, quòd scriptura sit nulla, teneatur Franciscus, & ejus Fidejussor, dictam pecuniam solvere Benedicto mercatori?

SUMMARIUM.

8 *Tenentur. Scriptura ad probationem requiritur; non est tamen de substantia contractus.*

9 *Scrip-*

9 *Scripturæ nullitas non obest; quia ex alio debitum probatur.*

10 *Confessio debitoris in testamento facta, æquipollet in judicio factæ.*

11 *Ordinat. statuens, contractus excedentes sexaginta millia regalia per scripturam publicam esse conficiendos, illos non annullat.*

8 Respondeo, facta ea suppositione, adhuc Franciscum, & ejus fidejussorem ad eam solvendam pecuniæ summam teneri. Ratio est quia scriptura, quæ secundum *Ordin. Reg. l.* 3. *tit.* 59. ad contractus requiritur, non est, de substantia contractuum, sed tantùm ad illorum probationes, ut etiam habetur *l. Non figura ff. de act. & obligat.* & tradit Gama *decis.*298 *num.*1. *in fine*, & alij cùm ergo certo constet de substantia, & forma contractus Francisco, & illius fidejussori, non obstante eâ nullitate, tenentur ad solutionem illius summæ pecuniæ. Quia sicut nullitas sententiæ non impedit satisfactionem ex ipso jure debetam, *juxta Reg. Non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum, de regul. jur. in* 6 ita etiam nullitas scripturæ non impedit effectum quod ex ipsa forma, & substantia contractus ipso jure debetur, sic cum communi DD. Sanch. *l* 8 *de matr. disp.*22. *num.*21.

9 Nec obest nullitas scripturæ, quia debitum ex illâ constante, ex illa non probabitur, nec ex testibus, qui ex illa censentur prohibiti, juxta Emm. Barbos & DD. ab illo *cit. in remiss. ad dict. Ordinat.* probabitur tamen ex ipso fidejussore, qui pecuniam numerare perspexit. Et pro foro conscientiæ hæc justificatio sufficit, & juxta illam tenetur fidejussor debitum solvere.

10 Et si nolit, sufficit confessio Franciscí in suo testamento asserentis, se eam pecuniæ summam Benedicto debere: Confessio enim debitoris scripturæ nullitatem supplet, ex textu *in l. Eunte C. de transact.* & DD. Gama *decis.*43 *num.*2. Azeved. Menoch. Valasc. & alij, quos refert, & sequitur Emman. Barbos. *cit. in remiss ad cit. Ordin. in princip. num.*4 confessio enim in testamento facta, æquipollet in judicio factæ, quia appellatione testamenti venit instrumentum Barbos. *tract. de appellat.* 119. *num.*6.

11 Nec obstat *Ordin. cit. l.* 3 *tit.* 59. *in princip.* statuens, contractus sexaginta millium regalium Lusitanorum excedentes, per scripturam publicam esse faciendos; & ille, de quo agimus, nimis dictum valorem excedit. Non, inquam obstat, quia ex Gama *cit.* eam scripturam requirit ordinat. ad probationem: non tamen pro forma, & substantia contractus. Additur, eam scripturam non esse factam ex conventione utriusque contrahentis, sed tantùm ex potentia Franciscí existimantis, sic convenientius suæ satisfacere conscientiæ; & ei potentiæ, & voluntati non valens resistere Benedictus, eam subscripsit.

QUÆSTIO IV.

An beneficiarius per plures dies non recitans, per Bullam se componere possit; & quomodo compositio fiet?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*

2 *Resolutio cujusdam viri docti ad primum.*

3 *Ejusdem resolutio ad secundum.*

4 *Resolutio Authoris proponitur.*

5 *Adducitur primus modus se componendi.*

6 *Secundus modus jucundior adducitur.*

7 *Compositio fieri potest nomine Abbatis defuncti, si tunc summarium susceptum habebat.*

8 *Compositio adducta per Bullas fieri potest.*

9 *Vir doctus fallitur in citatis DD. rationibus, & resolutione.*

10 *Fallitur etiam in resolutione ad secundum quæsitum.*

11 *Componsitio est facienda modo tradito in Bulla.*

12 *Modum componendi à Fragos. traditum ab Expositoribus Hispanis ipse accipit.*

13 *Probatio à Fragos. adducta non probat.*

1 Ambrosius cujusdam beneficij simplicis Abbas, in suo declaravit testamento, se ab eo tempore, quo ratione beneficij recitare horas Canonicas tenebatur, debere centum millia regalia Lusitana, quæ per suos heredes restitui jubebat pauperibus oppidi sui beneficij, aut fabricæ Ecclesiæ ejusdem beneficij, juxta *Concil. Lateran. sub Leone* X. *sess.*9. § *statuimus.* Quam Constitutionem declaravit, innovavit, & auxit B. Pius V. *in sua Const. quæ incipit. Ex proximo Lateranensi, edita* 12. *Kalendas oct.* 1571. Etsi compositio per Bullam Cruciatæ obtineri possit, obtineatur, ut sui hæredes tantam non solvant pecuniam. Defuncto Abbate, Quæritur primò; An si recipiantur aliquæ compositionis Bullæ, à restitutione hæredes liberi maneant? 2. Quomodo hæc debeat fieri compositio?

RESOLUTIO VIRI DOCTI.

2 Vir doctus dubitans, sic respondit. Bulla compositionis non habet locum, ubi creditor est certus; in præsenti tamen creditor est certus, nam vel est Ecclesia, ubi fitum est beneficium, aut pauperes illius oppidi. Attamen respondeo; posse sic Vasq. *in opusc. de benef. cap.* 4. *num.* 40. Sanch. *l.*2. *consil. cap.*2. *dub.*87. *num.*4. Ratio est, nam quamvis constet de creditore; est cum in determinatione: nam designatur, & Ecclesia; & pauperes: & si hi sint, adhuc persistit in determinatio ad hunc, vel ad alium pauperem; & hac indeterminatione datâ, possunt

possum me componere cum domino Ecclesiæ qui est S. Pontifex, eo modo, quo ille per justas causas, hanc potest facere compositionem & est, quam per Bullam Compositionis, assignat; additque: Sic Vasq. & Sanch. *locis cit.*

3 Ad secundum quæsitum respondet sic: componentem debere habere summarium Bullæ Cruciatæ, & pro qualibet Bulla Compositionis, satisfieri quinque millibus regalibus Lusitanis; & pro singulis, eleemosynam ducentorum regalium esse elargiendam. Quare ad satisfactionem centum millium regalium, viginti Bullæ sunt recipiendæ, & elargienda sunt quatuor millia regalia. Et sic rectè, & justè debito est satisfactum. Sic vir ille doctus.

RESOLUTIO AUTHORIS.

4 Respondeo resolutionem casus propositi constare, tum ex Bulla Latina, tum ex summario ipsius Bullæ Lusitano Idiomate transcripto; non tamen ex Bulla Hispana, quæ in hôc privilegio cum Lusitana non cohæret. Verba Bullæ Lusitaniæ concessæ, sic habent: *Volentes, ut fructus beneficiorum, qui ad ratam omissionis horarum Canonicarum illicite percepti fuerint, pro dimidia parte Ecclesijs, vel alijs locis Ecclesiasticis, quorum ratione horas prædictas recitare debebant: altera vero dimidia pars, in subventionem militum hujusmodi præstari. Vel cum Commissario super hoc deputando componi; ita quod compositione hujusmodi solutâ, sit componens a portione etiam, qua Ecclesia deberetur, integrè absolutus.* Sic Bulla Latina. Summarium verò sic. *Primeiramente dos fructos dos beneficios Ecclesiasticos mal recebidos por defeito de nam rezar as horas Canonicas, ha S. Santidade por bem, que restituindose ametade delles as Igrejas, ou lugares Ecclesiasticos, por cujo respeito corria obrigação de rezar, a outra ametade se de por inteiro para este socorro dos lugares de Africa. Ou se faça sobre todos os fructos composiçam de maneira, que por ella possam os que assi se comporem ficar tambem livres da parte, que se devia a Igreja. Pello que o poderam fazer sobre todos os ditos fructos na forma por nos declarada.* Sic Summarium.

5 Ex quibus verbis sequitur: posse hæredes dicti Abbatis dupliciter componi. Primò elargiendo quinquaginta millia regalia [quæ est mediatas centenorum millium regalium] Ecclesiæ; in qua situm est beneficium Abbatis, & altera medietas illorum centenorum millium regalium tradatur harum eleemosynarum receptori in subventionem locorum Africæ sic constat ex verbis Bullæ Latinæ, & summarij in principio allatis.

6 Cùm tamen hic modus compositionis jucundus non sit hæredibus Abbatis, quia nullam sibi ex eo acquirunt utilitatem, nec est ille, quem Abbas desiderabat, sic componi poterunt, non solùm super medietate ad Ecclesiam, sed etiam super medietate ad subventionem locorum Africæ, pertinente; sumentes viginti Bullas, & erogantes pro singulis centum regalia tantùm, ad rationem centum regalium pro singulis quinque millibus regalibus; quæ summa tantùm constat duobus tantùm millibus regalibus Si autem Abbatis debitum centum millia regalia, [quod non excessit non excedat, tunc Bullæ accipiendæ] extra illa centum, erant duplicandæ usque ad ducenta tantum millia regalia. Et si adhuc maior debiti fuisset excessus, ad commissarium erat recurrendum. Sic Abreus *de Paroch. l.* 10 *numer.* 599. & ex illo Bened. Pereyr. *in Promptuar. Theol. moral. tract.* 41. *num.* 1440. Et ego expressius, & latè *in Exposit. Bullæ Lusitanæ disp.* 25. *sect.* 9. *a num.* 178.

7 Ad præsentis casus compositionem adverto primò, dictam compositionem nomine Abbatis fieri posse, si in mortis articulo Bullæ summarium habebat. Ratio est, quia in suo testamento mandavit, illam fieri compositionem; & sic in illis viginti Bullis receptis suum nomen expresè, vel tacitè, scribendo *Foam*, est inscribendum. Sic ex advertentijs Cõmissarij, & adductis in ipsa Bulla compositionis, tradidi *in dict. Exposit disp.* 25, *à num.* 56. Si tamen Bullæ summarium non habebat, vel non expressit, quòd suo nomine dictæ Bullæ sumerentur, illud summarium sumant hæredes, & in Bullis compositionis suum scribant nomen modo proximè dicto. Sic invenietur loco *cit. meæ Bullæ expositionis.*

8 Secundò adverto, hanc compositionem dictæ summæ centenorum millium regalium, per Bullas fieri posse authoritate propriâ, quin ad Commissarium recurratur; quia ita ipse disponit in verbis à se allatis, & à me, in illorum fine adductis.

9 Nec obstant huic nostræ resolutioni *adducta num.* 2. & 3. à docto viro consulente, quia in multis fallitur: Fallitur in citatis DD. in rationibus, quas adducit, & in ipsa resolutione ad secundum quæsitum, ut ostendo: Fallitur in citatis DD. quia Vasq. *cit.* ab eo, in citato loco, licèt expresserit remedium Bullæ, non ita expressit, ut ipse vir doctus; & si expressisset, expressurus erat juxta Bullam Hispaniæ concessam, quæ in hoc privilegio à nostra Bulla Lusitana multum differt; ut videre est in locis à nobis cit. Et Sanch. *loco cit.* quamvis dicat, eam compositionem fieri posse authoritate Papæ, de Bulla mentionem non fecit. Fallitur in rationibus, quas adducit, quia non obstante eâ indeterminatione Ecclesiæ, aut pauperum, & pauperum interse, hoc privilegium conceditur, etiam si creditor sit certus, nempe Ecclesiæ, aut pauperes. Addo sequi quod si ad hoc privilegium requireretur aliqua indeterminatio, & incertitudo ex parte creditorum, sufficere ad utendum hoc privilegio incertitudinem, quæ versatur inter duos, tres, quatuor, &c. qua tamen non

sufficit, ut cum Henriq. Molin. Dicastill. Trullench. dixi *in cit. Expos. Bull. dict. disput. 25. num. 81.*

10 Fallitur etiam in resolutione ad secundum quæsitum; quia compositio, quando fit per Bullas compositionis ab habente summarium, non ita fit, ut inquit *numer. 3.* sed modo à nobis adducto *num. 6.* juxta dispositionem Commissarij, ut videre est in transumpto, & summario cujuscunque Bullæ Compositionis; ubi exprimitur, quomodo facienda est compositio, quando debitum non excedit centum millia regalia, & quando illa excedit, usque ad ducenta millia; de quo jam supra aliquid dictum est *num. citat. 6.*

11 Nec obstat Sebast. à Costa de Andrade *in expositione nostræ Bullæ Lusitanæ q. 76. in principio, & q. 98. infine* dicens, quod compositio per Bullam super fructibus amissis ob defectum recitationis horarum, fieri debeat, tradendo medietatem debiti Ecclesiæ, ubi situm est beneficium, & alteram tradendam in subventionem locorum Africæ [quod sanè dicitur in Bulla Latina, & summario, ut vidimus supra] non tamen, quæ dedit, nempe: aut de illa facienda est compositio cum Commissario. Non, inquam, obstat, quia respondetur, posse fieri modo dicto, vel per Bullas, modo dicto usque ad ducenta millia regalia; & si debitum hæc ducenta excedat, ad Commissarium recurritur, & non antea. Sic enim disponitur in Bulla Latina, addita in Bulla compositionis declaratione commissarij.

12 Nec obstat secundò Fragos. *tom. 2. Regim. Reip. Christ. l. 2. disp. 7. de Bulla Cruciat. num. 41.* asserens compositionem esse faciendam super omni debito, & duabus illius medietatibus, cùm hoc tamen discrimine, quòd ultra summam elargitam, pro qualibet Bulla compositionis, tantumdem detur pro fabrica Ecclesiæ, cujus est beneficium, & aliter non fieri compositionem. Non, inquam, obstat, quia respondetur Fragos. id accepisse ab Expositoribus Bullæ Hispanæ, qui ita exponunt juxta privilegium in ea Bulla concessum. Secus dicendum, juxta privilegium in Bulla Lusitaniæ concessum, quod est diversum, ut jam supra notavimus.

13 Nec etiam obstat, Fragos. *cit.* hanc decisionem compositionis probari ex Motu B. Pij V. nullum citando; Non obstat, quia in Bulla B. Pij V. quæ incipit: *Ex proximo Lateranensi n. 1. cit.* nec in alia, quæ incipit: *Nimis durũ*, in quibus agitur de pœnis impositis beneficiatis horas Canonicas nó recitãtibus, talis decisio in ijs non invenitur. Et dato, quòd ea detur decisio, S. Pontifex nostram concedens Bullam, aliud disponere potuit, ut de facto disposuit. Vide me ipsum *in Expos. Bull. dict. disp. 25. à num. 174.* ubi hæc, & alia non inutilia ad præsentis casus declarationem, invenies.

QUÆSTIO V.

An legatum cõditionatum ad partitionem venire debeat mortuo altero ex conjugibus, adhuc non impleta conditione?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Vinea ad partitionem necessariò venire debet.*
3 *Idem de legatis conditionatis.*
4 *Vinea partiri quoad æstimationem debet.*

1 MAria suum condidit testamentũ, in quo vineam Luciæ suæ nepoti ex fratre reliquit, per hæc verba: *Relinquo meam vineam nepoti meæ Luciæ, sorori Damasi; & per mortem ipsius Luciæ, si absque filijs è vivis excedat, ad Damasum ibit.* Nupsit Lucia, & filiam habuit. Defuncto marito, in bonis factæ sunt partitiones; & dubitatum fuit; An vinea ad partitionem ventura esset, cùm Damasus frater Luciæ adhuc viveret?

RESOLUTIO.

2 Respondeo, vineam ad partitionem necessario venire debere. Ratio est quia exceptis bonis vinculatis, qualia sunt bona maioratus, capellæ, feudi, emphyteusis, nominationis, & bonis Coronæ, reliqua omnia ad partitionem venire debent; quia medietas eorum ad unum quemque conjugum pertinet juxta *Ordin. Regiam l. 4. tit. 46.* & tenent communiter DD. Molin. *tract. 2. disp. 422. vers. Quando matrimonium, & seqq.* Petr. Barbos. *ad l. post dotem 41. ff. solut. matrim. num. 74.* Gama *decis. 9. num. 3.* expressè loquens de bonis, quæ ex hæreditate proveniunt, Emman Barbos. *in remiss. ad cit. Ordin. num. 9.* Fragos. *part. 3. disp. 5. num. 58. vers. In matrimonio tamen*: at vinea ad ea non pertinet: ergo ad partionem venire debet.

3 Et quoad legata conditionata [quale est hoc de quo agimus, *Si absque filijs à vivis excedat*] constat *ex l. Cum Titio ff. ad l. Falcid.* ut exponunt Gouvea *in l. Lege Falcidia ff. ad l. Falcid.* & Ioann. de Carvalho *in cap. Raynal. de testam. part. 3. num. 138. & seqq.*

4 Neque obstat, quòd dicta vinea ratione conditionis, *Si absque filijs è vivis excedat*, integra conservari debeat, ut in casu, quo dicta Lucia absque filijs è vivis excedat, devenire possit ad vocatum Damasum. Non, inquam, obstat, quia respondetur dictam vineam partiri debere, quòad valorem, & æstimationem, *dict. l. Cum Titio ff. ad l. Falcid.* & incapitatem in ipsa Lucia remanere, ut ex ipsa possit devenire ad suos filios; si illos habens, moriatur; aut ad Damasum, si absque illis decedat, ut latè prosequitur Carvalho *cit. num. 143.*

QUÆS.

QUÆSTIO VI.

An bona alicui relicta absque alia declaratione sint partibilia?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Omnia bona libera præsumuntur, nisi aliud probetur.*
3 *Mandatum testatoris est quædam substitutio, quæ vinculum non inducit.*
4 *Omnia bona non vinculata in hoc Regno inter conjuges communicantur.*

1 LUdovicus sacerdos testamentum condidit, in illoque fratrem suum Franciscum omnium bonorum instituit hæredem, Testamenti clausula hæc erat: *Declarat ille testator, quod decedente suo fratre, & hærede absque filio, aut filia de legitimo matrimonio, omne, quod in bonis immobilibus inveniatur, esse suum, relinquere conventui S. Petri sui oppidi.* Defunctus frater Franciscus filium reliquit ex legitimo matrimonio. Et quia uxorem duxit per chartam medietatis juxta Regni consuetudinem, & *Ordin. Reg. l. 5. tit* 46 Quæritur, An dicta bona immobilia sint vinculata, aut partibilia inter matrem, & Orphanum?

RESOLUTIO.

2 Respondeo, ea bona esse partibilia inter matrem, & filium orphanum. Ratio est, quia testamentum nullam mentionem facit de vinculo eorum bonorum: bona autem semper præsumuntur libera, nisi contrarium probetur. Sic Bartol. *in l. Prius, vers. venio ad tertiam partem ff. de novis oper. nunt.* Ruyn. *consil.* 45. *in princip. & fin. volum.* 1. Paris. *consil.* 20. *volum.* 1 *& consil.*23 *eodem vol.* 9. Alciat. *consil.* 491. *circa finem*, Cephal. *consil.* 168. *numer.* 94. & 172. *num.* 2. & 205 *in principio*, Cessan. *consil* 66. *numer* 2 Socin. Iunior. *consil.* 115. *num.*31. *vol* 2 & Rol *cons.*82 *volum.* 2. quos refert, & sequitur Fragos. *part.*3. *disp.* 9 §. 21. *num.* 1. & 2 ubi alios citat; his adduntur Alexand. *consil* 129 *in princ.l* 1. Decius *consil.* 85. *numer.*1. Molin. *de primog l.*1.*cap.* 11. *num.* 11. Mezes *de maior* 3.*part. quæst.* 5. *numer.* 20. Lara *de Anniversl.*1.*cap.* 4. *numer.*17. Burgos de Paz *q.*2.*num.*7.

3 Nec obstat, quòd testator mandet, quòd si suus frarer absque filijs decedat, ea bona relinquere conventui S. Petri. Non, inquam, obstat, quia respondetur, ipsum mandatum esse quamdam substitutionem, quæ vinculum non inducit, & contra se habet juris præsumptionem; res enim omnes præsumuntur liberæ *l. Altius C. de servit.*

4 Ergo cùm dicta bona vinculata non præsumantur; & omnia non vinculata sint partibilia, & in illis sint dimidiantes, matrimonium contrahentes per chartam medietatis, ut communiter tradunt DD. Barbos. *ad l. post dotem* 41. *ff. colect. matr. num.* 34. ibi: *Bonorum distinctio inter conjuges inutilis est, si secundum Regni Portugalliæ consuetudinem nubant, cum tunc omnia bona communicentur.* Gama latè, & eleganter *decis* 9. *num.* 3. dicens, *etiam bona, quæ proveniunt ex hæreditate, esse dividenda* Emman. Barbos. *in remiss. ad Ordin. l.*4 *titul.* 46. & *alij præcedent. q. adducti.*

QUÆSTIO VII.

An ad valorem emptionis cujusdam emphyteusis, sufficiat licentia petita, non tamen expressè concessa à domino directo; Et Ecclesiæ, & communitates dominium habentes directum, tantumdem emphyteuses emere possint?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Non sufficit licentia petita, & à domino directo non obtenta.*
3 *Procurator conventus licentiam non concessit, nec poterat concedere.*
4 *Emphyteusis in necessaria comprehenditur alienatione.*

1 CUm venderetur sub hasta emphyteusis dominij directi cujusdam conventus, licitator à procuratore conventus, ad illam emendam licentiam petijt. Procurator non solùm illam non concessit, imo illi proposuit aliquas difficultates, quæ in ea petitione dabantur. Sequenti die redijt licitator, dicens difficultates esse sopitas, & se velle laudemium solvere. Procurator respondit, se prælatis rationem daturum, & quod statuissent, fieret. Ipso die à licitatore empta emphyteusi, & instrumento confecto, possessionem cepit Hæc sciens conventus, emptorem citare fecit ad emphyteusim dimittendam, & pretium tantùm, quanti emerat, reciperet Emptor se defendens, inquit primò, se licentiam petisse; qua de causa non teneri conventui emphyteusim, eodem pretio, quo emerat, dimittere; secundò, eam emphyteusim, emphyteuticam solitam esse, & sic conventus Author, illi R. eodem pretio eam auferre non poterat. Tertiò, & ultimò, non posse Ecclesias laicis emphyteuses sibi reassumere, tanto, quanto pretio eas emerant; nam si possent, omnes sibi reassumpsissent, & multum locupletiores evasissent. His oppositis. Quæritur 1. An sufficiat licentia petita, & non expressè concessa, ut emphyteusis sub hasta vendita acquiri possit 2. An possint Ecclesiæ, & cõmunitates emphyteuses sub hasta venditas, tantumdem sibi acquirere?

§. I.

An sufficiat licentia petita, & non expressè à domino directo concessa, ut emphyteusis sub hasta vendita tanto pro tanto à domino non acquiratur.

2 Respondeo ut certum, non sufficere. Hæc resolutio est expressa *in Ord. Regia l. 4. tit. 38. in principio* post medium ipsius principij, ubi postquam statuit de venditione voluntaria, nempe facta ab ipso emphyteuta, & de necessaria, idest facta authoritate judicis, ut procedit præsens quæstio, addit: *Et nollens dominus directus statim declarare, si eam velit tanto pro tanto, expectabitur triginta diebus, a die, quo fuit requisitus*; & *infra* §. 1. *Et si sit venditio, commutatio, donatio, aut alia qualiscunque alienatio alio modo facta absque authoritate domini directi, erit nulla, ac nullius valoris*; *& emphiteuta ipso facto amittet omne jus, quod habuerit in re data in emphyteusim, & tota devolvetur, & applicabitur domino directo, si eam voluerit.* Idem exprimitur in jure communi *L ult. C de jur. emphyt.* cum extensione duorum mensium, ibi: *duorum mensium spatium* & DD. Molin. *tract. 2. disp. 459. num 21 seu vers. Quæ dicta sunt.* Emman. Barbos. *ad cit Ordin. num 62.* & pluribus relatis Pegas *Resol. forens. cap. 9. num. 1. & 2.* Sed dictus licitator, licèt licentiam ad emptionem petierit; nec expressè, nec tacitè illam obtinuit; & inscio domino directo emphyteusim emit, sequenti die post licentiam petitam, & non expectatis triginta diebus, juxta jus Lusitanum, emphyteusim emit, instrumentum fecit, & possessionem cepit: ergo dominus illi tantumdem tradens, potest eam emphyteusim acquirere.

3 Non obstat primò, quòd licitator à procuratore conventus licentiam petierit. Non, inquam obstat, quia respondetur, procuratorem illam non concessisse nec tacitè, nec expressè, nec etiam implicitè; & non expectatis triginta diebus emphyteusim emit. Vide Pinheyro *de Cens. & emphyt. part. 2. disp. 4 sect. 8. num. 57* Additur procuratorem, dato, quòd illam licentiam concessisset, illam valide non posse concedere; ut constat *ex cit. l ult. C. de jur. emphyt.* Et dato, quòd *dicta l.* jam diu, à judicijs sit ablegata, adhuc esse necessarium speciale mandatum, dicunt Caldas *de extinct. emphyt. cap 11 n 26 & 31.* Pinheyro *cit. n. 167.*

4 Nec obstat secundò, quòd plures DD. tradunt, non requiri consensum domini, ad alienationem emphyteusis necessariam; quos latè citat, & sequitur Pegas *in Resolut. forens. cap. 9 num 53 & 54.* alienatio autem necessaria, est illa, quæ fit authoritate judicis, ut vidimus *num. 2.* & hæc authoritate judicis fiebat. Non, inquam, obstat, quia eo *num. 2.* ostendimus, ex ipsa Ordin. emphyteusis necessariam alienationem comprehendi, ex ipsius Ordinat. dispositione.

§. II.

An Ecclesiæ, seu communitates emphyteuses sub hasta venditas, quarum habent dominium directum, sibi tantumdem possint acquirere?

SUMMARIUM.

5 *Resolutio ex ipsa Ordin. & jure cõmuni est certa.*
6 *Etiam non obstante Ordin. l. 2. tit. 18.*
7 *Alij afferuntur DD. pro resolutione.*

5 Respondeo, ut certum, posse. Ratio est, quia etiam est expressum *in Ord. Reg. l. 1 tit. 62 §. 48.* ibi: *E os foreiros, que quizerem vender algumas que assi tenham aforadas, o faram a saber aos officiaes, que poder tem pera lhas aforar, se as querem tomar perà a capella, hospital, albergaria, ou confraria, cujo o foro for, tanto por tanto, quanto outrem der. E querendoo tomar, podeloham fazer, se sentirem que de o fazer, podera vir proveito a capella, hospital, albergaria, ou casa de que for, &c. Et l. 2 tit. 1. §, 6.* ibi: *Se a Igreja em seu libello allegar tal qualidade porque conclua a cousa demandada, nam sòmente ser sua, quanto ao direito senhorio, mas tambem o util estar com elle solidada, por o leigo possuir a tal cousa por força sem titulo, ou com titulo, que he nullo, conforme o direito Canonico, ou por as vidas do prazo serem findas, ou por ter caido em commisso, ou por outros casos de semelhante qualidade, ou pedir restituiçam na forma do direito contra o titulo, que o leigo tem: Em taes casos o conhecimento pertence ao Iuizo Ecclesiastico, aonde o leigo ha de responder, &c.* Unde manifestè supponitur emphyteusim, quo ad utile, posse consolidari cum dominio directo Ecclesiæ, ex causis juris communis, per nostras Ordin. receptis; & hæc, quando tantumdem datur, est juris communis *l fin. C. de jure emphyt.* & per nostras *Ordin. dict. l. 2 tit. 62. §. 48.* & per omnes DD. approbata, quos latè citat, & sequitur Barbos *in Collect. ad dict. l. fin. num. 5. de jure emphyt* & *in Collect. ad cap. Potuit, num. 46. de locat.*

6 Et quòd possint Ecclesiæ, & Monasteria sibi acquirere tantumdem dictas emphyteuses; non obstante *l. Regia l. 2 ordin. tit. 18* tradunt Ex presse Emman. Barbos. *in Remiss. ad dict. Ordin. num. 3. in principio*, ubi verba dict Ordin. referens, inquit: *Fallit in emptione utilis dominij ab emphyteutis possessi, quia Ecclesia domina directa poterit bona ista titulo emptionis acquirère, quia res de facili revertitur ad suam naturam ex l Si unus, §. pactus ne peteret ff. de pactis, & utile dominiũ cõsolidatur cũ directo, nec Ecclesia acquirit novum aliquid* Castr. *de Man. Reg. p. 2 cap. 67. nu. 23.* ubi rationẽ reddit: *Quia* (inquit) *illa bona jã habet Ecclesia, quoad dominiũ directum, & consolidatio nihil de novo addit, circa rei dominium* Addit que hoc jus acquirendi tantumdem emphyteuses, Eccle-

Ecclesijs non posse, esse prohibitum; affertque sententiam communem DD *in cap. cum causa, de judic.* & *Concil. Trident. sess.* 22. *cap.* 11. *de reform.*

7 Idem tradunt Oliva *de for. Eccles. tom.* 1. *q.*28. *num.* 75 & 76. ibi: *Declaratur septimò prædicta l. Reg. in principio, & in dict.* §. 1. *ut non habeat locum in bonis, quorum directum dominium ad Ecclesiam legitimè pertinet; nam potest Ecclesia, seu Monasterium directum dominium habens, emere, seu aliter acquirere utile, ut consolidetur cum directo, &c.* Et in fine *dict. num.* 76. inquit. *Estque res adeo vulgaris, ut alia non egeat probatione.* Et novissimè Pinheyro *de Cens. & emphyteusi disp.* 4. *sect.* 10. *num.* 202. *vers. ubi obiter*, ait, non esse necessariam licentiam Regis, *ut res emphyteutica, seu utile dominium, quod habet emphyteuta, vendatur Ecclesiæ, aut Religioni domina directæ.* Et cùm hæc sententia sit certa, dictus conventus intromittendus est in possessionem emphyteusis tantumdem prius tradendâ licitatori, qui non expectatâ licentiâ domini directi, emphyteusim sub hasta, venditione sibi nulliter comparavit.

QUÆSTIO VIII.

An incurrerit pænas alienantium bona Monasterij Prælatus emphyteuticans, de licentia sui Generalis fundum jam Monasterio incorporatum per antecessorem ab emphyteuta venditum, & à Monasterio tanto pro tanto emptum, si id fuit in Monasterij utilitatem?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Probabile est non incurrisse.*
3 *Plures requirunt consensum S. Pontificis, sed oppositum tenent alij non pauci DD.*
4 *Non potest de novo emphyteuticari fundus, nisi data justa causa, & solemnitatibus requisitis.*
5 *Si deficiant eæ solemnitates, adhuc plures sentiunt in foro conscientiæ, esse validam eam emphyteuticationem.*

1 PRælatus Monasterij, ab emphyteuta volente vendere emphyteusim Monasterij, requisitus, illam tanto pro tanto emit: successor autem existimans emptionem non fuisse factam in Monasterij utilitatem, à suo Generali habitâ licentiâ, illum fundum vendidit tanto pro tanto, quanto emerat antecessor, & alteri in emphyteusim dedit. Quæritur: An incurrerit pænas *Extrav. Ambitiosæ*, quæ omnem annullat alienationem, & excommunicationem imponit, & privationem vocis activæ, & passivæ?

RESOLUTIO.

Respondeo, probabile esse non incurrisse pænas alienantibus impositas. Nam suppono, Prælatum ipsum, & Generalem in ea licentia concessa, juris solemnitates observasse. Ratio est, quia in *Extravag. Ambitiosæ, de reb. Eccles. non alienand.* excipiuntur casus in jure permissi, ibi: *Præterquam in casibus jure permissis*, Eadem clausula habetur in Decreto S. Congreg. Concil. jussu Urban. VIII. edito 7. Septemb. anno 1624. & in jure excipitur necessitas, & evidens Monasterij utilitas, *Clem. Monasteriorum, de reb. Eccles. non alien. capit. sine exceptione* 12. *q.* 2. *cap. Non licet, ead. caus.*, & *q. & cap. Vt super* 8. *de reb. Eccles. non alien.* & requiritur consensus conventûs, & Prælati, non localis, sed Generalis, aut Provincialis, ut colligitur *ex cap. sine except. cit. & cap. Dudum, & cap. Ad aurum, de reb. Eccles. non alien. in* 6. ut videre est apud Soar. *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *l.* 2. *cap.* 27. Molin. *de just. tom.* 1. *tract.* 2. *disp* 468. Filliuc. *tom.* 3. *tract.* 44. *cap.* 5. Bonac. *tom.* 1. *disp. de alien. bonor. Eccles punct.* 3. *num.* 4. Tambur. *de jur.* Abbat. *tom.* 3. *disp.* 13, *q.* 4. & 8. Pinheyro *de Cens. & emphyt. part.* 2. *disp.* 2. *sect.* 2. *num.* 10. Barbos. *cum pluribus de potest. Episc. alleg.* 95. *num.* 25. Castr. Palaus *tom.* 2 *tract* 12. *disp. unic. punct.* 15 § 2. *num.* 10. & 11.

3 Neque obstat, quòd aliqui DD. requirunt etiam consensum S. Pontificis, quos citavimus *q. præcedente num.* 7. Non, inquam, obstat, quia ibi etiam *num* 5. & 6. plures pro opposito citavimus DD. quod saltem probabile est. Et præter ibi cit. idem tradunt Quaranta *in Summ. Bullarum, Verb. Alienatio num.* 34. citans Decium, Rebuff. Navarr. & alios; & Dian *part.* 1 *tract* 8. *resol.* 77. *citatis Barret. Gabriel*, Hieronym. Gabriel. & *decis. Rotæ Roman.* Idem tenet Rodoan. *q.* 30. *num* 42. apud Filliuc. *tom* 3. *tract.* 44. *cap.* 5. *num.* 8.

4 Dixi *num.* 2 me supponere, Prælatum; & Generalem juris solemnitates observasse, quia ita omnino erat necessarium; quia hæc emphyteusis jam Monasterio erat incorporata, & facta de illius mensa; & sic non poterat, nisi datâ novâ causâ, & servatis juris solemnitatibus, dari in emphyteusim. Sic Tambur. *cit. disp.* 44. *q* 7. *numer.* 4 *in fine.* Molin Panormit. Azor, & alij, quos affert, & sequitur Pinheyro *cit. num* 27, & alijs allatis, Castr Palaus *cit.* § 4. *num.* 4. Quæ autem requirantur, ut bona immobilia Monasterio censeantur incorporata, præter citat. Vide Pellizar. *tom* 1. *Man. Regul. tract.* 6 *cap.* 8 *nu.* 19. Bordon. *tom.* 2. *resol.* 62 *q.* 17.

5 Et licèt citati DD. & alij plures censeant, eas solemnitates ad novam emphyteusim, vel ad aliam novo modo concedendam esse necessarias. Non desunt tamen Doctores asserentes, etiam si deficiant eæ solemnitates,

emphyteusis concessionem in foro conscientiæ esse validam; dummodo concessio sit facta in evidentem Monasterij utilitatem. Ratio est, quia ideo ea forma, seu solemnitates, ad eam concessionem emphyteusis, requiruntur, ut fraudes evitentur, ut ex ipsis juribus colligitur: ergo si fraudes deficiant, eæ solemnitates in conscientia non videntur necessariæ. Sic Azor *part.2.l.9.cap.2.q.* 8 *dub.* 2. Regin. *in praxi tom.2 l* 30.*tract* 3.*capitul.*6. *sect.*2. *numer.* 69. & 70. Naldus *in summ. verb. actus num.* 15. & *verb. Contractus*, *numer.*10. Rodrig. *in qq. Regul. tom.* 1. *q.*27.*articul.*9. Sylvest. *verb.Alienatio num.* 13. Angel. *Verb. eodem* §. 15. Navarr. *de alien. rer. Eccles. num.*17. Dian. 1 *part. tract.* 8. *resol.* 77. Pinheyro *de Cens. & emphyt. part.*2. *disp.*2.*num.* 14. Vide *præcedentem q.*

QUÆSTIO IX.

An in emphyteusi de libera nominatione emphyteuta nominans, gravare possit nominatum, illi aliquod onus imponendo?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Potest gravare.*
3 *Gravari possunt, qui honorantur.*
4 *Oppositum tenent aliqui DD.*
5 *Suppositio facto, & acceptatione, tenetur acceptans implere onus.*
6 *Consensus nominati excludit contrariam legis dispositionem.*
7 *Res censita alterius census non est capax.*
8 *Consensus domini directi non requiritur ad donationem, sed ad venditionem.*
9 *Ad contractum emphyteuticum scriptura publica requiritur, non tamen ad pacta supervenientia; nec quando gravamen est ad opera pia.*
10 *Are emphyteutica, emphyteuta post mortem, emolumentum acquirere non potest, potest tamen a persona nominata.*
11 *Beneficium nominationis est pretio æstimabile.*
12 *Emphyteuta post mortem tenetur emphyteusim liberam relinquere.*

1 THomas domum emphyteuticam possidens ex libera nominatione, stantem ex locatione in redditibus annuis viginti millibus regalibus Lusitanis, obligatam pensione mille, & quingentorum regalium; Sylvestrum ad illam nominavit, cum onere tribuendi pro singulis annis cuidam operi pio sex millia regalia Nominationem cum dicto onere acceptavit Sylvester. Quærit; An manserit obligatus; quia sibi videtur non mansisse, 1. Quia una emphyteusis habens jam pensionē directo dominō solvendam, alterius non est capax. 2. Quia hæc conventio sine authoritate domini directi, fuit inita. 3. Quia de illa scriptura non fuit facta.

RESOLUTIO.

2 His non obstantibus rationibus, respondeo, datâ acceptatione, teneri Sylvestrum ad implendum onus à Thoma impositum. Ratio est, quia dicta emphyteusis erat de libera nominatione, ut constat *ex num.* 1. sed quando emphyteusis est de libera nominatione, nominans gravare potest nominatum, sicut poterat illam vendere, & donare, ut cum communiori sententia docent DD. Caldas Pereyra *de jure emphyt. de potest. eligendi cap.* 16. *num.* 6. ubi inquit, oppositum esse falsum, ibi: *Quantumvis, forenses tabulæ clament, & nobis adversentur, etenim jura, quibus nostri authores Lusitani suam fulciunt sententiam, scilicet textus in l. unum ex familia, §. Et si fundum ff.de legat. 2. & alia jura similia loquuntur in fideicommissis familiæ relictis, quæ certa, & peculiari forma successionis deferuntur, quæ nihil commune habent cum emphyteusi, qualis apud nos usu, & consuetudine recepta est, cujus jus singulare est in hoc Regno, ab alijs longe dissimile, &c.* Idem tenet Molin. *disp.* 592. *a a numer.*2.*& latius disp.* 480. *de nominatione ad emphyteusim, vers. sententia hæc huius authoris,* Fragos. 1. *part. Regimin. Reip. Christian.l.* 4 *disp.* 9. *num.* 43. & 44 & 3 *part.disp.*9. §. 25. *a num.* 3. asserentes, non solùm posse, nominantem gravare nominatum; quando emphyteusis est de libera nominatione; sed etiam illam vendere, & donare. Et hanc esse praxim usu receptam in hoc Regno; & in Provincia Interamnensi fatetur ipse Fragos. 1. *part.cit.* in qua Provincia per amplius quadraginta annorum resedit.

3 Probatur *ex l. Ab eo*, 9. *C. de fideicommiss.* ibi: *Illos gravari posse, qui honorantur*, idem dicitur *in l. Cum pater*, § *eorum ff. de legat.* 2. & *l. Cum hi, ff. de transact. & l. Si feudum* §. *fin. ff. de legat.* Sed nominatus, seu electus ad emphyteusim honoratur; nam recipit honorem à nominante: ergo potest gravari. Confirmatur, quia in terminis *dicti num.* 1. ea domus fuit donata per quamdam quasi donationem *l. l. Donari*, 82. *ff. de regul. jur.* ibi: *Donari videtur, quod nullo jure cogente, conceditur.* Molin. *de primog. l.*2.*cap.*4.*a num.* 11. Nam ubi quis potest adimere, & ademit, censetur dare, *l.* 1. §. *sciendum, ubi Gloss. ff de legat.* 3. & qui donat, gravare potest donatarium *l. Quoties*, & *l. Perfecta, ff. de donat.*

4 Quanvis hæc sententia sit communior, opposita tamen asserens, non posse nominantem post mortem, gravare nominatum, defenditur à pluribus, quos referunt, & sequuntur Pinheyro *de cens. & emphyt. part*, 2. *disp.* 6 *sect.* 5. § 5. *a num.* 130. Pegas *in resol. forens. cap.*, 10. *num.* 30 qui tamen distinctè non loquuntur, cum absolutè id defendant de omni emphyteusi nominationis, sive sit de libera nominatione, sive de pacto, & providentia, seu

seu de familia, aut hæreditaria. Hujus sententiæ fundamentis, mox satisfaciam. Quidquid tamen sit de maiori, vel minori probabilitate, in quo hæc sententia fundatur.

5 In casu præsenti, supposito facto, & acceptatione Sylvestri, certum, & absque dubio est, illum teneri dictum onus implere. Sic exprimitur ipso jure *L. Non dubium, C. de testam.* ibi: *Illud etiam adjiciendum est, ut qui ex testamento, vel ab intestato hæres extiterit, & si voluntas defuncti circa legata, & fideicommissa legibus non sit subnixa, tamen si sua sponte agnoverit, implendi eam, necessitatem habet.* Alius in terminis præsentibus datur expressior textus *in l. 2. C. de fideicommiss.* ubi loquens de fideicommisso inutiliter relicto; dicitur tamen, quòd supposita acceptatione, in conscientia deberi, ibi: *Cùm non ex sola scriptura, sed ex conscientia relicti fideicommissi, defuncti voluntati satisfactum esse videatur.* Et alius textus, etiam magis expressus reperitur *in §. fin. de fideicommissar. hereditat.* ibi: *Quod si ijs, a quo relictum dicitur, confiteatur quidem aliquid a se relictum esse, sed ad legis subtilitates recurrat: omnino solvere cogendus est.* Hujus ratio est, quia eæ subtilitates, & pro utraque parte opiniones inducunt tantùm dubium speculativum, & practicum non reddunt illicitum; nam adhoc, quòd istud sit licitum, sufficit, quod pro se habeat opinionem: ergo quanto magis dubium adsit in speculativo, ut primum practicum habeat opinionem, & manet licitum; ad illud potest quis se obligare.

6 Addo, quando non esset opinio dictans, posse gravari nominatum, & consequenter, quòd dictus Sylvester nominatus, non esset obligatus ex vi nominationis, adhuc erat obligatus ex vi sui consensus, & acceptationis; qui consensus nominati excludit contrariam legis dispositionem, & provisio hominis cessare facit legis provisionem *L fin. C de pact convent. l. 3. ff. de pact. dotal. & l. ubi adhuc, C. de jure dot* Et omnium melior est *text. in l Nihil proponi § fin. ff. de legat.* 1. ubi notat Barthol quòd: *Quoties aliquid est prohibitum consensu ejus, in cujus favorem prohibitum est, efficitur licitum*; ut optimè probat textus *in l. Quoties, C. de fideicommiss.* textus *in l. Cùm pater, § libertis ff. de legat. 2.* Unde aliquod deducunt DD. principium: *Quoties lex aliquid in favorem alicujus disponit, potest ipse favori suo renuntiare, l siquis in conscribendo C. de pact.* Et conveniunt DD. etiam pro opposita sententia adducti, ex quibus aliquos refert, & sequitur Pegas *cit. num.* 32. Emman.da Costa, Cald. Valasc. & alij apud Pinheyro *cit. num* 131 licèt oppositum sectetur *n.* 132. ergo quamvis nominatus in emphyteusi, ex ipso jure gravari non posset, si ipse tamen consensum præstiterit, poterit gravari, quia suus consensus illi præjudicare potuit; ut probat insignis *textus in l. secuti §. vendicationis ff. quibus modis pignus dissolvitur*, ibi: *ut si ligari permisit, valeat, quod concesit.* Unde communiter dicun DD. Quòd si consentio permittendo quòd alius testetur dare mea, præjudicat mihi talis patientia, & consensus. Sic Tiraquell. *in l. si unquã. verb. Donatione largitus, n.* 348 Cald. *cit. de potest eligendi cap.* 16. *n.* 23. Palaus *de maior l.* 1. *q.* 23 *nu.* 4 Molin *de primog. l.* 4 *cap. n.* 2. *num.* 84. Roland. *consil* 10. *n.* 41. *vol.* 3 Peralta *in l.* 5. *§. qui fideicommissa ff. de hered. instit. n* 57 Boerius *q.* 244. *nu.* 4. Padill. *in l. Clari, num.* 19. *C de fideicommiss* Cùm ergo Sylvester donatarius sponte dictam donationem acceptavit, & suum præstitit consensum, obligando se ad illam implendam, quomodo illam implere non tenetur? Nemo potest suum retractare cõsensum in alterius præjudicium, *cap Quod semel* 21. *de regul. jur. in* 6. ibi: *Quòd semel placuit amplius displicere no potest, l. Nemo potest mutare, 75. ff. de Reg. jur.* ibi: *Nemo potest mutare consilium suum in alterius injuriam, & l. Pomponius scribit, ff, de negot. gest.*

ARGUMENTA SOLUTA.

7 Non obstat primò contra hanc resolutionem ratio *num. 1. adducta*, scilicet, una emphyteusis habens unam pensionem alterius non est capax, sicut res censita alterius census non est capax. Non, inquam, obstat, quia respondetur primò, *in toto titulo C. de jure emphyt* id non reperiri prohibitum, sed solam alienationis prohibitionem, & translationem juris, inconsulto domino, ut notant Caldas *cit. numer. 6.* Fragos *proximè part. 1. disp. 9 § 25. num. 3. in fine.* Respondetur secundò, hoc gravamen nõ ferri super rem emphyteuticam, sed super personam nominatam; & consequenter nominatus, & non res oneratur; onusque respicit personam electam, ita Cald. *cit.* Fragos. *num.* 44. *& 3 part. cit num.* 4. Respondeo tertiò [quid quid sit de maiori, vel minori probabilitate juris, & opinionis contrariæ, an scilicet res emphyteutica possit gravari] nostram resolutionem procedere de facto, suppositâ acceptatione, & consensu nominati, volentis juxta eam opinionem, seu ut melius dicam, absolutè se obligare, & de suo consensu potuit se præjudicare, ut constat ex dictis.

8 Nec obstat secunda ratio *dicto num. 1. adducta*, nempe non posse fieri hanc conventionem sine licentia & consensu domini directi. Non, inquam, obstat, quia respondetur primò, non requiri consensum domini ad donationem, sed ad venditionem, per textum expressum *in l. Cùm dubitatur* 3. cum Gloss. *verb. alijs vendere C. de jure emphyt. & in l. 1. Cod. de fund. patrim. l. 11. & §. Adeo, Inst. de locat. & vendit.* Respondetur secundò, Sylvestrum donatarium suorum bonorum esse dominum, independentem à domino directo domus. Quare poterat se obligare, & de facto se obligavit.

9 Nec obstat tertia ratio eo *num.* 1 *allata*, in qua dicitur, in ea conventione scripturam publicam non intervenisse. Non, inquam obstat, quia respondetur primo cum communiori sententia, necessario requiri scripturam ad contractum emphyteuticum, ut constat *ex l.* 1. *C. de jur. emphyt.* & DD. apud Pinheyro *de cens. & imphyt. 2. part. disp.* 1. *a n.* 12. quamvis plures oppositum sentiant: at ad pacta supervenientia, scriptura necessariò non requiritur, per textum *in l. Pactum, quod bona C. de pact* ut notat Glos. *in dict. l.* 1 *verb. scriptura*; aut ut notat eadem Glos. *lib*: *Non notat sine scriptis fieri, licet dicatur fieri in scriptis.* Et hæc est DD. communis opinio apud Cevall. *practicis qq. q* 356. Respondetur secundò, hoc non habere locum, quando gravamen est ad opera pia; ad quæ non requiruntur eæ solemnitates, sicut non requiruntur in testamento, maximè pro foro conscientiæ. Respondetur tertiò hoc gravamen esse quoddam fideicommissum, aut conditionem donationis, cui donatarius se obligare voluit, ut patet ex dictis.

10 Nec obstat quartò, emphyteutam non posse acquirere emolumentum seu commodū post mortem à re emphyteutica, sed tantum dum vivit. Non, inquam, obstat, quia respondetur primò, Thomam emphyteutam hoc emolumentum a re emphyteutica non acquisijsse, sed à persona nominata. Respondetur secundo, personam nominatam sponte suâ hoc emolumentum dedisse, propter nominationis beneficium, quod potuit, ut suorum dominus.

11 Nec obstat quintò, quòd hoc nominationis beneficium ad emphyteusim, non est pretio æstimabile. Non, inquam, hoc obstat, quia respondetur primò esse pretio æstimabile. Imo & poterat eam domum donare, & vendere, ut jam vidimus cum Molin. & Fragos. *supra cit.* Respondetur secundò, quia sive sit, sive non, pretio æstimabilis ea nominatio, nominatus ad illud onus se voluit obligare.

12 Non obstat sextò, quòd emphyteuta tenetur post mortem emphyteusim dimittere integram. Non, inquam, obstat, quia respondetur illam dimittere integram, nam gravamen non in emphyteusi sed in persona nominata manet impositum; quæ persona libenter illud gravamen acceptavit, & ad illud implendum se obligavit. Ex hac doctrina, & dictis infero, mortuo sylvestro, cessare dictum onus, quia fuit personale, & non transit ad novum emphyteutam ab ipso Sylvestro nominando.

QUÆSTIO X.

An possit emphyteuta, nominans in emphyteusi de familia, gravare nominatum, illi aliquod onus imponens?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Non potest gravare.*
3 *Nec illud gravamen in testamento factū, tenet.*
4 *Nec executio gravaminis ex errore obligat, nec successorem.*
5 *Dominus directus formam primæ investiturę sequi tenetur.*

1 TEleSphorus, & illius uxor, filios non habentes, in eadem charta se ad invicem hæredes instituerunt, & in eadem convenerunt, quòd ultimus decedens, unum ex fratribus uxoris in emphyteusi ad tertiam vitam nominaret, cum hoc onere, quòd singulis annis teneretur pro suis animabus celebrare facere decem Missas; quæ celebrarentur à fratribus talis Monasterij domini directi dictæ emphyteusis. Decessit Telesphorus, & illius uxor ad emphyteusim fratrem suum Gasparem nominavit absque onere Missarum in testamento relictarum. Hic Gaspar ad eamdem emphyteusim filium suum Balthasarem nominavit, per quam à Monasterio renovatio emphyteusis extinctæ petenda erat; & sciebat Monasterium facillimè concessurum esse onus Missarum, in testamento condito, impositum; quia erat in Monasterij utilitatem, nam eorum Religiosi eas Missas erant celebraturi. Quæritur 1. An teneatur ad illud gravamen? 2. An illi imponi possit?

RESOLUTIO.

2 Respondeo, non potuisse testatores in testamento condito, nec uxorem post mortem Telesphori sui mariti, fratrem suum ab ea nominatum ad emphyteusim, eo onere Missarum gravare. Ratio est, quia ex dictis *num.* 1. satis colligitur, eam emphyteusim esse Ecclesiasticam ex pacto, & providentia, seu de familia: hæc autem nominatio, cum non sit libera, sed necessaria ad certum corpus personarum duntaxat, ex domini directi concessione, *& l. Lusitana in Ordin. l.* 4. *tit* 36 *&* 37. non potest nominans post suum mortem nominatum gravare, tam in puras quàm conditionali nominatione *L. sejus, & Augerius* 27 *ff. ad Falcid.* ubi dicitur, sub conditione fieri non posse, quæ puri fieri jubentur. Ratione ostenditur, quia nominans in eo casu, nihil de suo præstat, & ut nudus minister, dum nominat juxta *L unum ex familia* §. 1. *ff. de legat.* 2. sed nominat ex legis dispositione, vel ex domini mandato. Sic defendunt communiter DD. Gonçall. Valasc. *in L. unum, cit. consil.* 53. *num.* 1 *in principio*, Fragos. 1. *part. Regim. l.* 4. *disp.* 9 § 3 *num.* 43 *& part.* 3 *l.* 6. *disp* 9 §, 25. *num* 8. Pinheyro *de Cens. & emphyt. part.* 2. *disp.* 6. §. 2 *num.* 130. Cald. *de potest eligend. cap.* 16. *num.* 6. *ante medium*, *& num.* 28. & pluribus relatis Pegas *in resol forens cap* 10. *num.* 30. Vide *quæst præcedent.*

3 Nec obstat primò, quòd illud gravamen Missarum fuisset in testamento relictum super ipsam

ipsam emphyteusim. Non, inquam, obstat, quia respondetur primò in eo testamento non fuisse factam nominationem; nam Telesphorus, & illius uxor erant prima, & secunda vita in ea emphyteusi, & ad ultimum decedentem nominatio pertinebat. Et uxor ultimò decedens, absque eo gravamine fratrem nominavit. Respondetur secundò, dato, quòd illud gravamen fuisset impositum juxta conventionem cum marito factam ex testamento mutuo condito, illud gravamen erat nullum, quia non poterat gravare nominatum ad eam emphyteusim ex ratione adducta, & DD. Gama *decis.* 196 *num* 2. & 3. ubi inquit ita fuisse judicatum in senatu.

4 Nec obstat secundò, quòd Gaspar nominatus in 3. vita ad eam emphyteusim, Missas celebrare fecit pro animabus Telesphori, & uxoris, sororisque suæ. Non, inquam, obstat, quia respondetur, id fuisse existimantem se ad id teneri ex verbis testamenti: error autem illius Balthasari nocere nequit, qui notitiam acquisivit certam ex viris doctis, se ad illud gravamen non teneri.

5 Nec obstat tertiò, quod Monasterij dominus directus vult illud gravamen admittere. Non, inquam, obstat, quia respondetur, Monasterium in concedenda emphyteusis renovatione, quæ debetur, teneri non recedere à clausulis, & formæ primæ investituræ absque consensu eorum, quibus debetur, ut tenent communiter DD. ex quibus plures referunt, & sequuntur Cald *de renovat q* 3 *a num* 7 Fragos. *tom.*3 *disp* 9 §. 14 *numer* 4. *& seqq.* Pinheyr. *de Cens. & emphyt. disp.*7. *sect.*4. *n* 63. & in investitura emphyteusis istius non datur id gravamen & Balthasari, cui debetur renovatio, in eo consentire non vult. Si autem consentiat simul, & dominus directus, vide Pinheyro *cit. disp.* 4. *sect.* 7 *num.* 150.

QUÆSTIO XI.

An nominatio emphyteusis de familia titulo dotis facta, revocari possit, si nominatus nominanti præmoriatur?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Potest revocari.*
3 *Etiam facta traditione emphyteusis, quæ non fuit tradita, contra plures*
4 *Ea nominatio invalida reddita fuit per mortem nominatæ, & illius filiæ, existentibus nominatæ fratribus.*
5 *Non sufficit titulus dotis, ut nominatio emphyteusis reddatur irrevocabilis.*
6 *Nominatio emphyteusis non est irrevocabilis titulo dotis facta, quando dantur alij filij.*
7 *Nominatio facta per æstimationem dotis promissæ, nominationem emphyteusis non reddit irrevocabilem.*

1 GOndiçallus, & illius uxor per contractum, & scripturam publicam filiæ suæ dotem constituerunt quatuor millium ducatorum, illamque post mortem utriusque, ad emphyteusim de pacto, & providentia ab eis emptam nominarunt; & dum emphyteusis possessionem non caperet, fructuum dimidietatem ejusdem emphyteusis haberet loco duorum millium ducatorum, ex quatuor ad suam dotem constitutis. Post annum connubij mortua est hæc dotata, & post illius mortem, elapso quinto die filia recens nata. Quæritur primo An parentes nominationem emphyteusis filiæ præmortuæ factam titulo dotis revocare possint?

RESOLUTIO.

2 Respondeo posse. Probatur *ex Ord. Reg. l* 4 *tit.*37. §. 5 ibi: *se o que tinha poder de nomear ate morte, trespassar em sua vida em outra pessoa a cousa aforada por titulo de dote, ou por qualquer outro, trespassando na dita pessoa todo o direito, que na cousa aforada tinha, posto que reserve pera si o uso fructo, ja nam podera nomear outravez a pessoa alguma, &c.* Sed è contrario sensu, parentes dotatæ, quamvis illam nominassent ad emphyteusim post suas mortes, in illam nec ingenerunt transtulerunt omne jus, quod in ea habebant, nam possessione emphyteusis potiebantur, fructus colligebant, & medietatem tantùm illorũ genero tradebant: ergo mortuâ filiâ, vel non mortuâ, eam emphyteusim poterant nominare in aliquem eorum filium, ex tribus existentibus Hæc etiam resolutio habetur *in L. Cum pater, §. a filia ff. de legat* 2 *l unum ex familia ff. eodem tit* & est communis DD. sententir. quam sequuntur Molin *tract* 2 *disp.*483. *vers. secunda conclusio*, ibi: *Primò aliquem nominaverat extra testamentum, non transferendo in illum emphyteusim, si nominatus ante nominantem moriatur, manet in nominante jus, & facultas ad iterum nominandum &c.* Anton. Gomes *in l.*17. *Tauri num.*6 *vers ex quibus infertur*, Fragos *de Regimin. Reip. Christ part.*3. *disp* 15. §. 1 *num* 1. Caldas Pereyra *de potest. eligend. cap.*2. *num* 2. *& late cap.* 9. *a num.* 1. Rebell. *de obligat. restit* 2. *part. l.*13 *q* 17. *nu.* 7. Gama *decis.*235. *num* 2 ubi *cit. l Regia*, inquit: *Si persona nominata antequam cum effectu ad emphyteusim perveniat, moriatur, poterit nominans aliam nominare.* Idem tenet Pinheyro *de Cens. & emphyt* 2. *part. disp.*6 *n.*42. *& num* 62 *in fine.*

3 Secundò probatur, quia si traderetur dicta emphyteusis à parentibus dotatæ, ipsi genero causâ dotis, adhuc nominatio non erat irrevocabilis; quia factâ mentione mortis in nominatione emphyteusis, non fuit apposita clausula cedendi, seu transferendi totum jus, quod dicti parentes in eâ emphyteusi habebant, quod juxta *cit. Ord.* erat necessarium Sic expresse Val. sc *tom* 1. *consult.* 102. *num.*36. ubi ait, non sufficere dotis titulum, ad faciendam nominationem in tempus mortis collatam, irrevocabilem, nisi

etiam ad datur clausula: *que lhe trespassa todo o dereito, que na cousa aforada tem.* Idem tenet Caldas Pereyra *de potestate elig cap 2. num 31. & cap. 4. num.35* nam, ut inquit, *num. 30.* cum alijs, *verba dict. Ordin. num. 2. Trespassando na dita pessoa todo o dereito, sunt verba gerundij, & important conditionem.* Hanc opinionem, ut veriorem sequitur Fragos. *cit.disp.9. §.23. num. 14. in fine, & disp 15. cit.§. 1. num. 3.* & illam fatetur receptiorem Emman. Barbos. *in Remiss. ad § 1. cit. Ordin. num. 2.* post medium, ubi semel pro hac sententia in senatu Portugallensi, inquit, fuisse judicatum, & bis pro opposita in eodem senatu, quam sequuntur Gama *decis.382 vers dubium hoc diciditur* & alij Vide Gabriel Pereyra *decis.9.num.3. & 4.* Ubi hanc ultimam sequitur sententiam: ergo juxta has duas sententias nostra resolutio videtur certa, quia hæ sententiæ procedunt in casu, quo facta fuit traditio emphyteusis nominato, at nostra resolutio procedit in casu, in quo traditio emphyteusis non est tradita nominatæ, nec ejus marito.

4 Tertiò probatur, posse parentes nominatæ defunctæ, alium ex suis filijs ad eam emphyteusim nominare, quia ea emphyteusis ex sua prima investitura habet, quòd sit ex familia, & cum filia nominata, & ejus filia post quintum diem à nativitate, etiamsi sit mortua; & parentes post mortem venditoris, renovare eam emphyteusim teneantur, in renovatione designabunt unum ex suis filijs pro tertia vita: & non generū nullum habentem jus, ad renovationem: ergo ea nominatio in filia facta, causà dotis, cessavit, morte etiam sequutâ filiæ, cui in opinione aliquorum poterat deberi renovatio.

5 Nec obstat primò, eam nominationem fuisse factam titulo dotis, quæ autem titulo dotis donantur, nominationem reddunt irrevocabilem *L Si ego, §. si res ff de jure dot.* & DD. ibi; Et ratione; nam habens potestatem nominandi usque ad mortem, nominat cum animo abdicandi a se facultatem variandi, cùm nominet causâ dotis, ut tradunt Flores de Mena *var.qq. l. 3. q. 22 num. 20* Augustt Barbos. *in Collect ad cap Placuit, de locat. num 147.* Emman Barbos *cit.in Remis.ad §.1. Ordin. l. 4. tit. 37.num. 2* ubi hanc opinionem inquit æquiorem, & juris magis consonam, & bis in senatu Portugallensi juxta illam fuisse judicatum; eandem sequitur juxta jus Lusitanum Pinheyro *de Cens. & emphyt part.2 disp 6.a num. 77.* ut ait. Non inquam obstat, nec jus citat. nec ea DD. opinio, quia respondetur primò, non sufficere titulum dotis duntaxat, ut ea nominatio sit irrevocabilis, quia etiam requiritur, quòd omne jus innominatum transferatur, ut expressè constat ex *Ordin cit. num. 2.* & in nominatam non omne jus fuit translatum, nec etiam emphyteusis traditio, & in his terminis, eam opinionem ij non sequuntur DD.

6 Respondetur secundò, quia dicta opinio intelligitur, quando nominans alios non haberet filios, ex quibus unum usque ad mortem poterat nominare, & sic talis nominatio in eorum præjudicium furet, in quorum favorem dominus facultatem nominandi, ad mortem efficaciter restrinxit. Sic Pinheyro *cit.num. 39.* at parentes nominatæ, quando eam nominarunt, tres filios habebant masculos. Respondetur tertiò eos omnes DD eam opinionem tenere, supponentes, nominatam esse vivam; & noster casus procedit, de nominata defuncta, nullos relinquente hæredes descendentes, nisi unicam filiam, quæ post matrem, quinto die etiam mortua fuit, & sic dicta nominatio omnino cessavit.

7 Nec obstat secundo, illam nominationem fuisse factam, & donatam per æstimationem duorum millium ducatorum, ex quatuor promissis in dotem filiæ. Non, inquam, obstat, quia respondetur eam æstimationem, in traditione emphyteusis, nominationem non reddere irrevocabilem; juxta multorum opinionem; & juxta aliam, quando non transfertur omne jus, ut *in Ordin, citata* constat. Videantur Gama *decis. 116.num. 7.* Fragos. *cit. supra n. 14. in fine,* Gabriel Pereyra *dicta decis 9 in fine.*

QUÆSTIO XII.

An ad emphyteusim Ecclesiasticam nominari possit filia naturalis, saltem sub conditione, ut nominatus illam in matrimonium ducat?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Conventus dominus directus potest licentiam concedere, ut nominetur unus ex designatis in investitura.*
3 *Etiam in casu, quòd nominans sit tertia vita.*

1 FElix nullos habens filios legitimos, tertia vita in quadam emphyteusi Ecclesiastica de pacto, & providentia, seu de familia concessa pro filijs, & descendentibus, vel in tertiam generationem, à domino directo [qui est conventus Monialium] licentiam petit ad nominandum unum ex illis, ad quem ipso jure emphyteusis devenire debet. Resistit Conventus, existimans Felicem filiam naturalem esse nominaturum. Suam fidem præstat Felix, se eam non nominaturam, sed unum ex designatis in contractu emphyteutico, sub conditione tamen, quòd suam promittat filiam in matrimonium ducere. A Conventu quæritur 1. An licentiam petitam concedere possit? 2. An felix suam naturalem filiam nominare possit? 3. An unum ex fratribus, sub conditione ducendi filiam nominare possit?

§.I.

§. I.

An conventus licentiam petitam concedere possit?

2 Respondeo, posse. Ratio est, quia absque ea licentia, & invito conventu potest emphyteuta nominare ad emphyteusim unum ex designatis in investitura, quem elegerit, ut constat ex *Ordin. Reg. l.* 4. *tit.* 36. & latius *titul.* 37. Nec per simplicem nominationem committitur alienatio, nisi accedat emphyteusis traditio, ut habetur *in cit.* §. 37. Sic Fragos. *de Regim. Reip. Christ part* 3. *disp* 9. §. 22. *num.* 1.

3 Nec obstat, quòd Felix sit tertia vita, & tertia generatio, in concessione autem emphyteutica, tertiæ vitæ nominare non concedatur. Non, inquam obstat, quia respondetur cum communi sententia, & praxi hujus Regni, tertiæ vitæ, seu ultimo emphyteutæ nominare concedi, & eligere unum ex multis ad emphyteusim designatis, quem ipse maluerit. Sic Pinheiro *de Cens. & emphyt. part.* 2. *disp.* 7. *sect.* 2. *num.* 35. ibi: *Si autem sint plures ejusdem gradus proximioris, competit ei* [nempe jus renovationis] *quem ultimus emphyteuta, vel dominus elegerit, juxta proximè dicta, &c.* Potest ergo Felix tertia vita, ad eam emphyteusim nominare unum ex suis fratribus, in consulto conventu, quem ipse maluerit: nam conventus dominus directus solùm potest nominare ex ipsis fratribus, quem maluerit, quando ultimus emphyteuta, seu tertia vita nullum nominavit, ut ipse Pinheyro *ibi num.* 34. declarat cum Caldas Pereyr. *de renovatione q.* 17. *à num.* 26. *q.* 18. *a num.* 22. Si ergo Felix invito domino potest nominare ex designatis in investitura, quem maluerit, quando sunt plures ejusdem gradus, bene sequitur, conventum eam licentiam posse concedere.

§. II.

An filia naturalis ad emphyteusim de pacto, & providentia; seu de familia, nominari possit?

SUMMARIUM.

4 *Appellatione filiorum non veniunt naturales, & contractus emphyteuticus est stricti juris.*

5 *In Emphyteusi Ecclesiastica nomine filiorum, non veniunt naturales.*

6 *Lex secularis, adversus intentionem Ecclesiæ, non potest habilitare ad emphyteusim, licet possit ad alias successiones.*

4 Respondeo cum communi DD. sententia, non posse. Hæc resolutio maximè procedit in emphyteusi Ecclesiastica concessa pro se, filijs, & descendentibus, qualis est hæc, de qua in præsenti agitur. Probatur primo, quia appellatione filiorum non veniunt naturales, nec spurij *L. Filium definimus ff. de his, qui sunt sui, &* alien, & DD. apud Barbos. *tract. de appell. verb. appell* 99 *a num.* 13. Secundò probatur, quia contractus emphyteuticus est stricti juris, Azor, Valasc. Molin. apud Pinheyro *cit. disput.* 1. *num.* 11. ergo illius verba, dum de filijs loquitur, strictè, & propriè de filijs legitimis, accipienda sunt.

5 Tertiò probatur, quia emphyteusis de qua agimus est Ecclesiastica, & in emphyteusi Ecclesiastica indubitatum resolvunt DD non contineri nomina filiorum, qui sunt naturales, aut spurij, quorum fundamentum sumitur ex regula *l. Generaliter* §. *cùm autem C de instit. & substit. sub condit. facti.* Hanc resolutionem in praxi approbant DD. Lusit. Alvar. Valasc. *tom.* 2. *consult.* 147. *n.* 12 Barbos *cit n.* 17. Caldas Pereyra *de nomin. q.* 19 *a num.* 28. *& q.* 20. *a num.* 3. Molin. *disp.* 475 *num.* 7. Gama *decis.* 2. *num.* 1. *& decis.* 149 *num.* 2. *& decis* 377 *num.* 2. Fragos *in Regim. Reip. Christ part.* 3 *disp.* 9 §. 16. *a num.* 10. Pinheyro *de Cens. & emphyt. part.* 2 *disp.* 5. *numer.* 129. Oliva *pluribus adductis de foro Eccles. q.* 32. *num.* 57. Et etiam non Lusit. Iulius Clar *l.* 4. *sentent* §. *emphyt. q.* 30. Burgos *de Pace q.* 3. *civili. n.* 42. & alij, quos citant.

6 Nec obstat *l. Reg. Ordin. l.* 4. *tit.* 92 filios naturales habilitans ad succedendum in bonis patris plebei, ac si sint legitimi, lex autem secularis illegitimos habilitans ad succedendum, servanda est de jure Canonico, & Ecclesiastico, ut tradunt plures apud Gamam *mox citandum.* Non, inquam, obstat ea lex Regia, quia respondetur primò; quanvis eam sententiam sequutus fuisset Gama *decis.* 2. *num.* 6 dicens nõ semel in hoc Regno judicatum fuisse, filium naturalem in emphyteusi Ecclesiastica successisse; id tamen est contra Ecclesiæ intentionem nam lex secularis adversus eam, habilitare non potest illegitimos ad succedendum in emphyteusi Ecclesiastica, licèt ad alias successiones possit, ut rectè docent Molin. *supra cit.* Oliva *proximè* citans Valasc. *consult.* 34. *a num.* 7. & *consult.* 147 *a num.* 12. & alios, si tamen consuetudine introductum sit in hoc Regno, quòd dicti filij in emphyteusibus succedere possint, illi standum est. Respondeo secundò, eam *l. Regiam* in præsenti casu non habere locum, nam Felix emphyteuta erat nobilis etiam tempore conceptionis dictæ filiæ, & ut talis de illo non procedit argumẽtum, sicut nec ipsa lex.

§. III.

An Felix eligendo unum ex suis fratribus ad emphyteusim, præ alijs, illum gravare possit, ut filiam ducat?

SUMMARIUM.

7 *Oppositum tradidi q.* 11. *& est tenendum.*

8 *Si detur acceptatio nominati, & electi præ alijs probabile est posse gravari.*

9 *Pater filium gravare non potest in legitima; consentiente potest.*

10 *Felice illud onus imponente, emphyteusis post mortem manebit integra.*

11 *Ea omnia, quæ adducuntur, ut onus imponatur nominato ad emphyteusim de libera nominatione, si consentiat, militant etiam in præsenti.*

12 *Felix honorat nominatum, illum præalijs eligens.*

13 *Felix in ea nominatione nudum ministerium non exercet.*

7 *Supra q.* 11. cum communi DD. diximus non posse nominantem ad emphyteusim de pacto, & providentia, nominatum gravare, illi aliquod onus imponendo, quod non est in ea emphyteusi: hæc autem de qua agimus est de pacto, & providentia: non potest ergo Felix unum præalijs fratribus nominans gravare, imponendo illi onus, ut ducat suam filiam. Hæc doctrina, & sententia est tenenda.

8 Probabile tamen mihi videtur, posse nominantem gravare; si ipse nominatus consentiat, & onus impositum ducendi filiam nominantis acceptet. Moveor primò, quia ideo illis divisim hoc gravamen imponere nequit, quia nominando hunc præalijs fratribus nihil illi de suo confert, quia nominatus non à nominante sed à domino concedente capit emphyteusim: sed pro nominatione emphyteusis de libera nominatione potest imponi gravamen, si nominatus consentiat, & acceptet ipsum gravamen, ut diximus *supra q.* 10. cum pluribus DD. & tamen emphyteuta nominans eligendo hunc præalijs hominibus, nihil illi de suo confert, quia nominatus non à nominante, sed à domino concedente capit emphyteusim: ergo si nominato ad emphyteusim de libera nominatione potest imponi gravamen, etiam nominato ad emphyteusim de pacto, & providentia, seu de familia potest imponi à Felice gravamen, quod filiam suam ducat.

9 Secundò moveor, quia pater in legitima filij nullum onus, aut gravamen potest imponere, juxta *l Quoniam in prioribus, C. de inoffic. testam.* at si filius consentiat in ea; onus, & gravamen imponere potest, ut tradunt Socin. *consil.* 230 *in princip. l.* 2. Anton. Gomes *de testam. cap.* 11. *post num* 25. Imol. *in l. Si quis posthumos ff. de liber. & posthum.* Alexand. *consil. ult. lib.* 5. *num.* 10 Guiliel. *in cap. Raynunt. de testam. verb. in eodem testament. relinquens, in* 2. *num.* 12. Molin. *tom.* 1 *de just. disp* 177. *pag* 1061. ergo licet emphyteuta non possit imponere onus nominato ad emphyteusim, ut docet communis opinio, illud potest imponere, si nominatus expressè consentiat, & acceptet.

10 Tertiò moveor; quia plures DD. docent: ideo non licere nominato in emphyteusim gravamen imponi, quia nominans post suam mortem tenetur emphyteusim integram dimittere: sed gravamen à Felice nominato, ut suam filiam ducat, non impedit, quòd emphyteusis integra deveniat ad sequentem nominandum.

11 Quartò moveor ex ijs omnibus, quæ *supra q.* 10. adduximus ad stabiliendum, licitum esse, imponere gravamen pro nominatione ad emphyteusim de libera nominatione, nam ea omnia applicari possunt ad gravamen nominationis ad emphyteusim de pacto, & providentia, seu de familia: ergo si nominatus in gravamine consentiat, potest sub illo emphyteuta ad emphyteusim nominare. Ita expressè tenet Molin. *disput.* 592. *num.* 8. *infine*, cujus verba *num.* 13. *adducam.* Ex qua doctrina non sequitur emphyteusim manere gravatam, sed ipsam personam ut apertè in præsenti casu habemus; & quando persona solùm gravatur, plures concedunt DD. Cald. Pereyra *de potest. eligend. cap.* 16 *a num.* 60. & in simili idem tenet Sanch. *tom.* 1. *consil. l.* 2 *cap.* 1 *dub* 38. *num.* 14. & alij, videatur Pegas *in resolut forens. cap.* 10. *num*, 32. & 33. Vide *dicta q.* 10.

12 Nec obstat *l. Ab eo, C. de fideicommiss.* in qua dicitur quòd *nemo potest onerare, quem non honorat.* Non, inquam, obstat, quia respondetur Felicem honorare nominatum, cùm illum eligat, & nominet ad emphyteusim præ alijs fratribus, ex quibus poterat eligere unum, aut alium ad eam emphyteusim; sicut etiam electum honorat emphyteuta eligendo ad emphyteusim de libera nominatione, præalijs, quos poterat eligere, ut diximus *cit. q.* 10.

13 Nec obstat secundò, quòd Felix in ea nominatione nihil præstet, & sit nudus minister dum nominat; ut constat ex *l. unum ex familia ff. de legat.* 2. ibi: *facultas necessaria electionis propriæ liberalitatis beneficium est.* Non, inquam, obstat, quia respondetur cum Molin. cit. *dicta disp.* 592 *num.* 8. *in fine* negando nudum ministerium exercere, eligendo, seu nominando, *sed veram rem suam* [verbis utor Molin.] *electione, ac nominatione confert, eaque de causa, non solum si ea emphyteusis sit hæreditaria, potest pro nominatione, seu electione ad illam, accipere interesse, sed meo judicio, etiam si sit ex pacto, & providentia, potest illud accipere: tametsi rei ipsi emphyteuticæ, eo quòd alterius sit, quoad dominium directum, non possit imponere gravamen.* Sic Molin. In nostro autem casu non gravatur emphyteusis, sed emphyteuta nominatus. Ad verba autem *legis, unum ex familia*, respondetur habere verum, quando deficit nominati consensus, si tamen consensum præstiterit, illum non potest revocare, *l. Per fundum ff. de servit. rustic. prædior.* sed tenetur gravamen implere pro honore sibi exhibito in illa electione, illi præ alijs facta. Quamvis hæc videantur probabilia, maximè ex authoritate Molin. à contraria sententia non est recedendum.

QVÆS-

QUÆSTIO XIII.

An terræ ſteriles, & incultæ ſine ſolemnitatibus juris à Prælato in emphyteuſim dari poſſint?

SUMMARIUM.

1 *Facti ſpecies.*
2 *Dari poſſunt.*
3 *Etiam in emphyteuſim perpetuam.*
4 *Extrav. Ambitioſæ de his non agit.*
5 *Si induſtria emphyteutæ reddantur utiles, hæredibus dari poſſunt, ut primò, ſine ſolemnitatibus.*

1 IN Epiſcopatu Portugallenſi ſunt aliquæ terræ adeo incultæ, & ſteriles, ut nullam præſtent utilitatem. Maurus in quadam hujus terræ parte à Prælato petijt locum ad conſtruendam domum, & dandam in emphyteuſim. Quæritur An Prælatus abſque juris ſolemnitatibus eam terram in emphyteuſim dare poſſit.

RESOLUTIO.

Reſpondeo poſſe; eſt que reſolutio indubitata apud DD. & pro ea ſtat *textus in cap. Ad aures*, ibi: *Illas terras, quæ de ſylvis extirpatæ, ſunt arabiles factæ, eis hæreditario jure poterit concedere, ſub annuo cenſu tenendas, à quibus*, &c. *de rebus Eccleſ. non alien.* Et expreſſius habetur in titulo ejuſdem textus, ſic habente: *Terra non fertilis Eccleſiæ dari poteſt in emphyteuſim ei, cujus ſtudio reducatur ad culturam.*

3 Et non ſolùm ea terra dari poteſt in emphyteuſim ad vitas, ſed in emphyteuſim perpetuam, ut conſtat ex dictione, *hæreditario jure*, & Gloſſ. ibi: *Verb. hæreditario, id eſt in emphyteuſim perpetuam*; & ex alijs textibus idem tradit Gama *deciſ.* 323 *num* 1. *& ſeqq.* & ſuſtinêt Cald. Pereyra *de nomin. q.* 23. *num.* 17. & relatis Roman Cephal & Boroio Petr. Barboſ. *in l.* 2. *num* 377. Cod. *de præſcript.* 30 *vel* 40. *annorum*, Leſſ. *l.* 2 *de juſt. cap* 25. *dub* 11. *num.* 64. *fol.* 332. Fragoſ. *de Regim. Reip. Chriſt. tom.* 3. *diſp.* 14 §. 6. *num.* 5. Pinheyro de *Cenſ. & emphyt part.* 2 *diſp.* 2 *ſect.* 2. *num* 29 & alij quos citant.

4 Nec obſtat *Extrav. Ambitioſæ, de rebus Eccleſ. non alienand.* in qua prohibetur, ne res Eccleſiæ, inconſulto Romano Pontifice, emphyteuticentur. Non, inquam, obſtat, quia reſpondetur ibi apponi clauſulam, *præterquam in caſibus in jure permiſſis*; at præſens caſus *in cap Ad aures cit.* abipſo jure, & permittitur, & cõceditur. Reſpondetur ſecundò, eam Extrav. non intelligi de rebus exiguis; nec derogaſſe *cap. Terrulas* 12. *q.* 2. ex reſponſione S. Congreg. ut aſſerit Quarant. *de reb Eccleſ. n.* 41 §. *Adde fol.* 31. & alij *cit.* fatentes, poſſe Prælatos dare in emphyteuſim res ſteriles, incultas, & exiguas, ut viniolas, ſeu terrulas, inconſulto Rom. Põtifice, & ſine conſenſu Capituli, & inconſultis fratribus. Sic pluribus relatis Fragoſ. Petr. Barboſ. Pinheyro, & alij.

5 Adverto juxta textum *cit. in cap. Ad aures*, ſi dicta terra ſterilis poſtea fiat fructifera, & utilis induſtriâ emphyteutæ, eſſe iterum concedendam in emphyteuſim ejus hæredibus, ibi: *eis hæreditario jure poteris concedere*, ſine aliqua ſolemnitate, & eo modo quo conceſſa fuit primo emphyteutæ; non tamen alijs emphyteutis diverſis, niſi in caſibus in jure permiſſis, & ſervatâ formâ, & ſolemnitate requiſitâ. Sic pluribus allatis Rodoan. *de reb. Eccleſ. q.* 51. *cap.* 19 Roman. *conſil.* 22. & 219. Ancharan. *conſil.* 40 & 301 Fragoſus *dict. nu.* 5. *in fine.* Semel tamen alienatâ ad primum emphyteutam, ſemper manet alienabilis, dummodo bonis Eccleſiæ non incorporetur, ut *ſupra q.* 9. *num.* 4 diximus.

QUÆSTIO XIV.

An abſque domini conſenſu, emphyteuſis de libera nominatione, cum alijs bonis liberis relictis, vinculo maioratus ſubjici poſſit?

SUMMARIUM.

1 *Facti ſpecies.*
2 *Ad primum onus tenetur nominatus ex acceptatione.*
3 *Tenetur etiam ratione bonorum allodialium in maiori æſtimatione relictorum.*
4 *Dominus poteſt mutare naturam, & qualitates emphyteuſis, quando in aliquorum præjudicium non cedit*
5 *Emphyteuta poteſt obligare vocatos, ſi onus, & bona libera acceptent.*
6 *Nominatus poteſt alios obligare, ratione bonorum allodialium.*

1 MArcullus prima vita emphyteuſis de libera nominatione, ut conſtat ex ſcriptura contractus emphyteutici, reliquit hanc emphyteuſim cum alijs bonis liberis, & in qualitate differentibus ſuo nepoti ex fratre, ſub vinculo maioratus Ipſi nepoti mandavit, ut totis viribus, omnique conatu laboraret, eam emphyteuſim facere perpetuam, *vulgo Fateoſim*, ut in maioratu perpetua manere poſſit. Etſi hoc à domino directo aſſequi non poſſit, ſucceſſores, deſcendentes, & conſanguinei taliter ad eam emphyteuſim nominaſſent, ut illa eâdem formâ maioratus, quâ diſpoſuerat, perpetuaretur Per plures annos nepos eamdem emphyteuſim cum reliquis bonis à patruo relictis poſſedit; quin emphyteuſim facere perpetuam, conatus fuiſſet. Quæritur 1. An teneatur ſervare conditiones à patruo impoſitas ob utilitatem, quam acquiſivit, ex alijs bonis relictis? 2. An poſſit vinculo maioratus emphyteuſim ſubjicere abſque domini conſenſu? 3. An

ad

ad dictam emphyteusim nominare possit, quê maluerit, aut illam vendere in eo statu, quo jacet.

§. I.

An nepos Marcelli conditiones à patruo impositas; servare teneatur, ob utilitates acquisitas, ex alijs bonis sibi relictis?

2 Duplex onus suo nepoti imposuit Marcellus. Primum, ut totis viribus incumberet, ut emphyteusis, in qua eum nominavit, perpetua fieret domini consensu, ut vinculo maioratus subjiceretur. Secundum; hoc primo non consequuto, quòd per suos descendentes, & successores ita continuarentur nominationes emphyteusis successivè, ut emphyteusis in maioratu perpetuatur. Ad primum onus certum est, teneri nepotem; tum ex ipsa acceptatione emphyteusis sub illo onere, tum ex bonis allodialibus, seu liberis acceptatis, & ab eo per plures annos possessis. Quod teneatur ad ipsum onus ab eo acceptatum ob nominationem ad emphyteusim sibi factam, liberæ nominationis, ostenditur ex dictis *supra per totam q.* 10.

3 Quòd verò etiam teneatur ad idem primum onus, ratione bonorum allodialium, quæ cum ea emphyteusi maioratui subjecit, & nepoti reliquit, probatur: Quia maiori pretio æstimantur, quæ Marcellus ex suis bonis liberis cum emphyteusi suo nepoti reliquit, quàm æstimetur, à domino directo enixè petere, etiam cum aliqua expensa, ut emphyteusim perpetuam faceret: at DD. conveniunt valere gravamen à nominante nominato impositum ad emphyteusim, quando tantumdem reliquit ex suis bonis liberis. Addo hoc onus non fuisse impositum supra ipsam emphyteusim sed supra ipsum nepotem ad illam nominatum. Et quòd nepos teneatur, est expressum in textu *l. Vnum ex familia § Sed si funadum, ff. de legat. 2.* ibi: *Nisi tantumdem eidem reliquissent.* Et ita judicatum refert Gama *decis. 70 num* 2. Caldas *de potest. eligend. cap. 16. a num* 2. & *de nomin. q.* 2. *num.* 9 & *seqq.* Menoch. *consil.* 196 *n.* 14. Pinheyro *de cens. & emphyt. part* 2. *disp.* 4. *num.* 99 & *disp.* 6 *numer.* 125 Pegas *Resol. forens. cap.* 10. *num.* 31. & alij, quos citant; vel quando nominatus acceptavit, vide *q.* 10 & *q.* 13. ergo cùm nepos illud onus acceptaverit, ad illud tenetur.

4 Nec obstat, quòd dominus non potest mutare naturam emphyteusis; & cùm emphyteusis de qua agimus, sit de libera nominatione, & vitalitia, ut *ex num.* 1 colligitur, cùm ibi dicatur; Marcellum esse primam vitam: ergo inutile erit à domino directo petere eam mutationem, cum non sit concedenda. Non, inquam, obstat, quia respondetur cum communi DD. posse dominum mutare naturam emphyteusis, & qualitates, quando ex mutatione nulli infertur præjudicium. Sic plurimis relatis Caldas *de renov. q.* 3 *num.* 7. Fragos. *tom.* 3 *disp.* 9. §. 14. *num.* 4 & *seqq.* Pinheyr. *de Cens. & emphyt. disp.* 7 *num.* 63. At in præsenti casu nullum datur præjudicium vocatorum ad eam emphyteusim, cùm sit de libera nominatione, & non de familia, nec hæreditaria. Hæc responsio supponit, quòd hæc emphyteusis sit sæcularis, ut videtur ex *dictis num.* 1. nam si sit Ecclesiastica non potest recedi à prima investitura, nec fieri perpetua sine solemnitatibus ad primam concessionem requisitis, ut tradit Pinheyr. *cit. eodem numero in fine.*

5 Ad secundum onus, quod Marcellus imponebat suo nepoti: nempe, quòd in casu, quo non possit à domino directo consequi, fieri emphyteusim perpetuam; per suos descendentes, & successores continuarentur nominationes successivè, tali modo, ut perpetuarentur cum alijs bonis liberis ab eo relictis in maioratu, quem instituebat. Respondeo; teneri nepotem ipsam emphyteusim ad vitas de libera nominatione, pro sua vita non vendere, & nominare descendentem, impositio ei gravamine, ratione aliorum bonorum allodialium, quæ etiam ad illum devenire debent, cum eadem obligatione nominandi descendentem, aut successorem, ut Marcellus disposuit: quia [ut suppono] bona allodialia, seu libera tantumdê æstimabantur, ac ipsa emphyteusis; & sic [ut diximus *supra num.* 3] poterat Marcellus gravare in ipsa conditione nepotem, & hic descendentem, & sic successores alij; quia ad omnes ea bona libera devenire debent. Et de nepote, in cujus vita maioratus durare potest, inquit ex Ripa Gama *dicta decis.* 70 *num.* 2. *in fine*, judicatum fuisse; & Fragos. *dict tom.* 3. *disp.* 20. §. 5, *n.* 70. *vers. His positis.* Et idem de alijs, ex eâdem ratione dici potest.

6 Nec obstat, quòd Marcellus, ad eam emphyteusim unam tantùm facere possit nominationem, nec illam de familia, aut sanguine facere possit, cum sit de libera nominatione. Non, inquam, obstat, quia respondetur, illum unam tantùm; & non sequentes facere nominationes; ratione tamen bonorum allodialium, quæ tantumdem; aut plus æstimantur, imponit illud onus nepoti; qui cum acceptaverit, ad id tenetur; & ratione eorum bonorum ad idem etiam successores tenentur, dato, quòd ea bona sibi acquirere velint. Quòd si nolint eam conditionem acceptare ea bona libera, ab illis ad quos de jure pertinent, acquirerentur; nam qui rejicit onus, commodum sentire non debet. Nec Marcellus cum ipsa conditione emphyteusim facit de familia, aut sanguine, nec illi hoc onus imponit, sed ipsis nominatis successuris, in casu, quo sua bona libera sibi velint acquirere. Hæc tamen ex seqq. §. resolutione, & principali in præsenti casu patefient.

§. II.

§. II.

An emphyteusis de libera nominatione vinculo maioratus, absque domini consensu, subjici possit.

SUMMARIUM.

7 *Emphyteuta de consensu domini, & sine præjudicio vocatorum potest emphyteusim vinculo maioratus subjicere.*

8 *Prima sententia tenet, posse emphiteutam cum jactura domini, maioratui emphyteusim subjicere.*

9 *Emphyteuta potest prohibere alienationem, si aliqua bona libera in valore æqualia nominatis relinquat.*

10 *Non est in obligatione venditio emphyteusis, sed in potestate emphyteutæ*

11 *Secunda sententia defendit, posse emphyteusim perpetuam, non tamen ad vitas, vinculo maioratus subjici.*

12 *Tertia sententia tuetur, non posse emphyteusim perpetuam, & hæreditariam vinculo subjici maioratus.*

13 *Tertia sententia est probabilior, & verior; prima tamen, & secunda sunt probabiles.*

7 Absque controvertia est, posse emphyteutam de consensu domini, & nullo dato præjudicio vocatorum ad emphyteusim, illam vinculo maioratus subjicere. In præsenti tamen emphyteusi, cùm sit de libera nominatione, nullum datur præjudicium vocatorum; nam ad illam nulli sunt vocati, si ergo detur consensus domini, vinculo maioratus subjici poterit.

8 Si tamen non detur consensus domini, imo illum neget, est magis controversum. Hæc controversia ad tres sententias reduci potest. Prima asserit, posse emphyteutam vinculo maioratus emphyteusim subjicere cum præjudicio domini, nempe cum jactura Laudemij. Hanc sententiam videtur sequi Fragos. *dict tom.* 3. *disp.* 20 § 5. *num.* 70. *vers.* Ex traditis ubi inquit, posse emphyteusim vinculo maioratus subjici, si concedatur pro *heredibus, vel pro quibus pater dederit, aut pro certis vocibus, quibus nominaverit*; in quibus clausulis includitur emphyteusis de libera nominatione, maximè in illa, *pro quibus pater dederit*, citatque Mantium; & quandoque pro hac sententia fuisse judicatum, inquit Gama *decis.* 70.

9 Expressè hanc sententiam sequitur Ripa *in l. Filius familias* § *Divi, num.* 90 *ff. de legat.* 1. Probatur, quia Mercellus potest ad illam emphyteusim nominare, quem maluerit, & illi prohibere alienationem, ut omnes concedunt: ergo etiam illam vinculo maioratus potest annectere; & si nominato, & alijs successivè succedentibus relinquat bona libera in valore considerabilia, tenentur ad illud onus, si ea bona libera sibi acquirere velint. Aliter hanc sententiam probat Ripal, dicens, posse emphyteusim in fidei commissum deduci. Quod à pluribus approbatur, ut videre est apud Gabriel Pereyra *decis.* 26. *num.* 3 Quia tamen ipsi Gabrieli hoc fundamentum non probatur, nec alijs ab eo *cit. num.* 5. illi supersedeo.

10 Nec obstat contra hanc sententiam, ex prohibitione alienationis dominium directum, ob non venditionem laudemio privari. Non, inquam, obstat, quia respondetur primo, non esse in obligatione positam, venditionem emphyteusis, sed in emphyteutæ potestate. Et non teneri emphyteutam vendere emphyteusim, tradit cum Bald. *in cap.* 1. §. *Sed etiam res, tit. per quos fiat investitura, de prohibita feudi alien.* Fragos. *cit. dict. numer.* 7 Et maximè hoc habet locum ex bonis liberis cum ipsa obligatione acceptatis; quod non videtur negare, nec potest Gabriel. Pereyra *citat num.* 5, ibi: *Nisi aliud accedat, quod cum mediante nominatione emphyteusis, acquiri debeat, & non aliter.* Quod evenit in nostro casu. Respondeo secundò, dominum in contractu emphyteutico non prohibuisse, ne talis emphyteusis vinculo maioratus subjiciatur, quod requirebatur, ut tenet Cabed. 1. *part. decis.* 130. *numer. final.* Respondetur tertiò cum Molin. *de primog l.* 2. *cap.* 10. *num.* 71. non considerante, in hac maioratus institutione præjudicium domini directi, sed filiorum; nam *loco cit.* inquit posse constitui maioratum ex emphyteusi concessa pro se, heredibus suis; vel pro se, atque filijs, & heredibus suis simul; non tamen si concessa sit pro se, & filijs, nulla factâ mentione heredum; quia filijs, nullâ factâ mentione domini, non potest præjudicare; Et pro hac distinctione plures affert DD. Ex qua sequitur in nostro casu, in quo emphyteusis est delibera nominatione, & nullum datur filiorum præjudicium, & domini præjudicium nó venit in considerationem, bene posse ex hac emphyteusi maioratum constitui.

11 Secunda sententia affirmat, posse emphyteusim perpetuam maioratui vinculari, nõ tamen si sit ad vitas. Sic Cabed. 1. *part. decis.* 130. citans Barbos. in manu scriptis *super l. Filius familias* §. *Divi ff. de legat.* 1. Eandem videtur sequi Gama *decis.* 214. *in fine.* Quamvis op positam quoad utramque partem magis probaverit *decis.* 70. *num.* 2. In utroque tamen loco inquit pro utraque emphyteusi, tam perpetua, quam ad vitâ fuisse judicatum. Et adductam in praxi observari, fatetur Gabriel Pereyra *dict. decis.* 26. *num.* 7. Et hanc praxim confirmat ex his, quæ docent Menoch. Hyppolyt. Raunnt Iun. Burs at. Gam. Cabed. & alij. Hanc eandem sententiam videtur tenere Fragos. *cit. dict. num.* 70. *vers. His positis.* At emphyteusis de qua in præsenti agitur, est vitalitia, & non perpetua: ergo maioratui subjici non potest.

12 Tertia sententia tenet, emphyteusim perpetuâ,

petuam, & hæreditariam vinculo maioratus non posse subjici, à fortiori, nec alias. Sic Molin. *tom.* 3 *de just. disp* 608 *num* 2. Britt *in capit. potuit*, §. 2. *num.* 54 *in fine*, *de locat.* Gabriel Pereyra. *cit dicta decis* 36 *num.* 2. 4 & 7. Phœbus *tom.* 1 *decis.* 5 *per totam*, Pinheyro *de Cens. & emphyt.* 2 *part*, *disp* 4 *a numer.* 145. & alij quos citant. Idem sustinent Lara *de Annia. & Capell l.* 1. *cap* 19 *numer.* 11. dum inquit, emphyteusim absque domini consensu vinculo capellaniæ non posse subjici, quod etiam censuerunt aliqui senatores apud Gamam *decis* 218 *num* 3.

13 Ex his sententijs hanc tertiam probabiliorem, & veriorem existimo; secunda tamen, si pro se habeat praxim, ut dicunt pro ea citati, ab illa in judicando non est recedendum. Cùm tamen pro his omnibus sententijs, latæ sententiæ, omnes sunt probabiles; & etiam prima de qua magis est dubitandum, saltem propter eam sequentium authoritatem; Et in nostro casu propter gravamen impositum, cum annexione aliorum bonorum allodalium ipsi maioratui annexorum. Si tamen dominus repugnet, & emphyteutæ successores nolint nominare juxta intentionem institutoris maioratus, ad id non tenentur, tenentur tamen bona allodalia illis dimittere, ad quos de jure pertinent. Dixi *emphyteutæ successores*, nam præsens emphyteuta in sua vita stare tenetur pro dispositione institutoris, quia & acceptavit, sub illo onere, & potest, ut concedunt DD. quos jam citavimus.

§. III.

An nepos possit nominare ad eam emphyteusim, quem maluerit, aut illam vendere in statu, quo est.

SUMMARIUM.

14 *Nec potest nominare, quem maluerit, nec illam vendere.*

15 *Descendens potest, si onus non acceptet, secus si acceptet.*

16 *Dominus directus potest queri, quòd emphyteusis sit annexa maioratui, non tamen, quod non vendatur; nec de nominatione facta in filium maiorem.*

14 Ex dictis constat, non posse nepotem nominare ad eam emphyteusim, quem maluerit, nec illam vendere. Ratio est, quia ad utrumque se obligavit, dato, quòd dominus nolit emphyteusim perpetuam concedere, nam ipsum onus acceptavit, & sub illo illi donata fuerunt bona libera, excedentia in valore, ipsam nominationem Et in his terminis, nec potest nominare, quem maluerit, nec emphyteusim vendere, *ut supra*, & *q.* 10. *Cum pluribus* DD. dictum est.

15 Si autem ab eo nominatus, & proximior in jure successionis, onus impositum nolit acceptare, ad illam emphyteusim nominare poterit, quem voluerit, juxta investituram illius emphyteusis, vel illam vendere; bona tamen libera, sub vinculo maioratus unita, tenetur tradere illis, ad quos de jure venire debebant; si tamen ipsum onus à Marcello impositum acceptet, tenetur ad ea, ad quæ ipse nepos, & sic successores eodem ordine à Marcello vocati.

16 At si directus dominus queratur de eo modo nominandi, potest ea emphyteusis vendi, & pretium investiri in bonis liberis & immobilibus, ut cum alijs relictis à Marcello, vinculo maioratus annectantur. Fateor tamen, quamvis dominus directus queri possit de emphyteusi, esse sub maioratu; queri tamen non posse, quòd non vendatur; quia in potestate emphyteutæ est, illam vendere, vel non vendere, nec etiam, quòd ad illam nominetur filius natu maior; & illo, & alijs filijs deficientibus, quòd nominentur filiæ eodem nativitatis ordine, & his omnibus deficientibus, quòd nominetur consanguineus natu maiores proximior; nam si de facto nullum nominet, licèt emphyteusis sit de libera nominatione, ad hos hoc ordine ex ipso jure devenire debet.

QUÆSTIO XV.

An clerici, & Regulares existimantur à solvendis decimis de bonis novalibus proprijs, aut alienis, quæ propriis expensis excolunt?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*

2 *Tenentur clerici, non tamen Regulariter, ex proprijs tantùm novalibus.*

3 *Ad præscribendum contra decimas requiruntur quadraginta anni cum titulo, & sine illo tempus immemoriale.*

4 *Privilegia Regularium, circa decimas novalium, comprehendunt propria, & non conducta.*

5 *Idem de ordine S. Bernardi.*

1 INvaluit consuetudo, inter clericos cujusdam civitatis hujus Regni, seu ut potius dicam, abusus; se non teneri ad solvendas decimas de novalibus, & illorum unus Militaris ordinis S. Benedicti frater de Conventu Avis, per septem annos eas non solvit; non ex prædio proprio, sed ex communitate oppidi, *vulgo do Conselho*, rupto proprio labore & expensis. Nunc decimæ ab illo petuntur. Attamen se defendit, dicens, prædium fuisse ruptum suo labore, & expensis, & se esse fratrem Avisis Ordini, & per communicationem gaudere privilegijs Ordinis S Bernardi, & Mendicantium, ut constat *ex sua regula typis data anno* 1630 *fol.* 116. *tit.* 5. *diffinit.* 20 Quæritur; An clerici, & dictus Frater teneantur ad solvendas decimas de novalibus?

RE-

RESOLUTIO.

3 Respondeo me nescire ; in quo fundetur ea exemptio, quæ inter clericos invaluit, se non teneri ad solvendas decimas de novalibus, nisi sit *text. in cap. 2. de decimis*, ibi: *Novum genus exactionis est, ut clerici à clericis decimas exigant.* Hoc tamen intelligitur ex prædijs, quæ possident titulo spirituali suarum Ecclesiarum. Nam quoad decimas novalium Religiosi tantummodo sunt privilegiati, ut constat *ex text. in cap Ex parte decima de decim.* & ex illis intelligitur *textus in cap. fin. de privileg.* Et hoc cum limitationibus, quarum una est, quod novalia debent esse sua, ut expressè constat *ex cit. cap. ex parte*, ibi: *de novalibus suis*, qualia non sunt ea de quibus fit mentio *num.* 1. quia sunt communitatis, nempe *do Conselho.*

3 Nec obstat primò spatium septem annorum, in quibus dictus frater decimas ex ijs novalibus non solvit. Non, inquam, obstat, quia respondetur ad præscriptionem decimarum requiri quadraginta annos cum titulo, & sine illo, tempus immemoriale, ut cum communi DD. tenet Castr. Palaus *tom. 2. tract. 10. disp. unic. de decim. & primit. punct. 5. num. 2.* & cum pluribus Dian. *part 3. tract. 5. miscell. resol. 77. & part. 5. tract. 14. miscell. resol. 42.* Vide *infra q.*

4 Nec obstat secundò titulus communicationis cum Religiosis S. Bernardi, ut dictus frater eximatur a solvendis decimis de novalibus. Non, inquam, obstat, quia respondetur primò juxta doctrinam Lezan. *tom. 3. Verb. Decimæ, quoad Regulares*, privilegium eximens à solutione decimarum, non comprehendi in generali communicatione unius Religionis, alijs facta, nisi expressè fiat mentio talis privilegij, ex *S. Rota in una Valentina anno* 1603. Videndus tamen est dict. Lezan. ibidem, ubi alia adducit; Aliqui tamen non improbabiliter oppositum tradunt, ut *q. sequenti num. 3. & 4.* videbitur.

5 Respondetur secundò, dictos Religiosos S. Bernardi esse exemptos à solvendis decimis de novalibus, quæ proprijs sumptibus excolunt *cap. fin. de privileg.* Et illorum privilegium extenditur ad terras, quas acquisierunt, & acquirent post Concil. Lateranense *in cap. Nuper de decim.* ut decidit *Rota in Pampilonensi decimarum*, 18. *Decemb.* 1615. *coram Corcino*, præsertim propter privilegium Sixti IV. ibi: *Singulares personas dicti Ordinis præstatione decimarum, tam de possessionibus habitis ante, & post Concilium, quam de cætero habendis, quæ proprijs sumptibus excolunt, aut excolent.* Vt referunt Fr. Man Rodrig. *in Collect. Bullar. Apostol. pro Regularibus, Bull. 5. Martine V.* & Barbos. *in Collect. ad cit. cap. Ex parte num. 2.* Cæterum non video privilegia ordinis S. Bernardi post dictum Concil. Lateran. extendi amplius, quàm ad novalia, & prædia propria, non verò ad conducta, ut notat Tamburin. *de jur. Abbat. tom. 1. disp. 15. q. 18. num. 5.* & Castr. Palaus supra *punct. 12. num. 2. & 8.* Quare salvo meliori judicio existimo valde scrupulosum esse, quòd dictus frater non solvat decimas de ipso prædio.

QUÆSTIO XVI.

An locator quorundam Religiosorum teneatur ex terris locatis, ex monte solvere decimas, & ex residuo solvere quartum, aut quintum, quod ex terris solvitur, aut è contra?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Decimæ solvendæ sunt ex monte maiori, antequam solvatur quartum, & quintum.*
3 *Privilegium non solvendi decimas alicui Religioni concessum, alijs non communicatur per generalem communicationem.*
4 *Hæc est consuetudo, & praxis, cui standum est, licèt oppositum teneant non pauci.*

1 VIncentius colonus, & conductor hæreditatis Religiosorum Carmelitarum, ex qua ipsis Religiosis quartum, & quintum solvit. Incidit autem dubium, an dictus locator omnem decimam ex monte maiori integram parochiali Ecclesiæ solvere teneretur, antequam ipsis Religiosis quartum, & quintum solvat; aut possint ipsi Religiosi primò exigere suum quartum, aut quintum, ex monte sine diminutione, & ex residuo, quod colono remansit, decima solvatur.

RESOLUTIO.

2 Respondeo, solvendam esse decimam ex monte maiori, antequam solvatur quartum & quintum Religiosis. Ita disponitur jure communi, quando pars privilegiata non est, *capit. Cum non sit, cap. Tua nobis, cap. Non est, cap. Cum homines, & cap. Pastoralis, de decim.* Et dicti Religiosi non videntur privilegiati, quoad hæreditates, quas ipsi per se proprijs sumptibus, non colunt. Nam jus commune in aliquo Religiosis privilegium non confert, nisi terris, quas ipsi per se excolunt, *cap. Ex parte 1. de Decim.* Nec alia specialia dantur privilegia ordini Carmelitarum concessa; ut constat ex sixti IV. privilegio, quod est amplum, huic Religioni concessum, in tantùm, quòd Lezan. *tom. 3 Verb Decimæ, quoad Regul.* illud dicit *notabile, n. 4* Attamen hoc privilegium solùm loquitur de terris, quas ipsi Religiosi colunt, ut inquit ipse Lezan. *tom. 2. cap. 1. num. 32.* ubi hoc privilegium de verbo ad verbum refert.

3 Poterat tamen adduci privilegium Gregorij XIII. nostræ Societati IESU concessum, de quo latè Fagund *in 5 Eccles. præcept. lib. 2. cap. 4 num. 2.* Hoc autem privilegium est dumtaxat Societati IESU concessum: & privilegium de non solvendis decimis, alicui Religioni concessum alijs per communicationem generalem priviligiorum, non communicatur. Ut decisum est *a Rota in una valentina decimarum, 28. Novemb. 1603.* Vt *quæst. præcedenti num. 4 dixi.* Scio tamen Lezan. *Verb. Decimæ, quoad Regul. num. 8.* hanc impugnare decisionem, ut jam *præcedente q. dicto num. 4* insinuavi. Cæterum non audet oppositum dicere; quia est commune inter DD. quos latè citant, & sequuntur Tamburin. *de jure Abbat. tom. 1. disp. 15 quæst 18 num. 34. & seqq.* Barbos. *de Iur. Eccles. univers. l 3. cap 26. § 3, numer. 41.* Ubi præter Valentinam, alias adducit Rotæ decisiones, sic etiam Trullench. *tom. 1. decal. l 3. cap. 3 dub. 12. num. 4* Merol. *tom 3. disp. 6 capit. 4. dub. 8.* Dian *part. 10. tract. 12. resol. 49.* [quidquid in oppositum sentiant Fr. Ioannes da Crus *in epist. privileg. tor. l. 2 cap. 9.* Raphael de la Torre *in 2 2. 10 m. 1 q 87. disp. 1. num. 5.* Hieron. Garcias *in polit Regul tom. 1. tract. 8 diff. 4 dub. 2 punct. 4. num. 8* Leand. *tom. 3. in præcept. Eccles tract. 6. disp. 6. q. 43.* cum aliqua tamen distinctione.

4 Et sanè, his non obstantibus, hoc ultimo loco, citatis DD. hæc est consuetudo, & praxis, cui standum est, maximè in hac decimarum materia, *cap. Cum antea §. respondemus, de decim. cap. Cum sint homines, & cap. Ad Apostolicæ, eod. tit.* prout communiter tradunt DD. quos latè citant & sequuntur DD. Cabed. 2. *part. decis 205. num. 2.* Azeved. *l. 1 num. 12 tit. 5. & cap 30 num 2* Barbos. *de jur. Eccles. l. 3. de decim cap. 26. num 71.* & alij. Præcisâ autem hâc consuetudine, & praxi, vide Leand. *cit. dicto tom. 3. tract. 6, disp. 6 q. 37.*

QUÆSTIO XVII.

An Equites Christi, S. Iacobi, & Avisij decimas ex proprijs prædijs, quæ colunt, & ex animalibus, quæ in illis nutriuntur, solvere teneantur?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Tenentur; Licèt oppositum intendant probare Gabr. Pereyra, & Phœbus.*
3 *Oppositum ostendit Themud. cum Brito.*

1 ILdefonsus S. Iacobi Commendatarius in Transtagana Provincia quamdam habet hæreditatem, quam proprijs sumptibus colit. Quærit. An decimas, tam ex fructibus, quàm ex animalibus, quæ in illa nutriuntur, solvere teneatur?

RESOLUTIO.

2 Respondeo teneri. Quamvis enim Gabr. Pereyra de Castr. *decis. 91. per totam*, & Phœbus *decis. 70. doctissimè* intendunt, probare Equites Ordinis Christi, S. Iacobi, & Avizij privilegio gaudere exemptionis solvendi decimas, quoad suas terras, quas proprijs expensis colunt.

3 Cæterum Themud. *in decis. Archiepisc. Ulyssip. 1 part. decis. 2* oppositum demonstrat cũ Brito *ad cap. 2 de locat. part. 3. a num* 43 & alijs pluribus rectè refutans Gabr Pereyra, & Phœbum, de illis dicens *num. 136.* in hoc puncto, *Potius affectasse, & cum periculo multarum animarum, & suarum forte, propter exempla, quæ hodie ex eorum authoritate multi juris minus periti autumant; si enim prædicti Authores radicitus vellent videre supraposita fundamenta, talia non scripsissent, & clarè consideraretur per judices timoratos, qui quotidie judicant contra eorum scripta, exceptis aliquibus paucis, proprium interesse procurantibus ratione Crucis, quam in pectore gestant cum obligatione restitutionis, & peccati.* Sic Themud. Et mox adducit nova, & optima fundamenta; & ad oppositа respondet. Et quia omnia, quæ in hac quæst. dici possunt, dilucidè tractat, ad illum remitto lectorem curiosũ.

QUÆSTIO XVIII.

An licita sit compositio super minori quota decimarum ab Abbatibus cum piscatoribus facta, ut ad territorium suarum parochiarum retia trahant?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Est nulla contra ipsum jus, & DD.*
3 *Est cum præjudicio successorum.*
4 *Est cum præjudicio parochiarum vininarum.*

1 IN illo magno maris sinu interjacente, inter Villas de Aveyro, & Ovar, plures comprehendente leucas; ad cujus oras suos habent fines plures parochiæ; aliqui earum Abbates, ut plures allicerent piscatores, & sic maius à piscatione caperent interesse, cum piscatoribus sic convenerunt: Quòd trahentes retia ad tetritorium suarum parrochiarum, pro quolibet quindecenario piscium unum solverent; quod ex jure & praxi debetur pro quolibet piscium decenario. Quæritur [An dicta conventio sit licita?

RESOLUTIO.

2 Respõdeo esse nullam, & illicitam ex his tribus rationibus. Prima, quia nullus extra Summ. Pontificem laicis decimas potest minuere. Constat expressè *ex cap. Veniens, § Mandamus*, ibi: *Mandamus, quatenus nisi prafati monachi, transactionem*

transactionem præscriptæ authoritate Apostolicæ confirmatam esse docuerint, cum alias inter personas facta potius, quam inter Ecclesias videatur: nec pacta inter alios acta, alijs obesse patiamur, ipsos, & agricolas, decimationes ex quibuslibet rebus provenientes ex integro, & illarum, quas illicitè detinuerant, justam æstimationem restituere eidem Ecclesiæ compellatis. de transact. Et glos. *in cap. 2. eod tit. verb. personam Ecclesiasticam*, ibi: *Et sic videtur, quoniam cum laicis non possit fieri compositio, ut minus solvant, nisi Papa authoritatem præstaret.* Idem satis colligitur *ex cap. Cum homines, & cap. Tua nobis, de decimis.* & communi DD. sententia Rebuffus *tract. de decimis, q.* 13. *numer.* 26. Azor. *part.* 1. *l.* 7 *cap.* 37 *q.* 5. *vers. Deinde compositio*; ibi; *Valet itidem compositio, ut laicus non solvat integram decimam, sed minorem, ut pote* 20. 30. *&c. At non sufficit in hoc sola Episcopi authoritas, nisi Romani Pontificis consensus accedat.* Fagundes *in* 5. *Ecclesiæ præcept. l* 3. *cap.* 2. *num* 9. *in fine*, & alij quos refert, & sequitur Leandr. *tom.* 3. *de præcept. Eccles. tract* 6. *disp.* 7. *q.* 35. dicens, *Sic communiter omnes*: Sed prædicti Abbates absque consensu S. Pontificis conveniebant cum laicis piscatoribus, si in districto suarum parochiarum retia traherent, se esse contentos, quòd ab illis solveretur loco decimæ, unum pro quolibet quindecenario piscium, diminuendo, & remittendo mediam partem decimæ, quam jus integram solvere præcipit *textibus citatis.*

3 Secunda ratio; quia ea compositio facta est cum successorum præjudicio, quæ illis præjudicare non poterat. Vt docet Fagund. *citat. numer.* 19. Nec obstat, quòd ea compositio facta sine S. Pontificis consensu, censeatur personalis pro vita tantùm ipsorum Abbatum, & sic successoribus præjudicare non potest, ut communiter tradunt DD. apud Leandr. *citat. quæst.* 32. Non, inquam, obstat, quia si vita alicujus Abbatis, qui in ea compositione convenit, sit longa, ex illa piscatores rustici occasionem capiunt, non solvendi decimas sine ea diminutione, confessarijs dicentes, eam consuetudinem in sua parochia esse introductam: & cùm consuetudo vim habeat in solutione decimarum, ut jam diximus, & infra q sequenti dicetur; ex ea compositione successoribus, & Ecclesijs præjudicium inferretur.

4 Tertia ratio; quia compositio facta est cum præjudicio vicinarum parochiarum; nam illarum piscatores parochiarum, allecti illa diminutione decimarum, suas desinunt, in illis retia non trahentes, sed in illis ubi eam utilitatem capiunt, quod nullo modo agerent, si ea cum illis non daretur compositio; quæ sanè ex hac ratione, non solùm est injusta, sed etiam scandalosa. Ex his rationibus hanc compositionem censui illicitam, & injustam, & ut talem ab Ordinario sub pœna excommunicationis ipso facto vidi extirpatam, post aliquod tempus.

QUÆSTIO XIX.

An quando ex arboribus cæsis propriæ sylvæ ad ædificium propriæ domus decimæ non debentur; debeantur post decem annos, quando mutato consilio venduntur.

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *In materia decimarum plurimum valet consuetudo.*
3 *Ad præscriptionem mobilium privati hominis cum titulo requiritur triennium continuatum.*
4 *Ex lignis cæsis non debetur decima decennio durante.*
5 *Debetur decima arborum, quia ibi non data fuit decimarum præscriptio.*
6 *Nec data fuit post decennium elapsum.*
7 *Conductori debetur decimarum satisfactio, tempore venditionis, non arborum incisionis.*
8 *Nec Fagundes resolutioni contrariatur.*
9 *Intentio vendendi ligna, non retrotrahitur ad tempus, quod ligna cæsa fuerunt.*

1 IN Diæcesi Portugallensi hujus Regni viget consuetudo non solvendi decimas ex lignis cæsis de propria sylva, ad propria opera; secus si cædantur ad venditionem. Timotheus hac utens consuetudine, ad ædificium propriæ domus, arbores ex propria sylva cædit; ad decem annis elapsis, mutato consilio, eas vendidit arbores, seu ligna Quæritur; An decimã debeat?

RESOLUTIO.

2 Ubi consuetudo viget, non solvendi decimas de aliquibus terræ fructibus, de illis non tenentur ibi decimas solvere oppidani; in materia enim decimarum plurimum valet consuetudo, ut expresè constat *ex cap. In aliquibus*, 32. §. *illæ, de decim.* ibi; *vel loci consuetudine approbata*, & DD. quos latè referunt, & sequuntur Barbos *in Collect. ad cit, cap. n.* 5. Castr. Palaus *tom* 2 *tract.* 10. *disp. unic. punct.* 4 *n.* 1. Leand. *part.* 3. *de præcept. Eccles. tract.* 6 *disp.* 7. *quæst* 13 14 & 15. Fagund *in* 5 *Eccles. præcept. l.* 3, *cap.* 1. Sed in Diæcesi Portugallensi consuetudo viget approbata, non solvendi decimas ex arboribus de propria sylva cæsis ad propia cõmoda, ut ad domus propriæ ædificium: ergo Timotheus, dum cædit arbores de propia sylva, ad ædificium propriæ domus, decimas non debebat. Quoniam tamen decimæ debentur ex arboribus, quæ ad vendendum cædũtur, & Timotheus post decem annos mutavit consilium ædificandæ domus, illas arbores vendens, dubium oritur; An teneatur ad decimam solvendam ex ipsis arboribus?

3 Respõdeo nõ teneri. Moveor primo, quia ad præscriptionem rerũ mobiliũ privati hominis,

vel Ecclesiæ cum possessione, titulo, & bonâ fide sufficit, & requiritur triennium continuatum. De rebus privatorum habetur *L unica C. de usucap. transformand* & §. 1. *instit. de usucapionib.* De rebus Ecclesiæ habetur *in Authent. quas actiones, C. de Sacrosanct. Eccles.* ibi: *Usucapione triennij, vel quadrienij in suo robore durantibus.* Quæ Authent. ab Ecclesia recepta est; & communiter tradunt DD. Lessius *l. 2. just. cap. 6. dub. 7 num* 22. Peregrin *de jur. fisci l. 6 tit. 8. numer.* 44. Molin. *tract. 6. disp.* 68 *concluf.* 1. Sanch. *in præcep. decal tom. 1. l. 2 cap* 23. *num.* 90. & alij, quos citant, & sequuntur Castr. Palaus *tom. 7. de Just. disp. unic. punct.* 22. § 11. *num.* 2. Barbos. *tom. 1. Collect. ad cap. Cum vobis*, 14. *de præscript.* & *in Collect ad Authent. Ad aures C. de Sacrosanct. Eccles.* Sed dictæ arbores cæsæ, sunt res mobiles, & in possessione Timothei fuerunt cum titulo, & bonâ fide, per plusquam decem annos: ergo de illis decimæ non debentur.

4 Moveor secundò, quia Timotheus nullo unquam tempore fuit obligatus ad solvendas decimas de illis arboribus. Quod ostendo, quia non fuit obligatus à tempore cæsionis illarum arborum, usque ad annum decimum; quia fuerunt incisa de propia sylva, & ad propriam domum ædificandam; & sic juxta consuetudinem Diæcesis, decima de illis non debebatur; nec etiam erat obligatus, post venditionem illarum arborum, quia decima illarum arborum, cum esset rerum mobilium, per præscriptionem cũ possessione, titulo, & bonâ fide, per plusquam decem annos jam non debetur.

5 Sic respondi casui proposito, re tamen melius consideratâ, censeo, Timotheum debere decimas illarum arborum, post venditionem factam. Probatur primò, destruendo oppositas fundamenta *num* 3. & 4. *allata*; quia Timotheus nunquam præscripsit decimas illarum arborum: non enim illas præscripsit spatio illorum decem annorum, in quibus animum habebat suæ ædificandæ domus, quia tales decimæ non debebantur, cùm arbores essent incisæ de propria sylva, & ad propriam domum ædificandam, juxta consuetudinem in Diæcesi vigentem, ut diximus *supra num.* 1. & 2. præscriptio autem non datur circa dominium rei propriæ, sed alienæ. Ita constat ex definitione præscriptionis apud Covarr. *in Regula Possessor, in principio*, & *in relectione*, ibi tripliciter præscriptionem definientem, sic tertiò definitur: *Est dominij acquisitio, vel juris alieni elisio, proveniens ex possessione rei per continuationem temporis a legibus definiti*; quæ definitio coincidit cum illa, quæ habetur, *l. 3 ff. de usucapionib.* ibi: Est *continuatio dominij per continuationem possessionis temporis a lege definiti.* Hæc definitio est communior, & traditur à DD. & præcipuè à Iurisconsultis, ut videre est apud Fagund. *l. 2. de Just. cap. 15 num* 1. & 2. Castr. Palaum *part. 7. disput. unica de Just. in genere, punct.* 22. §. 1. *num.* 1. & 2. & alios, quos refert, & sequitur Leand. *tom.* 3. *tract 6. disp. 7. q.* 16. sed dominium illarum arborum, quod totum illarum cumulum pertinebat ad Timotheum, & nihil ad conductorem decimarum Ecclesiæ: ergo decimas illarum arborum Timotheus pro illo spatio temporis præscribere non poterat; nec decimæ præscribi, quia non erant alienæ.

6 Nec data fuit præscriptio post elapsum decennium, & factam venditionem arborum, mutato consilio non ædificandæ domus, quia jam non dabatur tempus à legibus ad præscriptionem definitum, nec bona fides, quia dubitabat ipse Timotheus, an decimas ex arboribus venditis deberet; bona autem fides cum dubio non datur, *l. Bonæ fidei, verb. non dubiè, sivtim post princip. ff. de acquir. rerum domin.* & *l. unica C. de usucap. transform.* ibi: *Observando, ut his omnibus casibus ab initio eam bona fide capiat.* Fagundes *proximè num.* 10. Ex his sequitur Ecclesiam, seu conductorem decimarum habere actionem realem, & personalem contra Timotheum venditorem, & contra emptorem illarum arborum, ut cum communi DD, inquit Leand. *cit. tract. 6 disp. 4 q* 12.

7 Sub inquires cui conductor; teneatur Timotheus decimas solvere de illis arboribus, illi, qui erat tempore cæsionis arborum; an qui erat tempore venditionis? Respondeo illi, qui erat tempore venditionis. Ratio est, quia decimæ earum arborum non debebantur, quando arbores incisæ fuerunt; non enim incisæ fuerunt, ut venderentur, sed ex propria sylva ad propriam domum ædificandam; mutato autem consilio ædificandæ domus, & arboribus venditis, ipsi conductori pro eo tempore debentur, quia in illo, & non in altero debentur, ut ex dictis constat.

8 Neque obstat primò Fagundes *in 5. Eccles. præcept. l. 1. cap. 4. num.* 11. dicens in resolutione cujusdam specialis casus, decimas arborum incisarum esse solvendas tempore incisionis, & non tempore venditionis. Non, inquam, obstat, quia respondetur, decimas esse solvendas, quando primò debentur; & tunc debentur, quando fructus colliguntur, & non quando venduntur; hæc tamen dispositio in casu Fagundes locum habet, non tamen in nostro; nam tempore incisionis arborum ex propria sylva, & ad propriam domum ædificandam decimæ non debebantur, sed tantùm quando mutato consilio ædificandæ domus, venduntur.

9 Nec obstat secundò, illam mutationem consilij retrotrahi ad incisionem arborum, quo tempore ex ipso jure decimæ erant solvendæ. Non, inquam obstat, quia respondetur, licèt aliquorum criminum pœnæ retrotrahantur ad tempus, quo ea crimina fuerunt commissa, arborum venditionem non esse retrotrahendam ad illarum incisionem, quia nec erat ex illis criminibus; nec in se fuit crimen, aut peccatum, tunc decimas non solvere.

QUÆS-

QUÆSTIO XX.

An decimæ quorundam novalium ſuccedentium loco aliarum decimarum portionis Rectoris, ipſi Rectori, aut Religioſis, quibus Eccleſia eſt unita, debeantur?

SUMMARIUM.

1 *Facti ſpecies.*
2 *In foro conſcientiæ Monaſterio debentur ipſæ decimæ.*
3 *In portione Rectoris ipſæ decimæ non fuerunt deſignatæ.*
4 *In portione Rectoris decimæ piſcium non continentur, cum debeantur.*
5 *Eæ decimæ piſcium ſunt ex novalibus, & debentur Eccleſiæ, & non Rectori.*
6 *Rector non allegat præſcriptionem legitimam.*
7 *In portione Rectoris non conceditur expreſsè decima de novalibus,*
8 *Loco algæ, non ſubrogatur decima piſcium.*

1 CHryſoſtomus Rector cujuſdam Eccleſiæ Monaſterio Religioſorum unitæ, cujus portio in fructibus erat conſignata decima algæ, *vulgo argaço*; quam ad littus mare expellit, ad terras fæcundandas proficuum condimentum. Succeſſu temporis piſcatores idem littus cum ſuis retium jactibus frequentarunt, & ex piſcibus decimas Chryſoſtomo per ſpatium triginta annorum perſolvebant. Religioſi è ſomno, quo torpebant, excitati, Rectori intimarunt, decimas piſcium nō ad illum, ſed ad ipſos pertinere. Quæritur à Chryſoſtomo; An illas decimas piſcium in foro conſcientiæ dimittere, an potius illas defendere teneatur.

RESOLUTIO.

2 Reſpondeo, ſalvo meliori judicio, teneri Chryſoſtomum in conſcientia, illas piſcium decimas Monaſterio dimittere ex ſeq. rationibus. Prima eſt, quia ita videtur expreſsè conceſſum *in cap. Cùm contingat, 29 de decim.* In quo quæſitum fuit à S. Pontifice, de quibuſdam Eccleſijs, & perſonis Eccleſiaſticis, quæ ab antiquo percipiebant decimas de aliquibus parochijs; & cùm in ijſdem parochijs inſurrexiſſent novalia, & dubitatum fuerit ab Helienenſi Epiſcopo, ad quem hujuſmodi novalium decimæ incepiſſent pertinere? Reſpondet S. Pontifex: *Inquiſitioni tuæ taliter reſpondemus, quòd cùm perceptio decimarum ad Parochiales Eccleſias de jure communi pertineat, decimæ novalium, quæ fiunt in Parochijs earumdem, ad ipſas proculdubio pertinere noſcuntur.* Abdit S. Pontifex: *niſi ab his, qui alias percipiunt decimas, rationabilis cauſa oſtendatur, per quam appareat novalium ad eos decimas pertinere.* Et juxta hunc textum, & jus commune idem ſtatuunt *Conſtit. Diœceſis Ulyſſipon. l. 2 tit. 4. duret 2. §. 4 prope finem.* Videatur Barboſ. *in Collect. ad cit. cap.* Sed decimæ piſcium in eo littore, & mari ſunt novalia, cùm ibi antea non daretur piſcatio, & nulla detur rationabilis cauſa, ut Chryſoſtomus illas percipiat, & parochia Monaſterio ſit unita: ergo ad illud eæ decimæ pertinent.

3 Secunda eſt, quia Chryſoſtomo in ſua portione eæ piſcium decimæ non fuerunt aſſignatæ: cùm juxta Conſtit. B. Pij V. incipientem, *Ad exequendum* 47. inter alias hujus Pontificis, apud Cherubin *tom. 2. fol* 183. & Trident *ſeſſ 7. de reform. cap. 5.* ibi. *& congruæ portionis fructuum aſſignationem omnino provideant*, ipſi Chryſoſtomo portio fuiſſet aſſignata in fructibus, & decimis algæ, & non piſcium. Nec in ſua portione [ut ſuppono] maiorem illo patitur defectum, quam *citata Conſtit.* Statuit determinandam; quæ nec debet eſſe maior centum, nec minor quinquaginta ſuetorum annuorum ſumma, computatis omnibus, etiam incertis emolumentis, & alijs obventionibus communiter percipi ſolitis; ut videre eſt apud Azor *part. 2. inſtit. moral l. 2 cap 29 q. 2.* Barboſ *in Collect. ad cit. locum Trident.* & alios, quos citant.

4 Tertia ratio deſumitur *ex cap Pervenit 5. de decim.* ex quo conſtat decimas ex piſcibus eſſe ſolvendas, ibi: *piſcariarum*, & ex DD apud Barbol. *in Collect. ad cit. caput num.* 4. Fagundes *in 5. Eccleſ præceptum l. 1. cap. 5 num.* 4. Leandr. *part. 3 tract 6 diſp. 2. q.* 14. Sed non ſunt ſolvendæ Eccleſiæ Rectori, quia Eccleſia eſt unita, & in portione Rectori debita in fructibus aſſignatis, non continentur decimæ ex piſcibus: ergo debentur Monaſterio, cui Parochia eſt unita, & cujus ſunt decimæ Eccleſiæ.

5 Quarta: Quia eæ piſcium decimæ in eo littore maris, dantur in territorio illius parochiæ, ubi piſces olim non piſcabantur, quare ſunt novalia; ſed decimæ novalium debentur illi parochiæ, in cujus territorio novalia colliguntur, ut conſtat *ex textu in cap Quoniam, de decim. & cap. Cùm contingat cod. tit.* Ergo Monaſterio, cui parochia eſt unita, & non Rectori debentur.

6 Quinta; quia in ea decimarum piſcium collectione Chryſoſtomus allegando triginta annos, adhuc non allegat poſſeſſionem, ſeu præſcriptionem legitimam; nam ad præſcribendum adverſus aliquam Eccleſiam, etiam unitam, anni quadraginta requiruntur cum titulo, & ſine illo, requiritur tempus memoriam hominum excedens, ut habetur *in cap. Auditis, de præſcript. & cap 3 de conſuet in 6.* & DD Leſſius *l. 2 cap. 39. dub 5. num* 26, Molin. *tract. 2. diſp. 71.* Soar *tom. 1. de Relig l. 1 cap. 13 num 1.* Caſtr Palaus *tom 2. tract. 10. diſp unic. punct. 5. num 2* & alij communiter, quos afferunt, & ſequuntur, Leand *part 3 tract. 6 diſp 7 q. 18.* Dian *part. 6. tract. 7. reſol* 12. Vide *infra q* 26. quæ non eſt huic reſolutioni contraria, cùm ibi jus aſſiſtat, non tamen præſenti caſui.

7 Nec obstat contra hanc resolutionem, quod loco decimarum algæ, successerunt decimæ piscium. Quod ostenditur: nam si Rectori Chrysostomo in sua portione fuissent designatæ decimæ nemorum, aut pascuorum; si nemora, & pascua ad culturam sint redacta, ad eumdem Chrysostomum pertinere debebant decimæ illorum novalium, ut cum Rebuff. sentit Barbos. *in Collect. ad cap. contingat cit. nu. 6.* ergo idem dicendum in præsenti casu. Non, inquam, obstat, quia respondetur primò, cum distinctione: si enim ipsi Chrysostomo determinatè assignaretur portio ex decimis nemorum, etiam expresè redactorum ad culturam, certum est illi deberi decimas ex illis novalibus, at si verbis generalibus illi assignaretur portio in decimis illius nemoris, quæ clarè novalia non continerent, sed possint explicari de fasciculis lignorum, quæ colliguntur; & similiter de palcuis; adhuc probabilius censeo, decimas novalium ad Monasterium, & non ad Chrysostomum pertinere; Ratio est, quia cõcessio portionis circa novalia est contra jus cõmune, ac proinde odiosa; debet ergo restringi, & non ampliari juxta text. *in cap. Tua* 1. §. *ult. de decim.* Sic Castr. Palaus *cit. punct.* 8. *num.* 12. *in fine*, vide illum. Respondetur secundò, concesso exemplo, & suppositione, in nostro casu dari disparem rationem; nam alga non defecit, sed collecteres; in casu autem supposito defecerunt nemora, & pascua per novam culturam.

8 Nec obstat secundò, subrogatum naturam sapere ejus, in cujus locum subrogatur, juxta *l. si cum* § *qui injuriarum ff. si quiscant* at in nostro casu decimæ piscium loco algæ subrogatæ fuerunt. Non, inquam, obstat, quia respondetur illud axioma diversimode à DD. explicari ut videre est apud Barbos *tract. de axiom.* 213. & ex dictis constat præsentem casum non comprehendere.

QUÆSTIO XXI.

An Prælatus defectum portionis, Vicario Ecclesiæ unitæ suo Monasterio, compensare teneatur; & portionem in fructibus consignatam possit vicarius Prælato dimittere, pro portione in numerata pecunia?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Prælatus compensare non tenetur portionis defectum in fructibus consignatæ.*
3 *Vicarius Episcopi authoritate cum Monasterio se potest componare.*
4 *Et pro vita sua tantùm sine Episcopi consensu.*

1 PEtro Vicario Ecclesiæ unitæ cuidã Monasterio, per Bullas Apostolicas, assignata fuit portio centum aureorum in fructibus ex inundatione tamen aliquarum terrarum in decimis designatarum, valorem circiter triginta aureorum amisit. Et cùm illos triginta aureos à Monasterij Prælato pustulet, Prælatus promittit, se daturum centum aureos, pro sua portione super fructibus assignatos, si fructus ex sua portione restantes, Monasterio demittere velit. Quæritur primò; An Prælatus illos triginta aureos in portione diminutos cõplere teneatur? 2. An Vicarius omnes fructus restantes in sua portione designatos, Monasterio dimittere possit; & suam portionem numerarâ pecuniâ recipere?

RESOLUTIO.

2 Ad primum quæsitum duplici in titulo propositum, respondeo, non teneri Prælatum Monasterij compensare Vicario illam diminutionem, quam patitur in decimis, ex inũdatione contingenti. Ratio est, quia portionis assignatio fuit facta partibus citatis juxta *Trident sess. 7 de reform. cap 7. & Constit. B. Pij V. Ad exequendum, g. præcedente citatam*, & juxta ea, quæ affert Barbos. *in Collect. ad Trident. loco cit. nu. 33. & ad cap 5. num. 6. & 7.* Et factâ hâc portionis assignatione; si decimæ illius augerentur, non tenebatur Vicarius illud augmentum Monasterio restituere: ergo si diminuantur, non tenetur Monasterium illam supplere diminutionem; valet enim argumentum ab augmento ad diminutionem, & è contra: nam augmentum, & diminutio pari passu ambulant juxta *Reg. in l. si ex toto, in principio ff. de legat.* 1 ex DD. apud Barbos. *tract. de axiom. jur axiom.* 34 *num.* 10.

3 Ad secundum, respondeo primò, posse dictum Petrum Vicarium cum Monasterio se componere, illi dimittendo omnes decimas, & fructus in sua portione designatos, & ab illo suam portionem numeratâ pecuniâ accipere: dummodò Episcopi consensus accedat. Sic constat *ex cap statuimus 2. de transact.* In quo collegium quæstionem habebat super decimis cum persona Ecclesiastica, ut in præsenti casu contigit, sic Pontifex illam dirimit, ibi: *Statuimus, ut si super decimis inter vos, & aliquam personam Ecclesiasticam, de cõsensu Episcopi, vel Archiepiscopi sui compositio facta fuerit, rata & incussa persistat.* Sic Alexander III. & tradunt DD Suar. *tom. 1. de Religion. l. 1. cap. 12. num. 15* Castr Palaus *tom. 2. tract. 10. disp. unic. punct. 5. num. 4.* & pluribus Leand *p. 3 tract 6. disp. 7 q 27. & 29.*

4 Si tamen dicta compositio fiat inter Monasterium, & ipsum Vicarium tantum, absque Episcopi, consensu, pro vita ipsius Vicarij valebit; quia Vicarijs successoribus præjudicare nequit, maximè si in Bulla unionis Ecclesiæ, in fructibus ipsa portio determinetur, quæ Bulla consulenda erit. Et quod hæc compositio pro vita ipsius vicarij valeat, satis colligitur *ex capit. veniens & cap. de Cætero, de transact.* & defendunt Castr. Palaus *proximè*, & cùm Fagund. & alijs plurimis Leandr. *cit. q. 32* vide *præcedentem quæst.*

QUÆS-

QUÆSTIO XXII.

An decimæ cujusdam vineæ in Priore, & Beneficiatis Ecclesiæ Collegiatæ, spatio decem annorum, contra Capitulum, Sede vacante præscribantur.

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Justitia stat pro Priore, & Beneficiarijs.*
3 *Possessio, quam allegat Capitulum, nihil probat.*

1 MOta lite super decimis cujusdam vineæ, inter Capitulum Sede Vacante ex una parte, & altera Priorem, & Beneficiatos cujusdam Ecclesiæ Parochialis. Quas decimas postulat Capitulum, quia emphyteuta habens dominium utile illius vineæ, est suus parochianus, & dominium directum habēs, est Monasterium Monialium, baptisterium nō habens. Allegat Capitulum, se esse in possessione immemoriali decimarum suorum parochianorum in integrum, præsertim illarum terrarum, quæ sunt ex dominio directo Monasteriorum, baptisterium non habentium. E contra Prior, & beneficiarij se defendunt, probantes se esse in possessione ultra decem annos; colligendi decimas ex dicta vinea. Quæritur pro qua parte sit justitia.

RESOLUTIO.

2 Respondeo justitiam esse pro Priore, & Beneficiatis. Ratio est, quia ostendunt, se esse in possessione dictarum decimarum ultra decem annos: possessio autem decem annorum in hac materia decimarum, satis est ad præscriptionem, maximé quando ipsum jus possessioni assistit, & assistit huic possessioni *in cap. Ac Apostolicæ* 20 ibi: *Ius commune in promptu est, quòd illi Ecclesiæ debent dari decimæ, in cujus territorio sunt prædia de decim.* Et sic deciditur à Rota *dec.* 129. *num.* 2. & est communis DD. sententia, quos latè citat, & sequitur Monet. *tract. de decim. cap.* 5. *num.* 120. & Leander *part.* 3. *tract.* 6. *disp.* 7. *q.* 9. Loquens de casu duarum Ecclesiarum, quando jus repugnat, & Barbos. *in Collect. ad cap. cit. num.* 3. Cùm ergo in hac decimarum materia, specialiter attendatur possessio *cap. In aliquibus* 32 § 3 *fin. de decim.* & ibi communiter DD. apud Barbos. *cit. num.* 6. & 7. & possessio sit pro Priore, & Beneficiatis, pro illis justitia stare debet.

3 Nec obstat possessio, quam Capitulum pro se allegat; Non, inquam, obstat, quia respondetur non esse specialiter allegatam, circa ævineam; & præscriptio decimarum de uno prædio ad aliud non extenditur, *cap. Cum in tua de decim.* & Rota *in Tuder. decimar.* 19. *Novembris* 1591. & plures DD. quos citatos affert Leandr. *proximè q.* 14. Imo ea possessio allegata, omnino non est generalis, nam oppositum cōstat ex hac vinea, quàm de oliveto prope illam ut ex actis expressè probatur.

QUÆSTIO XXIII.

Quis decimas solvere teneatur conductor olivetorum, aut locator sibi consulens, omnes fructus non solutis decimis colligendo?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Tenetur locator ex ipso jure.*
3 *Idem disponitur in Const. synodal. Ulyssip.*
4 *Solutio decimarum præcedit redditibus debitis.*

1 SImeon certa locavit oliveta sub onere census, seu redditus octenorum oleidoliorum, solutis quatuor dolijs à conductore, prævidens, illum pluribus debitis obstringi, & se non posse totum censum, aut redditum recipere, oleas, quas in olivetis, & oleum quod in torculari invenit, ad suam domum collegit, adhuc integrè non manens solutus. Quæritur, Quis eorum ad decimas solvendas teneatur?

RESOLUTIO.

2 Respondeo teneri Simeonem locatorem Ratio est, quia oleas, & oleum non solutis decimis ad suam conducit domum; cùm teneretur ante conductionem, & solutionem sui census, seu redditus, decimas solvere, ut expressè constat ex *cap Cum homines, cap. Non est, capit. Tua nobis, de decim.* & expressius *ex cap. Cùm nō sit,* 33 *eod. tit.* ibi: *Statuimus, ut in prærogativam dominij generalis, ex actionem tributorum, & censuum præcedat solutio decimarum. Vel saltem hi, ad quos census, vel tributa indecimata pervenerint [quoniam res cum suo onere transit] ea per censuram Ecclesiasticam decimare cogantur Ecclesijs, quibus de jure debentur.*

3 Idem ex cit. textibus, & verbis relatis disponitur *in const. synod. hujus Archiepiscop. Ulyssip. l.* 2. *tit.* 4. *decret.* 2 §. 2. cum pœnarum additione. Hæc resolutio, ut certa traditur à DD. Soar. *tom.* 1 *de Relig. l.* 1. *cap* 45. *a num.* 10. Castr. Palao *part.* 2. *tract.* 10. *disp. unic. punct* 8 *num.* 1. Barbos. *de jur. Eccles. l.* 3 *cap.* 26. §. 1, *num* 40. & *in Collect. ad cap. Cum non sit cit. num.* 1. & *cap. Tua nos, cit. num.* 6 & 8. & citatis Rebuff. Cened. Monet. Lessio Covarr. Raphael de la Torre, Bonacin. Trullench & alijs Leand. *dicta p.* 3. *tr.* 6 *disp* 4 *q.* 29 & Barbos *proximè*

4 Nec obstat, quòd census, seu redditus simeoni ex suis olivetis debiti non sint soluti, quando omnes collegit. Non, inquam, hoc obstat, quia respondetur solutionem decimarum ijs redditibus, seu censibus præcedere, ut

inquit

inquit textus *in cap. Cùm non sit*, in verbis allatis. Et non solùm ipsa decimarum solutio ipsis redditibus præcedit, sed etiam ipsi semini terræ tradito, juxta textum *Tua nobis 26. de decim.* Nam si terra paucos ferat fructus, ut ipsi semini non adæquentur, non est semen extrahendum, antequam ipsi fructus decimentur; sic communiter DD. Soar. Fagund. Monet Rebuff. Barbos. quos affert, & sectatur Leandr. *cit. quæst.* 28.

QUÆSTIO XXIV.

An ab ipso jure sit determinata quota primitiarum: ut ex illa parochiani ad illas solvendas obligari possint?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *In jure nullus datur textus quotam primitiarum determinans.*
3 *Ex consuetudine taxantur.*
4 *Hæ consuetudines, pro diversitate locorum, sunt diversæ.*
5 *Si de consuetudine non constet, ad consuetudines vicinarum Ecclesiarum recurrendum est.*

1 IGnatius parochus contra parochianos sententiam obtinuit, ut præter decimas, primitias etiam solvent. At parochiani dicunt, quòdsi non habeant centum agnos, nullam solvent, & sic de alijs fructibus. Alij dicunt; si non habuerint quinquaginta; & sic de alijs fructibus. Alij in arbitrio suo ponunt, quod solvere velint. Quæritur, An aliqua quota in jure sit determinata, ad quam parochiani obligari possint?

RESOLUTIO.

2 Respondeo in hac primitiarum materia, nullam quantitatem, seu quotam in jure esse determinatam: nullus enim in jure reperitur textus hanc taxans quantitatem, seu quotam: ergo ex ipso jure est arbitraria. Sic Soar. *tom.* 1 *de Relig. l.* 1. *cap* 8. *num.* 16 ibi: *In tali præcepto nulla quantitas est determinata: ergo de se est arbitraria.* Lessius *l.* 2. *de just. cap.* 39. *num* 32. ibi: *De quantitate nihil videtur unquam fuisse constitutum sed ea fuit relicta libera.* Idem docent Innocentius, & Panormitanus, apud Azor *part.* 1. *l.* 7. *cap.* 38. *q.* 4. qui tandem idem approbat, dicens: *Sed probabilius est, quòd tradidit Innocentius eo in loco, quem supra retulimus, certam partem primitiarum non esse jure sancitam, quare arbitrio offerentium relicta est.*

3 Unde communis DD. sententia tenet, primitiarum quantitatem, seu quotam à consuetudine taxari. Sic Soar. Less & Azor *locis cit.* Barbos *de jur. Eccles. l.* 3. *cap.* 25. *de primitijs num.* 5. Fagund. *in* 5. *Eccles. præcept. l.* 4. *de primit. cap.* 1. *num.* 4. Gutierr. *in qq. Canon. l.* 2. *cap.* 22 *num.* 11. Silvest. *verb. Decimæ num.* 3. Castr. Palaus *part.* 2. *tract.* 10. *disp. unic. punct.* 16. *num.* 2. Raphael de Torre 2. 2. *q.* 86 *art.* 4. Leand. *part.* 3. *tract* 6. *disp.* 9 *q.* 12. & alij. Hæc sententia hodie est vera, & ut talis recepta a Const. synod. Diœcesis Ulyssip. *l.* 2. *tit.* 4. *duret* 9 *de primit.*

4 Hæ tamen consuetudines pro diversis locis variæ sunt. In aliquibus in totum primitiæ sunt abrogatæ [quanvis enim de illis solvendis latum sit præceptum Ecclesiasticum *in cap. Qui* 13 *q.* 2. & *cap* 1. *de decim.* & in Gloss. *verb in primitiis, & in cap.* 67. *Revertimini*, 16. *q.* 1. & *in cap. Decimas.* 16. *q.* 7.] consuetudine tamen possunt abrogari, quia consuetudo contra legem Ecclesiasticam vim habet. Sic Castr. Palaus *proximè*, & pluribus citatis Leand. *cit q* 11 hoc dicens ut certum. In alijs locis consuetudo viget, quòd non solvantur primitiæ ex triginta novem mensuris frumenti, si tamen numerus quadragesimum adæquet, una tantùm mensura solvitur & si excedat, etiam per multa mensurarum millia amplius non solvitur. In alijs ex quolibet quadragesimo una solvitur.

5 Si tamen de consuetudine non constet, ad vicinas Ecclesias recurrendum est, & illarũ consuetudini standum. Si tamen in illis variæ sint consuetudines; quæ mitior est, eligenda, ut colligitur *ex l.* 3. *ff de legat.* vel illa, quæ magis tendit ad mediocritatem, *cap. Hoc jus* 10, *q.* 2. Sic cum de la Torre Leand. *cit. q.* 12.

QUÆSTIO XXV.

Iuxta quam consuetudinem teneatur agricola domicilium mutans, primitias solvere juxta vigentem loco prædiorum, aut loco suæ habitationis?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Standum est juxta vigentem apud*] *agricolas loci habitationis.*
3 *Si de consuetudine non constet, primitiæ sunt solvendæ Parochiæ, ubi sunt prædia.*
4 *In aliquibus Constitut. synodalibus aliud disponitur.*
5 *In quantitate primitiarum consuetudo observatur; & si de illa non constet; vigines, ubi sunt prædia.*

1 BLasius agricola domicilium mutavit de una ad alteram parochiam; In illa prædium habebat, ex quo primitias suæ Ecclesiæ unam mensuram solvebat, si quadraginta in fructibus habuisset, juxta consuetudinem Parochiæ, & non amplius; quamvis plura quadraginta haberet in fructibus illius speciei. Parochus autem ad cujus Parochiam domicilium mutavit, vult quòd dictus agricola ex prædio in alia Parochia sito, illi solvat unam

ex

ex singulis quadraginta juxta consuetudinem Parochiæ suæ habitationis. Quæritur 1. Cui Parochiæ primitias solvere debeat? 2. In qua quota, seu quantitate illas solvere teneatur?

RESOLUTIO.

2 Ad primum quæsitum respondeo, standum esse consuetudini illius Parochiæ ad quam domicilium mutavit. Quare si alij agricolæ illius Parochiæ prædia in alijs Parochijs habentes, primitias solvant illi, in qua audiunt officia divina, & sacramenta recipiunt; sic ab hoc agricola erit exequendum: sin autem oppositum oppositi standum est.

At si de consuetudine ab ipsis agricolis ejusdem Parochiæ constare nequeat; Respondeo, primitias esse solvendas illi Parochiæ, in qua sita sunt prædia. Moveor primo, quia primitiæ sunt onus prædiale, & fructus terræ: ergo illi Parrochiæ in qua sunt prædia, solvenda sunt. Secundò; nam quando decimæ alicui Parochiæ ex consuetudine non pertinent, ex ipso jure ad illam pertinent, in qua sunt prædia, ut constat *ex cap Quoniam* 13. *de decim & cap. Cum contingat* 29. ubi: *cum perceptio decimarum ad parochiales Ecclesias de jure communi pertineat. eod. tit.* Et tanquam certum tenent communiter DD. apud Leand *part.* 3 *tract.* 6. *disp* 5 *q.* 14 & nos diximus *supra q.* 21 *num.* 5 ergo idem dicendum de primitijs Hanc resolutionem sequuntur *Constit. Synod. hujus Diœcesis Ulyssipon. l.* 2. *tit.* 4. *decret.* 2 §. 4. *remissive in fine* Et sic ex ipso jure canonico docent Beja 1 *part resp. cas. conscient casu* 52 §. *His prænotatis*; Gloss *in cap. Quæsti*, 16. *q.* 1. Rebuff *tract. de decim. q* 1. *a num.* 16. Trullench *l* 3. *decal. cap.* 3. *dub* 12 *num.* 5. Fagund. *in* 5 *Eccles. præcept. l* 4. *cap* 2. *num.* 4 Leand. *proximè disp.* 9 *q.* 19 Barbos *de jur. Eccles l.* 3 *cap* 25. *num.* 8 & 9. & apud ipsum Rota *decis* 261. *num.* 31. & *decis.* 192 & alij quos citant.

4 Fateor tamen aliquas esse constit synodales Diœcesum hujus Regni statuentes, primitias, si ex consuetudine non constet, ad quam pertineant, solvendas esse illi Parochiæ, in qua officia divina audiuntur, & sacramenta pro majori anni parte recipiuntur, & non illi in qua sunt prædia sic *in Const. Synod. Diœcesis Portugallensis titul* 22. *de decim constit.* 4 *fol* 85. & sic habet praxis in aliquibus locis Diœcesis Conimbricensis.

5 Ad secundum quæsitum respondeo, ut *supra* standum esse consuetudini illius Parochiæ ad quam mutavit domicilium. Si enim qui prædia habent in alijs Parochijs, unam tantum solvunt mensuram frumenti, habentes completum numerum quadragenarium, & non amplius, quamvis multas habeant quadragenarias, sic se habere debet hic, qui ad hanc Parochiam domicilium mutavit. Si tamen de consuetudine non constet, solvat primitias juxta quantitatem, & quotam, quæ solvitur in ea Parochia, in qua situm est prædium. Hæc ex dictis ad primum quæsitum patent.

QUÆSTIO XXVI.

An collegium Regularium cuidam Abbati vim intulerit, decimas, & primitias non solvens ex fructibus arborum, & herbis, quas propijs expensis excolebat?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Abbas illicitè gravamen ad Regiam coronam interposuit.*
3 *Laici super possessionem decimarum ad Judices sæculares adire non possunt, ut illos defendant inhibeantque judices Ecclesiasticos.*
4 *Ex adductis a Themudo hæc confirmantur, & a sententia lata a senatoribus Palatinis.*
5 *Quando in eadem civitate datur judex Ecclesiasticus, ad quem potest recurri pro vi illata, illicite recurritur ab Ecclesiastico ad laicam potestatem.*
6 *Conservator Regularium in causis civilibus est judex ordinarius, quando ipsi Regulares sunt rei:*
7 *Ordin. Regia, quomodo intelligatur.*

1 COllegium Portugallense prædium intra limites Parochiæ de Villacova possidebat, quod per plures annos à colonis, seu ut vocant arrendatarijs colabatur, & medietatem decimarum collegio solvebant, alteram vero Abbati dictæ Parochiæ, ex lata sententia in hac materia, licet plures DD. quos referunt, & citant Leand *part.* 3 *tract.* 6. *q.* 37. & Pellizarius *in Man. Regul. tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 7. *nu.* 176. asserant nullas decimas Abbati deberi. In his autem novissimis annis Collegium terram ad frumentum habilem omnis, seu arrendatarijs locavit; at vinum, arborum fructus, & fœnum suis sumptibus, & famulis colligebat; & ex his nec decimas, nec primitias juxta suum, & Regularium privilegium solvebat. Per errorem tamen collegijs famulus illas medias decimas uno anno solvit Abbati. Abbas autem ad Judicem coronæ Regiæ recurrit, quærens, se à collegio manifestam violentiam, & vim pati; quia eum à possessione decimarum, & primitiarum sibi debitarum, spoliavit. Quæritur 1. An Abbas licitè recurrerit ad Judicem coronæ Regiæ pro illa vi, quam dicebat, sibi fuisse illatam? 2. An collegium vim Abbati intulerit, decimas non solvens ex fructibus, quos suis sumptibus excolit.

§. I.

An Abbas licitè, & tutâ conscientiâ ad tribunal Regiæ Coronæ recurrat pro vi dicta, quam dicit sibi fuisse illatam.

Respon-

2 Respondeo, Abbatem nec licitè, nec tectà conscientià in hac decimarum causa, gravamen interposuisse ad tribunal Regiæ Coronæ; ut ad suam possessionem eum restitueret. Hoc ostendo ex seqq. rationibus. Prima sit, quia Iudex sæcularis est incompetens ad cognoscendum de causa possessoria retinendi, vel recuperandi decimas, & jura spiritualia inter personas Ecclesiasticas, vel quoties persona Ecclesiastica rei vices gesserit. Sic Abbas *in cap. Litteras, num.* 8. *de juram. calumn.* Brito *in cap. fin. de judic.* Covarruv. *practic. qq. cap.* 35. *numer.* 1 *versic. Primum etenim*, qui in *secunda conclus. versic. Utrùm* contrariam sententiam dicit non certam, nec tutam, imo omni prorsus auxilio destitutam, Roland. *consil.* 25. *num.* 17. *& consil.* 258 *num.* 8 Menoch. *recup. remedio* 15. *a num.* 223. qui *a num.* 224. *oppositam sententiam dicit non certam, &c.* Gutierr. *qq. Canon. cap.* 34 *a num.* 22. *& versic. contrariam tamen*, inquit, *non esse ab ea recedendum in judicando, & consulendo*; & *a nu.* 26 *usque ad* 37. asserit contrariam sententiam non esse certam. Eandem nostram resolutionem defendunt Matth. *de jurisdict. part.* 2. *cap.* 39. *num.* 22. alios citans fesse, *in epist. ad Regem, nu.* 104. Valasc. *Lusit. consult* 93. Oliva *etiam Lusit. de foro Eccles. part.* 1. *q.* 8 *num.* 64. ubi ait, hodie hanc sententiam esse magis communem, & apud modernos magni nominis receptam, *& n.* 65. *vers. Hanc tamen*, sit asserit de sententia adversa: *Dico hanc opinionem, attento jure, esse falsam, quod jura pro hac parte citata, quæ hic citati expendunt, non probant efficaciter causa possessoriæ rei spiritualis judices sæculares esse competentes, neque efficaciter, neque suaviè eosdem esse competentes inter clericos, vel si clericus reus fuerit, sive causa possessoria sit spiritualis, sive temporalis, & prophana, &c.* Sed causa possessoria recuperandarum decimarum erat inter personas Ecclesiasticas, collegium scilicet, & Abbatem: ergo cùm Iudex Coronæ Regia esset sæcularis, & judex incompetens, Abbas non poterat tutà conscientià ad illum recurrere.

3 Secunda ratio; quia laici super possessionem decimarum non possunt judices adire sæculares, ut illos defendant, inhibeantque judices Ecclesiasticos; quia causa possessoria decimarum est Ecclesiastica, & non temporalis, ut colligitur *ex Clem. Vnica, de causa poss. & propriet.* & *Clem. Vnica de sequestr. possess. & fruct.* & causæ Ecclesiasticæ tractandæ, examinandæ, & cognoscendæ sunt apud judices Ecclesiasticos, & non sæculares, ut constat *ex cap.* 2 *de judic.* & tradunt DD aliquibus relatis Covarruv. *practic. qq. cap.* 35 *num.* 1. *vers. verùm si diligenter*, Castr. Palaus *part.* 2. *tract.* 10. *disp. unic. punct.* 15. *num.* 8. Trullench. *l.* 3. *in decal. cap.* 3. *dub* 8. *num.* 12. *in fine.* Monet. *de decimis cap.* 8. *q.* 1. *à num.* 10. Dian. 1 *part. tract.* 2. *resol* 93. *vers. An verò de possess. decimandi* Barbos. *in collect. ad capit. Tua*, 25 *de decim num.* 3. *cum pluribus*, Leand. *part.* 3. *tract.* 6. *disp.* 2. *q.* 33. *ubi hoc* dicit certissimum: sed Abbas super possessionem decimatum adivit judices sæculares, ut illum defenderent, & in sua possessione conservarent, cùm esset Ecclesiasticus, & non laicus, contra collegium Ecclesiasticum: ergo illicitè, & non ut debebat ad Tribunal Regium recurrit.

4 Tertia ratio constat, ex adductis à Themud. *in decis. Senat. Vlyssipon. Archiepisc. part.* 1. *decis* 2. in qua refert de quodam Commendatario, qui in punct. decimarum declinavit litem ad Iudicem ordinarium Militarium, tanquam ad judicem Ecclesiasticum, cum talis non esset nisi tantùm ad causas criminales, juxta *Ordin. l.* 2. *tit.* 12. §. 1. *& in nova refert. justit.* §. 3. Mendes à Castr. *l.* 2. *cap.* 1. *num.* 12 & non ad causas civiles; & exclusa declinatoria per vicarium generalem, & senatores Ecclesiasticos, recurrit ad Tribunal Regiæ Coronæ; & quamvis ab eo fuisset provisus; à senatoribus Palatinis ea provisio, seu sententia fuit revocata: ut videre est apud ipsum Themud. *cit. num.* 15. ergo cùm fuisset revocata, quia illud Tribunal erat judex incompetens, illicitè etiam in eádem causa Abbas recurrit ad idem Tribunal.

5 Quarta ratio: Quia Ordinarius in eadem civitate, qua idem Tribunal Regiæ Coronæ, existebat; & sic obvium sibi illatam, ut dicebat, ad Ordinarium æquè facile, & non ad illud Tribunal recurrere debebat: nam ut vidimus, & omnes concedunt, causa decimarum est mere Ecclesiastica; & sic judicio sui Ordinarij competebat, justitiæ complementum exhibere, *cap fin. de rerum permut. cap. Tua nobis* §. *fin. de decim. cap. Causam, de præscript. cap ex tenor. ubi Gloss. verb. Ecclesiasticum, de foro competent. Clem. Dispendiosam, de jndic.* Speculator, *in tit. de compet. judic. num.* 16. Fulgos. *cap.* 166. *nu.* 4. Barbos. *ad l. Titius, num* 47. *vers. cum enim ff. solut. matr.* quos refert, & sequitur Themud. *cit. num.* 5. Et etiam contra exemptos, quale est Collegium, ut constat, *ex cap.* 2. § *Diœcesani, de decimis in* 6. ibi: *Diœcesani verò parrochialium Ecclesiarum, ad requisitionem Rectorum earundem, de ipsis Religiosis, super decimis, quas habent, vel habere eos contingit; quæ quidem alias ad illas spectaverunt Ecclesias* [*nisi de rebus ex emptis agatur*] *exhibiant justitiæ complementum* Gabriel Bereyr. *de Manu Regia* 1. *part. cap.* 7. *num.* 38. *vers.* 1. *apud ipsum Themud. cit.*

6 Quinta ratio: poterat enim ipse Abbas convenire Collegium pro debito suo, coram conservatore ipsius Collegij in eadem civitate existente, etiam præsente Ordinario, ut *ex Trident. sess.* 7. *de reformat. cap.* 14. constat, ibi: *In aliis verò si ipsi judicem non habeant, coram locorum Ordinarijs, tanquam ad hoc ab ipsa Sede delegatis conveniri, & jure medio ad solvendum debitum cogi, & compelli possint*: Ad collegium suum judicem habebat; nempe conservatorem, qui est Collegij judex Ordinarius, in causis civilibus, quando ipsum collegium fuerit reus, ut erat in hac decimarum causa, ut constat *ex*

Bulla

Bulla Gregorij XV. quæ incipit: *Sanctissimus in Christo*, quam refert de verbo ad verbum Barbos. de potest. Episc. *alleg.* 106 *num.* 55. & ex traditis ab ipso Barbos ibi: *num.* 40. & *in Collect. ad cit. locum Trident. numer.* 2. Lezan *tom.* 2. *qq. Regul. cap.* 10. *numer.* 61. Fragos. 2. *part. Regim. Reip. Christ. disp.* 2. § 2. *num.* 30. *vers. His tamen*, Pellizzario *in Man. Regul. tract.* 8. *cap.* 8. *num.* 120. & alijs, quos citant, & sic vidi judicatum in senatu Portugallensi in causa Collegij Bracharensis Societatis IESU: cùm ergo dictus Abbas æquè facile ad hos judices recurrere potuisset, tutâ conscientiâ non recurrit pro retinenda possessione decimarum, interponendo gravamen ad Tribunal sæculare Regiæ Coronæ: Vide dicta *supra disp.* 3 *q.* 7. *à num.* 6.

7 Nec obstat *Ordin Regia l.* 2 *tit.* 1. §. 2. ibi: *E podera o clerigo ser citado, & demandado perante o Iuiz leigo por qualquer força nova*, [*dentro de anno, & dia*] *que o clerigo faça em qualquer cousa, assi movel, como de rais, posto que a tal cousa seja Ecclesiastica. O qual juiz leigo podera disso conhecer, pera desfazer a força, & restituir o forçado em todo, o de que estiver esbulhado, & mais nam.* Non, inquam, obstat, quia dato, & non concesso, quod dictus Abbas in aliquo à Collegio fuisset spoliatus, cujus contrarium dicetur §. *sequenti*; Respondetur primò, eam l. Regiam loqui de clericis, & non de Regularibus, ut patet: *E podera o clerigo, &c.* & in odiosis appellatione clericorum, non veniunt Religiosi, ut omnes docent DD. Abbas, Roman. Bellet. & alij plures, quos latè refert Barbos. *de Appellat. in tract. varijs, appellat.* 51. *Verb. clerici num* 7 & 8. nec Emman. Barbos. *in Remijs. ad cit. locum Ordin.* cùm illum latè explicet, nullum de Religiosis intermittat verbum; Et dicta Ordin est odiosa, ut patet; & collegium Portugallense est Religiosorum. Respondetur secundò, dictam Ordinat. debere intelligi, ut sit licita, & justa, quando non datur judex Ecclesiasticus, quia eam vim non possit, nec velit arcere; nam si datur, jam cessat vis; at in eadem civitate dabatur judex Ecclesiasticus, qui poterat, & volebat eam vim [si verè daretur] arcere. Vide *dict. supra disp.* 3 *q.* 7. *citata.* Alijs responsionibus supersedeo, quia videri possunt apud Doctissimum Olivam *dicta q.* 8. *n.* 67. & 68. & *q.* 12. & 14.

§. II.

An Collegium Abbati vim intulerit non solvendo decimas, & primitias ex fructibus, quos suis expensis colit.

SUMMARIUM.

8 *Vim non infert, qui suo utitur privilegio.*

9 *Societas IESU in hoc Regno est in possessione sui privilegij.*

10 *Abbas recipiendi decimas sufficientem possessionem non habet.*

11 *Privilegium in perpetuum concessum, per unicum actum non deperditur.*

12 *Privilegium affirmativum per non usum deperditur, non tamen negativum.*

13 *Vt privilegium amittatur, non sufficit, non usus unicus collegij, nisi tota Religio illum approbet.*

14 *Vt possessio acquiratur, requiritur, quod actus fuissent voluntariè cogniti, ut privilegijs contrarij.*

15 *Negligentia, seu ignorantia privilegiorum Regularium non sufficit, ut illa amittantur.*

16 *Læsio facta in privilegijs per nostros, etiam procuratores, contra privilegia non tenent.*

17 *Ad præscribendum contra privilegia Regularium, non solum necessarium est spatium quadraginta annorum, sed etiam annorum centum.*

18 *Non sufficit, famulum recipere sacramenta, ut primitiæ Abbati debeantur.*

19 *Laborantes in agris alienis, etiam si ab Abbate sacramenta recipiant, primitias illi non debentur.*

8 Respondeo, Collegium Abbati vim non intulisse, illi non solvendo decimas, & primitias ex fructibus, quos per suos famulos excolit: ut ostendo seqq. fundamentis. Primum: quia nulla vis censetur commissa ab illo, qui in casu occurrenti, suo utitur privilegio, ut dicunt Cabed. 1. *part. arest.* 17. & 57. Gabriel Pereyra de Castro *decis.* 91 *num.* 3 & *numer.* 4. *vers. unde cum pluribus, in fine*: at Religiosi habent privilegia non solvendi decimas de fructibus, quos suis manibus, aut proprijs sumptibus excolunt, tùm in jure communi *cap. Ex multiplici, de decim.* ibi: *Abbas* [nempe Cisterciensis] *à nobis privilegium obtinuit, ut de laboribus, quos proprijs manibus, aut sumptibus excolunt, nulli decimas solvere tenerentur.* Et id probat, pluribus relatis, Soar. *tom.* 1. *de Relig. l.* 1. *cap.* 19. *num.* 2. ex varijs juribus, idem astruunt Rebuff. *in cap. fin. ut lite pendente, q.* 3. *de decim. num.* 103. Gutierr. *qq. canon. q.* 21. *num.* 26. Covarruv. Menchac. quos affert, & sequitur Gabriel. Pereyra; tum extra jus commune: nam plura reperiuntur privilegia, eximentia Regulares à decimis, de illis, quæ proprijs sumptibus ex colunt, ut videre est apud Casarub. *in compend. verb. Decimæ*, Pellizzar, *tom.* 2. *tract.* 8 *cap.* 7. *num.* 169. Emman. Rodrig. *tom.* 2. *qq. Regul. q.* 45. *art.* 4. *vers sextum*, & *seqq.* & Beand. 3. *part. tract.* 6. *disp.* 6. *q.* 36. Extat etiam *privilegium Gregorij XV. editum* 5. *Novembris* 1622. nostræ Societati IESU specialiter concessum pro Regnis Portugalliæ, quod incipit, *Ad perpetuam*, & in hac decimarum materia ultimum, in quo nostram societatem eximit à decimis illorũ fructuum sua industria collectorũ, ibi: *Quæ proprijs manibus, at sũptibus excolunt, aut excoli faciunt, aut excolent, aliter*

faciendum, quàm prout dicti Mendicantes solvere consueverunt. Et alij Religiosi in his Portugalliæ Regnis decimas non solvunt de illis fructibus, quos suâ industria, & suis famulis colligunt, aut colligere faciunt, ut invenitur probatum cum pluribus DD. apud Gabriel. Pereyr. *dict. num.* 3. & simul judicatum. At expressè constat, etiam fatente ipso Abbate, Collegium suâ industria, & suis famulis eos coluisse fructus, ex quibus decimas non solvit: ergo nulla vis in illum censetur commissa.

9 Secundum fundament. Quia Societas JESU est in possessione, & usu sui privilegij, non solvendi decimas ex fructibus, quos suâ industriâ colit, ut patet; quia suas villas suis sûptibus excolit, decimas non solvens, & ex sententijs in hac materia latis. In hac eadem Diæcesi Portugallensi pro Collegio Eborensi lata fuit sententia contra Monasterium S. Benedicti de Passò de Sousa intendens, Collegium sibi debere decimas ex terris Mensæ Abbatialis, quæ erant ex Collegio, & ab illo suis sumptibus, & famulis colebantur. Eamdem in sui favorem obtinuit sententiam idem Collegium Portugallense contra Prælatum Ecclesiæ de Bandoma, intendentem Collegium sibi debere decimam ex Passalibus, quæ erant ex Collegio, & ab illo suis sumptibus ex colebantur, & sic de alijs. Quare cum dicta Societas JESU, & Collegium Portugallense sit in possessione, & usu non solvendi decimas ex suis terris, quas proprijs sumptibus colit, nullam vim intulit Abbati, non solvendo decimas ex fructibus, quos per suos famulos coluit.

10 Tertium fund. Quia Abbas Parochiæ de Villa. Cova possessionem sufficientem non habet, decimas recipiendi ex prædio Collegij. Nam licèt illam habeat recipiendi decimas mediatas ab arrendatarijs, seu colonis durante conductione, non tamen illam habet, quando Collegium illud prædium in parte vel in totum excolit per suos famulos: in his enim terminis, cùm privilegium sit personale, mutata persona, decimæ cum privilegio mutantur. Sic Bartol *in Authent. de non eligend.* § *ante nuptiali, citans l. fin. C. de inoffic. testam. in fine, & l. Paulus* § 1 *ff de acquirend hæredit.* Vnde sicut illud prædium penes arrendatorios, ut vocant existens, pro tempore præterito, in pristinam obligationem incidit, solvendi decimas pro tempore præsenti; sic pariter in parte, vel in totum ad Collegium reversum, quasi post liminij jure ad consuetum privilegium reducitur; quia privilegium personæ concessum, respectu rerum, eas afficit; & novam formam induit, ut donec in eo statu res illa permaneat, ab omni sit decima immunis.

ARGUMENTA SOLUTA.

11 Nec obstat *cap. Cùm accessissent, de Const.* ubi per unum actum privilegium eligendi, amissum fuit, ut advertunt Gomes *l.* 45 *Tauri n.* 172. Covarruv. *regul Possessor, 2 part in princip. num.* 6. Reynos. *Observat.* 62. *a numer.* 10. Themud. *in decis. senat. Archiepisc. Vlyss. p. decis.* 2 *num.* 15. Sed anno præcedente in quo Collegium per suos famulos fructus suprædictos coluit, ipsi famuli decimas solitas solverunt: ergo Collegium privilegium amisit, & Abbas suam continuavit possessionem, & vim patitur nunc, si non continuetur. Non, inquam, hoc obstat, quia respondetur primò, in eo *cap. per unicum* actum fuisse amissum privilegium, quia illud erat ad unicum actum concessum, & tractum non habebat successivum, ut cum Tapia, & Soar. inquit Gabriel Pereyra *dict. decis.* 91. *num.* 31. *& seqq* at privilegium non solvendi decimas, quod habet Collegium non erat ad unicum actum, sed in perpetuum, & hoc non amittitur per unicum, nec illius possessio, sed per spatium quadraginta annorum, in quibus decimas solvissent, ut constat *ex cap. si de terra* 6. *& cap. Accedentibus* 15 *de privilegijs*, & *cap. Illud eod. tit.* & tradunt DD. Glos. *in cit. cap. Cum accisissent, verb. contravenerint*, communiter recepta, ibi: *Puta, quia dedit privilegium de non dandis decimis: tunc non perditur, nisi legitimo tempore. S. si quadraginta annorum spatio fecerit contra privilegium, decimas solvendo, &c.* Soar. Rebuff. Filliuc. Angel. Silvest. & alij, quos refert, & sequitur Leand. *part.* 3. *tract.* 6. *disp* 6. *q.* 53.

12 Respondetur secundò; privilegium affirmativum per non usum deperdi: at si privilegium fuerit negativum, v. g. non solvendi decimas, tributa, paria boum, vulgo [*jugada,*] non deperditur, nisi post tempus ad præscriptionem contra ipsum privilegium requisitum. Sic Glos. *in cap. Cum accessissent cit. & in l.* 1 *C. de servit.* Soar. *tom.* 1. *de Relig. cap.* 34 *num.* 32 & *de legib. l.* 8. *cap* 34. *num.* 1. Molin. *tract.* 2. *disp.* 70. *Vers. Quod idem*, Gabriel Pereyra *dict. decis.* 91 *num.* 28. Matcard. *conclus.* 1215. & alij: ergo quamvis pro præcedente anno decimæ eorum fructuum, quos Collegium suis sumptibus excoluerat, per famulum fuissent solutæ, nec Abbas acquisivit possessionem, nec Collegium privilegium non solvendi decimas amisit.

13 Addo: ut Abbas possessionem in decimis recipiendis acquireret, & Collegium illam amitteret per actus, & usum contrarium, necessum fuisset, primò: Quod tota Religio, cui privilegium fuit concessum non solvendi decimas, eos actus & usum approbaret, & exercuisset; nec sufficit quod unum Collegium, aut Prælatus illud renuntiet, *L. Non dubium C. de leg.* Barbos. *in l.* 1. *de judic. art.* 3. *numer.* 148. Soar. *tom.* 1. *de Relig. l.* 1. *cap* 20 *num.* 3. *in fine*, & *num.* 5 in quo videndus est Gabriel Pereyra *dict. decis.* 91. *num.* 32. Solutio autem decimarum à famulo fuit facta ex agricolarum inductione, & ignorantiâ. Et quamvis ipse famulus, Collegij

Collegij Procurator, & Rector illam solutionem per centum continuassent annos ; adhuc ipse Abbas possessionem legitimam non acquirebat, quia per ipsos solutionum actus privilegium non renuntiebatur, quia per Religionem non erant approbati, nec illis consentiebat.

14 Secundò necessum erat, ut Abbas possessionem acquireret per unum, vel plures actus recipiendi decimas à Collegio, quòd ipsæ, vel ipsi actus fuissent voluntariè cogniti, ut contrarij privilegio, non solvendi decimas, quo gaudet Collegium : At ille, qui præcedente anno decimas solvit, etiam si fuisset ipse Generalis totius Religionis, & illas solvisset per plurimos annos, ignorans se contra ire adversus privilegium ; adhuc privilegium non deperdebatur ; & omni tempore illo poterat uti, quin Abbas potuisset possessionem allegare, ut rectè fatetur Soar. *de leg. l.* 8. *cap.* 35 *num.* 4 Emman. Rodrig. *tom.* 2. *q.* 45. *artic.* 6. & luce ipsâ clarius est, eam solutionem famuli fuisse ex ignorantia commissam & abbatis Collegij, & Religionis PP.

15 Et quanvis hæc sententia non esset communis, sufficiebat privilegium, quo gaudet societas JESU in suorum privilegiorum compendio insertum, *verb. Privilegium* §. 2. ibi: *si quando contigerit per unum, vel plures actus contra privilegia, indulta, gratias, immunitates societati concessas, aut ipsorum aliquod a quocunque cujuscunque conditionis, dignitatis gradus, & status existat ex negligentia, seu ignorantia præsentium, & futurorum, quibus ea conceditur. aut aliâ quavis causâ aliter attentari, vel observari scienter, vel ignoranter, nullum tamen propter hoc præjudicium indultis, gratijs, & communitatibus ipsis generatur : sed illa in suo vigore, & pleno robore firmitatis perpetuò permanent. Sic habetur in privilegijs Canon Later. in manu scriptis fol.* 50 *pagina* 1. Et habetur *per Bullam* 10 5. 35. *Xisti, IV. in primo tom. Bullar.* apud Cherub. & per plures Bullas in originali relatas. Vide etiam Rodrig *proximè cit.*

16 Et in eodem compendio, *verbo Privilegia*, §. 9. *sic* traditur, in alio privilegio : *si qua læsio facta fuerit per quosvis cujusvis status quocunque modo, vel forma, vel in futurum, fiet personis, juribus, & rebus, ac bonis societatis, licet culpa nostrorum, aut procuratornm societatis, seu domorum, aut Collegiorum, ipso jure non tenent ; nec opus est restitutionem in integrum pro læsione hujusmodi impetrare.* Concessio hæc facta fuit per Bullam Ioannis XXIII quæ habetur *in libris Privilegiorum Ordinis Olivetani fol.* 18. Et de alio mentionem facit Rodrig. *cit.* Ex his infertur privilegijs, præjudicium non intulisse solutionem decimarum à famulo Collegij factam, quas decimas solvere non tenebatur.

17 Ex dictis adhuc infertur, non sufficere ad præscriptionem, non solvendi decimas, unum, vel plures actus, sed requiri præscriptionem quadraginta annorum, ut jam supra notavimus cum pluribus DD. quos citatos refert Soar. *l.* 8. *de lege cap.* 35. *num.* 21. Advertendum tamen est hoc temporis spatium, quod ab his DD requiritur ad præscriptionem decimarum esse de jure ; & quoad omnes Ecclesias ; nam quoad Regulares specialiter, ex privilegio Eugenij IV. Religiosis S. Pauli extra muros concessio, spatium centum annorum requiritur, ex quo per communicationem alij gaudent Religiosi, ut dicunt Tambur. *de jure Abbat. tom.* 1. *disp.* 16. *q.* 12. *num.* 4. Emman. Rodrig. *in Bullar. pag.* 203. *& tom.* 4 *qq. Regul q* 81. *art.* 5. Bellas *verb. Præscribere num.* 72. Fr. Ioann de la Cruce *in optime l.* 2. *cap.* 3 *dub.* 2. & 1. Portel. *verb. Privilegium, num.* 58 Fr. Anton. à Spiritu S. postea illustrissimus Episcopus Angolanus *tom.* 1. *tract.* 1. *disp* 1. *num.* 113. Leand. *dicta part.* 3. *tract.* 6. *disp.* 6 *q.* 53. Pellizzar. Lezan. & alij, quos citant. Unde colligitur Abbatem nullum jus, nec legitimam possessionem acquisijsse, ex eo, quòd famulus Collegij pro una vice decimas solvisset.

18 Nec obstat secundo dicere, quòd licèt Collegium jus habeat ad non solvendas decimas, non illud tamen habet ad non solvendas primitias ; nam illius famulus ab Abbate recipit sacramenta, & in illius parochia audit divina ; primitiæ autem illi parochiæ debentur, in qua divina audiuntur, & sacramenta recipiuntur *Iuxta constit. Synod. Diœcesis Portugallensis tit.* 22. *const.* 5. in qua parochia existit. Non, inquam, obstat, quia respondetur, admissa, & concessa ea Constit. synodali, Collegium ex fructibus, quos per suos famulos ex colit, primitias non debere ipsi Abbati : licèt enim ab illo sacramenta reciperet, fructus prædij Collegij suo nomine non colebat, mercenarij enim in terris alienis laborantes, primitias non solvunt exijs terris, Ecclesijs in quibus sacramenta recipiunt, & divina audiunt ; quia ad illos, ipsi fructus non pertinent, ut constat *ex Gloss. in cap. Decimam, de decim.* communiter recepta, quæ asserit, eodem jure exigi primitias, quo decimæ : sed decimæ in nostro casu non exiguntur à fructibus, quos ipsi famuli nomine alieno excolunt ; ergo nec ab illis primitiæ exigi possunt. Vide Fagund. *in* 5. *Eccles præcept. l.* 4. *cap.* 2. *num.* 4. *in fine.*

QUÆSTIO XXVII.

An venditio simulata, & facta cum oppignoratione sit valida, & usuraria?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Est nulla non titulo lesionis.*
3 *Contractus simulati sunt nulli.*

4 *Fuit etiam nulla, quia facta fuit cum oppignoratione.*

5 *Venditio rescindi debet, & pensiones restituendæ in utroque foro.*

1 FElix Hilario vendidit rem immobilem pro centenis millibus Regalibus Lusitanis (cum ad minus in valore esset trecentorum millium regalium, cum pacto de retro, & conditione, ut ipsa res immobilis in manu ipsius Felicis venditoris maneret, cum obligatione solvendi singulis annis centenas mensuras millij, vulgo *cem alqueires de milho*, dum illi suam non solvebat pecuniam in scriptura autem venditionis nulla facta est mentio de tali obligatione. Idem Felix ijdem Hilario vendidit aliam rem immobilem, in valore habentem centena, & quinquaginta millia regalia Lusitana, pro quinquaginta millibus regalibus in eadem relata forma. Et extra scripturam verbaliter convenerunt, Felicem soluturum esse quinquaginta mensuras, vulgo *sincoenta alqueires de milho*. Itaque Felix vendidit pro centum, & quinquaginta millibus regalibus res immobiles quadringentis, & quinquaginta millibus regalibus constantes. Quæritur, An hac emptione læsio enormissima, & ultra dimidium interceserit? Et ex hac læsione venditio rescindi possit, & à principali ille centum, & quinquaginta millij mensuræ de primi debeant, quæ singulis solvebantur annis; & si dicta venditio sit nulla, quia facta est cum pacto de retro cum tanto excessu; quanto stant quadringenta, & quinquaginta millia regalia, ad centum, & quinquaginta millia regalia; pro quibus dictæ res immobiles fuerunt emptæ?

RESOLUTIO.

2 Respondeo, hanc venditionem fuisse nullam; non tamen titulo læsionis, quod inquiritur, sed quia fuit simulata, & cum oppignoratione facta. Non, inquam, titulo læsionis; nam quamvis venditio facta cum pacto de retro, vendendo pro minori quarta parte, quam valet res vendita [v. g. dando pro tribus, quod valet quatuor] sit nulla; ut disponitur in *Ordin. Regia l.4 titul 4 §. 1.* ibi: *Se a cousa fosse vendida por menos a quarta parte do justo preço E na venda fosse posto o dito pacto [sine retro] neste caso concorrendo juntamente o grande desfalecimento do preço justo, com a dita convença, & pacto, fazem o contracto ser usurario.* Et DD. quos latè citant, & sequuntur Molin. *de just. tract.2.disp.375. vers. Hoc loco*, Cevall. *commun. contra commun. q.* 224 Covarruv. *l. 3. variar. cap. 8 numer.3.* Valasc. *consult. 70. ex cap. Ad nostram, 5. de empt. & vendit.* Emman. Barbos. *in Remiss ad Ordin.cit. num. 3.* August. Barbos. *tom.2. ad Collect. ad cit. cap. Ad nostram, num. 5.* Quoniam tamen in hac venditione concurrit dictum pactum, remanendi rem venditam in manibus venditoris cum onere solvendi singulis annis centum, & quinquaginta mensuras millij, quod pactum etiam in pretio computatur, & loco pretij ponitur *l. Fundi partem 79. ff. de contrah empt.* non debet talis res reputari pro vendita, pro minori pretio quartæ partis, nisi pro vendita pro pretio æquivalenti. Ita in simili casu Cened. *ad Decret. illect. 28. numer 4.* Pinell. *ad l.2.Cod.de rescind vendit. part. 3. capit. fin.num.19.* Mantic. *de tacit. & ambig. convent.l. 8.tit.20.a n.5.* August.Barbos *proximè n. 5.*

3 Cæterum talis venditio fuit nulla ex duplici titulo; Primò, quia fuit simulata, & contractus simulati *juxta Ordin. Reg.* sunt nulli, ut disponit *l.4.tit 71 in principio*, ibi: *Mandamos, que pessoa alguma de qualquer estado, & condiçam que seja, nam faça contracto algum simulado, avença, convença... & fazendo o contrario, queremos, que por esse mesmo feito, qualquer dos sobreditos contractos, convenças ... em juizo, & fora delle sejam nenhuns, & de nenhum vigor, &c.* Et notant primò DD exceptioni simulationis, renuntiari non posse, apud Aloys. Rivium *collect.884.vers.8* & apud Carol. de Graff. *tract. de except excep.12. num 22.* & apud Emman. Barbol. *in remiss. ad cit Ordin num.2.* Notant secundò, contractum simulatum juramanto nô confirmari, apud Cæpolam *de simul contract. num 46.* & apud Farinac. *de falsit. & simul q. 162 num.67* & apud Cevall *commun.contra commun.q.* 804. & apud Barbos. *proximè num.3* Notant tertiò, contractum simulatum appellari corpus sine spiritu; quia licèt figuram contractus habeat, essentiam tamen non habet, apud Rebell. *de obligat just.part 2 l.1.q 6 sect. 1 num.3. fine*, & apud Cevall. *cit. q.* 804.*n* 16. & apud Barbos. *proximè n.4.*

4 Secundus titulus, ex quo fuit nulla ea venditio, est, quia fuit facta cum oppignoratione, ut statuitur in *Ordin Reg l.4.tit.67 § 4.* ibi: *E sendo feito semelhante apenhamento entre outras pessoas, que nam sejam o foreiro, & o Senhor, tal contracto de apenhamento feito com clausula, que o credor aja em salvo as rendas, & fructos da cousa apenhada, atè ser pago da sua divida, sera usurario, & averam os contrahentes as penas de usurarios, &c.* ut communiter tenent DD. quos latè afferunt, & sectantur Menoch. *consil. 110 n 8* Castill. *l.3. quotidian.cap 23.n 65.* Emman. Barbos. *in Remiss ad cit. Ordin n 2*

5 Ex dictis cõstat, dictam vẽditionem fuisse nullam ex duobus titulis, simulationis, & quia factam cũ oppignoratione, propter quos rescindi debet; & cõsequẽter à principali deprimẽdos esse dictos cẽtũ, & quinquaginta mẽsuras millijs pro singulis annis solutos: quia illorũ restitutio nõ solũ in foro externo, sed etiã in foro cõscientiæ debetur. Vt docent cõmuniter DD. *ex text. in l. Ruda 55.ff. de cõtrahend. empt.* & expressè tenet Rebell. *de oblig. just. l. 1.q.6. sect. 1 n.3* cũ Bartol. Bald. Anton Gom. & alij pluribus, & Aug. Barbos. *in collect. ad cap. Nostrã cit. n. 7* cũ Surd. & Stephan. Gratian.

QUÆS-

QUÆSTIO XXVIII.

An sit usura vendere domum cum pactò, non accipiendi pretium, nisi ad beneplacitum venditoris; ut sic venditor habeat lucrum pretij, quod illi ex locatione domus, cessavit?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Contractus domus fuit validus, & justus.*
3 *Contractus mutui sub interesse fuit nullus, & usurarius.*
4 *Mutuatario gravamen, quod contractui non ineſt, imponi non potest.*
5 *Vt usurarius in tribunalibus judicatur.*
6 *Conditio in eo contractu apposita fuit nullius valoris.*
7 *In contractu mutui sors potest solvi ante tempus designatum.*
8 *Solutio debiti potest antecipari in favorem debitoris; non tamen, quando cedit in præjudicium creditoris.*
9 *Venditor domus potest, dum pretium non solvitur, sibi locationes domus reservare.*
10 *Non est usurarium, vendere domum, & pretium in manu emptoris in deposito relinquere, donec alia res æquè bona, & fructifera inveniatur, in qua pretium possit investiri.*
11 *In mutuo potest in pactum deduci lucrum, & damnum emergens.*
12 *Venditor ratione affectionis, quam habet ad suam rem, potest aliquid ultra pretium justum accipere.*

1 MAximi intererat Petro in certa habitare platea, quia tamen domum in ea locatam non habebat, nec invenire poterat, à Paulo petijt, ut domum in ea sitam venderet. Annuit absque necessitate suasioni Petri, ut illi eam gratiam præstaret. Iusto pretio inita fuit venditio, cum hac tamen expressa conditione, quòd pretium, in potestate ipsius Petri remaneret ad rationem census sub interesse sex, & quarti pro quolibet centenario singulis annis solvendo, ut suam pecuniam otiosam non haberet, & sic suæ domus venditæ locationes compensaret; additaque fuit in eadem scriptura hæc declaratio; quòd dictum pretium esset in manibus Petri emptoris domus; dum voluisset ipse Paulus venditor. Duobus annis interesse solvit ipse Petrus, ægrè ferens illud solvere, quia pretium domus ad manum habebat. Paulus autem illud acceptare nolens, gravamen interposuit. Quæritur: An dictus contractus sit nullus, & usurarius?

RESOLUTIO.

2 Duplex in hac facti specie celebratus fuit contractus, inter se distinctus, unus venditionis domus, alter mutui sub interesse sex & quarti ad rationem census, pro quolibet centenario, singulis annis solvendo. Primus fuit licitus, & validus; quia fuit justo pretio, & illo celebrato, jam locationes domus non pertinebant ad venditorem Paulum, ut ex ipso jure constat apud Petr. Barbos. *l. De divis. 5. ff. solut. matr.*

3 Alter contractus mutui, seu pecuniæ datæ ad censum sub interesse, [qui idem est, ac mutuum, & sæpius *diximus supra q. 1.*] & nullus, & usurarius. Ostenditur primò: quia de ratione mutui contractus est, quòd mutuans ante tempus designatum non possit petere pecuniam mutuam ad rationem juris, mutuatarius autem illam potest tradere, quando voluerit, etiam si tempus designatum finitum non sit. Sic communiter DD. Faber 1. *part. dial. 12. de usur. § 7 Mutuans, fol. mihi 248. in principio*, & satis colligitur *ex l. quod te mihi oporteat dare, ff. si certum petatur.* Hoc tamen non intervenit in dicto contractu, in quo mutuans sibi obligavit mutuatarium ad non tradendam pecuniam ante tempus designandum à sua voluntate. Et hoc esse usurarium, expressè inquit Cardin de Lug *tom. 2. de just. disp. 25. numer. 69.* ibi: *Usurarium est pactum, quo mutuatarius obligaretur ad non reddendum mutuum ante finem anni.* Supponit enim terminum ad solvendum mutuum fuisse unius anni. Id etiam supponit Salas. *tract. de usur. dub. 15 in fine*; ergo etiam est usurarium obligare Petrum ad non solvendum pretium domus mutuum ante placitum voluntatis Pauli; & ante illud pretium nolentis recipere. Et ita habet praxis.

4 Secundò ostenditur, quia ut detur usura in cõtractu mutui, sufficit, quòd in pactum deducatur aliquod incommodum quod ex communi DD. sententia inesse, non possit ipsi mutuo: sed ex dicto contractu ipsi mutuatario imponitur incommodum in pactum, quod nequeat solvere sortem, & principale, nisi ad beneplacitum mutuantis, quod ipsi mutuo in esse non potest, ex omnium DD. sententia, ut tenent Card de Lug *proximè num. 55.* Salas *cit.* pluribus in locis, scilicet *dub 9. num 4. dub. 10. num. 3. dub. 11. nu. 2. dub 13. nu 3 & dub. 16 n. 4. cum Bañes* Arag. Vega, Saa, Emman. Rodrig. Navarr. Angel. & alijs pluribus, quos citant: & ex dicto pacto Petrus mutuatarius invitus graviter læditur, & detrimentum patitur, non tradens pecuniam mutuam debitam, cum onere solvendi singulis annis sex, & quartum pro quolibet centenario, ob pactum quod ex Doctores in esse non potest mutuo: ergo Paulus sortem, & principale nolens recipere, ne amittat interesse conventum, usuram committit.

5 Tertio ostẽditur, quia si cõtractus mutui sub interesse ad rationem census celebretur cum

clausula non redimendi, nisi quando voluerit mutuans; etiam esse usurarium jure naturæ, existimât plures DD. apud Salas *tract. de censib. dub.* 12 *n.* 2. & eam clausulam haberi pro nô appositâ: ergo apposita à Paulo habenda est pro non apposita, cum illa enim contractus est illicitus, & usurarius, ut sæpius apud Salas fuit judicatum.

6 Et non solũ de jure naturæ, sed etiam de jure positivo ea clausula habetur pro non apposita, & ut de usura suspecta, illam prohibuit in contractu Census Beatus Pius V. in Bulla, quæ incipit: *Cum onus Apostolicæ*, edita anno 1569 & inter alias in Bullario Romano est 82. In qua dicta clausula habetur pro non apposita, ut cum Card. de Lug. tenet Tamburin. *tom.* 2. *l.* 9 *de contract cap.* 4 § 1. *num* 2. & *cap* 5. *num.* 22. ubi summariè hanc refert clausulam: ergo ea clausula à Paulo apposita in dicto contractu celebrato, de pecunia data subintercesse ad rationem Census, nullius est valoris; & illa non obstante, potest redimi pecunia mutuo relicta. In hoc enim conveniunt DD Molin *tract.* 2 *disp.* 391. & relatis Salas Less. & alijs Cardin. de Lug *disp* 27. *de just. num.* 112 & in judicando ita habet praxis, ut jam diximus.

7 Nec obstat primò *Ordin Reg. l.* 4. *tit.* 50. §. 1. ibi: *E esta cousa assi impreſtada, deve tornar o devedor ao tempo, & prazo que lhe for posto.* Sed Paulus in dicto contracto mutui, debitori Petro designavit tempus suæ voluntatis: ergo Petrus illi stare debebat. Non, inquam, obstat, quia Petro mutuatario nullum fuit determinatè designatum tempus, in quo teneretur Paulo creditori solvere mutuum; & quamvis in dictis verbis designatum fuisset tempus, adhuc Petrus antecipare poterat solutionem, quia ille terminus non ponitur, pro non antecipanda solutione, sed pro non differenda.

8 Nec obstat secundò *l. Cum qui ff. de annis legat.* ubi legatum in gratiam legatarij appositum, ante tempus designatum solvi nequit, secus si sit in gratiam hæredis: ex qua lege inferunt DD solutionem debiti posse antecipari, quando est in favorem debitoris, non autem quando est in favorem creditoris. Sic cum Sylvest. Angel. Medin. & alijs Azor *part.* 3. *l.* 4 *cap.* 34 *q.* 1. Card. de Lug *tom* 1 *de just. disp* 20 *sect.* 9. *num.* 217. Sed dictus mutui contractus cum illa dilatione temporis initus fuit in favorem Pauli creditoris: ergo solutio debiti absque illius voluntate, anticipari non potest: Non, inquam, obstat, quia respondetur maiorem esse veram in casu dictæ legis, & DD. quando ea dispositio facta fuit in favorem legatarij, seu debitoris, quia solutio alio tempore facta, est in illorum præjudicium: in minori autem falsò supponitur, in præsenti casu solutionem mutui sub intercesse, singulis annis, dum Paulus voluerit, esse in illius favorem, quia licet sic appareat, est illicita, & contra suam conscientiam, & contra ipsum jus, uspote usurariam, ut ex dictis constat.

9 Nec obstat tertiò; quia licitum est vendere domum, & reservare locationes donec solvatur pretium domûs, ut bene colligitur *ex l. Lex curabit C. de action. empt. & vendit. l.* 2. *eod. tit. & de usur. & l. Iulianus* § *ex venditore ff. de action. empt. & vendit.* quia hoc lucrum non est usurarium, sed recompensatorium locationum, quibus venditor domus privatur ad instantiam emptoris non soluto statim pretio suæ domus, ut pluribus citatis tradit Sanch *l.* 1. *consil. cap.* 7. *dub.* 21. ubi *a num.* 4. ostendit in quo sensu eam sequatur sententiam, ut probabiliorem; eandem defendit Dian. *part.* 4 *tract.* 4. *resol.* 139. ergo etiam venditor Paulus, ne damnum patiatur ex locationibus cessatis, poterit idem lucrum locationum recipere ratione suæ pecuniæ non traditæ, quæ subrogata fuit loco domus: subrogatum autem naturam sapit illius, in cujus locum subrogatur, *L. si cum* § *qui iniuriarum ff. si quis caut.* & DD quos latè citat Barbos. *de Axiomat. jur. axiom.* 213 Non inquam obstant eæ leges, nec sententia eorum DD. nam ad antecedens respondetur, dato quod ea sententia sit maximè probabilis, consequentia, ex illa deducta est mala: dispar ratio apparet: quia dum emptor domûs est in mora solvendi illius pretium, justè in compensationem locationum exiguntur redditus locationum, quia sic emptor recompensat damnum, quod in sui gratiam, patitur venditor: At ex pecunia, quæ mansit mutua loco domus, quam emptor statim solvere vult, non potest illud interesse pecuniarum recipere; quia sic eum vult obligare ad contractum usurarium jure naturæ ut docent plures, & jure positivo, sine controversia usurarium. Nec pecunia tradita, seu tradenda pro pretio domus sapit naturam ipsius domus, quia est diversæ naturæ, seu qualitatis; & ideo non subrogatur loco domus, ut ex ipso jure, & DD sentit Barbos. *cit. num* 3 Dixi, *dato, quod ea sententia sit maximè probabilis* nam plures DD. apud ipsum Sanch. & Dian. *ll. cc.* dicunt ipsum pactum esse usurarium.

10 Non obstat quarto: Nam vendere domum, ut velle, quod pretium sit in depósito in manu emptoris, vel alterius extranei, donec alia possessio æquè bona, & frugifera inveniatur, qua possint compensari locationes domus: tunc enim eo temporis intervallo emptor domus, tenetur venditori annuam pensionem reddere correspondentem locationi domus. Hic enim contractus nec est illicitus, nec usurarius; quia in hoc contractu duo interveniunt contractus. Primus, quo venditur domus, non tradenda in possessionem, priusquam alia possessio inveniatur, eodem pretio emenda Secundus, quo traditur domus, & datur jus emptori percipiendi locationes pro pensione solvenda eo tempore. Vt tuentur Molin. *tract* 2. *disp.* 368. *vers Ex dictis infero*; ubi fatetur se vidisse contractum ita celebratum, Lessius *l* 2 *de just. cap.* 21 *dub.* 13. *nn* 108. Fagundes *l* 5. *de just cap* 9 *numer.* 6.

num.6. Cardin.de Lug. *tom.2.de just. disput. 25. sect 8.num.144.* Sed hic contractus est idem, qui à Paulo, & Petro fuit celebratus : nam Paulus voluit, quòd pretium domus fuisset in depositò, in manu Petri emptoris, & interim recipere interesse illius pretij, correspondens locationi suæ domus: ergo si ille contractus non est illicitus, nec usurarius, nec etiam erit illicitus, nec usurarius à Paulo, & Petro celebratus. Non, inquam, hoc obstat, quia respondetur negando minorem; nam contractus a Petro, & Paulo initus, est valde diversus ab eo, qui in minori continetur. In hoc enim nõ traditur domus, priusquam alia res æquè bona & frugifera inveniatur, & domus pretio ematur; & cùm dominium domus adhuc sit apud venditorem, potest hic pretium domus locationis recipere, quia illud recipit à locatione suæ domus, & re sua: at in contractu à Petro, & Paulo celebrato, non ita contingit; quia data fuit vera venditio domus, & illius dominium in emptorem translatum; & pretium domus in depositum non fuit datum, sed relictum in manibus ipsius emptoris sub interesse sex, & quarti pro quolibet centenario, singulis annis solvendo, per tempus à venditore designandũ, quod est illicitum, & usurarium, ut dictum est.

11 Nec obstat quintò, quòd in mutuo potest in pactum deduci lucrum cessans, & damnum emergens, ut cum communi TT. doctrina tradit Cardin.de Lugo *disp. 26.de Just. num.* 89. sed ex venditione domus Paulo cessavit lucrum locationis annuæ: ergo ratione lucri cessantis recipere poterat sex, & quartum pro quolibet centenario singulis annis pro pecunia in manu Petri relicta. Non, inquam obstat; quia Paulo non cessavit lucrum ratione domus venditæ justo pretio, quia factâ venditione, jam eæ locationes ad illum non pertinebant, nec cessavit ratione pretij domus, quia illo pretio domus emere potetat rem æquè fructuosam, cujus fructibus locationes suæ domus compensaret; & injustum non celebrare contractum.

12 Nec obstat sextò, quòd ratione affectionis, quam Paulus ad suam domum habebat, aliquid ultra justum pretium in pactum poterat deducere juxta doctrinam, quam cum Navarr.defendunt Molin *tract. 2. disp. 351 vers. Verum autem*, & cum Salas Less. & alijs Card. de Lug *Proximè num.90* Ergo ratione dictæ affectionis poterat Paulus in pactum deducere, quòd pretium domus in manibus Petri maneret sub interesse, usque ad suum arbitrium. Non, inquam, obstat, quia concessò antecedente, non sequitur, posse Paulum in pactum deducere cõtractum injustum, & usurarium, qualis est additus.

QUÆSTIO XXIX.

An venditor domus, emptori ejus restituere teneatur pretium, in casu, quo emptor authoritate judicis domum amisit, quia anterior venditor læsus fuerat infra dimidium justi pretij?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Non tenetur Mathias in utroque foro restituere pretium domus evictæ.*
3 *Contractus inter eos initus fuit validus.*
4 *Mathias rescisâ venditione, ad restitutionem non tenetur.*
5 *Ad hæredes Mariæ pertinet reducere contractum ad æqualitatem.*

1 MAria nobilis fæmina Mathiæ donavit, & tradidit domum, quam sub hasta pro debitis, deficientibus plus asserentibus, emerat. A Mathia, in ea domo factis melioramentis, petijt Maria, ut eamdem domum sibi venderet, ut in ea anniversarium Missarum constitueret. Solutis melioramentis, vendita fuit domus Mariæ, pro eodem pretio, quo illam emerat sub hasta; & tradita fuit domus Monasterio Religiosorum, sub onere anniversarij Missarum. Defunctâ Mariâ, condito testamento, & hæredibus institutis, domus evicta fuit authoritate judicis ab antiquo domino probante, se in ea venditione sub hasta læsum fuisse, infra dimidium justi pretij Quæritur: An Mathias pretium pro venditione domus, Mariæ hæredibus teneatur restituere.

RESOLUTIO.

2 Respondeo, non teneri, nec jin foro interno, nec in externo Ostenditur, quia *num. præcedenti*, de duobus contractibus empti, & venditi fit mentio. Primus fuit inter Mariam, & Mathiam celebratus. Secundus inter Mariam, & Monasterij Religiosos, anniversarium Missarum celebraturos. Hic authoritate judicis fuit rescisus, ob læsionem venditionis sub hasta factæ, infra dimidium justi pretij. De justitia hujus non agimus, quia Maria defuncta hæredes habebat suorum bonorum excedentium æqualitatem justi pretij domus, sub hasta venditæ. Videatur, *Ordin. Regia l.4 tit.13 §. 4. & 7.* & DD apud Emm Barbos. *in remiss. ad cit. loca Ord.* nec hic ad nostram attinet quæstionem quæsitam.

3 De primo contractu inter Mariam, & Mathiam celebrato, etiam cum ipsa læsione, constat, fuisse validum, nam leges illum non invalidant; ut videre est apud *Ordin. cit.* § 1 & *l.2. C. de rescind. vend.* & cõmuniter tradũt DD. Lesius *lib.2.de just. cap.21 dub 25.nn.* 122. Molin

tract 2. disp. 349. vers. Utrum autem, Fagund. *de just. l. 5. cap. 40. num. 4.* Cardin. de Lug. *disp. 26. sect. 6. num. 79.* & supponunt alij; videantur Barbos. *in Collect. ad cit. l. Codic.* Castr. Palaus *tom. 7. de just. disp. 5. per totum punct. 17.*

4 Nec rescisâ venditione à judice; aliquid tenebatur Mathias restituere hæredibus ipsius Mariæ defunctæ propter læsionem, quia ille potius passus fuit Læsionem; quia eamdem domum eodem pretio ob quod rescisa fuit venditio, ipsi Mariæ vendidit; licèt eam venditionem iniisset, quia ipsum pretium justum existimavit, vel ex gratitudine motus erga suam liberalem donatricem. Nec ex donatione domus sibi à Maria facta, aliquid restituere debebat, quia titulo lucrativo, idest donatione, illam acceperat domum. Barbol. *in Collect. ad cit. l. 2. Cod. num* 136. cum pluribus. Et domus jam erat bonâ fide in tertio possessore.

5 Nec obstat, quòd ex rescisione venditionis amississet Maria jam defuncta, anniversarium Missarum, quod in locationibus domus erat impositum. Non, inquam, obstat, quia respondetur, id Mathiæ culpâ non contingisse; quia hæres dictæ Mariæ defunctæ non fuit: ad hæredes autem id pertinebat contra quos lis mota fuit, & erant solvendo, pretium domus reducendo ad æqualitatem, ex bonis ab ipsa defuncta relictis; & quia ut rei in ea causa id illis conceditur *in cit. l. 2. Cod.* Castr. Palaus *cit. dict. punct. 17. §. 13. num. 1.* aut aliter se defendendo ut ex dictis patet, & *ex §. 7. cit. Ordin.* & DD. ab Emman. Barbos. *cit. in Remiss. ad eum §.* ubi plures adducit in favorem dictæ Mariæ; & ex melioramentis in ipsa domo factis, post venditionem factam cum ipsa læsione. Videatur Castr. Palaus *cit. §. 12.* Quare ipsi sibi consulant, nam Mathias ad id non tenetur.

QUÆSTIO XXX.

An uxor, & filia hæres fidejussoris principalis, in venditione cujusdam prædij nulla, à creditore primò coram judice cõveniri possint?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Lucius uxorem Casimiri convenire nequit.*
3 *Nec etiam dato illius concensu, ob Vellejani exceptionem.*
4 *Oppositum ex Ordin. Regia inferri non potest.*
5 *Lucius, nec etiam filiam Casimiri convenire potest.*
6 *Prohibitâ immobilium alienatione, etiam actiones ad immobilia censentur prohibitâ.*
7 *Qui alienare non potest, hypothecare etiam non potest.*
8 *Aliqui DD. Lusitani oppositum docent.*
9 *Has opiniones alij conciliant.*
10 *Ex his non potuit Casimirus fidejubere, ut fidejussor in demnitatis.*
11 *Filia Casimiri, quoad immobilia non erat obligata.*
12 *In præsenti casu Lucius tutâ non procedit conscientiâ.*

1 IN venditione cujusdam fundi Casimirus, ut principalis debitor absque uxoris consensu, venditorem Lucij fidejussit. Authoritate judicis ea venditio rescisâ fuit; quia fundus alteri per legitimam venditionem erat obligatus. Defuncto Casimiro, relictâ uxore, & unicâ filiâ, Lucius illas convenit, pro satisfatione damnorum, ex emptione rescisâ, & non venditorem, bona immobilia, & mobilia sufficiencia habentem, ex quibus solvendo esset. Quæritur: An uxor, & filia Casimiri, ante venditorem fundi, conveniri queant?

RESOLUTIO.

2 Quod attinet ad uxorem, respondeo, non posse, conveniri. Ratio est, quia fidejussio a marito, facta fuit absque illius consensu expressio: fidejubio autem à marito facta absque uxoris consensu, quo ad medietatem uxoris, non valet sic expresse statuitur in *Ordin. Regia l. 4. tit. 60.* ibi: *si quis conjugatus sine uxoris suæ consensu fidejussor alterius extiterit, non poterit ratione talis fidejussionis obligare dimidiam partem bonorum, quæ ad uxorem pertinent; si verò per dotem, & arrhas, matrimonium inter illos contractum sit, non poterit obligare bona ea, quæ ratione ejusdem contractus dotalis ad partem uxoris suæ pertinebunt.* Sic lex quoad presentem casum: at Casimiri uxor ad eam fidejussionem cõsensum non præstitit.

3 Nec etiam dato, quod Casimirus simul cum sua uxore venditorem fundi fideijuberet, illam poterat convenire Lucius: nam licet pars bonorum uxoris maneret obligata, ei tamen exceptio Vellejani conceditur, ut communiter docent DD. *in Auth. si qua mulier cap. ad Vellejanum*; ut eleganter, & doctissimè tradunt Gama, *decis. 131. num. 2.* dicens sic sæpe fuisse judicatum Petrus Barbol *in l. 1 ff. solut. matr. part. 3. a num 56.* Rebell. *de oblig. just part. 2. l. 6. q. 9. concl. 2. & 3. & expressius num. 14. & 15.*

4 Nec obstant verba, *cit. Ordin. sine uxoris suæ consensu*, nam à contrario sensu, *si consentiat* valebit fidejussio, quoad suam partem, Non inquam, obstant, quia respondetur argumentum à contrario sensu, non procedere, quando ex eo sensu resultat correctio alicujus legis, ut resultat *per Ordin. l. 4. cit tit. 61* juxta quam mulier gaudet Vellejano, ut tenent *DD. cit.* & Rebell. *cit. l. 16. q. unic. de fidejuss. num. 7.* & alij *ex l. 3 ff. de fidejuss. & l. 1. & seqq. cap. ad Vellejano.*

5 Quod attinet ad filiam Casimiri, respondeo, non posse conveniri pro damnis ex ea venditione ortis, in bonis immobilibus à suo patre sibi relictis. Hæc resolutio maiorem patitur difficultatem. Illam tamen probo: Nam maritus

sine

sine expresso uxoris consensu non potest vendere, nec alienare bona aliqua immobilia, ut expresse disponitur *in Ordin. Reg. l. 4. tit. 48. in principio*, ibi: *Mandamus, quod maritus non possit vendere, nec alienare bona aliqua immobilia absque procuratione, & expresso suæ uxoris consensu*: ergo etiam sine uxoris expresso consensu non potest partem suorum bonorum immobilium fideijussioni subjicere. Antecedens patet ex ipsa *Regia Ord.* consequentia.

6 Primò ostenditur, quia prohibita alienatione rerum immobilium à dict. Ordin. Regia, etiam censentur prohibitæ omnes actiones ad immobilia alienanda, ut cum pluribus latè probat Alvarus Valasc. *tom. 1. consult. 77.* & cum simonul. Vivio, Mathia Coler. Menoch. Cald. Pereyr. Emman. Barbos. *in Remiss. ad princip. cit Ordin. num. 15.* Sed fideijussio est actio ad alienanda immobilia, maximè in illo, qui mobilia pauca possidet, & non est solvendo solis bonis mobilibus, ut Casimirus: ergo quoad immobilia fuit nulla ea fideijussio.

7 Secundò ostenditur eadem consequentia: quia non potens bona alienare, ea non potest hypothecare, sive obligare *l. ult. C. de rebus alien. non alien.* & DD. Pinell. *in l. 1. C de bon. matern. 3 part. n. 19.* Petr Barbos. *in l. 1. ff. solut. matrim. part. 3 n 57* Rebell *de oblig just. part. 2 l. 6. q. 9 num 15. & 16.* Et hanc sententiam fuisse veterum senatorum inquit Gama *decis 108. num. 2* ubi alios citat. sed *ex cit. Ordin.* maritus non potest bona immobilia sine expresso uxoris consensu alienare: ergo etiam fideijubendo; nec obligare, nec hypothecare.

8 Scio, aliquos DD. Lusitanos negare majorem probationis primæ consequentiæ, contra ipsum jus commune, dictos *Ordin Regia, l. 4. tit. 60. in principio*, quia juxta illam, prohibitus alienare, hypothecare non prohibetur, ut ex verbis adductis colligunt, ibi: *Si quis conjugatus sine uxoris suæ consensu, fideijussor extiterit, non poterit ratione talis fidejussionis obligare dimidiam partem bonorum, quæ ad uxorem pertinent*: ergo à contrario sensu, poterit maritus suam dimidiam partem obligare; quando sine uxoris consensu fideijussit, quoad bona immobilia. Sic Gama *decis 108. in fine* & alij.

9 Has tamen DD. Lusitanorum opiniones conciliant cum Baldo Petrus Barbos. *in l. 1 ff. solut. matrim. par. 3. num. 57.* Rebell *cit. dict. l. 6. q. 9 num 16. & 17.* asserentes prohibitos alienare, etiam hypothecare prohiberi: dummodo unus excipiatur casus, nempe fideijussionis præstandæ à marito, qui potest juxta *cit. Ordin.* obligare suam partem dimidiam personaliter, etiam quoad immobilia, absque uxoris consensu, licèt sit prohibitus *ex alia cit. Ordin.* alienare; & ex hac prohibitione, non potest se personaliter obligare, ad vendendam eam rem, vel distrahere, juxta *regul l. Oratio ff. de sponsal.* quæ regula tunc procedit, quando ex illa obligatione necessariò, & per se sequitur alienatio rei prohibitæ alienari, sicut ex promissione vendendi, distrahendive rem, sequitur ejus alienatio; non tamen procedit, quando ex suscepta obligatione per accidens, & contingenter alienatio sub sequitur. Quo pacto se habet fideijussio personalis maritorum, comparatione alienationis futuræ bonorum immobilium ipsorum, si forte contingat, principalem non esse solvendo. Sic DD. *cit.*

10 Ex his doctissimè, & ingeniosè dictis sequitur, non potuisse Casimirum, ex dicta fideijussione sine consensu uxoris se obligare ad immobilia. Vt ostendo, quia non se obligavit accessoriè, & in defectum venditoris, si forte non esset solvendo, sed ut principalem debitorem, seu ut fideijussorem in demnitatis, *vulgo abonador, & principal pagador*, ex qua fideijussione, non sequitur per accidens, & contingenter rei immobilis alienatio, sed necessariò, & per se, ut apertè constat; Quia Lucius convenire poterat venditorem, qui erat solvendo; noluit tamen illum convenire, sed filiam hæredem Casimiri, quia Casimirus, ut fideijussorem in damnitatis, seu ut principalem debitorem se obligavit; & cùm per se, & necessariò sequatur alienatio prohibita, nempe rei immobilis sine consensu uxoris *ex cit. Ordin. l. 4 tit. 48* dicendum est *cum cit. num. præcedenti DD.* Luciũ filiam Casimiri, quoad bona immobilia non posse convenire, sed tantùm quoad mobilia, ad quæ tantùm Casimirus, non habens uxoris expressum consensum, se ut fideijussorem in demnitatis obligare poterat; nam alias per se, & necessariò rem immobilem prohibitam alienare, alienaret; quod nec ex jure Lusitano, nec communi, nec ex DD. illi concedebatur.

11 Nec obstat, quòd filia Casimiri sui parentis esset hæres; & fideijussio mortuo fideijussore, transit ad hæredes § *Fidejussor, 1. inst. de fidejuss. & l. Fidejussoris, C. eod. tit.* & cum communi DD. Rebell *cit. l. 16 q. unic de fidejuss. num. 21.* Non, inquam, obstat, quia respondetur, ex dictis constare Casimirum non potuisse, se obligare ut fideijussorem in demnitatis, seu ut principalem debitorem quoad immobilia, absque uxoris expresso consensu; & sic filia sui parentis hæres quoad mobilia manet obligata.

12 Addo, quamvis Lucius æquè primò, & venditorem, & hæredem fideijussoris indemnitatis convenire possit, ut cum communi testatur Card de Lugo *disp. 32 de Just. num. 3 fine*; in præsenti tamen casu, in conscientia tutus non manet, conveniendo Orphanam virginem, quando venditor est solvendo, nam illius status nos movet ad commiserandum, & quamvis sit dives, nomine miserabilium personarum venit. Videatur Barbos. *tract. de appellat.*

152. *num. 6. & per totam.*

QUÆS-

QUÆSTIO XXXI.

An facta, de licentia Regis, venditione cujusdam Oppidi, & postea accedente donatione, ex causa partis, & venditione alterius partis ejusdem Oppidi, absque aliqua mutatione, alterari possit aliquod jus in aliqua confirmatione?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Iudicium sapient. Didaci Lopes de Castro.*
3 *Iudiciũ Doctiss. Emman. de Castro Valladares.*
4 *Iudic. Peritiss. Martini Alvares de Castro.*
5 *Author subscribit.* Et Princeps servare tenetur fidem à prædecessoribus datam.
6 *Nec parti emptæ, nec donatæ, onus imponi poterat.*
7 *Eæ partes sunt æquiparatæ.*
8 *Fœmina in ea clausula non comprehenditur,* nec confirmationes contrarium probant.
9 *Pars confiscata ad Coronam nunquam pertinuit*
10 *Fœmina ad successionem Oppidi jus non obtinuit à successoribus, sed ab eo, qui partem emit, alteram acquisitam per donationem; & confirmationes si non essent, fuerunt.*
11 *Dominium dicti Oppidi inter bona Coronæ non comprehenditur.*

1 PAtricius ante legem mentalem editam, de licentia, & consensu Regis, emit dominium cujusdam Oppidi de jure hæreditario, cum suis jurisdictionibus, & ex emptionibus ad illud pertinentibus; & in hac forma scriptura fuit facta. Multis elapsis annis, successori cuidam Patricij Oppidum fuit confiscatum; & pars confiscata cuidam Antonio extraneo donata, cum facultate vendendi, alienandi, transferendi, &c. & emendi aliam Oppidi partem ex uxore, & filijs confiscati priusquam Oppidi dominium, jura, & jurisdictiones in Corona Regia incorporarentur. Hoc beneficium effectum obtinuit in Antonio donatario simul, & emptore Oppidi, & in illius successoribus; & sæpius per Reges successores confirmatum. In quadam autem confirmatione, forma prædicta alterata fuit, per hanc clausulam: *Quòd in eo dominio successissent tantùm per virum descendentes.* Quæritur An talis confirmatio præjudicet juri cujusdam fœminæ succedere valenti in eo dominio, jurisdictionibus, &c? De hoc quæsito interrogati sunt tres juris consulti maioris nominis in hac civitate, quorum judicia hic transcribo primò, & postea meum profero.

IUDICIUM SAPIENTISS. IURIS-consulti Didaci Lopes de Castro.

2 Respondetur, fœminam plenum habere jus ad eam successionem, quin illi præjudicet clausula confirmationis, tum pro dominio de jure hæreditario, emptoque in eadem forma; tum quia donato postea à Regibus cum facultate alienandi, transferendi, &c. & priusquam in Corona incorporaretur. Et in hoc casu nec erat necessaria confirmatio, nec clausulæ successoribus præjudicare poterant, consideratâ talium bonorum naturâ; maximè cum illorum donatio facta esset ante legem mentalem editam. Quapropter tum confirmatio, tum illius clausulæ fuerunt, ac si non essent, quia juri acquisito, ad successionem fœminæ præjudicare non poterant. Sic judico, salvo, &c.

IUDICIUM PERITISS. IURIS CONSULTI Emman. de Castro Valladares.

3 Subscribo doctissimi consulentis judicio Ex eo, quòd bona possessa, & acquisita, ut libera, & patrimonialia; quamvis aliqui successores confirmationem obtinuissent, existimantes bona esse Coronæ; nec ea de causa legi mentali subjecta manent Ita in proprijs terminis resolvit Valasc. *consult.* 132. *num.* 37. Hoc est meum judicium, salvo, &c.

IUDICIUM DOCTISS. IURIS CONSULTI Martini Alvares de Castro.

4 Quod hic maiorem difficultatem ingerit, est clausula, quæ dicitur in confirmatione interveniisse, de qua non videtur locutum fuisse Valascum. Cæterum successor cum ea clausula confirmationem acceptans, successoribus præjudicare non poterat. *cap.* 1. *de succes. feud.* Valasc. *consult.* 132. *num* 9. Molin. *de primog. l.* 4. *cap.* 8. *num.* 7. Et sic subscribo, salvo meliori, &c. Valasc. in ijs terminis.

IUDICIUM AUTHORIS.

5 Interrogatus, resolutioni doctissimorum consulentium subscribo libenter, quamvis fatear, casum à Valasc. cit. resolutum, á præsenti esse diversum ab illo tamẽ ad præsentem aliqua potest in servire digressio. Est diversum, quia in illo agitur de permutatione duorum oppidorum pro alijs duobus authoritate Regia; in præsenti, de donatione partis oppidi, & de emptione alterius partis authoritate Regia. Censeo tamen primò in nostro præsenti casu non potuisse interponi confirmationem cum clausula allata; est enim nimis onerosa, non in eum ipsi dominio, nec ipsi primo donatario, simul, & Princeps successor tenetur servare fidem à prædecessoribus datam absque ullo onere; & stare illorum donationibus. Sic communiter DD. quos latè citant, & sequuntur Fragos. *part.* 1. *de Regimin. Reip. Christ. l.* 1. *disp.* 2. §. 1. *num.* 111. Domin. Antunes Portug. *tom.* 1. *de donat. Reg. l.* 1. *cap.* 7. *num.* 25. Cabed. *part.* 2. *decis.* 19. *addens:*

dum-

dummodo graviter, & enormiter Coronam non lædant; at dicta clausula: *Quod in eo dominio succesissent tantùm per virum descendentes*, graviter & enormiter, nec etiam leviter Coronam offendit.

6 Secundò censeo, dictam clausulam fœminæ non præjudicare: Quia ad possessionem dominij dicti oppidi concurrebat simul, & indivisibiliter duplex titulus, & emptionis, & donationis; sed ratione emptionis nullum onus aut clausula imponi poterat, quia dominium fuit emptum, ut perpetuum, seu de jure hæriditario, in qua forma primò fuit emptum, & ad Antonium eodem modo, per emptionem translatum, nec etiam ratione donationis, onus aut aliqua clausula imponi poterat; quia erat indivisibile, & minus principale, quòd esset indivisibile, patet; quòd minus principali constat, quia ex liberalitate Principis fuit habitum, & dominium emptum, habitum ex Iustitia: justitia autem in consortio liberalitatis primum & principalem locum obtinet: minus principale autem naturam sequi congruit principalis. *Reg. Accessorium, de reg jur. in 6.*

7 Tertiò, quia hæ dominij oppidi partes sunt æquiparatæ; nihil enim in una datur, quod in alia non detur, quia sunt inter se indivisibiles: æquiparatorum autem idem est judicium, & ideo de uno æquiparato ad aliud fit extensio, ut ex communi DD. sensu constat, quos latè citat Barbos. *in tract. de axiom. 14. num. 2.* ergo idem judicium faciendum est de parte dominij donata, quod faciendum est de parte empta: sed ex dictis *num. præcedente* pars donata sequitur emptam, ut partem principalem: ergo pro judicio illius partis principalis standum est.

8 Quartò, quia clausula in confirmatione adjecta, nihil continet contra dictam fœminam, sed contra illius filios; sic enim habet: *Quod in eo dominio succesissent tantùm per masculum descendentes.* Sed dicta fœmina in eo dominio succedit, per masculum descendens. Nec etiam est contra illius filios non per masculum, sed per fœminam in eo dominio succedentes, quia in prima donatione non fuerunt cum eo onere comprehensi: confirmatio autem facta in successore nihil de novo addit, ut cum Gama, Petro Barbos. & Cabedo tradit Antunes Portugal *cit dict. l. 1. cap. 7.* ubi etiam dicit cum alijs, confirmationem tertio præjudicium inferre non posse; & si in prima donatione aliquis subrepsit defectus, per confirmationem durat idem defectus: & in prima donatione nõ subrepsit defectus: ergo per confirmationem ea non poterat addi clausula, quarè à consulentibus rectè diciditur haberi pro non addita. Vide *cit. Antunes.*

9 Nec obstat primò, quòd dicta clausula in confirmatione addita, intelligi debet juxta *Ordin. Reg. l. 2. tit 35. § 4.* ibi: *Si aliqua filia relicta fuisset, volebat, quod ea filia, illas non potuisset hæreditare*, Loquitur enim de bonis Regiæ Coronæ; dominium autem talis oppidi quoad partem confiscatam ad Regiam Coronam pertinebat, ut deciditur *Ord. l. 2. tit. 36.* In bonis autem Regiæ Coronæ, potest Rex quocunque tempore eas addere clausulas, quæ sibi videantur, ut pluribus relatis tenent Emman. Barbos *in remiss. ad §, 6 dictæ Ordin. 35* & Valasc *consult. cit. 132. num. 15.* ibi: *Nec potest dubitari, quod Rex potest in donationibus a se factis modum, & conditionem postea adjicere, vel clausulas adjectas removere, & pro non adjectis habere, ut per Bald. &c.* Ergo licet Rex in donatione prima illius dominij oppidi eam clausulam non apposuisset, in confirmatione postea poterat apponi. Non, inquam, obstat, quia respondetur; verba intelligi debere secundum communem usum loquendi, *l. Librorum §. quod autem, ubi* Bartol. *ff. de legat.* 3 & ex alijs, & DD. latè cit. à Barbos. *tract. de axiom 222. n. 7.* Nec ea verba intelligi debent *juxta cit. § 4.* dictæ Ordin. quia loquitur de bonis Regiæ Coronæ donatis, in quibus fœminæ non succedunt: ut inquiunt Cabed. 2 *part decis. 27. num. 1.* Emman. Barbos. *in Remiss. ad dictum §.* Dominium autem dicti oppidi, nec quoad partem donatam est de bonis Regiæ Coronæ, quamvis fuisset addicta fisco, & bona confiscata juxta eam Ordin. ad Regiam Coronam pertineant, nam ea Ordinatio intelligitur de ijs bonis, quæ post confiscationem in bonis Regiæ Coronæ fuerunt incorporata, dominium autem oppidi Antonio fuit donatum, priusquam in bonis Regiæ Coronæ incorporaretur, ut dicitur *num 1.* & bene notarunt doctissimi consulentes; ut pluribus relatis tradit Antunes Portugal. *tom 2. de donat. Regijs part. 3. cap. 43. num. 94.* Et in hoc sensu loquuti non sunt DD. *citati.* Secundò respondeti potest juxta *dict. num. 6.*

10 Nec obstat secundò, quòd dominium illius oppidi per donationem, & emptionem acquisitum fuisset successoridus Antonij confirmatum, ut constat *ex num. 1* ergo per præscriptionem tantarum confirmationum, dominium oppidi affectum remansit Regiæ Coronæ, quorum bona confirmantur à novo successore intra sex menses à morte parentis *ex Ordin. l 2. tit. 38 § 1* Et ex adductis à Antunes Portug *tom. 1 de donat Regijs l. 1. cap. 17. a num. 12.* & sic data hac præscriptione dominij oppidi, juxta legem mentalem dirigi, & admitti debet dicta clausula. Non, inquam, obstat, quia respondetur, negando consequentiam, quia illud dominium ita acquisitum ab Antonio, fuit cum potestate alienandi, vendendi, &c. & sic non indigebat confirmationibus; nec petitæ cum errore, & ignorantia à successoribus illud subjecit dominium bonis Coronæ; non enim illius erat bonum, nec per confirmationes tale factum est. Non confirmationes aliquid ponunt in eo dominio quod antea non erat, ut cum Rolando, Tapia, Solozan. & alijs ait Antunes Portugal *cit. dicto cap. 7 nu. 30.*

Unde

Unde sequitur dominium mansisse, sicut antea, & confirmationes per præscriptionem illud facere non poterant bonum Regiæ Coronæ, & per consequens non debet derigi, sicut bonum Coronæ, nec admitti clausula juxta legem mentalem, aut aliam Ordin. Quod bene inquit Alvar. Valasc. *dict. consult.* 32. *num.* 13. ibi: *Facit item, quòd antecessor in maioratu non potuit per petitionem confirmationis, vel aliquem actum præjudicare successori, & innovare contractum permutationis,* [& nos dicamus contractum emptionis, & dominium oppidi per donationem] *per quem jus successoribus omnibus quæsitum est.* Et *num.* 7. clarius ibi: *Unde qui quid fecerunt successores, aut omiserunt, patiendo præscribi in contrarium, non nocet successoribus, qui non capiunt à medijs successoribus, sed a primo concedente l.* 3. *ff. de interd.* &c. cum non paucis, &c.

11 Nec obstat tertiò, quòd lex mentalis comprehendat omnes donationes Regias ante, & post illam editam; ut dicitur *dicta Ordin.* 35 §. 1 & 23. & ab Emman. Barbos. & Valasc. *num.* 9. *cit.* & iterum ab ipso Valasc. *num.* 23. ergo etiam hoc dominium oppidi comprehendit. Non, inquam, obstat, quia respondetur non comprehendere qualcunque donationes, sed illas tantùm, quæ sunt factæ ex bonis Coronæ Regiæ, & donatio facta in parte, ex dominio Oppidi, non erat ex bonis Coronæ: ut diximus *num.* 9 in fine, cum Antunes Portugal. & consulentibus.

QUÆSTIO XXXII.

An sit usurarium, aut injustum tradere agricolæ viginti millia regalia ad emendos duos boves, ut ex illorum labore vivat, sub interesse millium regalium singulis annis solvendo, etiam in casu, quo boves non emantur?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Contractus fuit usurarius, & nullus, si Bonifacius certo sciebat, boves ab agricola non esse emendos; secus si nesciebat.*
3 *In eo contractu datur mutuum palliatum.*
4 *Bonifacius pensionem receptam restituere in utroque foro tenetur.*
5 *Pecunia accepta ad negotiationem à non negotiante cum illa, totam pensionem solvere tenetur.*
6 *Si agricola boves emit, vel pecuniâ dictâ æstimatos accepit, contractus non est usurarius.*

1 AGricola necessitate obstrictus, pecuniam mutuam requirebat, & mutuantem non inveniens, ut illam consequeretur, hoc usus est figmento; convenit Bonifacium, & ab illo obtinuit viginti millia regalia Lusitana, ad boum jugum emendum, cum obligatione solvendi singulis annis unam frumenti mensuram pro quolibet mille regalium, quibus boves stetissent. Frumenti autem mensura communiter constat centum, quinquaginta regalibus. Factâ hâc conventione, boves non fuerunt empti; & pensio sæpius fuit soluta; ut sæpius contingit, maximè agriculis ex Provincia interamnensi hujus Regni; videntibus, & consentientibus, pecuniam ad emendos boves, tradentibus. Quæritur 1. An dictus contractus sit usurarius? 2. An sit injustus?

§. I.

An dictus contractus sit usurarius?

2 Respondeo cum distinctione, si Bonifacius sciebat, agricolam boves non esse empturum, contractus fuit nullus, & usurarius. Quòd fuit nullus, constat *ex Ordin. Regia l.* 4. *tit.* 69. & expressius *tit.* 71. in principio, ubi annullantur omnes contractus simulati; & prædictus contractus fuit simulatus. Vide quæ diximus *supra q.* 28 *num.* 3. Si tamen Bonifacius, cùm contractum inijt, præsumebat, agricolam boves esse empturum; & eâ bonâ fide pensiones annuas accepit, non tenetur illas restituere, nisi tantùm id, in quo factus est ditior. Ratio est, quia durante eâ bonâ fide, existimabat, se contractum locationis cum agricola celebrasse, & licitum sibi esse, eas pensiones recipere: ergo datâ eâ bonâ fide, non tenetur postea eas pensiones restituere, nisi in quanto factus fuit ditior. Re autem compertâ, & scitâ veritate, quòd agricola eos boves non emit, non potest amplius pensiones recipere; & si recipiat ad restitutionem illarum tenetur: si tamen ea viginti millia regalia alij agricolæ traditurus erat, ut boves eo pretio emeret, & ut locatos acciperet, tunc ratione lucri cessantis, eas pensiones, quas bonâ fide accepit, poterit retinere. Sic docet Fagundes *de just. l.* 5. *cap.* 34. *num.* 10. cum Navarr. Maior. & Silvestr.

3 Quòd verò dictus contractus in primo sensu adducto sit usurarius, ostenditur, quia tunc datur usura, quando ratione mutui accipitur lucrum, ut debitum: sed in præsenti casu Bonifacius acepit lucrum ex mutuo, ut debitum: ergo usuram committit. Maior ab omnibus admittitur. Minor patet, quia Bonifacius agricolæ pecuniam tradens ad emendos boves, sciens eos non esse emendos, verè non init contractum locationis, qui re verâ non datur, nisi tantùm palliatus: ergo verè accipit lucrum ex mutuo, quod est usurarium. Sic communiter omnes DD. Less. Rebell. & alijs Fagund. *proximè num* 6. Abreus *de Paroch. l.* 10. *sect.* 3. *num* 153 ibi: *Quando mutuum occultatur sub colore alterius contractus, quod multipliciter fit: ut cùm fingitur vendi, quod non est: ut si dec centum agricolæ, fingendo, te emere boves, quos non habet ad vendendū, & postea fingas te illos locare pro viginti,*

est

est usura palliata. Et hoc in præsenti datur casu. Vide Emman. Barbos. *in Remiss. ad citat. Ordin.* 69. de hoc simulato contractu, indicans quomodo celebrari oporteat, ut fraudibus occurratur.

4 Quare Bonifacius ita pecuniam tradens agricolæ, pensiones acceptas, in utroque foro, illi tenetur restituere; quia illas ex nihilo, & injustè accepit, scilicet ex locatione boum, qui non extabant. Et de quo non extat pretium, aut pensio recipi nequit, ut constat *ex toto tit. ff. de condit. sine causa*, præsertim *ex l. 1. ff. cod. tit.* & DD. quos affert, & sequitur Fagund. *proximè num.* 9.

5 Nec obstat Molin *tract. 2. disp.* 417. *vers. Duo tamen admonuerint, in fine* dicens: pecunia acceptà ad negotiationem à non negotiante cum illa, solvere teneri integrum capitale, & incrementum lucri conventi, quando per ipsum negotiatorem stetit, quòd non negotiaretur: ergo etiam agricola pensionem restituere tenetur, quia per illum stetit, quòd boves non emerentur, & ne cum illis negotiaretur; & si agricola ad pensionem tenetur, etiam Bonifacius illam retinere potest. Non, inquam, obstat, quia respondetur, in casu à Molin. allato, traditam fuisse pecuniam vero negotiatori, pecunijs solito negotiari, arbitrante, illam tradente ad negotiandum, & lucrandum esse petitam; at in præsenti; Bonifacius certò sciebat, boves non esse emendos, pecuniamque petitam ad alia esse convertendam.

6 Si tamen ipsis viginti millibus regalibus, agricola nomine Bonifacij boves emit, vel ab illo eos, eà pecunià æstimatos, accepit, contractus non est usurarius. Ratio est, quia in eo nullum intercedit mutuum formale, aut virtuale: usura autem oritur ex mutuo formali, aut virtuali, ut jam diximus, & cum communi sententia defendit Cardin. de Lug. *disp.* 25. *de justitia sect.* 2. *numer.* 6. Contractus autem hic celebratus est locationis, & conductionis, & periculum rei locatæ, nempe boum, apud locatorem manet; & si unus, aut ambo pereant, locatori, & non conductori pereunt; nam res, quæ perit, domino suo perit, & per locationem à domino factam, conductori fructificant; & hic statuto tempore pensionem conventam solvere tenetur.

§. II.

An in dicto locationis boum contractu injustitia interveniat.

SUMMARIUM.

7 *Non intervenit.*
8 *Ex Card. de Lug. sic tenendum est.*
9 *Etiam ex Sylvestr.*
10 *Minor datur pensio in censibus, & locatione domus.*
11 *Maior pro locatione mulæ itenerariæ, & navis onerariæ.*
12 *Si boves culpa lata, aut levi conductoris pericrint, eos locatori restituere tenetur.*

7 Respondeo non intervenire. Ratio est, quia pensio conventa est unius mensuræ frumenti, in quolibet anno ad rationem singulorum millium regalium, juxta boum valorem, qui valor in præsenti æstimatur viginti millibus regalibus; & mensura frumenti centum, & quinquaginta regalibus: at hæc pensio videtur esse juxta, & proportionata, respectu lucri, quod dicti boves agricolæ reddunt in anno. Probatur quia duo boves viginti millibus regalibus æstimati sub pensione, juxta contractum, exigunt mensuras viginti frumenti, quæ communiter constant tribus millibus regalibus ad rationem centum, & quinquaginta regalium, pro milliario regalium, seu ad rationem quindecim pro centenario: sed hæc pensio est justa, & proportionata pro locatione boum in quolibet anno: ergo.

8 Minor probatur ex Cardin. *de Lug. disp.* 29. *de just. num.* 76. existimante, hunc contractum esse licitum, & justum, & in praxi in aliquibus Italiæ locis, sic habentem: Bonifacius emit bovem viginti aureis, & ita æstimatum locat agricolæ, pro tribus aureis in anno: hoc pacto, ut si post annum plus, minusvè æstimabitur, lucrum, & jactura inter eos dividatur. Si verò interim sive ex culpa agricolæ, sive casu fortuito bos pereat, agricola dimidium æstimationis solvat, nempe decem aureos, alij verò decem Bonifacio locatori pereant. Hic contractus cum prædicto collatus; prædictus a Bonifacio initus, videtur moderatior, & æqualior; nam ille addit pactum assecurationis ipsius bovis, & pensionem ad rationem quindecim pro quolibet centenario; in contractu autem a Bonifacio, & agricola initus periculum jacturæ, & mortis bovis semper manet apud Bonifacium locatorem, & pensio non excedit conventam in illo contractu: ergo dictus contractus est justus.

9 Confirmatur ex Sylvestr. *Verb. societas* 2. *q.* 7. *concluss.* 2. qui justum hunc sentit contractū locationis: *Si quis det duos boves æstimatos, qui justè possent locari sub pensione sextariorum duodecim, & locet sub pensione sextariorum octo, sub hac conditione: Quod agricola subsistet periculo tertiæ partis boum, contractus est licitus, quia licet pars capitalis sit salva, empta est quatuor sextarijs, unde est ibi assecuratio.* At in contractu Bonifacij cum agricola inito, non additur contractus assecurationis capitalis, nempe boum, sed periculum manet apud locatorem, quin pensio excedat æqualitatem: ergo videtur justus.

10 Nec obstat, quòd in pecunia data ad rationem census, sub pensione, seu interesse sex, & quarti pro quolibet centenario, ratione lucri cessantis, vel damni emergentis, vel periculi sortis, talis pensio in praxi censeatur licita,

& justa, ut dictum est *supra q.* 1. sicut censetur licita pensio quinque, in locatione domus, juxta illius valorem pro quolibet centenario, ut dicunt Comitol. *l.* 3 *respons. q.* 12. *numer.* 4. *propos.* 5. Petrus *Vbald. in tract. de duob. fratr. part* 5 *q* 26 *numer.* 19. ergo locatio bovem juxta hos DD. videtur injusta, cùm sit ad rationem quindecim, pro quolibet centenario, seu sub pensione centum, & quinquaginta regalibus, pro quolibet realium milliario. Non, inquam, obstat, quia respondetur, non omnes negotiationes æquè fructificare, ut in exemplis adductis, patet; quia capitale in pecunia data ad rationem census, & domus, sub pensione locata, est perpetuum, at in bobus, & alijs animalibus defectibile, & ad paucos annos duraturum. Vnde agricolæ experti censent, quòd pro bove ad arandum locato, possit exigi justè duos argenteos, *vulgo quatro vintens* pro singulis diebus. Si ergo agricola saltem diebus centum, & vigintiquinque opera duorum boum locatorum, in excolendo agro, utatur; solvere debebit viginti millia regalia, qui sunt valor illorum boum justa prædictam æstimationem; ex quibus viginti millibus, si tantùm tria millia pro pensione solvat, injustus non manebit contractus.

11 Idem etiam constat in ijs, qui navem locant onerariam ad Brasiliam cum periculo domini; nam tantùm lucrum acquirunt, quanti emeretur ipsa navis, si omissa locatione, emeretur. Idem etiam in mula iteneraria, quæ si locetur sub pensione centum regalium pro singulis diebus [ut solet] in fine anni tantum solutum est pretium, quanto poterat emi in principio anni. Ex his satis constat, negotiationes non esse easdem, nam ratione capitalium minus, aut magis defectibilium, sæpius, magis, aut minus fructificant.

12 Adverto tamen, durante eodem locationis contractu, si boves culpâ latâ, aut levi conductoris agricolæ perierint, illos locatori restituere teneri; ut cum communi DD. sententia tenet Card. de Lug. cit. n. 78.

QUÆSTIO XXXIII.

An emptor venditionem rescindere possit, eo quòd res vendita, tempore præfixo tradita non sit? & illi debeantur lucra ex inde cessantia?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Mercator potest rescindere venditionem.*
3 *Dies interpellat pro homine.*
4 *Agricola tenetur ad valorem intrinsecum, & extrinsecum frumenti, suo tempore non soluti.*
5 *Mercator se compensare non potest contra latam sententiam.*
6 *Si mora solvendi fuit, aut non fuit culpabilis, ex rationibus ab eo adductis, & in judicio probatis constabit, quæ sufficiant, remissive.*

1 MEnse Ianuarij, mercator quidam tradidit agricolæ centum millia regalia Lusitana, pactum cum eo iniens, deportandi ad suam domum Ulyssipone sitam, tot mensuras tritici, quot in ea summa pecuniæ, pretio currenti computabantur, intra dies viginti. Tempore designato, interpellavit pro tritico; agricola tamen non satisfecit. Post alios plures dies mercator interpellationem iteravit; & absque effectu, ex parte agricolæ. Tempore messis tandem, attulit triticum, quòd mercator recipere noluit. Imo in judicio suam pecuniam & lucra cessantia postulat, quia illud Ulyssipone erat vendendum, ubi multo plus valebat. Ex parte mercatoris, Quæritur 1. An possit pactum initû rescindere? 2 An sibi debeantur lucra cessantia, & damna emergentia? 3. An dato quòd ea lucra cessantia, & damna emergentia sibi nô ad judicentur, compensare se possit?

RESOLUTIO.

2 Ad primum ex tribus quæsitis, respondeo, posse mercatorem venditionem rescindere, ex eo, quòd agricola suâ culpâ diu præfixo pactum initum implere noluit. Sic ex *Reg. Mora*, 25. *de Reg. jur. in* 6 DD communiter. Sic Card. de Lug. *disp.* 22. *de Just. sect.* 5. *n.* 61. ibi: *Quando unus contrahens cum mora culpabili non implet ex parte sua, quod debebat, aut animum non implendi debito tempore habuit, tunc enim alter potest à contractu resilire, quia solùm voluit, se sub conditione obligare, si alter suo debito non deficeret.* Idem tenent Cald. Pereyr. *de empt. & vendit. cap* 23. *n.* 22. Fagund. *de just. l.* 1. *cap.* 25. *num.* 10. Idem videtur sentire Sanch. *l.* 1. *de matr. disp.* 53. *num.* 5. dum asserit, quando terminus, ad contrahendum matrimonium, in sponsalibus est præfixus liberum manere illum, per quem non stetit; & n. 6. id extendit ad quemcunque cõtractum: sed agricola interpellatus, ex sua culpa contractum initum noluit implere: ergo à mercatore potest rescindi.

3 Ratione etiam ostenditur, quia dies præfixus ad solvendum, & ad implendum interpellat pro homine, juxta Doctorum axioma, *& l. Magnam C. contrahenda stipul* & Rebell. *de oblig. just. part.* 2. *l.* 1. *q.* 4. *num.* 2. & Barbos. *de axiom.* 71. at mercator semel, ac iterum interpellavit pro solutione tritici, post terminum præfixum, dictum agricolam: ergo à contractu potest resilire, & agere contra illum.

4 Ad secundum quæsitum respondeo, agricolam mercatori debere, & lucrum intrinsecû nempe valorem, quem habebat illud triticû eo tempore, quo erat solvendum, & etiam valorem extrinsecum, nempe illum, qui ex negotiatione esset percipiendus, si triticum Ulyssi-

Ulyssiponem veheretur, ut pactum fuerat cum mercatore; deductis tamen expensis, & periculis. Ita Caldas Pereyra *cit. num. 21. & 22. cit. ibi: sin autem emptor fuit ille, qui implevit, & hoc remedio utatur* [nempe rescisione] *potest, sibi pretium restitui exposcere, ex text. in l. Lucius 48. ff. de action. empt. & omne aliud, qui cum pretio erat lucraturus, si illud non sufficeret, & est de mente Gloss.* ibi, &c. qui Author præsentem casum descripsit, & definit. Idem tradit Fagundes *l. 5 de just. cap. 8. num. 9 in fine* à contrario sensu: At emptor seu mercator cum triticum deferri Ulyssiponem, jubebat, ut dictum est: ergo totum hoc lucrum agricola restituere tenetur. Ratione etiam ostenditur, quia agricola tempore præfixo non solvens, causa fuit istius damni Barbos. ex jure, & DD. *axiomat.* 63. *numer.* 1. ergo illud restituere tenetur.

5 Ad tertium quæsitum respondeo, mercatorem, non posse se compensare, si lata contra ipsum sit sententia: nam allegatis pro utraque parte rationibus, semper præsumitur sententiam esse justam; & solùm quando certò, & dilucidè constare fuisse injustam, compensatio poterat habere locum.

6 Si mora solvendi in agricola fuit, aut non fuit culpabilis, ex adductis ab agricola, & in judicio examinatis, & approbatis constabit. Quales tamen sufficiant rationes, videantur Molin. *tract. 2. disp.* 315. Rebell. 1 *part. l. 2. q. 27. sect. 1. & 2. & part. 2. l. 4. q. 4. num. 2. & l. 8. q. 7.* Azor *part. 3. l. 4. cap. 24. q. 2.* Card. de Lug. *tom. 1. de Just. disp. 18. numer. 25.* ubi alios citat.

QUÆSTIO XXXIV.

An filia familias, maior triginta annorum, obligetur ex contractu emptionis?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Ex ipso jure, & DD potest obligari.*
3 *Filius familias circa bona adventitia potest inire contractum emptionis, & venditionis, quando usus fructus ad patrem non pertinet.*
4 *Quando filius in bonis adventitijs habet dominium, & usum fructum, potest sine consensu patris inter vivos disponere.*
5 *Filij minores in foro conscientiæ obligantur stare contractibus, absque curatorum, & judicis authoritate.*
6 *Filius familias habens dominium, & usumfructum in bonis adventitijs, potest de illis testari.*
7 *Emptiones creditò initæ, sine consensu patris filios familias non obligant in utroque foro, juxta legem Castellæ, & secundum Molin. etiam juxta legem Portugalliæ.*
8 *Ubi datur eadem ratio, dari debet eadem juris dispositio.*
9 *Lex Castellæ ad Portugalliam non extenditur.*
10 *Lex Portugalliæ prohibens filijs familias mutuum accipere, quamvis coincidat cum lege Castellæ, præsentem casum non comprehendit.*
11 *Lex Castellæ non obligat existentes in Regno Portugalliæ, etiam pro illo tempore, quo Regnum Portugalliæ sub dominio erat Regis Hispaniæ.*
12 *Deficiente lege Portugalliæ in nostro præsenti casu observari debebat Ius Canonicum, etiam in nostro præsenti casu.*

1 PUdentiana filia familias maior triginta annorum, sub potestate patris vivens, absque illius consensu certas tritici mensuras creditò emit, & consilio cujusdam Theologastri, & juris consulti, illas nolebat solvere; Ad me recurrerunt creditor, & ipsa debitrix Pudentiana. Quæritur: An ipsa eas mensuras teneatur solvere?

RESOLUTIO.

2 Respondeo, Pudentianam teneri in utroque foro earum mensurarum tritici, creditò emptarum, solvere pretium; ex sequentibus rationibus. Prima: quia filij familias maiores vigintiquinque annis per contractum, se possunt obligare in foro conscientiæ, & foro externo, ut constat ex § *Item inutilis, inst. de inutil stipul. l. Filius familias 2. ff. de act & obligat. l. Tam ex contractibus ff. de judic. & ex l. 1. §. Filium ff depos.* quando contractus non est in præjudicium patris, aut alterius; & DD. Molin. *tr. 2. disp. 261. vers sicut circa,* Bonac *tom. 2. disput 3. de contract. q. 1. punct. 5. num.* 14. Sanch. *de matr. l. 6. disp* 39. *numer.* 1. Filliuc. *tract.* 33. *cap. 3. num.* 49. Rebell *de oblig. just. 2 part, l. 1. q. 8 sect. 3. num* 30. Fragos. 3. *part. Regim. Reip. Christ. l. 1. disp. 2. §* 10. *numer.* 271. & alij: sed Pudentiana filia familias emendo creditò illas tritici mensuras, nec patri, nec alteri præjudicium intulit, & erat maior viginti quinque annis: ergo.

3 Secunda ratio, quia filius familias absque licentia patris potest emptionem, & venditionem inire circa sua bona adventitia, quando ususfructus ad patrem non pertinet, ut tradit Gomes *variar. tom. 2. cap 2 num. 2* ibi: *Sed in adventitijs valebit emptio, & venditio in casibus, in quibus usufructus non pertinet patri.* Sed in bonis adventitijs, quæ Pudentiana habet, vel facilè habere potest, ad solvendas tritici mensuras, pater non habet usumfructum, nec etiam administrationem: ut ostendo, quia constant pecuniâ, quam suo opificio, seu industriâ acquirit de licètia, & cõsensu patris; quæ pecuniâ, cùm sit sterilis, nõ fructificat, nec ex ea datur usus fructus, nec pater habet administrationem:

cùm enim non detur usus fructus, non datur super quod detur administratio, Fagund. *de just. l. 1 cap. 15. num. 19. expresse*: ergo bene sequitur, posse Pudentianam, cum in ea pecunia habeat dominium, solvere pretium tritici creditò empti.

4 Tertia ratio: Quando filius familias in bonis adventitijs habet dominium, proprietatem, & usumfructum, potest, absque consensu patris, licitè, liberè, & validè inter vivos disponere, ac donare, vendere, & emere, ut asserunt Molin. *tom. 1. de just. disput. 228.* Lessius *l. 2. de just. cap. 4 dub. 3. numer. 9.* Salas. *de lud dub. 9 num. 2.* Iulius Clar. *l. 4. sentent. § donatio, q. 6. numer. 2.* Cravet. *consil. 84. numer. 9.* quos affert, & sequitur Fagund. *de Just l. 1 cap. 15. numer. 8.* at dicta Pudentiana filia familias in bonis suis adventitijs habet dominium, proprietatem, non tamen usumfructum, [quia in ijs bonis non datur) ut dictum est, ergo si de illis potest licitè, liberè, & validè disponere inter vivos; & vendere, ac emere, etiam potest mensuras creditò emptas solvere.

5 Quarta ratio: Cum communiori sententia tradunt DD. quos refert Fagund: *cit. cap. 13. numer. 5.* & sequitur *numer. 9.* posse filios minores absque consensu curatorum, & authoritate Iudicis se obligare, stare contractibus in foro conscientiæ: ergo à fortiori Pudentiana maior viginti, & quinque annorum, potuit se obligare stare contractui emptionis mensurarum tritici in foro conscientiæ, absque consensu patris.

6 Quinta ratio: Resolvit Caldas Pereyra *in l. Si curatorem, verbo, Læsis, num. 108.* apud Emman. Barbos. *in Remiss. ad §. 5. Ordin. Regiæ l. 4. tit. 98. numer. 2.* posse filium familias, habentem dominium bonorum adventitiorum, quorum ususfructus ad patrem non pertinet, testari de illis, quod etiam concedunt aliqui allati à Fagund. *dicto cap. 15. numer. 8. vers. An verò possit*: Ergo si Pudentiana filia familias sine consensu patris, juxta hos DD. testari potest de suis bonis adventitijs, quorum usum fructum pater non habet, ut re vera non habet, etiam poterit dictas mensuras tritici credito emptas solvere.

7 Neque obstat, quòd illæ tritici mensuræ fuerint creditò emptæ à Pudentiana filia familias: nam contractus, ipsæque emptiones creditò initæ filios familias non obligant in utroque foro, si de consensu patris; & curatorum non fiant, ut disponitur *in Regno Castellæ l. 22. titul. 11. l. 5. novæ collect.* & tradunt Molin. *tom. 2. disp. 261. vers. in Regno Castellæ, & disput. 301. vers. Habet verò locum, in fine*, Sanch. *alijs relatis l. 6. de matr. disput. 38. numer. 29.* & Fragos. *tertia part. de Reg. Reip Christ. l. 1. disput. 2. numer. 289.* Quæ lex videtur extensa, aut coincidere cum alia lege Regni Portugalliæ, in qua *l. 4. titul. 50. §. 2.* Filijs, & filiabus familias prohibetur, mutuum sine consensu patris accipere. Molin. enim *dict. disput. 301. vers. cit.* loquens de mutuo in ll. Castellæ, & Portugalliæ filijs prohibitam, sic inquit: *Simile aliud, latius ad hunc extensum, concessum est in Castella filijs familias & minoribus, qui sine consensu parentum, tutorum, aut curatorum aliquid per se, aut interpositam personam, creditò emunt, de quo disput. 261. dictum est. Nec minora incommoda ex mutuis filiorum familias, quàm ex emptionibus creditò nata in his Regnis,* [nempe Portugallia, & Castella] *sunt sequi.* Fragos. *cit.* etiam idem absolutè, & sine distinctione, videtur amplecti adducens ad probationem legem Castellæ, nulla facta mentione de Portugallia, ubi ea lex filij ementis creditò non datur.

8 Confirmatur eadem obstantia; quia ubi est eadem ratio, ibi eadem debet esse juris dispositio; ut est DD. axioma, apud Barbos. *tract de axiomat. juris, axioma 197. numer 3.* & id ostenditur ex jure, & DD. at negari nequit, eamdem rationem, quæ datur in cit. Ordin. ut mutuum filijs prohibeatur, dari etiam, ut illis prohibeatur sub credito aliquid emere.

9 Non, inquam, obstant, dicta ijs numeris, quia respondetur primò, eam legem Castellæ prohibentem filijs absque voluntate patris aliqua creditò emere, non extendi ad Portugalliam, in qua ea lex non datur; nam lex pœnalis, ut est ea lex, ad aliud non extenditur Regnum, Nec axioma DD. *ubi datur eadem ratio, dari debet eadem juris dispositio*, habet locum in pœnalibus, ut cum pluribus inquit idem Barbos. *ibi num. 6.*

10 Respondeo secundò, dato quòd axioma in pœnalibus etiam habeat locum, & quòd ea Castellæ lex extendatur ad Portugalliam propter eamdem rationem, quæ datur in lege Portugalliæ; filijs sine consensu patris mutuum petere, prohibente; in præsenti casu non habere vim; nam lex *citat.* Portugalliæ prohibet tantùm filijs sine consensu patris accipere pecuniam mutuam, non tamen triticum, oleum, vinum, &c. ut fatetur Fragos. *citat. numer. 300.* ergo non datur eadem ratio, quòd prohibeatur emere triticum creditò, oleum, vinum, &c. nam cùm lex sit pœnalis, in appellatione pecuniæ, venire nequit frumentum, nec triticum, quod à Pudentiana creditò fuit emptum.

11 Respondeo tertiò, eam legem Castellæ in Portugallia non obligare, in qua ea lex non datur; quidquid in contrarium autumassent Cabed Caldas, Bernard. Greva, & alij apud Emman. Barbos. *in Remiss ad Ordin. l. 3. tit. 64. in principio, numer. 16.* ex eo fundamento, quia hoc Regnum ijdem Regi Hispaniæ subdebatur; Nam præter-

præterquam quòd hoc Regnum jam non Regi Hispano, sed Lusitano subditur; nullo unquam tempore Regno Castellæ fuit unitum accessoriè, sed æque principaliter suis legibus fuit rectum independenter à legibus Castellæ; ut antea regebatur, dum naturales habebat Reges; & sic colligitur ex Bartol. Petr. Barbosa Cabed. & Stephan. Gratian. quos refert Emman. Barbos. *cit.* qui tamen has dictas oppositas sententias conciliare intendit, dicens: deficiente lege hujus Regni, posse recurri, omissis legibus Imperialibus, ad leges Castellæ. Hæc tamen conciliatio admittenda non est; quia oppositum decisum est in *Ordin. Regia l. 3. tit. 64. in principio, & §. 1.* ubi statuitur, quando casus, de quo agitur, decisus non fuerit per legem stylum, aut consuetudinem Regni si agatur de materia, quæ afferat peccatum, decidatur per sacros Canones, & si peccatum non afferat, secundum leges imperiales, nulla unquam facta mentione de legibus Castellæ, Sic Fragos. *parte 3. Regim. Reip. Christian. l. 3. disp. 6 § 2. num. 50.* Doctissim. Pegas *Resol. forens. cap. 4. n. 150. & seqq.*

12 Respondeo quartò, præsentem casum, cùm in Ordin. non comprehendatur, decidi debere juxta dispositionem juris Canonici, quia in eo agitur de materia peccati; nam ut dictum est *numer. 5.* omnes minores, & à fortiori maiores viginti quinque annis, in foro conscientiæ contractibus stare tenentur; & quòad præsentem casum bene ostenditur ex textu *in Regul. Locupletari, 48. de regul. jur. in 6.* ibi: *Locupletari non debet aliquis, cum alterius injuria, vel jactura*, etsi Pudentiana non teneretur ad restituendas mensuras tritici creditò emptas, cum injuria, & jactura alterius, locupletaretur. Vide Glos. ibi; ubi plura affert exempla ex legibus imperialibus hanc responsionem confirmantia.

QUÆSTIO XXXV.

An in duplici venditione, & bovis separatim, & bovis cum vitula conjunctim, usura saltem palliata interveniset?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Ubi non est culpa, pœna non est imponenda.*
3 *Usura formalis provenit ex lucro mutui, tanquam debito*
4 *Præsumptio usuræ palliatæ, cum diversitate personarum in contractu purificatur.*
5 *Non datur usura in revenditione, si non constat de contractu inito de re postea revendenda.*
6 *Testimonio post ratificationem standum.*
7 *Intra limites justi pretij potest creditò res vendicari.*
8 *Non datur usura, quando, res modo venditur supremo, modo infimo pretio.*
9 *Negotiator potest adducere in considerationem lucrum cessans.*
10 *Propositio damnata hunc contractum revenditionis, non comprehendit.*

1 PRomotor justitiæ Ecclesiasticæ cujusdam Diœcesis hujus Regni libellum interposuit contra quemdam reum nomine Marcum, illum pro usurario accusando. Contrarietate se defendit Marcus, & probatione pro utraque parte datâ, Vicarius generalis contra Marcum sententiam protulit. In eo libello duo continebantur casus. In primo dicebatur, dictum reum emisse quamdam bovem ex Petro, pro pretio quatuor millium regalium Lusitanorum, & absolutâ venditione, ipsum reum Marcum ipsam bovem reliquisse locatam ipsi Petro venditori pro uno anno, pretio octo mensurarum sequalis, *vulgo centeo.* Elapso eo anno, eam iterum vendidit ipsi Petro creditò pro maiori pretio, scilicet pro quinque millibus regalibus Lusitanis. Secundus casus in eo libello contentus, erat; reum Marcum alteri vendidisse homini creditò aliam bovem cum vitula, pretio septem millium, & quingentorum regalium Lusitanorum, cum plus non valeret, quàm sex millibus regalibus, præsenti pecuniâ. Et semper pro usura judicatum fuit, res vendere creditò pro maiori pretio, quo de præsenti valent. Quæritur, An lata sententia sit valida quoad utrumque casum? Quoad primum sit.

§. I.

An sit usura locare pro uno anno unam bovem octo mensuris sequalis hoc est, centenni eidem ex quo fuit empta?

2 Respondeo, sententiam latam à R. Vicario generali esse revocandam, & reum Marcum esse absolvendum à casibus, de quibus accusatur; quia usuræ culpam non commisit. Et ubi non est culpa, pœna, non est imponenda, ut probatur ex *text. in l. Aliud est, ff. de verbor. signific.* & alijs juribus, quæ expendit Bartol *in l. Ubi pactum, C. de transact.* Mascard. *consil. 128. num. 2* & DD. quos refert Barbos. *in tract. de axiom. 181. num. 1. & seqq.* Quòd verò reus Mascus culpam non commiserit, probatur ex seqq rationibus.

3 Prima, quia usuram formalem non commisit: hæc enim sumitur pro lucro ex mutuo immediatè proveniente, tanquam debito, ut cum communi Doctores tradunt Rebell. *de obligat. just. 2. part. l. 8. quæst. 2. numer. 3. & 4.* Card. de Lug. *tom. 2. de just. disput. 25.*

sect. 2. num. 6. Sed in dictis casibus mutuum formale non intervenit. Et in primo casu libelli, illam palliatam, in ea venditione non commisit; quia emere boves ad eos locandos, ut ab illis recipiantur redditus, est contractus licitus, & in praxi habitus in toto Portugalliæ Regno; ut licitum est emere equum, mulum, ad eos locandos; ut dictum est *supra q. 33.* Hoc enim ex jure gentium approbatur, ut jurisconsulti colligunt *ex l. Ex hoc jure ff. de just. & jur.* & in particulari ex D. Thom. 2. 2. *q.* 66. *art.* 2. *ad primum*, Covarruv. *Regul peccatum* 2. *part.* § 12. Marsil. *de reddit. part.* 3. *cap* 25. *num.* 10. & alijs, quos citavi *supra dicta q.* 33. ubi de Iust. hujus contractus, plura adduxi pro parte affirmativa in contractu usuræ palliato.

4 Secunda ratio: Quia reus Marcus bovem post emptionem ipsi Petro venditori non locavit, nec eam in suis reliquit manibus, sed alterius agricolæ dicti Gondiçalli, qui cum Petro convenit, quomodo illi placitum fuit sine dependentia, & interventu Marci, ut à magno testium numero probatur. Quare tota præsumptio alicujus usuræ palliatæ ratione talis venditionis juxta doctrinam Gabriel. *in* 4. *dist.* 15. *q* 11. *art.* 3. *dub.* 3. & aliorum apud Card. de Lug *tom.* 2. *de just. disp.* 26. *sect.* 13. *num.* 204. *in fine*, manet purgata, cum diversitate personarum, ut etiam ostendunt Petrus Navarra *l.* 3. *de restit. cap* 2. *num* 27, Lessius *l.* 2 *de just. cap.* 21. *num.* 3 Laym. *l.* 3. *tract.* 4. *cap* 16. *nu.* 16 *sect.* 5.

5 Et à fortiori ostenditur; quia reus in emptione bovis, contractum non inijt cum Petro de illa bove, illi postea revendenda; nam cessante hoc contractu, & lege id prohibente, quæ in nostro Regno non datur, ut legenti nostram *Ordin. Reg l.* 4. *tit.* 67. §. 8. patebit, non datur usura, nec injustitia in illa venditione, ut cum Navarr. Lopes, Banès, Salon. Angel. Sylvest. Garcia, Angels, Rodrig. Salas, Lessio, & alijs, quos afferunt, & sequuntur Dian. 1. *part. tract.* 8. *resol.* 33. Cardin. de Lug, *cit. n.* 205.

6 Nec obstat dictum Petrum in actu Visitationis dixisse reum Marcum sibi bovem sub contractu locationis reliquisse. Non, inquam, obstat, quia respondetur primò, in ratificatione testimonij Petrum in rei favorem se declarasse; & testes omne subtulerunt dubium, omnes particularitates explicando, quæ in hoc contractu concurrerunt. Respondetur secundò; quia in venditione bovis credito, contractus de ea locatione non concurrit; nec etiam de re venditione, ut ex actis constat.

7 Tertia ratio sit: Petr. Navarr. Less. Laym *cit.* & Cardin. de Lug *proximè num.* 104 cum communi DD. sentiunt; quòd intra limites justi pretij, possit aliquis vendere creditò carius eam rem, etiam proprio domino ex quo illam viliori pretio emit præsenti pecunia. Et in hoc sensu interpretantur Navarr. *cap. Qualitas n.* 45. *distinct.* 5. *de pœnit.* Covarruv. *resol.* 2 *cap.* 3 *num.* 2. *l. In causa*, 2 §. *Pomponius ff. de minor.* ergo jurando testes, ut constat ex actis, bovem, quam reus Marcus revendidit, valere valde bene, tempore revenditionis dicta quinque millia regalia præsenti pecunia, non est dubitandum in dicta revenditione, maximè, quando facta fuit creditò, & non præsenti pecunia.

8 Quarta: quia omnes DD. asserunt, res tria habere pretia, supremum, mediocre; & infimum; & nunquam esse usuram, dolum, aut fraudem, vendere aliquem pro pretio supremo, quod pro infimo emit, maxime si creditò vendidit, ut videre est apud Cardin. de Lug. *proximè*, Castr. Palaum *tom.* 7 *de Just. commut. disp* 5 *punct* 2. *num.* 7. & ex antiquioribus Scot. *in* 4. *dist.* 15. *q.* 2 *art.* 2. Maior. *ibidem q.* 40. Gabriel *Regul.* 4 Navarr. *in Man. cap.* 13. *numer.* 79. Caiet 22. *quæst.* 77 *art.* 1 *ad finem*, Petr. Navarr. *l.* 3 *de rest. cap.* 2 *num.* 8 & alios.

9 Quinta, quia reus suis pecunijs negotiatur, & vendendo bovem pro maiori pretio, quàm illam emit, poterat in considerationem lucrum adducere, quod ex illa pecunia cessabat; quod est licitum, & ab usura immune, quando fines justi pretij non transgrediuntur. ut defendunt Gloss. *in cap. Conquestus, de usur.* Maior *in* 4. *dist.* 15 *q* 3 Caietan. 2 2. *q.* 78 *art.* 1. Navarr. *in Man. cap.* 17 *num.* 211. Petr. Navarra *dict. l.* 3. *de restit. cap.* 2. *num.* 288. Valent. *tom.* 3. *disp* 5. *q.* 20 *part.* 2. *concluf.* 3. Lessius *l.* 2. *de just. cap.* 20 *num.* 80 Molin. *tom.* 2. *disp.* 316. Laym. *l.* 3 *tract* 4 *cap.* 26. *num.* 8. *sect.* 5. Covarruv. 2. *variar. cap* 3 *num.* 6. Cardin. de Lug *disp.* 26 *de Just. num.* 104. *vers. Tertio*, Castr. Palaus *proximè dict. punct.* 12. *num.* 4. *& alij.*

10 Nec obstat, quòd Innocentius XI. in suo Decreto incipiente; *Sanctissimus D N. anno* 1679. 4. *Martij* hanc damnavit propositionem, ut minimum tanquam scandalosam, & in praxi pernicioſam; *Contractus Mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem personæ, & cum contractu retrovenditionis prævie inito, cum intentione lucri*; quæ ex damnatis est quadragesima. Non, inquam, obstat, quia ex dictis constat, contractum non fuisse initum prævie, sub contractu retrovenditionis, & ex alijs.

§. II.

An sit usura vendere bovem cum vitula pro septem millibus regalibus, sex millia in valore habentem?

SUMMARIUM.

11 *Non datur ex quo appareat, dari usuram expressam, aut palliatam.*

12 *Non ex testimonio in actu visitationis prolato.*

13 *Non est habenda ratio de ijs, quæ testes generaliter, sed quæ particulariter deponunt.*

14 *Præsumptio cadit veritati, quando maledicta fuerunt purificata; nec ex una, & altera vice dicitur aliquis solitus fanerari.*

11 Hic

11 Hic casus secundo loco in libello continebatur. In illoque non apparet aliquid, ex quo usura palliata, aut expressa colligatur, ut ex dictis pro primo, dictum est, quæ omnia ad hunc secundum applicari possunt. Additur ex testibus, in hac materia satis versatis, qui sunt agricolæ; constare, bovem cum vitula pro eo tempore bene valere ea & septem millia, & quinquaginta regalia. Si ergo valebat pecunia præsèti sex millibus regalibus,& postea credito vendita fuit septem millibus, & quinquaginta realibus, non erat injustitia, nec usura talis venditio, juxta ea quæ dicta sunt *supra a nu.* 3.

12 Nec obstat primò dictum emptoris in actu visitationis. Non, inquam, obstat, quia emptor suum dictum explicavit, & retractavit in favorem rei, ut constat ex actis, in eo articulo, de quo fuit interrogatus.

13 Nec obstat secundo, reum fuisse vulgo ut usurarium existimatum, ut aliqui deposuerunt testes. Non, inquam, obstat, quia non est habenda ratio de rumoribus, quos testes deponunt, sed tantum de casibus expressis, & particularibus, in quibus res cum effectu probantur, reis se defendentibus, & juxta illa judicari debet; Vt tradunt Farinac. *tom.*1.*tit.*2 *q.* 12. *num.* 2. Iulius Clarus *in practica* §.*fin. q.* 12. & Ioseph Aldret. *l.*2. *de Relig. disciplin. tuenda*: & in his actibus de his tantùm duobus casibus in particulari agitur. Alia verò, quæ afferuntur in considerationem venire non debent.

14 Non obstat tertiò, quod reus Marcus jam semel, atque iterum pro usurario fuit condemnatus, & de solito usurario, in alijs casibus, usurarius præsumitur, juxta *Ordin. Reg.l.* 4 *tit.*4 *num.*2. & DD.quos latè citat, & sequitur Alvarus Valasc. *tom.*1.*consult.*56. *num.* 2. *Et num.*1.*in fine* inquit, ex duabus vicibus, imo & ex una, posse dici reum solitum fœnerari. Videatur Emmanuel Barbos. *in Remiss. ad cit. locum Ordin.* ubi plures affert. Non, inquam, obstat, quia hæc ad casus præsentes, in considerationem venire, non debent; cùm de illis clarè, & apertè constet, reum fuisse purgatum; præsumptio autem cedit veritati, & nõ dictis sine fundamento; quemadmodum concluditur *ex l. Nuptura filio familias, in fine ff. de jure dotium, l fin.in principio, ff.quòd metus causa, l.Cum de in debito ff.de probat.* rectèque demonstrat Surdus *consil* 37 *num.* 17.*& consil.* 80. *num.* 19.*& consil.*423.*num.*12. Additur, quòd ut aliquis dicatur solitus aliquid facere, non sufficit unus, aut alter actus, ut ex jure; & DD. ostendit Barbos. *tract.de diction. usu frequent. dict.* 376.*n* 1. Ex dictis per totam hanc quæst. cõstat, sententiam R. Vicarij generalis esse revocãdã.

QUÆSTIO XXXVI.

An Eremita, solutà parte eleemosynarum cum Parocho conventâ, aliam partem sibi retinere possit?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Potest cum certis conditionibus.*

1 VIncentius cupiens in servitio cujusdam ædiculæ vitam degere; Parochum, intra cujus Parochiæ fines erat ædicula, convenit, ad quem oblationes, quæ in altari offerebantur, pertinebant. Et admisso Vicentio ad ædiculam pro illius eremita, interse convenerunt, quòd ipse Vincentius pro singulis annis Parocho tribueret certam pecuniæ summam, quæ justa visa fuit. Factus eremita, ostiatim, & per areas eleemosynas titulo ædiculæ congerebat ex fidelibus. Aliquibus annis elapsis Parochus illum ab ædicula eremitam expulit. Quæritur, An eleemosynas congestas sibi retinere possit.

RESOLUTIO.

2 Respondeo, solutà conventione debitæ ex eleemosynis in altari projectis, quæ ad Parochum pertinent, juxta Barbos. *de Paroch. part.*3.*cap.* 24. *num.* 24. alias sibi retinere posse. Ex illis verò, quæ ostiatim, & per areas collectis, quæ ex suo victu, & vestitu, ornatu altaris, & necessarijs ad Missæ Sacrificium celebrandum, super erant; si est pauper [ut est] potest eas sibi retinere, vel suis dare cognatis, aut extraneis, si sint pauperes; qui enim altari servit, de altari vivit; si tamen ex circunstantijs non appareat, aliquas eleemosynas fuisse à fidelibus donatas & in particulari ad ornatum ædidiculæ applicatas. Sic colligo ex illis, quæ dicunt Barbos.*cit.num.*22.Tamburin *tom* 1.*l* 8 *decal.tract.*4.*cap.* 1.§,1.*num.*4. *vers Quid de eremita.*

QUÆSTIO XXXVII.

An veri conductores, ficti tamen receptores fructuum cujusdam consanguinei Abbatis, gabellam, & decimam Regi restituere teneantur?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Tenentur ob damnum, quod omni oppido infertur, si non solvant.*
3 *Tenentur, quia ea gabella semper fuit existimata justa.*
4 *Etiam in casu, quo Rex illi plura debeat, & detur opinio asserens, se posse compensare in tributis alicui locatis.*
5 *Etiam in casu, quo detur opinio sustinens tributa pœnalia defraudantes non teneri ad rerestitutionem.*
6 *Scriptura ab una parte rupta contractum non reddit nullum, ut redditur nullum testamentũ à testatore ruptum.*

1 ABbas suæ Ecclesiæ fructus patruo, & filio fratris locavit pro plus sexaginta millibus Regaliũ Lusitanorũ. Cùm tamen hi conductores, ex interesse habito ex ea locatione, gabellam, *vulgo Siza* & decimam solvere tenerentur; ut ab his solvendis se eximerent, finxerunt, se non esse conductores, sed tantùm, ut Abbatis consanguinei, redditum suæ Abbatiæ, nomine Abbatis, receptores; & ne oppositum aliquâ viâ sciri potuisset, scripturam pacti cum Abbate initi ruperunt. Quæritur 1. An in foro conscientiæ eam gabellam teneantur solvere? 2. An decimam.

§. I.

An conductores fructuum Abbatiæ, in foro conscientiæ, gabellam, *vulgo Sizam* restituere teneantur?

2 Respondeo, teneri. Moveor primó, & principaliter, quia hæc gabella, quæ apud Lusitanos dicitur *Siza*, Oppidis, Villis, & aliquibus civitatibus per incapitationem imponitur: sed datâ fraude, & fictione conductorum, damnum oppidò Abbatiæ infertur, maius illo, quod ab ipso debetur; quod est injustum: ergo. Minor probatur, quia conductores redditum populi, i. u oppidi tenentur cum alijs ejusdem oppidi solvere illam summam pecuniæ; in incapitatione designatam, non tamen sacerdotes, & Abbates ex suis redditibus: ergo si dicti conductores, non ut conductores, sed nomine Abbatis redditus Abbatiæ colligant, gabellam non solvant. Oppida plus justo gravarentur, quia solvent partem, & forsan in maiori summa, quám conductores solvere debebant: tenentur ergo dicti conductores in foro conscientiæ eam summam gabellæ ipsi populo, seu oppido restituere nec plus justo gravetur. Ita expressè ex alia incapitatione Sanch. *l.* 2. *consil. cap.*4 *dub* 10 *num.*6. Cardin. de Lug. *disp.* 36. *de just. num.*48.

3 Secundò moveor, licèt minus principaliter: Quia ex Iustitia non observata, oritur restituendi obligatio, sed tributum sizæ, ut diximus, in hoc Regno sæpius decisum fuit, esse justum: ergo ab illis conductoribus erat solvendum. Minor ostenditur, quia circa id tributum, & justitiam illius commissum fuit examen virisdoctissimis de mandato Ioannis II in comitijs Eboræ celebratis anno 1481. & Ioannis III. in Conventibus habitis anno 1521. apud oppidum de Torres-novas, & iterum in alijs Eboræ anno 1535. & ab illis fuit decisum, id tributum sizæ esse justum, & Regi solvendum, ut videre *est in libro continente Regni comitia cap.*74. *&* 75. Ex his infert Fragos. 1 *part. Regim. Reip. Christ. disp.*8. *numer.* 18. *vers. Ex qua resolutione*, sizam deberi in conscientia, nec posse saltem regulariter de fraudari, & si de fraudetur, esse restituendam quia communiter justa reputatur: ergo licèt oppidani ex defectu horum conductorum, non cogerentur plus justo gravari, non poterant ipsi conductores ea uti fraude, ut ab hoc tributo liberarentur.

4 Nec obstat primo, quòd si alicui Rex aliquid certò, & liquidò deberet; nec ab illo id commode obtinere possit; poterit is sibi satisfacere defraudando gabellas, & ipsam sizam, non obstante damno, quod infert ipsis gabellarijs, & exactoribus ipsius sizæ, ut communiter docent TT. cum Sanch. *l.* 2. *consil. cap.*4. *dub.* 48. *num.*2. Card. de Lug. *dicta disp.*36. *de just. sect.* 5 *num.*76. Molin. *tract.* 2. *disp.* 674. Less. Vasq. Turrian. Navarra, Bonacin. Molfes. Barthol. à S. Fausto, Malder. Vega, & alijs, quos referunt, & sequuntur Fragos. *cit. dicta disp.* 8. *numer.* 43. Dian. 2. *part. tract.* 2. *miscell. resol.* 16. Sed dictis conductoribus Rex plura debet, quæ ab illo commodè obtinere nequeunt: ergo possunt sibi satisfacere fraudando sizam eo modo. Non, inquam, obstat, quia respondetur, negando consequentiam: non enim bene arguitur à maiori ad consequentiam; nam maior, quam admittunt citati; non habet locum, quando siza est incapitata in aliquo oppido, villa, aut civitate: in hoc enim casu, non potest quis non solvere; nec sizam defraudare, licèt Rex illi plura debeat: nam in hoc casu, qui fraudando gabellas, seu sizam non solvit, damnum incolis illius oppidi infert, qui omnes tenentur solvere v. g. millia ducata, quæ summa per incapitationem est illi oppido imposita; & si unus ex illis non solvat, maximè conductor fructuum Abbatiæ, qui in maiori summa solvere solet; damnum omnibus alijs infert, qui tenentur ea millia ducata Regi solvere; at citati DD. pro maiori, loquuntur de gabellario, seu exactore gabellarum, qui nomine Regis gabellas recipit, cui gabellas possunt creditores Regis defraudare, ut se compensent pro debitis, quæ ab ipso Rege commode habere nequeunt. Sic Sanch. *cit. num.*3. Card. de Lug. *proximè num* 78.

5 Non obstat secundò, quòd plures DD. sustinent, fraudentes gabellas, non teneri ad restitutionem, quia leges illas imponentes, vel sunt pœnales, quæ juxta multorum sententiam apud Dian. *part.* 1. *tract.* 10. *resol.* 17. *&* 20. non obligant in conscientia; vel non debentur, nisi petantur, ut dicunt Angel. Navarr. Beja, Duard. quos refert, & sequitur Dian. *cit. resol.* 19. & probabilem fatentur Lessius *l.* 2. *de just. cap.*33. *dub.* 8. *num.* 59. Bonac. *tom.* 2. *tract. de Contract. disp.* 2. *q.*9 *punct.* 1 *num.*3. & alij. Sed dicta siza à lege imposita; vel est pœnalis, vel non petitur, ergo dicti conductores illam defraudandes ad restitutionem non tenentur, quia ab illis siza non petitur, nec petenda est, quia fingunt se nomine Abbatis fructus Ecclesiæ recipi. Non, inquam, obstat, quia respondetur, quamvis eæ sententiæ sint probabiles, & oppositæ probabiliores, non tamen habere locum, quando

quando ſiza eſt incapitata in aliquo oppido, propter damnum, quod incolis infertur; ſi omnes ſecundum ſuum intereſſe non concurrant, ut ex dictis conſtat.

6 Non obſtat tertiò, quòd dicatur, contractum cum Abbate celebratum ſuper fructus Eccleſiæ, fuiſſe redditum nullum, & invalidum; quia ſcriptura de illo condita fuit à conductoribus rupta & ſciſſa; ſicut invalidum dicitur teſtamentum prius validum, & legitimè conditum, ſi ſcienter in totum, vel in partem, quoad partem ſubſtantialem, ab ipſo teſtatore rumpatur. Ut cum Molin. *tract.* 2. *diſp.* 153. *verſ. Dubium vero eſt*, Vaſq. *in opuſc. de teſtam cap.* 2. *dub.* 1. *num.* 6. Cardin. de Lugo *tomo* 2. *de Iuſt diſp.* 24. *num.* 55. [qui in caſu occurrenti conſulendi ſunt.] Non, inquam, obſtat, quia reſpondetur, teſtatorem rumpentem teſtamentum, noluiſſe amplius valere: at rumpentes ſcripturam contractus conductionis, noluiſſe illum annullare, ſed illud palliare, ut ſic poſſint aſſerere, ſe eſſe veros Abbatis receptores, & non conductores eorum reddituum.

§. II.

An prædicti conductores ad decimam eorum fructuum teneantur.

SUMMARIUM.

7 *Occaſio ſoluendi decimas ex fructibus Eccleſiæ.*
8 *In foro conſcientiæ omnes tenebantur eam ſolvere decimam.*
9 *Conductor eam non tenebatur ſolvere decimam.*
10 *Abbas tenebatur ſolvere decimam juxta contractum locationis.*

7 Poſt invictiſſimi Regis noſtri Joannis IV. acclamationem, cum Regnum eſſet facultatibus exhauſtum, & ad Regnum, naturalemque defenſionem, redditus Regni, & Regis non ſufficerent, ſtatutum fuit à Prælatis pro ſuis ſubditis Eccleſiaſticis, & à Rege pro ſæcularibus, conſilio doctiſſimorum virorum præcedente, ut omnes tam Eccleſiaſtici; quàm ſæculares decimam partem reddituum ſuorum bonorum in belli auxilium tribuerent. Et cùm neceſſitas eſſet urgentiſſima, & non ſufficerent ſæcularium bona, nec expectari poſſet S. Pontificis conſenſus, abſque boni communis periculo, Eccleſiaſtici de mandato ſuorum Ordinariorum decimas pendebant, & executio per miniſtros Eccleſiaſticos fiebat, eo ſuavi modo, quo fieri poterat. Hac tempeſtate dicta locatio, & conductio fructuum Eccleſiæ Abbatis celebrata fuit, & pro eo tempore procedit propoſita quæſtio.

8 Et ſupponimus, dictam contributionem decimarum fuiſſe juſtam, omnesque ad illam teneri, ut teſtatur doctiſſimus Themud. *in deciſ. Archiepiſcop. Ulyſsip tom.* 1. *deciſ* 93. *numer.* 2. ibi: *In quibus terminis ſine metu cenſurarum Bullæ Cœnæ domini, & aliarum juris Canonici clerus tenetur contribuere, non ſolum pecunijs, ſed ſuis bonis, & perſonis pro defenſione Regni, & bono communi, ceſſantibus omnibus privilegijs, exemptionibus, & immunitatibus, urgente hac neceſsitate, &c.* Idem fatetur *tom.* 3. *deciſione* 308. allatis pluribus DD. Et quòd hæc contributio, ſeu tributum in conſcientia debeatur, videatur Card. de Lug. *diſp.* 16 *de juſt. num.* 18. & 21.

9 His ſuppoſitis, ad quæſt. in tit. propoſitam, reſpondeo, non teneri dictos conductores ad decimam fructuum Eccleſiæ reſtituendam. Ratio eſt, quia Abbas, ex fructibus ſuæ Eccleſiæ, decimam ſolvere tenetur: ergo à conductoribus ex ijſdem fructibus alia non debetur decima: aliàs ijdem fructus duplici decima gravarentur, quod juſtum non eſt.

10 Nec obſtat, Abbatem ſolùm ſecundũ arbitrationem fructuum ſuæ Eccleſiæ decimam ſolvere, conductores verò juxta intereſſe, & lucrum, ex ea conductione habitum. Non, inquam, obſtat, quia reſpondetur, Abbatem locantem fructus ſui beneficij, decimam ſolvere teneri juxta id, quod ad illum provenit, ex contractu locationis, & præcipuo hoc contractu, juxta æſtimationem eorundem fructuum; & cum in præſenti extet præſumptio, fructus non fuiſſe locatos, Abbas decimam juxta æſtimationem ſolvere debebat; & ſi hæc nõ adæquet pretium locationis, exceſſum tenetur reſtituere juxta ſtylum aliarum Eccleſiarum, quarum frũctus locantur; & ſic conductores ab hac reſtitutione, meo judicio, abſolvo; nam de ſuo intereſſe, & alijs ſuorum bonorum redditibus alia non debetur, niſi illa, quam ab executoribus Regijs juxta æſtimationem ab illis petitur.

QUÆSTIO XXXVIII.

An mutuatarius dubitans de pignore reſumpto, teneatur illud mutuanti reſtituere?

SUMMARIUM.

1 *Facti ſpecies.*
2 *De ſcrupulo ex levibus fundamentis orto non eſt curandum*
3 *Si catena reaſsumpta eſt æqualis ponderis traditæ in pignus, nec illam multum excedit in pretio, poteſt dubium deponi, aut illud cum mutuante diſſolvi*
4 *Cum dubio non datur præſcriptio.*

1 PHilippus certam pecuniæ ſummam Iacobo dedit mutuam, ſub pignore catenæ aureæ, ſolutâ pecuniâ, & reaſsumptâ catenâ, dubitat Iacobus an ſit ſua, quam tradidit

didit in pignus; & per multos annos in hoc dubio persistit. Quæritur an cum hac dubio catenam possit retinere?

RESOLUTIO.

2 Respondeo: si hoc verè dubium non sit, sed merus scrupulus ex levibus fundamentis, seu sulpicione, ortus, de illo non curandum sic communiter DD. quos latè refert, & sequitur Castr. Palaus *tom.* 1. *tract.* 1. *disp.* 4. *de conscient. scrup. punct.* 1. *num.* 1. & 2.

3 Si tamen cátena reassúmpta est æqualis ponderis, nec multum excedit, de eo dubio non esse curandum. Quòd si etiam de his dubitet, & perpensis hinc inde rationibus judicium efformare non possit probabile, sed adhuc hæret anceps, tenetur cum ipso Philippo aut cũ alijs dubium resolvere.

4 Fateor tamen, per ipsos plures annos possessionis ipsius catenæ, illam non præscripsisse, quia ipsam possessionem cum dubio incepit; cum dubio autem rei possessionis, non datur præscriptio, ut colligitur *ex l. Bonæ Fidei ff. de acquirend. rer. dominio*, & *l.* 1. *C. de usucap. transformãd.* & tradunt cum communi DD. Molin. *tract.* 2. *disp* 63. *concluſ.* 1. Lessius *l.* 2. *de just. cap.* 6 *dub.* 3. & 4 Laym. *l.* 3. *summ. sect.* 5. *tract.* 1. *cap.* 8 *num.* 10. & alij, quos affert & sequitur Castr. Palaus *tom.* 7. *disp. unic. de just. in genere*, *punct.* 27. §. 7. *numer.* 1. Et si cum hoc dubio, per ipsos, & amplius annos præscriptionem desiderabat, & expectabat, existimans eam catenam sua superiorem; à peccato non excusabitur.

QUÆSTIO XXXIX.

An uxor, maritum hæreticum convictum coacte admittens, possit bona ad suam partem pertinentia, capere, occultare, donare, & alienare?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Potest ex ipso jure, & DD.*
3 *Vxor potest capere, alienare, &c. ad conservandam suam partem, quando maritus eam profudit in actibus illicitis.*
4 *Vxor suum jus non amittit, admittens maritum coactè.*
5 *Vxor non tenetur alere maritum, quando ille habet parentes, aut consanguineum ex jure naturali illum alere potentem.*

1 QUidam, in publico fidei actu, ut vocant per sententiam fuit convictus de Iudaismo, & condemnatus, suaque bona fisco adjudicata. Hæc uxor nõ ignorans, ad suam domum, & societatem illũ admittere noluit. Cæterum justitia sæcularis eam coegit ad illum admittendum, & cohabitationem. Quæritur: An ex bonis ad suam partem pertinentibus, possit donare, capere, occultare, vel quocunque modo alienare?

RESOLUTIO.

2 Respondeo, posse. Ratio est, quia ubi primum maritus fuit convictus, & ut hæreticus declaratus, potest uxor authoritate propriâ & nulla expectatâ sententiâ illum non admittere, etiam ad fidem redditum; quia illi divortium conceditur perpetuum; sic cum Barbos. Covarr. Graff. Ludov. Lopes, Henriq. Soto, Sãch. *l.* 10. *de matr. n.* 20. ibi: *Dicendum est minimè desiderari sententiam divortij specialem, sed judicium illud Ecclesiæ requisitum, nihil aliud esse, quam sententiam judicis Ecclesiastici, qua declaratur, illum esse hæreticum, qua sententia data sine ulteriori separationis sententiâ, integrum est catholico omnino divertere*; Idem habet alijs in locis. Conveniunt Repertorium *inquisit. verb. Fornicatio* §. *sed fornicatio*, post Abbatem Rodrig. *tom.* 3. *in addit ad summ. cap.* 82 *concluſ.* 4. Lessius *l.* 2. *de stat. Relig. cap.* 41. *n.* 29. Fagund. *tom* 1. *l.* 1. *in* 1. *decal. præcept cap.* 24. *n.* 10. *in fine* Cardin. de Lug. *de fide disput.* 22. *sect.* 3. *num.* 58 Basil. Pont. *de matr. l.* 9. *cap.* 22. Fragos. *part.* 3. *de Regim. Reip. Christ. disp.* 5. § 5. *n.* 8 Leand. *part.* 2 *tract.* 9. *disp.* 26. *q.* 43. alij, quos referunt: sed hæc uxor; ex sententia data, erat à marito separata, & separationem in divortiũ perpetuum continuavit: ergo statim, quo matrimonium fuit separatum per divortium perpetuum, uxor mansit cum dominio integro, & administratione suorum bonorum propriorum absque dependentia mariti, ut in jure est manifestum; & per consequens cum potestate capiendi, occultandi, donandi, & alienandi eodem modo, ac si non esset conjugata *l. Si quis posthac C. de bon. proscript.* ibi: *apud eam firmiter*, permaneant. Et hæc sua bona, authoritate propriâ, capere potest, post bona viri publicata. Sanch. *l.* 2. *decal. cap.* 17 *n.* 3. *in fine.*

3 Hæc confirmantur, & corroborantur ex doctrina Lessij *l.* 2. *de just. cap.* 12. *dub.* 14. *nu.* 87. & aliorum, quos refert, & sequitur Leand. *proximè tract.* 2. *disp.* 2. *q.* 13. asserentium, posse uxorem secretò auferre, & capere omne, quod sibi visum fuerit, ad suam partem, & dotem cõservandam; quando maritus eam in actibus illicitis, prodigalitatis, compotationem, largarum donationum, ludorum, & inhonestarum mulierum profudit: ergo etiam dicta uxor potest occultare, & impendere, ut sibi placuerit; siquidẽ maritus suã in illicitis, & criminibus perdidit.

4 Nec obstat primò, quòd uxor hoc jus amisit, maritum ad suam societatem, & cohabitationem admittendo; nam hàc admissione, adulterium spirituale mariti remisit. Non, inquam obstat, quia respondetur, eam mariti admissionem fuisse coactam, & injustè violentam: violentia autem injusta, eam à jure, quod possidebat, privari non potera-

5 Nec

5 Nec obstat secundò, quod uxor maritum hæreticum, & jam emendatum alere teneatur; ut plures docent, apud citandos. Non, inquam, obstat, quia respondetur cum Sanch. *l.* 9. *de matr. disput* 4. *num.* 27. Bonacin. *tom.* 2. *disp.* 6. *in* 4. *decal. præcept. q. unic. punct.* 7. *num.* 8. Fragos. 3. *part. cit. disp.* 6. §. 1. *num*, 28. & alijs quos refert & sequitur Leand. *part.* 3. *& decal. part.* 2. *disp.* 2. *q.* 6. ad id non teneri, quãdo maritus parentes habet divites, & alium consanguineum, qui de jure naturali eum possit alere. Materia hujus quæstionis per novam legem Sereniſſimi Regis Petri II. jam cessavit, qua statuit, quòd omnes de Iudaismo convicti ab his Regnis exterminentur, & sub pæna capitis ad illa non redeant.

QUÆSTIO XXXX.

An jocalia, & supellectiles ab sponso sponsæ donata, soluto matrimonio, ad collationem venire debeant?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Venire non debent, contra Fagund.*
3 *Oppositum in Regnis Castellæ in praxi habetur.*
4 *Quæ mittuntur ab sponso sponsæ, non sunt, ut tempore matrimonij sponsa ornatior accedat.*

1 CUm esset desponsatus Leo vir nobilis, & dives; Mariæ etiam nobili, & diviti, illi jocalia, & supellectilia misit, quæ duobus millibus aureis constare poterant. Post initum matrimonium, & filios genitos defunctus est Leo. Quæritur: An Maria jocalia, & supellectilia, ad partitionem cum filijs, conferre teneatur?

RESOLUTIO.

2 Respondeo, conferre non teneri. Ratio est, quia ponderatis personarum circunstantijs, dicendum est, Leonem donasse, & ea jocalia, & supellectilia, Mariæ esse voluisse. Et in hoc casu procedit *l. Veterum C. de donat. ante nuptias*, cum alijs, quæ ponderantur à Sanch. *l.* 6. *de matr. disp.* 18. *num.* 2. Molin. *tract.* 2. *disp.* 290. *in principio*, Fragos. *part* 3. *de Regim. Reip. Christ l.* 2. *cap.* 4 § 1. *num.* 11. *Vers. Nisi maritus*, Barbos. *in l. Quæ dotis*, *num.* 80. ibi: *Verius igitur est, etiam magna, videri maritum nobilem donare. Prout ab eandem rationem verba dubia prolata a nobili, videntur donationem importare ff. solut. matrim.* Castr. Palaus *tom.* 5. *de sponsal. disp.* 1. *punct.* 13. §. 1. *num.* 4. *quando datur in aliqua regione ea consuetudo*; & hæc datur, & observatur practicaturque in his Portugalliæ Regnis, ut inquit Molin *cit. Vers. Quintum*: ergo Maria ea jocalia, & suppellectilia conferre non tenetur. Fateor tamen Fagund. *l.* 4. *de just. cap.* 13. *num.* 4 oppositum defendere.

3 Nec obstat primò, quòd plures dicant, mulierem ea jocalia, & supellectilem non sibi, ut propria afferre, quando cum sua dote, & arrhis exire elegit; ut Maria exit; ut pluribus relatis tenet Fagund. *proximè num.* 22. Non, inquam, obstat; quia respondetur, eos DD. loqui, de eo, quod practicatur in Regnis Castellæ *juxta l. Tauri* 52. *collecta in nova recopil l.* 4 *cit.* 2. *l.* 5. ut dicunt Sanch. *dict. l.* 6. *disp.* 22. Molin. *cit. disp.* 290. *vers. Secundum est*; at justa jus commune, potest mulier exire cum sua dote, arrhis, & tota sponsalitia largitate, ut tradit Barbos *in rubric. ff. solut. matrim.* 3. *part num* 10. & 112. quod jus in hoc Regno sequitur, deficiente in illo lege aliud disponente, juxta, *dicta supra q.* 30. *num.* 11. & 12.

4 Nec obstat secundò, plures DD. censere, illud, quod sponsæ ab sponso mittitur, esse, ut illa tempore matrimonij ornatior, & honorabilior accedat, ut videre est apud Molin. *dicta disp.* 290. *vers. Quartum est.* Non, inquam, obstat, quia respondetur, hæc non habere locum in præsenti casu, in quo Maria sufficienter habebat quo ornata accederet. Unde cessat ea præsumptio, quoad sponsum; & standum est dictis.

QUÆSTIO XLI.

An in contractu societatis cujusdam navis emptæ, oneratæ, & deperditæ, damnum stare debeat pro utroque socio, quando alter illorum illam misit ad partem non designatum.

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Damnum navis deperditæ ad utrumque socium pertinet, ex jure & DD.*
3 *Unus socius absque alterius consensu potest communem domum locare, quando ex non locatione, illis sequitur damnum.*
4 *Sicut domus ædificatur ad habitandum, sic navis ad navigandum.*
5 *Socius potest facere in re communi, quod voluerit, si quod facit ambobus sit utile.*
6 *De Consensu sociorum navis ad aliam civitatem non designatam in contractu navigavit; ex quo sequitur, quando detur utilitas, de consensu unius tantum socij, posse ad non designatam navigare ex DD.*
7 *Quando navis ad civitatem designatam navigare non potest, utilitati societatis convenit, quòd ad aliam naviget.*
8 *Consuetudo mercatorum in foro est, quod in similibus casibus standum cit. judicio administratoris navis.*
9 *Non disposuit Socius contra voluntatem alterius socij nec contra l. Sabinus.*

1 HErmenegildus, & Ricaredus, navem ad determinatã civitatem navigã dũ, emerunt,

emerunt; quia Hermenegildus in ea suos redditus annuos habebat; & Recaredus in ea habitans, convenientiam in comertio ipsius civitatis. Oneratâ, & paratâ navi ad navigandum, nuntia pervenerunt, eam civitatem ab inimicis fuisse captam. Quibus nuntijs post aliquod tempus navis exonerata, ut aliæ, quæ in eodem portu ad eam civitatem, exoneratæ fuerunt. Videns Hermenegildus navem, ad navigandum ad eam civitatem, esse impeditam, & in mari sine nautis, qui de ea curarent, ad septentrionem oneravit, ex omni necessario ad navigandum abundanter providens, in societatis utilitatem, absque consensu Recaredi absentis. Civitatem, & portum destinatum tenuit, negotium que ibi peregit; & in renavigatione tempestatibus naufragium passa fuit. Quæritur: An damnum navis deperditæ, Hermenegildo, qui eam in septentrionem misit, absque consensu Recaredi, stare debeat; an sine aliqua distinctione, utriusque damno?

RESOLUTIO.

2 Respondeo, in his circunstantijs, damno utriusque socij, stare debere. Moveor sequentibus rationibus. Prima; Quia Hermenegildus nihil egit contra naturam contractus, cum Recaredo initi: nam usus directus qualiscunque navis est, navigare, ut inquit textus *in l. Arboribus evulsis*, §. *navis*, ibi: *Licèt naufragium immineat. Navis enim ad hoc paratur, ut naviget, ff. de usufruct.* & *l. Utique* §. *culpa*, ibi: *Culpa non intelligitur, si navem pestatem tempore navigationis transmeare misit, licet ea perierit: nisi minus idoneis hominibus eam commiserit, ff. de rei vendicat.* Latèque demonstrat Stracha *de mercatur. 2. part. titul. de navib. numer.* 62 ex doctrina Gloss. *in l. si navis, de rei vendicat.* Et datâ impossibilitate navigandi ad portum ab ipsis socijs designatum, bene cogit Hermenegildus suum munus, mittendo navem ad eas partes, ex quibus commodum, & utilitatem communem reportare poterat. Maximè cum navis, post ea nuntia, cum magnis expensis, & damnificatione; non per breve tempus, in eo portu esset.

3 Secunda ratio, quia juxta juris principia, & communem DD. resolutionem, potest unus socius sine alterius consensu, damnum communem locare, quando ex locatione ambobus sequitur utilitas, & emolumentum; & è contra ex non locatione illis sequitur damnum, & in hoc casu alter socius consentire debet, & irrationabilis reputabitur, si repugnet; ut tradunt Bartol. *l. Hac distinctio*, §. *cum fundum ff. locati*, Iason *l. Quominus, numer.* 261. *ff. de flumin.* Decius *in l. 1. numer. 22. C. qui testament. facere possunt*, Ruin. *volum. 4. consil.* 143. *numer.* 3. & *volum. 5. consil.* 65. *numer.* 7. & alij plures, quos latè citat, & sequitur Surd. *volum. 1 consil.* 43. *numer.* 8. & 9. Ex qua doctrina aperte sequitur, potuisse Hermenegildum, sine voluntate Recaredi, onerare navem, & illam mittere in civitatem septentrionis; siquidem de utilitati societatis tractabat, & damnum vitare volebat, quod ex non navigatione, navi resultabat.

4 Nec obstat, quòd *citati DD. proximè* loquuntur de locatione domus, & nos de navigatione navis. Non, inquam, obstat: nam sicut domus ad habitandum, ædificatur; sic navis ad navigandum, ut *num.* 2. ex ipso jure dictum est.

5 Confirmatur primò eadem ratio secunda, quia ex eodem principio asserunt DD. posse socium facere in re communi, quod voluerit, sine alterius socij consensu, si id, quod facit, sit ambobus utile: quia in his circunstantijs alter socius, illud non potest prohibere, quin rationabilitati deficiat; quæ in contractuum executione requiritur, ut tradunt Berous *volum. 3. consil.* 131. *numer.* 11. Paulus *in l. In re communi, numer. 3. ff. de servitut.* & notat Gloss. *in l. Sabinus ff. commun. divid.* ac Surd. *l. 2. dict. consil.* 53. *num.* 9 & 10.

6 Secundo confirmatur, quia post emptionem dictæ navis ad illam determinatam civitatem navigandum, de amborum sociorum consensu, ad navigandum Masanganum conducta fuit. Hàc suppositâ particularitate, bene procedit communis DD. resolutio, asserentium, posse unum socium locare rem, cui placuerit in societatis utilitatem, & alterum obligare socium ad contractui standum, si res solita erat locari, ut tradunt Bald. *in l. 1. fine C. qui testament facere possunt*, Iason *ibidem num.* 25. & *in l. Quominus, num.* 139. *ff. de flumin.* Ripa *ibidem, num.* 138. Surdus *dict. consil.* 143. *numer.* 11 *l. 1.* ubi similem casum decidit: in quo duo fratres domum communibus expensis ædificarunt, & illorum alter eam locavit, & *num.* 16 sic concludit: *Non est permittendum, quod frater cervicosus possit suâ negligentia, vel malitia ob esse fratri vigilanti, qui utitur re communi, ad usum destinatum.*

7 Tertia ratio: nam quando navis non potest navigare ad portum, & civitatem designatam in contractu, tacitè in eo contractu intelligitur, socium illius habentem administrationem, posse in eam partem mittere; quæ sibi videtur utilitati societatis conveniens, ne usus talis navis amittatur, quin alter socius contradicere possit: nam in similibus actibus, semper censetur expressum id, quod probabiliter exprimeretur statim in contractu; si in mentem impedimentū veniret, quod accidentaliter evenit, ut colligitur *ex l. semper in stipulationibus ff. de Regul. juris*, & *l. Ultima ff. quæ res pignori*, & latè probat Mantic. *l. 14. tit. 35. num.* 150. & cum pluribus Barbos. *tract. de axiom. 89 num.* 13.

8 Quar-

8 Quarta ratio: Quia per magnum instrumentorum numerum probatur, quod juxta cõsuetudinem, à mercatoribus in foro communiter, & universaliter receptam, semper maneat in similibus casibus in judicio administratoris navis, illam mittere ad hos, aut alios portus, in quibus rationali fundamento societatis utilitas speratur. Et hæc cõsuetudo pro lege reputanda est, ex traditis à Thesauro *decis.* 41 *n.* 1. & alijs DD. *juxta Regul. deprecatio, ff. ad l. Rhodiam, Authent. de usu nautarum, § fin. collat.* 9 Strach. *tit. de Navig. Senter. de Sponsi. mercat. part.* 3. *n.* 85.

9 Nec obstat *l. Sabinus, ff. Commun. divid.* in qua dicitur, non posse, socium uti, nec disponere de re communi extra finem in contractu determinatum, absque consensu, & voluntate alterius socij, ut constat ex traditis per Thesaur. *distinct.* 41. *n.* 13. Non, inquam, obstat, quia ex dictis patet Hermenegild. non disposuisse in contractu societatis contra voluntatem Recaredi, quia in eo, quod disposuit, juxta suam voluntatem disposuit, & meritò rationalem, ut ex dictis constat.

QUÆSTIO XLII.

An factâ electione legatario à testatore, eligendi supellectilem, quam maluerit, si obligatam aliquo onere eligat, ad illud teneatur onus?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Res vendita, & legata transit cum suo onere.*
3 *Onus reale sequitur rem; personale, personam.*

1 TEstator ex suis bonis Athanasio supellectilem, quam ipse eligeret, legavit. Elegit lineum involucrum, *vulgo peça de linho*, ex qua textrici, juxta loci consuetudinem, septem mensuræ debebantur; de quo debitò testator mentionem in testamento fecit. Quæritur, An textrix ex ipso lineo involucro aut ex alijs testatoris bonis suum habere debeat salarium?

RESOLUTIO.

2 Respondeo, teneri Athanasium ex ipso lineo involucro, textrici solvere solitum salarium. Hoc ostendo ex hac duplici ratione; prima est; quia sic colligitur ex *Ordin. Reg. l.* 4. *tit.* 3. *in princip.* ubi dicitur, si res alicui obligata, alteri vendatur, transire cum suo onere; idem habetur *in l. Is cui opus, ff. de Novi operis renunciat.* & alijs, & DD. quos latè citat Barbos. *tract. de Action.* 399. *num.* 5. at lineum involucrum hoc onus sibi habebat annexum: ergo factâ ab Athanasio de lineo involucro electione, ad salarium tenetur.

3 Secunda ratio, quia onus alicui rei annexum, vel est reale, vel personale; si est reale trãsit cum ipsa re, & non pertinet ad personam, & si est personale, personam sequitur, & ad illam pertinet, & non ad rem, ut colligitur *ex l. ult. §. Lucius, ff. de Contrah. empt.* & alijs apud *eit.* Barbos. *n.* 6. sed onus solvendi mercedem textrici erat annexum ipsi texturæ telæ, & non testatori; quia ex ipsa tela erant solvendæ tot mensuræ: ergo ab electore telæ solvendum est salarium, & non ex bonis testatoris. Imo addo in casu, quo dictum onus esset personale, & in bonis testatoris non daretur, ex quo textrici solveretur, ipsa textrix esset ipsi Anastasio in salario præferenda, quia in ea tela habet hypothecam, ut colligitur *ex l.* 5. *ff. Qui potiores in pign.* Videatur Lesius *l.* 2. *de Iust. cap.* 15. *dub.* 4. *num.* 26.

QUÆSTIO XLIII.

An à creditore fieri possit compensatio pro debitis certis, & dubijs in pecunia à debitore ante mortem sibi tradita ad alia debita, post mortem solvenda?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Non potest Theodulus se compensare pro damnis litium, contra voluntatem defuncti.*
3 *Rejicitur ratio Fernand. & Theoduli.*
4 *Mandatum exequendum post mortem, morte mandantis non expirat.*

1 ALexander morbo laborans, coram Iuvenale, septem millia ducatorũ, Theodulo ad prosequendas lites tradidit, dicẽs, quòd in casu, quo in illis [ut timebat] non vinceretur, ex illis Theodulus, & Iuvenalis pro damnis, & sumptibus in ijs litibus gestis, usque ad suam mortem judicatis, & post mortem judicandis, satisfactionem sumerent. Tradidit etiam Iuvenali suorum debitorum cathalogum, littera Theoduli exaratum, quo debita, ijsdem septem millibus ducatis solvenda, continebantur, quæ solvenda esse, volebat. Defuncto Alexandro, & nulla datâ jacturâ [ut timebatur] in ijsdem septem millibus ducatis; intendit Theodulus, eam summam pecuniæ, in sua potestate habens, debitorum particularium, quæ sibi ab Alexandro debebantur, compensationem facere; Hac ductus ratione: Quia negligens suorum bonorum esset gestor, si pecuniam debitoris in suis habens manibus, aliorum debitis prius, quàm suis consulat. Bona autem sibi debita, in quodam albo separatim proposito, in triplici erant differentia: Prima eorum, ab eo in litibus Alexandri specialiter factorum; secunda eorum, quæ in cathalogo jam allato continentur; Tertia illorum (ut inquit) ostendet,

& ostendit aliqua sibi ab Alexandro deberi. Circa hæc, tot erunt quæsita in hac quæst. resolvenda. Adverto tamen prius, huic Theoduli intentioni repugnare Iuvenalem, dicentem contra eum, Cathalogo debitorum ab Alexandro dictato, & manu Theoduli scripto, esse standum. Conveniunt verò meæ stare sententiæ, ut ad unguem steterunt.

§. I.

An Theodulus in tradita pecunia pro damnis, & sumptibus ex litibus ante, & post mortem Alexandri gestis, sibi soli possit compensare?

2 Respondeo, non posse: sed consideratis sumptibus, & damnis, servatâ æqualitate simul cum Iuvenale, eorum compensationem facere debet. Ratio est, quia in conscientia ad id tenetur, ex quasi contractu cum Alexandro inito, præsente Iuvenale. Qui contractus dicitur *Mandatum*, *l.* 1. §. *unico*, ibi: *Mandatum nisi gratuitum, nullum est, nam originem trahit ex officio, atque amicitia ff. mandat. vel contra*: at hic contractus ex amicitia, & gratuitò, in præsenti intervenit; Quia Theodulus illos septenos mille ducatos accepit gratuitò expendendos (casu, quo in litibus Alexander non vinceretur) primò pro damnis, & sumptibus ex litibus gestis, non solùm ab ipso Theodulo, sed etiam à Juvenale, ut constat ex dictis num. 1. & cathalogo debitorum ibi: Et cum hic contractus, in utilitatem Alexandri mandantis fuisset, & Theoduli, ac Iuvenalis mandatariorum, ibi existentium, Theodulus tenetur, ut conventum fuit, mandatum adimplere. Sic Molin. *tract.* 2. *de Iust. disp.* 548. *in princip.* & expressius ex ipso jure, pluribus allatis textibus, *disp.* 549. *vers. Quamvis ante acceptationem*: ergo sibi soli non potest, ex illa pecunia, quin etiam interveniat Iuvenalis, compensare.

3 Nec obstat primò ratio, quam Theodulus *num.* 1. adduxit ad sibi compensandum ex pecunia in suis manibus habita, relicto Juvenale, & alijs creditoribus, in cathalogo debitorum comprehensis; quam rationem jam attulit Fernandes *in Exam. Theolog. moral. part.* 4. *cap.* 5. §. 13. *num.* 4. apud Dian. *part.* 3. *tract.* 3. *miscell. resol.* 10. his verbis: *Quia non teneris ita rebus alienis providere, ut tuarum facias jacturam, & manibus sinas labi, quæ præ illis habes; neque est lex, quæ illum ordinem in compensatione præcipiat.* Quæ verba, non ut propria Theoduli, in suam utilitatem adducta, sed ex authoritate hujus authoris illi maximè facere videntur, ut sibi compenset soli, Iuvenale, & alijs relictis. Non, inquam, obstat, ea ratio, nec etiam tanti Doctoris authoritate roborata. Nam de illa inquit Tambur. *tom.* 1. *l.* 8 *decal. cap* 5. §. 7 *num* 5. nihil aliud præter admirationem, habere. Quare ea ratio non admittitur in ijs casibus, in quibus compensatio juxta opinionem aliquorum, locum habere potest. Vide Card. de Lug. *tom.* 1. *de Iust. disp.* 16. *a num.* 126. Tambur. *proximè per totum* §. 7. *citatum*. Dian. *loco allato*, & plures quos hinc inde citant. In præsenti tamen casu, eæ opiniones non habent locum. Ratio est, quia Theodulus ex manibus Alexandri illa septem millia ducatorum accepit, ut in illius vita, & post suam mortem illa eo modo distribueret, quo inter ipsos fuit conventum, & non alio; eam que pecuniam Theodulus, ut procurator Alexandri, suo nomine, retinebat, ad illam distribuendam eo modo, quo sibi ab Alexandro mandatum fuerat: ergo non poterat pro suis tantum debitis, se cõpensare, & deficere illis, ad quæ per contractum, & Fidem datum, tenebatur; nec pro alijs extra cathalogum, debitorum, quæ in mentem, tempore contractus, non venerunt.

4 Nec obstat secundò, quòd mandatum, morte mandantis expirat, *l. Mandatum, C. Mandati*, & alijs: at Alexander post dictum mandatum, jam erat defunctus. Non, inquam, obstat, nam si mandatum sit de re, quam mandatarius post mortem mandantis exequuturus est, morte mandantis non expirat, ut inquit Gloss. *in l. Mandatum cit.* & habetur *l. Si verò* §. *fin. ff. Mandati*, & tradit Molin. *tract.* 2. *disp.* 263. *vers. Dixi mandatum*: at Theodulus ea septem millia ducatorum ab Alexandro accepit ad illa expendenda in ijs, quæ post suam mortem Alexander decernit expendenda: ergo non potest illos expendere in compensationem suorum debitorum, quin ad eam compensationem Iuvenalem admittat, in ijs tantum sumptibus, quæ ex sũptibus litium resultarunt.

§. II.

An Theodulus facere compensationem possit in dictis septem millibus ducatis, omissis debitis, quæ sunt in cathalogo debitorum, ab Alexandro dictato, & à Theodulo scripto?

SUMMARIUM.

5 *Non potest. Nec in ea summa, quæ ex dictis in cathalogo Iuvenali erat tradenda.*

6 *Non solum, quia illi erat debita, sed in casu, quo illi fuisset donata, & à Iuvenale accepta.*

7 *Compensatio non datur, quando ex illa sequitur scandalum.*

8 *Nec in alijs debitis cathologi, quorum creditores ex alio illa non poterant recuperare.*

5 Respondeo, non posse. Vt tamen clarius procedamus; In eo cathalogo debitorum, duo erant debita, in quibus Theodulus intentabat suorum debitorum facere compensationem. Primum erat debitum quadringentorum, supra quadraginta, & septem millia regalia Lusitana, quæ ex dictis septem millibus ducatis Iuve-

Iuvenali tradenda erant. Secundũ erat debitorum, quæ creditoribus, nullum habentibus chyrographum eorum debitorum, ſolvenda erant.

Quod attinet ad primum, cenſeo non poſſe Theodulum, in eo debito, quod Iuvenali ſolvẽdum eſt, pro ſuis debitis ſibi compenſare. Ratio eſt, quia debitorum compenſatio locum non habet in pecunia alterius, ut aſſerunt Molin. *tom.* 3. *diſp.* 691. *verſ. Quinta*, Cardin. de Lug *tom.* 1. *de Iuſt. diſp.* 16 *n.* 90. & communiter ab omnibus defenditur: ſed illa quadringenta, & quadraginta ſuper ſeptem millia regalia erant Iuvenalis, quæ Alexander illi deſignavit, in cathalogo debitorum, manu Theoduli ſcripto, & coram illo, ipſi Iuvenali tradito, & acceptato: ergo ſuper illa compoſitio fieri non poteſt.

6 Hæc reſolutio eſt adeo certa, ut exiſtimem, non ſolùm non poſſe Theodulum, in ea pecunia facere compenſationem ſuorum debitorum, caſu, quo dicta pecunia erat debita; ſed etiam in caſu, quo fuiſſet donata ipſi Iuvenali, & ab illo acceptata; ut fatentur Vaſq. *in Opuſc. de reſtit. cap.* 5 §. 1. *dub.* 8. *num.* 46, Card. de Lug. *cit. num.* 110. Tambur. *l.* 8. *Decal. tract.* 2. *cap.* 5. §. 4. *num.* 1.

7 Ex hac ratione alia ſequitur, ſcilicet: non habere locum compenſationem, quando ex illa ſequitur ſcandalum, aut alterius detrimentum, ut inquit Molin. *dict. diſp.* 691. *verſ. Tertia*: at ſi Theodulus, ſe compenſet in illis quadringentis ſupra quadraginta, & ſeptem millia regalia, ſequitur ſcandalum, & Iuvenalis detrimentum. Nam coram ipſo Theodulo, mandavit Alexander, quòd ipſi Iuvenali ea troderetur ſumma, & quòd ab ipſo Theodulo in Cathalogo debitorum ſcriberetur. Et ita diſponitur *in l.* 1. *C. Mandan. cit.* ibi. *Item ſivè rogo, ſive volo, ſive mando, ſive quocumque alio verbo ſcripſerit, mandati actio eſt.*

8 Quod attinet ad ſecundum, etiam aſſero, non poſſe Theodulum ſe componere in reliquis debitis cathalogi, etiam ſi à creditoribus noluiſſent acceptata; ſed in conſcientia ipſis creditoribus reſtitutionem facere teneri. Probatur, quia ex contractu, inter ipſum Theodulum, & Alexandrum, inito; juxta *l. proximè citatam* in quo contractu promiſit Theodulus Alexandro omnia debita in eo cathalogo cõprehenſa, ſolvere: ergo inijs debitis compenſare ſe, non poteſt. Sic docent Molin. *tom.* 2. *diſp.* 560. *verſ. verum autem* Caſtr. Palaus *tom.* 7. *de juſt. commut. diſp.* 1. *punct.* 16. §. 2. *num.* 13. Card. de Lug. *tom.* 1. *de juſt. diſp.* 16. *num.* 111. & expreſſius Vaſq. *in Opuſc. de reſtitut. cap.* 5. *dub.* 8. *numer.* 47. *in fine*, ibi: *Secus eſſet ſi Petrus miſiſſet debitum Ioanni: tunc enim Ioannes pateretur manifeſtam injuſtitiam, ſi ei debitum illud clam auferretur, niſi aliunde ipſe ita commodè poſſet ſuum debitum recuperare, quia ſcilicet ipſe chyrographum habet, & alia requiſita.* At cum creditores Cathologi aliunde non habeant, ex quo ſua debita recuperare poſſint, ſi Theodulus ea debita ex eo reſiduo illius ſummæ pecuniæ non ſolvat, non poteſt, in illo ſuorum debitorum compenſationem facere, quin prius creditoribus ſolvatur.

§. III.

An ſolutis ſupra dictis debitis, poſſit Theodulus in reſiduo ſeptem millium ducatorum, pro ſuis debitis particularibus, ſibi compenſare?

SUMMARIUM.

9 *Poteſt pro debitis liquidis, & certis.*
10 *Etiam in caſu, quo dentur alij creditores magis privilegiati, & anteriores.*
11 *Non poteſt, quando debita non ſunt liquida, & certa, & talia non ſunt, quæ habentur in albo Theoduli, num.* 6. 8. 9. & 10.
12 *Non eſt liquidum, quod habetur num.* 6.
13 *Nec quod habetur num.* 8. *de mutatione loci, & ſalario ſui laboris.*
14 *Compenſatio non habet locum pro damnis, ex caſibus furtuitis.*
15 *Si jactura ſuperventa, ob executionem mandati, erant neceſſariæ, & rationales, de illis poteſt dari compenſatio.*
16 *Nec liquidum eſt, quod habetur num.* 9.
17 *Nec debita, quo habentur num.* 10.

9 Reſpondeo, poſſe debita ſua Theodulum compenſare in eo reſiduo ſummæ pecuniæ, ſi ea debita ſint liquida, & certa. Hæc reſolutio eſt communis. Illam amplectuntur Molin. *tom.* 3. *de Iuſt. diſp.* 691. *num.* 1. Vaſq. *in Opuſc. de Reſtit. cap.* 6. §. 3. *dub.* 5. *num.* 3. Sanch. *l.* 6. *Decal cap.* 3. *num.* 7. & Clar. *l.* 4. *conſil. cap.* 1. *dub.* 14 *numer.* 12 Soar. *de leg. l* 5. *cap.* 18. *num.* 20. Villal. *tom.* 1. *ſumm. tract.* 1. *diſp.* 17. *num.* 7. *& alijs citat.* Card. de Lug. *tom.* 1. *diſp.* 16. *num.* 94. Tambur. *tom.* 1. *l.* 8. *decal. tract.* 7. *cap.* 5. §. 1. *num.* 2. & alij.

10 Hæc doctrina eſt vera in præſenti caſu, in quo Alexander eſt defunctus, licet alios habeat creditores anteriores, & magis privilegiatos, & ad illorum ſatisfactionem aliam non habeat pecuniam, niſi hanc præſentem, quæ eſt in manu Theoduli, ad ſupra debita; quæ manent ſatisfacta, & adhuc ſupereſt reſiduum. In hoc enim poteſt Theodulus ſua debita liquida, & certa ſibi compenſare. Card. de Lug. *cit. num.* 126 Tambur. *proximè* §. 7. *num.* 2. Vide etiam Molin. *tract.* 2. *diſp.* 536. *num.* 46. Dian. *part.* 3. *tract.* 5. *reſolut.* 10. *& part.* 5. *tract.* 13 *reſolut.* 79.

11 Secus dicendum, quando debita non ſunt certa, nec liquida, Sic Tambur. *cit.* §. 3. *num.* 1. & alij citati. Non enim licèt pro debito non liquido ſolutionem capere certam. Et talia videntur, quæ in tertia differentia

suorum debitorum à Theodulo in quodam albo, numeris distincto, designantur *num.* 6. 8 9. & 10.

12 Non enim videntur liquida in num. 6. dicti albi contenta. Quia Alexander jam defunctus, de illis vivus in cathalogo debitorum á Theodulo scripto, mentionem non fecit; nec præsumitur, talia debita contraxisse: si enim illa contraxisset, in d. Cathalogo ea designaret, ut alia designavit. Et si illi è memoria excidissent, Theodulus, qui Cathalogum debitorum scribebat, illa ut propria, memoriâ retinebat, & Alexandrum commonere poterat, & ad mentem illa adducere. Ut autem aliquis se compensare possit, necesse est, quòd debitum ita sit moraliter certum, ut debitor in conscientia teneatur ad illud explendum, ut invenitur apud Dian *part.* 2. *tract.* 16. *resolut.* 46. Hanc autem in conscientia obligationem Alexander, & Theodulus non cognoverunt.

13 Nec debitum num. 8. allatum habet locum in compensatione. Quia in præsenti casu intervenit, mandati contractus [ut dictum est] quin Alexander Theodulo promisisset salarium, aut aliam mercedem pro loci mutatione, pro negotijs gerendis, nec pro alijs incommoditatibus; quæ rebus Theoduli interim obvenerunt. Nec Theodulus ex ijs erat hominibus, qui salarium voluisset, aut satisfactionem speraset, nec timore eorum damnorum, & incommoditatum supervenientium Alexandri negotia reliquisset. Et in his circunstantijs communiter docent DD. in conscientia nihil deberi; ut doctè; & latè ostendit Molin. *tract.* 2. *de Just. disp.* 548. *vers. juxta hæc, & vers. seqq.*

14 Additur, nec etiam compensationem ob casus fortuitos deberi, nec magnæ jacturæ in ludis, & bonis, quæ ob negotia Alexandri Theodulo obvenerunt. Hæc enim mandanti non imputantur, quamvis occasione mandati evenissent: illis enim, quæ casu fortuito contingunt, dum mandatum exequebatur, non competit actio mandati, ad id repetendum à mandante, ut constat ex *l. Inter causas*, 26 §. *Non omnia*, ibi: *Nam hæc magis casibus, quam mandato imputari oportet*, *ff. Mandati.*

15 Cæterum, si per occasionem mandati Alexandri bonis Theoduli aliqua supervenisset jactura, quæ non subvenisset, si negotijs Alexandri non esset addictus, & eæ jacturæ ad executionem mandati erant necessariæ, & rationabiles, bene potest Theodulus super ipsis bonis se compensare. Sic cum Barthol. & alijs Sylvestr. *verb. Mandatum*, *Molina dict. disp.* 548 *vers. Dubium verò est.* In consideratione tamen, jacturæ ludorum, mutatio habitationis in civitatem, venire non debent; licèt si ad civitatem non veniret, & in illa non habitaret, eas jacturas non pateretur; nam hæ ex actione mandati, non subvenerunt, sed ex superfluis occasionibus.

16 Nec etiam debitum *num.* 9. *adductum* potest dare jus ad compensationem in dicta summa, seu residuo pecuniæ; quia non est liquidum. Nam Alexander dum vitam agebat, ex ijs, quæ recepit, & debebantur patri Theoduli, ipsi Theodulo tertiam partem tribuit, ut debebat, & constat: non constat tamen, quòd aliquod recepisset debitum, ex quo non contribuisset; & cùm hæredes non habuisset; & creditores simul cum judice in sequestrationem suorum bonorum ingressi essent; ab illis paginas accepti potest recuperare, in ea parte, quæ ad illum attinet. Ex quo patet, debitum non esse liquidum, nec pro illo se compensare posse.

17 Nec debita num. 10. comprehensa; cum etiam non sint liquida, de illis fieri non potest compensatio, juxta *supra dicta num.* 11. Ex his tamen inter dictos Theodulum, & Juvenalem resultavit amicabilis compositio.

QUÆSTIO XLIV.

An quis, pro pignoribus debitis, se compensare possit cũ debito pecuniario, quod debet?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Pro foro externo justitia illi assistit.*
3 *Pro foro conscientiæ etiam potest.*
4 *Forum internum ab externo non differt, si hoc falsa non nitatur præsumptione.*
5 *In occulto compensatio fieri potest in diversa specie.*
6 *Compensatio habet locum, quando alia via res debita recuperari nequit; ita ordinarie, non tamen in aliquo particulari casu.*
7 *Damnis, quæ ex compensatione sequi possunt potest occurri.*

1 GRregorius duos filios, & maioratum habens. à Domitilla certa jocalia commodata exegit; & postea de ejus licentia, ad impensa matrimonij filij natu maioris, ea oppigneravit; & in suo testamento filio natu maiori, in maioratu successuro, mãdavit, quod dicta jocalia repigneraset, & Domitillæ restituisset. Defuncto parente, hæc filius non implevit: imo in actis protestatus fuit, in bonis liberis parentis, se nolle, esse hæredem, nisi inventarij beneficio. Et quamvis bona parentis libera, ad omnia debita non sufficiant, ad repignerationem in bona parte, sunt sufficientia. Filius natu minor, postea Domitillam ducens, maioris fratris, in debito jocalibus inferiori, est debitor; quod debitum frater maior ignorat. Quærit, an in foro conscientiæ in hoc debito se compensare possit, pro debito jocalium, quod illius frater non restituit, nec restituet?

2 Hoc quærit pro foro conscientiæ, nam pro externo stare justitiam, certò existi-

mare

mare potest. Primó, quia redditus maioratus, & bonorum coronæ per biennium, sunt ad repignerationem abunde sufficientes; & ex illis satisfacere tenetur ex ipso jure, quia debitum jocalium ob impensas, in matrimonio fratris maioris factas, contractum fuit. Sic disponente *Ordin. Reg. l. 4. tit. 101. in princip.* & assentientibus DD. Molin. *tract. 2. disp. 641. numer.* 8. Phæb. 1. *part. decis. 84. in fine*, citant Valasc. *consult. 116.* at ibi nihil ad hoc punctum. Expresse tamen id tradunt Rebell. *de Obligat. just. part. 2. l. 7. q. 9. numer. 16.* Fagund. *in 4. decal. præcipt. l. 4. cap. 2. numer. 4.* & alij, apud Emman. Barbos. *in Remiss. ad cit. Ordin.* Secundò, quia frater natu maior in sua potestate habet omnia bona libera à suo parente relicta, quin ea ad partionem redducere velit, quibus magna ex parte, repignerationi satisfacere poterat. Vide infra *quæstion. 49. §. 2. per totum.*

RESOLUTIO, QUO AD conscientiæ forum.

3 Respondeo, posse in foro conscientiæ sibi illum debitum compensare pro debito jocalium à fratre natu maiori debito. Ratio est, quia licitum esse, constat; unum debitum cum altero compensare, seu extinguisse, ut habetur *Ordin. Regia l. 4. tit. 78 in principio*, ibi: *Nam æquus est, aliquem non solvere, quod debet, si altero tantundem debet, quam illud solvere, & postea repetere, ut rem non debitam*; & *ex l. Etiam si, Cod. de Compens.* & *ex l. si ambo, l. Cum alter*, & *l. Idem juris, ff. de Compens.* ibi: *Compensatio nihilominus locum habet ejus, quod invicem debetur*: ergo, si alia non obstent, licita est compensatio.

4 Non tamen obstant primò leges adductæ, quæ procedunt in foro externo, & nos loquimur de foro interno. Non, inquam, obstant; nam idem, quod leges decernunt, observandum in foro externo, observandum est in foro interno; si ipsæ leges falsâ non nitantur præsumptione; ut aliquibus relatis DD. sustinent Sanch. *l. 1. de Matr. disp. 5. numer. 20. post medium*, & *disp. 21. numer. 2.* Sot. *de Just. l. 4. q. 5. art. 3. vers. arguitur*, Covarruv. *in cap. Cum esses numer. 7. de Testament.* Escob. *in Theol. moral. tom. 3. l. 24. sect. 2. dub. 15. num. 102.* Marc. Paul. Leon. *de Dispensat. pro foro consc. fol. 60. vers. Neque audiendum*: at dictæ leges falsâ non nituntur præsumptione.

5 Nec obstat secundò, quia juxta illas leges, ad legitimam compensationem videtur requiri, quòd compensatio fiat de re ejusdem speciei cum illa, quæ debetur, aut saltem in rebus consumptibilibus, ut innuit *Ordin. cit.* ibi: *de quantitate ad quantitatem*; unde de quantitate ad speciem, vel è contra; non est licita compensatio, ut cum Menoch. Surd. Rivio, Ioseph. Ludovic. Persian. tradit Emman. Barbos. *in Remission. ad cit. Ordin. numer.* 3. & Sylvius apud Dian. *part. 2. tract. 3. miscell. resol. 46* aut ut saltem fiat de rebus consumptibilibus, Medin. *Cod de Restit. q 11.* at in præsenti casu compensatio non fit de specie ad speciem, si fiat de debito cum jocalibus, quæ debentur. Non, inquam, obstat, quia respondetur, illas leges loqui de compensationibus, quæ fiunt publicè, nec negant, etiam fieri posse de specie ad speciem; quæ tamen ut rectè fiant, conventionem partium exigunt, aut sententiam juditij; ut videre est *Ordin. cit. §. 7. & 8.* & non loquuntur de compensatione occulta, ut nos in præsenti. Et in hac potest fieri compensatio de una, ad alteram speciem; ut cum Valer. Petr. Navarra, & Rebello sentit Dian. *proximè cit.* Nec dissentiunt Molin. & Vasq. apud Cardin. de Lug *tom. 1. de just. disp. 16. sect. 5. numer. 92.* asserentes compensationem fieri debere, cum minori debitoris dispendio, quo possit, nobis non adversantur; ut constat ex modo, quo facienda est dicta compensatio.

6 Nec obstat tertió: quia ad justam, & licitam compensationem requiritur, quòd debitum alia via recuperari nequeat, ut communiter dicunt DD. apud Card. de Lug. *cit. numer. 91.* at frater natu minor potest sua jocalia recuperare, illa á fratre natu maiori petendo, vel potestatem judicis implorando, ut juxta patris testamentum, & Ordin. Regiam, pro foro externo citatam, sua jocalia restituat. Non, inquam, obstat, quia respondetur, jam semel, atque iterum fratrem natu minorem sua jocalia inutiliter petijsse. Non tamen authoritatem judicis audet implorare, ne amititia fraterna litibus, & scandalis frigescat. Et in his terminis, posse dictum fratrem compensatione occulta uti, tenet cum Valer. Malder, & Villal. Dian. *cit.* & Tambur *l. 8. Decal. tract 2. cap. 5. §. 1. numer. 3* Nec Card. de Lug. cit cum Vasq. quem citat, nobis contrariatur, quia illius limitatio, in nostro casu non concurrit.

7 Nec obstat, quòd etiam ad justam compensationem requirant DD. quòd ex illa, alij tertio damnum grave non sequatur; sequetur tamen ipsi fratri natu maiori, quia bona libera à patre relicta, ad omnes creditores non sufficiunt, & primo illis obligabitur solvere, quàm sit solvendo. Secundò ad solvenda iterum jocalia, quæ jam per compensationem occultam, jam sunt soluta. Non, inquam, obstat, quia respondetur cum distinctione: vel enim ipsi creditores parentis sunt privilegiati juxta *Ordin. cit. titul. 101. in principio*, quia debita à parente fuerunt contracta ob obsequia Regno, aut Regi impensa, aut ob sustentationem, & liberorum educationem, vel ob solutionem stipendiorum servitio famulorum debitam, vel propter sumptus in

aliquo matrimonio factos; & sic *ex num.* 2. constat, redditus biennes maioratus esse sufficientes ad omnia ea debita solvenda, & alia non dabitur jactura fratri; hæc enim viâ omnis alia cessat; si tamen creditores eo Ordin. privilegio caveant; & bona libera non sufficiant, omnes simul cum fratre minore concurrent, quia compensatio in jocalibus facta, ignoratur; & sic non tenebitur frater maior illis aliud solvere, nisi bona libera, quoad suam summam, in quo dictus frater aliud non patitur damnum. Nec etiam solvitur secundum, si jocalia restituantur; nam tunc poterit debitum, quo jocalia compensavit, restituere; aut mandare suis heredibus, quod illud restituant, casu, quo jocalia restituantur. Si placet videatur Card. de Lug. *cit. num.* 87. *in fine*, & Tambur. *num.* 4 Hæc in alio sensu discutientes. Vide *cit. locum quæst.* 49.

QUÆSTIO XLV.

An factâ nominatione cujusdam officij apparitoris, sub conditione solvendi certam pensionem uni tertio, & solutâ per aliquod tempus, denique judicis authoritate non solutâ, adhuc à nominata in foro conscientiæ debeatur; & non debita, teneatur nominans illi tertio facere compensationem?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Non tenetur Marcellinus in foro conscientiæ pensionem solvere.*
3 *Non tenetur ex promissione facta, nec ex receptatione officij, sub ea conditione.*
4 *Norbertus non poterat gravare Marcellinum eâ pensione.*
5 *Conditiones, ut locum habeant in contractibus, debent esse juxta jus commune.*
6 *Nominans ad emphyteusim ecclesiasticam de pacto, & providentia gravare non potest nominatum.*
7 *Consentiens conditioni appositæ, ad illam tenetur, quando non inducitur prohibitio, sub aliqua pœna.*
8 *Norbertus famulum compensare tenetur.*

1 NOrbertus cujusdam arcis præfectus maximus, *vulgo Alcaide mor* ad officium apparitoris, *vulgo Alcaide pequeno*, Marcellinum nominavit sub conditione, solvendi singulis annis cuidam famulo suo in servitiorum remunerationem, viginti millia regalia Lusitana; & eam non solventem famulus ad ipsum officium nominatus maneret. Per aliquod tempus eam solvit Marcellinus pensionem; deficit tamen, eam solvere nollens. Et cùm esset postulatus, sententiam in sui favorem obtinuit, in qua dicebatur, nominationem fuisse legitimam, & ad pensionem non teneri. Quæritur 1. An in foro conscientiæ eam pensionem teneatur Marcellinus solvere ex præmissione, & conditione emissa. 2. An dato, quòd non teneatur, arcis præfectus in eodem foro teneatur, vel eam solvere pensionem famulo, vel ei tradere dictum officium, siquidem jam ad illud nominavit?

RESOLUTIO.

2 Ad primum respondeo, non teneri Marcellinum in foro conscientiæ eam pensionem solvere, nec ex facta promissione, nec ab acceptatione officij, facta sub ea conditione. Ostenditur ex sequentibus rationibus. Prima: quia ea, quæ disponuntur, & observantur in foro externo, censentur disposita, & observanda in foro interno, quando illud forum falsâ non nititur præsumptione, ut cum Covarr. Sanch. Soto, Escobar. & Marc. Paulo Leone diximus *supra q.* 4. *num.* 4. sed ex sententia pro foro externo lata, quæ falsâ non nititur præsumptione, Marcellinus eam non tenetur solvere pensionem: ergo nec eam tenetur in foro conscientiæ solvere. Et cuilibet sententiæ standum, dum non constat ad ejus falsitate.

3 Secunda ratio; quia ideo Marcellinus teneretur ad eam pensionem solvendam, quia eam promisit, & sub ea conditione illud officium recepit: sed ex his non tenetur. Probatur, quia præfectus maximus arcis tenebatur illud officium alicui absolutè conferre, juxta formam *Ordin. Reg. jam citandæ*, absque aliqua conditione, alicui pensionem tradendi, ut bene infertur ex forma præsentandi hos apparitores apud *Ord. l.* 1. *tit.* 75. *in principio*; & quòd non vendantur, habetur *in dict. l.* 1. *tit.* 93. *in principio*; & expressius *l.* 2. *tit.* 46. *in principio*, ibi: *Nulla persona cujuscunque sit status, præeminentiæ, sortis, & conditionis, quæ potestatem habeat ad donandum, aut quocumque modo sit, providere qualiacumque officia, quæ ad nostrum fiscum, aut justitiam pertineant, non vendat, nec vendere jubeat ullum ex dictis officijs, nec pecuniam aliquam, pro illorum donatione*, &c. Quæ lex cùm loquatur indistinctè de omnibus cujuscunque status, conditionis, ac præeminentiæ; & non solùm cujuscunque officij prohibeat venditionem, sed etiam pecuniam pro nominatione conferre; dictus Præfectus arcis Maximus, & terrarum dominus, in eo officio pensionem designare, non poterat, nec apparitor alicui illam promittere, aut conferre.

4 Tertia ratio: quia Norbertus illius oppidi dominus, eâ pensione; nominatum Marcellinum gravare non poterat *ex l. Seius, & Anœrius 27. ff. ad falcidiam*, in qua dicitur, sub conditione fieri, non posse, quæ purè fieri jubentur: *at in cit. Ordin. dict. tit.* 46. statuitur, quòd sine aliquo onere pecuniarum eligatur, seu nominetur apparitor: ergo à Norberto Marcellinus eâ pensione gravari non poterat.

5 Quarta ratio, quia conditiones, quæ in con-

contractibus apponuntur, ut locum habeant, debent esse, juxta jus commune, ut decernitur *Ordin. Reg. l. 4. tit. 4. in principio*, ibi: *dummodo sit honesta, & secundum jus*; & assentit Fagund. *l. 5. de just. cap. 8. numer. 3.* at conditio in nominatione dicitur officij designata, erat contra jus ipsum commune Lusitanum.

6 Quinta ratio, quia ideo nominans ad emphyteusim ecclesiasticam de pacto, & providentia, nominatum gravare non potest, quia nominat ex legis dispositione, seu ex domini directi mandato, vt cum pluribus diximus *supra q. 11. num. 2.* sed Norbertus ad dictum officium Marcellinum nominans, illum ex dispositione legis, & facultate à Rege concessâ, nominavit: ergo illâ pensione illum gravare non poterat.

7 Nec obstat, quòd Marcellinus ipsi pensioni, & conditioni apoositæ consensit: volenti autem, & consentienti nulla fit injuria *l. Cum donatio, C. de Transact.* & consentiens, sua jura perdit, & suo commodo censetur renuntiare, *l. Cum quidam, ff. de administr. tutor.* & multa prohibita, de consensu partium tolerantur, *l. Pactum, ff. de Pact.* Non inquam obstat, quia respondetur, eas leges eos consensus non admittere, imo illos respuere; nam illorum prohibitio sub pœna indicitur, quando *in dict. Ordin. Reg.* tam danti, quàm accipienti pecuniam; pœnæ indicuntur, vt ibi videre est. Et sic quamvis partium interveniat consensus, id à l. non toleratur; aliàs illarum crimina non punirentur; Nec etiam censetur Marcellinus suum commodùm renuntiare, nempe officium apparitoris. Vide Castr. Palaum *tom. 7. de Just. commut. disp. 5 punct. 18 num. 13. & 14.* & Fragos. *mox citandum.*

8 Ad secundum quæsitum; respondeo teneri Norbertum, absoluto triennio à Marcellino incepto, eum famulum ad illud officium nominare, aut alio modo servitia debita compensare. Ratio est quia hic famulus jam fuit nominatus ad idem officium, & absque illius culpâ non provisus, & pro meritis servitiorum poterat, ex consuetudine immemoriali; & tacitâ Principis licentia ei conferre. Fragos. *tom. 1. Regim. Reip. Christ. l. 1. disp. 2. §. 2. num. 135.* Si tamen hic famulus juxta formam requisitam ad electionem hujus officij apparitoris in *Ordin. l. 1. tit. 35. in princip.* idoneor non fuerit inventus; aliâ viâ illi satisfaciendum erit; nam per pensionem Noberto impositam, satisfactionem non recepit; maximè si eam; quam per aliquod tempus recepit, primo loco restituere teneatur. Videatur Fragos. *ut num. 125. post medium.*

[::]

QUÆSTIO XLVI.

An decimæ non solutæ, tempore à jure præscripto, quia non fuerunt collectores, si occurrente necessitate, ab agricolis expendantur, solvendæ sint pecuniâ, aut fructibus ejusdem speciei, sequentis messis?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*

2 *Non potest beneficiarius eas decimas recipere maiori pretio, quo illo anno valuerunt.*

3 *Non potest eas decimas pecuniâ recipere, sed in specie fructuum, easdem mensuras debitas; possunt, & jã pecuniâ recipi, de partiũ consensu.*

1 VAcante beneficio tempore, messibus proximo, & deficientibus beneficiario, & conductoribus, qui decimas colligerent tempore consueto, juxta *text. in cap. Cum homines, 7. de decim.* & Constit. hujus Archiepiscop. *l. 2. tit. 4. decret. 3.* quin voluntas; agricolarum, ad eas solvendas, deficeret; eas cum suis fructibus, in suis domibus receperunt. Provisio beneficio, beneficiarius suas decimas recipere voluit; & omnes non potuit; quia ab aliquibus ex necessitate concurrente, erant consumptæ. In reditu tamen sequentis anni jam appropinquantis, suas decimas recuperare intendit, eo maiori pretio, quo anno elapso valuerunt Quæritur: An id possit tutâ conscientiâ? 2. Si ita non potest, quo pretio, aut quâ specie, & mensuris, illas tute recipere possit?

RESOLUTIO.

2 Ad primum, ex duobus quæsitis, respondeo, non posse beneficiarium eas decimas anno præterito non solutas recipere eo maiori pretio, quo eo anno steterunt. Ratio est clara, quia si cum agricolis contractum inijsset de solvendis, singulis mensuris frumenti, vini, & olei maiori pretio, quo illo anno valerent, ille contractus esset vsurarius, quia re verâ non esset venditio, sed mutuum cum usura, ut communiter docent DD. D. Thom. 2 2. *q. 78. art. 2. ad 7.* ibi: *Expectatio pretij solvendi habet rationem mutui, & quidquid pro hac expectatione accipitur, vel exigitur, est vsura.* Molin. *tract. 2. de just. disp. 355. vers. Conveniunt, & vers. Quamvis*, Leisius *l. 2. de Just. cap. 21. dub. 6. num. 51.* Rebell. *de Obligat. just. part. 2. l. 9 q. 11. num. 1.* Tolet. *l. 5. Summ. cap. 28 num. 1.* Sot. *de Just. l. 6. q. 1.* quos affert, & sequitur Fagund. *ibidem l. 5. cap. 31. num. 7* Cardin. de Lug *tom. 2. de Just. disp. 26. num. 105.* & omnes: ergo si ex contractu id non est licitum, nec etiam præciso contractu, licitum erit. Vide *infra quæst. 49. in § 3.*

3 Ad secundum quæsitum respondeo, non posse dictum beneficiarium pretium earum decimarum recipere, sed tantùm ipsas mensuras debitas. Ratio est, quia agricolæ, nulla factà conventione, eas decimas cum suis fructibus ad suos domos collegerunt, ut illis præcipitur *in Constitut. loco citato*, quando non datur, qui illa colligat, venditio autem, aut emptio non datur, quando conventio, seu consensus utriusque contrahentis non datur, ut constat *ex l. In venditionibus*, 9. ibi: *In venditionibus, & emptionibus consensum intercedere, palam est, ff. de Contrahend. empt.* at cõsensus nec beneficiarij, nec agricolarum hic intercedit: ergo frumentum, vinum, & oleum, ad decimas pertinentia, agricolæ, & non pretium restituere tenentur. Si tamen agricolæ pretium earum decimarum velint restituere, pro valore, quem habebant, quando eas collegerunt, & beneficiarius consentiat. Vt fiat; nullum datur inconveniens.

QUÆSTIO XLVII.

Cuinam fur restituere teneatur decimas, quas furatus fuit à conductore illarum, cui post octo annos bona fuerunt confiscata ob hæresim, filium habenti catholicum extra patriam potestatem?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Omnes eæ decimæ fisco restitui debent.*
3 *Filij parentis hæretici condemnati, ab omni successione bonorum excluduntur.*
4 *Leges Manichæos, & aliæ fuerunt ab Ecclesia correctæ.*
5 *Filius extra patriam potestatem, parente vivente, legitimam non habet.*

1 PRimus decimarum quantitatem furatus fuit à Feliciano, illarũ conductore; qui conductor post annos octo à S. Officio captus, & convictus, confiscationem omnium bonorum sustinuit, similiter alij filij, excepto uno tantùm catholico, cujus nunc extant descedentes. Pro parte hæredum Primi, illarum decimarum furatarum debitorum, Quæritur 1. An eas decimas teneantur in totum fisco restituere, aut aliquam illarum partem descendentibus filij catholici? 2. An possint sibi compensare pro tantundem, quod illis à fisco debetur; 3. Quo pretio mensuras decimarum debeant restituere, pretio currenti; aut pretio mensibus Maij, aut Iunij currentis juxta illius oppidi consuetudinem?

[:?:]

§. I.

Cui debeant eæ decimæ restitui fisco in totum, aut in aliquam, filij descendentibus à catholico, partem?

2 Respondeo, omnes eas decimas restituendas esse fisco, & nullam illarum partem descendentibus à filio catholico. Prima pars probatur, quia hæreticis pœna confiscationis omnium suorum bonorum imposita est *in cap. Cum secundum leges, de hæret. in 6.* & tradunt DD. Sanch. *in Summ. l. 2. cap. 14. num. 1. & relatis* Soar. Simanc. Vasq. Bonac. Castr. Palaus *tom. 1. tract. 4. disp. 5. punct. 2. num. 1.* sed dictæ decimæ furatæ, erant Feliciani conductoris illarum, quorum bona fuerunt confiscata, ut bona hæretici convicti, & condemnati: ergo eæ omnes decimæ fisco restitui debent.

3 Secunda pars ostenditur, quia descendentes filij catholici in ijs decimis furi sublatis, solùm poterant succedere patri in ea parte, in qua poterat illarum pater, sed illarum pater, licet catholicus, suo parenti hæretico, convicto, & condemnato succedere non poterat, nam à successione bonorum talium parentum excluduntur filij *ex cap. Cùm secundum leges, cit.* & expresè *ex text. in cap. Filij, cap. Quicunque de hæret. in 6.* & DD Sanch. *cit. l. 2. cap. 29. num. 9.* Girland. Farinac. Decian. Graff. & alij quos refert, & sequitur Castr. Palaus *cit. disp. 7. punct. 2. num. 4.*

4 Nec obstat primò *l. Manichæos*, & *l. Cognovimus C. de hæret.* in quibus filij catholici parentum hæreticorum, legitimà non privantur: at dictus filius erat catholicus, nec fuit condemnatus, & in ijs decimis à suo parente furatis suæ legitimæ partem habebat: ergo: Non, inquam, obstat, quia respondetur, eas leges ab ecclesia fuisse correctas *in cap. Cùm secundum, cit. cap. Filij, cap. Quicunque, de hæret. in 6.* Et ab Imperatoribus *in Authentic. Gazaros. Cod. de Hæretic.*

5 Nec obstat secundò, quod dictus filius antequam illius pater propter hæresim fuisset incarceratus, & condemnatus, & forsan quòd ante hæresin commissam, jam erat extra patriam potestatem: ergo pars in illo furto illi contingens, descendentibus, illo defuncto, potest restitui. Non, inquam, obstat, quia etiam toto antecedente concesso, consequentia non concludit; quia dum pater vivit, quamvis filius sit extra patriam potestatem, legitima illi, nec etiam decimarum furto sublatarum, debetur *l. Suis. ff. de Liber. & posthum.* Castr. Palaus *cit. disp. 5. punct. 10.* & alij, quos jam *supra* pluribus in locis citavi, & citantur *infra q. 51. num. 4.* Si tamen pater ante hæresim commissam huic filio suam legitimam designasset, tali modo, quo etiam pars hujus furti censeretur inclusa? Vide Sanches, & Bonacin. quos refert, & se-

& sequitur Castr. Palaus *proximè*. Cùm tamen hoc à nobis non quæratur, nec *ex num. l.* id constet, sufficit, Authores indicasse.

§. II.

An hæredes Primi, se compensare possint, cum tantundem, quod sibi ipsis à fisco debetur.

SUMMARIUM.

6 *Possunt. Id tritum est in jure.*
7 *Compensatio fisco non opponitur.*
8 *Hæc non excluditur in jure.*
9 *Leges adductæ sunt pro foro externo; in interno aliâ procedit ur viâ.*
10 *Hîc non datur implicãtia in creditore diverso.*

6 Respondeo, posse. Quia in jure tritum est, unum debitum posse alio compensari. Constat ex *Ordin. Reg. l.* 4 *tit.* 78 *in principio, l. Etiam si,* 5. *Cod. de Compensat. l.* 4. §. *Condemnare, ff. de re judic.* ibi: *Solvisse accipere debemus, non tantùm eum, qui solvit, verum omnem omnino, quia eâ obligatione liberatus est, l. Si ambo socij, l. Cùm alter,* & sequente *l. Idem juris est,* ibi: *Idem juris est non solùm in privatis, verum etiam in causa fisci constitutum, ff. de compens.* junctis Gloss. ibidem, & DD. Molin. *de Iust. tract.* 2. *disp* 560. *in principio.* Castr. Palaus *tom.* 7. *de Iust. commut. disp.* 1. *punct.* 16. §. 2. *numer.* 5. Card. de Lug. *ibidem disp.* 16. *sect.* 5. *num.* 115. & alij quos *supra q.* 45. *a num.* 2. citavi: Sed ex facti specie *num.* 1. constat tantumdem a fisco hæredibus Primi deberi, quantum ab ipsis ex decimis furatis debetur fisco: ergo unum debitum cum altero compensari potest.

7 Nec compensatio fisco opponitur, nisi in casibus à jure expressis, ut pluribus citatis tenent Barbos. in Collect. *ad l.* 1. *num.* 1. *Cod. de Compensat.* Molin. *proximè d. disp.* 560. *vers. in sequentibus* ibi: *Quamvis si aliquid debeatur fisco, vel in pœnam, vel quacunque aliâ ratione, vel Principi, aut communitati; locum habet compensatio cum alio debito liquido, quod fiscus, Princeps, aut Respubl. communitasve oppidi eidem debitori vicissim debet, ut habetur l. In ea, juncta l.* 1 *Cod. de Compensat. l. Ideo, ff. eod. tit. & alijs juribus. Quando tamen, &c.* Ex his ergo manifestè sequitur, posse hæredes Primi compẽsare suum debitum, pro debito fisci.

8 Dixi, *nisi in casibus à jure expressis*; nam in his habere non potest locum compensatio. Hos referunt *citata Ordin. Reg. dict. tit.* 79. ipsum jus Civile, & DD. Molin. *cit. dict. disp.* 60. *prope finem,* Castr. Palaus *etiam cit. dicta disp.* 1. *punct.* 16 §. 2. *a num.* 12. Et quamvis hæc sint statuta pro foro externo, à fortiori pro foro conscientiæ admittenda sunt; & maximè in nostro casu, qui non est ex exceptis.

9 Imo addo, plures DD. asserere, eas leges habere locum pro foro externo tantùm; nam in foro conscientiæ, quando cessat scandalum, & alia non apparet via recuperandi debitum, & hoc est liquidum, licita est compensatio. Sic Taner. Less. Petr. Navarra Filliuc. Laym. Naldus, Villal. & alij, quos affert, & sequitur Dian. *part.* 3 *tract.* 5. *res* 10. & 8. *in addit. & part.* 5 *tract.* 13. *resol.* 79. *& part.* 7. *tract.* 10. *resol.* 18 *& part.* 10. *tract* 16. *resol.* 60. sed hæredes Primi absque ullo scandalo suum debitum possunt compensare cũ debito, quod à fisco sibi ipsis debetur, quod alia via recuperare nequeunt: ergo.

10 Neque obstat, quòd Primus fuit, qui debitum contraxit, decimas furando à conductore Feliciano, cui successit fiscus; & hæredes sint illi, quibus fiscus tantũdem debet. Non, inquam, obstat, quia ea restituendi obligatio ad hæredes Primi transivit; & sic id debitum compensare possunt, cum debito, quod fiscus sibi ipsis debet. Vide *dicta cit. quæst.* 45.

§. III.

Quo pretio mensuras decimarum debeant restituere hæredes Primi, pretio currenti, aut pretio mensibus Maij, aut Junij currenti, juxta illius oppidi consuetudinem?

SUMMARIUM.

11 *Decimæ sunt solvenda, pretio currenti tempore, quo furatæ fuerunt cum lucro cessante, & damno emergente, si forte conductor illa passus fuit.*
12 *In rescisione venditionis vsurariæ, circa fructus, hi per æstimationem, quam habebant tempore collectionis tradendi sunt juxta Ord. Reg.*
13 *Consuetudo contra jus commune, prævalere potest.*
14 *Lucrum cessans, & damnum emergens restituenda sũt, si ex non restitutione aliquod lucrum, & damnum evenit.*

11 Respondeo, eas decimas à Primo furto ablatas à suis hæredibus solvendas esse, eo pretio, quo valebant, tempore, quo furto ablatæ fuerunt, scilicet tempore collectionis fructuũ; cum hoc tamen addito; quòd etiam solvendum est lucrum cessans, & damnum emergens, si cõductor ex eo furto illa passus fuit. Ratio est, quia eæ decimæ solvendæ, sunt statim, ac collecti sunt fructus, ut deciditur *in cap. Cum homines,* ibi: *Mandamus, quatenus eos cogatis, ut decimam, statim fructibus collectis, persolvant; atque de subtractis, & retentis dignam satisfactionem exhibere procurent. de decim.* Habetur etiam in Const. Synodal hujus Archiepisc. Ulyssiponensis *l.* 2. *c.* 4 *decret.* 3. & testantur DD. Soar. *tom* 1 *de Relig. l.* 1. *cap.* 37. *n.* 5. Fagund. *in* 5 *Eccles. præcept l.* 1. *c.* 4. *n.* 11. & pluribus relatis Barb. *de Iur. Eccles. cap.* 26 §. 2 *num.* 21 & *in Collect. ad cap. Cùm homines cit. n.* 23. Laym. *in Summ l.* 4. *tract.* 6. *cap.* 5. *num.* 4 Castr. Pal. *tom* 2. *tract.* 10. *disp. unic. punct.* 8. *num.* 4.

num. 4. Trullench. *in Decal. l.* 3. *cap.* 3 *dub.* 8. *n.* 1. Azor *instit. moral. part.* 1. *l.* 3 *cap.* 35. *q.* 16. & alij, quos affert, & sequitur Leand. *tom.* 3. *tract.* 6. *disp.* 4. *q.* 33.

12 Confirmatur *ex Ord. Reg. l.* 4. *tit.* 4. §. 2. *in fin.* ubi statuitur, in rescisione venditionis usurariæ, circa fructus; quòd hi tradantur ab emptore venditori, vel per æstimationem, quàm habebant, quando fuerunt collecti Et cum pluribus subscribit DD. Emman. Barb. *in Remiss. ad cit. Ordin. num.* 3.

13 Si tamen in oppido Primi prævaluit cõsuetudo, quod decimæ non solutæ, tẽpore collectionis, solvantur per æstimationem, quam habuerint anno sequenti, mense Maij, aut Iunij, aut alio determinato mense? Respõdeo eam cõsuetudinem esse obsevandam. Nam consuetudo contra ius cõmune prævalere potest, ut decimæ non solvantur statim, sed sub ea conditione, *ex cap. ult. de Consuet. & l. De quibus, & l. Sed ea, ff. de Legib.* Et circa decimas id notavit Monet. *de decim. cap.* 6. *q.* 2. *n.* 3 cui assentiunt Barb. & Leand. *locis cit.* Et hâc datâ oppidi consuetudine, tenentur hæredes Primi ad restitutionẽ pretij, eo mense designato, concurrentis.

14 Addebam *n.* 12. quòd etiam dicti hæredes tenebantur ad restitutionem lucri cessantis, & damni emergentis; si forte aliquod cessavit lucrum, deficiente pretio earum decimarũ furatarum ipsi conductori, aut ea de causa illi aliquod emergit damnum, eo quod cõpulsus fuit, vendere domum, aut fundum, quod non faceret, si pretium suarum decimarum furatarũ haberet. Et ad hæc teneri, constat, quia erat possessor malæ fidei, qui ex ipso jure, & in foro cõscientiæ ad hæc tenetur. Castr. Pal. *tom.* 7. *de Iust. in genere disp. unic.* §. 11. *n.* 1. *in fine, ut certum.* Vide *præcedentem quæst.*

QUÆSTIO XLVIII.

An Abbatissa, inito pacto supra hæreditatẽ suæ monialis, possit adire hæreditatem mortuo parente, jam in sui parentis vita, ad aliud monasterium transfacta?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Facilius ostenditur haredem, in foro externo, esse tutum.*
3 *Si primus cõventus aliquid potuisset, acquirere, ad secundum pertinebat.*
4 *Pactum circa legitimam fuit in conscientia licitum.*
5 *Sententia communis non est contra hæredem.*
6 *Hæres personam defuncti repræsentat.*
7 *Aliquis existimabit etiam acceptum à primo conventu, ratione legitimæ, & jam ad secundum conventum pertinere.*
8 *Pactum celebratum fuit super spem, quam primus coventus tenebat, succedendi, nomine filiæ.*
9 *Pactum fuit initum pro renuntiatione futuræ successionis.*
10 *Super re dubia de effectu futuro, potest fieri conventio.*

1 ROmanus filiam unicam monasterio ordinis Minorum dicavit, dote competente, propinis solutis, & supellectilẽ consuetâ, & plusquam sufficienti, ei traditâ. Professione emissâ post aliquot annos super legitimam, per suam mortem à monasterio, ratione dictæ filiæ, obtinendam, cum ipso monasterio convenit, quingentis ducatis. Aliquibus annis elapsis eadem filia ad aliud transijt monasterium, aliâ dote à patre solutâ, & conventione initâ circa legitimam, alijs quingentis ducatis. His initis cum primo, & secundo conventu pactis, testamentum condidit, in quo suorum bonorum filium sororis suæ universalem instituit hæredem Defuncto Romano, primus cõventus reclamat, se læsum fuisse in pacto circa legitimam suæ monialis, cùm Romano suo parente, inito. Quæritur: An hæres institutus in conscientia sit tutus; nam pro foro externo à jurisperitis, consulta obtinet, se esse tutum?

RESOLUTIO.

2 Respondeo, facilius esse juris consultis ostendere hæredem esse tutũ in foro externo, quã ostendere esse tutum in foro conscientiæ. Ratio primi est, quia sufficit ostendere conventũ non fuisse læsum, quia ea legitima quingentorũ ducatorum, cum dote competente, vestibus, supellectilẽ consueta, & plusquam sufficienti, propinis, extra convivium, constituunt monialis legitimam; quia hæc omnia ad collationem conferuntur, vt videre est apud Valasc. *de part. cap.* 13. *n.* 31. 36 37. & 35. Fragos. *tom* 3. *l.* 5. *disp.* 8. §. 10. *n.* 313 cum pluribus, quos citant, & alij communiter, hæc asserentes: sed hæc legitima pro eo tẽpore, quo monasterio fuit collata, dici nequit, esse intra dimidium justi pretij, quæ læsio in foro externo solùm habet locũ, vt leges disponunt, *Ord. Reg. l.* 4 *tit.* 13. *in princip.* & §. 1. & *l.* 2. & *l Si voluntate C. de rescind. vend.* & *c. dilecti,* & *c. Cum causa, de empt.* & *vend.* ne lites multiplicentur: & DD. ibi: ergo difficile dici potest, monasterium læsum in foro externo, tantam legitimam à Romano recipiens; nec aliquod aliud apparet jus, ex quo monasterium contra hæredem litem movere possit.

3 Nec contra eundem hæredem illam movere potest; nam quãdo Romanus è vita decessit, jam illius filia professionem, in secundo conventu; ad quem transijt, emiserat; & tunc quidquid ratione dictæ filiæ monialis ipsum monasteriũ acquirere potuisset, non ad illud, sed ad secundũ monasteriũ pertinebat. Vt expressè fatẽtur cum Navar. *in c. Non dicatis* 12 *q.* 2 *n.* 31. Rodrig. *qq. Regul. tom.* 2. *q.* 78. *art.* 2. Azor *tom.* 1. *instit moral. l.* 12. *c.* 15. *q.* 3. Mol. *de Iust. tract.* 2. *disp.* 140.

Card.

Card. Tusc. *tom.2. litt. M. conclus.* 302. Benedict. Ægydius *in repet. l. Titiâ, part.1. num.2 ff. de Condit.* Cald. Pereyr. *in l. Si curatorem, verb. Hunc correctum, n.*31. Soar. *tom. 4. de Releg. tract. 8. l.3. c.*13. Mirand. *tom.1. Man. Prælat. q.* 31. *art.* 14. Vilial. *part.2. Summ tract.* 35. *diff.* 14. Hieron. Rodrig. *in Compend qq Regul resol.* 123. *n.* 82. Tambur. *de Iur. Abbatiss. disp.* 21. *q* 7. *n* 7. Sanch. *l.7. decal. cap.*32 *n.*3. dicens, id ab omnibus fateri, Bonac. *tom.* 1. *tract. de Clausur. q.*2. *punct.*9. § 4. *diff.*2. *u.*12. & omnes.

4 Quamvis resolutio pro foro conscientiæ sit difficilior, quia non datur textus, qui læso restitutionem, intra dimidium justi pretij, determinet; dicendum existimo, hæredem monasterio ad nullam restitutionem teneri in dicto foro. Ostenditur, quia cõventio à Romano inita cum Monasterio fuit super legitimam, quam ipsum Monasterium habere poterat, post mortem Romani, nam in illius vita legitima non debetur filijs, nec Monasterijs, illorum respectu, ut constat ex *l.*1 §. *Si impuberi ff. de Collat. bonorũ*, & DD. quos latè refert, & sequitur Doct. Ioan. de Carvalh. *in cap. Raynaldu; part.* 4. *c.*1. *n.* 9. & alij quos *supra q.*49. *n.*5. *citavi.* sed tempore mortis poterat Romanus minora habere bona, ex quibus ea deberetur legitima Monasterio, respectu dictæ filiæ; deinde poterat dicta filia mortem oppetere, & ad aliud transire monasteriũ, in vita patris, ut de facto transijt, in quibus casibus nulla debebatur legitima monasterio: ergo propter pericula, quamvis eo tẽpore, & tẽpore mortis multa bona habuisset Romanus, illud pactũ cum conventu initum erat validum, & licitum; nec conventus de læsione aliqua queri poterat, quia dato eo periculo, nulla in foro conscientiæ intervenit; sicut non intervenit, quando paciscitur de aliquo dubio futuro, ut de jactu piscationum, partu animalium, & fructibus futuris, ut dolligitur ex l. Nec emptio, ff. de Contrahenda emption. & DD. Fagund. *d.l.5. just. cap.* 1. *n.*6. Card. de Lug. *ibid. disp* 26 *n.*15. *& alijs.*

5 Dixi, *nullum dari textum, qui læso restitutionem determinet, quando contractus celebratus fuit intra dimidium justi pretij*; nam licet expresse deficiat textus, non defuerunt DD. quorum meminere Molin. *tract.*2. *disp.*350. *post princip.* Castr. Pal. *tom.*7. *disp.*5. *de Iust. commut. punct.* 17. § 2. *n.*1 Tambur. *tom.*2. *l.*9. *de Contract. tract.* 2. *c.*6. § 8. *n.* 8. qui docuerunt, nullum peccatum, nec obligationem contrahi restituendi, ex læsione intra dimidiũ justi pretij. Alij negant obligationem restitutionis, estò concedant peccatũ in ea deceptione. Hos citat Castr. Pal. *proximè n.*2. qui ut certam, & amplectendam existimat oppositam sententiam *n* 3. & Molin. *citat.* ut cõmunem inter Theol. & jurisperitos; & illam sequens, plures citat Emman. Barb. *in Remiss. ad princ cit. Ord. l.* 3 *tit* 13. *n.*1. Vide *q. seq n.*2 Hæc tamen licèt certa, & cõmunis, hæredi non est cõtraria. quia cõtractus inter conventum, & Romanum celebratus fuit validus, ut ex *dictis n.*4. constat.

6 Ex dictis infertur, hæredẽ Romani posse, esse tutum in conscientia; & etiam ex alio capite, quia Romanus circa hæc, magnâ suæ conscientiæ pace, & quiete mortuus fuit, cujus testis sum, quia illius morti adfuit: & cũ hæres personam defuncti repræsentet, *Auth. de Iur. jurand. a moriente præstit. collat.*5 & cum Donell. Doct. Ioan. de Carvalh. *ad cap. Raynald. part.*2 *n* 433. *de Testam.* ait eandem pacem, & quietem cõscientiæ continuari posse, dum certò non constat, ad alium bona relicta pertinere.

7 Addo, aliquem existimare posse illos quingentos ducatos, quos primus conventus acquisivit ex contractu cũ Romano inito, restitui debere ipsi hæredi, aut secundo conventui, ex his duabus rationibus; prima, quia id pactum super legitimam initum fuit ex causa mortis Romani, qui in vita legitimam filiæ, monasterio tradere non tenebatur, ut dictũ est. *n.*4 & si de facto illam ex pacto inito tradidit, ea traditio tempus mortis respiciebat, ut tempus à jure statutũ *l. Cũ quæritur, C. de Vulg. & pupil. & Authent. novissima C inofficios.* & tenet cõmunis, & recepta sentẽtia, quam cũ pluribus sequitur Doct. Ioann. de Carvalh *cit. n.*4. & 11. cùm ergo Romanus pactum inijt super legitimam filiæ, mõnasterio obventuram, post illius mortem, ex ipso jure; & quando è vita decessit jam illius filia professionem in secundo monasterio emiserat, ij quingenti ducati ex pacto inito, non ad primũ monasteriũ, sed ad secundũ, aut ad hæredem pertinere debebãt; intellige [præciso pacto] quod cum secundo, etiam initum fuit.

8 Secunda ratio: quia pactum cũ priori cõventu, celebratum fuit, super spem, quam dictus conventus tenebat succedendi nomine dictæ suæ monialis Romano suo parenti: sed hæc spes cũ ipsa moniali ad secundũ conventum trãsivit, emissa in eo professione; & post illam, decedente è vita parente: ergo etiam ij quingenti ducati transierunt; qui propter spem succedendi, fuerunt à primo conventu acquisiti. Maior constat ex ipso cõtractu. Minor ostenditur, quia spes succedendi, non dicitur perfecte acquisita, ante mortem parentis, ut expresse tenet Glos. *in cap. unic.* 18 *q.*1 *verb. restituat*, & cum Covarr. Sanch. *cit. dict l.7. decal. cap.* 32. *n.* 16 ergo cùm illi quingenti ducati à primo conventu fuissent acquisiti; ex contractu, in spe succedendi, fundato, dum non erat ea spes perfecta, quæ perfecta reddita fuit per mortem parentis, filia jam professa in secundo conventu: ergo ad secundũ conventum, aut ad hæredem pertinent ij quingenti ducati. Huic rationi non adversãtur DD. a Sanch. *cit. dict. cap.* 32. *n* 4 imo in hoc succedendi jure, illi favent, dum fatentur, spem parentibus succedendi, non permanere in primo conventu, quando decedentibus parentibus, Religiosus jam per professionem ad secundum cõventum transierat.

9 Nec obstat, quod illi quingenti ducati traditi fuerunt pro renuntiatione futuræ legitimæ

mæ à parente obventuræ, quam primus convêtus fecit respectu suæ monialis: nam hi perpetuo manent apud conventum ob illud pactum onerosum, ut jam consuetudo obtinuit. Non, inquam, obstat, quia illud pactum, eâ traditâ pecuniâ, fuit initum pro renuntiatione futuræ legitimæ; & sic redditum fuit nullum per professionem in secundo conventu, vivente parente: nam vivente parente nulla est hæreditas, *l. Superstitis, ff. de Acquir. hæredit.* Quare necesse erat ut pater in vita filiæ professiæ, in primo conventu decederet, ut legitima, seu hæreditas ad illum deferretur, & persisteret contractus: at hæreditas parentis ad illum non est delata, quia parente decedente, jam filia in secundo conventu professionem emiserat. Videatur Sanch. *dict. l. 7. decal cap. 9. n. 25.* Neque ea consuetudo viget, quando emissâ professione, datus fuit transitus ad secundum conventum.

10 Nec obstat, quod potest iniri pactum de re etiam dubia futura, quæ licèt actu non existat, existit tamen in spe probabili, ut diximus supra, de jactu piscationum, partu animalium, & fructibus futuris: ergo cùm pactum initum inter conventum, & Romanum, celebratum fuerit in spe succedendi, quingenti ducati retineri possiunt: parum enim refert, quod spes non sit reducta ad actum; per professionem filiæ, in alio conventu, vivente patre, emissam. Non, inquâ, hoc obstat, quia ad summum probatur, eos quingentos ducatos manere debere in eo primo conventu, propter spem, quæ in eo tunc dabatur, succedendi Romano parenti dictæ monialis, sicut etiam aliqui dicerent, si filia ante parentem moreretur. Adhuc tamen responderi potest, cõcedendo antecedens, & negando consequentiam; diversa ratio est, quia in pactis, de quibus agunt leges, & DD. dabatur ea tantùm spes, super quam pacta inita fuerunt: at in nostro casu pactum fuit super spem perfectam succedendi, & spem succedendi ob causam mortis; quæ spes in secundo conventu fuit perfecta, succedente morte parentis. Hæc tamen ad otium dicta sũt, quamvis non profutura, videantur.

QUÆSTIO XLIX.

An ex locatione domus sub hasta, vendita minori pretio, quo solebat locari, in foro conscientiæ restitutio debeatur?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Si detur læsio in contractu, intra dimidium justi pretij, in foro conscientiæ debetur restitutio.*
3 *Qui non observat pretium lege, aut consuetudine taxatum, ad restitutionem tenetur.*
4 *Pretium locationis dicta domus consuetudine cõmuni erat taxatum.*
5 *Pretium rei non à pretio, quo venditur, sed à quo æstimatur desumitur.*
6 *Felix domum indemnem relinquere Ioanni, post debitum satisfactum, tenetur.*
7 *Pretium eorum, quæ venduntur subhasta est, quod non excedit dimidium justi pretij, vel ab eo minus non deficiat; alij aliter sentiunt.*
8 *DD. ad nostrum casum se non extendunt.*
9 *Pretium eorum, quæ subhasta venduntur, non à fervore, seu frigiditate mentium, sed a vera, & communi æstimatione mensuratur.*
10 *In ijs, quæ venduntur subhasta etiam dantur illa triplicia pretia, infimum, mediũ, & supremũ.*
11 *Res quæ venditur subhasta non communi, & usitato pretio, restitui debet, quando infra justum pretium vendita fuit.*
12 *Nec semper ex paucitate emptorũ minuuntur pretia.*

1 IOannes cum non esset solvendo trecenta millia regalia Lusitana Felici; hic Eenx à judice obtinuit, quòd debitũ illi solveret ex locationibus cujusdam domus, in loco ad mercaturam valde commodo sitæ. Statim illi distinatæ sunt locationes annuæ, quæ constabant singulis annis, triginta duobus millibus regalibus. Hâc non contentus Felix satisfactione, a judice etiam obtinuit, quòd locationes ad satisfactionem debiti requisitæ, per manus Ioannis non currerent, sed in publica subhastatione licitatori venderentur, qui plus pro singulis locationibus usque ad plenam satisfactionem debiti offerret. Et cùm nulli adessent licitatores, auctionem sibi adduxit, illas locationes in singulos annos emens, pro viginti millibus regalibus. Quæritur, An Felix ad excessus restitutionem teneatur?

RESOLUTIO.

2 Respondeo, etiam suppositio, quòd nulla interveniset in ea subhastatione fraus, aut dolus quia nulli emptores subtracti sũt, teneri Felicẽ, in foro conscientiæ, ad restitutionem excessus, quẽ accipit pro singulis locationibus, juxta emptionem. Hanc resolutionẽ existimo certam. Ad illam moveor primò, quia conveniunt DD. licèt læso in cõtractu emptionis, & venditionis in foro externo cõcedatur remediũ *l. 2. C. de Rescind vend & Ord. Reg. l. 4 tit. 13 in princ.* si læsio sit ultra, vel infra dimidiũ justi pretij, non tamen si sit intra dimidiũ justi pretij; in foro tamen interno, seu cõscientiæ, restitutionẽ læsionis latæ deberi. Sic Molin. *de Iust. tract. 2. disp. 350.* Less. *l. 2. de Iust. c. 21. dub. 4.* Rebell. *de Oblig. just. part. 2. l. 9. q 3. n. 3. vers. Ad leges,* Salas *de Contract. empt. dub. 26. n. 6.* Emman. Barb. *in Remiss. ad Ord cit. in princ. n. 1.* & pluribus *cit.* Castr. Pal. *tom. 7. disp. 5. pũct. 17. §. 2. n. 3.* ubi hanc sententiã dicit certã, & omnino amplectendã, & Card. de Lug *tom. 2. de Iust. disp. 26. n. 81.* ubi eandẽ sententiã inquit cõmunem, & certam; & contrariã damnari erroris ab Arg. & Banes apud Sal. *cit.* Quæ sententia pro se habet ipsũ jus, & rationẽ: habet ipsũ jus *in l. Iure naturæ,* ibi: *Iure naturæ æquũ est, neminem cũ alterius detrimento, & injuria fieri locupletiorẽ, ff. de Reg. jur.* Habet etiã rationẽ, quia læsio estò sit intra dimidiũ justi pretij, legi naturali adversatur cũ nullus vellet sibi ipsi illud inferri damnũ: sed manifestũ est in illa emptione locationũ domus subhas-

subhasta, dari læsionem intra dimidiũ justi pretij; nam domus, quæ singulis annis locatur pro triginta duobus millibus regalibus, emuntur à Felice singulæ locationes, pro viginti millibus regalibus; ergo Felix ne locupletior fiat damno, & injuria Ioannis; & ne illi inferat damnum, quod sibi ipsi inferri non vult, tenetur restituere excessum, quem recipit ex ijs locationibus, supra suam emptionem, vel dimittere domum Ioanni, quam primum ex suis trecentis millibus regalibus fuerit plenè satisfactus, nullâ habitâ ratione actuarij, quod fuit licitatus.

3 Secundò moveor, quia etiam conveniunt DD. teneri ad restitutionem illum, qui non observat pretium alicujus rei à lege taxatum, ut videre est apud Fagund. *l. 5. de Iust. cap. 37 numer. 2.* Tamburin. *tom 1. l. 8. decal. tract. 3. cap. 7. § 4. num. 18.* & alios communiter, id asserentes: Sed pretium locationis dictæ domus, consuetudine legitimè introducta à pluribus annis, erat triginta duobus millibus regalibus pro singulis annis, veluti communi hominum existimatione taxatum: ergo stare non potest viginti millibus regalibus: ergo excessus istius pretij ad triginta duo millia regalia, pro singulis annis in debito compensari debet, usque ad plenam satisfactionem tantùm. Rectè enim arguimus à lege scripta ad consuetudinem introductam. Etsi hæc decem annis præscribitur, ut fatentur Mascard. *de probat. conclus. 424. à numer. 24.* Soar. *de leg. l. 7. cap 8. numer. 7. juncto cap. 15. num. 5. & cap. 18. num. 12.* Bonacin. *tom. 2. tract. de leg. disp. 1. quæst 1. punct. ult. § 3. numer. 31.* Castr. Palaus *tom. 1. tract. 3 disp. 3. punct. 2 § 2. num. 5.* & alij: pretium autem dictæ locationis, absque ulla interruptione, per plusquam quadraginta annos, venijt triginta duobus millibus regalibus: ergo jam pretiũ locationis domus erat præscriptũ, & in cõsuetudine legitima positũ.

4 Nec obstat, quod nullus in locatione suæ domus consuetudinem introducere possit; quia ad consuetudinem consensus plurium requiritur; nec ex eo, quòd hic, vel ille in locatione suæ rei, hoc vel illo modo operetur, consuetudinem dicitur, introducere, ut meritò docuerunt Soar. *dict. l. 7. de leg. cap. 3. num. 8.* Castr. Palaus *dict. tom 1. tract. 3 disp. 3. punct. 3. num. 1.* & omnes: ergo non bene arguitur *ex l. scripta* ad consuetudinem locationis unius domus particularis. Non, inquam, obstat, nam quamvis illa locatio sit unius domus particularis, pretium tamen illius locationis, apud omnes, qui illam volunt conducere, est idem semper: & sic est plurium, & non unius personæ particularis. Sic enim pretia rerum in foro consuetudinem introducunt, quando ejusdem rei eadem datur abundantia, & emptorum multitudo. Etsi persona privata consuetudine à se introducta ab aliqua legis obligatione se potest eximere, *cap. Non est, de consuet.* cur etiam non aliquà existente lege prohibente, non poterit aliqua persona privata consuetudinem introducere, in pretio locationis suæ domus. Etsi lex universalis humana deobligat personam privatam, in qua illius finis cessat, ut cum pluribus sentit Dian. *1. part. tract. 10. de leg. res. 28.* cur etiam in re particulari non obligabit omnes ad standum ei consuetudini.

5 Tertio moveor, quia æstimatio alicujus rei non desumitur à prætio, per quod ipsa emitur, aut venditur, sed ab eo, per quod ipsa æstimatur; ut expressè habetur *Ord. Reg. l. 4. tit. 13. in principio*, ibi: *Si res vendita valebat per veram, & communem æstimationem*, & hoc bene confirmat §. 2. ibi: *Per veram generalemque æstimationem*; & *in l Pretia ff. ad l. Falcid.* ut ibi resolvunt Gaspar Rodrig. *de annuis redditibus, l. 1. q. 8. n. 6.* Thomas Boninsig. *in tract. ad justas negotiat. tract. de vendit. cap. 6.* Ceval. *commun. q. 664. n. 2.* quos affert, & sequitur Emman. Barbos. *in Remiss. ad cit. § 2. Ordin. cit.* & multo plures adducit, & sequitur Valasc. *consult. 43. n. 1. & 6.* at locatio domus Ioannis in æstimatione habebat valorem triginta duorum millium regalium, pro singulis annis. Et sic non attendenda veniunt viginti millia regalia, quæ Felix ex sua affectione, & interesse dedit, prout in simili resolvunt DD. *ad d. l. Pretia rerum, ff. ad l. Falcid.* Pinell. *ad l. 2. C. de rescind. vendit. part. 3. cap. fin. n. 17. & 18.* & alij, quos referunt Emman. Barbos. & Valasc. *loc. cit.*

6 Ex his rationibus colligo, dictum Filium teneri in foro conscientiæ, ubi primum ex suis trecentis millibus regalibus, sibi satisfactum senserit, illâ locatione triginta duorum millium regalium pro singulis annis, domum dimittere indemnem Ioanni. Nam ideo illam accepit, emptis á se locationibus, pro viginti millibus regalibus, ut suum recuperaret debitum; & si illud locatione, pro triginta duobus millibus regalibus, quolibet anno, minori temporis spatio recuperet, tempus longius juxta suam emptionẽ sub hasta expectare nullo modo potest; nam quod amplius extra debitum sibi acquirit, & recipit, ad Ioannem pertinet, qui non tenetur aliquid, præpter debitum solvere.

7 Nec obstat primò, quòd justum pretium, suppositio omni dolo, & fraude, eorum, quæ venduntur sub hasta, seu in auctionibus, est illud quod non excedit dimidium justi pretij, nec vilescit ad minus ejusdem dimidij, ut fatentur Salon. Lopes, Mercat. Filliuc. Garcia, Rodrig. Card. de Lug. Escob à Corro, Trullench. Anton. Escob. Gordon. Fagund. Taner. Dicastill. Villal. Vvading. quos refert, & sequitur Dian. *1. part. tract. 8. resol 55 & part. 4. tract. 4. resol. 12. & part. 9. tract. 8. resol. 57.* Et alij dicunt justum pretium esse, quantùm sine fraude extorqueri potest, ac proinde non dari in venditione sub hasta remedium rescissorium, *l. 2. C. de rescind. vendit. & Ordin. Regul. citat.* Sic Lopes *2. part. instruct. cap. 63.* Gordon. *tom. 1. Theol moral. l. 4 95. cap. 8. numer. 38* Bonac. *tom. 2. de contract. disp. 3. q 2 punct. 4 num. 21.*

Villal. *in summ. tom. 2. tract. 21 diff. 5 numer.* 9. dicens in tali casu habere locum proverbium: *tantum valet res, quantum vendi potest*, citatque Medin. Bañes, & Aragon. His addit Dian. *cit. 4 part.* Ripal. *in variar. resol. cap. 11. de empt. & vendit numer.* 554. & ego adduo Tambur. *tom. 1. l. 8 decal. tract. 3 cap. 7. §. 4 numer.* 23. Et idem videntur sentire Fagund. & Dian. *locis cit.* Less. *l. 2. cap. 21. num.* 35. Salas. *cit. dub 25. numer.* 4. Nec dissentire videtur Card. de Lug. *dict. disp. 26. sect. 4. numer.* 45. nam horum DD. placita referens, ut solet, non impugnat: sed contractus super locationibus domus Ioannis fuit pro pretio minori tertia partes, quo domus solito locabatur, & non fuit pro viliori, quo poterat locari: ergo juxta tantorum, & tam gravium DD. placita, contractus fuit justus, non solùm pro foro externo, sed etiam pro foro conscientiæ, ut supponunt cit. DD. & expressè dicunt aliqui apud Dian *locis cit.* & maximè *part 9. tract. & resol. cit.*

8 Non, inquam, obstant primò placita tot DD. nam quamvis loquantur de venditionibus sub hasta, non tamen loquuntur de venditione locationis cujusdam domus ad certos, & determinatos annos, quæ locatio certam, & determinatam habebat æstimationem, in qua periculum evenire non poterat, quia in platea, qua sita erat, semper aderant certi conductores. Et si aliquo casu fortuito periret, non Felici, sed Ioanni peribat, apud quem erat, & semper dominium remansit. Deinde pretium cujuslibet annualis locationis solvendæ in fine singulorum illorum annorum determinati temporis, semper erat idem, semper habebat valorem eumdem, & æstimationem, quomodo ergo etiam sub hasta minori pretio vendi poterat. Quis enim audebit dicere, unum ducatum sub hasta, posse vendi trecentis regalibus, habentem valorem quadringentorum, sic in præsenti casu, vendita fuit pensio certa, solvenda tempore determinato pro multo minori pretio. Addo in præsenti, nullum dari lucrum cessans, nec damnum emergens, nec periculum debiti solvendi; nec de his titulis ulla unquam facta fuit mentio, ut constat *ex numer.* 1. ergo cum doctrina illorum DD. hunc specialem casum non comprehendat, ad illum non est extendenda.

9 Non obstant secundo placita eorum DD asserentium, pretium eorum, quæ sub hasta venduntur, censeri justum, si non excedat dimidium justi pretij, nec minus sit infra dimidium; quia hæc nequeunt habere locum, saltem in his Portugalliæ Regnis, in quibus pretium eorum, quæ venduntur sub hasta, non mensuratur à fervore, aut frigiditate emptorum, sed á vera, & communi æstimatione, quam res habebat tempore celebrati contractus, ut expressè dicitur *Ordin. Regul. l. 4. titul. 13. in principio*, & jam supra notavimus, cum communi DD. Et quamvis hoc loco non loquatur de venditionibus sub hasta, loquitur tamen *mox* §. 7. & ibi supponit supradicta in eadem Ordinat ubi jubet, has venditiones sub hasta, posse rescindi, si inventum fuerit, partes fuisse læsas ultra, aut infra dimidium justi pretij, & conveniunt DD. Molin. *tract. 2. de just disp. 349. vers. Etiam si res*, & alij, quos longe, latèque citat Emman. Barbos. *in remiss. ad cit. §. 7. dict. Ordin.* Idem tenet Castr. Palaus *tom. 7. pisput. 5. de just. commut. punct. 17. §. 5. numer. 2.* Quare nec etiam est admittendum placitum aliorum DD. dicentium, justum pretium eorum, quæ sub hasta venduntur, esse illud, quod extorqueri potest, ac proinde non dari remedium rescissorium *l. 2. C. de rescind. vendit.* nam id est expressè contra *Ordinat. cit.* & communem DD. sententiam.

10 Dixi: *placita supradictorum DD. non habere locum saltem in his Portugalliæ Regnis*, quia etiam juxta jus commune, illa non admittunt plures, & graves Doctores, qui asserunt, etiam in ijs, quæ venduntur sub hasta, dari illa tria pretia, infimum, medium, & supremum seu rigorosum: v. g. locatio cujusdam domus ad summum stat triginta quatuor, aut quinque millibus regalibus, & hoc est pretium supremum locationis illius domus; & ad minimum viginti novem, aut triginta millibus regalibus; & hoc est infimum pretium, medium autem est, quod intermediat. Hæc autem pretia in subhastatione ita possunt distare; & tali modo, ut juxta usum fori non excedatur supremum, nec diminuatur infra infimum. Sic Molin. *tractat. 2. de just. disput. 349. vers. Etiam si res*, Salom. *22. tom. 2. quæst. 77. articul. 1. contr. 5. & absolutè id docent omnes DD.* Laym. *in Theol. moral. l. 3. tract. 4. cap. 17. numer. 5.* Castr. Palaus *citat. §. 2. numer. 3.* Nec dici potest, in ijs, quæ venduntur sub hasta locum habere proloquium: *Tantum valet res, quantum vendi potest.* Nam Glos. *in l. Pretia rerum, ff. ad l. Falcidiam, Verb. Funguntur*, inquit intelligi debere: *Tantum valet res, quantum vendi potest communiter*; & id pluribus probat; at id non est verum, in venditione sub hasta, quando pretium est illud, quod extorqueri potest, & communiter non sic venditur.

11 Addo, quando sub hasta res venditur non communi, & usitato pretio, restitui debere id per quod infra justum pretium, res fuit vendita, ut inquit expressè Doctiss. P. Rebell. *de obligat. just. par. 2 l. 9. quæst. 3. sect. 2. numer. 8.* ibi: *Non tamen proinde credas, etiam post præditam juris solemnitatem* [nempe venditionem sub hasta] *deobligari in conscientia tam venden-ter, quam ementes a deceptione justi pretij compensanda, quidquid non multi crediderint*; & alij

alij absolutè quos jam *supra* citavimus. Ex his sequitur, etiam juxta jus commune Cæsarium, teneri Felicem ad omne damnum compensandum, quod Ioanni ex suo auctuario obvenerit.

10 Nec obstat secundò, quòd paucitas emptorum pretia rerum minuit, ut communiter docent DD. apud Laym. *cit. numer.* 10. Tamburin. *tom.* 1. *l.* 8 *decal. tract.* 3 *cap.* 7. §. 4. *numer.* 6. at in illa venditione locationis domus, nullus licitator, aut conductor fuit inventus, nisi ipse Felix: ergo tutâ conscientiâ in illa licitatorum, aut conductorum penuria, sine injustitia auctarium vilius potuit licitari. Non, inquam, obstat, quia non ex pecunia licitatorum, nec conductorum hoc intervenit: non ex penuria licitorum, sed quia nullus se volebat Felicis constituere debitorem, ad solvendum pro Ioanne; nec ex penuria conductorum, sed quia nullus volebat prætentem, à conductione domus, expellere; & alijs rationibus, quæ non erant satis ad auctarium justum reddendum.

QUÆSTIO L.

Cui facienda sit restitutio eleemosynarum, ad redimendum unum, aut alterum captivum elargitarum quæ tamen in uno, aut altero, effectum habere non valuere?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Eleemosynæ similitudinem, & idem jus habent cum legatis.*
3 *Votum de elargienda eleemosyna pauperi, potest authoritate propria elargiri pauperiori.*
4 *Vovens authoritate propria, potest suum votum in æquale commutare.*
5 *Legatum pauperibus relictum distribuendum est pauperibus loci, in quo factum est testamentum, vel ex domicilio testatoris.*
6 *Eleemosynæ maioris momenti ex interpretativa dantium voluntate elargiendæ sunt in eundem pium finem.*

1 NAzarius duos fratres habens in captivitate Maurorum Argilensium, eleemosynas sufficientes ad unum ex illis redimendum de diversis collegit personis. Tum temporis idem frater per fugam à captivitate fuit liber. Sine mora easdem eleemosynas ad alterum fratrem applicavit; at brevi temporis intervallo, è vivis excessisse, accepit. Quæritur ab eo cui dictæ eleemosynæ restitui debeant?

RESOLUTIO.

2 Respondeo, eas eleemosynas esse applicandas ad redimendum alium captivum pauperiorem; vel æquè pauperum; vel hujus civitatis incolam. Hæc resolutio absolutè ostenditur nam eleemosynæ, cùm sint quædam donationes, maximam habent similitudinem cum legatis pijs, ut videre est apud Barbos. *tract. de appellat.* 127. *numer.* 4 ex ipso jure & DD. sed legata pia, quando in propria specie infima impleri non possunt, implenda sunt in aliud opus pium voluntati testatoris proximè accedens; ut cum communi sententia ttadunt Molin. *tract.* 2. *disp.* 249. *Vers. Quando aliquid*, Sanch. *l.* 4. *consil. cap.* 2. *dub* 6. *numer.* 2. Cardin. de Lug. *disput.* 24. *de justit. sect.* 13. *num.* 307. Fagund. ibidem *l.* 6. *cap.* 5. *numer.* 12. & alij, quos citant, id colligentes ex *consil. Trident. sess.* 25 *de reform. cap.* 8. & ex pluribus juris communis textibus: ergo dictæ eleemosynæ applicandæ sunt ad alium captivum redimendum: cum hoc opus pium sit proximè accedens voluntati elargientium eleemosynas, in casu, quo effectum non habuerunt, in eadem specie infima, pro qua fuerunt elargitæ.

3 Quod verò eædem eleemosynæ sint applicandæ ad redimendum captivum pauperiorem, quæ erat prima pars illius resolutionis. Probatur ex doctrina Sanch. *l.* 4 *decal, cap.* 49 *numer.* 6. asserentis promissionem Deo factam de elargienda eleemosyna certo pauperi, dum ipsi jus non est acquisitum per acceptationem, posse propriâ voventis authoritate, alij elargiri pauperiori; quia eleemosyna pauperiori collata, est Deo gratior, & præstantior: sed eleemosynæ congestæ ad redimendum determinatum captivum, in quo effectum non habuerunt, à nullo alio fuerunt acceptatæ, nec acceptari potuerunt, ergo à congestore eleemosynarum pauperiori captivo, ut opus Deo gratius, applicandæ sunt.

4 Possunt etiam eæ eleemosynæ applicari ad redimendum captivum æquè pauperem; quæ erat secunda pars resolutionis: probatur, quia probabile est, posse voventem authoritate propriâ, suum votum in evidenter æquale commutare, ut plures defendunt apud Bardi *in Bullam Cruciatam part.* 2. *tract.* 7. *cap.* 1. *num.* 12. Leand *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 14. *quæst.* 154. & probabilem dicit Dian. 1. *part. tract.* 16. & 2. Miscell. *resol.* 7 & idem sequitur *part.* 3. *tract.* 5. *resol.* 25. & & Tambur. *tom.* 1. *l.* 3. *decal. cap.* 16. § 5. *numer.* 14. quos refero *in Exposit. Bull. disput* 21 *numer.* 105. Meritò ergo potuit hic eleemosynarum congestor, secundi fratris liberationem à captivitate intendere; & potest alterius consanguinei, si in captivitate existat, aut alium æque pauperem, ex eadem ratione liberare.

5 Sunt tamē eæ eleemosynæ à cōgestore illarum applicandæ ad redimendum captivum

hujus civitatis incolam, quæ dictæ resolutionis erat tertia pars: demonstratur, nam quando aliquod relinquitur legatum, pauperibus distribuendum, communiter dicunt DD. esse distribuendum, inter pauperes illius loci, in quo testamentum conditum est, *ex l. si quis ad declinandum, C. de Episc. & cleric.* seu inter pauperes domicilij testatoris, Sanch *cit. dict. l. 4 consil. cap. 1. dub. 60 a num* 1. Molin. *dict. tract. 2. disp.* 157. *Vers. Quando testator*, Card. de Lug *supra num.* 279 Sed eleemosynæ ad redemptionem captivi in hac civitate, & ab illius incolis fuerunt elargitæ: ergo ex illorum interpretativa voluntate censetur, fuisse elargitas ad redimendum suum naturalem captivum, quando in determinato effectum non habuerunt.

6 Nec obstat, quòd eleemosynæ, quæ non sunt quotidianæ, pauperibus solitæ elargiri, sed maioris momenti ad redimendum captivum, in quo effectum non habuerunt, elargientibus sunt restituendæ; sicut communiter docent DD. de eleemosynis maioris momenti, paupertatem fingentibus elargitis, in quibus effectum intentum habere non poterant, ut videre est apud Fagund. *l. 1. de Iust cap 9 a num.* 17. Castr. Palaum *tom. 1. tract. 6. disp 2. punct.* 14. *a num.* 5. Dian. *part. 5 tract 8. resol. 21. alios citantes.* Non, inquam, obstat, nam licèt eæ eleemosynæ ex eo argumento largientibus restitui debuissent, cum illas elargirentur ad certum redimendum captivum, in quo effectum non habuerunt; cùm tamen ea restitutio sit maximè difficilis, utpote ad plures attinens; piè tamen, ac rationabiliter credi potest, pios donatores persistare, ac permanere in voluntate redimendi captivum, licèt non sit ille determinatus ad cujus redemptionem eleemosynæ petitæ fuerunt; quia ad eas donandas eleemosynas principaliter moti fuerunt fine redimendi captivum, & non sanguinitatis petentis, quæ videtur causa motiva; & cum persistat causa finalis, licèt motiva non detur, bene poterit alius redimi captivus ex ipsis eleemosynis.

QUÆSTIO LI.

An ex transactione facta, ultro citroque datis chirographis remissionis, debeatur restitutio eorum, quæ ad partitionem non venerunt?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Debetur restitutio, sive ea supellectilia bonâ, sive malâ fide fuissent occultata.*
3 *Si mala fide fuerunt occultata, transactio fuit nulla*; secus debetur restitutio.

1 INter Modestum, & Vitum initus fuit contractus, super partitionibus mobilium, & immobilium bonorum, & datus ultro citroque chirographus remissionis debitorum. Anqua tamen supellectilia superfuerunt, quæ ad partitionem non venerunt Quæritur ex parte Viti: An per dicta chirographa, ultro citroque acceptata, in foro cõscientiæ eorũ supellectilium restitutio debeatur?

RESOLUTIO.

2 Respondeo, restitutionem deberi, sive ea supellectilia bonâ, sive malâ fide fuissent occultata. Ratio est, quia transactio inita fuit super dubijs, ex partitionibus forte orituris: seu dicta suppellectilia in partionibus non fuerunt comprehensa: ergo. Maior constat ex ipsa definitione contractus transactionis, *in l. 1. ff. de transact.* ibi: *Est pactio non gratuita de re dubia, & lite incerta.* & apud DD. quos latè citant Barbos. *in Rubric. de transact. in Codic.* & *cap. super eo, eod. tit.* & Emman. Alvares Pegas *in Resolut forens. cap. 7. num.* 63. Minor est, certa, quia in partitionibus, de illis suppellectilibus nulla facta fuit mentio: ergo cum chirographa remissionis ultro citroque data, & acceptata, fuissent super partitionibus, non comprehenderunt ea, quæ ad partitiones non venerunt.

3 Etsi in occultatione eorum supellectilium mala fides intervenit, ea transactio fuit nulla; & partitiones, vel debent retractari, vel restitui id, quod malâ fide fuit occultatum; nam licét: *Non firmetur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit, ex Regul.* 18. *de regul. juris in* 6. firmabitur contractus per ratihabitionem. Et quòd illa transactio fuisset nulla, colligunt DD. *ex l 1. Cod. de transact.* apud Barbos. *in Collect. ad l. Actione,* 4. *C. de transact. num.* 1. Si tamen mala fides non intervenit, sed ea supelectilia casu fuerunt inventa, post factas partitiones, adhuc debetur restitutio partis debitæ; nam quamvis ignorantia culpam excuset, non excusat tamen, adveniente scientiâ, restitutionem, quando debetur. Transactio autem non extenditur ad ea, quæ non fuerunt cognita Doctor. Ioannes de Carvalho *in cap. Raynald. part. 2. num. 355. ex l. Tres fratres, ff. de Pactis, & l. Imperatores,* §. 1. *ff. de transact.*

QUÆSTIO LII.

An mater teneatur ad restitutionem eorum, quæ inventario subnegavit, si filium habentem, quo se alat, sustentet, & partem domus in qua habitat, reparet?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Non obligatur mater ad pœnas Ordination. Reg.*

3 *Non*

3 *Non potest mater se compensare, nec in foro externo, nec interno.*
4 *Si tamen in mente, semper habuit animum, se compensandi potest.*
5 *Mater cum filio emancipato super legitimam contractum inire potest.*
6 *Etiam non adhibitâ scripturâ.*

1 CRescentia duos filios habens, post mariti obitum, inventario ducatorum centum subnegavit. Vnum ex dictis filijs emancipatum, ex victu sustentat, habentem, quo se alat, & domum in qua est pars suæ legitimæ, & in qua cohabitant, necessarijs reparat. Quæritur 1. ex parte matris: An se compensare queat ex dimidio subnegato ad duos filios pertinente, pro sumptibus factis in victu, & reparatione domus, cum dicto filio? 2. An cũ dicto filio super ejus legitimam pactum inire possit?

RESOLUTIO.

2 In primis certum est, Crecentiam debere filio emancipato, ex illis centenis ducatis inventario subnegatis, quartam partem. Nam dimidium ad ipsam matrem pertinet: nam matrimonia in hoc Regno censentur celebrata per chartam medietatis, si aliud inter contrahentes conventum non sit, juxta *Ordin. Reg. l.* 4. *tit.* 46. *in principio*; & alterum dimidium ad filios, ex ipso jure Regni succedentes patri, quando illius tertium bonorum, nulli fuit relictum: Et in hoc succedendi modo, quarta pars ex illis centum ducatis subnegatis ad filium emancipatum pertinebat. Et cùm hæc subnegatio per Crecentiam commissa, sit occulta, nulla alia filio emancipato debetur restitutio; nam quæ subnegantibus dicta bona, imponitur *in Ordin. l.* 1. *tit.* 87. §. 9 cùm sit pœnalis, non debetur, nisi post latam sententiam.

3 Nunc ad primum quæsitum respondeo; non posse Crecentiam facere compensationem in ea parte quarta subnegata pro sumptibus victus, & reparatione domus factis cum filio emancipato, nec in foro externo, nec in foro conscientiæ. Non potest pro foro externo, quia nisi factà protestatione facti sumptus, illi non debentur, præsumitur enim illos sumptos feciſſe ex suis bonis amore filij. Sic habetur expressè *Ordin. Regul. l.* 4. *titul.* 99. §. 6. Excipiente tantùm casum, quo filius sit valde dives, & mater pauper, quod in præsenti non habemus. Videatur Molin. *tract.* 2. *disput.* 234. *vers. Admonuerint*, & alij, quos affert Emman. Barbos. *in Remiss. ad locum Ordin.* Hæc etiam procedunt pro foro conscientiæ; idem enim præsumitur.

4 Si tamen ipsa mater semper in mente habuit, se illos sumptus cum eo subnegato, esse compensaturam; quia suus filius habebat unde vivere posset, & illa ex suo illum sustentare non tenebatur, potest facere compensationem pro sumptibus in victu, & reparatione domus Ut bene colligitur *ex l. si quis a liberis* §. *si filius ff. de liber. agnosc.* & DD. Valasc. *de partit. cap.* 16. *numer.* 40. & alijs, quos refert, & sequitur Fragos. *tom.* 3. *l.* 1. *disput.* 2. §. 2. *numer.* 118. Barbos. *in Collect. ad l.* 1. *C. de negot. gestis numer.* 2. Molin. *tract.* 2, *disp.* 544. *vers. in tertio eventu*, & expresè Tambur. *l.* 5. *decal. capit.* 3. §. 2. *numer.* 4. & 5. Videatur Fagund. *l.* 5. *de Iust. cap.* 16. *numer.* 2. *in fine & seqq.*

5 Ad secundum quæsitum respondeo, posse dictam matrem cum filio suo emancipato super legitimam contractum celebrare. Est commune inter DD. ex hac regula generali: *Omnes qui bonorum suorum habent administrationem, contractus celebrare possunt.* Sic Bonac. *tom.* 2. *disput.* 3. *de contract. quæst.* 1. *punct.* 5. *numer.* 1. Card. de Lug *tom.* 2. *de Iust. disp.* 22. *sect.* 10. *numer.* 281. & omnes: sed dictus filius, ut emancipatus, suorum bonorum habet administrationem: ergo circa illa cum propria matre, & cum alijs contractus celebrare potest.

6 Addo, posse dd. matrem, & filium dictum contractum celebrare sine scriptura, non obstante *Ordin. Reg. l.* 3. *tit.* 59. *in principio*; nam. §. 11. id illis concedit ibi: *Nec inter filium, & matrem.* DD. vide apud Emman. Barbos. *in Remiss. ad cit.* §. *Ordin.*

QUÆSTIO LIII.

An pecunia inventa apud defunctum conjugatum filios habentem, in hospitali ad hospitale pertineat?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Non pertinet ex ipso jure & DD.*
3 *Parentes divites non tenentur solvere expensas pro filijs hospitali expositis, juxta probabiliorem opinionem.*
4 *Privilegium hospitalium succedendi defunctis in eo demortuis cessat, si dentur hæredes necessarij.*

1 GErvasio, habenti filios legitimos, & uxorem, post mortem in quodam hujus Regni hospitali, inventa sunt quindecim millia regalia Lusitana, quæ hospitale sibi acquisivit, quia dicebat, se privilegium habere, succedendi, loco hæredis, illis, qui in illo, & alijs hospitalibus decedunt. Quæritur, An pecunia inventa, ad illud hospitale pertineat?

RESOLUTIO.

2 Respondeo, non pertinere. Ratio est, quia Gervasius hæredes necessarios,

nempe uxorem, & filios habebat; & ad patriam cum ea pecunia pervenire non potuit occasione infirmitatis, in eo oppido occurrentis, quam pecuniam suo labore ad filijs, & uxori opitulandum acquisivit: sed in his terminis, hospitale nullum habet privilegium ad succedendum in ea pecunia. Sic constat ex ipso jure *in Authentic. omnes peregrini*, ibi: *Si verò intestati decesserint: ad hospitem nihil perveniet, sed bona ipsorum per manus Episcopi loci, si fieri potest, haredibus traduntur, vel in pias causas erogantur, C. Communia de succes.* consonat Molin. *tract. 2. disp. 164. in fine*, ibi: *Decedentibus aliquibus peregrinis in hospitali ab intestato, & non habentibus consanguineos usque ad decimum gradum, bona eorum mobilia, quæ ibi reperta fuerint, per Episcopum sunt distribuenda, in pias causas; sic habetur in Authent. Omnes peregrini, &c.* Idem tenent vasq. *in opusc. de restit. cap. 5. §. 4. dub. 1. num. 4. vers. quarto, certum est, & de testam. cap. 4. §. 3. num. 64* Fagund. *l. 7. in sept. decal. præcept. cap 21. num 8.* Card. de Lug. *de Just. disp. 24. nu. 193. in fine*: ergo in ea pecunia inventa non hospitale, sed hæredes filij, & uxor successuri sunt.

3 Nec obstat primò, quòd parentes divites tenentur solvere hospitalibus expensas pro alendis filijs expositis factas; quia si cognoscerentur ab hospitali pro illis conveniri possint, ut tradunt Gratian. *discept. forens. cap. 267. nu. 41. & seqq.* Surd. *de aliment. tit. 1. q. 81. numer. 2.* quos refert, & sequitur Emman. Barbol. *in Remiss. ad Ordin. Reg. l. 1. tit, 87. §. 11. numer. 2.* Molin. *tom. 4. de just. disp. 102. in fine.* Homobon. Bellochius, & Azor apud Dian. 3. *part. tract. 6. resol. 4* & cum alijs Fragos. *tom. 3. regim. reip. Christ. disp, 2. §. 3. num. 129.* ergo etiam Gervasius, ex ea pecunia apud ipsum reperta, tenebatur solvere hospitali expensas in sua infirmitate factas, & si in vita eas non solvit, censetur, post mortem ex illa pecunia esse solvendas, voluisse. Non, inquam, obstat, quia respondetur, dato antecedente, negando consequentiam. Diversa ratio est, quia hospitalia principaliter sunt instituta pro curandis infirmis, unde etiam si Gervasius fuisset dives, non tenebatur pro expensis in sua infirmitate factis; at hospitalia principaliter non sunt pro expositis instituta, quare divites ad expensas pro ipsis expositis factas, tenentur ipsi hospitali restitutionem facere ut DD. citati asserunt. Dixi dato antecedente, nam quamvis, citati DD. sic autument, plures tamen illud negant maximé de illis hospitalibus, quæ etiam pro expositis sunt principaliter instituta. Sic Illustriss. Roderic. à Cuña *in Decretum Gratian. part. 1. distinct 87. cap 9. num. 13* Fragos *cit. vers. Ex his duabus sententijs*, Tamburin. *l. 5 decal. cap. 3 §. 1 num 4 & 5.* Circa expositos, & obligationé, illos alendi, vide Ordin. Reg. *loco cit.*

4 Nec obstat secundò, quòd hospitalia, ordinariè loquendo, habent privilegia succedendi loco hæredis illis, qui in ipsis decedunt: ergo hospitale succedere debet in pecunia, apud Gervasium reperta. Non, inquam, obstat; quia licèt id consonum, & pium sit, non tamen potest habere locum, ubi dantur hæredes maximè necessarij & pauperes ut ipsum jus disponit, & DD.

QUÆSTIO LIV.

An si fœmina ab uno deflorata, nullam passa sit infamiam, & ab alio illam passa sit, & à judice dote adjudicatá, præstito juramento falso, circa defloration em, teneatur ad dotis obtentæ, & expensarum litis restitutionem?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Probabile est non tenci fœminam ad restitutionem.*
3 *Quando virgo, præ verecundia dissentire, non est causa, deflorator à restitutione non liberatur.*
4 *Quando aliquis est causa infamiæ fœminæ, & hæc consentit spe matrimonium obtinendi, cum aliquo tertio, infamator ad aliquam dotem, vel matrimonium procurandum, tenetur.*
5 *Probabile est, teneri violatorem virginis sponte consentientis ad aliquam faciendam restitutionem patri sub cujus cura est.*
6 *Dos non debetur pro defloratione secundum se, sed pro infamia ex præsumptione illius orta.*
7 *Omnia, quæ astruunt DD. de virgine, extenduntur ad viduam famæ honestæ, & virginem existimatam, sub cura patris, existentem.*
8 *Sententia judicis nec fuit nulla, nec juramentum fœminæ reservatum.*
9 *Quamvis sententia communis restitutionem nō concedat, oppositа tamen est probabilis, & iuxta illam restitutio debetur.*

1 A Loysia ætate jam nubili ab uno fuit deflorata, qui defectus fuit omnino occultus; post aliquos annos à Paulino viro nobili fuit inducta, & nulla facta promissione, nec ab illa petita, filium ex illo peperit; Quod illius pater ægrè ferens, illam coegit, ut litem contra Paulinum intenderet pro sui honoris satisfactione. Et in judicio, præstito juramento falso, dixit se à Paulino fuisse defloratam. Contra illum judex sententiam protulit, illum condemnando, tam in litis expensis, quam in centenis aureis, pro dotis fœminæ supplemento; quæ ad unguem fuerunt soluta. Cum hoc supplemento, & alijs à parente obtentis, alij tertio, ab alijs duobus diversò, nupsit; angitur tamen scrupulis. Quæritur; An teneatur ad restitutionem illorum centenorum regalium, & litis expensarum?

RE-

RESOLUTIO.

2 Respondeo, probabile esse, non teneri ad restitutionem. Probatur primò, quia Paulinus eam aliquo modo dotare tenebatur: ergo si illam dotare tenebatur, illa dotem non tenetur restituere. Antecedens in quo tota est dubitatio, ostenditur; quia Aloysia ab omnibus virgo existimabatur, & erat animi pusillanimis & à Paulino solicitata, ob reverentiam consensit; & in his terminis Paulinus tenebatur ad eam dotem; ut cum Tolet. docet Rebellus *de obligat. Just. 1. part. l. 3. q. 8 num. 7.* ergo dotem traditam, illa non tenebatur, restituere.

3 Secundò probatur: nam quando virgo (seu existimata virgo, ut dicetur num. 6.] præ verecundia dissentire ausa non est, defloratore à restitutione non liberatur, ut fatentur Vasq. *in opusc. l de restit cap 3. § 2. dub 1. num. 5.* Molin. *tom. 4. de just. disp. 106. num. 1.* quos refert, & sequitur Cardin. de Lug *disp 12. de Just. sect. 1. num. 4.* Sed Aloysia præverecundia, ausa non est Paulino nobili dissentire: ergo si Paulinus non liberatur à restitutione, nec Aloysia tenetur acceptam dotem restituere.

4 Tertio probatur, quia Paulinus fuit causa infamiæ Aloysiæ, illam sollicitando, & gravidam faciendo, & quamvis ipsa consensit, ab illo sperabat dotem, ut cum alio matrimonium iniret: sed quando infamia sequuta fuit, vel maior difficultas adnuptias in illa, quæ virgo communiter existimabatur, eidem debetur restitutio, ut cum Navarr. Cordub. Maior Vasq. Petr. Navarra, Azor, & alijs communiter, tenet Card de Lug *dict disp. 12. num.* 15. ergo ex hac ratione potest eam retinere pecuniam ad supplementum dotis; quia Paulinus meritò poterat, hanc præsumptionem de illa habere.

5 Quartò probatur, quia probabile est, teneri violatorem virginis consentientis, & non invitæ aliquam restitutionem facere patri sub cujus cura est ipsa virgo ut plures asserunt, D. Thom. Caiet. Abulens. Guilelm. D. Antonin. Bernard. Dias, Salzed Cordub Gutierr. Valencia Lopes, Rodrig Salon. Banes apud Fagund. *l. 6. in 6. decal præcept. cap. 5 num. 2 & 3.* Azor apud Cardin. de Lug *cit. num. 8.* Idem sentiunt Navarr. *in sum. cap. 16. num. 19.* Sylvest. *ibidem Verb Luxuria q 5.* Rebell. *cit. q. 9. num. 4.* ibi: *In foro conscientiæ satisfactio peculiaris patri debita videtur, & in suo etiam gradu tutori, sive tutrici, quando puella sub ipsorum custodia existens, sive consentiens, sive renitens, sive intra, sive extra domum abducta, stupratur; idque propter injuriam, quæ a vitiatore illius contra jus custodiæ, quod circa puellam habent, irrogatur: tum maximè propter ignominiam, sive detrimentum honoris, quod inde haud dubiè patiuntur, præsertim cùm res divulgatur: atque in hoc naturali debito videtur fundari lex illa Deuteron. 22. quæ præcipiebat, ut vitiator stupratam haberet in uxorem, & patri ejus quinquaginta siclos redderet. Quamvis lex, quia judicialis erat, hodie non obligat. In conclusione consentit Navarr cap. 16. num. 19. post D. Anton, Sylvest verb Luxuria q. 5. ubi eam tribuit D. Thom. dicto art. 6.* Sic Rebell at Aloysia inductione, ac coactione patris, interposuit in judicio libellum contra Paulinum, quia pater se ignominia, & detrimento honoris sentiebat affectum, & non suâ sponte; ergo à restitutione censetur libera.

6 Quintò probatur, quia restitutio, seu dos non debetur pro defloratine, secundum se, sed pro damno, seu infamia ex præsumptione illius orta: ergo quamvis Paulinus Aloysiam non defloraset, illi dotem, seu supplementum dotis debebat; quia data fuit præsumptio defforationis, & de facto infamia ab illo causata. In antecedente conveniunt communiter DD. asserentes, nullam deberi restitutionem à defloratore, quando copula fuit occulta, ex qua nulla secuta fuit infamia; nec damnum, quia æquè bene nupsit. Sic Vasq *in opusc. de restitut. cap. 3. § 2. dub. 3.* cum Navarr & Cordub. & relato Lessio Fagund. *lib. 6 in 6 decal. præcept. cap. 5 num. 8* & citatis Azor, Turrian Navarr & alijs Card de Lug. *dicta disp. 12. num. 15 & 16.* Fragos. *tom 3 disp 1. § 3 num. 45. prope finem*; Ex hac ratione, quia defloratio est ex genere eorum, quæ pecuniâ non compensantur: ergo à contrario sensu, siquis non fuit defloratur fœminæ, fuit tamen illius infamiæ causa, & damnum; quia jam æquè bene nubere nequit, ad restitutionem tenetur: sed Paulinus fuit causa istius infamiæ, & damni Aloysiæ: ergo illam tenetur dotare eo modo, quo antea poterat nubere. Ita docent Navarr. Cordub. Maior, quos affert, & sequitur Vasq. *cit. dub. 2.* & relatis Sayr. Petr Navarra Fagund. *supra num. 10. vers. Dicendum tamen est.*

7 Nec obstat primò, quòd aliquæ ex supradictis probationibus procedunt de virgine: at Aloysia virgo non erat. Non, inquam, obstat, nam omnia, quæ tradunt DD. de virgine ad viduam honestam, aut aliàs defloratam, sub honesta parentum custodia viventem, extenduntur. Sic Rebell. *cit. dicta q. 9. num. 6. in fine*, Molin. *dict. tom. 4. de just disp. 106. num. 10.* ibi: *Atque in omnibus idem prorsus dicendum est, quod de virgine, conclusionibus præcedentibus, dictum est.* Vide Sanch. *de matr. l. 1. disp. 10. a num. 22* & Card. de Lug. *dicta disp. 12. num 33. & 34.* alios citantes, asserentes fictè promittentem corruptæ bonæ famæ matrimonium, sub spe copulæ, si ex illa sequuta sit infamia, teneri ad matrimonium. Quare ex infamia colligunt obligationem, illam ducendi: ergo etiam in præsenti casu ex infamia Aloysiæ sequuta, bene colligitur obligatio eam dotandi, quando matrimonium non est promissum, nec illa ejusdem conditionis

8 Nec obstat secundò dicere quod senten-

tia lata à judice, fuit nulla materialiter; quia Paulinus Aloysiam non defloravit, & sententia fuit lata, propter juramentum falsum, ab Aloysia præstitum, fatente, se ab illo fuisse defloratam, & in jure stupratæ asserenti, se fuisse virginem, ejus juramento fides adhibetur, tum in odium delinquentis, tum quia talis assertio pro se, naturæ præsumptionem habet; ut post Salzed. Mascard. Menoch. Gutierr. Card. Thusc. & alios referens, resolvit Farinac. *in praxi crimin. q.*147. *à numer.*135. *& part.* 4. *decis.*74. *numer.*6. quibus assentit Emman. Barbos. *in Remiss. ad Ord. Reg. l.*5. *tit.* 23. *in principio numer.*3. Quare sententia in eo juramento fallo fundata materialiter fuit nulla; & ut talis Aloysiæ nullum tribuit jus, ad dotem receptam, non restituendam. Non, inquam, hoc obstat, quia licèt Aloysia pejerasset, & reservatum in multorum opinione incurrisset; quia juramentum falsum in judicio, in omnibus hujus Regni Diœcesibus reservatur; censeo tamen sententiam à judice latam, etiam materialiter fuisse validam, & tale juramentum non fuisse reservatum. Fuit valida ea sententia, quia non solùm in eo juramento fundabatur, sed etiam in infamia publica á Paulino causata. Et casu negato, quòd in eo juramento ea sententia fundaretur, adhuc erat valida, quia Aloysia in omnium existimatione juravit verum; si enim Aloysia jurasset, se à Paulino non fuisse defloratam, suum peccatum omnino occultum, manifestabat, ad quod à judice obligari non poterat, ut cum D. Thom. Sayr. & Lessio tradit Fragos. *tom.* 1. *regim. reip. Christ. l.*5. *disp.*12. §. 6. *num.* 180. & *tom.* 5. *disp.*1. §. 3. *num.*45. *prope finem*, & alij, communiter; nec ipsum jus id concedit, si judex ex depositione testium semiplenam non habeat probationem, ut docente Aldrete cum pluribus *de Relig. aiscip. tuend. l.*2. *cap.*4. *numer.*7. Sanch. *l.*3. *decal. cap.*7. *num.*15. Lessius *l.* 2. *cap.* 31. *dub* 3. *num.* 10. Aragon. 2. 2. *q.*69. *art.* 2. Ioann. de la Cruz *in direct. part.*1. *præcep.* 8. *artic.* 3. *dub* 9. *concluf.*1. Segur. *in direct. judicis part.* 2. *cap* 24. *num.*30. Mirand. *in ordin. Iudiciar. tom.* 2. *q.*19. *art.*13 *concluf* 1. Salzed. *in practic. crimin. cap.*126 *litt. C.* Et jurando Aloysia à Paulino fuisse stupratam, jurabat in foro exteriori, & in eo sic solùm poterat jurare, nempe fuisse à Paulino stupratam, juxta communem omnium existimationem, quia ab omnibus ante illius illicitam amicitiam cum Paulino, virgo existimabatur. Et sic valida erat sententia, & juramentum in hoc sensu verum vide *dicta num.* 4. & Card de Lug. *ibi cit. num.* 16. *in fine* dicentem, non pro ruptione signaculi, sed pto damno in foro exteriori, deberi restitutionem. Et hoc bene constat, nam si æque bene nubat, restitutio nulla debetur, ut cum ipso Card. & alijs *dictum est num.* 6. Et in hoc sensu etiam, quod diximus, verum erat, nempe juramentum non esse reservatum, quia sic poterat jurare sicut enim, qui jurat falsum, existimans se verum jurare, reservationem non incurrit, quia non peccat, sic etiam qui existimat jurare falsum, jurat tamen verum, ut in nostro casu, reservationem non incurrit; quia reservatio est restrictio juris dictioms confessariorum ordinariorum, & ut talis, restringenda est, & sumẽda in eo sensu, in quo procedit juramentum. Vide quæ dixi *in Expos. Bull. disp.* 18. *num.* 214.

9 Nec obstat tertiò, quòd aliqui DD. *cit. num.*5. dicant, defloratorem, teneri aliquam restitutionem facere patri defloratæ, sub cujus cura illa est, quando illa non invita defloratoni consensit nam DD. communiter id negant, & rectè probant, quales sunt Molin. *tom* 4. *de just. disp.* 106. *num.* 2. cum Sot. Ledesm. & Sylv. Vasq. *cit. dict. cap.* 3 §. 2. *dub.*4. *num.*12. & relatis Less. speeul. Card. de Lug *dict. disp.* 12. *num*,8. & *de pœnit. disp.* 16. *sect.* 4. & cum multo pluribus citatis Fagund. *dict. cap.*5 *num.* 1. & Aloysia non invita consensit. Non inquam obstat, nam quanvis hæc sententia sit apud hos Authores communior, & probabilior, negari tamen nequit, traditam *dict. num.*5. esse probabilem, & juxta DD. ibi *citatos* probabiliorem; & juxta illam, non tenetur Aloysia dictos centenos aureos, & expensas in lite factas, restituere.

QUÆSTIO LV.

An possit aliquis solutionem multorum debitorum differre, & alia de novo contrahere, ut citius bona recuperet, quibus omnibus satisfaciat, & filium unicum in matrimonio collocare, & solitas eleemosynas pauperibus, peregrinis, famulis antiquis, & senibus erogare?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Non potest differre solutionem creditorum, ut citius habeat cum quo illis satisfaciat.*
3 *Non potest differe solutionem, & nova debita contrahere, ut ex victoria litium solvat.*
4 *Potest differri uni creditori solutio, ut ex dilatione, alijs pluribus solvatur, dummodo magna non sit dilatio.*

1 IOanna nobilissima fœmina habens in redditibus annuis decem millia aureorum, de quibus deductis eorum obligationibus, octo millia remanebunt; ære multo alieno gravata, litibus non paucis in curia, à qua per plures leucas distat, impetitur. Et ut ad Curiam de illis agendum, proficiscatur, multa indiget pecunia mutua. Quæritur 1. An possit creditorum solutiones differre, & alia de novo contrahere debita, ut citius ex litibus, quibus satisfaciat, recuperet? 2 An cum detrimento creditorum, & maiori debitorum dilatione, filium unicum ad suæ domus conser-

vationem

vationem matrimonio collocare possit eleemosynas ostiatim, peregrinis, ac famulis antiquis, & senibus erogare?

§. I.

An dicta fœmina debitorum solutionem differre possit, & alia de novo contrahere, ut citius cum quo satisfaciat acquirat?

2 Respondeo non posse cum detrimento creditorum. Probatur primò, quia Ioanna potest, absque suo maiori damno, creditoribus suum debitum solvere: ergo ex nullo alio mtere sse potest solutionem differre. Secundò: nam quando creditor ex dilatione sui debiti, grave damnum recipit, tenetur debitor statim solutionem facere etiam si ex ea dilatione magnum commodum reportet. Hæ rationes videntur coincidere cum ea, quam DD mox citandi, afferunt: dicunt enim, quando ex dilatione debitor detrimentum in rebus proprijs non patitur, sed in eo quòd non lucretur ex rebus alienis, invito eo, ad quem pertinent, solutionem non posse differre: sed Ioanna in rebus proprijs detrimentum non patitur, sed in eo, quod litibus non assistat, ex quibus sperat tantum lucrum acquirere, quo suis creditoribus satisfaciat: ergo solutionem differre non potest Maior hujus rationis docetut à Caiet. Navarr. Cordub. Medin. Petr. Navarra, quos afferunt, & sequuntur Lass. *l.2 de Iust. cap.* 26. *dub.*1. *num.*24 Molin. *tom.*3 *disp.*754 *numer.* 2. *Vers. Quando detrimentum*, Bonacin. *tom.*2. *tract de restit in genere disp.*1 *q.*ult *punct.* 1. *numer.* 29. Laym *in summ. l.*3 *sect.*5. *tract.*2. *cap.*12. *numer.*2. *Vers. Requiritur*, Castr. Palaus *tom.*7 *de just. commut disp.*1 *punct.*17 §. 4. *numer.* 2. & alij communitur. Minor, & consequentia rectè inferuntur.

3 Nec obstat primò, quòd DD. citati loquuntur de casu à nostro diverso, nempe de illo, in quo debitor debitorum solutiones differt, ut ex ijs debitis, quibus solvere debebat, quæ ad creditores pertinebant, lucrum reportet: at in nostro casu aliud intervenit; nam Ioanna solutionem differre vult, non ut sibi lucrum reportet, sed ut victoria litium, quas vincere intendit, seu sperat, acquirat, cum quibus omnibus creditoribus satisfaciat. Non, inquam, obstat, nam ad probationem nostræ resolutionis parum refert, quod lucrum speretur ex pecunia creditoribus tradenda, aut ex pecunia de novo mutua contrahenda ad lites ablolvendas, ut ex ipso lucro, sicut, & de illo, creditoribus satisfiat. Respondetur igitur cum hoc dilemmate: vel enim Ioanna pro nunc est impotens ad creditoribus solvendum, vel non: si primum; non rectè inquirit, an possit differre solutiones suorum debitorum, alia de novo contrahendo, ut ad curiam progrediatur, & litibus assistat, & victis, ut sperat, habeat cum quo creditoribus satisfaciat. Si enim hoc est verum, bene potest differre creditorum solutiones alias non solutura. Nec illi ei molestiam inferre possunt, nec à Iudice postulare, ut sibi ipsis solvere jubeat; ut bene colligitur ex traditis à Bard. *l* 1. *select.q.*10. *num.* 6. Fateor tamen sæpius nos videre palliari obligationem restitutionis, ut aliquando appareat moraliter impossibilis, quæ talis non est. Si secundum, ut præsumitur de habente, deductis obligationibus, in redditibus annuis octo millia aureorum, ut *num.* 1. *dictum est* Dico, quod non potest differre solutionem creditorum cum illorum damno nec alia contrahere debita, ut ad Curiam iter faciat, cum spe, quòd ex litibus acquirat, quibus creditoribus satisfaciat; quæ spes sæpius fallit, & nullus est debitor maximè ex Magnatibus, cui spes solvendi non insit, & illa fratrus fere nunquam est solvendo, nec solvit.

4 Nec obstat secundò, dicere, non deesse DD. asserentes, quando creditores unius debitoris sunt plures, & dilatione solutionis unipræstandæ, potest debitor lucrum acquirere, quo omnibus satisfaciat, aliàs non satisfacturus, posse aliquantulum solutionem differre: ut tradunt Adrian *in* 4. *ubi de restit. dub.* 16. Petr. Navarr. *de rest. l.*4 *cap.*4 *num.*43. Less. *l.*2 *cap* 16 *num.*24. Laym. *l.*3. *sect.*5. *tract.*2. *cap* 12. *num.* 2. *vers requiritur*, Castr. Palaus *dict. disp.*1. *punct.*17 § 4. *num.*4. Thomas Tambur. *l.*8. *decal. tract.* 4. *cap* 1 § 9. *num.*1. *in fine*: ergo etiam poterit Ioanna omnibus differre debitum, ut omnibus satisfaciat; nam si uni licitum est differre debitum, ut omnibus fiat satisfactio, etiam omnibus eam solutionem erit licitum differre, ut omnibus satisfiat. Non, inquam, obstat, quia respondetur, negando consequentiam, nam differre uni aliquantulum solutionem, ut omnibus creditoribus satisfiat, aliàs non satisfaciendum, non est illicitum, nam ipse creditor, ad id pro omnibus, & se ipso tenetur; at in præsenti casu non differtur debitum uni tantùm, sed omnibus, & non pro aliquantulo, sed per multos annos, nam lites in Curia breviter absolvi non solent Additur, quòd in Curia, ubi impensæ sunt maiores, difficilius debita solvũtur. Videmus enim sæpius plures debitis gravatos, curiam deserere, ut suis possint creditoribus satisfacere.

§. II.

An possit Joana cum detrimento suorum creditorum, & maiori debitorum dilatione, in matrimonio filium unicum ad suæ domus conservationem, collocare, donando illi medietatem dictorum octo millium aureorum?

SUMMARIUM.

5 *Non potest cum detrimento creditorum.*
6 *Potest tamen filium in matrimonio collocare, præstan-*

præstando alimenta moderata.

7 *Parentes filijs præstare tenentur alimenta, juxta suas facultates.*

8 *Alimenta debentur filijs secundum dignitatem suppositis parentis facultatibus.*

9 *Dato æquali detrimento, præferendus est creditor.*

5 Respondeo, non posse: Ratio est, quia conveniunt DD. non posse differri debitorum solutionem cum damno, & detrimento creditorum, nisi in casu, quo debitor periculum subeat cadendi à suo statu justè acquisito. Sic Molin. *dicto tom.3.disp.754.num 2.Vers. Quando vero*, Paulus Laym. *l.4.summ.sect.5.tract.2.cap. 12 num.2.*Bonac.*cit.dict disp.1.de restit. in gener. q.ult punct.1 num.24.*Castr. Palaus *dict. tom. 7. disput 1.punct.17.§.2.num. 4.* Tambur. *proximè dict.§.9.num 2.* Sed Ioanna nullum subit periculum cadendi à suo statu, si moderata præstet alimenta filio suo in matrimonio collocando: ergo tenetur maiora non tradere, cum damno, & detrimento creditorum.

6 Æquum tamen est, quòd Ioanna filium unicum in matrimonio collocet, illi donatis alimentis moderatis, ut sic suis creditoribus satisfacere possit debita, absque dilatione, & illorum detrimento; & cùm sit ex illustrissima familia, & maternæ domus hæres ipse filius, adeo divitem ducere poterit uxorem, ut ab ipsis moderatis alimentis filio præstandis, ipsa mater libera maneat. Videantur Molin. *de primog.l.2.cap 16.num.46.*Fragos.*3 tom disp.2.§.2. num.118.* Tamburin.*l.5 decal.cap.3.§.1.num. 1. in fine.*

7 Quòd tamen Ioanna suo filio alimenta moderata præstare teneatur, ostenditur, quia DD. tam juristæ, quam TT. docent, alimenta esse præstanda juxta parentum facultates, & expressè constat ex ipso jure *in l. Si patrem*, ibi: *alimenta pro modo facultatum, C. de alend. liber. & parent.* & alijs apud Barbos. *in Collect. ad d. leg num.8.* & dicit Sanch. *l.4. matr.disp 26.num. 8.* loquens de dote fœminæ debita, ibi: *Quantitatem facultatum patris*; conveniunt Molin. *de primogenijs cap.15. numer. 8.* Gama *decis. 225. num.1* Fragos.*supra num. 124.* Tamburin. *l. 5. decal cap.3.§ 1.num.2.* & supponitur ab omnibus de alimentis agentibus, & ita habet praxis: sed facultates alicujus dicuntur illæ, quæ deducto ære alieno remanent, *l. Mulier bona ff.de jur dotium l Non possunt, ff.de jure fisc. l.fin. §.sin autem as alienum C.de bon quæ liber.* & alijs, & DD. qui latè citantur à Barbos. *tract. de axiom. 37. num. 1.* ergo Ioanna juxta suas facultates considerato ære alieno, filio donare potest alimenta, quæ à solutione debitorum creditores retardare nequeant.

8 Nec obstat, quòd alimenta debeantur non solùm secundum facultates parentum, sed etiam secundum dignitatem ipsius alimentandi ut testantur Sanch. *cit.* & alij: at filius unicus Ioannæ est ex nobiliori familia totius Hispaniæ; & si uxorem ducat, pro alimentis indiget famulis, servis, curribus, equis, & supellectili domestica, & alijs, ut videre est apud DD. *cit.* & Fragos. *tom.3.disp.2.§.1.num. 110.* Tambur. *l.5.decal.cap.3.§.1.num.1.& 2.* Hæc autem alinequeunt. si mater ex suis redditibus pro alimentis ipsi filio ad minimum non præstet pro singulis annis quatuor millia ducatorum. Quibus præstitis, non potest non dari detrimentum, & dilatio in debitis creditoribus solvendis. Non, inquam, obstat, quia respondetur verum esse alimenta præstanda esse filio juxta illius dignitatem; quod intelligitur, servatis matris facultatibus, & ære alieno, quo gravatur. Si tamen nec mater, nec filius à suo statu decidunt, non posse ea quatuor millia aureorum pro singulis annis à matre filio præstari; si ijs præstitis creditores in suis debitis, & eorum dilatione detrimentum patiantur.

9 Addo si æquale detrimentum patiantur creditores illi, quod debetrix patitur restituendo, vel non differendo solutionem, satisfaciendum esse creditoribus. Ratio est, quia melior est conditio creditorum jure civili, suam pecuniam, quam debetrici dederunt mutuam, possidentium, quam conditio debetricis eo jure non possidentis; Sic communiter DD. ex quibus plures citant, & sequuntur Bonac. *dict.tom 2.& disp.1.de restit.in gener.q.ult.punct.1.num.19.* & Castro Palaus *dict.tom 7.disp 1.punct.17.§.3. num.5.* Si tamen è contra debetrix Ioanna maius detrimentum in bonis proprijs patiatur, statim restituendo, quam creditores ex dilatione restitutionis patiantur, non tenetur statim restituere. Sic cum Lessio, Molin. Clavi Regia, & alijs tradit Bonac. *proximè nu.11.* Vide Tambur.*l.8.decal.tract.8.§.9.num.2.* in medio.

§. III.

An possit Ioanna cum aliquo creditorum damno eleemosynas tenues, & peregrinis, & famulis antiquis, & senibus elargiri?

SUMMARIUM.

10 *Potest juxta suum statum.*

11 *Qui bonorum cessionem fecit, potest occultare alimenta, quibus secundum suum statum parcè vivat.*

12 *Eleemosynæ excessivæ, quæ creditorum debita retardant, non sunt elargiendæ.*

10 Respondeo, posse: Ratio est, quia eæ eleemosynæ non sunt excessivæ, sed moderatæ, & convenientes conditioni, & qualitati Ioannæ debitæ, & ad suum statum pertinentes: sicut enim à marito uxori prohiberi nequeunt eæ eleemosynarum elargitiones quæ ad decorem, & illius congruam sustentationem pertinent, ut ex August. Navarr. & Sylvestr. tradunt

tradunt Soar. *disp.* 8. *sect.* 2. *de charit.* Vasq. *in opusc. de Eleemosyn. cap.* 4. *num.* 4. Ægid. Coninch. *disp.* 27. *dub.* 5. *num.* 52. Less. *l.* 2. *de just. cap.* 42. *dub.* 14. *num.* 45 Bonacin. *tom.* 2. *de restit. in particul. disp.* 2. *q.* 10. *punct.* 2. *num.* 6. Castr. Palaus *tom.* 1. *tract.* 6. *disp.* 2. *punct.* 13. *num.* 12. Sic à fortiori poterit Ioanna Illustrissimæ domus habens administrationem, supradictas eleemosynas elargiri; omnes enim pertinent ad rectam gubernationem suæ domus, & status; nec creditores justè conqueri valent.

11 Confirmatur, quia probabile est, posse illum, qui bonorum cessionem fecit, in foro conscientiæ, retinere, & occultare alimenta, quibus secundum suum statum parcè vivat; ut inquit Tamburin. *l.* 8. *decal. tract.* 4. *cap.* 1. § 9 *num.* 8. ex doctrina, quam tradunt Scot. Angel. Navarr. & Azor, quos citat & sequitur Cælestin. *in compendio Theol. moral. tract.* 9. *cap.* 19. *in fine*, & approbat. Dian. 5. *part. tract.* 14. *resol.* 57 asserentes, uxores, & filios, quorum viri, ac parentes ad magnam redacti sunt penuriam, sive culpatè, sive absque culpa, si post eorum mortem, inveniantur, non esse solvendo debitis à viro, patreque subtractis, posse ex bonis relictis tantùm subtrahere, atque occultare, quantum satis judicetur, ad vitam, suumque statum honestè conservandum; in idem recidit Castr. Palaus dicens, cum pluribus *tom. de Just. disp.* 1 *punct.* 15 *num.* 4. posse uxorem sibi accipere, quæ ad victum, & vestitum fuerint necessaria: ergo à fortiori poterit Ioanna, quæ ad eum statum non est redacta, expendere in eleemosynis non excessivis, sed moderatis cum Religiosis, qui ad suam domum divertuntur, & cum famulis jam senio confectis, aut aliquo morbo, etiam diuturno laborantibus, alimenta præstare; nam hæc ad suum statum pertinent, quamvis ex illis aliquod damnum creditoribus in dilatione solutionis, sequatur.

12 Nec obstat, quòd debita ex Iustitia, debitis ex charitate præcedunt: at debita creditorum ex Iustitia debentur, eleemosynæ verò prædictæ, ex charitate: ergo. Non, inquam obstat, quia consequentia, quæ censetur inferri, est vera de eleemosynis excessivis, non verò de moderatis, quæ statum sequuntur, ac commitantur. Addo, eleemosynas famulis senibus elargitas non esse tantùm ex charitate, sed etiam ex jure naturali debitas: nam naturalis ratio dictat, quòd alimentetur ille, qui servivit, dum potuit, quando jam servire non potest, & cùm hoc in aliquibus illustribus domibus observetur, ab hac consuetudine meritò introducta, ob solutionis dilationem creditorum, non est recedendum.

[illegible]

QUÆSTIO LVI.

An alicui legato usufructu omnium bonorum pro sua vita, hac finita, aliquà & quænam ad hæredem proprietarium pertinere debeant?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Resolutio ex jure, & DD. est sine controversia.*
3 *Usufructuaria potest uti omnibus rebus, quæ usu non consummuntur, & circa ipsas modicas facere expensas.*
4 *Non tenetur domus meliorare, nec maiores reddere; tenetur tamen in vinea, & pomario, loco vitium, & arborum demortuarum, alias de novo plantare.*
5 *Si usufructus animalium in particulari legetur, & pereant, pereunt hæredi.*
6 *Partus ancillæ ad hæredem pertinet.*
7 *Res usu consumptibiles reddendæ sunt per æstimationem.*
8 *Supellectilia in eo statu, quo inveniuntur, sunt reddenda.*
9 *Fructus etiam maturi solo adhærentes, ad hæredem proprietarium pertinent, quando usufructuaria mortua est.*

1 PEtrus nullos habens filios, in suo testamento omnium suorum bonorum suæ uxori Elisabethæ usumfructum reliquit, & post suam mortem Paulum, & omnium fructuum, & proprietarium instituit. Inter hæc bona, aliqua reperiuntur immobilia, & mobilia, quæ usu, & alia, quæ non usu consumuntur. Quæritur, quæ, ex his bonis, mortua Elisabetha, ad Paulum, & illius hæredes, si mortuus fuerit, reservari debeant?

RESOLUTIO.

2 Hujus quæstionis resolutio in ipso jure est definita, & à DD. absque controversia agitata. Quia tamen à prædicta usufructuaria fuit interrogatus, & sæpius ab alijs, quia frequenter in hoc Regno hæc fiunt legationes, & ignorantur, quæ hæredibus institutis reservari debeant; hanc instituì quæstionem, ut omnibus interrogantibus satisfacerem Circa materiam hujus quæstionis videri possunt, ex TT Molina *tom.* 1. *de Just. tract.* 2. *disp* 7 Rebell. *de obligat. just.* 1. *part. l.* 1 *q* 7 *sect* 2 Castr. Palaus *tom* 7. *disp. unic. de just. in gener. punct.* 5 *a num.* 4 Less. *l* 2. *de just. cap* 3 *dub.* 4 Cardin. de Lug. *tom* 1. *de just. disp* 2. *sect.* 3 & alij, quos citant Quæ tamen apud hos DD. invenio, per sequentes dicam conclusiones; supponendo prius; *Usumfructum esse, jus utendi, & fruendi alienâ re, salva illius substantia*; ut constat *ex l* 1. *ff. de usufruct* & *Inst. eodem tit. in principio.*

3 Prima conclusio sit: Ex legatione usus-fructus omnium bonorum à Petro Elisabethæ facta potest illa usufructuaria, uti, & frui omnibus rerum fructibus, quæ usu non consumuntur, ut agri, domus, viniæ, greges animalium, & similia, & dum vivit, eos locare, & alteri utendos, concedere. Ratio est quia illi, & usus fructus, & ipse usus fuit legatus. Teneturque circa ipsas res modicas præstare expensas, ut conserventur, ut post illius mortem mox à Paulo hærede, & proprietario, aut ab illius hæredibus [si interim vitâ decedat) acquirantur: præciso omni dolo, & fraude: tenetur enim eas res integras, ut sibi traditæ fuerunt Paulo proprietario conservare. Si tamen dictæ res vi tempestatis, aut alio casu fortuito evertantur, absque culpa ipsius Elisabethæ usufructuariæ, Paulo proprietario, & hæredi peribunt. Sic ex ipso jure DD. *citati.*

4 Notandum tamen est circa expensas, in dictis rebus, præstandas, non teneri dictam Elisabetham usufructuariam domos meliorare, nec maiores reddere. Et quamvis ex vinea; pomario, & gregibus animalium omnes fructus percipiat, tenetur tamen loco vitium, & arborum demortuarum, alias plantare, habetur *l. Agri* 18. *ff. de usufruct.* ibi: *In locum demortuarum arborum aliæ substituendæ sunt* & *l. Arboribus*, 12. *ff. eodem tit.* Si tamen arbores sint in sylva cædua, potest aliquos ramos, & ramulos ad furnum, & stipites cædere, non tamen arbores grandes, constat *ex l. Ex Sylva cædua, & l. Si grandes ff. de usufruct.* Circa greges, & armenta animalium, tenetur loco demortuorum, & inutilivm substituere ex factibus integrum numerum, sibi traditum. Si tamen post designationem, seu substitutionem moriantur, Paulo proprietario, & hæredi, & non Elisabethæ fructuariæ moriuntur; habetur §. *Sed si gregis, inst. de rerum divis.*

5 Adverte tamen, hæc procedere, quando totus collectivè legatur grex, aut armentum animalium. Secus enim dicendum est, quando Elisabethæ legatus fuit usus fructus singulorum animalium in particulari; tunc enim loco demortuorum, nullum tenetur substituere; patet *ex l. Quid ergo, ff. de usufruct.* ibi: *Sed quod dicitur, debere eum summittere; toties verum est, quoties gregis vel armenti, vel equitij, ideſt universitatis fructus legatus est, cæterum si singulorum capita, nihil supplebit.* Quare si bos, aut equus individualiter legetur, quoad usumfructum; si moriatur, caro, & corium ad Paulum proprietarium pertinebit; sicut etiam area domus, si hæc casu fortuito corruat. Rebell. *supra num.* 16

6 Secunda conclusio: Si in ea legatione commprehendatur aliqua ancilla, ut sæpe contingit, illius fructus, nempe illius partus, ad Elysabetham fructuariam non pertinebit, Constat *ex l. vetus*, 68. *ff. de usufruct.* Secus si partus ancillæ ei specialiter legetur; patet ex ipsa *l. Vetus.* ibi: *Neque enim in fructu hominis, homo esse potest, hac ratione, nec usumfructum in eo fructuarius habebit. Quid tamen si fuerit etiam partus usus-fructus relictus, an habeat in eo usumfructum Et cum possint partus legari, poterit, & usus-fructus ejus.* Molin. *cit. Vers. Quando tamen*, Rebellus *supra num.* 10. *& alij cit.*

7 Tertia conclusio: Tenetur Elisabetha fructuaria Paulo proprietario, post mortem relinquere omnes res usu consumptibiles, ut pecuniam, frumentum, vinum, oleum, & similia, quas habuit à Petro suo marito quoad usumfructum, relictas, quoad integram æstimationem; quia in his, quæ usu consumuntur, ususfructus dari non potest. Quare illarum habebit Elisabetha plenum dominium, cautionemque præstabit illas tradendi, finito tempore ususfructus Paulo proprietario, juxta dispositionem à Petro factam, & earum æstimationem. Sic constat *ex* §. *Constituitur, Inst. de usufruct.* & ex multis *ll. sub titul. ff. de usufruct. rerum, quæ usu consumuntur, &* Molin. *citat. Vers. Postremò*, & Rebell. *supra numer.* 13. *in fine.*

8 Sed, quid sit dicendum de vestibus, & suppellectilibus, quoad usumfructum relictis, quæ sanè vel ipso usu consumuntur, vel certe valde minuuntur: Sunt enim tradendæ in ipso statu, quo inveniuntur, aut per æstimationem? Respondetur cum Molin. *disput.* 7. *citat. Vers. Usufructuarius ante medium*, & sit quarta conclusio: circa hoc aliqua distinctione utendum est: Si enim expresè legentur, quoad usum fructum; in eo statu, quo inveniuntur, reddère debent in re, & non per æstimationem, quia in ipso jure, inter illas computantur, quæ ipso usu non consumuntur; ut habetur *in* §. *Constituitur, inst. de usufruct.* & *in l.* 1. *ff. de usufruct. rerum, quæ usu consumuntur*, ibi: *Earum rerum, quæ usu tolluntur, vel minuuntur, possit usus legari.* Nec contradicit. *l. Si quid* 1. *Vers. Et si vestimentorum ff. de usufruct:* At si expresè non legentur, quoad usumfructum, vestes computari debent, sicut eæ res, quæ usu consumuntur. Cùm autem bona immobilia, & mobilia à Petro suæ uxori, quoad usumfructum sint legata; dicendum est, eas vestes, & supellectilia, finita vita Elisabethæ, tradi debere Paulo, in eo statu, quo inveniuntur.

9 Quinta conclusio: Si Elisabethæ vita, priusquam fructus colligantur, finiatur; etiam si jam ipsi fructus sint maturi, ad hæredes Elisabethæ usufructuariæ, non pertinent, sed ad Paulum hæredem, seu proprietarium, ut habetur. §. *Is verò Inst. de rer. division.* Ratio est, quia dum fructus

fundo

fundo, aut arboribus adhærent, censentur idem cum ipso fundo, pomario, & solo: sed post mortem usufructuariæ, fructus non collecti, ad illum, ad quem pertinet ipsum solùm, spectant. Molin. *citat. vers. Tunc verò*, Lessius *supra dict. cap.* 3 *dub.* 4. *num.* 17. *ante medium.*

QUÆSTIO LVII.

An adulter teneatur ad restitutionem filijs legitimis adulteræ faciendam, ex eo quod filius natus adulterum ore referebat?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Adulter ad alimenta, & legitimam non tenetur, nisi ei certo, & evidenter constet filium esse suum.*
3 *In utroque foro, ex dictis adulteræ præsumitur filius esse mariti.*
4 *Similitudo vultus non probat filiationem ex authoritate DD.*
5 *Nec etiam ex ratione.*
6 *Secus dicendum in altero casu, additis diversis fundamentis.*

1 SImplicius sæpe, ad conjugatam, in eadem domo cum suo marito habitantem, accessit; adultera facta gravida, & filium pariens, qui decursu temporis ad vivum similitudinem vultus Simplicij exprimebat; Simplicium convenit, intimans, illum teneri, alimenta dicto filio præstare à triennio, & restituendam legitimam filijs legitimis, quam à suo marito obtinebit, vt legitimus existimatus. Quæritur: An Simplicius ex eo indicio similitudinis, ad eas teneatur restitutiones?

RESOLUTIO.

2 Respondeo, non teneri, nisi ei certò, ac evidenter moraliter constet, eum esse suum filium. Sic communiter docent DD. quos latè afferunt, & sequuntur Fagund. *l.* 4. *in* 4. *decal. præcept. cap.* 6. *numer.* 1. Cardin. de Lug. *tom.* 1. *de Iust. disp.* 13 *sect.* 2. *numer.* 17. Themud. *in decis. Archiepiscop. Vlyssipon. decis.* 123. *numer.* 27. & 28. Sed Simplicio certò, evidentur moraliter constare non potest, eum filium esse suum: ergo ad eam restitutionem non tenetur.

3 Minor probatur, quia maritus adulteræ, tempore conceptionis talis filij, non erat absens, & alios filios genuerat ex ipsa uxore adulteræ: nec hæc fatetur, se filium genuisse ex Simplicio adultero, aliqua alia de causa, nisi quia sua proles similitudinem vultus Simplicij referebat, & non sui mariti; quamvis eo tempore, quo illa usus fuit Simplicius, etiam maritus utebatur. Et in his terminis in utroque foro, ipse filius præsumitur mariti, juxta *text. In l. Filium definimus, ff. de Ijs, qui sunt sui.* & DD. ibi: & *citati.*

4 Nec indicium ex similitudine vultus ortum, ullam parere potest certitudinem, evidentiam, ac moralitatem; nec eum filium, esse simplicij, probare. Ostenditur primò ex authoritate: nam DD. communiter tradunt, similitudinem vultus non probare filiationē Sic. Glossa *in l. Quæret aliquis, ff. de Verbor. signific* & DD. ibi Paris. Menoch. & alij, quos referunt, & sequuntur Valasc. *cons.* 176. *numer.* 14. Fagund. *citat. numer.* 3. *in fine*, Themud. *proxime num.* 33.

5 Secundo, ratione ostenditur: quia licèt aliquando filij matribus, & parentibus assimilentur; sæpius alijs, cum quibus nulla intercedit cognatio, assimilantur; ut ex pluribus exemplis referunt Gratian. *tom.* 3. *discept. forens. cap.* 567. *a numer* 30. Valer. Maximus *l.* 9. *cap.* 15. Tertiò, quia ex Philosophis, & Medicis constat, vultus, seu oris similitudinem ex fæminæ cogitatione sæpe provenire, ut bene probatur ex ovibus Iacob. *Genes* 30. & alijs ex causis, ut videre est apud Themud. *citatum.*

6 Nec obstat, quòd aliquando consilium, dedi teneri alterum adulterum simul cum ipsa adultera ad ea damna compensanda, cum qua aliquoties copulam habuit; cùm per id tempus, nec maritus esset absens, nec toro separatus: ergo idem dicendum in præsenti casu. Non, inquam, obstat, consilium datum. Quia in eo casu concurrebant circunstantiæ, quæ absque ulla dubitatione suadebant, ad credendum, filium esse adulteri, & non mariti: nam illa adultera per plures annos matrimonio cum suo viro erat conjuncta, quin unquam ullos ex illo genuisset filios. Deinde tempus partus tempori commissi adulterij, correspondebat, & non habitæ copulæ cum marito. Et hæc indicia manifestabant, filium esse illius adulteri; ut inquit Molin. *tom.* 4 *tract.* 3. *disput.* 103. *num.* 3. At in præcedenti casu ea non concurrebant indicia, quia maritus alios generat filios ex sua adultera uxore, & constabat de tempore partus, sicut de tempore commissi adulterij, & cùm tempore, quo maritus ad eam accesserat, correspondebat, & suus esse præsumitur, Nam in his terminis ex ipso jure præsumptio est pro marito; non tamen pro indicio similitudinis, quod ex dictis non multum urget.

QUÆSTIO LVIII.

An adultera possit uti primo testamento à marito revocato ex falsâ filij nati præsumptione; & inofficiosam dotem filiæ legitimæ conferre, excluso filio adulterino legitimo existimato?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *In foro conscientiæ sola rei veritas attenditur, & non præsumptio juris.*
3 *Filius certo cognoscens, se ex adulterio natum, tenetur totam hæreditatem legitimis relinquere.*
4 *Non tamen tenetur, si id tantùm sciat ex dicto matris.*
5 *Vxor adultera non tenetur suum crimen revelare, maximè quando nullus ex illa revelatione speratur effectus.*
6 *In foro externo ille filius adulterinus censebitur legitimus.*

1 IOannes, & Maria conjuges, cùm per quindecim, aut sexdecim annos nullos habuissent filios, testamentum condiderunt, se ad invicem in eadem charta hæredes instituentes, cum aliquo onere suffragiorum, quæ superstes facere celebrari teneretur. Post conditum testamentum, Maria ex adulterio filium concipit, ob cujus nativitatem Ioannes testamentum revocavit, & aliud condidit, in quo filium existimatum hæredem instituit, & suorum bonorum tertium Mariæ uxori suæ reliquit. Defuncto Joanne Maria ad secundas nuptias transijt, ex quibus filiam habuit, & juxta secundum testamentum à Ioanne conditum, illi nubenti inofficiosam dotem tradidit, quia primum revocatum existimavit nullum ex falsa præsumptione à Ioanne habita. Quæritur: An in foro conscientiæ ita potuisset disponere, nulla habita ratione de filio adulterino?

RESOLUTIO.

2 Respondeo, satisfactis suffragijs pro anima Ioannis, Mariam pro foro conscientiæ posse esse tutam illâ dispositione, præciso scandalo, si aliquod forte detur. Ratio est, quia Ioannes ex falsa præsumptione primum revocavit testamentum, alias non revocaturus, existimans filium ex sua uxore natum esse suum, cum non esset, sed ex adulterio: sed in foro conscientiæ sola veritas attenditur, & non juris præsumptio; ut constat ex *text. in cap. Veritate, 8. dist. & cap. Tua nos, desponsal.* & alijs non paucis legibus, & DD. quos affert, & sequitur Barbos. *tract. de Axiomat.* 186. *numer.* 1. ergo juxta illud testamentum poterat Maria suam filiam legitimam dotare, nulla habita ratione de suo filio adulterino. Nec huic aliqua fit injuria in ea dispositione, & dote, vivente ipsa Maria: Post illius enim mortem, sive constante, sive soluto filiæ matrimonio, pro foro externo semper exaudietur; ut videre est apud Fragos. *tom.* 3. *Reip. Christ. Regim. disput.* 8. § 9. *numer.* 284.

3 Imo asserò, si dictus filius adulterinus certò cognoscat, se ab adulterio natum fuisse, teneri in foro conscientiæ de illa non curare hæreditate; & si ex errore, aut deceptione ea bona juxta testamentum à suo præsumpto parente secundò conditum sibi tradantur, ea debere restituere filiæ legitimæ; quia illud testamentum ex ea falsa præsumptione fuit nullum. Sic Cardin. de Lug. *disput.* 13. *de Iust. sect.* 3. *nnmer.* 31. & 38. *post medium, & num.* 62 *in principio.*

4 Fateor tamen, quòd si dictus filius id tantùm sciat ex dicto matris, illi asserentis, se ex adulterio fuisse conceptum illi fidem adhibere non teneri. Sic cum Covarruv. Sot. Medin. & alijs pluribus Guttier. *Canon. lib. cap.* 38. *numer.* 30. & ante illum Menoch. *de Arbitr. casu* 89. *numer.* 28 Mantic. *de Contract. ult. volunt. l.* 2 *tit.* 14. *num.* 8. Lessius *de Iust. l.* 2. *cap.* 10. *dub.* 5 *nnmer.* 51. Laym. *in Summ. l.* 3 *sect.* 5. *tract.* 3. *cap.* 14. *de Adulter. numer.* 1. *vers. Accedit,* & alij, quos refert, & sequitur Barbos. *in Collect. ad cap. Officij, de Pœnit. & remiss' num.* 2. Alij addunt, quod nec etiam in articulo mortis, nec cum juramento, ut videre est apud Dian *part.* 11. *tract.* 6. *resol.* 56. Alij dicunt oppositum apud Cardin. de Lug. *dict. numer.* 62.

5 Sicut filius matri fidem adhibere non tenetur, ita nec etiam mater suum tenetur revelare delictum, nec pati tantam honoris jacturam, præsertim quando ab illa revelatione melius speratur effectus, colligitur ex *text. in cap. Quis aliquando, § Non tibi dico, de pœnit. dist.* 1. & ibi omnes DD. Navarr. *in Manual. cap.* 16. *a numer.* 43. Covarruv. *in Regul. peccatum, part.* 1. *in initio a numer.* 3. Ludovic. Lop. *in instr. conscient. part.* 1. *cap.* 88. Henriq. *in Summ. l.* 11. *cap.* 21. §. 3. Vivald. *in Candel. aureo, part.* 3 *cap.* 21. & alij plures, apud Barbos. *citat. numer.* 4. Si tamen aliquis speratur effectus, quia creditur filium fidem habiturum ipsi matri; nec alia timetur infamia, quia filius apud se rem secretam retinebit, poterit ipsa mater de consilio docti confessarij, illi rem totam manifestare; si alia non datur via, ut impediatur restitutio, quæ legitimæ filiæ debetur. Sic ex Lug. *citat. numer.* 60. & alijs; at in præsenti casu hæc mulier impedimentum non timebat.

6 At ne-

6 At negari nequit, dictum filium in foro externo, pro legitimo esse reputandum, quia natus est à patre non impotente, & in ipsa domo paterna, & Ioannes esse suum existimavit, qua de causa primum revocavit testamentum; & sic habetur in pluribus juris Civilis text. apud Anton. Gomez *in Comment. ad l. 9 Tauri*, & DD. Rebell. *de Obligat. Iust. 1. part. l. 3 q. 10. numer. 11. vers. Quamvis*, Cardin. de Lug. *cit. num. 61.* & omnes; & à multis, & quasi ab omnibus reprobatur, & stolidus appellatur filius quidam Regis, qui solo dicto matris, asserentis, se non Regis filium, sed cujusdam militis esse, regnum renuntiavit.

QUÆSTIO LIX.

An fœmina nobilissima, nullos filios habens legitimos, filium suum spurium, in summo secreto habitum, in testamento hæredem omnium suorum bonorum possit instituere?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *In foro conscientiæ instituere potest.*
3 *Imo illum filium tenetur hæredem instituere.*
4 *Incapacitas spurij ad succedendum est erga patrem, & non matrem.*
5 *Nulla datur lex expressa spurios reddens incapaces ad succedendum matribus illustribus, aut non illustribus, nullos habentibus filios legitimos.*
6 *Spurius potest retinere ea, quæ mater sibi reliquit, donec a judice privetur, & notabiliter legitimis non noceat.*
7 *Materia circa spurios, non est rigidè, & absque benignitate tractanda.*
8 *Incapacitas succedendi matribus, ex eo quòd sint spurij, geniti ex coitu damnato; aut punibili nullis legibus nititur.*
9 *Aliqui nobis opponunt Auth. Ex complexu, & Ordin. Reg.*
10 *Authent. non adversatur.*
11 *Nec etiam adversatur ipsa Ordin.*
12 *Leges non prohibent spurios matribus succedere, cum à delicto parentum sunt immunes.*
13 *Ordinatio non habet vim obligandi; quia non dispositivè, sed enuntiativè loquitur.*
14 *In institutione testamenti, etiam lex, Si qua illustriss, dispositivè cessat.*
15 *Lex, Si qua illustris, non solùm de illustribus modo rigoroso, sed nobilibus intelligitur.*

1 FÆmina nobilissima ex consanguineo filium genuit, & per summum secretum illum in pagonesticano educare fecit. Post puerilem ætatem elapsam, ad domum maternam adductus, non vt filius, sed ut famulus in ea serviret. Mater verò cum nullos haberet filios legitimos (erat enim soluta, & valde dives) suum filium instituere volebat hæredem omnium suorum bonorum, in testamento ab ea condendo, non tanquam filium, sed ut suum famulum, à quo bona opera acceperat. Quæritur 1: An in foro conscientiæ sit valida ea institutio? Nam pro foro externo ea non est necessaria validitas: nullus enim est, hoc peccatum cognoscens, nec qui de illo levem possit habere suspicionem; quippe peccati complex jam è vita decesserat; & nec ipse filius, nec primi educatores patrem, aut matrem illius unquam cognoverunt. 2 Quæritur: An dato, quòd mater tutâ conscientia non possit ex testamento sua bona spurio relinquere, suam amicam instituere possit hæredem, sub fide sibi præstita, illa filio restituendi?

§. I.

An fœmina nobilis in foro conscientiæ, suum filium spurium omnium suorum bonorum in suo testamento possit instituere hæredem?

2 Respondeo, posse, & teneri. Quòd possit, ostenditur primo, quia fœmina illustris filios non habens legitimos, potest ex testamento filium spurium instituere hæredem, quia ex ipso jure cõmuni matri est succedẽdi, capax ut dicitur *in l. Hac parte, l. Si spurius, l. Modestinus ff. Vnde cognati, l. 1. § Sed, & vulgo ff. Ad Tertull. § Noviss imè, Inst. ad Orsician. l. Si qua illustris, Cod. eod. titul. & alijs*, & DD Azor *part. 2. l. 2. cap. 9. quæst. 2.* Doct. Ioannes de Carvalho *cap. Raynald. part. 1. numer. 495.* Themud. *in decis. Senatus Archiep. Vlyssiponens. decis 7. numer. 10.* & alij plures, quos citant: sed dicta fœmina nullos habebat filios legitimos: ergo ex testamento suum filium spurium instituere poterat.

3 Quòd verò dictum filium instituere teneatur, defendunt communiter DD. expendentes *dict. l. Si qua illustris*, & dicunt si illa illum prætereat, & exhæredet, posse ipsum spurium impugnare maternum testamentum, querellâ inofficiosi, ut probat *textus in l. Si suspecta, in principio, §. de Inofficioso, ff. Inofficios. testament.* & DD. omnes, ut testatur Anton. Gomez *l. 9. Tauri numer. 12.* Valasc. *consult. 94. d numer. 2.* Ioann. de Carvalho *cit. numer. 469.* Themud. *proximè numer. 12. & 13.* & alij apud ipsos.

4 Secundò ostenditur, quia leges disponentes de incapacitate spurij ad succedendum, non loquuntur de successione materna, sed paterna, ut constat ex *Authent. Licet, Cod. de Natur. liber. & Authent. Quibus modis, naturales filij efficiantur legitimi, §. vltim. tit.* 1. *collat.* 7. Similiter *Authent. Ex complexu, Cod. de Incest. nupt.* ibi: *Ex complexu nefario, & incesto, seu damnato, liberi nec naturales sunt nominandi, omnis paternæ substantiæ indigni beneficio, ut nec alantur à patre.* Et quamvis *in Ordin. Reg. l.* 4. *titul.* 93. dicatur, quòd nec etiam mater succedere possit filio genito ex coitu damnato, & punibili per nostras Ordin. & jus commune; hoc fecit in odium peccati ipsius matris: non tamen negat, posse ipsum filium succedere ipsi matri. Et quamvis etiam *in l. Novissimè, Inst. de Senat. Consult. Orfician.* dicatur, illos filios, qui vulgo *quæsiti sunt*, ad matris hæreditatem ex Senatusconsulto non admitti, ibi solùm agitur de successione ab intestato; unde non excluduntur alij spurij à successione ex testamento.

5 Ex dictis hoc præcedenti num. sic conficio argumentum pro nostro præsenti casu: Nulla lex datur expressè reddens spurios incapaces ad succedendum matribus, sive illustribus, sive non illustribus, legitimos non habentibus filios: sed ipsis spurijs est maximè odiosum, non posse ipsis matribus succedere: ergo si odia sunt restringenda, & non extendenda, ex identitate rationis, ut ipsum jus, & DD. unanimi consensu fatentur, apud Barbos. *tract. de Axiomat.* 166. *per totum*; dicendum est, spurios incapaces non reddi, ad succedendum matribus, ex eo, quòd in legibus, ad succedendum patribus, incapaces reddantur. Ita docet Lessius *l.* 2. *de Just. cap.* 19. *dub* 6. *numer.* 66. quem citat, & sequitur Dian. 5. *part. tract.* 3 *resolut.* 121 *prope finem*; eamdem defendit Cardin. de Lug. *disput.* 24. *de Just. sect.* 6. *numer.* 119. & probabilem judicat; etiam stante jure Lusitano Fragos. *de Regim. Reip. Christian. tom.* 3. *disp.* 2. §. 4. *numer.* 145

6 His DD. accedunt primò Sa, *verb. Hæreditas*, Henriq. *l.* 1 *de Matr. cap.* 21. *numer.* 1. & alij asserentes, posse spurium retinere ea, quæ mater ipsi reliquit, donec per Judicem privetur; dùmodo notabiliter ea relicta legitimis non noceant. Et hoc placitum non improbabile judicat Dian & approbat Card. de Lug. uterque *locis citat.* ergo cùm de spurius in successione hac ex testamento, non detur præjudicium filijs legitimis, cùm nulli dentur, poterit mater illi relinquere sua bona, & ille tutâ conscientiâ illa retinere.

7 Secundò accedit Simon de Prætis *l.* 3. *de Interp. ultim. volunt. interpr.* 1. *dub.* 3. *resolut* 2. *numer.* 6. quem laudat, & amplectitur Franc. Pinheyro Primarius Theolog. Cathed. in Eborensi Academia *disput.* 5. *de Testam. numer.* 40. *fine*, & 51. *prope finem*, eo, quòd dicat, *materiam circa spurios non esse rigidè, absque benignitate, & provisione tractandam, cum tales filij à parentum crimine sint immunes, nec minus de humana natura, ejusque dotibus participent, quàm legitimi: quam ob rem, ubi leges illis expressè non adversantur, eodem jure, & favoribus potiri debent, quibus legitimi.* Sic *cit. DD.* Ex qua doctrina bene infertur, dictam matrem nullos habentem filios legitimos, nec legem illi prohibentem, sua bona relinquere filio spurio ex testamento, illi tutâ conscientiâ ea posse relinquere.

8 Nec obstat primo, dicere, DD. à nobis *citatos num.* 2. loquutos fuisse, cum hac ampliatione, scilicet, dictos spurios posse succedere ex testamento suis nobilibus matribus, alios non habentibus filios, quando ipsi spurij geniti non sunt ex coitu damnato, aut punibili, ut etiam docuerunt DD. pro opposita, & communi sententia *infra citandi numer.* 16. & docent *dict. num.* 2 adducti, quos referunt Doct. Ioan. de Carvalho ibi *cit.* & cum dicta ampliatione *num.* 502. Valasc. *consult* 93 *num.* 9. Themud. *supra num.* 17. sed dictus spurius fuit genitus ex coitu damnato, aut punibili, per *Ordin. Reg. l.* 5. *tit.* 17. § 2. ubi puniuntur coitus consanguineæ cum consanguineo in secundo, & sequentibus gradibus, usque ad quartum, pœnis ibi allatis, & in alijs Regnis, per suas leges, & jus commune, ut videre est apud Sanch *l.* 4. *consil. cap* 3. *dub.* 1. *num.* 2. *in fine*, & *dub.* 4 *numer.* 1. Cardin. de Lug. *de Just. disp.* 24 *à num.* 84 Pinheyro *de Testam. disp.* 5. *à num.* 28. & alios: ergo dict. spurius matri ex testamento non potest succedere. Non, inquam hoc obstat, quia respondetur, eos DD. hanc incapacitatem succedendi matribus, tribuisse spurijs, ex coitu damnato, aut punibili, nullis legibus innixos: at cùm simus in materia odiosa, incapacitas succedendi parentibus, extendenda non est ad succedendum matribus, ut cum DD. magni nominis *dictum est num* 4. 5. *& seqq.*

9 Nec obstat secundò, adducere textum *in Authent. Ex complexu, Cod. de incest. nupt. junctio originali in* § *fin. ex Authent. Quibus modis naturales sui, collat.* 7. in quo § *finali*, apponitur verbum *parentibus*, quod comprehendit, & masculum, & fœminam, ut plures ibi citati, docent. Et adducere textum *Ord. Reg. l.* 4. *tit.* 93. ubi habetur, matrem non posse succedere filio genito ex coitu damnato, aut punibili per ipsas Ordin. & jus commune, ergo si mater filio spurio ex coitu damnato, aut punibili succedere non potest, nec etiam ipse spurius ipsi matri succedere poterit; ex hac efficaci ratione: quia jus succedendi est reciprocum de parentibus ad filios, & de filijs ad parentes, ut pluribus relatis, affirmant Valasc. *consult.* 29. *numer.* 3. Emman. Barbos. *in Remiss ad cit. Ord. n.* 10. Ioan. de Carvalh. *cit. a n* 506 Pinheyro *dict. disp.* 5. *n.* 37 *in fine.*

10 Non, inquam hæc obstant, non primum de Authent. [ut jam aliqui illam adduxerunt apud Carvalho *citat. numer.* 502.] nam de illa dubitarunt Hostiens. Izern. & Butrius

Butrius apud Anton. Gomes *d. l. 9. Tauri nu.* 13. Card. Thusc. *tom. 7. litt. S. conclus.* 416 *numer.* 27. affirmantes, spurios ex damnato coitu genitos, esse matribus succedendi capaces, quorum doctrina defendi potest contra communem, ut equidem illam defendunt Corneus *in cit. l. Si qua illustris, column. 2. in princip.* Ioannes de Carvalho *cit. dict. part. 1. n. 505.* Nec *Authent cit.* & alia jura oppositum suadent, nam ibi verbum *parentibus*, in quo fundatur argumentum, satis verificatur respectu masculorum, seu patrum distributivè; & non respectu matrum; quia adhuc illi standum est, *ex Reg. l. Si spurius, ff. Vnde cognati, supra cit.* & §. *fin* ubi datur illud verbum *parentibus*, quod intelligi nequit de matribus, sed tantùm de patribus, quia ille §. fuit desumptus *ex cit. Authent. Ex complexu*, quæ loquitur tantùm de patre, ibi: *Omnis paterna substantiæ indigni beneficio, ut nec alantur a patre.* Sic lex expressè loquens de paterna substantia, & de ipso patre tantùm.

11 Nec, inquam, obstat, secundum ex tex. *Ordin. Reg. cit*, quia respondetur primò, non esse idem, dicere legem, patrem, aut matrem non posse succedere filio ex coitu damnato, aut punibili genito; ac non posse filium ita genitum matri succedere: nam lex primum exprimit, & nullo modo secundum; & cùm secundum sit odiosum, non est reciprocum cum primo, cùm non detur textus expressus, prohibens filium spurium succedere matri, & datur textus expressus statuens, odia non esse extendēda ad non expressa in jure, *Regul. Odia 15. de regul. jur. in* 6. & DD. communiter.

12 Ratio verò cur leges prohibeant patribus filijs succedere spurijs, & non prohibeant spurijs, succedere matribus, sive illustribus, si filios non habeant legitimos, sive non illustribus habentibus, vel non habentibus legitimos, est; quia leges reddentes patres incapaces succedendi filijs suis spurijs, suum delictum punire volunt; & non dabatur ratio, cur ipsi spurij matribus non succederent, cùm ab omni delicto parentum essent immunes.

13 Secundò respondetur, datâ eâ opinione communi, eam Ordinationem Lusitanam non dispositive statuisse, matrem non posse succedere spurio filio ex damnato coitu, aut punibili genito, ut ex ipso contextu liquet, ut notavit Pinheyro *dict. disp. 5. num. 41. ante medium*, sed enuntiativè, seu incidenter; & quæ ita in legibus apponuntur, vim non habent obligandi, ut videre est apud eundem Pinheyro *de Cens. & emphyt. 2. part. disp. 6 sect. 1. num.* 3.

14 Addo eam doctrinam communem de præsenti casu non esse intelligendam, quia in eo testamento institutio spurij non fit, illum pro filio nominando; nec ex ipsa institutione præsumitur, testatricis esse filium; quæ nominatio, aut certa præsumptio, in ea lege, *Si qua illustris*, propter scandalum prohiberi videtur, ibi: *Cùm in mulieribus ingenuis, & illustribus* [*quibus castitatis observatio præcipuum debitum est*] *nominari spurios, satis injuriosum, satisque acerbum, & nostris temporibus indignum esse, judicemus.* Sic lex. Et cùm hæc cessent in hac testatrice, etiam legis dispositio cessat, intellecta juxta illius Gloss. in fine, de coitu damnato, & punibili, qui ut maximè occultus, accusari non poterat.

15 Nec obstat tertiò, hanc fœminam non esse illustrem, accipiendo hanc conditionem, pro prima acceptatione illustrium, qui sunt titulares, & ab illis descendentes, ut videre est apud Ioann. de Carvalho *in cap. Raynaldus part. 1. a numer.* 204. sed nobilem, ut in simili casu inquit Themud. *dict. decis.* 70. ergo ad illam non sunt extendenda adducta ex *text. in l. Si qua illustris.* Non, inquam, obstat, quia respondetur, eum textum, tam de illustribus, quàm de nobilibus loqui, ut ex ipso constat, ibi: *in mulieribus ingenuis, & illustribus*; dictio autem *ingenuis*, nobiles comprehendit, nam ingenuitas idem est, ac nobilitas, ut videre est apud Ambros. Calepin. *verb. Ingenuitas.* Deinde DD. loquentes de illustribus, juxta hunc textum, de illis loquuntur, prout a plebeis contra distinguuntur, ut habetur apud Azor. *tom. 2. l. 2. cap. 9. quæst. 2.* Addo ad nostram quæstionem parum referre, quod hæc fœmina esset, vel non esset illustris, nam cùm non haberet filios legitimos, spurium ex testamento omnium suorum bonorum hæredem instituere poterat, ut ex dictis satis est manifestum.

§. II.

Proponitur sententia communis, & illius rationes facile enervantur.

SUMMARIUM.

16 *Non datur lex expressa, quæ spurios excludat à successione matris, filios non habentis legitimos.*

17 *Si mater non potest succedere spurio, nec spurius matri; fallit, ut dicitur num.* 21.

18 *Filij spurij nobilium, patribus non succedunt, at succedunt matribus nobilibus.*

19 *Mater non succedit filio incestuoso, at hic matri succedit.*

20 *Ampliatio a DD. tradita in præsenti casu non habet locum.*

21 *Solutio ad rationes pro communi sententia.*

16 Fateor, sententiam communem docere, spurium ex coitu damnato, aut punibili genitum, esse incapacem succedendi matri ex testamento, & ab intestato, tàm ex jure Lusitano, quàm ex ipso jure communi. Sic expresse de utroque jure Molin. *tract. 2. disp.* 167 *vers. Quarta conclusio* dicens, *In hoc omnes convenire*, Alvarus Valasc. *consult.* 29. *num.* 9. Gama *decis.* 383. *n.* 4. Pinheyr. *de Testam. disp. 5 num.* 37. Fragos. *tom. 3 de Regim. Reip. Christ. disp. 2.* § 4. *num.* 145. Ioannes de Carvalho *in cap. Raynaldus part.* 1. *n.* 502. Ex ipso jure communi Barth. *in l. ult. ff. de His, quibus, ut indignis*, & multis relatis Roder. Soar. *in lect. legum fori fol.* 86. *cum seqq.* Anton. Gom. *in l.* 9. *Tauri n.* 13. Covarr. *in epit. in* 4. *Decret* 2. *part. cap.* 8. § 5. *num.* 15. Gloss. *in* §. *Novissimè verb. Admitti, Inst. ad Senat. Consult. Orfician.* Glossa *in l. Si qua illustris Cod. eod. tit.* & alij, quos *supra num.* 8. *citavimus*. Probant aliquibus rationibus, quæ facilè ex dictis pro nostra resolutione enervantur.

17 Probant primò, quia dictus spurius ex coitu damnato, & punibili genitus fuit, ut cõstat ex dictis *num.* 1. ergo matri, nec ex testamento, nec ab intestato succedere potest. Secundò, quia ex jure Lusitan. *in Ordin. Reg. l.* 4. *tit.* 93. dicitur, matrem non posse succedere filio ex coitu damnato, aut punibili genito, & in jure communi *Authent. Ex complexu Cod. de Incest. nupt.* sed jus succedendi est reciprocum, & tale quod si mater filio spurio succedere nequit, ita etiam spurius ipsi matri nequeat succedere; ut ex ipso jure communi, & relatis Valasc. Surd. Ægid. Martha, & alijs, probat Ioann. de Carvalh. *cit. num.* 508. & allatis alijs Emman. Barbos. *in Remiss. ad cit. Ordin. num.* 10. & 11. ubi inquit ex Molin. & alijs, si spurius à patre hæres fuerit institutus, in foro conscientiæ, ante judicis sententiam, hæreditatem hæredibus ab intestato restituere teneri, & his deficientibus, fisco relinquere.

18 Tertiò probant, quia filij equitum, & nobilium patri, nec ex testamento, nec ab intestato succedere possunt, juxta *Ordin. Reg. l.* 4. *tit.* 92. §. 1. ergo nec filius matri nobili: nam correlativorum idem est judicium *l. fin. Cod. de indeb. judic. toll. l. Siquis servo, ff. de Furt.* & alijs apud Themud. *in decis. Senat. Archiep. Vlyssip. decis.* 70. *num.* 6. & in correlativis, si quid est uni prohibitum, alteri etiam videtur prohibitum Menoch. *consil.* 136 *num.* 10 & 11.

19 Quartò, quia mater non potest succedere filio incestuoso, ut cum Gregor. Valent. Forst, Spino Bernard. Grævæ tradit Emman. Barbos. *in Remiss. ad Ordin. l.* 4. *tit.* 93. *numer.* 9. ergo etiam nec filius incestuosus ipsi matri incestuosæ, ut in præsenti casu, ex eadem ratione, in supra dictis probationibus, non semel adducta.

20 Hanc sententiam ampliant aliqui DD. ut non solùm procedat, quando coitus est damnatus, & punibilis, sed etiam quando est, tantùm damnatus; quia est habitus inter personas, inter quas, matrimonium contrahi non potest. Ita inspecto jure Lusitano, & communi, Molin. *disp. cit.* 167. *vers. Hodie tamen*, & jure tantùm Lusit. Valasc. *dict. consult.* 29. *num.* 13. Emman. Barbos. *in Remiss. ad cit. Ord. l.* 4. *tit.* 93. *num.* 1. Molin. id probat: quia nullus spurius matri succedere potest, qui patri non succedat, nisi in jure sit exceptus: in jure autem solus excipitur filius spurius ex matre soluta, & non illustri, & patre incerto genitus *l. Si qua illustris, Cod. Ad Orficinian.* & §. *Novissimè, Inst. eod. tit.* ergo reliqui ex coitu damnato geniti, ex parentibus inter quos matrimonium esse nequit, matri succedere nequeunt, licèt ipse coitus non sit punibilis. Valasc. id probat ex *ipso jure Lusit. proximè*, ubi hæc dantur verba: *Ex coitu damnato, aut punibili*, & cum dictio *aut* sit disjunctiva, sufficit, quòd alterum sit verum, *l. Si hæredi, ff. de Condit. inst.* & alijs apud Barbos. *tract. de dict.* 46. *num.* 1. ut spurius à successione matris excludatur, cujus coitus est damnatus, licèt aliquando non sit punibilis.

21 Ad has probationes ex dictis *à numer.* 4. *& seqq.* respondetur, nostrum præsentem casum esse materiæ odiosæ, quatenus prohibet, ne spurius matri suæ, nullos habenti filios legitimos, succedat; & cùm non detur textus expressè prohibens hanc successionem, dicendum est, tam ex testamento, quam ab intestato posse succedere; leges verò quæ afferuntur, dicunt patrẽ, aut matrem filijs spurijs succedere non posse, non tamen è contra; nec verum est dicere in materia odiosa jus succedendi esse reciprocum sine textu expresso ut dictum est, *num.* 11. & 12. Ad ampliationem *adductam num.* 20. respondetur, illam rationem Molin. non esse formalem, & de illa dubitarunt Lessius, & alij cit. Melius enim diceret, nullum spurium à successione matris excludi, nisi à jure excipiatur; sicut nullus à successione patris excluditur, nisi à jure excipiatur; ut rectè notavit Pinheyro *dict. disp. 5. num.* 41. *in princip.* Et cùm tantùm excipiatur in *citat. l. Si qua illustris*, spurius fœminæ illustris legitimos habentis filios, & patrem incertum, bene sequitur, spurium præsentis casus à matre posse institui hæredem, quia mater legitimos non habebat filios, & ille certum habebat patrem, qui casus à jure non est exceptus. Quòd verò sit genitus ex coitu damnato, aut punibili, qui casus exprimitur *in Ordin. Reg. l.* 4. *titul.* 93. jam vidimus matrem excipi, ne spurio succedat; non tamen ne ille ipsi matri succedat. Et sic censeo satis esse responsum probationibus sententiæ communis, & nostram resolutionem, & cõsilium fuisse satis probabile.

[illegible]

§ III.

§. III.

An dato, quòd dicta mater nostram non amplectatur resolutionem, possit amicam nullos habentem hæredes necessarios, instituere hæredem in suo testamento, sub fide sibi præstitâ, restituendi, ea omnia suo filio spurio?

SUMMARIUM.

22 *Iuxta nostram resolutionem, non potest, amicam instituere hæredem, sub ea conditione.*
23 *Potest ea amica fidem non servare, ex multorum DD. opinione.*
24 *Amica spurio potest tradere hæreditatem, at maximum subit periculum, eam non tradendi.*
25 *Potest instituere dictam amicam sub fide præstita tradendi hæreditatem filio, non illi aperiens, quòd sit spurius.*
26 *Ex hac existimata scientia tenetur amica, tradere ei filio hæreditatem.*
27 *Retentâ communi opinione, dicta mater non potest per interpositam amicam spurium instituere hæredem.*
28 *Suppositâ communi opinione non potest mater per amicam spurium instituere.*
29 *Præcedente pacto, prima opinio docet teneri amicam institutam hæredem, ea bona tradere spurio.*
30 *Secunda sententia negat.*
31 *Tertia communior, & verior.*
32 *Præstita fides non inducit obligationem.*
33 *Ipse pater, & amicus hæres peccant mortaliter contra leges, ea prohibentes.*
34 *Nec juxta primam, nec secundam sententiam dari potest consilium.*
35 *Nec etiam juxta tertiam.*
36 *Proponitur modus, quo licite possit ea fieri institutio.*
37 *Duo tamen advertuntur.*
38 *Secundum advertendum.*
39 *Cum delictum sit occultum, soror potest instituí.*

22 Respondeo ex dictis in hac quæst. *à numer.* 2. *usque ad finem* §. non posse dictam matrem, omisso filio spurio, amicam omnium suorum bonorum hæredem instituere; & jam sub fide præstita de restituenda hæreditate ipsi filio. Probatur primò, ex *dictis numer.* 3. secundo ex *dictis per ipsum* §. 1. ubi ex vi rationum ostendimus, nostram resolutionem, non solum esse probabilem, sed probabiliorem: sed hac suppositâ resolutione, DD. jure, & ratione fulcita, in testamento, talis filius ex ipso jure præteriri non potest: ergo.

23 Tertiò probatur, quia si illi amicæ à se instituendæ hæredi aperiatur, filium à se genitum esse spurium, poterit ab aliquo confessario ipsa amica consilium accipere, se, non solùm non teneri fidem præstitam servare, sed nec ipsam hæreditatem spurio restituere; ut docuerunt graves, & plures DD. *infra numer.* 3. *citandi* de amico, quem aliquis instituit hæredem sub fide sibi præstita, de restituenda filio spurio hæreditate, qui amicus, nec tenetur fidem præstitam servare nec hæreditatem restituere; & dictus confessarius, aliàs non advertens quod dicitur ab ijs DD. de patre ita testante, applicabit ad matrem eo modo testantem, cùm leges, cum sint pænales, de patribus disponentes, ad matres non extendantur, ut *citato* §. dicimus.

24 Et quamvis DD. remissivè citati addant, posse eum amicum ea bona spurio, sicut potest sua, donare, & spurium illa accipere; quia illa, non à patre, sed ab amico patris, accipit, si hæc opinio ab illa matris amica admittatur, ut ab aliquibus DD. qui nostram non admittunt resolutionem, extenditur, dabitur maximum periculum, quòd ea bona non deveniant ad spurium, ut illius mater intendebat: nam quælibet hæreditas, & maximè opulenta, etiam absque justo titulo, vim habet, obcæcandi mentem cujuscunque amici, præsertim, quando jam est defunctus alter amicus; & faciliùs quando datur justus titulus, & non datur quis, de non observata fide, queratur. Quare tutius est, & omnino necessarium huic matri, filium suum spurium, à nullo ut talem cognitum, ex testamento hæredem instituere; & spurius ignorans, ex quo sit genitus coitu, & illam esse suam matrem; poterit etiam tutâ conscientiâ, eam apprehendere hæreditatem, & retinere.

25 Quartò probatur, quia ex citatis DD. in eo pacto inter patrem spurij, & amicum celebrato, intervenit peccatum mortale, ut *infra numer.* 31. & 33. dicitur. Ex his mihi persuadeo, dictam matrem in foro conscientiæ, & ut sua bona fidem ab ea intentum habeant, nostram resolutionem *supra d dict. numer.* 2. traditam sequi tenere.

26 Si tamen hæc, aut alia similis fœmina dictæ meæ resolutioni non acquiescat, consilio alicujus sapientioris, poterit juxta sententiam, quoad apparentiam communem, eam amicam in suo testamento instituere hæredem, sub fide sibi ab ea præstita, eam restituendi hæreditatem suo filio, non illi aperiens, quòd sit spurius, aut naturalis? Amica verò illum poterit præsumere naturalem, & nullo modo spurium: nam

quod est minus indecens, & indecorum præsumendum est, juxta doctrinam, quæ traditur de expositis, qui ad minimum præsumuntur naturales, licet spurij esse possint, ut communiter dicunt DD. quos affert Dian. *part.* 2. *tract.* 15. *resolut.* 22. & *part.* 4. *tract.* 2. *resolut.* 58. & 59. & *alijs in locis.*

27 Ex hac existimata scientia, seu præsumptione, tenetur ea amica, ex fide præstita, hæreditatem filio restituere. Ratio est, quia mater, sive sit illustris, sive non, potest filios suos naturales in testamento instituere hæredes; nam hi matri succedunt ex jure communi, tam ex testamento, quam ab intestato, ut ex legib. & pluribus DD. tenent Molin. *tom.* 1. *de Iustit. disp.* 166 *vers. Septima conclusio*, Cardin. de Lug. *de Iust. disput.* 24. *numer.* 91. Ioann. de Carvalho *in cap. Raynald. part.* 1. *numer.* 483. Fraciſc. Pinheyro *de Testament. disput.* 5. *numer.* 405 Et quod de jure communi dicitur, dicendum etiam est de jure Lusitan. cum ab illo circa hanc successionem, aliud non sit dispositum, ut dicunt Molin. *citat. dicta disput.* 166. *vers. Cum verò Ordinationes*, Pinheyro *dicta disput.* 5. *numer.* 425. Carvalho *citat. numer.* 486. Quamvis oppositum, quo ad matrem illustrem teneat Bald. juxta jus commune, & Fragos. *supra citat. dicta disput.* 2. §. 6. cum paucis, juxta legem *Si qua illustris*, *Cod. ad Senat. C. Orfician.* sed ex traditis à Carvalho bene refutantur; quia ea l. non de naturalibus, sed de spurijs agit. Et ego addo, non de quibuscunque agere spurijs, sed tantùm de habentibus patrem incertum, ibi: *cui pater incertus sit.* Nec mater in ea fideicommissione amicæ facta, abstrahendo ab inhabilitate filij, peccat; tum quia habet opinionem probabilem relinquendi sua bona filio spurio, tum quia in abstractione illius inhabilitatis, non peccat, juxta proloquium: *abstrahentium non est mendacium.* Si tamen ab amica dicta inhabilitas exquiratur [quod raro evenit] tenetur, vel dicere verum, vel abstrahere ab eo pacto; quia amica tunc agit de peccato vitando, vel illi scrupulum auferre, quia bona nititur opinione.

28 Si tamen communi opinione adhæreamus, asserenti, spurios ex coitu damnato, aut punibili genitos, esse incapaces successionis maternæ ex testamento, & ab intestato, cujus DD. adduximus *numer.* 16. dicendum est matrem per interpositam amicam spurium filium non posse instituere. Ratio est, quia perinde est à matre accipere mediatè, ac ab alia ex matris Ordinatione accipere. Et data hac opinione, si circa illam procedamus, eo modo, quo procedunt DD. circa patrem instituentem amicum hæredem sub fide sibi ab eo præstita, restituendi spurio hæreditatem, fateor, eam matrem, nec aliam qualemcunque manere contentam. Nam quamvis circa hunc modum tres circunferantur sententiæ, illarum nulla placere potest; ut ex illis patebit.

29 Prima sententia tenet, præcedente dicto pacto, teneri amicum institutum hæredem, ea bona, ex vi dicti pacti, tradere spurio, & spurium ea posse retinere. Sic Victoria, & Ledesma apud Sanch. *l.* 4. *consil. cap.* 3. *dub.* 20. *numer.* 3. Hæc sententia placeret, si esset probabilis: at ut improbabilem, illam rejicit Sanch. *citat.* & alij; & sic de illa non curandum.

30 Secunda asserit, amicum hæredem ea bona spurio dare non posse, nec sibi retinere, nec spurium ea posse sibi accipere. Hanc defendunt plures TT. & Iuristæ apud Sanch. *citat. numer.* 4. qui eam *numer.* 11. probabilem dicit, & apud Pinheyro *dict. disput.* 5. *de Testament. numer.* 45. Cui autem debeat amicus hæres hæc bona restituere? Barthol. Segur. Bernard. Dias, Tabiena, Roiel. & Gregor. Lopes apud Sanch *citat. dub.* 21 *numer.* 1. & alij apud Fragos. *tom.* 3. *de Regim. Reip. Christ. disput.* 2. *numer.* 147. dicunt, fisco esse restituenda. Alij verò, quos idem Sanch. refert, & sequitur, asserunt, restituenda esse hæredi alteri, si in eo testamento detur; alias hæredibus ab intestato; & si non dentur, pauperibus.

31 Tertia communior, & verior sententia inquit, posse amicum hæredem ea bona sibi retinere, si ea ab eo fiscus non auferat; potest etiam [si velit] ea spurio dare, & spurius ea accipere. Hanc sequuntur plures, quos affert, & sequitur Sanch. *citat. dub.* 20. *numer.* 9. *juncto numer.* 11. Molin. *tom.* 1 *de Iust. disput.* 169. *concluſ.* 5. & 6. Less. *l.* 2. *de Iust. cap.* 19. *dub.* 6. *numer.* 60 Villal. *tom.* 2. *tract.* 30. *diff.* 13. *numer.* 15. Vaiq. *in Opusc. de Testament.* §. 7. *dub.* 2. *numer.* 106. Dian. *part.* 5. *tract.* 3. *resolut.* 121. Cardin. de Lug. *de Iustit. disput.* 24 *sect.* 6. *numer.* 95. Fragos. *proxime.* Pinheyro *de Testament. disput.* 5. *numer.* 46. & 47. & alij plures ex TT. & Iurist. quos referunt. Hac ratione. Quia licèt. amicus hæres peccaverit contra leges, promittendo ea bona dare spurio: non tamen ea de causa, redditus est incapax, acquirendi dominium eorum bonorum: ab eo tamen auferrentur ea bona, ut indigno in pænam, & fisco applicarentur, *l.* 1. *Cod. de His quibus, ut indignis*, *l. Ita fides*, & *l. Non intelligitur*, *ff. de Iure fisc.* At cùm hæc applicatio sit in pænam, ante sententiam non debetur; contra id quod dicit Emman. Barb. *supra num.* 17.

32 De-

32 Deinde, quamvis ea bona habuerit, ſub fide præſtita, ea ſpurio tradendi, ad id non tenetur, quia ea fides non inducit obligationem, cum leges ei reſiſtant, nec etiam ipſis hæredibus ab inteſtato, quia inſtitutio fuit valida: ſi tamen velit, ea poteſt ſpurio dare, ſicut etiam ſua propria bona ei poteſt donare, ut jam dictum eſt.

33 Adverto tamen cum Sanch. *dict. l. 4 conſil. cap. 3. dub. 20. numer. 12.* Molin. *citat.* Pinheyro *numer. 48.* & alijs, quos citant, patrem ſpurij, & ipſum amicum hæredem peccare mortaliter: patrem ſub ea conditione hæredem inſtituentem, & hæredem fidem præſtantem, de reſtituenda ſpurio hæreditate. Ratio eſt; quia contra leges graviter delinquunt; juſtiſsimè enim prohibent eam hæredis inſtitutionem, & fidem præſtari.

34 Ex his adductis ſententijs apertè conſtat, nullam poſſe confuli, nec ſequi: non prima, quia ut vidimus, improbabilis reputatur, & ut talis à DD. rejicitur. Non ſecunda, nam quamvis á Sanch. probabilis cenſeatur, intentum patris fruſtratur, quia ſua bona ad filium non devenient, ut intendebat; ſed ad alios, quibus ea non deſiderabat devenire.

35 Nec etiam tertia, quamvis communior, & verior, quia in ea inſtitutione, & pater, & hæres peccant mortaliter, quia in re gravi adverſus leges juſtiſſima, fraudem committunt; ut dictum eſt.

36 Quare aliqui DD, alium modum excogitarunt ad hanc inſtitutionem licitè, & validè faciendam. Dicunt enim, quod pater vocet amicum, cui fidat, & illi ſic loquatur: *Scio, quòd tu nihil potes licitè, & validè promittere, nec ego ullo modo volo te obligare: volo tamen te hæredem inſtituere, nam prohibeor per leges filium meum ſpurium inſtituere, ſpero tamen ex tua benevolentia, quam ſæpius expertus ſum, quòd curam ipſius mei filij habebis, & illi providebis, ſicut ego providerem.* Hæc ſi ſincere agantur, & nullum intercedat pactum, etiam implicitum, & ab amico ſpurius hæreditatem accipiat, licitè fient, quia pater nihil filio relinquit, nec filius à patre aliquid accipit, ſed ab amico, qui libenter illi eam donat hæreditatem. Sic Cardin. de Lug. Villal. *locis citat.* Pinheyro *ſupra numer. 48. in fine*, & alij. At hic modus etiam ſubeſt periculo defraudationis. Vide *numer. 23* eſt tamen qui in circunſtantijs dicti caſus conſuli poteſt.

37 Ex hoc modo inſtituendi conſtat, quomodo ſe gerere debeat hæc nobilis fœmina, erga ſuam amicam, quam hæredem inſtituere deſiderat, ut per eam ſuo ſpurio provideat, dato, quòd juxta ſententiam communem operari velit. Adhuc tamen illi duo adverto. Primum, quòd ipſa amica inſtituenda hæres, ſit perſona, quæ poſſit donare: nam uxorata in hoc Regno raro poteſt. Videatur Molin. *tract. 2 de juſt. diſput. 274.* Si verò ſit vidua, & filios habeat, aut alios hæredes neceſſarios, etiam donare non poteſt, niſi de tertio ſuorum bonorum, & ſi tertium non excedat bona à matre ſpurij habita, jam ea omnia bona à matre relicta, donare non poterit.

38 Secundum, quòd ipſa amica hæres inſtituta, ſit talis, quod ipſi ſpurio donare poſſit: nam ſuppoſita opinione communi, aſſerente ſpurios ex damnato coitu, aut punibili genitos, non poſſe ſuccedere ex teſtamento, nec ab inteſtato matribus, juxta illam non deſunt DD. quos referunt Sanch. *dict. l. 4. conſil. cap. 3. dub. 13.* & Ioann. de Carvalho *citat. ſupra dicta part. 1. numer. 515.* dicentes eos ſpurios ita eſſe incapaces ſuccedendi avis, & reliquis cognatis tranſverſalibus, & fratribus uterinis, ac ipſis matribus. Vnde ſi hæc inſtituenda hæres ſit ſoror ipſius matris, juxta hos DD. ea ſpurio donare non poterit.

39 Cùm tamen oppoſita ſententia ſit communis, & ab aliquibus reputetur certa, ut inquit ipſe Carvalho *numer. 516.* & apud ipſum illam ſequuntur Molin. *de Juſt. tract. 2. diſput. 167. concluſ. 10.* Azor. *part. 2. l. 2. cap. 9. quæſtion. 2.* Ægid. Luſitan. *de Iure honeſt. cap. 13. numer. 19.* Azeved. *l. 1. titul. 8. l. 5. à numer. 34. & Sanch. cit.* & alij; modus à citatis DD. allatus ad praxim poteſt deduci, non ſolùm in præſenti caſu, in quo nulla datur præſumptio de tali ſpurio, ſed etiam in caſu, quo ut talis cognoſcatur.

QUÆSTIO LX.

An mater renuntiare poſsit hæreditati filiæ, morti proximæ, in ipſo actu teſtandi, in favorem alterius filiæ, & in filij præjudicium?

SUMMARIUM.

1 *Facti ſpecies.*
2 *Hæc reſolutio ad Iuris Conſultos pertinet.*
3 *Probabilius non poteſt.*
4 *Pactum de non ſuccedendo addito juramento eſt validum.*

5 *Renun-*

5 *Renuntiatio non extenditur de casu ad casum, nec de persona ad personam.*

6 *Renuntiatio matris fuit de non succedendo absque juramenti firmitate.*

7 *Probabile est, renuntiationem à matre factam fuisse validam authoritate Sanch.*

8 *Fundamento à Sanch. adducto satisfit.*

9 *In pacto de non succedendo, ubi peccatum non datur, juxta Ordin. juramentum confirmatorium requiritur; nec pactum annullat, imo validat.*

1 VIdua quædam illustris filium unicum, & filias duas matrimonio conjunctos habebat; Filiæ nullos, filius verò plures habebat filios. Vna ex filiabus infirmitate oppressa, à matre facultatem postulavit ad disponendum de ijs bonis, in quibus illa post illius mortem necessariò erat successura juxta *Ordinat. Reg. l. 4. titul. 91. §. 1.* Suæ domus advocatum consuluit mater, & responsionem obtinuit, posse, & facultatem ab ea concessam, esse validam. Hoc nixa consilio facultatem petitam filiæ concessit; & in calce testamenti à filia conditi, hæreditati, à filia post illius mortem sibi obventuræ, renuntiavit; & cum testibus approbationis testamenti, subscripsit. Ex hac renuntiatione, & facultate, ipsa filia infirma aliam ejusdem matris filiam, & suam sororem instituit hæredem. Defunctâ eâ, ad aures filij pervenit hæc hæredis institutio, & matrem conveniens, querellam interposuit de injustitia in ipsum, & filios suos commissa: nam in suum, & suorum filiorum præjudicium ea renuntiatio fieri nequibat Mater scrupulis anxia quatuor maioris nominis IurisConsultos consuluit viros. Et convenerunt in sententia facti ab ipsa vidua. Primus ex fundamento, quia fuit contractus inter vivos. Secundus, quia ubi primum præstitus fuit consensus, pœnitentiæ jam non dabatur locus. Tertius, & quartus, aliquibus allatis DD. subscripserunt. Placuit tamen pro foro conscientiæ Theologum consulere.

RESOLUTIO.

2 Iussusâ superiore, duplici ex causa, ne responderem, excusationem afferebam. Prima, quia Cardin. de Lug. *de Justitia disput. 24. sect. 8. numer. 226.* inquit de his renuntiationibus pro foro conscientiæ TT. non solere consuli, sed ad judices recurri solere, apud quos de his frequentissimæ sunt lites; & hac de causa ab hac quæstione abstinendum duxi. Secunda causa; quia id, quod Iuris Consulti secundum leges decernunt, TT. in foro conscientiæ admittunt, si illæ, aut ipsi falsâ non nitantur præsumptione; ut dicunt Sanch. *l. 1. de Matrim. disput. 5. numer. 20. & disput. 21. numer. 2.* Cavarruv. *in cap. Cum esses, numer. 7. de Testament.* Escob. *tom. 3. l. 24. sect. 2. dub. 15. numer. 802.* Marc. Paul. Leon. *de Exped. Sacrament. Pœnitent. dispens. fol. 60. vers. Neque audiendus*, & apud ipsum Sot. *de Iust. l. 4. quæstion. 5. art. 3. vers. Arguitur*; In proposita tamen quæst. nec circa leges, nec circa IurisConsultos nulla interveniebat falsa præsumptio, & ipsi unanimi consensu jam erant auditi. Quia tamen superior tunc temporis hujus Domus Professæ, primæ Theologiæ Cathedræ extiterat magister in nostro Collegio Conimbricensi, & filij viduæ interrogantis voluntati obsequi cupiebat; sic respondi.

3 Censeo, probabilius esse, eam renuntiationem hæreditatis à matre factam, in testamento filiæ, non præstito juramento, fuisse nullam, & invalidam jure Civili. Constat ex *l. Pactum dotali, Cod. de Collat. l. Pactum, quod dotali, Cod. de Pact. l. fin. eodem titul. l. Si qui superstitis, ff. de Acquirend. hæredit.* & alijs, & DD. Guttierr. *in cap. Quamvis pactum, in principio, de Pactis in 6.* Covarruv. *in dict. caput. part. 3. in principio numer. 1.* Anton. Gomez *in l. Tauri 22. in principio, & tom. 2. resolut. cap. 11. numer. 14.* Sanch. *l. 4. consil. cap. 1. dub. 34. numer. 5.* & *de Matrimon. l. 6. disput. 4. numer. 19.* Vasq. *in Opuscul. de Testament. cap. 6. §. Per totum* Ioannes de Carvalho *in cap. Raynald part. 4. numer. 11. & 13.* & alijs citatis Barbos. *in Collect. ad cit. l. Pactum, quod dotali, numer. 4.* sed renuntiatio à matre facta, fuit de non succedendo suæ filiæ: ergo jure Civili fuit nulla.

4 Dixi, *non præstito juramento*, nam si dicta renuntiatio juramento firmaretur, esset valida; sic deciditur *in cap. Quamvis pactum, de pactis in 6.* & habetur *Ordinat. Reg. l. 4. titul. 70. §. 4. Prope finem*, ibi: *Nam quamvis talis contractus in aliquibus casibus per jus validus non sit, confirmari potest secundum jus Canonicum per juramentum; quia non est tam reprobatus, vt alij de quibus supra fit mentio*, & tradunt DD. Barbos. *proximè numer. 5.* Covarruv. *citat. §. 4. numer. 9.* Guttier. *ibi §. Improbet lex Civilis*, Anton. Gomez *in dict. l. Tauri 22. numer. 6.* & *tom. 1. resolut. dict. cap. 11. numer. 14.* Sanch. *dict. dub. 34. numer. 7.* Castr. Palaus *tom 3. tract. 14. disput. 2. punct. 9. §. 6. à numer. 1.* Pinhey-

Pinheyro *de Testament. disput. 5. sect. 3. numer.* 212. & alij plures, quos citant: sed mater renuntiationem hæreditatis juramento non confirmavit: ergo, ut antea, nulla extitit.

5 Ratione probatur primò, & meo judicio efficaciter; quia renuntiatio est stricti juris, ideoque strictè est interpretanda, ita ut facta non credatur; & sic non extenditur de casu ad casum, nec de persona ad personam, ut colligitur *ex l. Cùm de indebito ff. de Probat. l. Tres fratres, ff. de Pactis*, & alijs, & DD. quos congerunt Barbos. *tract. de Clausul.* 150. *numer.* 12. & Fragos *tom.* 3. *Regim. Reip. Christ. disput.* 20. §. 3. *numer.* 12. Sed *l. Non putavit*, §. *Siquis sua manu ff. de Bonor. possess. contra tabulas*, solùm decidit, seu disposuit de patre conficiente testamentum, in quo filium instituere volebat, filius autem scripsit sua manu in eo testamento se exhæredem; de quo tantùm loquuntur DD. *infra citandi*; vel ad summum de alio, de quo Gloss. *in l. Si aliquando. §. Et si generaliter Cod. de Inofficios. testament.* ubi conficiens testamentum in vita, aut mortis periculo, volens filium suum, aut patrem, matremve instituere, quos necessariò instituere tenebatur, instituendus autem institui noluit. Dixi: *ad summum de casu Gloss.* quin illum plures DD. admittere nolunt, quia fuit renuntiatio sine juramento, & mox dicemus: sed prælens casus de matre hæreditati filiæ renuntiante, in jure non est expressus, ut est de filio se exhæredatum in testamento patris scribente; dicendum ergo est in illo non comprehendi, nec in ipso jure.

6 Secundo probatur, quia licèt ipsa renuntiatio fiat in ipso actu testandi, vel in vita, vel in morte, si juramento non confirmetur, non est valida; quia est pactum de non succedendo, ut inquit Gloss. *in l. Si quando §. Et generaliter verb. Iudicium*, & sine juramento non est validum. Sic Bartholus, Cynus, Salicet. Paul. de Castr. Cuman. Fulgos. & alij, quos refert Roder. Soar. *in l. Quoniam in prioribus, ampliat.* 10. *numer.* 32. ipsosque sequitur *numer.* 37. & 38. alios plures affert Barbos. *in Collect. ad cit. legem, si quando, numer.* 9. & ita sententiam communem explicat Anton. Gomez *in dict. l. Tauri* 22. *numer.* 5. *prope finem.* Additque Bald. *in citat. l. Si quando*, non solum requiri juramentum, quando in renuntiatione concurrit consensus patris, & filij in ipso testamento, sed etiam quando pater filium instituere volebat, vel è contra: filius autem instituendus in ipso testandi actu renuit; & merito quia ex ipso *cap. Quamvis pactum citat. & nostra Ordinat. citat. numer.* 4. supponitur pactum de non succedendo, juxta jus commune esse invalidum, si juramento non confirmetur. Et hoc ita existimo verum, ut DD. oppositum tenentes, ut Sanch. *citat. dicta disput.* 4. *de Matrimon. numer.* 19 Guttierres *de Pactis initio numer.* 39. Affirmant tutius, & firmius esse, si ij renuntiationi juramentum accederet; & melius dicerent, esse necessarium, quod accedat: ergo cùm renuntiatio dict. matris fuisset in ipso actu testandi, & periculo mortis & pacto non succedendi, necessarium erat juramentum, ut valida esset, etiam in ijs circunstantijs.

7 Quamvis hanc resolutionem probabiliorem existimem, ut dixi, negari tamen non potest, renuntiationem hæreditatis factam à matre in ipso actu testandi, & periculo mortis filiæ absque juramenti confirmatione, & tum præjudicio filij, validam fuisse, saltem ex authoritate DD. Sic in præsenti casu expressè Sanch. *l.* 6. *Matrimon. disput.* 4. *numer.* 19 *prope finem, & de consil. l.* 4. *cap.* 1. *dub.* 34. *numer.* 13. ibi: *Ex his fit licentiam testandi, quam possunt parentes quantumcunque habeant alios filios legitimos, in eorum præjudicium concedere filio, ut possit ad libitum disponere, & ea habita, poterit filius relinquere parentibus, ut libere disponant inter filios, & extraneos*; & Paulo infra: *Hoc intellige, nisi fieret in ipso actu testandi in vita, vel in morte, quia renuntiatio tunc, seu consensus, ut non instituatur, valet juramento* Citatque pro hoc ultimo Anton Gomez *in l* 22. *Tauri numer.* 5. At Anton. Gomez in has leges, ad manum non est, *in primo tom. cap.* 11. *numer.* 14. & 31. de nostro casu specialiter non agit, nec de alio à jure communi habito, in quo dicatur, in ipso actu testandi, & morte, non requiri juramentum. At requiri in ipso actu, tenet Pinheyro *citat. dict. disput.* 5. *de Testamentis numer.* cum alijs, quos *numer.* 6. adduximus; licèt de nostro casu expressè non loquantur

8 Probat Sanch. quia renuntiatio, seu consensus, ne instituatur in ipso actu testandi, in vita, vel in morte parens, non reputatur renuntiatio hæreditatis futuræ, sed institutionis prælentis, quæ sibi illo tempore debebatur; & licèt in consequentiam veniat privatio hæreditatis, non attenditur, cùm fundetur in jure de præsenti, citatque Anton. Gomez Guttierr. & Soar. Iuristam, licèt fateatur, alios tenere contrarium. Huic probationi respondeo, renuntiationem in ipso actu testandi in vita, vel in morte, semper continere pactum non succedendi in effectu, ut plures docent DD. *jam citat.* Et ratione ostenditur: quia renuntiatio, sive fiat in ipso testa-

testamento, sive ante, aut post illud, semper continet pactum de non succedendo in futurum in hæreditate: hæreditas enim non debetur, nisi per mortem, & renuntiatio est ante mortem: ergo sive fiat in testamento, sive extra illud, semper est per pactum de non succedendo, idest, post mortem. Et quamvis in testamento renuntietur illi juri præsenti instituendi in testamento, renuntiatio hæreditatis non est pro tempore; quia eo tempore parens non habet jus ad hæreditatem; habet tamen jus, ut de præsenti instituatur; & hoc jus renuntiat de præsenti, & jus non succedendi de futuro, quia adhuc non pervenit tempus succedendi. Quare rectè Baldus *supra citat.* in omni eventu juramentum requirit, & illius defectu dicta renuntiatio fuit invalida, & juxta meum judicium filius dict. nobilis viduæ post illius mortem, & filij, si ipse filius ante mortem decedat suam, illius partem hæreditatis procurare poterunt.

9 Nec obstat, dicere, dictam matrem suam renuntiationem, juramento non confirmasse, quia *in Ordinat. Reg. l. 4. titul. 73.* cavetur, ne quis in contractibus, seu pactis juramentum interponat; & si interponat, contractus annullatur, & graves pænæ contrahentibus, & notario imponuntur. Non, inquam, obstat, quia respondetur, in pacto non succedendi ab Ordination. Reg. admitti juramentum cum ipso jure Canon. *in cap. Quamvis pactum, de pactis in 6.* ut diximus *supra numer. 4.* ne pactum de non succedendo sine illo irritum maneat, ut ibi dicitur. Vide *infra dicenda quæstion. 98. numer. 3. & sequentib.* Alijs responsionibus supersedeo, quia ad præsentem casum sunt inutiles. Videantur, si placet Fagund. *in 2. decal. præcept. l. 2. cap. 18. numer. 9.* & Pinheyro *de Testament. disp. 5. numer. 213. & alij*, quos latè citant. Vide *dicenda infra quæst. 98. numer. 6. & sequentib.*

QUÆSTIO LXI.

An hæres ab intestato possit in foro conscientiæ hæreditatem adire, ex sententia in sui favorem lata, contra hæredem ex testamento, certissimè sciens, id esse contra testatoris voluntatem?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Voluntati testatoris, in foro conscientiæ, standum est, & juris solemnitati.*
3 *Non constat, legislatores præscripsisse pro forma solemnitates testamentorum.*
4 *Probatur ex §. ultimus, Inst.*
5 *Lex naturalis legi scriptæ præcedit.*
6 *Vltima defuncti voluntas pro lege servanda est.*
7 *Aliqui existimant hæredem ex testamento posse se compensare, & hæredem ab intestato peccare mortaliter petentem sibi hæreditatem adjudicari.*
8 *L. Hac consultissima, in hoc Regno non admittitur.*
9 *Ordin. Reg. l. 4. tit. 8. intelligi non debet juxta eam l.*
10 *Secunda sententia proponitur.*
11 *Leges præscriptionis habent vim pro foro conscientiæ.*
12 *Sententia lata contra hæredem ex minus solemni testamento, falsa non nititur præsumptione, sed in ipso jure.*
13 *Solemnitates testamenti inductæ non sunt, vt de voluntate testatoris constet, sed vt formæ substantiales.*
14 *Hæres ex minus solemni testamento, hæreditatem retinere potest, donec per sententiam condemnetur.*
15 *Fundamento tertiæ sententiæ respondetur.*
16 *Indicium Authoris.*

1 PEtrus in minus solemni testamento ex defectu testium requisitorum ab *Ordinat. Reg. l. 4. titul. 80. §. 1.* suos instituit hæredes. Hic defectus ad forum externum fuit deductus ab hærede ab intestato, & in illo in sui favorem sententiam obtinuit. Non tamen quoad legata pia, in eo testamento contenta: nam hæc valida fuerunt judicata. Hæres autem ab intestato, certò scit, testatorem voluisse, suos hæredes esse, eos tantùm in eo testamento minus solemni institutos; & nullatenus ipsum, nec alium suum consanguineum. Quæritur: An ex sententia lata, possit cum ea hæreditate, esse in conscientia tutus?

[:?:]

Ostend-

Ostenditur ex probabiliori sententia, cum ea hæreditate non esse tutum in conscientia.

2 Respondeo, circa propositam quæstionem, tres circumferri sententias. Ex his probabiliorem existimo asserentem, hæredem ab intestato non posse in foro conscientiæ retinere hæreditatem alteri relictam in minus solemni testamento, modo ipsi hæredi ab intestato certò constet, eam fuisse testatoris voluntatem; & esto pro ipso in foro externo, & judiciali lata sit sententia: in hoc enim casu, hæredi ex testamento minus solemni, tenetur, hæreditatem relinquere. Sic Panormitanus, Adrian. Sylvest. Medin. Covarr. apud Molin. *tractat. 2. disput. 81. vers. Panormitanus.* Plinius, Anchar. Tiraquel. Felin. & alij plures apud Sanch. *l. 4. consil. cap. 1. dub. 14. num. 2.* dicentem, hanc sententiam esse communem jurisperitorum. Illam sequuntur Molin. *cit. à vers. Vt in hac gravi*, Lessius *l. 2. de just. cap. 19. dub. 3. à num. 12.* Fagund. *de just. l. 6. cap. 7. à numer. 6.* Molfes. Homobon. Filliuc. Reginald. & alij, quos refert Dian. *1. part. tract. 8. resol. 75.*

3 Probatur primò: nam licèt legislatores decernere possint formam, sub qua testamenta tantùm, & ultimæ voluntates sint validæ, non constat tamen illos præscripsisse pro forma illas solemnitates testium, &c. sed tantùm, ut legitimas, ad testatoris defuncti probandam voluntatem: ergo si desint eæ solemnitates, & certò constet, de voluntate testatoris defuncti, illi standum est. Antecedens probatur primò *ex l. ult. C. de fideicommiss.* ibi: *Cum enim res per testium solemniatem ostenditur: tunc & numerus testium, & nimia subtilitas requirenda est. Lex enim, ne quid falsitatis incurrat, per duos forte testes compositum testamentum, maiorem numerum testium exposstulat: ut per ampliores homines perfectissima veritas reveletur.* Ex quibus verbis constat solemnitatem maioris numeri testium, & alias, solùm requiri, ut testatoris voluntas percipiatur: ergo pro forma substantiali non est numerus testium.

4 Idem antecedens probatur secundo *ex §. ultimus, Inst. de fideicommiss. hæredit.* ibi: Si testator fidei sui hæredis commisit, ut vel *hæreditatem, vel speciale fidei commissum restituat; & neque ex scriptura, neque ex quinque testium numero, possit res manifestari: tunc si hæres perfidia tentus adimplere fidem recusat, negando ita remasse subsecutam; necesse est. eum vel jus jurandum subire; quo nihil tale à testatore audivit, vel recusantem ad fideicommissi, sive universalis, sive particularis solutionem coarctari, ne depereat ultima testatoris voluntas fidei hæredis commissa.* Sic textus. Ex quibus verbis apertè constat, potius standum esse voluntati testatoris, si de illa constat, quàm testamento minus solemni.

5 Secundò probatur eadem sententia: Quippe stante lege scripta v. g. audiendi missam die festo; lex naturalis præcedit, v. g. charitas assistendi infirmo indigenti, ut omnes docent apud Tambur. *l. 3. decal. cap 2. §. 2. numer. 8.* ergo stante lege scripta, v. g. quod in approbatione testamenti dentur sex testes, ut *in Ordin. Regia cit*, præcedet lex naturalis, nempe veritas ipsa naturalis. Antecedens constat ex authoritate DD. consequentia ex authoritate juris Canonici, & civilis: Canonici, *in cap. Quòd sicut, & cap. Quia propter, de elect.* in quibus inquit Innocentius Papa: Si aliqua electio inspecto solo jure naturali, & gentium valida sit, quamvis desit solemnitas jure positivo requisita, validam nihilominus esse in foro conscientiæ, qui ea solemnitas fuit introducta ad vitandas fraudes, quæ cessare debet, ubi de veritate constat. Ex jure civili: *in §. Per traditionem, Inst. de rer. divis.* ibi: *Nihil tam conveniens est naturali æquitati, quam voluntatem domini volentis rem suam in alium transferre, ratam haberi*: ergo cùm constet de veritate, quæ est lex naturalis, nihil curandum de l. scripta, cùm illa semper sit præferenda, & non ista. Ut rectè notatur in *l. Inutiliter, C. de fideicommiss.* ubi cùm legislator dixisset, inutiliter in minus solemni testamento fideicommissum fuisse relictum, subdit: *Si hæredes compertâ voluntate defuncti illud præstitissent, repeti deinde non posse.* Et rationem reddit: *quia non ex sola scriptura, sed ex conscientia relicti fideicommissi voluntati defuncti satisfactum esse, videatur*: Ergo non ex l. scripta, quando deest solemnitas, sed ex l. naturali, nempe veritate compertâ, satisfaciendum est: veritas enim est mater justitiæ, ut cum pluribus inquit Barbos. *de Axiomat. 224. num. 5.*

6 Tertiò probatur, quia ultima defuncti voluntas pro lege servanda est, ut habetur *in Authent. de nuptijs §. disponat collat. 4. & cap. Vltima voluntas, 13. q. 2. deducto* ex Decretal. S. Gregor, Papæ, ibi: *Vltima voluntas defuncti modis omnibus servari debet.* Et DD. cum Barbatia, Perez de Lara *de Anniversf. l. 1. capit. 10. numer. 33.* sive ea lex sapiat spiritualitatem, sive non; quod intelligunt etiam in minus solemni testamento, quando in illo aliqua defecit solemnitas jure civili requisita, ut Bartol. & alij plures apud Fagund. *citat. numer. 1* Sed in præsenti casu expressè constat de voluntate testatoris, etiam apud hæredem ab intestato: ergo quamvis defecerit solemnitas numeri testium, voluntati defuncti standū est.

7 Omissis alijs fundamentis, hanc sententiam ita veram existimant aliqui ex citat. DD. ut fateantur, post latam sententiam pro

hærede ab intestato contra hæredem ex minus solemni testamento, posse hunc facere occultam compensationem, cessante scandalo, & hæredem ab intestato cognitâ voluntate defuncti, peccasse mortaliter, petendo sibi adjudicari eam hæreditatem alteri certò relictam, & teneri ad restitutionem non solùm eorum bonorum, sed etiam expensarum litis, & damnorum ob illam hæredi subsecutorum. Sic Molin. *dicta disput.* 80. *Vers. Quod si hæc*, Less. *dict. dub.* 3. *numer.* 22. Fagund. *cit. num.* 12. *in fine*, & alij.

8 Nec obstat *l. Hac consultissima C. de testamentis, ubi statuitur* non valere testamentum, nisi à testibus subscriptum, & non signatum, pro infecto haberi; & §. *Ex imperfecto autem* [inquit] *testamento, voluntatem tenere defuncti ... non volumus.* Non, inquam, obstat, quia respondetur primò, eas testium solemnitates requiri, ut fidem faciant in foro externo de voluntate defuncti, non verò, ut vim in se habeant; quam non habent, quando certò constat de voluntate defuncti; sic ex Molin. *citat. Vers. Hanc autem fuisse.* Respondetur secundò in hoc Regno, eam non obstare legem, quia solemnitates sufficientes ad validitatem testamenti habentur in *Ordin. Reg. l.* 4 *titul.* 80. & sicut in hoc Regno necesse non est, quòd testes sint rogati, ut necessariò requiritur in ea l. quia id in nostra Ordin. ommittitur, ut asserunt Gama decis. 110. num. 2. in fine, Molin. *disp.* 125. *vers. Hæc solemnitas*, Caldas Pereyra *de empt. cap.* 6 *num.* 23. & *qq. forens. consil.* 23 *num.* 17. Emman. Barbos. *in Remiss. ad* § 1. *cit. Ordin.* Fagund. *ad l.* 6. *de just. cap.* 2 *numer.* 10 contra Negreyros Lusitanum; ita etiam eadem ratione, necesse non erit, ut illa particula, in ea l. contenta, *voluntatem tenere defuncti non volumus*, necessario non requiritur, quia *in Ordin. citata* ommittitur. Quare ex cit. DD. constat, Ordin Regiam intelligi non debere, juxta eam legem, *Hac consultissima*, ut non bene censuit Pinheyro *de testam. disp.* 2. *sect.* 2. *num.* 28.

9 Nec obstat secundo *Ordin. Reg. dict. l.* 4. *titul.* 80. §. 1. ibi: *alias non erit validum testamentum.* Non, inquam, obstat, quia respondetur, ut supra, ea verba intelligenda esse, ut solemnitas pro foro externo fidem faciat de voluntate testatoris defuncti, non tamen ut vim habeant, quando de illa certò constat.

Secunda sententia proponitur, & illius fundamenta dissolvuntur.

10 Secunda sententia ex oppositio asserit, posse hæredem ab intestato in foro conscientiæ retinere hæreditatem alteri relictam in minus solemni testamento, quia v. g. in illo defuit numerus testium à lege requisitus; esto ei certo constet, contrariam fuisse testatoris defuncti voluntatem. Sic Bald. Fulgos. Paulus de Castr. Cynus, Fortunius, Garcia, Loriotus, Matienzo, Padill. Greg. Lop. Menchac. Mexia, Covarruv. Anton. Gom. Magistri Salmantini apud Sanch. *l.* 4. *consil. cap.* 1. *dub.* 14. *num.* 4. Item Benedict. Ægid. *in l.* 1 *C. de Sacrosanct. Eccles.* 2 *part.* § 4. *a num.* 2. Ricard. § 1. *Instit. de testam. ordin num.* 1 & *a numer* 9. Valq. *in opusc. de testam cap* 3. *dub.* 1. *num.* 4. Card. de Lug. *de just. disp.* 22 *num.* 254. & *seqq.* Pinheyro *de testam. disp.* 2 *sect.* 2 *num.* 28. illam dicens simpliciter veram in rigore juris, Dian. 1. *part. tract.* 8. *resol.* 75. illam existimans probabilem, & tutam in praxi, & alij plures, quos citant.

11 Ostenditur primò, quia Princeps ad tollendas fraudes, & damna secutura potest statuere, ut non servatis talibus solemnitatibus, testamentum non valeat, sicut ad tollenda incommoda, leges præscriptionis statuit, quæ vim habent in foro conscientiæ: & sic statuit *in l. Hac consultissima C. de testam. & Ordin. cit.* ergo cum in præsenti casu defuerit numerus testium requisitus, testamentum non fuit validum, & sic tutâ conscientiâ potest hæres ab intestato hæreditatem adire. Hæc non obstant, quia ex dictis *a numer.* 3. *usque ad* 9. expressè constat nullam habere vim.

12 Secundò ostenditur, quia sententia, quæ falsa non nititur præsumptione obligat in conscientia: sed sententia lata contra hæredem ex minus solemni testamento falsâ præsumptione non nititur, sed in ipso jure, ita disponente: ergo in conscientia obligat. Non, inquam, obstat, quia respondetur eam sententiam obligare in conscientia, si nitatur in veritate, non verò si nitatur in falsitate evidenti, quamvis nitatur ipso jure; Nam sententia lata ex falsis testibus est nulla, quamvis nitatur ipso jure; & judex sciens, reum esse innocentem ex sua privata scientia, non potest eum condemnare, quamvis secundum allegata, & probata nocens probetur. Vide Dian *part.* 5. *tract.* 4. *resol.* 22. & *part.* 10. *tract.* 15. *resol.* 16. & DD. ibi ab eo citatos. Si ergo judex tenetur potius officium deponere, quam ferre sententiam contra veritatem à se cognitam, quando testes falsum deponunt, contra id, quod jus disponit, etiam in præsenti casu, quando certò scitur, testatorem sua bona reliquisse hæredi, ex minus solemni testamento, non potest hæredi ab intestato illa judicare; nec talis hæres illa adire, etiam si leges videantur ita disponere, quæ re verâ non ita disponunt, ut ex dictis constat; nam solam inquirunt veritatem.

13 Tertiò ostenditur, quia solemnitas ad testamentum requisita, non fuit inducta tantùm, ut de voluntate testatoris constaret; sed etiam, ut forma substantialis, sub qua testamentū non subsisteret, ut cum pluribus tradit Sanch. *dict. l.* 4. *consil. cap.* 1. *dub.* 1. *num.* 4. ergo cùm defuisset numerus testium requisitus, qui est de forma substantiali testamenti; validitas testamenti, sine illa, in utroque foro, corruit. Non, inquam, obstat, hæc ratio, quia respon-

detur

detur negando antecedens, ut ex *dictis num.* 3. & seqq. constat.

Tertia sententia adducitur, & illius fundamentum enervatur.

14 Tertia sententia media inter allatas, sustinet, testamentum non esse omnino nullum, sed validum ad hoc, quòd hæres in eo testamento minus solemni, ex defectu numeri testium institutus, possit omnem hæreditatem sibi relictam retinere, donec per sententiam condemnetur: post illam verò, omnem restituere teneri. Sic cum pluribus Sanch. *cit. dub.* 14. *num.* 6. Malder. Ioann. de la Cruz & alij apud Dian. *supra.* Hanc, ut æquiorem, & in praxi visam sequendam, defendit P. Pinheyro *dicta disp.* 2. *sect.* 2. *num.* 28. Ratio, qua nititur est, quia hæc videtur esse legislatorum intentio; & in hoc sensu, ex probatorum hominum usu, eæ leges receptæ videntur.

15 Hæc tamen ratio est neganda; nam vel apertè constat de voluntate defuncti, vel non: si constat, nec hæres ab intestato potest litem movere contra hæredem ex testamento, etiam minus solemni; & si moveat, peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem; si verò apertè non constat, eam fuisse testatoris defuncti voluntatem, tunc ad probandum, qualis fuerit defuncti voluntas, solemnitatibus ipsius juris utendum est. Hæc est enim legislatorum intentio, nec alia esse potest, & in hoc sensu, & non in alio, ex probatorum hominũ usu eæ leges videntur receptæ; sic ex DD. *cit. num.* 7. constat.

16 Ex his maximè inclinabam respondere hæredem ab intestato teneri in conscientia restituere hæredi ex testamento omnem eam hæreditatem, quia ita æquitas, justitia, & veritas postulabant; quia tamen jam in possessione erat illius hæreditatis, & pro se habebat opiniones gravissimis DD. stabilitas, cum sententia à judicibus lata, & sic non audebam restitutionem consulere, quia in conscientia tutus esse poterat non restituendo, si tamen adhuc aliqua bona remanserant in potestate hæredis ex testamento, pro illis acquirendis, non urgeret amplius. *Vide sequentem quæst.*

QUÆSTIO LXII.

An advocatus patrocinari possit causæ testamẽti nullius ex defectu subscriptionis testatoris, in præjudicium duarum innocentium puellarum, quibus legata in eo fuerunt relicta?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Ratio dubitandi ab advocato adducta.*
3 *Advocatus graviter peccat, suscipiendo causam injustam defendendam.*
4 *Ordin. Reg. l.* 1. *tit.* 78 §. 15. *hoc testamentum non annullat, quamvis cum pœnis prohibeat.*
5 *Pœna converti non debet contra innocentem.*
6 *In minus solemni testamento ante sententiam latam, legatarijs debentur legata.*
7 *Interpretationes adversæ facile refutari possunt.*
8 *Probabile est clericos posse testari absque solemnitatibus juris civilis, probabilius oppositum.*
9 *Judices pro neptibus sententiam proferre debent.*
10 *Advocatus pro hærede potest patrocinium ferre.*
11 *Advocatus non peccat mortaliter patrocinando ubi datur opinio probabilis; si tamen probabilior sit opposita, admoneat clientem.*

1 HUjus quæstionis casus cum casu præcedente affinitatem habet. In eo tamen quod inquiritur, est omnino diversum; Et sic habet facti species. Dominicus Sacerdos in propria domo duas neptes fratris sui filias naturales educabat. Quarum curam frater in suo testamento [in quo illum hæredem instituit] demandavit. Dominicus verò in mortis periculo suum condidit testamentum, in quo suam sororem hæredem instituit, & neptibus opulenta reliquit legata; testamenti tamen approbationem, negligentiâ tabellionis, non subscripsit. Quem defectum post mortem fratris sciens ipsa soror hæres; ut legata neptium sibi caperet, tanquam hæres ab intestato, testamentum conditum annullare procuravit. Advocatum magni nominis juris consultum, & probatæ conscientiæ convenit; & hic me ipsum, in litteris lõge ab eo inferiorem requisivit.

2 An causæ istius hæredis patrocinari posset? Ratio dubitandi erat: quia de voluntate testatoris, in eo nullo testamento expressâ, sibi certò constat; Deinde etiam certo sciebat, illum eas adduxisse neptes ad suam domum, cũ hæreditate sui fratris; qui sicut fratrem suum sacerdotem, hæredem instituit, ita etiam suas duas filias hæredes instituere poterat; quia erant filiæ naturales, & non spuriæ; & Molina *tom.* 1. *de Iust. tract.* 2. *disp.* 81. *Vers. Quod si* §. *hæc, propè finem*, advocatos admonet, ne tali causæ patrocinentur, & Ciriacus inquit, peccare mortaliter, quamvis pro parte opposita adducat Menochium *de præsumption. l.* 1. *q.* 80 *num.* 13. Covarr. & alios. Quærit. Possitne horum DD ultimo loco adductorum opinionem sequi? Hæc advocatus.

RESOLUTIO.

3 Respondeo, ut certum, advocatum peccare graviter suscipientem causam injustam defendendam, sive id faciat ex malitia,

sive ex ignorantia culpabili; & hoc cum obligatione restituendi damna tam parti, quàm suo clienti, nisi prius illum de injustitia causæ admonuerit. Si tamen spretâ admonitione, eam prosequatur, damna inde sequuta sibi imputet. Si vero causæ patrocinari incipiat, illam justam existimans; in progressu tamen, quo eam injustam deprehendit, clientem admonere debet & causam deserere. Ratio est, quia in rem injustam suo consilio, & operatione agere nequit. Sic cum D Thom. & omnibus Card. de Lug. *de just. disput.* 41 *num.* 6. Fragos. *tom.* 2. *Regim. Resp. Christian. disput.* 13. *numer.* 250. cum plur.bus.

4 Et juxta hanc sententiam censeo, non posse advocatum patrocinari causæ fororis testatoris defuncti, intendentis nullitatem testamenti, ut ab intestato succedentis, à legatis, à patruo relictis suis neptibus, expellat; quæ legata ex commendatione patris, & hæreditate ab eo habita illis debebantur. Et hoc censeo, quia hanc causam existimo injustam; ut seqq. rationibus ostendam. Prima: quia *Ordin. Reg l.* 1. *tit.* 78. § 15. dictum testamentum non annullat, ibi: *Et notarius qui fecerit instrumentum approbationis in testamento, quin sit subscriptum per testatorem, & testes, ammittat officium.* Nec oppositum disponit *l* 4. *titul* 80. §. 1. *in fine*, ibi: *Novellio, qui fecerit instrumentum approbationis alicujus testamenti, aut codicilli, quin illud faciat subscribere per testes, in illo nominatos, & testatorem, ammittat officium, & instrumentum approbationis sit nullum.* Et licèt prohibeatur, ne condatur testamentum sine instrumento, illud tamen testamentum non annullat. Et multa fieri prohibentur, quæ tamen facta, tenent *l. Patre furioso, ff. de his, qui sunt sui, vel alieni juris*, Emman. Barbos. *in Remiss. ad cit. Ordin l.* 4 *titul* 80. §. 2 *numer.* 2 citans Cald. Pereyra *de empt. cap* 5. *numer.* 3. *& cap.* 34. *numer.* 15. & Barthol. *in l. Prator ait, in principio ff. de novi operis nuntiat.* Et cùm prædicta lex Regia tabellioni pœnam imponat, ipsâ pœnâ videtur legislator contentus, testamento firmo, & valido manente.

5 Confirmatur hæc ratio, quia si ex eo defectu subscriptionis testatoris testamentum maneret nullum, pœnam subibit testator propter culpam tabellionis cum sit innocens: pœna autem nocentes, & non innocentes, qui culpam non commiserunt, inurere debet: *l Absentem, & l. Si non defunduntur ff. de pœnis*: ergo testator non subscribens sine culpa, pœnam testamenti invalidi, alterius culpâ pati nequit.

6 Secunda ratio, quia omnes DD. *cit. præcedente quæst.* 64. *num.* 2. ut certum defendunt, posse hæredem ex minus solemni testamento non solùm retinere hæreditatem, sed etiam legatarios, legata, quando certo constat eam fuisse testatoris voluntatem; & quamvis plures DD. ibi *cit, num.* 10. oppositum sustineant quoad hæreditatem; quoad legata, & fidei commissa, omnes conveniunt. Quia legata, & fideicommissa ex jure naturali, & in foro conscientiæ debentur; ut cum pluribus, qui hanc sententiam dicunt communem, tenent Julius Cfar. *l* 3. *sentent.* §. 30. *num.* 30. Card. de Lug. *de just. disp.* 22 *numer.* 258. Pinheyro *de testament. disp* 2 *sect* 2. *num.* 29. & videtur tenere Gloss 1 *in l.* 1. *ff. de condit. indeb.* Et id expressè ostendunt *l. Non dub.* 16. *C. de testam. l fin. l. Si veritas, & l. Si inutiliter C. de fideicommiss.* §. *Ultimus, inst. de fidei commiss. hæredit.* & aliæ, quas *præced. q. attullimus*, & illarum verba transcribimus.

7 Et quamvis aliqui DD. has leges diversimode interpretentur, ut sustineant legata, & fideicommissa ex minus solemni testamento non deberi; hæ tamen interpretationes facilè confutari possunt, ex his, quæ circa hanc controversiam tradunt Mantic. *in l.* 2. *de conject. ult. volunt. titul.* 13. Bened. Ægid. *in l.* 1. *C. de sacros Eccles.* 2 *part initio, a numer.* 20. *ubi per seqq num.* plures refutat interpretationes, *ad l. fin. C. de fideicommiss.*

8 Alia ratione poterat non defendi dicta soror hæres, quia illius frater testator erat clericus; clerici autem testari possunt valide absque solemnitatibus juris civilis, servatâ tantum formâ præscripta *in cap. cum esses de testam* ut posse concedit Valasc. *consult.* 74. *numer.* 13 & cum Abbat. Decio, Menchac Marth *de jurisdict. centur.* 1. *casu* 28. *numer.* 1. & probabile inquit Pinheyro *de testam. dict. disput.* 2. *sect.* 7 §. 4 *numer.* 187. Quia tamen opposita sententia est probabilis, & forsan probabilior asserens, clericos existentes in terris Principum laicorum, non posse valide testari absque solemnitatibus legum civilium, maximè, si alios non instituant clericos hæredes, ut tuentur Molin. *tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 133. *Vers. penult.* Soar. *l.* 3. *de Lug. cap.* 34 *numer.* 21. *fine*, Sanch. *l.* 7. *decal. cap.* 3. *num* 20. Negreiros *Introduct. ult. volunt. l.* 3. *cap.* 5 *num* 21. Pinheyro *cit. dict. numer.* 187. & alij quos citant; non prohibetur advocatus dictæ sorori hæredi patrocinari.

9 Cæterum cùm dicta hæres sui defuncti fratris, sit instituta hæres universalis, & neptes tantummodo legatariæ aliquorum bonorum; juxtaque leges citatas, & voluntatem testatoris, teneatur legata relicta tradere, quæ non ab ipso defuncto fratre, sed ab ipso parente, ea de causa fuerunt relicta; & cùm judices sententiam juxta probabiliorem opinionem proferre teneantur; cognitâ hâc causâ absque dubio illam proferent. Et in his terminis consilium do advocato, ut ab hoc patrocinio, desistat

10 Si tamen ea hæres admonita de probabiliori justitia, pro neptibus, ab intento desistere nequeat, advocatus non peccabit mortaliter, patrocinando ei causæ pro hærede. Nam quamvis probabilius sit legata de jure naturali,

&

& in conscientia deberi, quando de voluntate testatoris constat, ut dictum est *num.* 6. non desunt tamen DD. existimantes legata ex minus solemni testamento non deberi, maximè si non sint pia. Inquit enim absolute Ioann. de Carvalho *in cap. Raynald. de testam. part.* 2. *num.* 455. hæredes venientes ab intestato, non teneri in foro conscientiæ ad solvenda legata, quæ in minus solemni testamento fuerunt relicta, citatque Covarr. Bald. Padell. Ægid. Lusit. Menoch. & alios plures, & addit, hos satis respondere *ad l. Etsi inutiliter*, & alias allatas; & cùm hæc sententia tot habeat DD. non est peccatum juxta illam patrocinari; si ea legata non sint pia; nam pia hæc sunt censenda ex ipso jure, & DD. authoritate Videatur Alvar. Valasc. *consult.* 108 *num.* 18.

11 Censeo etiam non peccare mortaliter patrocinando contra ea quæ *a num.* 4. sunt dicta, nam quamvis ibi oppositum dixerim, ut equidem existimo, & si essem advocatus, ita agerem; negare tamen non possum, illud testamentum cum eo defectu subscriptionis inculpabili, quoad testatorem, in sententia multorum DD. esse nullum, quia ea subscriptio pro forma requiritur, & deficiente forma, corruit actus. DD. hujus sententiæ adduximus *præced. q. num.* 10. Et de hoc defectu subscriptionis testatoris in approbatione instrumenti, id tradunt Cald. Pereyra *de empt. cap* 5. *num.* 3. & clarius *cap* 34. *num.* 16. & Fragos. *tom.* 3 *Regim. Reip Christian. disput.* 8 §. 2. *num.* 79 Et omnis advocatus potest defendere causam probabilem, contra causam probabiliorem dummodo clientem admoneat, de minori probabilitate suæ causæ. Sic Castr. Palaus *tom.* 1. *tract.* 1. *disput.* 2. *punct.* 11. *numer.* 2. Fragos. *tom.* 1. *de Regim. Christ disp.* 13 *numer.* 262. Dian. *part.* 1. *tract.* 13. *resol* 4. & *part.* 9 *tract.* 8. *resol.* 62. cum pluribus, & cum Vasques, Salas, & alij Card. de Lug. *de just. disp.* 41. *num.* 8.

QUÆSTIO LXIII.

An testamentum sacerdotis, matrem, & filiam spuriam habentis, sit validum, si in eo matrem prætercat, & filiam spuriam hæredem instituat?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Ex ipso jure est nullum.*
3 *Non potest pater filiam spuriam instituere hæredem.*
4 *Sanum consilium, quòd inter se conveniant avia, & neptis.*
5 *Hæres sui filij sacerdotis alimenta præstare tenetur ejus filijs spurijs.*
6 *Spurijs filiabus debetur dos pro alimētis suo statui proportionata.*
7 *Spuriâ decedente, antequam nubat, cui debeatur ea dos, remissivè.*

1 PEtrus sacerdos matrem, & filiam habens spuriam, suum condidit testamentum, in quo, nullâ factâ mentione de matre, filiam omnium suorum bonorum hæredem instituit. Mater tamen per querelam inofficiosi testamenti, procurat sibi ex ijs bonis duas sibi reddi partes, tertiam verò libenter nepti relinquet. Quæritur ab ea: An aliquod peccatum mortale contra justitiam in ea procuratione committat?

RESOLUTIO.

2 Respondeo, nullum committere peccatum mortale, contra justitiam; quia testamentum à filio sacerdote conditum ex duplici capite fuit nullum. Fuit primò nullum, quia matrem prætervit in testamento, & sine causa exhæredavit; secundò, quia filiam spuriam omnium suorum bonorum hæredem instituit. Primum probatur, *ex Ordin. Regia l* 4. *titul* 91 §. 1. ubi expressè disponitur de filio decedente, patrem, & matrem habente, qui necessariò debet eos instituere hæredes, in duabus partibus suorum bonorum; & de tertia ad libitum disponere: hic autem sacerdos matrem habebat, & necessariò illam in duabus partibus hæredem debebat instituere.

3 Secundò fuit nullum, etiam si Petrus matrem non prætermisisset; quia filiam spuriam hæredem universalem instituit. Ratio est, quia ex jure Cæsareo omnes spurij sunt incapaces succedendi parentibus, tam ex testamento, quàm ab intestato, ut habetur *in Authent. quibus modis, naturales efficiantur sui*, § *Si vero effusa*, & *seqq.* & alijs juribus apud DD. citandos. Idem observatur jure Lusit. in quo statur jure communi, quando in illo aliud non est dispositum. Quamvis in *Ordin. Regia l* 4 *titul.* 93. idem videtur dispositum, saltem juxta illos, qui dicunt, dispositum, in uno correlativo, in altero censeri dispositum, apud Barbos. *tract. de Axiom.* 61. *num.* 1. Et esse nullum testamentum, in quo spurius à patre instituitur hæres, docent omnes, Molin. *tom.* 1 *de just. tract.* 2. *disp.* 167. *vers. Prima*, & *Tertia conclusio*, & cum pluribus Ioann. de Carvalho *in cap. Raynald. part.* 1 *a num* 590. & Pinheyro *de testam. disp.* 5. *sect.* 1. §. 2. *a numer.* 35. & expressè de clericis instituentibus in testamentis suos filios spurios, tenent Sanch. *l.* 4. *consil. cap.* 3 *dub.* 19. cum alijs, quos ibi citat, & cum Vasq. Lessio, & alijs Card. de Lug. *de just. disput.* 24. *num* 92 ergo potest mater Petri sacerdotis, quin peccatum mortale contra justitiam committat procurare quod hæreditas sui filij ei tradatur, non solùm quoad duas partes, sed etiam quoad totam.

4 Fateor tamen sanum esse consilium, quòd sine litibus, avia, & neptis inter se conveniant, tali modo, ut aviæ cum suis duabus hæreditatis partibus, & neptis cum tertia maneat; quam partitionem ipsa avia

desiderat, *ut num. 1. dictum est.* Et sic cum neptis spuria aliunde non habeat, quo alatur, bonis ipsius tertiæ aletur. Parentes enim suis filijs, sive spurij, sive nō spurijs alimēta præstare tenētur quando aliunde nō habeant, quo alantur. Ita disponitur *in cap. Cum haberet, De eo qui duxit in matr. quam polluit per adult.* corrigente oppositū, quod in jure Cæsario cōtra spurios continebatur. Dispositum jure Canonico, etiam disponitur jure Lusit. *Ordin. l. 4. tit. 99* § 1. ibi: *sive sit naturalis, sive spurius*

5 Et tenetur ipsa mater Petri, ex ipso jure sui filij hæres, eam tertiam tradere nepti, quia obligatio alendi, pertinet ad hæredes. Emman. Barbos. cum pluribus *in Remiss. ad locum cit. Ord num. 8.* Et hæc doctrina præstandi à patribus filijs spurijs alimenta, habet locum etiam post *Extrav. B. Pij V. de filijs presbyt.* ut inquiunt Sanch. *l. 4. consil. cap 3 dub. 31, num. 2.* & alij plures, quos referunt, & sequuntur Fagund. *l. 4 in 4. decal. præcept. cap. 1. a num. 6* Fragos. *tom. 3 disp. 2.* § 5. *num. 141.* Tambur. *l 5 decal cap. 3.* § 1. *num. 6* Pinheyro *de testam. disp. 3 sect 1* §. 4. *numer. 65.* Quando verò B Pius V. spurijs prohibuit alimenta, intelligitur, quando aliunde habent, quo alantur.

6 Tertiam pro alimentis designavi, & quia ita avia volebat, & quia filiabus spurijs pro alimentis dos suo statui proportionata, & non amplius debetur, nam excessus restituendus est, & hæc dos illi spuriæ relinquenda, vel potest esse ex bonis patrimonialibus, vel ex fructibus, seu redditibus Ecclesiasticis à patre perceptis. De his videri possunt Sanch. *cit, dub. 39.* Molin. *de Iust. tract 2. disp 168* Fagund. *proximè* Pinheyro *dict. disp. 5. de testam sect. 1.* §. 4. *incipiente a num. 65.*

7 An verò hæc alimenta spuriæ tradita in æstimatione tertiæ, si antequam nubat decedat tradenda sint aviæ, aut suis hæredibus, aut ipsius spuriæ? Utrumque videtur probabile. Vide Molin. *dict. disp. 168 num. 3.* Pinheyro *dict. disp. 5.* §. 4. *num 74* & quos hic citat.

QUÆSTIO LXIV.

An testamentum sacerdotis matrem, & tres filias naturales habentis, sit validum, si matrem prætereat, & filias instituat hæredes?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Testamentum est validum, si Paulus matrem prætereat, & filias instituat hæredes.*
3 *Clericus in jure, militi armato æquiparatur.*
4 *Filius habens successibiles, ascendentes non potest instituere hæredes.*
5 *Filij naturales hominis plebei, in hoc Regno sunt instituendi hæredes.*
6 *Non possunt prætiriri ascendentes, si legitimi non dentur descendentes.*
7 *Ea opinio in nostro non procedit casu.*
8 *Iudex tenetur sequi opinionem testatoris probabilem.*
9 *Attenditur tempus, quo filiæ conceptæ, aut natæ fuerunt.*
10 *Non est validum testamentum, in quo mater instituitur, & filiæ naturales prætereuntur.*

1 PAulus sacerdos matrem, & tres filias naturales habebat, natas, & conceptas antequam esset in sacris institutus; imo eo tempore, quo erat sub patria potestate parentis mechanici. In bonis ad summum habebat duo millia aureorum, mater verò bona propria sufficientia, quibus vitam degeret; at filiæ nulla; nec quibus alerentur, nec quibus statui traderentur. Infirmitate oppressus, vult de suis bonis, tutâ conscientiâ per testamentum disponere. Quæritur; An nulla de matre in testamento factâ mentione, possit suas filias naturales instituere hæredes universales, & aliquam ex illis in suo bonorum tertio meliorare?

RESOLUTIO.

2 Respondeo, posse, & matrem in testamento prætirire, & filias naturales hæredes universales instituere, & illarum aliquam in tertiò suorum bonorum meliorare. Moveor hac dūplici ratione. Primâ, deducta ex leg. civilibus, & jure canonico, in quibus permittitur clericis testamentum conficientibus de bonis, quæ constante clericatu, quæsierunt, prætirire descendentes, & ascendentes; *Sic in l. fin. C. de inoffic testam. & l sacrosanctæ*, 34 *de Episc. & cleric.* Et ex jure Canon. *in cap. Quia nos 9. de testam.* ubi dicitur clericos liberè disponere valere de suis bonis, non tamen Ecclesiæ, cum eorum proprietas non sit sua, ut inquit Gloss. V. *testamentum.*

3 Confirmatur, quia clericus in jure, militi armato æquiparatur, juxta Gloss. *in l. Miles, ff. de re judic.* Sed miles sæcularis, seu armatus habet privilegium, ut licitè possit prætirire in testamento suos descendentes, & ascendentes, concessum *in l. 9 C. de testam. milit.* & §. 7. *Inst. de exhæred. liber.* & DD. Bartol. Abb. & alij apud Phæbum *decis. 88 num 3.* & ex *Trident sess. 25. cap. 2. in Decret de Indulg.* Et hanc sententiam tuentur Panorm. *in cap. Quia nos, num. 4 de testam.* Valasc. *tom. 2. consult. 108. num. 11.* August Barbos. *in Collect. ad cap. Quia nos cit. nu.* Fragos. *tom. 3 disp. 8. de testam.* § 2. *num 94 infine*, & plures apud Phæbum *proximè num. 2.* & Pinheyro *de testam. disp. 5 sect. 3* §. 5. *numer 200* & eam sequitur, *num. 206.* Eandem sequitur Joan de Carvalh. *in cap. Baynald part. 4 cap 1. num. 204.* dum cum pluribus asserit testamentum clerici filij familias, non subjacere querelæ inofficiosi.

4 Secunda ratio, meo judicio efficax, quia dictæ filiæ erant naturales, conceptæ & natæ ante-

antequam illius pater Paulus esset clericus in sacris, & dùm erat plebeius, & sic filios habebat succedendi capaces, & non tenebatur matrem in portione legitima instituere: Ratio est quia filius habens descendentes succedendi capaces, non tenetur ascendentes in testamento instituere, nec illos hæredes relinquere in sua legitima portione, ut omnes fatentur ex *Authent. Defunct. C. ad Tertull. & ex Ord. l. 4. tit. 82. §. 4.* & DD. Molin. *tom. 1. tract. 2. disp. 159 in principio*, Pinheyro *de testam. disp. 5 sect. 3 §. 15 num. 666* Sed filiæ Pauli sacerdotis erant suo patri succedendi capaces, quia erat naturales, & pater plebeius, tempore suarum conceptionum, & nativitatum: ergo pater, prætenta matre, illas poterat hæredes in suo testamento instituere, & illarum unam in sua tertia meliorare.

5 Maior constat ex ipso jure, & omnibus DD. Minor, quòd essent suo patri succedendi capaces, probatur quia jure hujus Regni filij naturales hominis plebei hæredes sunt instituendi, ac si sint legitimi, sive illorum pater alios habeat legitimos, sive non; ut expressè constat ex *Ord. Reg. l. 4. tit. 92. in principio*, ibi: *Esti pater fuerit plebeius, eum succedent, & ad hæreditatem venient æqualiter cum filijs legitimis, si pater eos habuerit; & si filij legitimi non dentur, naturales hæreditabunt omnia ea bona, & hæreditatem patris; exceptâ tertia, si pater eam accipiat, de qua ut sibi placuerit, disponere poterit.* Cùm ergo Paulus sacerdos nullos habeat filios legitimos, sed solùm tres filias naturales, illas valide potest cõstituere, & hæredes, & illarum uni suam relinquere tertiam.

6 Neque obstat primò contra primam rationem: quòd licèt clerici testentur de bonis quasi castrensibus, post clericatum acquisitis, non possunt tamen prætenire ascendentes, si legitimos non habent descendentes, ut communior tenet opinio, quam citatis Barbar. & Salicer. tenent Covarr. *in cap. Quia nos num. 7. de testam.* Menchac. & Azeved. à Fragos. supra cit. Molin. *tract. 2. disp. 231. ad finem*; Dian. *part. 7. tract. 12. resol. 2. & 35.* Phœbus *dict. decis. 88 a n. 4.* in causa cujusdam matris cum sua filia à fratre sacerdote hærede iustituta in testamento, in quo Sacerdos matrem prætenvit, quod testamentum ex prætenitione matris, nullum in senatu fuit judicatum Addit que *num. 6.* non esse textum in jure civili, nec Canon nec Doctorem affirmantem posse clericum indistinctè ex hæredare patrem, aut matrem. Et sãne hæc sentẽtia est cõformior *Ordin. Reg. l. 4 tit. 91. § 1.* & juxta jus novum in *Autehent. Ut cum, de appell. cognosc. §. si igitur Vers. sancimus, coll. 8.* jus antiquum corrigens; & hæc sententia censetur probabilior: ergo non potest dictus sacerdos filias naturales hæredes instituere, prætereundo matrem in testamento, quia ea de causa erit nullum.

7 Non inquam obstat primò ea sententia: quanvis enim in alijs sensibus in quibus mater in testamento prætenitur, & instituuntur à clerico fratres, ut in casu de quo Phœbus, aut aliæ personæ, testamentum sit nullum, juxta eam sententiam; non tamen habet locum in casu præsenti, in quo mater prætenitur in testamento in quo filiæ naturales clerici hæredes instituuntur: sicut enim Paulus clericus si habuisset filias legitimas, in suo testamento matrem poterat prætenire, ut docent omnes, ut dictum est. *num. 4.* ita & etiam illud in quo instituuntur filiæ naturales hominis plebei, pro tempore, quo fuerunt conceptæ, aut natæ, erit validum; quamvis mater in illo prætereatur: Ordin. enim citata æqualiter loquitur, quoad hæreditatem hominis plebei, de legitimis, & naturalibus, ut dictum est.

8 Non obstat secundo ea sententia, licèt sit probabilior, & pro ea stetisset senatus Lusitanus, in casu, quo filiæ naturales non fuissent in testamento institutæ hæredes, sed aliæ personæ hæredes non necessariæ; & sic etiam in nostro evenisset casu; adhuc censeo testamentum esse validum, quia instituitur juxta sententiam probabilem. asserentem clericum habentem ascendentes, & descendentes, posse de suis bonis quasi castrensibus, instituere hæredem aliam personam extraneam, cujus authores citavimus *num. 3.* Et in senatu judices tenentur sententiam proferre juxta hanc sententiam, dato quòd sit minus probabilis; si clericus testator in schedula sui testamenti dicat: *se hanc sententiam sequi, quia est probabilis, & illam sequi volo in dispositione meorum bonorum, quia est gravium DD. & cum illa mea voluntas conformare se potest; quia est justa, & nullus ex judicibus de bonis alienis disponere solet, nisi juxta voluntatem illorum domini, si est juxta.* Hac datá clausula judices tenentur pro voluntate testatoris sententiam proferre. Et quanvis pro opposita sententia non proferant sententiam, sencentes eam esse probabiliorem, non contraveniunt Decreto S. Pontificijs Innocentij XI. edito secunda die Martij anni 1679. damnantis, ut minimum tanquam scandalosam, & in praxi pernicioſam, hanc propositionem: *Probabiliter existimo, judicem posse judicare, juxta opinionem etiam minus probabilem*, quæ ex damnatis ab ipso Pontifice, est secunda, quia judicat juxta voluntatem testatoris in suo testamento expressam, & circa dispositionem suorum bonorum.

9 Nec obstat secundo; contra secundam rationem, quòd Paulus, quando condidit testamentum, & filias instituit hæredes, sit sacerdos, ac proinde nobilis. Non, inquam, obstat, quia ad id tempus non attenditur, sed ad illud, quo filiæ conceptæ, vel natæ fuerunt, ut expressè constat ex *Ordin. cit. § 2.* ibi: *Et si tempore, quo filij nati fuerint, pater fuerit, plebeus, quamvis post ea factus sit eques, aut alius maioris conditionis, filij naturalis idcirco suam non amittent hæreditatem, aut partem illis pertinentem, sed illam habebunt, sicut eam habere debebant, si*

pater adhuc plebeus tempore mortis fuisset. Sic lex Regia; & DD. de illa scribentes, Molin. *dicta disp.* 166. *Vers. de jure*, Caldas Pereyra *de Nomin. emphyt q.* 12. *num.* 58. Fragos. *tom.* 3 *disp.* 2. §. 5 *num.* 174. Pinheyro *cit. num.* 416. Ioann. de Carvalho *dict. part.* 1. *num.* 482. *vers. sed hæreditas est.*

10 Nec obstat tertiò: Quia si Paulus sacerdos in suo testamento suas filias naturales prætereat, instituendo matrem suam hæredem universalem, filiæ non poterunt agere querelâ inofficiosi, ut dicunt Valasc. *consult.* 94. *num.* 10. & Ægid. *de jur. honest. cap.* 13 *num.* 49. Non, inquam, obstat opinio eorum DD. quia firmo non nititur fundamento; oppositum enim tenendum est, ut cum Cabed. & alijs sustinent Fragos. *dict. tom.* 3 *disp.* 2. §. 6. *num.* 169. Pinheyro *dict. disp.* 5. *num.* 409. Ioann. de Carvalho *in cap Raynald part.* 1. *num.* 174. quia nititur Ordin. Reg. dispositione, quæ in hoc Regno est jus commune, ut notat Gama *dec.* 317. *num.* 4. cum alijs.

QUÆSTIO LXV.

An inducens testamenti revocationem in sui commodum, & dubitans de validitate conditi de novo, possit tutâ conscientiâ commoditatem sibi retinere?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Ad condendum testamentum, ea requiritur deliberatio, quæ ad peccandum mortaliter, sufficiens est.*
3 *Non a bonâ testamenti ordinatione colligitur sæpius, testatorem esse sanæ mentis.*
4 *Quando non constat, testatorem antea non fuisse sanæ mentis, sanâ mente præsumitur fuisse testatus.*
5 *Ex eo, quòd aliquis ex debilitate iudicij, non potest longum sermonem prosequi, inferri non potest, illum non esse in suo perfecto judicio.*
6 *Tabellioni, & testibus adhibetur fides, circa judicium testatoris.*
7 *In dubio sanæ mentis, præsumitur sana mens, cum antea adesset.*
8 *Ex inductione ad revocationem, testamentum non fuit nullum.*

1 Martha jam senio confecta, testamentum condidit, in quo nepotem, & nepotes ex fratre orphanos, instituit hæredes Maria verò hæreditatis ditissimæ avida, ab his tribus orphanis, jam decimum quartum annum excedentibus, petijt, & promisit; quòd si Martha testamentum jam conditum, revocaret, & se ipsam hæredem instituret, illa se obligabat, dictis duabus sororibus tradere dotes, ut fiant moniales, & illarum fratrem in statu honorifico, & questuoso collocare. Revocato testamento, instituta hæres, omnia sicut promiserat ad unguem implevit. Fraterque sororum, suâ industriâ Abbatiam obtinuit, & sumptus literarum ab illa fuerunt soluti; Hæc, non satisfactione, plenè, & affatim; scrupulis torquietur, non circa satisfactionem erga fratrem, quia existimatâ se plenè satisfactum; sed circa sorores, ex hoc duplici capite Primò, quia dubitat de validitate testamenti post revocationem conditum, quia testatrix, in sua existimatione, perfecto non pollebat judicio: secundò de contractu cum illis inito in sui commodum circa revocationem testamenti, quia eo tempore erant minores. Vt hos sedaret scrupulos pridie diei professionis, sororibus professuris, sic fuit alloquuta; *Illas esse memores de contractu ab ipsis cum illa inito, circa revocationem testamenti, in sui commodum factam; ipsamque, se in eodem contractu, invenire cum excessu quingentorum super millia aureorum.* Responderunt professuræ: *se ipsas pœnitere, quòd ipsi Maria alia maioris excessus commoda non remansissent; & contractum ab ipsis cum illa initum existimasse perfectum.* Ex his propositis, Quæritur 1. An testamentum cum non ita sano judicio conditum, sit validum? 2. An contractus circa revocationem testamenti initus à minoribus absque aliâ authoritate fuisset validus. 3. An verba à professuris dicta, profuissent, ut Maria tutâ in conscientiâ, maneret?

§. I.

An testamentum à persona non ita sanæ mentis conditum sit validum?

2 Certa, & communis sententia, inter DD. est, testamentum conditum à persona nõ sanæ mentis, & sufficientis deliberationis, non esse validum. Sic Molin. *tract.* 2. *disp.* 136. *vers. A primo* Cardin. de Lug. *tom.* 2. *de just. disput.* 24. *num.* 61. Pinheyro *de testam. disp.* 2 *num.* 5. *& omnes.* Ratio est, quia testari, & disponere de suis bonis, est actus humanus, & moralis: at à persona non sanæ mentis, & sufficientis deliberationis, non oriuntur actus humani morales: nam hi dicuntur morales, per ordinem ad sanam mentem. Quare meritò inquit Molin. *cit.* ad condendum testamentum, requiri deliberationem plenam, quæ in materia gravi sufficit ad culpam mortalem, sic etiam adducti. Ex hac indubitata doctrina, sequitur testamentum Marthæ fuisse nullum juxta assertionem Mariæ, reputantis Martham, tempore, quo illud condidit, non esse in suo perfecto judicio.

3 Quamvis Maria de judicio Marthæ, ita censeat, oppositum tamen existimo; non ex ea præsumptione à pluribus allata DD. quos referunt, & sequuntur Fragos. *tom.* 3. *disp.* 8. *de testam.* §. 1 *num.* 7. Pinheyro *ibidem disp.* 1. *sect.* 1. §. 2. *num.* 10. & adducta *ab Ordin. Reg. l.* 4. *tit.* 81. §. 2. loquente de habente lucida intervalla, disponente,

nente, & ordinante suum testamentum, sicut quilibet homo sani intellectus, conderet. Non enim hac ratione moveor: quia non semel potest deficere; nam sæpius compositio, & dispositio testamenti non dependet abipso testatore, sed ab eo, qui de illius mandato, illud scribit: accipiendo tantùm ab ipso testatore decreta suæ voluntatis circa res in eo testamento scribendas. Et quando ipse testator scribenti res eas ordinante, refert, ipse scribens censet esse, & existere sanæ mentis. Hæc ex praxi colligo.

4 Existimo tamen, Martham talem non habuisse intellectus defectum, ut testari non potuisset; ex his rationibus. Prima, quia constabat, eam semper fuisse sanæ mentis, & non constabat, eam non esse sanæ mentis, pro eo tempore: ergo præsumitur sanâ mente condidisse testamentum. Sic cum pluribus Sanch. *l.1 de matr. disp* 8. *num.* 17. aliquas leges afferens, quæ nostram rationem probant; idem cum ipso Sanch. Pinheyro *cit. proximè numer.7.* Vide *num.7. infra.*

5 Secunda ratio: Quia ex eo, quòd Martha, jam senio confecta, longum non poterat prosequi sermonem, nec etiam assequi, quæ longiori sermone dicebantur rectè inferri nequit, eam non esse in suo perfecto judicio: nam ad illa, de quibus interrogabatur cum judicio respondebat; & in eo statu erat, quo mortaliter poterat peccare, & sacramenta tam confessionis, quam sacræ Eucharistiæ communionem suscipiebat, magnâ devotione: ergo ex eo, quòd eo integra intellectu, quo antea, pollere non poterat, inferri non potest, quod in suo perfecto judicio non esset, licèt ut antea; ita perspicax non haberet. Sufficiebat tamen in præsenti, se scire, quam instituebat hæredem, cum obligatione nunquam deferendi neptes, & nepotem ex fratre minoris ætatis, & semper, ut matrem illis assistendi.

6 Tertia; quia in testamenti approbatione tabellio fidem adhibuit, Martham esse in suo perfecto judicio, cùm primò interrogationes illi fecisset juxta *Ordin. Reg. l.4. tit.* 80. §. 1. ex quibus coram testibus factis, constabat, Martham sufficiens habuisse judicium in conditione sui testamenti. Et huic tabellioni potius; & testibus adhibenda est fides, quam alijs personis, de alijs actibus testificantibus. Nam ut rectè dicunt cum alijs Valasc. *tom.2. consult.* 145. *num.*13 & Mantica *in l.2. de conject ult. volunt. tit.5. num.6.* inæquali probatione, potius adhibendam esse fidem, deponentibus de sana, quam non sana mente; & paucioribus, quàm pluribus testibus, ut inquit Reynos. *observat.* 32 *num.* 14. quem refert, & sequitur Pinheyro *supra num.7.*

7 Quarta ratio: quia dato, quòd supereset dubium de sana, vel non sana mente Marthæ præsumendum erat, esse sanæ mentis: sub orta enim dubitatione præsumitur non mutata, ut cum pluribus dicunt Card. de Lug. *dicta disp.* 24 *num.*63 & Fragos. *part.*3 *disp.*8 §.1. *num.* 8. Secus dicendum si immediatè antea non erat sanæ mentis, quia tunc non præsumitur mutata, nisi probetur. Sic idem Card. de Lug *loco cit.*& cum utroque Molin. Reynos Sanch. & Henriq. Pinheyro *dict. disp.*1. *de testam.*§.1 *num.* 9 Cùm ergo Martha antea esset sanæ mentis, nec oppositum probetur, dicendum est, ex hac parte testamentum fuisse validum.

8 Nec etiam desijt esse validum, quia Martha à neptibus ex fratre, inducta fuit, ut testamentum revocaret; quia eâ inductione vim non est passa, nec ejus libertas coacta. Nec etiam Maria neptes ex fratre Marthæ, vi aut metu coegit, ut ab amita testamenti revocationem in sui commodum obtinerent, sed rationibus convenientiæ erga ipsas neptes ex fratre, & illarum fratrem. Et quamvis commodum ex ipsa hæreditate intenderet, id erat absque fraude. Et ex his tam á neptibus ex fratre, erga amitam, & à Maria erga ipsas neptes ex fratre nullum apparet caput, ex quo ipsum testamentum nullitatem habuisset.

9 Nec ipsius Marthæ neptes ex fratre, nec ipsa Maria pænas *Ordin.l.4 tit* 84. incurrerunt; in qua statuitur, quòd si aliquis in suum commodum coegit, vel prohibuit alium condere, aut mutare testamentum, privetur, tanquam indignus, quibusvis bonis sibi in tali testamento relictis, eaque bona fisco adjudicentur: nam præterquamquòd in ea Ordin. supponatur testamentum non fuisse validum: alias enim non fisco, sed hæredibus ab intestato ea bona devolverentur; eæ pænæ non debentur nisi post latam sententiam. Cæterum in ea testamenti revocatione, nulla data fuit coactio, aut prohibitio ad mutationem testamenti; nec dictæ neptes ex fratre in suum commodum illud mutare fecerunt. Et quamvis Maria in suum commodum illud mutare fecisset; cùm id fecisset absque coactione, & prohibitione, in ea legis Regiæ pæna non comprehendebatur. Quando verò prohibentes testari, aut revocare testamentum, ab hæreditate, aut legatis excludantur? Vide Molin. *tract* 2.*disp.* 178. *Vers. Quartus.* Card de Lug. *cit. num.* 78 Pinheyro *adductum de testam disp.*2.*sect* 1.*a num.*7.*usque ad num.*13. Ex dictis constat scrupulum primum allatum à Maria cessare.

§. II.

An contractus circa revocationem testamenti à minoribus celebratus, absque judicis authoritate sit validus?

SUMMARIUM.

10 *Status quæstionis.*

11 *Probabile est, si intuitu ingressus Religionis fuit initus, fuisse validum.*

12 *Probabile est oppositum.*

13 *Con-*

13 *Contractus in præsenti casu, sine authoritate judicis celebratus, fuit validus.*
14 *Minor curatore carens, potest se obligare civiliter, & naturaliter.*
15 *Opposita sententia adducitur.*
16 *Non solum ad alienationem, sed etiam ad remissionem, & renuntiationem, requiritur judicis authoritas.*

10 Quoniam Maria tutam in conscientiâ, ratione institutionis in hæredem, se non existimabat, ut vidimus; quæsivit, an saltem ratione contractus, cum dictis Minoribus celebrati, tuta in conscientia manere possit? Si enim contractus non fuit validus, ratione illius, in conscientia tuta esse non potest. Et in duplici sensu ille contractus accipi potest. Primò, quia fuit circa renuntiationem testamenti, in quo frater, & sorores hæredes instituebantur; ut ex bonis hæreditatis, frater commoditatem haberet, & sorores dotem, ut religionem ingrederentur. Secundò, quia frater, & sorores erant minores, curatore carentes, & absque judicis authoritate contractus celebrare non poterant.

11 Quòd attinet ad primum, censeo maximè probabile esse, illum contractum non desijsse esse validum, per renuntiationem hæreditatis, in qua dabantur bona ad ingressum Religionis designata à testatrice ipsis suis neptibus ex fratre; & hæc hæreditas ex testamento firmior erat ad intētū, quā promissio à Maria facta, etiam de ipso ingressu. Ratio est, quia Concil. Trid. *sess. 25. de Regular.* Solùm loquitur de renuntiatione novitiorum, & non de illa, quæ multò antea fit, ut contigit in præsenti casu; ut cum pluribus tradunt Sanch. *l. 7. decal. cap 5. num.* 4. Barbos. *de potest. Episc. 3. part. alleg 99 num.* 17. Castr. Palaus *tom. 3. tract. 16. disp. 1. punct 17 num.* 24 Valasc *de partit. cap. 16. num* 23. & alij Vide infra *q* 89 *num.* 9.

12 Dixi, *esse maximè probabile*, quia opposita sententia, docens Decretum Concil. comprehendere omnes, qui intuitu ingressus Religionis disponunt de bonis suis, probabilis etiam est: illam defendunt Molina *de just. tract. 2. disp.* 139. *Vers. Ambiges rursus, & disp.* 149. *Vers. Quod ad Ecclesiam, & tom 3. disp.* 604. *num* 2. Azor *tom. 1. l.* 13 *cap* 9. *q.* 2. *Less. l. 2. de just, cap.* 41. *num.* 4. & 39 & plures, quos citant DD. *num præcedenti citati.* Vide infra *cit. q.* 89. *num.* 9. At hæc sententia præsenti casui non opponitur, quia neptes ex fratre, bona præsentia, nec acquisita, sed acquirenda revocabiliter, renuntiarunt, ut magis patebit ex dicendis *infra.*

13 Quod attinet ad secundum, respondeo eum contractum eorum minorum fuisse validum absque judicis authoritate celebratum. Ratio est, quia minores obligando se revocare testamentum in sui favorem conditum, nihil aliud egerunt, quam repudiare institutionem hæreditatem, quam habebant revocabilem: sed repudiatio talis institutionis; non est alienatio bonorum, nec alicujus rei, in qua ullum haberent dominium: ergo illam absque judicis authoritate repudiare poterant & loco illius institutionis à Martha postulare, ut à Maria hæres institueretur. Minor probatur, quia minores ad repudiandam hæreditatem, decreto judicis non indigent, quippe repudiatio hæreditatis, non est alienatio, sed acquisitionis omissio: ut dicunt Menoch. *l. 2. de arbitr. casu* 171. *num.* 152. & 53. Castr. Palaus *tom 7 disp. 1. punct.* 4. § 5. *num. 1. in fine*, & alij quos citant: ergo à fortiori dictæ minores authoritate judicis non indigebant; quia hæreditatem non repudiarunt, sed renuntiarunt, seu repudiarunt, esse hæredes, in eo testamento revocabili, ut loco illarum Maria institueretur hæres.

14 Secunda ratio: quia minores curatore carentes circa bona, quæ nec sunt immobilia, nec mobilia pretiosa, possunt se obligare civiliter, & naturaliter, tametsi, si læsos se inveniant, possint uti beneficio restitutionis, in integrum, ut colligitur *ex l. Si curatorem*, 3. *C. de in integrum restit.* ut cum Molin. *disp.* 224. *vers. Ea omnia*, Sanch. *l. 6. de matr. disp.* 38. *num.* 4. & alijs Castr. Palaus *dicti. disp. 1. de just. punct. 4 §. 4. num.* 2. Sed contractus à dictis minoribus cum Maria celebratus, non fuit super bona immobilia, nec mobilia pretiosa, sed tantùm super revocationem, seu repudiationem institutionis testamenti revocabilis, in favorem Mariæ: ergo poterant se obligare civiliter, & naturaliter, sine curatoris authoritate.

15 Nec obstat primò, quòd ille contractus dicatur nullus; in quo minor curatore carens, absque judicis decreto, obligatur civiliter, aut naturaliter circa res immobiles, aut mobiles, quæ servando servari possunt, ut colligitur *ex l. Non solum*, 4. *C. de prædijs min. l. fin. C. si maior factus alienat. & l. Execuratores*, 22. *C. de administr. tutor. & habetur Ord. Reg. l. 1. tit.* 87. §. 28. *in fine*, ubi loquendo de minore sic: *Et faciente illo dictam alienationem, aut obligationem sine justitiæ authoritate, talis contractus erit nullus, & nullius valoris, ac si dictus minor dictam chartam non impetrasset, nec matrimonio esset conjunctus.* Et traditur à DD. quos referunt, & sequuntur Molin. *tract. 2. disp. 224. Vers. Res immobiles* Sanch *l. 6. de matr. disp.* 38. *numer.* 6. & 26. Castr Palaus *tom. 7 disp. 1. de just. commut. punct.* 4. §. 4 *numer.* 1. & §. 5. *num.* 1. Card. de Lug. *de just. disp. 22. num.* 284 *juncto num.* 294. Fagund. *de just. l. 1. cap. 12. num. 16. juncto cap.* 13. Sed dictæ minores 25. annorum, carentes curatore, cum Maria contractum celebrarunt sine authoritatè judicis, super rebus immobilibus, & mobilibus, quæ servando servari poterant: ergo dictus contractus fuit nullus, non solùm civiliter, hoc est in foro externo, sed naturaliter, hoc est in foro conscientiæ. Non, inquam obstat, quia respondetur negando minorem, nec leges adductæ de præsenti casu loquuntur, ut ex dictis patet.

16 Nec

16 Nec obstat secundò, dicere non solùm requiri authoritatem judicis, ut minor sua bona alienet, sed ut illa remittat, ut renuntiet, ut non acquirat rem, cujus ipso jure acquisitum est dominium, vel ad quam habet jus *l. Si ad resolvendum, C de prædijs minor.* & DD. communiter, Molin. *cit. dict. disp.* 224. *Vers. Decreto judicis* cum Anton Gomes, & Gregor. Lopes, Card. de Lug. *dict. disp* 22. *num.* 284. Castr. Palaus *dicta disp.* 1 *punct.* 4 § 1. *num.* 1. Sed dictæ minores absque decreto judicis sua bona remiserunt. renuntiarunt, desierunt acquirere illa, ad quæ ex testamento in sui favorem condito, aliquod jus habebant acquisitum, per revocationem in alterius favorem factam: ergo nulliter contractum, & revocationem fecerunt. Non, inquam, obstat, quia respondetur, nec leges, nec DD. de præsenti casu loqui, quia dictæ minores non remiserunt, renuntiarunt, aut desierunt acquirere rem, ad quam ab illis aliquod dominium fuisset acquisitum; nam ad hæreditatem Marthæ nunquam jus, nec aliquod dominium habuerunt, cùm ex hoc capite etiam Maria maneat in conscientia tuta, contra suam existimationem. Deveniamus nunc ad donationem à minoribus factam, de qua etiam dubitabat.

§. III.

An verba à professuris prolata pridie diei professionis profuissent, ut Maria à residuo hæreditatis retento, tuta in conscientia maneret?

SUMMARIUM.

17 *Status quæstionis.*
18 *Verba a professuris dicta perfectam continent donationem.*
19 *Donatio, seu remissio facta, pridie ânte professionem censetur facta causâ mortis.*
20 *Donatio facta in mortis periculo censetur facta causa mortis*
21 *Persona Ecclesiastica disponens per ultimam voluntatem, requirit solemnitates juris.*
22 *Remissiones a novitijs factæ sine juris solemnitatibus sunt validæ.*
23 *Remissio facta ab habentibus ante professionem sexdecim annos, in aliquorum opinione fuit valida.*
24 *Horum opinio non admittitur.*
25 *Novitia nulla bona renuntiarunt, Hoc dictum non est efficax.*
26.27.& 28 *Satisfit in oppositum adductis.*
29 *Quæstionis conclusio.*

17 Ex dictis *num.* 1. constat, Mariam, ut omne tolleret scrupulum, pridie professionis, convenisse professuras, existimantem, contractum cum ipsis celebratum fuisse nullum, quia testamentum nullum existimavit. Illisque innotuit, se ex illo contractu accepisse inter se quingentorum aureorum super millia, & hujus interesse, se ab illis remissionem postulare. Minores verò, die sequenti professuræ, respondérunt: *Se eum contractum semper existimasse validum, & insuper, ipsas pœnitere, quod maius non habuisset interesse.* Ex quibus verbis liquet, illas remisisse illam aureorum summam, dato quòd contractus inter ipsas, & Mariam initus, validus non fuisset Ex qua remissione insurgit dubium, an illa remissio, seu donatio eo die, & statú facta, fuisset valida? Remissio enim debiti, donatio censetur, ut cum alijs inquit Castr Palaus *tom 7 disp.2 de justit. commut. punct.*23 §.2.*num.*2.& 3.

18 Ad dubium respondeo, eam remissionem, seu donationem fuisse validam. Ratio est, quia remissio debiti, seu donatio mortis causâ facta, non comprehenditur *in Decreto Concil.Trid sess 25 cap* 16.*de Regularib* ut cum pluribus defendunt Molin. *tom.*3.*de just disput.* 604 Sanch.*l.*7.*decal cap 5 num* 15.Soar. *tom.* 3. *de Relig l 5 cap* 16 *num.* 11. Navarr Menoch. Gutierr.& alij, quos affert, & sequitur Castr. Palaus *tom.*3.*tract.* 16 *disp.* 1.*punct.*14 *num.*12. & *punct* 17.*num* 6 Sed remissio debiti, seu donatio facta à novitijs Mariæ, pridie diei professionis, mortis causâ fuit facta: ergo *in cit.Trident. Decreto* non comprehenditur. Maior inter DD est communis. Vide dicta *infra num.*27.

19 Minor probatur primò; ex illa generali regula, apud Card de Lugo *de just.disput* 24. *num.*321 Castr Palaum *tom* 7. *disp.* 2. *de just. commut.punct.*14 *num.*2 & alios, quos citant. Ut remissio debiti, seu donatio fuisset mortis causâ, donantis potius intentione standum est, quàm verbis, quando de illis non constat: sed constat remissionem debiti eorum aureorum fuisse factam, pridie diei professionis cum intentione liberandi Mariam ab eo debito, emissâ professione: ergo mortis causâ fuit. Confirmatur, quia idcirco illo die Maria novitias convenit, ut ab illo debito maneret libera: ergo cùm professio Religiosa sit mors civilis, & in hoc puncto naturali similis, ut videre est apud Castr.Palaum *tom* 3. *tract.* 16. *disp.* 1.*punct.* 14. *num.* 5. & 7. remissio debiti seu donatio fuit mortis causâ.

20 Secundò probatur eadem minor: nam illa dicitur remissio, seu donatio causâ mortis, quæ fit à constituto in mortis periculo, ab hostibus, aut odio inferendæ, aut navigationis ineundæ, aut transitus per insidiosa loca, vel ratione ætatis, quia jam est valde senex: hæc enim denotant mortis periculum, ut cum pluribus docet Sanch.*l* 4. *consil cap.*1 *dub* 13.*num* 7 ergo à fortiori dicetur remissio, seu donatio causâ mortis, facta pridie diei professionis, quãdo moraliter certum erat, & non periculum professionis emitendæ.

21 Nec obstare videtur, quòd hæc remissio debiti, seu donatio mortis civilis causâ,

per

per professionem inducta, ad suam validitatem requirebat eas solemnitates, quas requirit jus commune hujus Regni ad dispositionem ultimarum voluntatum; & sic novitius testamentum conficiens, licet sit persona Ecclesiastica; Ecclesiastici tamen & Religiosi legibus contractus respecientibus, obligantur. Hac de causa novitij testamentum conficientes, tenentur non solum solemnitates Ecclesiasticas, sed etiam civiles observare, ut tradunt Sanch. *l.* 7. *decal. cap.* 3. *num.* 16. Castr. Palaus *tom.* 3. *tract.* 16. *disp.* 1 *punct.* 14. *num.* 2. Pinheyro *de testam. disp.* 2. *num.* 183. *juncto num.* 187. Et cùm remissio debiti, seu donatio causâ mortis civilis à dictis novitijs facta, sit ultimæ voluntatis, ad illam requirebantur testes, & aliæ solemnitates *in Ordin. Reg. l.* 4. *tit.* 86. requisitæ, nullum autem ex his datum fuit: ergo remissio debiti, seu donatio fuit nulla.

22 Non, inquam, obstat, quia respondetur, remissiones debitorum, donationes [quid quid sit de alijs donationibus mortis causâ factis] causa professionis emittendæ à novitijs factas esse validas absque solemnitatibus juris communis hujus Regni, & Cæsarei, ut constat ex praxi, & consuetudine receptâ. Et quia hæ donationes effectum non habent, nisi professione, in qua donans mortuus mundo reputatur: solemnitates verò juris ad has remissiones, donationes, aut renuntiationes non extenduntur; nam hæ animo amplectendi Religionem, & ut verè fiant pauperes, fiunt, & non aliæ; quæ sunt ad avaritiam. Unde si fiant à minoribus 25 annis, non indigent licentia tutoris, nec judicis, etiam si sint rerum immobilium, aut mobilium, quæ servando servari possunt, nec privilegio restitutionis in integrũ gaudent. Sic cum pluribus Sanch. *l.* 7. *decal. cap.* 6. *num.* 19. Rebell. 2. *part. de oblig. justit. l.* 1. *q.* 8 *sect.* 5. *num.* 50. Castr. Palaus *tom.* 3. *tract.* 16. *disp* 1. *punct* 15 *num.* 3. & indicat Molin. *tract.* 2. *disp.* 139. *vers. Novitij*, & Soar. *tom.* 4. *de Relig. tract.* 10 *l.* 4. *cap.* 4. *num.* 19 loquentes de renuntiatione facta in Societate IESV. cùm ergo hæ novitiæ hanc remissionem debiti, seu donationem pridie diei professionis fecissent, per professionem sequenti die emissam, remissio debiti suum habuit effectum, nullis requisitis juris solemnitatibus.

23 Alij aliter nostram resolutionem *num.* 18 probare poterant. Quia professuræ, quando dictam remissionem aureorum fecerunt, erant maiores sexdecim annis, & *Concil. Trid. loco cit.* hanc non irritat, sed illam relinquit in terminis juris communis. Ratio est, quia hujus Decreti dispositio cum præcedenti conjungitur: at præcedens solùm professionem annullat ante expletum decimum sextum annum: ergo etiam solam remissionem, seu donationem eorum aureorum ante eam ætatem factã, irritat. Ita Menoch. *de arbitrar. l.* 2. *cas* 436. *nu.* 8 *in* 1. *edit.* Thesaur. *l.* 2. *q. forens. q.* 56. *num.* 7. apud Barbos. *de potest. Episc. alleg.* 99. *num.* 18. *in fine*, & innuit Lelius Zech *de rep. Eccles. tit. de Regul. cap.* 3. *num.* 14. *limit.* 8. apud Sanch. *l.* 7. *decal. cap.* 5. *num.* 6.

24 Sed hæc sententia non admittitur, ut videre est apud Sanch *cit. num.* 7. Barbos. *proximé*, Castr. Palaum *tom.* 3. *tract.* 16. *disp.* 1. *punct.* 17. *num.* 5. Alvar. Valasc. *de partit cap.* 16. *numer.* 23. & 24. & alios, quos citant, asserentes Concil. Trident. irritare quãcumque renũtiationem novitij in quacunque ætate constituti absque solemnitate eo Decreto præscripta. Nec hoc Decretum ita cum præsenti conjungitur, ut qualitates, quæ ad emittendam professionem requiruntur, etiam ad renuntiationem requirantur. Vide *num.* 22.

25 Aliter dicta nostra resolutio probari poterat: quia hæ novitiæ nullis bonis renuntiarunt, nec ea obligarunt, quia nulla bona habebant, nec possidebant: in Trident. autem Decreto solùm annullatur renuntiatio, & obligatio novitij, nisi facta fuerit intra duos menses professioni proximos, de licentia Episcopi, sive ejus vicarij: ergo Tridentini Decretum illas non comprehendit. Antecedens ostenditur, quia ex contractu inter illas, & Mariam in sui existimatione rite celebrato, Maria illis non erat debitrix, quia omnia in eo contractu inter ipsas conventa, satisfecerat: Quod verò ipsa Maria fateretur, ex eo contractu, se ditiorem invenire in illa summa aureorum, ea confessio non illas dominas illorum reddebat: ergo nulla bona renuntiarunt, nec obligarunt. Hanc probationem etiam non censeo efficacem; nam licèt novitiæ sincerè procederent, & sic nullam renuntiationem fecissent; attamen Maria suam conscientiam putans oneratam illà aureorum summâ, à novitijs remissionem illorum obtinere studebat, illis verbis à novitijs prolatis: *ipsas pœnitere, quod ipsi Mariæ maiora alia interesse non remansissent*; & contra hanc remissionem à novitiabus factam Trident. procedere poterat.

Argumenta opposita Soluta.

26 Non obstat primò contra traditam resolutionem. Quòd duæ à Trident. cit. requirantur solemnitates ad validam novitij renuntiationem, seu donationem; prima ut fiat intra duos menses professioni proximos; secunda, ut fiat de licentia Episcopi, ibi: *Nulla quoque renuntiatio, aut obligatio antea facta, etiam cum juramento vel in favorem cujuscunque causæ piæ valeat, nisi cum licentia Episcopi, seu ejus vicarij, fiat intra duos menses proximos ante professionem, &c.* Et licèt dicta renuntiatio, seu donatio fuisset facta intra duos menses ante professionem proximos, quia fuit facta pridie diei professionis, fuit tamen facta sine licentia Episcopi, aut vicarij: ergo ex verbis ipsius Trident ea remissio debiti fuit nulla. Non, inquam, obstat,

obstat, quia ex dictis constat novitias nihil remisisse, nec donasse; & si in existimatione Mariæ aliquid fuit donatum, id fuit mortis civilis causâ, ut dictum est.

27 Nec obstat secundò; nam tametsi illa remissio debiti, seu donatio fuisset facta die antecedente professionem, non fuit facta causâ mortis, quæ remissiones, seu donationes in Decreto Trident. non comprehenduntur, ut docent Sanch. *l. 7. decal. cap. 5. numer.* 14. & 15. & cum pluribus Castr. Palaus *tom.* 3. *tract.* 16. *disput.* 1. *punct.* 17. *num.* 6. Sed fuit inter vivos, quæ utpote irrevocabilis à Trident. prohibetur, ut cum communi tenent cit. DD. ergo, ut prohibita fuit nulla. Antecedens probatur, quia illa censetur donatio causâ mortis, quæ fit cum mortis mentione *l. Seia* §. *fin. ff. de donat. caus. mort.* & DD. Molin. *tract.* 2. *disp.* 287. *vers. fin.* Castr. Palaus *tom.* 7. *disp.* 2. *de Just. commut. punct.* 14 *numer.* 3. & alij, qui etiam hoc verum existimant, in casu infirmi, & morti proximo: sed in prædicta remissione debiti, seu donatione, nulla mortis facta fuit mentio, nec professionis die sequenti emittendæ: ergo non fuit facta causâ mortis. Non, inquam, obstat, ut ex dictis *a numer.* 20. constat.

28 Non obstat tertio; nam quamvis in *citat. Trident.* Decreto non comprehendantur contractus onerosi, in quibus tantumdem recipitur, quantum datur, ut cum Rodrig. sustinent Sanch. *dict. l. 7. decal. cap* 5. *numer.* 31. Castr. Palaus *dict. tom.* 3. *tract.* 16 *punct.* 17. *numer.* 6. in prædictis verbis professionem emissurarum, nec fuit aliquis initus contractus, sed tantùm existimatus validus, annis elapsis, celebratus; qui tamen in existimatione Mariæ, validus non fuit, ex eo, quod Martha suo perfecto non pollebat judicio, quando testamentum revocavit; & si fuit nullum, validus esse non poterat contractus, etiam si à professuris talis existimaretur, *juxta Reg.* 18. *Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit. de Reg. jur. in* 6. & DD. apud Barbos. *tract. de Axiom.* 164. *numer.* 9. Et dato, quòd per verba, ipsa die à professuris dicta, ipse contractus ratificaretur, vim non habebat, ut non comprehenderetur in Trident. Decreto, quia non tantùmdem ab ipsis receptum est, quantùm à Maria per hæreditatem acceptum est, ut ipsa fatetur: ergo cùm excessus sit notabilis, hic contractus, in Tridentini Decreto, comprehensus non censetur. Non, inquam, obstat, quia respondetur, jam ex dictis constare, & contractum, & testamentum fuisse validum. Et casu negato, quòd non essent valida, illa remissio debiti facta fuit, mortis civilis causâ, & ut talis in Tridentino non comprehenditur.

29 Ex dictis per hanc longam quæstionem sequitur scrupulum cessasse in Maria boni ingenij, & conscientiæ timoratæ; & in quocunque alio cessare etiam posse, si similibus anxietur scrupulis.

QUÆSTIO LXVI.

An judex partitionum, proprietatem in tertiam suorum bonorum à testatrice assumptam, in duas partes partiri potuisset; & si postea incidenter reuniantur in successore à testatrice designato, teneatur hic sine lite eam partem relinquere?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Potest successor tutâ conscientiâ omnes illius proprietatis redditus recipere.*
3 *Mater potest unam proprietatem pro legitima filio assignare.*
4 *Per l. Castellæ parentibus facultas conceditur designandi tertium aut quintum quando de illis possunt disponere in proprietate, quam voluerint.*
5 *Secunda ratio & efficax pro nostra resolutione adducitur.*
6 *Sententia Judicis partitionum, cessante appellatione designato tempore, habet vim definitivæ.*
7 *Sententia Iudicis partitionum apertè fuit nulla.*
8 *Et injusta.*
9 *Licitum est consilium dare contra sententiam apertè nullam, alia non data sententia, quæ illam annullet.*
10 *Quando in hæreditate una tantùm datur res pretiosa, illam pro sua tertia non possunt parentes eligere cum damno filiorum.*
11 *Reynoso nobis non adversatur.*
12 *Franciscus aliam potest medietatem devolutam retinere; non enim contra illum processit præscriptio.*
13 *Non tenetur illius fructus restituere, nec illam dimittere: potest enim se defendere.*

1 TErtijs nuptijs cũ Alexio celebratis, Aloysia ex primis, & secundis nuptijs filios, & in proprijs bonis plusquam quindecim millia aureorum habens; testamentum condidit, & pro sua tertia elegit proprietatem, nomine *Rotea* valoris quinque millium aureorum, in qua maioratum, seu capellam instituit cum onere ducentarum super quatuor Missas celebrandas singulis annis, & decem mensurarum tritici, pro pauperibus singulis etiam annis, erogandarum. Ad hanc capellam primò suum maritum Alexium vocavit, & post illius obitum, successiones cujusdam familiæ. Post mortem Aloysiæ judex partitionum resolvit, tertiam non posse capere totam eam proprietatem, quia ea proprietas erat magni valoris; Et divisit proprietatem da *Rotea* in duas partes, unam æstimatam duobus millibus, &

quingentis aureis in tertia reliquit residuum vero, quod ad complementum deerat Tertiæ, bonis mobilibus, & aliquibus censibus supplevit; & alteram Roteæ partem pro sua legitima tradidit Petro filio dictæ Aloysiæ ex primis, aut secundis nuptijs.

Alexius institutricis maioratus, seu capellæ maritus, in sua vita dimidium proprietatis Roteæ possedit, reliqua vero bona tam mobilia, quam census consumpsit. Post illius mortem, vocati ab Aloysia, in illa medietate proprietatis de Rotea successerunt; Primo loco Ioannes, secundo Ludovicus, tertio Antonius; at cùm non esset ex vocatis, per judicis sententiam fuit demissus, & successit Franciscus ex familia. Hic autem Franciscus possessionem dicti maioratus, seu capellæ per suum procuratorem capere mandavit, virtute sententiæ judicis, in qua institutio facta, erat incorporata, expressè declarans, testatricem suam tertiam elegisse in proprietate da Rotea rotunde cum suis signis, & mensuris descripta. Procurator verò sic de tota Rotea possessionem cepit, tum quia non habuit contradictorem; tum quia ignorabat, eam proprietatem da Rotea per judicem partitionum fuisse bipartitam.

Hæc medietas hujus proprietatis, fuit pro legitima Petro applicata, ut supra est dictum; & a pluribus annis in ea vinculum capellaniæ erat institutum, administratore pro tempore carentis ob nimia onera adjuncta; curaque illius ad judicem Residuorum pertinebat, & per suum procuratorem, cognitâ possessione, receptionem fructuum medietatis, qui ad capellam devolutam pertinebant, impedire voluit; at usque ad præsens tempus non absolvit; manente Francisco cum fructibus totius proprietatis da Rotea, eum illius antecessores solam medietatem recepissent, post factam divisionem à Iudice partitionum. Quæritur 1. An Franciscus tutâ conscientiâ omnes redditus dictæ proprietatis recipere possit, quia institutrix illam elegit pro sua tertia, quæ maioris valoris erat, quàm ipsa proprietas. 2. An teneatur restituere omne receptum per hos duos annos à capella devoluta? 3. An teneatur dimittere redditus illius capellæ, quin illi lis inferatur?

RESOLUTIO.

2 Ad primum respondeo, posse Franciscum tutâ conscientiâ redditus totius proprietatis recipere, ex eo, quòd institutrix eam pro sua tertia elegit, non excedentem valorem suæ tertiæ; immo minus valoris constantem. Ex duplici ratione moveor. Prima est, quia pater, aut mater potest de suis proprijs bonis eligere suam tertiam in una proprietate, aut alia quacumque re, ut sibi videatur, ut inquit Valasc. *de partit. cap.* 19. *numer* 25. cum Bald. *in rubric. ff. de rer. divisione col.* 2. Suar. *in l. Quoniam, limit.* 5. *pag.* 233 *C. de inoff. testam.* Ripa *in l. in quartam num.* 100. *ff. ad Falcid.* Fragos. *idem tenet tom* 3. *disp.* 8. *numer.* 250. & ita habetur consuetudine hujus Regni, & legibus juris communis, ut inquit ipse Valasc. proximè num. 29 & Fragos. *cit. d numer.* 250. *in fine* consuetudo autem est lex, ut cum communi tradit Castr. Palaus *tom.* 1. *tract* 3 *disp.* 3. *punct* 1. ex ipso jure & DD. Et ampliat varijs conclusionibus Barbos. *tract. de Axiom.* 56 *per totum.*

3 Confirmatur primò eadem resolutio, quia pater, aut mater potest de suis bonis unam rem hæreditariam loco legitimæ filio suo designare, ut ait Valasc. *cit. num.* 25. cum Menoch. *l.* 2 *centur.* 2. *casu* 163. *col.* 1. *& seqq* & favent *l. si cogitatione, in fine, C. de famil. erciscund. & l. Parentibus, C. de inoff. testam.* & tenet cum ipso Menoch. Emman. Barbos *in Remiss. ad prine. epithomes Ord. Reg. l.* 4 *titul.* 96. *numer* 7. Fragos. *proximè cit.* Et quòd testatrix possit unam rem eligere in parte suæ legitimæ, bene colligitur ex Gama *decis.* 284. *num.* 3. & tenet Fragos. *dict. num.* 250. ergo à fortiori potent pater, aut mater eligere unam proprietatem, quæ sibi placuerit, pro sua tertia.

4 Secundò confirmatur, quia docent Valasc. *cit. num.* 26. & 27. Emmanuel. Barbos. cum pluribus *in Remiss. ad Ordin. l.* 3. *titul.* 64. *num.* 16. Fragos. *cit.* cum Iason. *in l. De quibus num* 6. *ff. de leg.* & alij, deficiente lege in nostris Ordin. esse decens, & consentaneum, quòd sequatur lex Regni vicinioris: sed in nostris Ordin. non datur lex expressa, concedens parentibus facultatem eligendi de suis bonis proprietatem aliquam pro sua tertia, & datur in Regno viciniori, nempe Castellæ, hanc facultatem concedens parentibus per legem *stylj* 218. & in eo practicatur juxta Suar. *cit. in d. l. Quoniam, fol.* 88. *col.* 4. *q.* 1. ergo decens est, quòd dicta lex in Regno Portugalliæ practicetur.

5 Secunda ratio movens est, quia Aloysia eligens eam proprietatem da Rotea in suam tertiam, in illa non solum instituit maioratum, qui de sua natura est idividuus, ut videre est apud Molin. *de primog. l.* 1 *cap.* 3. *numer.* 6 sed etiam imposuit anniversarium centenarum, super quatuor missas, & onus decem mensurarum tritici singulis annis pauperibus erogandarum: sed ubi datur onus missarum individuum, super aliqua proprietate à testatore designata, ea proprietas dividi nequit, & facit *l. Cui fundus, ibi in fine: In eo vero, quod uni sub conditione legatum est, scindi ex accidenti conditio non debet, & omnis numerus eorum, qui in locum ejus constituuntur, pro singulari persona haben-*

habendus est, ff. de condit. & demonstrat. Ex quo text. colligunt DD. in proprietate, seu bonis in quibus datur oneris impositio, Missarum seu aliorum, necesse esse, quòd detur bonorum individuitas, sic Valasc. *consult.* 82. *num.* 2. Gama *decis.* 30. & in alijs non paucis, Menesius *in l. Cùm quidam*, 24. *ff. de legat.* 2. Lara *de anniversf. l.* 1. *cap.* 4. *numer.* 30. *& numer.* 33. inquit, hoc ita esse verum, quòd si proprietas, de sua natura dividua sit, si conditio, seu onus adjiciatur jam efficitur individua; citatque Sarmient: ergo dicta proprietas da Rotea dividi realiter non poterat inter hæredes Aloysiæ, quia illam in suam Tertiam elegit, sed etiam, quia super eam onus Missarum, & eleemosynam ad pauperes erogandam, imposuit, singulis annis adimplendam. Dixi *realiter*, quia per æstimationem poterat dividi, manente hæreditate da Rotea apud vocatum, in casu, quo in illa maioratus non esset institutus; qui per testamentum instituì poterat.

ARGUMENTA, QVÆ OPPONI possunt, enervantur.

6 Aliqua contra nostram resolutionem opponi possunt, quæ juxta nostrum stylum adduco, & more solito, dissolvo. Non enim obstat primò contra nostram resolutionem, dicere, Iudicem partitionum divisisse in duas partes eam proprietatem da Rotea, quam institutrix in suam tertiam elegerat: hæc autem divisionis determinatio habetur, pro sententia difinitiva, cessante appellatione tempore designato, & sic transivit in rem judicatam, ut videre est apud Fragos. *tom.* 3. *disput.* 8. *numer.* 271. ergo resolutio sustineri non potest. Non, inquam, obstat, quia ea judicis sententia licet eo modo difinitiva, non transivit in rem judicatam, quia fuit apertè falsa, & nulla, sententia autem nulla non est sententia, *l. ult. C. de sentent.* Deinde fuit injusta: sententia autem injusta æquiparatur notoriæ nullitati: ut videre est apud Barbos. *tract. de axiom.* 200. *numer.* 6. & 7. & DD. quos ibi affert. Vide in fine n. sequentis dicenda.

7 Quòd verò dicta sententia fuisset apertè nulla, & injusta; ostenditur fuisse nullam, quia fuit contra stylum, & consuetudinem Regni, contra DD. quin pro se aliquam habeat, & contra ipsam rationem. Quod fuisset contra consuetudinem Regni, & DD. ex dictis *numer.* 2. 3. & 4. constat. Quod fuisset contra ipsam rationem, patet ex data ab eo judice ratione, ad partitionem dictæ proprietatis: *Quia*, inquit, *erat multi valoris, & debebat conijcere in tertiam, tertiam partem bonorum mobilium*; [Quod etiam non observavit, quia tertiàm institutricis in duas partes divisit) Quæ ratio erat nulla, quia proprietas, quam institutrix in suam elegit tertiam, non excedebat valorem tertiæ, imo erat minoris valoris. Etsi quinque millia aureorum, quibus æstimabatur ipsa proprietas da Rotea, erat ingens valor absolutè, talis non erat respectivè ad hæreditatem institutricis, quæ nimium excedebat valorem quindecim millium aureorum; nec est aliquis author reprobans electionem alicujus proprietatis pro tertia, quando ipsa proprietas non multum excedit valorem tertiæ præciso aliquo dolo, aut iniquitate. Referamus quæ dicit Alvarus Valasc. *citat. numer.* 32. & 33. de Tello pro Regno Castellæ, & de suo pro hoc Regno ibi: *Quod non sit habendus respectus, an res assignata in tertia sit pretiosior in qualitate; sed in quantitate, ne plus valeat, quam tertia, & rationem habet. Sed quia ista opinio Telli in hoc Regno non servatur; quia non admittimus lasionem, non solum in quantitate, si nimis excedat, sed nec etiam in qualitate: Dic quòd in tali specie poterit pater, & in ejus defectum judex assignare pro Tertia, unam de rebus melioribus, quæ in hæreditate repertæ fuerint, arg. l. fin. §. 1. C. communia de legib. ubi: Sed mediæ æstimationis, & ita practicatur.* Sic Valascus. Poterat ergo institutrix juxta hanc praxim, & authorem, non solùm eligere suam tertiam in ea proprietate, minoris valoris tertiæ, sed aliam proprietatem si in ea hæreditate daretur proprietas multo maioris valoris ipsà Tertià. Addo illud Iudicis decretum, dici non posse sententiam: nam ad illam præcedere debebat lis, citatio, libellum probationes, contestationes, & contrarietates, quæ non evenerunt: & si hæ darentur, tum sententia lata rectè diceretur transire in rem judicatam.

8 Fuit etiam ea divisio proprietatis injusta, cum damno animarum, & pauperum, in qua imposita erant onera Missarum, & mensurarum tritici, & ubi dantur hæc onera, non potest intercedere divisio, nisi ad summum per æstimationem rei, seu proprietatis, super quam erant imposita, ut ex praxi & DD. dictum fuit num. 5.

9 Non obstat adhuc dicere, unam sententiam per aliam annullari, & dum per aliam non redditur nulla, semper censetur valida: sententia autem judicis partitionis circa divisionem proprietatis da Rotea á nullo judice reddita fuit nulla: ergo contra illam non prodest resolutio. Non, inquam obstat, quia respondetur, negando maiorem; & quidquid sit de foro externo; nam in interno, alia non datâ sententiâ, quæ nullam

declaret, quæ apertè est nulla, licitum est oppositum consulere contra ipsam sententiam apertè nullam. Hoc patet ex pluribus exemplis. In sententijs, quæ sunt materialiter nullis, in sententijs, quæ nituntur in falsa præsumptione, in sententijs circa testamenta sine juris solemnitatibus condita, pluribus sententijs latis, pro validitate matrimonij, quæ nulla interposita appellatione non transierunt in rem judicatam, ut videre est apud Sanch. *l. 7. de matrimon. disput.* 100. *per totam*; & tamen licitum est confessario, & viro prudenti, non obstantibus dictis sententijs consulere, ut abstrahantur conjuges, tales existimati, ab usu matrimonij, & etiam à cohabitatione, & hoc nulla expectatâ sententiâ, & in alijs pluribus casibus, quorum plures habemus in his singularibus qq. ergo per certam consequentiam licitum est consulere contra latam sententiam, etiam si non fuisset interposita appellatio; quia quando est apertè nulla; in rem judicatam non transivit, nec in conscientia obligat, nec alia indiget sententiâ, ut nulla declaretur.

10 Nec obstat tertiò dicere, in tota illa hæreditate institutricis non inveniri aliquam proprietatem pretiosam, nisi eam da Rotea, sed quando in hæreditate non invenitur nisi una tantùm res pretiosa, pro Tertia ea non potest eligi, ut justa praxim fatetur Valasc. *citat. dicto numer.* 33. *in fine*, ibi: *Si verò in hæreditate non reperiatur nisi una tantum res pretiosa, putà unum prædium, vel domus, aut ager, seu vinea, in illa assignabitur tertiæ defuncti tertia pars, & sic quantùm valuerit tertia tertiæ; reliqua verò ad integram summam tertiæ habebit in alijs bonis; & ita servat praxis hujus Regni*: Sic Valasc. Ergo partitio facta à judice circa eam hæreditatem da Rotea fuit valida. Non, inquam, obstat, quia respondetur negando maiorem, quia id non constat ex facti specie, nec Iudex eam assignavit rationem, sed tantum, eam hæreditatem esse multi valoris; quæ ratio est nulla, ut dictum *est numer.* 7. Quòd verò credi possit in illa divite hæreditate quindecim, ad minimum, millium aureorum, dari alias res pretiosas, tametsi non tanti valoris, constat, quia Iudex aliam hujus proprietatis da Rotea medietatem conjecit in legitimam Petri ex primis, aut secundis nuptijs filij; quod judex nullo modo faceret, si aliæ non darentur proprietates prætiosæ æquales, aut quasi, pro legitimis aliorum filiorum. Et facile præsumi potest de hæreditate tam divite, dari domum honorificam, alia prædia, vineas, pomaria, &c. licèt non fuissent tanti valoris, ut hæreditas da Rotea, quæ dividi ob valorem, tertiam non excedentem, non decebat, quæ aliam prætiositatem non habebat, nisi redditus modiorum tritici.

11 Non obstat tertiò Reynos: *observat.* 36. *numer.* 6. dicens cum Valasco *consult.* 53. *numer.* 9. *& de partit. capitul.* 19. *numer.* 30. & alijs, patrem non posse duo, circa electionem suæ tertiæ. Primum, eligere meliorem rem, & deteriores filijs suis relinquere. Secundum, non posse eligere proprietatem excedentem valorem suæ tertiæ: sed institutrix elegit rem meliorem pro sua tertia, & deteriores filijs reliquit: ergo. Non, inquam, obstat Reynos. Immo favet nostræ resolutioni; nam institutrix elegit rem non excedentem valorem suæ tertiæ, ut *ex numer.* 1. *& dictis* constat; nec reliquit filijs deteriores nisi tantùm in valore; & in hac electione non processit dolo, & iniquitate, quod erat necessarium, ut electio non esset justa ut inquit Valascus *loco citat. consult.* 53. *numer.* 9. & Fragos. *citat. diction. numer.* 250. cum ipso Valasc. & alijs, quos *numer.* 2. adduximus.

12 Non obstat, quartò, has partitiones fuisse factas elapsis jam pluribus annis, ut colligitur ex tractu temporis, quo plures successive eam proprietatem possederunt; & alia illius medietas in legitimam Petri jacta, etiam per eosdem annos à suis hæredibus successivè possessa fuit; & cùm hæc possessio fuisset bonâ fide, non potest nunc Franciscus illius fructibus frui: nam leges præscriptionis in conscientia obligant, ut omnes concedimus: ergo quamvis procurator Francisci bonâ fide, & absque dolo possessionem illius medietatis da Rotea cepisset, Franciscus eam restituere tenetur. Non, inquam, obstant eæ possessiones longissimi temporis, ut præscriptio sit legitima contra Franciscum; qui nunc est in possessione totius proprietatis da Rotea, in qua Aloysia instituit maioratum, & capellam, sine contradictore, & incidenter, quin tale intenderet; nam in maioratu non datur præscriptio contra successorem non natum. Sic cum communi D D. doctrina Molin. *de primog. l. 4. capit.* 10. *numer.* 3. ibi: *Tertia conclusio sit, præscriptionem longissimi temporis* 30. *vel* 40. *annorum in bonis primogenio subjectis, solum procedere adversus maioratus possessorem, non autem adversus cæteros successores, quorum dies non dum cessit. Cùm enim hi non valeant ante diei in quem vocati sunt, adventum agere; consequens est, ut nec adversus illos præscriptio procedere possit, nec etiam adversus nascituros Impeditis namque agere, vel his qui non sunt in rerum natura, tempus currere non potest, nec etiam negligentia imputari.* Et post

plusquam

plusquam duodecim DD. citatos, hanc sententiam appellat communem, nec limitationes, quas affert seqq num. illi adversantur. Ex illa ergo sequitur, posse Franciscum in possessione à suo procuratore capta, persistere, & à contradictore, si detur, se defendere; quia adversus illum adhuc non est data præscriptio.

13 Ex hac resolutione facilis est responsio ad alia duo quæsita. Ad secundum enim respondetur, non teneri Franciscum ad restitutionem eorum fructuum, quos ex ea medietate devoluta, per hos duos annos recepit. Ad tertium respondetur, non debere eam dimittere medietatem, nec illius fructus, nisi ab aliquo contradictore in lite vincatur.

QUÆSTIO LXVII.

An successores in maioratu teneantur ex suis tertijs partem aliquam maioratui annectere, datâ hâc clausulâ fideicommissaria in testamento: *Peto à meo filio, & omnibus successoribus, quòd ex tertijs suis veniant ad maioratus augmentum?*

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Tenentur quoad medietatem uxoris.*
3 *Verbum peto in fideicommissis obligationem inducere non videtur.*
4 *Oppositum tenendum est.*
5 *Constat ex jure, & DD.*
6 *Clausula institutoris est fideicommissaria.*
7 *Maioratus, & fideicommissa conveniunt, quòd possint imponi onera successoribus.*
8 *Fideicommissum familiæ relictum, maioratui assimilatur.*
9 *Maioratus conditor potest adjicere conditiones pro augmento.*
10 *Dictio (rogo) aliquando importat consilium, in præsenti præceptum.*
11 *Annexio tertiæ tollit liberam testandi potestatem.*
12 *Uxor viri dispositionem declaravit.*
13 *Dictio* ex, *aut* de *indicant separationem.*
14 *Voluntas dubia institutoris interpretationem accipit à jure communi.*
15 *Aliæ solutiones adducuntur.*
16 *Quæ est coinstitutrix volũtatem institutoris declarare potest.*

1 GOrgonius in testamento ab eo condito, hanc posuit clausulam: *Peto à meo filio Adaucto, & omnibus alijs successoribus, illi succedentibus, ut ex tertijs suorum bonorum semper veniant ad augmentum istius maioratus, ut in bonis immobilibus investiantur.* Et uxor illius, post mariti mortem, in suo sic: *Residuum mei tertij, solutis meis legatis maioratui annecto, & vinculo, quem Gorgonius meus vir instituit, ut in eo succedatur eo modo, quo ordinavit, essendo primus successor meus filius Adauctus. Et quia in institutione a dicto Gorgonio condita, successoribus ponitur hac clausula: Quod ex tertijs suorum bonorum veniant ad augmentum maioratus, quæ videtur obscura, & non exprimit, si totum tertium, aut illius pars, aut quota debeat venire: Videtur mihi, non esse obligandos, ad totum tertium annectendum; ne sine libertate maneant, ad disponendum pro suis animabus; quia quòd non est tertium, est filiorum legitima, quæ defraudari nequit. Declaro, quòd sufficiet, singulos successores posthac ad eumdem maioratum venientes, sui tertij medietatem vinculare; & ad hanc quotam tenebuntur, in reliquo dispositionem institutionis sequentes.* Sic uxor institutionis coinstitutrix Quæritur 1. An administrator pro tempore existens, teneatur, juxta declarationem ab uxore factam, in utroque foro, ad vinculandam sui tertij medietatem? 2. An teneatur facere cum hæredibus administratorum quinque antecedentium, qui huic obligationi non satisfecer unt, ut cum effectu satisfaciant?

§. I.

An administratores hujus maioratus in utroque foro teneantur, ad vinculandam sui tertij medietatem, juxta clausulam testamentariam à Gorgonio, & declarationem ab uxore conditam?

2 Respondeo, extra dubium esse, teneri administratores in utroque foro dicto maioratui annectere sui tertij medietatem, juxta declarationem uxoris, saltem pro illa parte, quam ab ipsa uxore habuerunt. Ratio est manifesta, quia apud nos, quilibet testari valens, potest ex sua tertia maioratum condere, sic cum communi Fragos. *part. 3. l. 9. disput. 18. §. 2 numer. 2. & 6.* & potest illi clausulas adjicere licitas, & justas ad augmentum ipsius maioratus, ut colligitur *ex l. Ult. C. de fideijuss.* & ex traditis à Palaes *de Maior. 1. part. quæst. 10. numer. 160.* Nec repugnat Fragos. *citat. § 5. numer. 8.* Sed uxor Gorgonij testamentum condere poterat, & illud condidit cum illa clausula licita, & justa in augmentum maioratus: ergo administratores in utroque foro ad illam tenentur. Vide *num. 7.*

3 Maius dubium esse potest circa dispositionem testamentariam à Gorgonio conditam, in qua usus est dictione *peto*. ibi: *Peto a meo Filio Adaucto, & omnibus alijs successoribus illi*

illi succedentibus, ut ex tertijs suorum bonorum, semper veniant ad istius maioratus augmentum: at dictio *peto* consilium, & non obligationem inducit.

4 Hoc non obstante, censeo, omnes successores in eo maioratu, in utroque foro teneri ex suis tertijs aliquam partem maioratui annectere. Moveor primò, quia verba, seu dictiones *peto*, *posco rogo*, *oro*, & *precor*, sunt verba synonima, ut habetur in Calep. *Verb. Rogo*, & sufficientia ad inducendam obligationem in fideicommissis, in quibus sola voluntas spectatur: sed clausula in testamento posita: *Peto à meo filio Adaucto, & alijs omnibus, &c.* est quoddam fideicommissum: ergo omnes successores in utroque foro illam tenentur observare.

5 Maior constat ex ipso jure, & DD. Ex ipso jure *in l. Penult. ff. de legat.* 1. ibi: *Sola enim voluntas servatur in fideicommissis*; & Gloss. ibi, *verb. voluntas*, & *l. Hæredes mei* §. *cum ita*, ibi: *Cum in fideicommissis voluntatem spectari conveniat, ff. ad senat. consult. Trebellian.* & *ex l. Cum virum*, ibi: *Ubi hæres rogatus fuerit... sanè, quoniam in fideicommissis voluntas magis, quam verba plerumque, intuenda est, C. de fideicommiss.* Sed dictio *peto* in dicta clausula commissaria, expresè ostendit voluntatem condentis maioratum, esse quòd successores ex suis tertijs veniant ad augmentum maioratus: ergo successores ex ipso jure, in utroque foro ad clausulæ observationem tenentur. Et etiam ex DD. illam communiter defendentibus maiorem, ut cum pluribus Pinheiro *de testam disp.* 4. *sect.* 8. § 2 *a num.* 1146 Fragos. 3 *part. disp.* 18 §. 4. *num.* 1. Fagund. *de iust. l.* 6. *cap.* 1. *num* 17. Peregrin. *de fideicommiss. art.* 1 *num.* 46. Molin. *de primog. l.* 1. *cap.* 1. *num.* 9 *vers. Nec etiam*, & alij asserentes, ad fideicommissum inducendum, sufficere voluntatis manifestationem, quæ per verbum *peto* expresè manifestatur, ut etiam *infra* dicetur.

6 Minor resolutionis ostenditur primò, quia illa clausula: *Peto à meo filio Adaucto, & omnibus successoribus, &c.* est fideicommissaria, nam in ea usus fuit institutor maioratus dictione *peto*, quæ ex jure, & DD. inducit fideicommissum; Molin *de primog. proximè*, ibi: *Nec etiam obest, quod maioratus per verba fideicommissa inducentia, instituì non soleant: scilicet fidei tuæ committo, rogo, mando, peto, & volo, & similia, per quæ verba solent fideicommissa relinqui, text in l. 2. C commun de legat. & iu* § *fin. inst. de singul. rebus per fideicommiss. relict. nam cum hodie &c.* ergo cum dicta clausula in præsenti maioratus institutione, & testamenti, utatur dictione *peto* est fideicommissaria.

7 Secundò ostenditur eadem minor; nam licet maioratus, & fideicommissum in multis differant, convemunt tamen in eo, quòd onera successoribus injungi possint, duminodo non excedant commoda ut cum Molin. de primogenijs tradit Fragos 3 *part. l.* 9. *disp* 18 § 4. *num.* 6 ibi: *non est negandum convenire fideicommissa cum maioratu quatenus qui bona fideicommisso subjecta alteri relinquunt, possunt ejdem injungere vincula, gravamina, onera, & conditiones, pro ut voluerint, modo gravamina, & onera conditor maioratus possit apponere successoribus*; *nec non in eo adjungere, ut in fideicommisso succedant cum facultate disponendi a lege concessa, prout requiruntur, quòd fiat in maioratu, in quo similia apponuntur*; Molin *de primog. l.* 1. *cap.* 1 *numer.* 8. *vers. Eorum autem.* Sic Fragos. ex ipso Molin Potuit ergo Gorgonius per fideicommissum in ipso testamento, & institutione maioratus, obligare, ut obligavit, per verbum *peto* successores, ut ex suis tertijs ad augmentum maioratus venirent: nam hoc onus commoda maioratus non excedebat. Probata maiore, & minore, consequentia rectè infertur, successores in utroque foro clausulam servare teneri.

8 Secundò moveor, quia fideicommissum familiæ relictum, maioratui in omnibus assimilatur, ut cum Molin. & Ioanne Garcia tenet Barbos. *tr act. de loc. comm. argum. loco* 84. *numer* 3. Sed Gorgonius in eo testamento maioratum condidit, quem familiæ, & suis successoribus reliquit, cum onere veniendi ex suis tertijs in augmentum maioratus: ergo etiam instituit, seu condidit fideicommissum cum eodem onere.

9 Tertiò moveor, quia conditor maioratus potest illi adjicere conditiones, pro augmento illius, dummodo non sint à jure reprobatæ, nec quod adjungitur, sit immoderatum, ut ex Molin *de primog. l.* 2. *cap.* 22. *numer.* 34. sustinet Fragos. *cit. disp* 19. § 5. *num.* 19 asserens cum Valasc. *consult.* 153 non esse immoderatum adjungere tertium si non dentur filij, & si dentur tertium tertij. Valasc *num.* 26. sic: *Igitur fuit judicandum, quod solam tertiam, imo tertiam tertiæ teneretur successor applicare, ut non maneret sine bonis, de quibus testaretur, si forte successor haberet filios, cum sibi nihil reliquum sit ad testãdum, nisi tertia attento jure Regni.*

10 Nec obstat primò ratio dubitandi *num.* 3. *adducta.* Nam respondetur dictionem *peto*, esse idem quód *rogo*, ut jam supra notávimus ex Calepin. at verbum *rogo* ratione subjectæ materiæ aliquando importat consilium, & aliquando præceptum, ut constat *ex cap. Rogo* 11 *q.* 3. ubi juxta Gloss. ibi *Verb. rogo*, importat præceptum, sicut etiam *in cap.* 1. *de Stat. Regul.* & Gloss. *in cap Reatus* 7. *q.* 1 Vide Sanch *l.* 6. *decal. cap.* 4. *num.* 32 & pluribus *cit.* Barbos *tract. de dict* 353 Pellizar. *tract* 5. *cap*, 3. *num.* 29. Illustriss. à Cunha 1. *part. Decret. dist.* 1. *num.* 10 *fol* 9. Monet *de commut. ult. volunt cap.* 12. *num.* 193. At in præsenti casu, ratione subjectæ materiæ, quæ est cujusdam fideicommissi, importat præceptum, ut ex ipso jure, & DD. dictum est: ad fidei autem commissa sola voluntas testatoris spectatur; ut ibi dicitur *num.* 5.

11 Non obstat secundò: quia illa clausula, in qua Gorgonius omnes suos successores obligat

gat ad veniendum ex suis tertijs ad augmẽtum maioratus, in Lusitania non est valida; quia per illam tollitur libera testandi potestas: nam cùm legitimæ ad hæredes necessarios pertineant, si successores ex suis tertijs ad maioratum veniant, nihil supererit, de quo testari possent. Obquam causam, non valet donatio omnium bonorum præsentium, & futurorum, ut dicitur *Ord. Regia l.4.tit.70.§ 3.*& ampliant Fragos *part.3.disp 8.§,8. num. 252.* Pinheyro *de testam. disp.6.sect.3.§ 3 num.81.* & *pluribus cit.* Emman. Barbos. *in Remiss. ad cit Ordin.num.3.*

12 Nec dicas, inquam, non obstare; quia uxor in suo testamento eam dubiam clausulam declaravit: declarans, sufficere singulos successores medietatem tertij ipsi maioratui annectere. Non, inquam, sic dicas, quia testatoris libera voluntas ab alieno arbitrio non dependet *l. Illa institutio, ff.de hæredit.instit.*

13 Nam non obstat id argumentum, nec instantia: non argumentum primò: quia Gorgonius Maioratus conditor non obligat successores, ad maioratum venire cum suis tertijs in integrum, sed tantùm cum aliqua illorum parte; nam idcirco usus fuit his dictionibus *de aut ex*, ibi: *Ex tertijs suorum bonorum semper veniant*; quæ dictiones sunt separativæ, non solùm prout ibi indicant separationem à legitimis, ut videntur sentire plures, quos affert Barbos. *tract.de dict.115 num 7.* Sed etiam prout de se, & immediatè indicant partem, & non integrum; ut exemplis ostenditur, ut si dicas: *ex his tritici acervis veniat ad meam commoditatem*, ubi non intelligitur, acervos tritici, in integrum debere venire, sed illorum partem. Et ex hoc, quando Sargentus jubet: *Quòd ex militibus veniant ad custodiam alicujus personæ*; non intelligitur, omnes milites ad eam custodiam debere venire, & sic in alijs: & in præsenti casu, in quo Gorgonius conditor maioratus à successoribus petit, quòd ex suis tertijs veniant ad augmentum maioratus, in quibus verbis non intelligitur, venire debere in integrum, cum suis tertijs, sed cum illorum parte.

14 Secundò respondetur ad idem argumentum: quia negari nequit, illam clausulam in qua petit à successoribus, *quòd ex suis tertijs veniant ad augmentum maioratus* quando clara non existimetur juxta nostram expositionem, ad minus esse dubiam; ut eam in suo testamento uxor Gorgonij putavit: in dubijs autem voluntatis testatoris, & maioratum instituentium, illorum voluntas est interpretanda juxta juris communis dispositionem, ut docent omnes *in l. Hæredes mei, § cùm ita, &* ibi Ripa *nu. 75.ad senat Const Trebelian.* Menoch. *consil. 62. num.13.volum.1.* Roland. *consil.82. num. 10.volum. 3.* & in terminis declarat Alexand *cons 5. col.1.volum.3.* quos refert, & sequitur Fragos. *dict.3 part.l 9.disp 19.§ 4 num 1.* Cùm ergo jus commune Lusitanum disponat *loco cit.* nullum cogi posse, ut decedat sine testandi potestate, dicendum est, dispositionem Gorgonij, in ea clausula factam, non esse intelligendam de tertijs successorum singulorum in integrum, sed tantùm de illorum partibus.

15 Tertiò respondetur: quia dato, quòd à successoribus petierit Gorgonius, ut venirent in integrum ex suis tertijs ad augmentum maioratus, id intelligi debet in casu, quo successores filios, aut ascendentes non habeant; non verò in casu, quo illos habeant, ut jam notarunt Valasc.& Fragos *cit.num.9*

16 Nec etiam obstat instantia *num. 12 adducta*; nam quamvis demus nullum posse voluntatem testatoris, seu institutoris maioratus declarare, aut interpretari; hoc verum non habet in ea, quæ erat ejusdem maioratus coinstitutrix, *juxta l.ult.C.de legib.* ubi dicitur, *ejus esse interpretari, cujus est condere.* Et licèt Gorgonius in suo testamento, & illius uxor in suo, hunc maioratum condidissent; & sic videantur duo maioratus conditi, sicut sunt duo testamenta, unus tantùm in re conditus fuit maioratus, in vita utriusque consultus, & dispositus.

§. II.

An administrator de præsenti hujus maioratus, teneatur facere, quod in se est, ut hæredes anteriorum administratorum, partem tertij huic maioratui non restitutam, statim restituant?

SUMMARIUM.

17 *Tenetur, ut pater familias in re propria tenetur*
18 *Hæredes tenentur ad restitutionem eorum, quibus hæreditas erat obligata.*
19 *Alia adducitur ratio cum limitationibus.*

17 Respondeo, teneri. Probatur primò, quia [ut inquit Molin.*de primogen.l. 1. cap. 22. num.3.*] possessor maioratus ea facere tenetur, quæ diligens pater familias facere tenetur in re propria, *l. Ea igitur ff de pignor. act.* Sed pater familias tenetur diligentiam adhibere, saltem mediocrem, ut acquirat ea, quæ sibi debentur, ut filij alantur, habeantque secundum suum statum hæreditatem convenientem; teneturque bona non dilapidare; nec sinere perdi, ut cum Azor, Bonacin & Filliuc.tradit Herman. Butembaus *in medul.Theol.moral.l.3. tract 3 in 3.& 4.decal.præcept.dub.2 num. 3.* ergo possessor maioratus tenetur ab hæredibus anteriorum administratorum eam partem tertij non restitutam, ut maioratus augeatur, ut disposuit institutor.

18 Secundò probatur, quia hæredes anteriorum maioratus administratorum tenentur ad eam restitutionem, ad quam ipsi administratores tenebantur: sed administratores tenebantur venire ad maioratum cum parte ex suis tertijs: ergo hæredes ad id tenentur. In tertijs

enim illarum hæreditatum, hoc onus erat impositum, & cum hoc onere ad hæredes transierunt, res enim cum suo onere transit, ut ex jure, & DD. habetur apud Barbos. *tract. de axiomat. 199. num. 5. & 7.* ergo hæredes horum tertiorum ad hanc restitutionem tenentur, & administrator præsens hæc procurare.

19 Tertio: quia hæres hæreditatem adeundo, in qua continebantur dicta tertia, dispositum circa eam hæreditatem voluit acceptare, *l. si ab eo C. de liberal. causa*, & bene colligitur ex doctrina Baldi *l. 1. num 31. C. commun. de legat.* Sed hæredes successorum maioratus, suas hæreditates adierunt, in quibus continebantur tertia suorum bonorum maioratui subjecta: ergo hæredes illas partes tenentur restituere, & administrator præsens illas procurare. Hæc autem resolutio intelligenda est in casu; quo administratores anteriores, & illorum hæredes cum mala fide processerunt; si enim cum bona fide, solùm tenentur ad id, in quo facti sunt ditiores, nisi legitima præscriptione ab ea restitutione jam liberi censeantur.

QUÆSTIO LXVIII.

An filius successor in maioratu teneatur ad onera Missarum ipsi maioratui annexarum, quas pater anterior in maioratu recitare non fecit.

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Successor, si fuit hæres, tenetur juxta vires hæreditatis ad Missas.*
3 *Secus, si non fuit hæres.*
4 *Iuxta Ordinationem videtur teneri, si alias habeat, quo sustentetur.*
5 *Onus Missarum non est reale, secus dicendum in emphyteusis pensionibus, licet oppositum sit probabilius.*

1 CHristophorus instituit maioratum cum onere faciendi celebrare diebus Dominicis Missam unam singulis annis. Fructus maioratus in diminutionem considerabilem venerunt; & hodie solùm constat decem millibus regalibus Lusitanis, & duobus modijs magnis tritici, quæ singulis annis non attingunt valorem centum aureorum. Successor quartus post institutorem, Missas pro toto tempore, quo possedit maioratum, celebrare non fecit. Quæritur An illius successor Missas, pro eo tempore omissas, teneatur facere celebrare?

RESOLUTIO.

2 Respondeo cum distinctione: vel successor fuit hæres illius anterioris possessoris, vel non; si fuit hæres; Respondeo, teneri ad illas Missas celebrandas facere, juxta hæreditatis vires, nullâ habitâ consideratione bonorum maioratus. Colligitur *ex l. 1. C. si cert. petatur*, & à DD. quos latè citant, & sequuntur Molin. *de primog. l. 1. cap. 10. num. 28.* Fragos. *tom. 3. de Regim. Reip. Christ. disp. 15. § 2. num. 9. Vers. Ergo maioratus*; quamvis non ita expressè sicut Molin.

3 Si tamen hæres non fuit prædecessoris, ad omissas Missas non tenetur. Sic Molin. *cit. num. 19.* cum pluribus, ex ea ratione, quia successor in maioratu ad debita prædecessoris non tenetur, quia ab illo maioratum non accepit, sed à primo institutore. Et regulariter loquendo, successor in maioratu non tenetur ad debita sui prædecessoris, ut dicunt Menezes *in l. Unum ex familia*, §. 1. *num. 1. ff. de legat. 2.* Garcia *de Expensis cap. 16 num 33.* quos affert; & sequitur Alvarus Valasc. *de partit. cap. 11. num. 44.*

4 Dixi *regulariter loquendo*, quia juxta *Ordin. Reg l 4. tit 101 § 1.* teneri videtur ad satisfactionem earum Missarum omissarum ex redditibus duorum annorum ipsius maioratus per spatium quatuor annorum, solvendo ex ijs redditibus quartam partem, & non amplius; quia ea debita contraxit in educatione suorum filiorum, & suæ domus sustentatione, quia maioratus redditus erant tenuissimi, & ad sustentationem ordinariam insufficientes. Quare si in successore eadem detur insufficientia ad vitam sustentandam, quamvis contra se videatur habere *Ordin. Regiam cit.* censeo non teneri ad Missas à suo prædecessore omissas, dummodo præsentibus non deficiat. Moveor ex dictis à Mendes de Castr. in praxi sæculari Lusitana *l. 3. cap. 11. à num. 18.* Parlad. *l. 2. rerum quotidian. cap fin. part. 5. §. 3. num. 31.* quos refert Emman. Barbos. *in Remiss. ad cit. §. 1. dict. Ordin.* resolventes maioratus redditus creditoribus addici, cum possessoris tamen prærogativa, idest, habitâ ratione, ne egeat: ergo si successor egeat, & illius familia, ad debita prædecessoris non tenetur, nisi juxta hæreditatem, quam adivit; si forte illam adivit, ut dictum est *num. 2. & 3.*

5 Nec obstat contra *dicta num. 3.* obligationem faciendi celebrare eas missas, singulis annis esse realem, rebus maioratus adhærentem; ergo successor maioratus tenetur ad Missas præteritas, quas suus prædecessor omisit, celebrare facere; sicut plures docent, quos citat & sequitur Fragos. *cit. dict. tom. 3. disp. 10 §. 3. numer. 18.* de emphyteuta, qui tenetur ad solvendas pensiones à prædecessore non solutas. Non, inquam, obstat, quia respondetur, negando antecedens, quia ea obligatio non imponitur super rebus maioratus, sed successoribus; & si non daretur lex obligans ad solvenda debita immediati prædecessoris, eo modo, quo datur in *Ord. cit.* ad id non teneretur successor. Nec maioratus cum emphyteusi convenit; nam emphyteuta obligatur ad solvendam certam pensionem, ex ea terra in emphyteusim concessa, quæ manet hypothecata ad eam pensionem, ut colligunt

colligunt DD. ex textu in *l. Codicillis §. institutio ff. de legatis 2.* & alijs, & sic successor ex ea terra emphyteutica, tenetur ad pensiones à prædecessore non solutas, juxta eam opinionem satis probabilem, nam juxta oppositam, ad eas solvendas pensiones, non tenetur successor, quam ut probabiliorem cum pluribus sequitur Pinheyro *de Cens. & emphyt. part. 2. disput. 4 sect. 2 num. 13.*

QUÆSTIO LXIX.

An qui bonâ fide rem alienam ab aliquo habuit titulo oneroso, & postea bonâ fide eam vendens, & cognoscens tandem rem alterius esse, teneatur emptori, cui ipse eam vendiderat, pretium reddere, & rem vero domino tradere?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Hæc quæst. tractanda est, juxta illam, quæ tractatur de emente alienam rem bonâ fide, & eadem bona fide, illam vendente.*
3 *Probabile est, non teneri venditorem contractum rescindere cum emptore.*
4 *Responsio adversariorum refutatur.*
5 *Confirmatur nostra resolutio.*
6 *Ex opposita sententia probatur.*
7 *Vendere vitrum pro gemma, vel tradere numisma falsum pro vero, sunt rescindenda.*

1 MArtialis supellectilem quamdam tradidit vendendam cuidam circumforaneæ, *vulgo adela*, quæ post plures dies illi reddidit quoddam lineum involucrum, vulgo *peça de linho*, dicens; emptorem suppellectilis, illud tradidisse pro pretio suppellectilis Martialis lineum involucrum vendere mandavit, & contentus remansit. Interim fugit, & evanuit circumforanea, & compertum fuit, lineum involucrum esse alienum, & traditum circumforaneæ, ut venderetur, & præsumptum circumforaneam pretium suppellectilis consumpsisse. Quæritur primò. An Martialis teneatur pretium linei involucri reddere emptori, cui illud vendiderat, & acceptum ab eo lineum involucrum vero domino restituere? 2. An teneatur emptorem de contractu, & dominum de statu in quo est suum lineum involucrum, admonere?

§. I.

An Martialis teneatur pretium linei involucri emptori reddere, & recuperatum involucrum lineum vero domino restituere.

2 Respondeo, in resolutione hujus quæstionis, nos procedere debere, sicut procedunt DD. cum eo, qui bonâ fide rem alienam emit, & eâdam eam postea vendidit: cognoscens postea, esse alienam. Nam quamvis Martialis lineum involucrum ex circumforanea non emisset; loco pretij suæ suppellectilis, illud bonâ fide accepit; quæ acceptatio fuit quædam veluti emptio, & quidem acceptatio titulo oneroso; & postea eâdem bonâ fide illud vendidit. Datâ hâc explicatione, cùm Martialis rescindere contractum cum circumforanea non possit, quia hæc evanuit, & jam non potest lineum involucrum recuperare, quòd si posset, contractum tenebatur rescindere, juxta communem opinionem, quam cum pluribus tenent Vasq *de restit. cap. 9. § 2. dub 2. num. 13. in opusc.* & Bonac *tom. 2. tract. de restit in gener disp. 1. q. 4. punct. 2. num. 1.* Inquirimus igitur in præsenti, an teneatur rescindere contractum cum emptore linei involucri, ubi primum cognovit, lineum involucrum esse alienum, reddendo pretium, & receptum involucrum, domino vero restituendo?

3 Respondeo, valde probabile esse, non teneri Martialem in foro conscientiæ rescindere illum contractum. Sic Navarr. *in summ. latin cap 17. num. 8.* Ludov. Loss *part. 1. Instr. consc. cap. 94. ad finem*, & *l. 1 de contr. cap. 3. col. 2. Vers. Incertam*, Philiarch. *de offic. sacerd. tom. 2. part. 2 l. 6 cap. 18. col. 3. vers. Alterum*. Filliuc. *tom. 2. tract. 32. cap 4. numer. 84.* citans Angel. & Cajet. dicens, solùm teneri vero domino restituere id, in quo factus est ditior. Hanc opinionem dicit probabilem Valent. & valde probabilem Sayrus, apud Sanch. *mox citandum.* Ratio est, quia Martialis nihil habet amplius, quod antea non haberet; nec tenetur ex injusta acceptione, cùm nihil injustè acceperit; nec ratione rei acceptæ, cum nihil apud se habeat alienum.

7 Respondent adversarij, verum esse non teneri ad rescindendum contractum ex ijs titulis, sed ex eo, quòd se obligavit emptori ad eum indemnem servandum. Sed contra est, quia Martialis non tenetur magis indemnem servare emptorem, quàm se ipsum: sed se ipsum servare non potest indemnem, quia circumforanea non comparet, à qua pro pretio suæ suppellectilis habuit lineum involucrum: ergo nec ipsum emptorem. Maior constat ex materia restitutionis: conveniunt enim DD. nullum teneri ex charitate, aut justitia magis prospicere bono alieno, quam proprio; ita Vasq *in opusc. de rest. cap 9 §. 2 dub 2. num 13.* & cum pluribus Bonac *tom. 2 tract. de restit. in gener q 4 punct 2. num 1.*

5 Confirmatur primò, quia venditor ex eo, quòd dominium acquisivit pretij traditi ab emptore, ut ex legibus ostendit Card. de Lug. *de just. disp. 17 sect. 5. num. 106. post medium*, non tenetur emptore non comparente, pretium tradere domino rei venditæ, ut inquit ipse Card. ibi *num. 108* ergo etiam ex eo, quod non compareat circumforanea venditrix, non te-

netur

netur Martialis pretium emptori tradere, ut ipse tradat lineum involucrum. Sic enim melius bono alieno, quàm proprio prospiceret.

6 Secundò confirmatur ex sententia opposita, & communi, quam defendunt Sanch. *l. 2.decal cap.23.num.18.* Molin. *tom. 3. tract. 2. disp.721.num* 6. Valent.2.2.*disp.5.q.6.punct.3.ad finem* Less.*l.2.de just.cap* 14.*dub* 5.*numer.* 26. & 29. Rebell.*de obligat.just.part* 2.*l* 9 *q.*18.*sect.* 1. *numer.*12.& 13. & alij, quos refert, & sequitur Fagund. *de just.l.5.cap.*26 *num.* 29. asserentes teneri venditorem rei alienæ contractum cum emptore initum rescindere, & recuperatâ re venditâ, illam vero domino tradere, in casu, quo periculum sit, quòd notitia suæ rei, ei perveniat: sed in nostro præsenti casu nullum datur periculum, quòd notitia perveniat ad dominium linei involucri; quia circumforanea, cui illud vendendum tradidit, non comparet. Scio de hoc periculo mentionem non facere Vasq. *cit.dub* 4 *nec* Card.de Lug. *cit. dicta disp.*17.*de just.sect.* 5 *num.* 106. alijque, sed absolutè teneri venditorem cum emptore contractum rescindere. At intelligendi sunt in eo sensu, quo fatentur cit. DD.

7 Nec obstat, quòd ille, qui vendidit vitrum pro gemma, vel pro vero auro, in aliquo contractu, tradidit monetam falsam, contractum rescindere tenetur: ergo etiam in præsenti casu, in quo lineum involucrum alienum, pro proprio, venditum fuit. Non, inquam, obstat, quia respondetur, negando consequentiam: diversa ratio est; quia contractus in antecedente adducti, quoad substantiam fuerunt irriti, nec dominium pretij per illos fuit translatum: at in præsenti casu omnia jura supponunt, dominium pretij transferri, quando venditur res aliena, quamvis emptor solvat ex aliena pecunia, & ejus dominium non transferatur. Sic ex jure, & ratione Cardin.de Lug.*cit.* & ante illum Navarr. etiam *cit.* quem impugnat Vasq *proximè.* Et juxta ipsum jus, hæc responsio est convenientior.

§. II.

An teneatur Martialis emptorem de contractu & dominum linei involucri, de statu in quo est, admonere?

SUMMARIUM.

8 *Non tenetur.*

9 *Si circumforanea compareat, & detur spes suum recuperandi pretium, tenetur.*

10 *Si emptor linei involucri, illud proprio domino tradat, non admonito Martiale, peccabit.*

11 *Sicut emptor negare nequit lineum involucrum domino suo, sic etiam Martialis pretium emptori.*

8 Respondeo, non teneri, nec emptorem, nec dominum admonere; quia pretium suæ suppellectilis recuperare non sperat: nam circumforanea venditrix non comparet. Nec enim, non admonendo, peccat contra justitiam ex re acceptâ, quia illam non habet; nec ex injusta acceptione, cum nihil injustè egerit; nec etiam contra charitatem; nam cum detrimento propio, ad id non tenetur. Sic Sanch. *dict. cap* 23.*num.*20. Less.*etiam dict.cap* 24.*dub.*5. *numer.*30. Fagund.*loco cit.num.* 30. Card. de Lug. *proximè num.*110.

9 Et quid primò dicendum in casu, quo circumforanea appareat? tenetur ne Martialis illam admonere de pretio suæ supellectilis solvendo, ut rescindat contractum cum emptore initum, ut lineum involucrum domino suo tradatur? Respondeo, teneri, modo sit spes recuperandi pretium suæ supellectilis, secus non tenetur. Sic patet ex dictis, & sentire videtur Fagund.cit.

10 Et quid secundó; si emptor postea sciat, & cognoscat dominum linei involucri, & non admonito Martiale, qui bona fide, & illud vendidit, proprio domino tradat? Respondeo cum distinctione; vel enim sciebat circumforaneam venditricem fugisse, & non apparere, vel id ignorabat: Si primum, cùm nullius detrimenti Martiali fuisset causa, non peccavit contra justitiam, nec contra charitatem: si secundum; cũ illa accelerata traditio linei involucri potuerit esse in causa detrimenti Martiali ex non admonitione; contra charitatem peccavit; quia si circumforanea erat absens, pretium suæ suppellectilis recuperare non poterat. Sic cum Sanch. Fagund.*cit.num.* 31.

11 Et quid tertiò dicendum de domino linei involucri? potest ne ubicumque illud invenerit, sibi vendicare? Respondeo posse, si certò sciat, esse suum, nullo emptori persoluto pretio, etiam si bona fide sciat ab eo fuisse emptũ. Poterit tamen ipse emptor cum Martiali venditore agere de evictione ad pretium pro eo lineo involucro datum; & sicut emptor non potest negare lineum involucrum domino petenti, sic etiam Martialis venditor pretium ab eo acceptum emptori negare nequit; quia ex contractu inter ipsos inito, mansit Martialis obligatus ad emptorem servandum indemnem; nihil impediente, quòd circumforanea venditrix non compareat, & quód ammissurus sit suæ supellectilis pretium. Sic habetur expressè *l. In civilem C.de furt.l.Mater,& l.Mancipium C.de reivindit.* & alijs juribus,& Molin *dict.disp* 721.*n.*1. & alijs

QUÆSTIO LXX.

An depositarius pecuniæ quantitatem, ex depósito, sibi retinere possit, ut compenset damna, quæ timet obventura, ob culpam sui servintuarij; & deponẽtiũ dãna restituere teneatur.

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*

2 *In-*

2 *Iniustè egit Bonaventura eam summam pecuniæ sibi retinendo.*
3 *Non excusatur rationibus ab eo adductis.*
4 *Nec ex eo, quòd deponentes nullum paterentur detrimentum.*
5 *Probabile est pro foro conscientiæ, posse creditorem se antecipato compensare, quando prudenter timet, sibi non esse solvendum.*
6 *Pro foro externo probabilius est, non posse.*
7 *In depositis pro foro conscientiæ, probabile est, licitam esse compensationem.*
8 *Probabilius est oppositum, in utroque foro.*

1 DEfuncto Henrico officij thesaurarij depositorum servintuario, ut vocant, magno ære depositio obstricto, ita ut omnia sua bona excederet. Hoc sciens Bonaventura officij proprietarius, justèque metuens officium venumdatum iri ad deponentium debita solvenda. Id existimans injustum, primò, quia sciebat culpâ sui servintuarij, & non propriâ, esse vendendum. Secundò, quia servintuarius à Principe fuerat acceptatus, cum præstita fideijussione. Tertiò, quia cognoscebat omnibus deponentibus, ex aliquibus servintuarij bonis, & alijs in depositio extantibus, esse plenè satisfaciendum. His ab eo consideratis, ut se ex venditione officij indemnem redderet, ex depositi debitis duo millia aureorum sibi retinuit. His exhibitis mediocri pluſquam diligentiâ à sustinenda sententia evasit. Quæritur 1. An potuerit Bonaventura illa duo millia aureorum depositi detrahere in compensationem officij sibi detrahendi? 2. An teneatur ad lucra cessantia, & damna emergentia, quæ, ex retentione illorum duorum millium aureorum, deponentibus evenerunt?

§. I.

An Bonaventura retinere potuerit illa dua millia aureorum ex depositio, ob compensationem officij vendendi?

2 Respondeo, non potuisse in utroque foro; etiam dato, quòd probabile sit, compensationem antecipato fieri posse pro debitis, quæ adhuc non debentur; debebuntur tamen postea; [de quo *infra a num.* 5] Ratio nostræ resolutionis est; quia pœna amittendi officiū, & illud vendendi non imponitur ob culpam servintuarij, sed proprietarij, in illius electione commissam: nam tenebatur talem eligere, & præsentare Principi servintuarium, in quo nulli errores inveniri potuissent; & si inveniantur, non servintuario, sed proprietario tribuuntur, in illaque pœna exercetur, sic disponente *Ordin Reg. l* 1. *tit* 96. §. 1 ibi: *Et quando dicti officiales sub scripturi sint dictas personas, ut per illas serviant ex nostra licentia, aut illas nominarint, & nos eis concesserimus; tales quarant, quæ in dictis officijs errorem non committant qualitatis, ob quem ea perdere non mereantur, quia eo facto dicti officiales officia amittent, ac si per se ipsos, eos errores commisissent; quin aliam subeant pœnam*: Cùm ergo hæc lex sit justa, non poterat Bonaventura eos retinere duos mille aureos, etiam in casu, quo suum officium ob errores à servintuario commissos, fuisset venditum.

3 Nec obstant rationes à Bonaventura adductæ *num.* 1. non prima, nec secunda, quia illis non obstantibus lex disponit, quòd propter errores servintuarij in officio commissos, proprietarius officiū ammittat quia proprietarius suum officium obire poterat, & servintuarium non quærere.

4 Nec etiam obstat tertia ratio, ibi allata; quia licèt deponentes nullum detrimentum in suis bonis paterentur, vendito officio, & confiscatis bonis servintuarij, officium non erat suum; justè enim in eo casu, vendebatur; & compensationem facere non poterat; quia justè in alieno non compensabatur. Cæterum cùm officium non fuisset venditum, & *lex est.* sit pœnalis, illud non amisit, etiam in casu, quo medijs illicitis suum defendisset officium; nam lex pœnalis non obligat, nisi post latam sententiam, ut in simili docent Molin. *tract.* 2 *ars.* 91. *Vers. Quoad officium*, Rebell *de oblig. just part.* 2. *l.* 9. *q* 18. *sect.* 2. *num.* 22. Fragos *de Regim. Reip. Christ. tom.* 1 *disp.* 2. §. 2. *num.* 127 & omnes communiter.

5 Dixi *numer.* 2. *etiam dato, quòd probabile sit, compensationem pro debitis in foro interno fieri posse antecipato*; Ratio est, quia quando creditor prudenter timet, non sibi esse solvendum, potest fieri ea compensatio, dummodo duplex interveniat conditio. Prima, ut non sequatur damnum debitori, tam in lucro cessante, quàm in damno emergente: nam hæc restitui debent; quia pro delicto futuro nemo punietur Secunda, ut detur morale periculum, debitorem tuo tempore debito satisfacturum non esse: nam stante hoc dubio, posse videtur creditorem à debitore petere pignus, aut fidejussorem pro assecuratione sui debiti. Sic Tanner 2. 2. *disput.* 4 *q.* 6. *dub* 14. *numer.* 406 Card. de Lug. *de just disp* 16 *sect.* 5. *numer* 93. Dian. 1. *part. tract* 16. *resol.* 46 *in fine.*

6 Dixi *in foro interno, posse fieri eam compensationem*; nam in externo licita non est juxta *l. si cum milite* § *ult. ff. de compens* & Molin. *tom.* 2 *disp.* 560. *numer.* 19. & cum alijs Castr. Palaus *tom.* 7. *disput.* 1. *de just. commut. punct.* 16. § 2 *num.* 6. Card. de Lug. *cit.* Dian. *proximè vers. Sed contrarium probabiliter.* leges enim procedunt de foro externo.

7 Sed quid quoad compensationem factam in depositis? Respondeo probabile esse, in foro conscientiæ esse licitam, leges enim oppositum statuentes juxta forum externum procedunt. Ita Tanner. *proxime num* 411 Navarra

varra *l.3. de rest. cap. 1. num.* 344. *& cap. 2. numer.* 389. Sa. *verb. Depositum*, Less. *l. 2. de just. cap.* 12. *dub.* 10. *num.* 60. Rebell *cit. part. 1. l. 2. q.* 18. Paul. Laym. *l.3 summ. sect. 5. tract. 2. cap. 9. in fine q.* 3. Dian. *proximè*, Card. de Lug. *cit. nu.* 89. Castr. Palaus *allatus* § 3. *numer.* 2. Hæc intellige, quando deposita sunt debitorum tuorum.

8 Fateor tamen oppositam sententiam, tam pro foro interno, quam pro externo, esse probabiliorem; illam defendunt Sylvius Covarr. Medin. Iason & alij apud Dian. *proximè*, Comitol. apud Card. de Lug. *cit.* Hanc tenet Castr. Palaus *citatus juxta l. Bona fides, de depos. & l. ult. C. de compens. &* aliàs habetur etiam *Ord. Regia l. 4. titul.* 78. §. 1. ubi juxta illam plures DD. citat Emman. Barbos. *in Remiss. ad illam.* Etiam datur *in l. Hispan. l. 5. tit. 3. & l. 27. tit.* 14. *part.* 5. Ratio hujus sententiæ est, quia depositum in gratiam deponentium regulariter constituitur, & si depositarius sibi compensare possit pro suis debitis, potius in tuum commodum constituetur.

§. II.

An Bonaventura teneatur ad lucra cessantia, & damna emergentia, quæ ex retentione illorum duorum millium aureorum deponentibus evenerunt.

SUMMARIUM.

9 *Tenetur si illi moraliter certò constat, ea evenire damna.*
10 *Si non constat, non tenetur.*
11 *Si eo tempore ea pecunia negotiatus fuit non tenetur lucrum restituere; etiam si mortaliter peccasset negotiando cum periculo, & præjudicio deponentium.*

9 Respondeo, cum distinctione: Teneri ad restitutionem, si moraliter certò constat, deponentes passos fuisse ea damna, eo intermedio tempore quo illa duo millia aureorũ retinuit. Ratio est, quia fuit causa illorum damnorum. Nec ab hac restitutione excusatur, existimans, se bonâ fide potuisse sibi compensare in illis duobus millibus aureis, si illius officium fuisset venditum, quia adhuc erat in causa illorum damnorum: deponentes enim pœnam ferre, æquum non erat, ob illius existimationem, aut delictum commissum, cujus causa non fuerant.

10 At si Bonaventura ignorat, quales fuerint deponentes eorum duorum millium aureorum, aut ignorat an aliqua damna passi fuissent nec moraliter id assequi potest? Censeo, non debere, nisi tantùm tradere depositio illa duo millia aureorum: nam in dubijs, melior est suæ indemnitatis, seu libertatis conditio.

11 Si tamen eo intermedio tempore, cum ea pecunia fuit negotiatus, lucrum ex illa proveniens, sibi potest retinere; quia non est fructus pecuniæ, sed suæ industriæ. Sic de depositario dicunt Molin. *tract. 2. disp.* 327. *pag. mihi* 448. & *disp.* 524. *in fine*, & pluribus relatis Fragos. *tom. 1. Regim. disp. 22. numer. 2.* Dian *1. part. tract. 8. resol.* 32. Et Card. de Lug. *cit. disp.* 17. *num.* 49. cum hac limitatione: *dummodo fiat sine ullo præjudicio, aut periculo domini.* Quam limitationem non admitto: nam quamvis negotietur depositarius cum præjudicio, aut periculo domini, adhuc fructus, & interesse erunt depositarij, quia adhuc sunt fructus industriæ, qui haberi possunt cum eo præjudicio, aut periculo; quæ si dentur; id præjudicium resarcire tenebitur, & cum illo periculo negotiando à peccato mortali non excusabitur.

QUÆSTIO LXXI.

An tradenti alicui in pignus cujusdam debiti scripturam, ratione cujus quidam solvebatur census annualis, soluto debito, scriptura statim reddi debeat?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Satisfacto debito, cum reliquis fructibus de novo acquisitis scriptura reddi debet.*
3 *Constat ex jure Canonico.*
4 *Etiam ex jure Lusit.*
5 *Etiam ex ipso jure Civili.*
6 *Inter DD. est sine controversia.*
7 *Conclusio ex dictis.*
8 *Petrus præscriptione non potest defendi.*
9 *Tacitus consensus ad traditionem scripturæ sufficere videtur.*
10 *Admonitio ad tradentes scripturam.*

1 Faustinus, & Martha matrimonio conjuncti censum tredecim mensurarum tritici possidebant, singulis annis à quibusdam solvendum. Post illorum obitum, census inter filios fuit in duas partes divisus manente in possessione omnium bonorum filia Beatrice, ut debitis parentum satisfaceret. Et cum à Petro conveniretur pro debito trium modiorum tritici, non habens unde redderet, illi tradidit scripturam census tredecim mensurarum tritici in pignus, ut ex mensuris sibi satisfaceret. Absoluto tempore ad solutionem sui debiti, & cum jam supra illam plures mensuras recepisset, requisitus, scripturam census redddere noluit, dicens se esse in possessione recipiendi illas tredecim mensuras tritici singulis annis à scriptura tradita. Quæritur à Beatrice; An habeat jus habendi suam scripturam, & suo, & suorum fratrum nomine suum censum, ut antea recuperandi.

RE-

RESOLUTIO.

2 Respondeo, habere jus Beatricem ad habendam suam scripturam, & recuperandum cum suis fratribus centum tredecim mensurarum tritici; & Petrum in utroque foro teneri tradere scripturam cum residuo, quod supra suum debitum ex vi dictæ scripturæ recepit. Hæc resolutio est certa, & indubitata; ostenditur, quia ei Petro tradidit ipsam scripturam Beatrix in pignus, vt solveretur à tritico debito, & soluto, per fructus census ipsius scripturæ, illam reddere cum residuo, quod supra suum debitum recepit, tenetur.

3 Ita expressè constat ex Iure Canonico, Lusitano, & Imperiali, seu Cæsareo: Ex jure Canonico, *in cap. 1. de Vsur.* ibi: *Siquis alicujus possessionem data pecunia sub hac specie pignus acceperit, si sortem suam [deductis expensis] de fructibus jam perceperit: absolutè possessionem restituat debitori. Si autem aliquid minus habet, eo recepto, possessio liberè ad dominum revertatur. Text. in cap. 2. eod tit* ibi: *Authoritate præsentium duximus injungendum; vt eos, qui de possessionibus, vel arboribus, quas tenere in pignore noscuntur, sortem [deductis expensis] receperunt, ad eadem pignora restituenda, sine vsurarum ex actione, Ecclesiastica districtione compellas. Text. in cap. Conquestus*, ibi: *Discriptioni vestræ mandamus, quatenus si terram ipsam titulo pignoris retinetis; & de fructibus ejus sortem recipistis, prædictam terram clerico memorato reddatis. de Vsur.* Idem etiam habetur expressè in text. *cap. Cum contra, & tex. sequent. in cap. Significante, de pignorib. & in cap. Ad nostram 1. de Iurejurand.*

4 Eadem resolutio constat ex *Ordin. Reg. l. 4 tit. 67. §. 4.* & expressè colligitur ex dispositione *dict. Ordin. §. 1.* circa pignus, quòd datur, dum dos, aut illius pars non solvitur, cujus fructus in dote non computantur, quia ita Iure Canonico, & DD. habetur expressum; at si durante matrimonio ipsi fructus in dote non computantur, soluto matrimonio, jam computantur, sic *dict. Ordin. §. 1. in fine*, ibi: *Hoc habebit locum, dum durat matrimonium, & maritus juxta suum statum, & terræ vsum alat uxorem; nam morte alicujus, soluto matrimonio, aut alia quacunque via, deinceps amplius habere non poterit in soludum redditus rei pignoratæ, quin in principali computentur, secus omne lucrum ex eo receptum, quin computetur, erit vsura.*

5 Eadem resolutio habetur jure Cæsareo *l. 1. Cod. de Pignorat. act.* ibi: *Quòd ex operis ancillæ, vel expensionibus domus, quam pignori detineri dicis, perceptum est: debiti quantitatem revelabit; & l. 2. Cod. eodem titul.* ibi: *Creditor, qui prædium pignori nexum detinuit, fructus, quos percepit, vel percipere debuit, in rationem exonerandi debiti, computare, necesse habet, &* [ibi:] *Fundum pignori obligatum, si creditor ex fructibus debitum consequutus est, cum ipso iure pignus ab obligatione liberatum sit, distrahere minime potest, de distract. pign.*

6 Non solùm habetur dicta resolutio jure Canon. Lusit. & Cæsareo, sed etiam apud omnes DD. de hac materia tractantes; plus quam viginti quinque DD. affert Barbos. *in Collect. cap. 2. de Vsur.* & *cap 1. eod. tit. cit. in principio*, sic inquit: *Possessiones in pignvs data pecunia accipiens, debet fructus pignoris, deductis expensis, in sortem principalem computare, qua expleta, reddendum est pignus liberè; & si non est expleta, si solvatur id, quod restat, pignus restituere tenetur, alioquin est vsura.* Et cohærent alij; videatur Molin. *tract. 2. de Iust. disp. 320. in principio*, & Castr. Palaus *tom. 7. de Iust. commut. disp. 4. punct. 19. numer. 2.*

7 Ex citatis juribus, & DD. infertur, Petrum, vbi primum sibi cognovit satisfactum fuisse per censum scripturæ in pignus traditæ, pro suis tritici modijs, & super suum debitum, aliàs mensuras non paucas tritici recepit, quin tradere voluisset ipsum pignus, nempe scripturam, manisse vsurarium, & pænas vsurariorum contraxisse, quæ plures sunt, vt videre est *Ordination. citat.* & *cap. 3 de Vsur.* & alijs *sub hoc titul.* Quare Petrum consulo, vt absque lite scripturam in pignus acceptam, illico danti tradat, cum residuo, quod supra suum debitum recepit, ne vt vsurarius declaretur, & pænas vsurariorum sustinere, cogatur.

8 Nec excusatur, dicens, se esse in possessione recipiendi singulis annis eas tredecim mensuras tritici ex vi ipsius scripturæ sibi traditæ; quia in retentione pignoris sibi traditi ad satisfactionem sui debiti; & hoc soluto; in pignoribus non datur possessio, nec præscriptio, etiam si ex pignore, nempe scriptura, per plusquam centenos annos eas mensuras tritici recepisset. Imo cùm jam per duos annos supra suum debitum plures recuperasset mensuras, vsuram commisit; quæ cùm sit prohibita ipso jure Divino, vt ex pluribus Sacræ Scripturæ locis constat; non potest in illa præscriptio dari. Et casu negato, quòd præscriptio dari possit, post suum debitum ex eo pignore acquisitum, non supersunt anni ad præscriptionem requisiti.

9 In præsenti non ago de injustitia acceptationis ipsius scripturæ, quæ non solùm Beatricem, sed alios fratres tangebat, & omnes ad eam tradendam concurrere debebant. Nam quòd plures tangit, ab illis approbari debet, juxta *Regul. Quod omnes tangit. 29. de Regul. jur. in 6.* Attamen cum fratres scientes, non reclamassent, in traditione ipsius pignoris. usque ad plenam satisfactionem debiti, & non amplius, tacitè consenti-

re videntur; sufficere enim videtur, tacitum consensum in concessione census, vt ait Cald. Pereyra *de Extinct. emphyteus. cap.* 11. *numer.* 4.

10 Cùm ex dictis constet, Beatricem jus habere, vt sibi reddatur scriptura, seu pignus traditum, & Petrum illud teneri tradere, cum residuo, quod suprà debitum recepit; & si repugnet, Beatrix cum suis fratribus ad judicem Ecclesiasticum, aut sæcularem recurrat, & intentum suæ causæ obtinebit; & quando visitator ad eam parochiam divertat, Petrum vt usurarium denuntiet; cum alijs, quibus publicum est id delictum; nam hoc crimen est unum ex quibus visitator, inquirit.

QUÆSTIO LXXII.

Quomodo argentarius, non inveniens argentum juxta taxam, se possit servare indemnem in artefacto?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Non potest miscere tantum metalli quod dicitur liga.*
3 *Facilis modus se servandi indemnem.*
4 *Hic a DD. videtur admitti.*
5 *Quem in alijs venditionibus plures admittunt DD. in hac admittendus, non videtur.*

1 A Lexius omni exhibitâ diligentiâ, non juxta, sed supra taxam argentum inveniebat, quod commune erat inter alios argentarios. Quæritur, An possit tantùm miscere metalli dicti *liga*, vt se servet indemnem, aut quomodo se habere debet, vt sibi caveat?

RESOLUTIO.

2 Respondeo, non posse miscere artefacto argenteo tantam metalli quantitatem, quod dicitur *Liga*, vt se servet indemnem, sed teneri eam miscere, quæ juxta artem, consuetudinem, & parvitatem, requiritur; alias enim in eo artefacto conficiendo vitium committitur; nam ex mistione illius metalli, maius consurgit pondus in artefacto argenteo, quod sane integrè non est argentum; vt emptor consentire, possit præsumi. Sic ex Corduba Azor. 3 *part. l.* 8. *cap* 23. *q.* 3. Tambur. *l.* 8. *decal. tract.* 3. *cap.* 7. §. 11. *num.* 6.

3 Facilioré modum se servandi indemnem; censeo esse, si hic argentarius pretium augeat pro suo labore tantùm, quantùm argentum supra taxam sibi stetit; & hanc esse praxim, accepi à timoratis argentarijs Nec emptores justè quæri possunt de eo maiori laboris pretio; quia juxta taxam argenti, accipiunt artefactum conventum, & argentum in foro, pro taxa non invenitur.

4 Hæc resolutio videtur esse communis. Ratio est, nam quando omnes argentarij vendendo juxta taxam, jacturam patiuntur, licitum est, taxam excedere juxta pretium, quod inter ipsos argentarios, currit; vt cum Reginald. *in praxi tom.* 2. *l.* 25. *cap.* 26. *sect.* 3. *numer.* 285. tradit Fragos. *tom.* 1. *Regim. Reip. Christ. l.* 7. *disp.* 19. *num* 74. sed argentarij, modo dicto procedunt, ne excedendo taxam expressè, puniantur: ergo supradicto modo Alexius se potest indemnem servare.

5 Nec obstat, quòd plures DD. communiter excusant venditores à restitutione, defraudantes emptores in pondere, & mensura, quando pretium à lege taxatum, est injustum, sic Tolet. Valent. Sotus Vega Rebellus, & alij quos afferunt, & sequuntur Salas *de Empt. & vend. dub.* 35. *numer.* 4 Card. de Lug. *de Iust. disp.* 26. *sect.* 8. *num.* 125. ergo etiam in præsenti casu, in quo taxa argenti est injusta, defraudare potest argentarius emptores in pondere; quin ad obligationem restitutionis teneatur. Non, inquam, obstat, nam quamvis in alijs venditoribus, ipsa fraus in pondere, sit immunis à restitutione, quãdo taxa est injusta, & tunc cõveniẽtior; in argentarijs autem est difficilior; nam emptor ab argentario postulat opus continens tot, ac tanta argenti pondera; & si argentarius pondus defraudet, fraus argentarij manifesta apparebit; quia non solùm ipse argentarius, opus conficiens, appendit, sed etiam alij appendunt, & sic argentarius de falsitate facilè argui potest; quæ non parebit, si in labore operis augeat pretium, vt se indemnem servet; in alijs venditionibus hæc tam facile non apparet falsitas, & cum in illis non detur labor operis, si in pondere, & mensurà non detur diminutio, indemnes se non servabunt venditores, datâ taxà injustà.

QUÆSTIO LXXIII.

An custodes navium onerariarum consentientes extrahi merces à navibus, Regi vectigalibus non solutis, teneantur ad restitutionem eorum, quæ ob eum consensum accipiunt, & ad damnum Regi illatum in vectigalibus; & quo ordine?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Non tenentur ad restitutionem eorum, quæ*

quæ accipiunt, peccant tamen mortaliter.

3 *Magistratus, Duces, &c. qui accipiunt salarium pro alicujus rei custodia, ad restitutionem tenentur.*

4 *Custodes navium consensum præbentes, vt merces extrahantur, tenentur damnum Regi illatum, restituere.*

5 *Non restituentibus mercium dominis, ipsi custodes ad restitutionem tenentur.*

6 *Domini mercium nunquam, aut fere nunquam vectigalia solvunt.*

7 *Ob debita à Rege non soluta licita est compensatio, in præsenti aliâ via proceditur.*

8 *Quid circa vectigalia sentiant DD.*

9 *In causa negotiationis probabilior sententia.*

10 *Custodes semper tenentur, vt num. 6. & sequentibus.*

1 CUilibet navi onerariæ custos assignatur, ne merces extrahantur, sed vt omnes ad basilicam, vulgo *Alfandega* deferantur, præstito juramento de fidelitate, & salario pro singulis diebus custodiæ constituto. Hi custodes ferme sunt pauperes, & aliquando contigit, custodem consensum præstitisse, acceptâ pecuniâ, vt dominus mercium aliquas ex navi sub noctis silentio extraxisset, cum detrimento vectigalium Regalium. Quæritur, An hi custodes teneantur ad restitutionem pecuniæ, quam receperunt, & damni, quod Regi in vectigalibus intulerunt?

RESOLUTIO.

2 Duo in titulo quæstionis continentur; primum an teneantur custodes navium ad restitutionem eorum, quæ accipiunt, vt non solutis Regi vectigalibus à navibus merces extrahantur? Secundum: an teneantur de damno Regi illato? Ad primum; respondeo, quamvis mortaliter peccent, non teneri ad restitutionem eorum, quæ acceperunt. Primum probatur, quia transgrediuntur juramentum fidelitatis in materia gravi; & quia suum munus non obeunt, cùm ad illud obeundum, salarium recipiant. Secundum ostenditur, quia ea pecuniæ acceptatio ratione sui non est injusta: accipitur enim pro periculo, cui se exponit, consentiens, quòd merces extrahantur: restitutio autem non debetur, nisi ex actione injusta. Sic Tambur. *l. 7. decal. cap. 5. §. 3. numer. 13.* Remig. *in praxi Curator. tract. 2. cap. 7. §. 20. advert. 4. vers. Lasgardas.* Et confirmatur ex doctrina communi asserente, accepta ob quodlibet peccatum patrandum, non esse restituenda. De qua Cardi. de Lug. *disp. 18. de Iust. sect. 3. à numer. 52* & alij ab ipso, *& infra citandi.*

3 Nec obstat, quòd omnes, qui ex officio, aliorum damna impedire tenentur, si ex gravi culpa, id negligant, ad restitutionem tenentur, vt magistratus, duces belli, tutores, curatores, &c. Et omnes, qui ex accepto stipendio, ad aliquarum rerum custodiam se obligarunt, vt cum communi DD. sententia, sentit Dian. *part. 11. tract. 6. a vers. Et notent hic confessarij, & resol. 18.* sed dicti custodes, & ex officio, & stipendio impedire tenentur, ne merces a navibus, Regijs tributis non solutis, extrahantur: ergo si aliquid accipiant, ad restitutionem tenentur. Non, inquam, hoc obstat, quia ea sententia non procedit de pretio, quod recipitur, pro consensu exhibito, ad eas merces extrahendas; nam hoc recipitur, pro periculo cui exponitur ipse custos, præbendo eum consensum; sed procedit de damno illato Regi suis tributis non solutis; & custos ex officio, & stipendio constituto, Regem servare in demnem in suis tributis colligendis tenebatur, & non esse in causa, ne colligantur, vt expresse habet Trullench. *tom. 2. l. 7. decal. cap. 13. dub 3. num. 10.* & jam dicimus.

4 Quoad secundum, respondeo, custodes navium teneri ad faciendam restitutionem Regi pro tributis non solutis, in casu, quo domini mercium, illas extrahentes, non restituant; vt ex dictis *proximè* constat, & est doctrina indubitata inter DD. nam peccant contra justitiam. & præter citatos, tradunt Cardin. de Lug. *de Iust. disp. 19 sect. 3. numer. 99.* Dian. *part. 3. tract. 5. resol. 54.* Tambur. *l. 8. decal. tract. 5. cap. 2. §. 6. numer. 2.* Remig. *citat. supra*, Vasq. *in Opusc. de Restit. cap. 9. §. 3. in princip. numer. 2.* loquens de illo qui ex officio tenetur impedire damnum, & non impedit, & *dub. 1. num. 6.* & omnes.

5 Dixi, *in casu, quo domini mercium, illas extrahentes, non restituant.* Quia conveniunt DD. inter causas injustas, illam primo loco teneri ad restitutionem, apud quam res aliena existit, vel illius pretium, ex quo factus est ditior: & qui primo loco sentit commodum, obligationem restitutionis sentire debet. Sic *citat*, Vasq. Molin. Lessio Cardin. de Lug. *dicta disp. 19 a numer. 119* & citatis Navarr. Sayr. Villalob. & Bonac. Trullench. *dict. cap. 13. dub. 5. numer. 3* Tambur. *dict. tract. 4. cap. 2. §. 7. numer. 3.* at si non restituant ipsi custodes ad restitutionem tenentur; cum ampliatione *num. sequentis.*

6 Nec obstat dicere, eos dominos mercium nunquam, aut fere nunquam tributa earum mercium solvere; ex hac duplici ratione, prima, quia sibi compensant pro debitis à Rege, in ijs tributis, quæ alia viâ recuperare nequeunt. Secunda quia ab aliquibus confessarijs accipiunt, tributa sine dolo defraudantes, non teneri ad restitutionem: ergo etiam custodes ipsorum tributorum ad restitutionem non tenentur. Non, inquam, obstat, quia dato antecedente, negatur consequentia; quia custodes non tenentur ad restitutionem, propter fraudates,

tributa Regis, sed propter suam culpam, quia ex contractu, & salario constituto, tenebantur impedire, ne tributa Regis defraudentur; quare aliqui hunc casum dicunt singularem: in quo damnificator principalis restituere non tenetur, tenetur tamen minus principalis, quia est ad hoc stipendiarius. Vnde si attentè hic casus cõsideretur, custodes supra dicti non sunt accessorij debitores, sed principales, & primarij, ipsi enim sunt, quibus primò, & per se ineſt illud debitum, ratione officij, vel contractus. Sic autumant in similibus casibus Valq. 1. 2 *disp.* 175. *num.* 6. Cardin. de Lug. *de Iust. disp.* 37. *numer.* 101.

7 Dixi, *dato antecedente*; quamvis enim eam primam rationem cum communi sententia admittat Fragos. *tom.* 1 *Regim. Reip. Christ. l.* 3. *disp.* 8. §. 3. *numer.* 43 in foro conscientiæ; de ijs debitis ipsis custodibus non constat. Et dato, quòd certò constet, custodes tenentur suum servare contractum, & juramentum, & ratione contractus, & ob salarium constitutum impedire, ne merces extrahantur, tributis non solutis.

8 Nec etiam custodes excusantur, ob secundam rationem, nam licèt aliqui DD. probabiliter à restitutione excusent defraudantes tributa, vt videre est apud Busembaum *in Medul. Theol. moral. l.* 3. *tract.* 3. *de* 7. *præcept. cap.* 2. *dub* 6. *art.* 2. *numer.* 5 ibi: *Etsi probabilius sit, & in praxi communiter tenendum, peccari mortaliter circa vectigalium defraudationem, ex eaque oriri obligationem restitutionis: non omnino tamen improbabiliter id alij quidem negant, eo quod consuetudo interpretatur, non esse mentem legislatorum ad aliud obligare, quam vt deprehensi multentur.* Vide Navarr. *cap.* 23 *Sa, verb. Gabella, Bonac. quæst.* 9. *punct.* 1 *numer.* 1. ex Navarr. Filliuc *tract.* 28. *numer* 114. Less. Milin *disp.* 9 Dian. *part.* 1. *tract.* 10. *de Leg. resol.* 19. Laym. *l.* 3. *tract* 3 *part.* 1. *cap.* 3. *numer.* 4. & 5. Vide etiam Dian. *part.* 1. *tract.* 11. *resolut.* 38. & *part.* 2. *tract.* 17. *resol.* 28 *vbi ex Caiet. Medin Sot. & alijs, docet, non esse negandam absolutionem pœnitenti, qui defraudavit gabellas, seu vectigalia imposita rebus illis, quæ emuntur non quoad negotiationem, sed ad vsus proprios, vel familiæ necessaria, v.g. pani, carnibus, piscibus, oleo, frumento, &c.* Sic Busembaus. Idem inquit Fragos. *cit. dict. disp.* 8. § 2. *num.* 21.

9 Eam tamen sententiam, quæ probabiliter excusat tributa defraudantes, vt probabilem, nisi tantùm in rebus communibus ad proprium usum admittunt Sanch. *in consil. l.* 2. *cap.* 4. *dub.* 44. *numer.* 7. Cardin. de Lug. *cit. disp.* 36. *sect.* 2. *numer.* 27. in alijs tamen rebus causa negotiationis, adductis, defraudantes à restitutione non excusant, nec eam ut probabilem volunt admittere; & Castr. Palaus *tom* 1. *tract.* 3 *de Leg disp.* 1. *punct.* 15. *numer.* 13. *vers. Ex his inferet.* Trullench. *tom.* 2. *l.* 7. *decal. cap.* 12. *dub.* 4. *numer.* 7. & alij plures apud Dian. *citat. maximè part.* 1. *tract.* 10 *resolut.* 19. Eamdem sententiam juxta præsentem casum tenet Fragos. *citat. numer* 22. *vers. Secunda propositio*, ibi: *Tributa, quæ solvuntur ex mercibus ex India, Brasilia, Æthiopia, & alijs locis transmarinis. debentur in conscientia Regi, etiam si non petantur, juxta vsum communiter receptum. Ratio est, quia Reges Lusitaniæ has provincias ignotas, magnis sumptibus, & expensis proprijs, aperuerunt, & subegerunt, & vsque ad hoc tempus conservant, ac tuentur. Est communis, quam Doctissimus Fernandus Perez, & Franciscus Pereyra, in privatis scholis in Academia Ehorensi publicè docuerunt, & Molin. disp.* 662. *numer.* 4. Sic Fragos.

10 Ex his constat, vim non habere dicta *numer.* 6. nam licet hæc non essent necessaria ad solutionem, quia ibi ratione germanâ, & propriâ satisfecimus, juxta opiniones communes, idem erat observandum; his tamen relictis standum est, pro dictis *numer.* 6. & 7. cum DD. *numer.* 6. *cit.*

QUÆSTIO LXXIV.

An libratores stateræ domus Brasilicæ, vulgo *Alfandega* teneantur ad restitutionem eorum, quæ accipiunt ob pondus solito favorabilius, & Regi, ob ipsum pondus, in tributis damnificato.

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Non tenentur ad restitutionem eorum, quæ à dominis mercium accipiunt.*
3 *Tenentur ad restitutionem Regi faciendam, pro tributis in ipso pondere defraudatis.*
4 *Et tenentur, vt principales, nullâ habitâ ratione dominorum mercium.*

1 STephanus præsidens stateræ domus Basilicæ, vulgo *Alfandega*, cum juramento præstito de fidelitate, & salario, pro suo labore constituto, à dominis capsarum librandarum, & globulorum tabachi pecuniam accipiebat, ut pondus solitò favorabilius esset; & quamvis in dicta domo sit semper favorabile, hi domini hoc non contenti, libratoris animum pecunijs excæcant, vt pondus sit solitò minus; nam in singulis saccharì capsis, duas, aut tres metretas diminuunt, si pecuniam accipiunt à dominis ipsi libratores, cum detrimento non parvo in tributis Regijs. Quidam ex his me cõvenit, interrogans; An peccet mortaliter sic operans, & non teneatur ad restitutionẽ pecuniæ, ob eam causam acceptæ, & Regi, pro

pro damno illato in tributis ; nam si metretæ sint plures, ut esse debebant, tributum accrescit?

RESOLUTIO.

2 Ex *dictis præcedenti quæst.* facilis est respõsio. Ad primum, in titulo propositum, respondeo, non teneri hos libratores ad restitutionem pecuniæ, quam accipiunt à dominis earum mercium, ut pondus sit favorabilius solito, & ne tot Regi solvantur tributa? Ratio est, nam quamvis peccent mortaliter, contra juramentum præstitum de fidelitate, & illud transgrediantur, in materia gravi, cum in qualibet capsa diminuant, extra solitum, duas, aut tres metretas; non tamen tenentur ad restitutionem, ob periculum, cui se exponunt, & alia, ut dictum est *quæstion. præcedent. numer.* 2. & 3.

3 Quod attinet ad secundum propositum, Respondeo teneri ad restitutionem faciendam Regi pro damno illato in ipsa diminutione metretarum, & juxta illam computato damno Regis facienda est restitutio. Ratio est, quia ob suam culpam hoc damnum inferunt, cùm ex contractu ; & stipendio constituto, teneantur impedire ne tributa Regis defraudentur, aut diminuantur.

4 Nec obstat dicere, hos libratores teneri ad restitutionem secundo loco, non restituentibus dominis mercium, juxta ea quæ dicta sunt *quæstione præcedente numer.* 4. & 5. Non, inquam, obstat, quia respondetur; sicut ea doctrina ibi tradita, licèt communis, non extenditur ad custodes uavium consentientes, & non impedientes fraudari tributa Regis, vt vidimus *numer.* 6. ita etiam non extenditur ad libratores defraudantes, & consentientes ea tributa defraudari, nam sicut illi tenentur ex juramento præstito, & stipendio constituto, nulla habita ratione dominorum, ita etiam tenentur isti libratores.

QUÆSTIO LXXV.

An teneatur ad restitutionem conducens milites ad bellum, si aliquos ob pecuniam excusset?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
1 *Tenetur ad restitutionem.*
3 *Accepta ob patratum peccatum non restituuntur.*
4 *Ea doctrina non aptatur præsenti casui.*
5 *Secus in alijs casibus.*
6 *Acquisita a judice pro injusta sententia, restitutioni non sunt obnoxia, sed pro justa; non sic in conducente milites.*

1 DOminicus à Rege missus ad cõducendos milites in Indiam, præstito directorio de scribendis, & non scribendis in militiam ; omnes illius territorij, nulla habita ratione directorij, in albo describi voluit, ut sic pecuniam ab aliquibus extorqueret, & liberos dimitteret; & alios militiæ adscriberet. Quæritur: An teneatur eam pecuniam acceptam restituere?

RESOLUTIO.

2 Respondeo, teneri, quia graviter justitiam offendit, & mandatum Regis non observans, & ob extorquendam pecuniam injustè omnes damnificans: ergo cùm graviter peccet contra Iustitiam ad restitutionem tenetur. Sic Benedictus Remig. *in praxi Curator. tract.* 2. *cap.* 7. §. 19. *sub tit. Quæstion. singular. numer* 7. Hanc resolutionem existimo veram, non solùm quando ob pecuniam exemptos, sed non exemptos in directorio, liberos dimittit; contra omnes injustitiam committendo, & etiam illam committit manifestam, non accepta pecunia ; exemptos à Rege in directorio, militiæ ascribendo, juxta damnum parentibus, aut matribus viduis illatum.

3 Nec obstat, quòd acceptum ob turpem causam, seu ob peccatum jam patratum, necessariò non est restituendum, opere jam completo; sive id ipsum opus sit, aut non sit contra justitiam. Vt cum communi sententia asserunt Navarr. Sylvest. D Anton. & alij, quos referunt, & sequuntur Molin. *tom* 1. *tract.* 1. *disp.* 94. *Less. l.* 2. *de Just. cap.* 14. *dub.* 8. *num.* 52. Turrian. *disp.* 14. *numer.* 7. Vasq. *in Opusc. de Restit. cap.* 7. *dub* 4. *numer.* 25. Cardin. de Lug. *de Just. disp.* 18. *sect.* 3. *numer.* 54. Tambur. *l.* 7. *decal. cap.* 5. §. 3. *a numer.* 8. & alij: sed Dominicus conducens milites de mandato Regis peccatum commisit, dimittens pecuniam dantes; ergo illam dantibus restituere non tenetur.

4 Non, inquam, obstat, ea communis sententia; nam in præsenti non procedit casu; nam Dominicus eo modo conducendi milites, pecuniam extorquet cum peccato contra justitiam: quod restitutioni semper est obnoxium, licèt parentes, aut illorum filij non peccent illam pecuniam dantes. Vt patet exemplis: in usurario nolente dare pecuniam sine usuris ; in latrone nolente, ab inferenda injuria desistere, nisi data pecuniâ. In simoniaco nolente conferre beneficium, nisi ob datam pecuniam, quâ datâ, uterque peccat graviter; quia non solùm peccant contra Religionem sed etiam contra justitiam. Quare Dominicus pecuniam recipiens ob dimissionem aliquorum adolescentium à militia, non solùm peccavit illam recipiens, sed contra justitiam, eam recipiens ; quia ex officio

tenebatur pecuniam nec extorquere, nec recipere, & eâ receptâ ad restitutionem illius tenetur. Vide dicta *q.76 num.* 3.

5 Sententia igitur adducta procedit de meretrice, quæ post peccatum commissum, non peccat recipiendo mercedem suæ turpitudinis; & in patrante homicidium in gratiam alicujus, ob promissam pecuniam, qui patrato homicidio, non peccat recipiens pecuniam, & in alijs pluribus, qui non tenentur ad restitutionem. At Dominicus ex officio, & mandato Regis tenebatur, sequi directorium; & nullo modo extorquere injustè pecuniam.

6 Nec obstat secundò, dicere, judicem accipientem pecuniam pro sententia injusta proferenda, latâ eâ sententiâ, & traditâ pecuniâ promissâ, non teneri ad restitutionem pecuniæ acceptæ; si tamen pro sententia justa proferenda, lata sit sententia, & tradita pecunia promissa; tenetur ad restitutionem, ut videre est apud Card. de Lug. *de Iust. disp.* 37. *num.* 127. & Tambur *cit. dict.* §. 3. *numer.* 13. ergo etiam Dominicus tenebitur ad restitutionem pecuniæ acceptæ ab illis, qui justè juxta directorium Regis à militiâ liberantur; & non tenebitur ad restitutionem illius pecuniæ ab illis acceptæ, qui injustè liberantur juxta Regis directorium. Non, inquam, obstat, quia respondetur negando consequentiam; diversa ratio est, quia licèt judex non teneatur ad restitutionem pecuniæ, quam accepit, pro sententia injusta, latâ in gratiam alicujus, quia contra illum injustitiam non commisit, tenetur tamen omne damnum parti læsæ illatum, reficere, contra quam sententiam protulit, quia sic judicando contra justitiam peccavit: at Dominicus semper peccavit contra justitiam, quia ex commissione Regis tenebatur militiæ adscribere illos, qui à Rege designabantur, nulla accepta pecunia pro illorum liberatione; non designatos autem à Rege, ad militiam cogere non poterat, ex defectu facultatis, & sic recipiendo pecuniam semper contra justitiam peccavit, & maximè extorquendo pecuniam, ut eos à militia liberaret, ut ex adductis exemplis *num.* 4. est evidens.

QUÆSTIO LXXVI.

An bonæ fidei detentor librorum alienorum, ex edicto sub excommunicatione, teneatur eos domino reddere, quando fur contractum rescindere nequit?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Potest contractum rescindere.*
3 *Sententia probabilior.*
4 *Exemplo confirmatur.*
5 *Sed non est ita clara; contraria est probabilis.*
6 *Non potest Didacus alteri vendere libros.*
7 *Tenetur vero domino libros tradere; & alia via, se servare indemnem.*

1 AD petitionem Appollinaris, cui libri non parvi valoris, & aliqua supellectilia furto sublata sunt; Prælatus excommunicationis, ipso facto, chartam contra detentores edidit, si intra decem dies furto ablata non restituerent, & contra scientes, si intra id tempus illos non manifestarent. Didacus bona fide eos libros ex furc emptos, apud se detinebat. Quæritur, An excommunicationem incurrat, si intra designatum terminum libros non restituat?

RESOLUTIO.

2 Respondeo, posse Didacum convenire furem, & contractum cum eo irritum rescindere, illi tradendo libros, & suum pretium recuperando. Et ita faciendo intra designatum tempus, cum jam libros non habeat, nec detineat, excommunicationem, qua detentor, non incurret.

3 Et posse rescindere contractum, tuetur probabilior sententia; etiam si sciat, furem libros suo domino non esse restituturum. Ratio est, quia solùm tenetur libros reddere, ex bona fide acceptos, & sufficit, si illos in eo statu, quo erant, reponat: non enim ad aliud videtur obligandus, cum suo damno; nam si cogendus esset, illos tradere libros domino, æquè obligaretur, ac ipse fur, qui libros mala fide habuit: ergo cùm minor sit illius obligatio, solùm obligabitur, restituere; quando non patiâtur æquale damnum; non vero in præsenti casu, in quo patitur par detrimentum, ac Apollinaris, ammittendo suum pretium.

4 Confirmatur efficaciter: nam si aliquis tertius à fure libros Apollinaris auferat, ut illos ei reddat; fur verò ab hoc tertio alios libros auferat, nolens eos reddere, nisi redditis libris Apollinaris, quos furatus furat, poterit ille tertius libros Apollinaris ei relinquere, ut suos recuperet: ergo etiam in præsenti poterit Didacus furi reddere libros Apollinaris, ut suum pretium recuperet. Sic Navarr. Sylvest, Angel. Gabriel, Alexander, Lessius, Malderus, Turrianus, quos referunt, & sequuntur Cardin. de Lug. *de Iust. disp.* 17. *sect. num.* 29 Castr. Palaus *tom.* 7. *disp. unic. de Iust. in gener. punct.* 24 § 7. *numer.* 3. Rebell. Vasq. Dicastill. Arag. & Bonac quos affert, & sequitur Tambur. *l.* 8. *decal. tract.* 3 *cap.* 3. § 2. *numer.* 2. Alios plures citat, & sectatur Dian. 1. *part. tract.* 8. *resolut.* 69. & 2. *part. tract.* 17 *seu* 3. *miscell. in principio*, ibi: *Clarum esse, eum, qui alienam rem, bona fide, accepit, non teneri illam verò domino restituere, sed posse illi, a quo bonâ fide accepit.*

5 Sed non bene inquit, *clarum esse*, nam quamvis sententia adducta, quam sequitur, sit pro-

probabilior, non est ita clara, ut non dentur pro opposita plures, & graves DD. quos ipse Dian. *part.* 1. *tract.* 8. *resolut.* 69. citaverat Vt Caiet. Covarruv. Sot. Barthol & Ioann. Medin. Tabien. Armill. Ledesm. Sylvius, & doctissimus Molin. *tom.* 3. *disp.* 722. & in sui favorem habet validissima fundamenta, ut videre est apud Molin. *& citatos.*

6 Hoc meum consilium accepit Didacus: Furem convenit, & ab illo assequi non potuit, pactum venditionis rescindendi libros enim recipere noluit, nec pretium acceptum, reddere. Et iterum rediens, quærit: Quid facere debeat, ut suum pretium recuperet: Possum ne [inquit] alteri libros Apollinaris vendere, ut meum recuperem pretium; nam si possum cum fure contractum rescindere, qui videtur esse contractus venditionis, etiam potero alteri vendere libros? Respondeo, non posse, quia venditio est injusta, utpote rei alienæ, & illos furi restituere, non est inire contractum, nec venditionem; sed præteritam rescindere; quæ rescisio non est injusta; quia nullus tenetur stare contractui cum damno pretij dati. Sic Cardin. de Lug. *citat. num.* 35. Tambur. *proxime num.* 3.

7 Quare resolutio sit, teneri Didacum vero domino Apollinari libros restituere, intra terminum designatum, ne excommunicationem incurrat; nam unicum medium, quod habebat ad suum recuperandum pretium, evanuit, nolente fure contractum rescindere; & libri invito domino retineri non possunt, quando brevi tempore, nulla datur spes pretium recuperandi, etiam præcisa chartâ excommunicationis, ut patet ex casu, quo fur esset absens in Brasilia; tunc enim contractu non rescisso, libros domino tradere tenebatur, vt ait Cardin. de Lug. *citat. num.* 33. Poterit tamen Didacus suum recuperare pretium à fure; si ad id pro foro externo sufficientia habeat fundamenta; quòd si desint, poterit, sibi occultè compensare, juxta regulas compensationis, de quibus *supra* pluribus in locis. Si placet vide *q.* 72.

QUÆSTIO LXXVII.

An ex bonis occultis vi excommunicationis editæ detectis, solvi possint creditores occulti, omissis publicis, & privilegiatis?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Non potest ea pecunia, pro creditoribus occultis partiri.*
3 *Ordin. Regia non solùm in creditoribus personalibus, sed etiam in realibus habet locum.*
4 *Etiam in foro conscientiæ habet locum.*
5 *Plures docent, dictas leges non obligare in foro conscientiæ.*
6 *Debitor, qui non est omnibus creditoribus solvendo, potest in foro conscientiæ primo petenti solvere.*
7 *Christina debitrix in ea pecunia adhuc habebat dominium.*
8 *Opinio tradita in præsenti non habet locum.*
9 *Conjuges, stantibus rebus in eo statu, creditoribus occultis debitum solvere non poterant.*

1 IAcobus creditores habebat publicos, illius uxor Christina de licentia mariti alijs erat obstricta. Defuncto Iacobo creditores publici sententiam obtinuerunt, & omnia illius domus bona authoritate judicis pignorarunt, & sequestrarunt; & cùm ad tot debita, sufficientia non essent, Prælatus ad eorum petitionem excommunicationis ipso facto chartam edidit, ut si qua bona essent subnegata, apparerent. Apparuit autem summa centum, & quinquaginta aureorum. Quod sciens uxor Christina, secretò Parochum, qui excommunicationem publicaverat, adivit, & petijt, quòd illa pecunia occultè restituta, suis creditoribus occultis satisfaceret, nam illis erat debitrix in maiori summa, illam inter illos pro rata distribuendo. Hoc ipsum petierunt creditores occulti, ostendentes chirographa debitorum indubitata; addentes hàc tantùm viâ, posse aliquam habere satisfactionem, nam creditoribus publicis sequestratio sufficiebat; & si nec illis, nec etiam ipsis plenè satisfiat. Quæritur, An Parochus tutâ conscientiâ, possit illam pecuniæ summam inter creditores occultos pro rata debitorum partiri; an potius illam creditoribus publicis tradere, teneatur, ad quorum petitionem edita fuit excommunicatio?

RESOLUTIO.

2 Hæc ad Iurisperitos spectabat: quia tamen inquisitio est pro foro cõscientiæ. Respondeo, non posse Parochum, tutâ conscientiâ, dictam summam pecuniæ pro creditoribus occultis partiri, sed teneri eam creditoribus publicis tradere, ad quorum petitionem, edita fuit excommunicatio. Ratio est, quia ita disponitur *Ordin. Reg. l.* 3. *tit.* 91. *in principio*, ibi: *Si aliquis debitor pluribus creditoribus fuerit obligatus; qui adversus illam sententiã obtinuerint, inceptique fieri executio, ita ut occupata sint bona in judiciale pignus, vendique incipiant; venditaque jam sint, & solutum sit debitum: tunc si superveniat aliquis creditor, sive hypothecarius, sive personalis, qui in solutione præferri deberet, non audiatur, nisi eo tempore esset absens, aut ignorans. Si autem erat præsens, & coram judice non est protestatus, se esse priorem creditorem, debereque præferri, ammittat jus totũ prælationis.* Sic etiam habetur *l. Inter eos, ff. de Re judic. junct. Gloss. l. Si hominum, §. quoties, ff. de*

possess l. Qui autem, §. Sciendum, ff. quæ in fraudem credit. l. Pupillus, ff. eodem tit. & l. Castellæ 11. & 13 *tit.* 14. *part.* 5. & *l.* 9. *tit.* 15. *part.* 5. & DD Molin. *tract.* 2. *disp.* 536. *vers. Observandum est, & seqq.* Castr. Palaus *tom.* 7. *de Iust. commut. disp.* 1. *punct.* 21. *num.* 1. Sed creditores publici sententiam contra Iacobum debitorem obtinuerunt, omniaque bona sua pignerarunt, & sequestrarunt, præsentibus creditoribus occultis, & non protestantibus, se etiam esse creditores, aut aliqua ratione esse præferendos: ergo.

3 Et citata Ordin. Regia habet locum non solùm in creditoribus personalibus [quales sunt omnes prædicti, tam publici, quàm occulti] sed etiam in casu, quo occulti essent reales, quia omnes comprehendit *cit. Ordin. in principio, fine.* Molin. *cit. vers. Quoad jus Lusitanum,* Mendes à Castr. Guttier. & alij apud Emman. Barbos. *in Remiss. ad cit. Ordin. num.* 5.

4 Addo, hanc Ordin. obligare in foro conscientiæ, quia est justa. Lug. *disp.* 20. *de Iust. sect.* 4. *numer* 37 ibi: *Monendo tamen Theologum, & confessarium, ut in casu particulari semper consulentes remittat ad juris DD. saltem propter leges municipales, quæ in singulis Provincijs, diversæ sunt, quæ etiam in foro conscientiæ observari debent.* Hurtad. *tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 4. *resolut.* 37. *num.* 463. non obstante, quòd plures, oppositum docent, ut jam ostenditur.

5 Nec obstat primò, plures DD. docere, prædictas leges in foro conscientiæ non obligare, sed solùm in foro externo, sic Serra 2.2. *q.* 62. *art.* 8. *fol.* 268. Machad. *tom.* 1. *l.* 2. *part.* 3. *tract.* 23. *docum.* 5. *num.* 9. & Marc. Serius *tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 5. *diffic. ultim. quæst.* 15. *numer.* 2. quos refert Dian. *part.* 11. *tract.* 3. *resolut.* 13. *in fine,* hanc sententiam dicens, non improbabilem, quamvis oppositam teneat; & Rebell. *de Obligat. just.* 1. *part. l.* 2. *quæst.* 19. *num.* 16. fatetur *citat. Ordin. Lusitan.* procedere pro foro externo, quando concedit actionem priori creditori, ad revocandam solutionem posteriori factam: ergo poterit Parochus creditoribus occultis eam summam pecuniæ tradere, quia leges statuentes, præferendos esse creditores, qui pro se sententiam obtinuerunt, solùm obligant in foro externo. Non, inquam, obstat; nam datà ea sententia, in præsenti non potest habere locum, quia ij DD. loquuntur de debitore, qui ordine restitutionis non servato, solutionem pecuniæ, quam sub suo dominio habebat, tradidit. Vt videre est apud Rebell. *citat.* Molin. *dict. disp.* 536 *vers. Hoc loco,* & alios. At Parochus, à quo petitur ea summa pecuniæ, quæ vi chartæ excommunicationis fuit inventa, nullum dominium in ea habet, ut illam tradat creditoribus occultis, omissis publicis, quorum industria, ea pecuniæ summa reperta fuit.

6 Nec obstat secundò, debitorem, qui pluribus creditoribus est obligatus, & omnibus non est solvendo, posse in foro conscientiæ primo petenti solvere, sive ea petitio sit privata, sive in judicio, per sententiam latam, vt citatis Malder. Sayr. Lessio, Turrian. Azor, Molina, Navarr. Sylvestr. tradit Fagund. *l.* 7. *in* 7. *decal. præcept. cap.* 34. *numer.* 6. & allatis Petr. Navar. Valent. Covarruv. Flores de Mena, Angel. D. Thom. Scot. Aragon. Angles, Barthol de Medin. Rodrig. & Gabriel. Pereyra. tenet Emman. Barbos. *in Remiss. ad* §. 1. *citat. Ordin. l.* 3. *tit.* 91. *num* 1. sed creditores occulti petunt solutionem suorum debitorum à Parocho, eam pecuniam habente, ex vi chartæ excommunicationis inventam: ergo Parochus in foro conscientiæ [nam hæc sunt occulta] pro rata eam inter illos partiri poterit.

7 Neque respondeas ut *supra,* non obstare; quia DD. loquuntur de debitore dominium habente, in ea pecunia, quod non habet Parochus. Non enim sic respondeas', non obstare, nam debitrix Christina adhuc habet dominium in ea pecunia, nam executio adhuc non est plenè absoluta; & ipsa declarat, se velle creditoribus occultis fieri solutionem; & illam petunt pro rata, in ea pecunia.

8 Non, inquam, obstat, argumentum, nec instantia: non argumentum deductum ex opinione communi asserente, posse debitum tradi primò petenti, etiam si debitor omnibus non sit solvendo; nam ea opinio habet locum, quando alij creditores non sunt privilegiati, vt inquit Fagundes *loco citato*, at creditores publici, ex sententia adversus debitorem lata, pignoratione, & sequestro facto, sunt privilegiati, vt constat ex dictis.

9 Nec etiam obstat instantia, nec argumentum *num.* 5. *allatum*; quia si esset vivus Jacobus debitor, & cum uxore Christina haberet suorum bonorum dominium, existentibus rebus, in præsenti statu, non poterat debitum solvere ijs creditoribus occultis petentibus; quia ex lata sententia præcedebant creditores publici, quia sunt privilegiati *ex citat. Ordin.* Et licèt daremus, quòd cit. Ordin. procedat tantùm pro foro externo; facta tamen authoritate judicis sequestratione omnium bonorum, ut constat eam fuisse factam, jam debitor non potest alium creditorem, licèt æqualem, alijs præferre, ut asserit Castr. Palaus *tom.* 7. *de Iust. commut. disp.* 1. *punct.* 18. §. 21. *num.* 4.

QUÆSTIO LXXVIII.

An mandans teneatur ad restitutionem eorum, quæ occasione mandati mandatario evenerunt?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Definitio mandati.*
3 *Probabilius est teneri.*

4 Op-

4 *Oppoſita eſt probabilis; non tamen in hoc Regno, vt num.* 6.
5 § *Non omnia, obſervari non debet.*
6 *In his Regnis ſententia num.* 3. *adducta obſervari debet.*
7 *Oſtenditur* §. *Non eſſe obſervandum.*

1 PAntaleon mercator à Celſo petijt, vt in nundinis cujuſdam oppidi, ſibi gratum ageret, vendendi ſuas merces. Gratiam egit Celſus; in taberna tamen, in qua merces vendebantur, plures intrabant, & egrediebantur, ut emerent; & Celſus vt expeditius ſuum vendendi munus obiret, ſeorſum pallium, enſem, & galerum poſuit; & fuerunt ſubrepta. Quæritur 1. An Pantaleon teneatur ea Celſo reſtituere? 2. Et ſi nolit, poſſit Celſus, compenſatione uti?

§. I.

An Pantaleon teneatur dicta ſupellectilia Celſo reſtituere?

2 Suppono cum DD. citandis. in hac actione vendendi Celſum merces Pantaleonis, interveniſſe quemdam quaſi contractum bonæ fidei, qui dicitur Mandatum, & definiri: *Gratuita ſuſceptio aliquid exequendi. quod alius formaliter, aut virtute ei conjugit*, vt conſtat *ex l.* 1. §. *vltim. ff. Mandati, & §. ultim. Iuſt. eod. tit.* Et contractum interceſſiſſe inter Pantaleonem mercatorem, & Celſum ſuſcipientem merces Pantaleonis gratis vendere, abſque vllo ſtipendio. Hoc poſito.

3 Reſpondeo, probabilius eſſe teneri Pantaleonem, ea reſtituere ſupellectilia Celſo. Ratio eſt, quia Celſo furto ſublata fuerũt occaſione mandati Pantaleonis, quòd ſi non interveniret, illas non ammitteret; mandans autem tenetur ſuum mandatarium ſervare indemnem, ex caſu fortuito contingente. Ita cum Barthol. Sylveſtr. *verb. Mandatum, q.* 6. Molin. *tract.* 2 *diſput.* 549. *verſ. Dubium verò*, Rebell. *de Obligat. Iuſt. part.* 2. *l.* 17. *quæſt. vnic. num.* 2. *in fin.* Laym. *in Theol. moral. l.* 3. *ſect.* 5. *tract.* 4. *cap* 26. *num.* 3. qui omnes aſſerunt. teneri mandantem, mandatario omnia damna, quæ caſu fortuito evenerunt, reſarcire.

4 Fateor, ſententiam oppoſitam eſſe probabilem aſſerentem, mandantem non teneri, ad faciendam mandatario reſtitutionem de caſu fortuito, ſed tantùm de illo, qui prævideri potuit, aut cogitari, ut docent Azor 3. *part. Inſt. moral. l.* 9 *cap.* 6. *q.* 2. *verſ. Quare dicendum, & ſeq.* At verò, Abbas *in cap. Cùm pro cauſa, de Procurat.* Filliuc. *tom.* 2. *tract.* 39. *cap.* 2. *numer.* 24. Et id probant *ex l. Ne ſennius, ff. de Negotijs geſtis*, & facilius *ex l. Inter cauſas* §. *Non omnia*, ubi videtur expreſſè dicidi, *ff. Mandati.* Addunt tamen, non habere locum in mandatarijs, ſtipendio conjunctis, ad aliquid exequendum; quod etiam affirmant, Laym. *cit.* & Abbas *in cap. Sicut, num.* 17. *de Iur. jurand.*

5 Ad §. *Non omnia*, dict. *l. Inter cauſas* reſpondent apud Molin. *cit.* Accurſius, *eum* § de curalitate ſervari non debere, alij dicunt nec de jure; & Laym. *cit. dict. num.* 3. inquit procedere ſecundum jus ſtrictum, non tamen ſecundum æquitatem, quæ obſervari debet.

6 Non obſtante probabilitate ſententiæ *allatæ numer.* 4. cenſeo in his Luſitaniæ Regnis, noſtram reſolutionem, in utroque foro, eſſe ſequendam, & juxta illam teneri Pantaleonem damna reſtituere, quæ Celſus paſſus fuit ex caſu fortuito, in furto ſui pallij, ensis, & galeri. Moveor, quia eſt opinio Barthol. & Accurſij à Molin. *citat.* & eſt opinio communis, & BB. quos *nvm.* 3. adduximus; & juxta *Ordin. Reg. l.* 3. *tit.* 64. §. 1. ſequi debent, ita diſponente *dict. Ordin.* ibi: *Quando caſus, de quo agitur, non fuerit deciſus per l. Regni, aut per ſtylum Curiæ, ſeu conſuetudinem uniformem; aut denique per leges Imperiales, aut per ſacros Canones, quando agitur de peccato, decidatur per Gloſſ. Accurſij in iiſdem legibus inſertas, dummodo per communem DD. opinionem non fuerint rejectæ, aut reprobatæ. Quod ſi per eaſdem Gloſſ. caſus non ſit deciſus, ſtandum eſt opinioni Barthol. eo quòd illius opinio eſt magis rationi conſentanea, quamvis aliqui DD. contra Barthol. aliter cenſeant, niſi communis BB. opinio, qui poſt Barthol. ſcripſerunt fuerit contraria.* Sic Ordin. Reg. Sed pro noſtra reſolutione ſtat Accurſ. opinio Barthol. & magis communis BB. nec eſt contra ſtylum Curiæ, nec conſuetudinem uniformem, nec contra leges Imperiales, nec Canonicas; ergo juxta Ordinat. illi in utroque foro ſtandum eſt.

7 Nec obſtat, dicere, præſentem caſum eſſe deciſum in LL. Imperialibus *in l. cit. Inter cauſas* 26. §. *Omnia*: ibi: *Non omnia, quæ impenſurus non fuit, mandatori imputabitur, veluti, quòd ſpoliatus ſit à latronibus, aut naufragio res amiſerit, vel langore ſuo, ſuorum adpreheſus, quædam erogaverit, nam hæc magis caſibus, quam mandato imputari oportet.* Sic lex, quæ ſanè videtur clara, & expreſſè præſentem caſum comprehendit, in illis verbis, *quòd ſpoliatus ſit à latronibus, quæ magis caſui, quam mandato imputari oportet.* Accedit, quòd titulus *illius* § ſic habet: *Damna caſu fortuito occurrentia, dominus procuratori non emendat.* Non, inquam, obſtat, dictum, nam Molin. *citat.* ex Accurſio, inquit, hunc § ex curalitate ſervari non debere, quòd etiam inquit Gloſſ. *verb. Mandato, in fine*, & alij dicunt, quòd ex jure. Vnde Molin. his motus in partem abijt adverſam, vt dictum eſt *ſupra.* Nec textus in eo § nec illius titulus nos cogunt contra graves DD. ei § & titulo ſtare; imo cenſeo ſtandum diſpoſitioni Ordin. Reg. eo modo, quo dictum eſt num. 6.

§ II An

§. II.

An nolente Pantaleone dicta supellectilia restituere, possit Celsus, uti compensatione?

SUMMARIUM.

8 *Potest Celsus uti compensatione, quando coram judice non nisi magnis difficultatibus, compensationem habere potest.*

9 *Debitum, pro quo fit compensatio, est liquidum. & certum.*

10 *Aliqui admittunt posse dari compensationem, quando datur opinio probabilis, circa jus.*

11 *Aliqui dantur casus, in quibus licita est compensatio juxta opinionem probabilem.*

12 & 13 *alij assignantur casus.*

14 *Quando datur opinio probabilis asserens, licere compensationem, licet.*

8 Ex dictis §. *præcedenti* constat, posse Celsum, vti compensatione, pro suis supellectilibus, occasione mandati Pantaleonis, subreptis, si coram judice, non potest satisfactionem earum recuperare, nisi cum magna difficultate, expensis, lite, molestia, & jacturâ gratiæ, & amicitiæ Pantaleonis. Ratio est, quia debitum ex dictis *numer.* 6. est certum; & licèt sit certum, nullus, præcisis iis causis, potest propriâ authoritate Pantaleonem, aut aliquem suis bonis spoliare, vt communiter tradunt DD. apud Cardin. de Lug. *de Iust disp.* 16 *sect.* 1 *num* 91.

9 Nec obstat, quòd detur opinio probabilis, non teneri Pantaleonem ad restitutionem damnorum, quæ casu fortuito, occasione mandati contigerunr, vt vidimus *supra numer.* 4. sed DD. communiter affirmant, debitum, pro quo fit compensatio, debere esse liquidum, & certum, & non sufficere opinionem probabilem, nec probabiliorem illâ, quam pro se habet debitor; vt tuentur Molin. *tract.* 2 *disp* 691. *num.* 1. Vasq *in Opusc. de rest. cap.* 6. §. 3. *dub.* 5. *numer.* 83. Sanch. *l.* 6. *decal cap.* 3. *numer.* 7. *& clarius l.* 4 *consil cap.* 1. *dub.* 14. *num* 10. Soar. *l.* 5. *de Leg. cap.* 18. *num.* 20. Villalob. *tract.* 1. *diff.* 17. *num.* 7. Castr Palaus *tom.* 7. *de Iust. commut. disp.* 1. *punct.* 16 §. 3. *numer.* 6. Fagund. *l.* 7. *in* 7. *decal. præcept. cap* 1. *numer.* 3. & consultò *cap.* 30. *num.* 1. Card de Lug. *proximè, numer.* 94. Dian. *part.* 9. *tract.* 9. *resol.* 44. & alij, quos citant. Non, inquam, obstat, quia ex *dictis numer.* 6. constat debitum esse liquidum.

10 Datâ tamen eâ opinione probabili in oppositum, non defuerunt DD. existimantes, creditorem habentem pro se opinionem probabilem circa jus [non vero circa factum] posse uti compensatione, dummodo dentur aliæ conditiones ad licitam compensationem requisitæ. Sic apud Dian. *part.* 9. *tract.* 9. *resol.* 44. Spinol. *in Opusc. de Elect. opin. disp. ultim. sect.* 7. Franciscus de Lug. *in principijs Theol. moralis part.* 1. *cap.* 3. *quæst.* 13. *numer.* 100. & in hanc sententiam inclinat Card de Lug. *cit. à numer.* 99. *usque in finem sect.* in cujus fine, sic: *De hoc tamen nihil volo asserere, imo libenter abstineo ab ultimo judicio, circa totum punctum, de compensatione licitè facienda, cum opinione solùm probabili: quia licèt in casibus particularibus authores id videantur admittere, vt vidimus: in communi tamen, & dum quæstionem in proprijs terminis tractant, videntur id communiter negare, à quibus in re practica, non est facile discedendum, quia fortasse illis aliquid occurrebat, quo argumenta nostra, supra posita, possint dissolvere.* Sic Cardin. à quo non multum distat alter Lugo. At in præsenti, Celsus creditor pro debito, erga Pantaleonem habet opinionem probabiliorem circa jus, & etiam circa factum.

11 Additur, quia plures dantur casus, in quibus, ex opinione probabili licita est compensatio. Primus datur in infamato injustè, qui potest, sibi compensare, in pecunia infamantis, quando aliâ viâ, sua fama non restituitur, vt defendunt Lessius *l.* 2. *de Iust. cap.* 11. *dub.* 25. *in fine*, Molin. *ibidem tom.* 5. *disp.* 49. *num.* 5. Ledesm. 2. *part. q.* 18 *art.* 2. Ioann. de la Cruz *in Direct. part.* 1. *precept.* 7. *art.* 2. *dub.* 6. *concluss.* 2. Tanner. 2. 2. *D. Thom. disp.* 4 *quæst.* 6. *num.* 150. & alij, quos refert, & sequitur Dian. 3. *part. tract.* 5. *miscell. resol.* 30 quamvis apud ipsum opposita sententia sit verior.

12 Secundus casus datur, in duobus se mutuò infamantibus, qui possunt sibi compensare, quando damnum est æquale, & alter non vult restituere; vt tenent Sylvius *in* 2. 2. *D. Thom. quæstion.* 62. *art.* 2. *quæsit.* 10. Malder. *ibidem tract.* 7 *cap.* 2. *dub.* 14 & alij apud Dian. *proximè*, licèt contraria sententia sit probabilior.

13 Tertius casus datur in legato, in minus solemni testamento relicto: Nam legatarius potest in foro conscientiæ, sibi compensare, vt sustinent Granad. 1. 2. *controv.* 7. *de Leg. tract.* 3. *part.* 2. *disput.* 15 *sect.* 2. *numer.* 17. Molin. *tom.* 1. *tract.* 2. *disput.* 81. *vers. Quòd si hæc*, & Lessius *dict. l.* 2. *cap.* 19. *dub.* 3 *numer.* 22. *& numer.* 30. addit, etiam hæredem ab intestato, posse vti compensatione occulta, adversus eum, qui bona defuncti ex minus solemni testamento possidet, quia contraria sententia est probabilis, & se illi conformare potest. Quamvis Sanch. *l.* 4. *consil. cap.* 1. *dub.* 14. *numer.* 12. Aliquibus BB. citatis, oppositum teneat, dicatque, sed non rectè, traditam sententiam probabilem non esse: ergo dato, quòd Celsus contra se habeat opinionem probabilem, poterit se conformare, & vti sua probabiliori; & quasi certa.

14 Non

14 Non obstant casus adducti, quia circa illos dantur opiniones probabiles, asserentes, licitam esse compensationem; at in præsenti casu, circa quem non datur opinio probabilis, asserens, licitam esse compensationem, quamvis detur opinio probabilior, affirmans mandatorem causa mandati restituere teneri damna occasione mandati contingentia Quod est quid diversum: Aliàs dicemus, quòd ubicunque datur opinio probabilis pro aliquo creditore, ad recuperandum suum debitum, aut rem, quam alter licitè, & bonâ fide possidet, posse uti compensatione. Quod est contra opinionem communem *numer. 9 allatam.* Non, inquam, obstat, nam *numer.* 10. diximus juxta opinionem probabilem, posse creditorem vti compensatione, quando pro se habet opinionem probabilem circa jus, licet illam non habeat circa factum; at Celsus pro se, & habet opinionem probabilem circa jus, & circa ipsum factum. Hoc autem diximus, ex abundantia; quia *ex dictis* §. 1. *& præsenti numer.* 8. *&* 9. constat debitum esse certum, & liquidum, vt ex citat. Ordin. dispositione colligitur.

QUÆSTIO LXXIX.

An mandatarius in mandatis habens, omnibus mandatoris salvere creditoribus, pauperiorem in solutione præferre possit, & alijs pro rata solvere, quando integrè omnibus non est solvendo?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Potest, & debet integrè solvere pauperiori.*
3 *Sic rationabiliter mandatum exequitur.*
4 *Communis sententia.*
5 *Potest debitor graviter indigenti debitum integrè solvere.*
6 *Quando mandator formam mandati non præscripsit, mandatarius tenetur bonâ fide, & rationabiliter mandatum exequi.*
7 *Quando creditor ex non soluto debito, in gravem necessitatem incidit, tenetur debitor cum æquali damno debitum solvere.*
8 *In foro conscientiæ, potest debitor, solvere debitum creditori sui creditoris.*
9 *Debitor pluribus creditoribus obstrictus, si omnibus non est soluendo, potest in foro conscientiæ, primò petenti solvere.*
10 *Potest mandatarius, aliam partem pro rata alij creditoribus distribuere.*
11 *Opposita sententia est probabilissima.*

1 SImplicius in Brasilia habitans multos creditores in hac civitate habebat, suo procuratori, etiam in ea existenti, mandavit, vt ex sibi debito, suis creditoribus, quos albo designavit; solveret. Felix cùm ex eo debito, omnibus creditoribus non esset solvendo; partem debiti pro rata, inter creditores distribuere, volebat; & alterà integrè solvere debitum Faustino, ex creditoribus pauperiori, gravi necessitate oppresso, in quam ceciderat, ob debitum hoc, suo tempore, non solutum, à suo statu: nam ex artifice plures habens mercenarios, alterius artificis mercenarius factus fuit. Addit Felix, nullum ex dictis creditoribus esse privilegiatum, nec habere hypothecam tacitam, aut expressam, nec generalem, aut specialem. Quæritur; An modo dicto creditoribus solvere possit.

RESOLUTIO.

2 Quod attinet ad primum, de solvendo integrè debitum Faustino, ex creditoribus pauperiori? Respondeo, posse, & debere, vt ex sequentibus rationibus ostendo.

3 Prima est, nam quando mandatarius formam mandati à mandatore præscriptam servare nequit, tenetur facere, quod facere debebat in præsenti ipse mandator, ne irrationalis, & iniquus censeatur; nam mandatum debet esse de re rationabili, & licita, & non de illicita, & irrationabili, ut habetur *l. Si remunerandi*, §. *Si passus*, ibi: *Rei turpis nullum est mandatum*, *ff. Mandati*, & §. *Illud quoque*, *Inst. eod. tit.* & DD. Molin. *de Iust. tom.* 2. *disp* 550. *in princip.* Rebell. *de Obligat. just. part.* 2. *l.* 17. *quæst. vnic. numer.* 6. Laym *in Theolog. moral. l.* 3. *sect.* 5. *ttact.* 4. *cap.* 26. *numer.* 4 & omnes: sed Felix formam mandati à simplicio præscriptam, servare non poterat, quia eo debito non erat omnibus creditoribus solvendo; ergo id gessit, quod Simplicius gerere debebat in præsenti, ne irrationalis, & iniquus censeretur.

4 Quòd verò Simplicius, si esset præsens, ita distribuere debebat illud pecuniæ à Felice sibi debitum; probatur, nam quando debitor omnibus creditoribus non est solvendo, potest, & debet restituere integrè totum debitum creditori pauperiori, in gravi necessitate constituto, & non creditoribus similem necessitatem non patientibus, sic cum communi sententia Lessius *de Iust. l.* 2 *cap.* 15. *dub.* 7. *numer.* 46 Cardin. de Lug. *de Iust. disput.* 20. *sect.* 7. § 3. *numer* 158. *in fine*, Vasq *in Opusc. de Restit. cap.* 11. *dub* 4 *numer.* 92. Castr. Palaus *tom.* 7. *disput.* 1. *de Iust commut. punct* 18. §. 20. *numer.* 2. vbi ex Vasq. citat. sic: *Si pauper ita gravi necessitate premitur, vt ipse creditor*

ditor dives succurrere ex misericordia deberet ea parte, quæ sibi debita est, optimè potes, & debes integrè ei debitum solvere, quia in ea solutione nullam creditori irrogas injuriam, sed potius ejus negotium geris, præstans, quod ipse facere tenebatur. Sic Palaus sed Faustinus, ita gravi necessitate premitur, vt ob suum debitum non solutum, constrictus fuisset, à suo statu artificis cadere, & mercenarij munus exercere: ergo.

5 Addo, eà præcisâ gravi necessitate, docere D. Thom. *in Opuscul. 73. cap. 18* Medin. *Cod. de Restit. quæst. 2. numer 5.* Emman. de Sa, *verb. Restitutio, num. 60* Laym. *l. 3. Summ. sect. 5. tract. 2. cap. 11. numer. 7.* Salon. *quæst. 62. art 8.* Rebell. *part. 2. l. 2. quæst. 19. numer. 13.* Clavis Regia *l. 10. tract. 5. cap. 10. numer. 36.* Aragon. *quæst 62. art. 8. propendet*, Molin. *tract. 2. disp. 536. in fine*, probabile, inquit, Lessius *citat* & Dian *part. 11. tract. 3. resolut. 11* posse debitorem debitum integrè solvere pauperi, graviter indigenti; quia lex charitatis, & misericordiæ id videtur permittere: sed Faustinus est pauper graviter indigens, vt constat, ex dictis: ergo illi potest Felix mandatarius, & debet illi integrè suum debitum tradere.

6 Confirmatur *supra dicta ratio*; nam quando mandator formam mandati non præscripsit, mandatarius tamen bonâ fide, ac rationabiliter gerit; mandator ei obligatur actione mandati, vt dicitur *l. 3 & l. Siquis pro eo, ff. Mandati*, & Rebell. *cit. l 17. quæst. unic. de mandato numer. 9.* Sed Simplicius, licèt formam mandati præscripserit, designans, qui integrè solvendi erant; cùm non præviderit suo debito, non esse omnibus solvendo, aliud in mandato non præscripsit: ergo ac si formam mandati non præscripserit, potest Felix bonâ fide, ac rationabiliter agere, solvendo integrè debitum Faustino in gravi existenti necessitate; aut saltem, vt DD proximè, solvendo pauperi graviter indigenti, quin Simplicius mandator adversus illum, actionem mandati possit habere.

7 Secunda ratio: quia Faustinus in gravem necessitatem cecidit, ob suum debitum non solutum, vt constat *ex numer. 1.* sed Simplicius tenebatur id debitum solvere, etiam cum æquali damno, ne in eam necessitatem veniret, vt cum Medin. Sot Navarr. Banès, Petr. Navarr. Sa, Laym. sustinent Bonacin. *tom. 2. disp 1. de Rest. in gener. quæst. vltim. punct. 1. numer. 19.* Castr. Palaus *tom. 7. disp 1. de Just. commut. punct. 17. §. 3. numer 5* Tambur. *l. 8 decal. tract. 4. §. 9. numer. 2.* & omnes, ne Faustinus à suo statu ceciderit; & etiam in casu, quo Simplicius magnum lucrum reportaret, ex retentione talis debiti, vt cum communi tenet Castr. Palaus, *proximè §. 4. numer. 1.* Sed Faustinus, ex restitutione non facta, adhuc in eo statu persistit: ergo ne persistat in eo, tenetur Felix mandatarius, loco Simplicij, integrè suum debitum restituere: vt prudenter, & rationabiliter mandatum gerat Simplicij, quando aliud in forma mandati, non præscribitur.

8 Tertia ratio: quia omni præciso mandato, potest Felix debitor Simplicij, in foro conscientiæ Faustino solvere integrè suum debitum. Ratio est, quia communiter defendunt DD. posse in foro conscientiæ debitorem, solvere debitum creditori, sui creditoris. Sic Sylvest. *verb. Solutio, quæstion. 4.* Angel. *ibi dict. numer. 13.* Ioann. Medin. *de Restit. quæstion. 3. causa 5.* Petr. Navarr. *l. 4. de Restit. cap 2. numer. 20* Less *l. 2. de Just. cap. 16. numer. 60* Laym. *in Summ. l. 3. sect 5. tract. 2. cap. 9. numer. 8.* Castr. Palaus *citat. punct. 18. §. 10. numer. 2* ergo poterit Felix debitor Simplicij, nullà facta mentione mandati, integrè solvere debitum Faustino, Simplicij creditori.

9 Quarta ratio: Cùm enim Felix omnibus Simplicij creditoribus non sit solvendo, vt in forma mandati præscriptum fuerat, poterit mandatum Faustino detegere; & eum admonere, vt peteret suum debitum, nam data petitione, alijs creditoribus eum præferre poterit, juxta sententiam multorum DD quos adduximus *supra quæst. 80. numer. 6.* quia nullus eorum est privilegiatus, vt mox dicetur. Nec juxta eam sententiam, potest esse absurdum, admonere vnum ex creditoribus, vt prius petat; quia vnicuique licitum est consulere id, quod licitè potest facere; & sicut advocatus, & procurator potest admonere, & consulere creditori, quod petat prius, vt alijs præteratur creditoribus, sic etiam poterit ipse debitor, vt amicus, dicere ei: *Ego te non petente, non possum, te petente, tibi prius solvere possum.* Hoc enim est, solùm declarare, quod ei leges, & DD. concedunt. Sic inquit Cardin. de Lug. *dict. dipp. 20. sect. 7. numer. 174.* data ea sententia, quam dicit probabilem, quamvis contrariam teneat *à numer. 171.* Nec in hoc procedendi modo, datur aliud inconveniens, scilicet, quòd Felix eorum creditorum non sit debitor; nam quoad quotam sui debiti, jam ex mandato Simplicij, factus est debitor.

10 Quod attinet ad secundùm, de solvendo alijs creditoribus à Simplicio designatis pro rata? Respondeo cum communiori, & veriori sententia, posse Felicem, eam eo modo facere distributionem. Ratio est, quia inter creditores personales [quales sunt omnes à Simplicio designati, vt dicitur *numer. 1.*] nulla conceditur temporis prælatio. Vnde quando debitor non est omnibus solvendo pro rata fieri po-

test

rest divisio. Hæc sententia in ipso jure civili fundatur, *l. Privilegia, ff. de privil. credit. l. Si hominem, §. ult. ff. de posit. l. Pro debito C. de bonis author. judic posid.* Illam defendunt *in l. Pro debito citat.* D. Anton. 2 *part. instr. tract. 2. cap. 7. §. 3.* Molin. *tract. 2. de just. disp.* 546. *prope finem*, Lessius *l. 2. de just. cap. 15. num* 18 Vasq. *in Opusc. de restit. cap. 11. dub. 2. num.* 49. Sylvestr. Navarr. & alij, quos affert. & sequitur Castr. Palaus *disp. 1. de just. commut. punct. 18. numer. 5.* Azor Regin. Banès Aragon. & alij, quos refert, & sectatur Bonac. *disp. 1. de restit. q. 8, punct. 2. n.* 18 & 19.

11 Fateor sententiam oppositam esse probabilissimam; fundaturque in illa regul. *Qui prior*, 54. *de Regul. jur. in* 6. & Gloss. ibi, illam intelligit, etiam de prælatione servanda inter creditores, quando res venduntur, ut illis satisfiat. Et cùm hæc dispositio sit juris Canonici potuit S. Pontifex id corrigere. Et illam docent Soar *in Opusc. de Just. sect. 3. num.* 7. Sa, Valent. Gabr. Medin. Salom. apud Rebellum, 2. *part. de oblig just. q* 19 *num.* 11. ubi eam sequitur, & omnes refert; & sequitur Card. de Lug. *dict. disp. 20. de just. sect. 7. num.* 146 *in fine.* At cùm sententia *præcedent i num. allata* sit communior, & verior, & in praxi admissa, & nitatur obligationibus personalibus; ad personam pertinet solvere pauperiori, & illi, qui prius petit sui debiti solutionem, & alia pro rata alijs creditoribus solvere, & illam in præsenti casu Felix amplecti potest.

QUÆSTIO LXXX.

An accipiens pecuniam pro separatione à januâ domus, in quo furtum committendum erat, teneatur ad restitutionem pecuniæ acceptæ, & damni in ea domo commissi?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Tenetur, si ea pecunia erat ex eo furto ibi commisso.*
3 *Si erat ex bonis, seu pecunijs ipsius furti non tenetur post furtum commissum.*
4 *Pactum de taciturnitate sub pecunia, post furtum commissum, pecunia debetur.*
5 *Omni præciso periculo, pecunia accepta post peccatum non debetur.*
6 *Dominicus ob damnum domino domus illatum non debet restitutionem.*
7 *Dominicus positivè non concurrit ad furtum.*

1 PErgens Stephanus ad furtum committendum in certa domo incidit in Dominicum, prope eam domum sedentem; cui suæ iniquæ actionis manifestavit intentum, promittens illi quinque super viginti aureos, si ab eo loco amoveretur. Quæritur, 1. An teneatur Dominicus ad restitutionem illius pecuniæ? 2. An teneatur ad restitutionem damni illati per furtum domino domus.

RESOLUTIO.

2 Quod attinet ad primum, respondeo cum distinctione; Si ea pecunia promissa erat ex furto, in ea domo commisso, tenetur Dominicus eam domino domus restituere. Ratio est, quia ea pecunia erat pars furti commissi: ergo domino domus restitui debet. Ita ut certum docent DD. de accipiente partem furti commissi, ne impediret latronem à furto committendo, propter eandem rationem Bonacin. *tom. 2. disp. 1. de restit. in genere q. 2 punct. 11. num.* 13. Card. de Lug. *disp. 19. de just. sect* 13. *n. m.* 102. *Dian. 3 part. tract. 6. resol.* 58. Tamburin *l. 8. decal. tract. 4. cap. 2. §. 6. numer* 7. & alij quos citat.

3 Si tamen ea pecunia non erat pars furti commissi, sed ex bonis ipsius latronis, probabilius existimo non teneri Dominicum eam latroni Stephano restituere [nam domino domino domus eam restituere non tenetur, ut ex se patet.] Ratio est, quia ex charitate tantùm, & non ex Iustitia tenebatur, ab eo loco, in quo erat, amoveri: obligatio autem restitutionis, non ex virtute charitatis, sed justitiæ debetur. At ante furtum commissum, tenebatur eam non accipere pecuniam, & ab eo loco non amoveri; at post furtum commissum ad eam restitutionem non tenetur: sicut non tenetur fœmina post peccatum fornicationis commissum, quamvis teneretur, ante illud commissum pecuniam acceptam restituere, & desistere à contractu inito, quem absque peccato implere nequit. Ita cum Sot Navarr. & Lessio Card. de Lug. *cit.* 103 & 104. Tamburin. *proximè*, loquentes de accipiente pecuniam à fure de suis proprijs bonis, ne illius furtum impediret. Sic contigit in præsenti casu, in quo data fuit pecunia Dominico, ut à loco, in quo erat, amoveretur; & si amoveri noluisset, furtum non committeretur.

4 Nec obstat primò: nam si Stephanus eam pecuniam Dominico dedisset, ut taceret, tenebatur Dominicus eam pecuniam Stephano latroni restituere, etiam post furtum commissum, ut tradunt Molin *tom. 3. tract. 2. disp. 735. nu.* 3 & Bonacin. *dict. num.* 13 *vers. si verò*: Sed Stephanus fur ex pacto, ut Dominicus ab eo loco amoveretur, dedit dictam pecuniam: ergo post furtum commissum illam tenetur restituere. Non, inquam, obstat, quia respondetur concedendo maiorem, contra Cardin. de Lug. *citat.* & etiam minorem, & negando consequentiam. Dispar rario est: quia pactum de taciturnitate [ut supponunt citat. Doctores) est perpetuum, numquam scilicet,

detegendi illud crimen; sed permittendi perpetuo illam injustitiam; cum vero Dominicus in eo casu, sub peccato mortali ex charitate teneatur curare, ut Stephanus damnum illatum restituat, & si id ad effectum reducere non possit, teneretur furtum detegere. Vnde sequitur, illam pecuniæ acceptionem de peccato futuro, fuisse nullam, ut ipsum pactum. Sicut nulla est pecuniæ acceptio, & contractus nullus, quo fœmina se obligavit sui corporis facere copiam in futurum, vel quoties alius voluerit. Et sicut hæc tenetur pretium acceptum restituere, & contractum rescindere; quia est de peccato in futurum patrando, sic etiam qui contractum inijt de taciturnitate perpetua, tenetur pretium reddere, & contractum rescindere. At in præsenti casu acceptio pecuniæ pro amotione ab eo loco non erat deducta in pactum, ut esset perpetua, sed tantùm pro eo tempore, quo furtum ab Stephano committebatur. Quare bene sequitur, post furtum commissum, eam pecuniam a Dominico retineri posse.

5 Nec obstat secundo, Dominicum per amotionem ab eo loco, in quo erat sedens; nulli se periculo, nec res suas exposuisse: sed ille solus est pretio dignus, qui in se, rebusque suis subit periculum, ut inquit Molin. *citat.* de eo, qui suâ taciturnitate nulli se periculo, aut res suas exposuit: ergo idem de Dominico dicendum. Non, inquam, obstat, quia respondetur, negando minorem, cum Cardin de Lug. *citat. numer.* 104. *vers. Tertiò*, contra Molin. quia necessarium non est, ut amovens, aut tacens, se, aut res suas periculo exponat, ut pretium accipere; vel retinere possit: nam sufficit, quòd ex charitate teneatur impedire furtum, ab eo loco non se amovendo; sic enim magnum subit damnum, contra suam conscientiam, nec aliud consideratur; nam secluso peccato, parvum damnum meretrix ex fortificatione suscipit, & falsus testis à testimonio ferendo, & tamen uterque post peccatum commissum pretium retinere possunt, sic in præsenti casu. Vide Card de Lug. *cit. dict. num.* 104.

6 Quod attinet ad secundum; Respondeo non teneri Dominicum ad restitutionem furti domino domus illati. Ratio est, quia non tenebatur ex officio ab eo loco amoveri, sed tantùm ex charitate: at obligatio restitutionis, non ex peccato, contra charitatem, sed contra justitiam oritur. Non enim ex acceptione pecuniæ, pro amotione ab eo loco, contra justitiam peccavit; nam si absque acceptione pecuniæ, ab eo loco, se amovisset, eodem modo Stephanus furtum commisisset: ergo ex pecunia acceptata, contra justitiam non peccavit. Sic de eo, qui furtum non impedivit, quod ex officio impedire non tenebatur, tradunt cum Soto, & Navarr. Cardin. de Lug. *cit num.* 102 Tambur. *proximè num.* 6. ergo idem de præsenti casu dicendum.

7 Nec obstat dicere, Dominicum ad furtum domino domus illatum positivè concurrisse his actionibus; prima, amotione ab eo loco, in quo erat: si enim ab eo non amoveretur, fur, eo præsente, non auderet ingredi domum eâ parte, qua ingressus fuit. Secunda, acceptatâ pecuniâ; nam si eam non accepisset, fur non committeret furtum; quia ex acceptata pecunia, & petita; & amotionem à loco, & securitatem promisit; & DD. citandi dicunt, teneri, tacentem damnum illatum domino restituere, ex acceptata pecunia, securitatem ad furtum præbente. Petr. Navarra *l.* 3. *de restit. cap.* 4 *num.* 132. Salon *pag.* 272. Less *l.* 2 *de just. cap* 15 *dub.* 10 *num.* 68 Dian. 3 *part. tract.* 6. *resol* 58 ergo etiam tenebitur Dominicus ex amotione à loco, & ex securitate ob pecuniam promissa. Non, inquam, obstat, quia Dominicus ijs actionibus ad furtum positivè non concurrit: si enim in eo loco, non esset, ad furtum positivè non concurrebat: ergo nec etiam amovendo se ab eo loco, propter pecuniam; nec ob securitatem ex pecunia acceptata, concursus fuit positivus, quia si ex precibus fuisset promissa, concursus non esset positivus: ergo nec ex pecunia: ergo cùm non concurrerit positivè ad damnum illatum, non tenetur.

QUÆSTIO LXXXI.

An uxor mortuo marito, teneatur privignæ, jam dote solutâ, restituere, quæ sibi à marito donata fuerunt?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Vxor defuncti filiastræ, amplius tradere non tenetur.*
3 *Fines debiti excessit.*
4 *Alia poterat sibi retinere.*
5 *Donationes uxori a marito in vita facta, si in vita non revocentur, per mortem confirmantur.*
6 *Conditiones ad has donationes, intervenerunt.*
7 *Donatio uxori facta non fuit simplex, & pura.*
8 *Obsequia ab uxore marito facta, remuneratione erant digna.*
9 *Donationes remuneratoriæ diminutionem non patiuntur.*
10 *Nec dubium ingerit, filiam esse heredem necessariam.*
11 *Non requiritur publica, ad conventiones inter patrem, filios, & uxorem scriptura.*

1 SAlvator vidicus filiam unicam matrimonio collocavit, dotem illi constituens trecentorum millium regalium Lusitanorum; & statim illi ducenta, & quinquaginta millia tradidit. Non post multum temporis, secundas nuptias cum Maria quadraginta trium annorum celebra-

celebravit, ex qua nullos suscepit filios. Continua infirmitate, & morbis incurabilibus laborabat; uxorque amore, curâ, & solicitudine, nulli parcens labori, obsequium præstabat. Hæc ab illo catenam auream, valoris decem millium regalium petijt, & obtinuit. Ipseque Salvator in utriusque vita residuum dotis dictæ solvit. Post illius obitum ab intestato, dictæ filiæ quadraginta supra quinque millia regalia tradita sunt, manentibus uxori Mariæ septuaginta supra quinque; quia maritus in vita illi excessum omnium suorum donaverat bonorum, qui dote solutâ, supererat. Considerabatur, dictam filiam immediate bonorum suæ matris, cujus hæres extiterat, esse dotatam; & extra legitimam à patre debitam, plus habere non posse, quam illa, quæ sibi à patre, dum vitam agebat, donata fuerant, sive partitiones tempore, quo dos fuit constituta, fierent, sive post mortem parentis, juxta *Ordin. Reg. l.* 4. *titul.* 97. § 4. Nec dicta filia, aut ejus maritus aliud intentarunt, nolentes ad collationem, cum dote recepta, venire, juxta Ordin. *citat.* §. 3. quando dos, nec legitimam, nec tertium excedit. Nec uxor Maria eos provocavit. Quæritur, An Maria tutâ conscientiâ, esse possit, cum eo residuo suæ medietatis, eo quòd Salvator suus maritus ante mortem sibi dixerat, quod post suam mortem cum omnibus domi contentis, clauderetur; & suæ filiæ nihil traderet, quia abundè, & affluenter illi ab eo donatum est.

RESOLUTIO.

2 Respondeo, posse, Mariam esse in conscientia tutam, suæ priviguæ non plus tradendo, ut ex sequentibus rationibus certò constat. Prima, nam dos jam integrè erat soluta, ampliusque non debetur. Secunda, quia quamvis filiastra sit hæres legitima, & necessaria medietatis bonorum sui parentis defuncti ab intestato, cùm Maria ipsius parenti nupserit, per chartam medietatis bonorum, juxta Regni consuetudinem, ut dicitur *Ordin. Reg. l.* 4. *tit.* 46 & in acervo bonorum tempore mortis mariti, centum supra viginti millia regalia reperiebantur; & si huic acervo bonorum quinquaginta millia regalia adduntur, quæ post matrimonium consummatum, doti adhuc integrè non completæ, soluta fuerunt; quod debitum Maria ignorabat quando cum Salvatore matrimonium contraxit, illi ex eo acervo debebantur quinque supra septuaginta millia regalia; ut colligitur ex *Ord. Reg. l.* 4. *tit.* 95 § 4. & docent Molin. *tract.* 2. *disp.* 422. *Vers. item si aliquis*, Gama *decis.* 366 *numer.* 6 Rebell. *de obligat. just.* 2. *part. l.* 6 *quæst.* 2. *numer.* 1. Valasc. *consult.* 118 *numer.* 10 & *de partit. cap.* 23. *à numer.* 11. Petr. Barbos & alij, quos refert, & sequitur Emman. Barbos. *in Remiss. ad citat. ord. numer.* 1. Addit Molin. *citat.* hæc verba: *Illud adderem, quia ita debitor extitisset, nec illud detexisset ante matrimonium contractum, teneri alteri conjugi ad damna, & decrementa, etiam lucri cessantis, quæ ea de causa fuerint subsequuta*, Sic Molin. Et Mariæ damnum, decrementum, & lucrum cessans subsequutum fuit; nam Salvator ad solvenda ea quinquaginta millia regalia, ex dote debita, fundum vendidit; & ultra hæc ipsa Maria filiastræ tradidit, post mortem sui mariti, ex eo bonorum acervo quadraginta, supra quinque millia regalia; & pro sua medietate residuum sibi assumpsit, scrupulosa manens, quia adhuc in sua medietate dabatur excessus quindecim millium regalium; at excessit fines debiti, ut ex dictis constat, & constabit ex dicendis.

4 Tertia ratio, quia mentione non factâ de dicto debito, adhuc Maria illa quindecim millia regalia suam bonorum medietatem excedentia, retinere poterat. Ratio est, quia illa, per donationem mariti, illius morte sequutâ, fuerunt acquisita; & tertium de quo maritus testari, aut disponere poterat, non excedebant: ergo ea donatio pro foro conscientiæ, valida erat.

5 Nec obstat dicere, eam donationem fuisse irritam, utpote factam per maritum uxori; nam ex ipso jure, & DD. constat, donationes inter conjuges esse prohibitas, ac si à principio non valerent; ex jure *in l.* 1. *& per totum Cod. & ff. de donat. inter virum, & uxor.* & DD. cum pluribus Castr. Palaus *tom.* 7. *disp.* 2. *de just. commut. punct.* 25. §. 1. *num.* 1. & Fragos. *tom.* 3. *disp* 4. §. 1. *numer.* 1. Non, inquam, obstat, quia respondetur primò, eas donationes, nec revocari, nec irritari; si post factas, ex illis filius non nascatur, ut habetur in *Ordin. Reg. l.* 4. *titul.* 65. *in principio.* Respondetur secundò, eas donationes, si in vita non revocentur, per mortem confirmari, dummodo filij suam necessariam habeant legitimam, expresè habetur, *Ordin. Reg. cit.* §. 1. & 2. Addo ex eadem *Ordin.* §. 3. eas donationes, in vita posse esse validas, si ex illis, nec vir, nec uxor facti sint ditiores, aut pauperiores, nec filijs legitimæ necessariæ deficiant. Et quòd hæ donationes morte confirmentur tradunt DD. communiter. Videantur Castr. Palaus *cit.* § 2 *per totum*, Fragos. *proximè à numer.* 6 *Vers. Dictum est*, & alij, quos citant. Sed post donationes factas à Salvatore suæ uxori Mariæ, nulli eis nati sunt filij, nec in vita sunt revocatæ, nec filiæ legitimæ dos, & legitima necessaria defecit: potest ergo Maria illud residuum, tutâ conscientiâ retinere.

6 Scio, aliquos DD. communi consensu, ad confirmationem hujus donationis, quatuor requirere conditiones, quæ in præsenti casu intervenerunt. Prima, ut in vita donatoris detur realis traditio rei donatæ.

Quæ data fuit; nam Maria in vita Salvatoris sui viri catenam auream accepit, & retinuit, & alia bona per illa verba donata: *Quòd cum omnibus bonis in ea domo contentis clauderetur, & suæ filiæ nihil traderet, quia abundè, jam ab eo illi donata sunt.* Secunda, quòd conjux donans, præmoriatur. Sic contigit. Tertia, ne donans in vita donationem revocaret. Ex dictis constat. Quarta, ut donatio quingentos aureos sine insinuatione non excedat, ut expressè habetur *Ordin. Reg. cit. dict.* §. 1. Et non excessisse, patet ex dictis. De his vide Castr. Palaum, & Fragos. *locis citat.* plures adducentes, & Molin. *tract. 2. disp.* 289. *vers. Illud observa, & seqq.* Tamburin. *l. 8. de matrim. tract. 7. cap. 2. §. 1. num. 22.*

7 Quarta ratio, qua ostenditur dictam donationem fuisse validam, est; quia non fuit pura, & simplex, de qua loquuntur leges & DD. Castr. Palaus *citat. dicta disput. 2. punct. 25. §. 7 numer. 1.* cum pluribus latè citat. Sed fuit donatio remuneratoria: quia Maria in ea continua Salvatoris infirmitate, illi amore, & curâ medebatur, & inserviebat, acsi esset, non conjux, sed ancilla; Et donatio hac de causa exhibita, statim est valida. Sic Sanch. *l. 6. de matrim. disput. 6. a numer. 2.* Rebell. *de obligat. just. part. 2. l. 6. q. 13. numer. 2. & l. 1. q. 8. numer. 45.* Fragos *dicta disput. 4 § 1. num. 9. vers. Secundo valet*, Tamburin. *proximè à num. 20.* & alij plures, quos affert Emman. Barbos. *in Remiss. ad cit. §. 3. Ordin. l. 4. tit. 65 numer. 5.*

8 Nec obstat, dicere, ea omnia obsequia, seu servitia à Maria suo marito in ijs ægritudinibus præstita esse debita: quia non erant divites, & ancillam, aut famulam habere non poterant, & in his circunstantijs ad ancillæ, seu famulæ ministeria Maria tenebatur. Non, inquam, obstat, quia respondetur cum Sanch. *citat. numer. 14. Vers. similiter*, ibi: *Similiter erunt obsequia remuneratione digna, licet alias debita, si essent impensa diutissime, & magnâ curâ, in gravi, & longa agritudine patris, vel viri, &c.* Quid clarius ad præsentem casum. Vide etiam Castr. Palaum *citat.*

9 Ex his collige, remunerationem in præsenti casu passuram non esse diminutionem ad legitimam integrandam, nisi prius fiat in tertia bonorum diminutio, ut habetur *Ordin. citat. §. 3* & apud Rebell. & Emman. Barbos. *locis citat.* & Dian. *part. 1. tract. 8 resol. 84 citatis* Ortis, Homob. Fernand. Et Rodrig. asserit, posse parentem, donationibus remuneratorijs, filiorum legitimas minuere. Nec præsens remuneratio excessit merita à Maria præstita; nam obsequia per plures durarunt annos; & donatio viginti, aut triginta millia regalia non excessi. Videatur Sanch. *dict. disput. 6. a numer. 6. usque ad* 10. Ex his tribus rationibus apertè constat, Mariam in nihilo suæ filiastræ esse debitricem; imo potius filiastra plus accepit, quam accipere debebat.

10 Nec adhuc obstat, salvatorem ab intestato mortuum fuisse, habentem filiam legitimam, sui hæredem necessariam, & in his terminis illi debebat fieri restitutio medietatis bonorum ad patrem pertinentium: ergo Maria nullum residuum sibi poterat appropriare. Non, inquam, obstat, quia respondetur, juxta dicta, secundâ ratione *numer. 2.* Mariam non remansisse medietatis bonorum residuum. Et juxta tertiam *num. 4.* valida fuit donatio bonorum Mariæ à Salvatore facta, quæ absque testamento, in foro conscientiæ erat valida; vide dicta *supra q. 64. a numer. 3.* Et juxta quartam rationem *num. 7.* etiam constat; nihil deberi filiastræ, in utroque foro, & maximè in foro conscientiæ, quod consultò postulatur, & non aliud.

11 Nec denique obstat, dicere, eam donationem fuisse nullam, quia scriptura publica, ad illam non intervenit, quæ requirebatur juxta *Ordinationem Reg. l 3 tit. 59 in principio.* Non, inquam, obstat, nam Ordin. illam requirit, quando donatio, in mobilibus sexaginta millia regalia superat, at præsens illa non attingebat. Addo, scripturam publicam non requiri ad conventiones inter patrem, & filios, & uxorem, & virum, ut dicitur *cit. Ordin. §. 11.*

QUÆSTIO LXXXII.

Quantum teneatur restituere Parochus febri quartana laborans, certis diebus per triennium non residens?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Obtenta à Prælato licentia in scriptis, potest ab Ecclesia abesse; & probabile est, sufficere, si sit ore tenus concessa.*
3 *Non obtenta licentia, probabile est non teneri ad restitutionem pro tempore bimestri à Concilio concesso, probabilius oppositum.*
4 *Absens à Parochia, ea de causa, post tempus a Concilio designatum, bona fide sine licentia; probabile est, nec culpam, nec pœnam incurrisse.*
5 *Oppositæ sententiæ fundamentum dissolvitur.*
6 *Extra tempus a Conc. designatum, absque licentia absens, pro rata ad restitutionem tenetur.*
7 *Non excusatur a Residentia ex causis assignatis.*
8 *Non tenetur ad restitutionem fructuum industrialium.*
9 *Tenetur tantùm ad restitutionem fructuum, Residentia correspondentium.*
10 *Restitutioni, ex non residentia, debitæ non satisfacit expensis factis, in ædificatione domus Residentia.*
11 *Pro singulis annis duo menses designantur, &*

& non pro omnibus simul.

12 *Non satisfacit pro exhibitis jussu visitatoris, etiam si sint supervacanea.*

13 *Restitutio debita, pro non residentia, non fit consanguineis pauperibus alterius Parochiæ.*

14 *Bona fides à restitutione liberat.*

15 *Per Bullam, non fit compositio, circa fructus debitos à non residentibus.*

16 *Habetur in ipsa Bulla, & DD.*

1 DOnatus febri quartana laborans, per tres vices in triennio, in sua parochia non resedit, ultra bimestre à *Concil. Trid. sess* 23. *de reform. cap.* 1. concessum. In primo de licentia Prælati, per mensem. In secundo, per dies viginti; in tertio, per duodecim dies, in utroque absque Prælati licentia. Quæritur 1. An pro absentia dictorum dierum, in illo biennio ultra duos menses à jure concessos, ex redditibus, quos suos non fecit, teneatur pro rata restituere? 2. An pro restitutione, sufficiant expensæ in domo Residentiæ ædificandæ factæ, computatione factâ cum illis, qui duas decimarum partes recipiunt, ille tantùm tertiam recipiens? 3. An compensare possit tempus absentiæ unius anni, cum altero, in quo non abfuit, providendo sibi, ex duobus mensibus à jure concessis? 4. Si compensare sibi possit, in dictis diebus absentiæ cum impensis factis, mandatis visitatorum, rerum supervacuarum. 5. An ex fructibus non factis ex non residentia, consanguineis pauperibus ex altera Parochia, subvenire possit? 6. An bona fides eum à restitutione liberet? 7. An super ipsos fructus, per Bullam Cruciatæ, se componere possit.

RESOLVTIO SUMMARIA.

2 Respondeo, potuisse Donatum, licentiâ in scriptis à suo Prælato obtentâ, abesse à sua Parochia, ex causa quartanarum; ut communiter sentiunt DD. Bonac. *volum.* 1. *tract. seu disput.* 5. *de oner. & obligat. benefic. punct.* 1. *numer.* 1. Castr. Palaus id supponens *tom.* 3. *tract.* 13. *disp.* 5. *punct.* 5. *numer.* 3. *versus finem.* Barbos. *de potest. Episc. part.* 3. *alleg.* 53. *numer.* 90. *in fine, & in Collect. ad Trident. citat. dict. sess.* 23. *de reform. cap.* 1. *numer.* 56. Abreus *de Paroch. l.* 3. *cap.* 7. *numer.* 44. & omnes. Et quamvis licentiam nō in scriptis, sed ore tolum obtinuerit, probabile est, pro foro conscientiæ sufficere, ut inquit Bonacin. *cit. punct.* 14. *numer.* 12. *in fine, & punct.* 5 *numer.* 17. & Lessius *l.* 2. *de just. cap.* 34 *dub.* 29. *numer.* 158. licèt oppositum teneant Sanch. *l.* 6. *decal. cap.* 16. *numer.* 31. *in fine*, & alij communiter.

3 Donatus licentiam, pro secunda, & tertia vice, non obtinens, ad restitutionem absentiæ bimestri, à Concil. concessæ, non tenetur. Sic Bonacin. *cit. punct.* 4. *num.* 9. & pluribus relatis, Castr. Palaus *proximè punct.* 5. *numer.* 3. quamvis oppositam sententiam, dicat, omnino securam. Eamdem nostram resolutionem tuentur Barbos. *de potest. Episc. cit. dict. alleg.* 53. *numer.* 23. *& in Collect. ad cit. cap. Trident. numer.* 22. cum pluribus, Abreus *citat. cap.* 6. *numer.* 36. Opposita sententia est communissima, ut videre est apud *citat* maximè apud Castr. Palaum. Illam defendunt Sanch. *l* 3. *de matr. disp.* 3. *numer.* 11. *Vers. Hoc autem*, & alij plures apud ipsum.

4 De alijs verò diebus, quibus post bimestre abfuit, existimans bonâ fide, se habuisse legitimam causam ad eam absentiam, quia aderat eadem, quæ dabatur, quando prima vice, per mensem a Prælato fuit dispensatus; maius dubium est? Dicendum tamen existimo probabile esse, in foro conscientiæ, nec culpam, nec pænam amissionis fructuum incurrisse, sicut illa non incurreret, professionem fidei non emittens, ut tenet Garcia *de benef. part.* 3. *cap.* 2. *numer.* 36. Vide *dicenda q seq. in fine.*

5 Nec obstat Castr. Palaus *dict. punct.* 5. *numer.* 5. cum Garcia *proximè numer.* 34. asserentes, absolutè non posse Parochum ultra bimestre, absque licentia abesse, etiam si causa absentiæ sit notoria: tum quia non potest ultra bimestre vicarium designare; tum quia à Concilio cavetur, ne absque gravi necessitate, licentiam ultra bimestre in scriptis, & gratis concedendam, obtineat. Non, inquam, obstat, prima ratio Castr. Palai; quia si Parochus potest pro bimestri vicarium designare, ut inquit *dict. punct.* 5. *numer.* 3. etiam illud designare poterit, per viginti, aut duodecim dies ultra bimestre: sufficit ergo, quòd in sua absentia Parochus substituat sacerdotem generaliter approbatum, ad audiendas confessiones omnium personarum, in ea Diœcesi, & territorio, ut, ait Abreus *cit. cap.* 8. *numer.* 62. ibi: *Si tamen teneamus sententiam probabilem, de qua capit.* 6. *quod ad absentiam ordinariam duorum mensium, non sit necessaria licentia Episcopi; etiam credo, non requiri, quòd substitutus ab Episcopo approbetur; dummodo alias approbatus sit ad excipiendas confessiones in ea Diœcesi, vel territorio. Quia Concil. ait: Quandocumque eos causâ prius per Episcopum cognitâ & probatâ abesse contigerit, vicarium idoneum ab ipso Ordinario approbandum cum debita mercedis assignatione, relinquant: ergo si dicamus ad absentiam duorum mensium, non requiri Episcopi licentiam, causâ prius cognitâ, & probata per ipsum; etiam non requireretur, quod ipse Vicarium idoneum approbet, cum Concil. id requirat, quando Episcopus causam cognovit, & approbat.* Sic Abreus Et sane rectè. Vide etiam *num.* 63 ubi hoc implicat. Et cùm

Donatus, in designando sacerdote universaliter approbato ad excipiendas omnium confessiones in illa Diœcesi, culpam nec pœnam incurrerit. Ad aliam rationem Castr. Palai, jam ex Garcia adductam, patet solutio. Ex dictis ad casum præsentem, constat resolutio. Si tamen Donatus adhuc angitur scrupulis, quia in sententia opposita pro rata debet restituere fructus, quos suos non fecit, in absentia illorum triginta, & duorum dierum in uno, & altero anno, jam ad sua quæsita respondeo.

RESOLUTIO SPECIALIS.

6 Ad primum quæsitum, in quo petitur; An pro absentia dictorum dierum in illo biennio, ultra duos menses à jure concessos, ex redditibus, quos suos non fecit, teneatur pro rata restituere? Respondeo teneri ante judicis sententiam. Ratio est, quia licet ex legitima causa absens fuerit, cùm tamen ad eos dies, licentiam à Prælato non obtinuerit; fructus, pro rata illorum dierum, non fecit suos. Sic cùm Garcia Castr. Palaus *tom.* 3 *tract* 13 *de benef. Eccles. disp.* 5 *punct.* 5 *numer.* 7 Bonac. *volum* 1. *tract seu disp.* 5. *de oner. & oblig. benef punct* 4 *numer.* 7. Abreus *de Paroch l.* 3. *cap.* 10. *num.* 74. & 75. & supponunt omnes.

7 Nec obstat, dicere, habuisse legitimam causam, non residendi, per illos dies. Non, inquam, obstat, quia respondetur primò, licentiam, ut formam esse à Concil. requisitam. Secundò, infirmitatem febris quartanæ non esse causam non residendi sufficientem. Sic Barbos. *in collect ad Trident. cit num.* 59. loquens de infirmitate in communi, citansque Armendar. asserentem, ita fuisse decisum. Nec refert Prælatum primo anno, & eâdem infirmitate, licentiam per trimestre concessisse; quia id fecit, sperans ea loci mutatione, sanitatem recuperaturum amplius licentiam non concessurus; nec censetur data, nisi petita, & concessa, Barbos. *cit. num.* 65 Castr. Palaus *proximè*.

8 Non tenetur tamen Donatus ex industrialibus fructibus restituere; quales sunt, qui percipiuntur ex concionibus, cantu, celebratione Missarum, &c. Nec etiam ex illis emolumentis, quæ communiter dicuntur incerta, ut sunt, quæ acquiruntur pro funere, pro sepultura, pro baptismo, & similibus, quæ nomine fructuum, non veniunt. Sic Abreus *cit. num.* 76

9 Adverto tamen, probabiliter non teneri Donatum ad restitutionem omnium fructuum absentiæ illorum dierum pro rata, sed illorum, qui ratione residentiæ percipiuntur. Ratio est, quia fructus à Parocho percipiuntur his titulis: primò, ob recitationem divini officij. Secundo, ob residentiam. Tertiò, ob sacramentorum administrationem. Et cùm Donatus officium recitasset; solùm tenetur alias duas, aut tres partes restituere. Sic ex Bonac. *dict. disp.* 5. *punct.* 4. *num.* 5. & *de horis Canon. disp.* 1. *q.* 5 *punct.* 3 *num.* 2. & alij non pauci. Vide *dicenda q. sequent. a num.* 2. Unde infertur, si Donatus substituto, à se relicto, stipendium solvit; solùm videtur teneri tertiam partem restituere; & consentire censetur Abreus *cit. num.* 79 *in fine*.

10 Ad secundum quæsitum, in quo postulatur: An pro restitutione residentiæ non factæ, sufficiant impensæ, in domo residentiæ ædificandæ, exhibitæ, computatione factâ cum illis, qui duas decimarum partes recipiunt; cùm ille tantùm tertiam recipiat? Respondeo, non sufficere. Ratio est, quia *Trid dict sess.* 23. *de reform. cap* 1. præcipit, quòd fructus residentiæ defectu, fabricæ Ecclesiæ, & non beneficiorum restituantur fabricæ, domus autem residentiæ, non est Ecclesiarum fabrica, sed beneficij. Et æquum non est, quòd donatus, qui tenetur ad residentiam, restituat dies absentiæ, Ecclesiæ, sicut restituunt recipientes duas partes decimarum, qui ad residentiam non tenentur. Hæc ratio magis patebit ex dicendis *q. seq. num* 5.

11 Ad tertium, in quo inquiritur: An compensare possit duos menses à Concil. concessos unius anni, in quo non abfuit, cum alijs duobus mensibus alterius anni, in quibus non residet? Respondeo, non posse, nam illi duo menses pro singulis annis a Conc. Trident. sunt designati, & non pro alijs annis. Et id ostendit vera ratio: nam illi duo menses pro parochis in singulis annis pro modico à Concil. reputatur, ut inquit Castr. Palaus *dict. disp.* 5. *de benefic. Eccles. punct.* 5. *numer.* 3. & vult Concil. hoc tempus non excedi, & si excedatur, jam non pro modico reputabitur: ij enim duo menses sunt pro quolibet anno; sicut quantitas duarum unciarum cibi communis non frangit jejunium Ecclesiasticum ut tenet Dian 5. *part. tract* 5. *resol.* 11. & alijs in locis; mortaliter tamen peccabit, & jejunium franget ille, qui uno die jejunij illas non sumit, si in alio die jejunij, illas, cum alijs duabus, quæ per se solas, jejunium non frangunt, sumat; quia illa quantitas parva est pro singulis diebus, sicut duo menses sunt pro singulis annis, & sicut in illis compensatio dari non potest, sic nec in istis.

12 Ad quartum, in quo petitur: An cum illis (& equidem non semel supervacaneis) quæ in Visitationibus fieri jubentur, debitis residentiæ satisfacere possit? Respondeo primò, non posse, quia uni debito, altero diverso, non satisfit. Secundo, quia non præsumitur supervacaneum, quod à Visitatore fieri mandatur, nisi probetur.

13 Ad quintum, in quo quæritur: An consanguineis alterius parochiæ pauperibus, ea, quæ ex absentia debet, elargiri possit? Respondeo, non posse; expresè definitur in Concil. Trid *cit. loco*, ibi: *Fabricæ Ecclesiarum, aut pauperibus loci* Et sicut Episcopus ob non residentiam Ecclesijs suæ Diœcesis, & illarum pauperibus

peribus restituere tenetur, sic Parochus Ecclesiæ sui beneficij, & illius pauperibus. Etsi non dentur pauperes intra limites parochiæ, adhuc pauperibus extra limites, elargiri nequeunt; sicut etiam si Ecclesia beneficij non indigeat, alteri non sunt applicandi ij fructus, sed congerendi, quia Ecclesia indies indigere potest. Sic Palaus *cit.* §. 3 *num* 5. Garcia *pert.* 3. *de benef. cap.* 2. *num.* 31. Barbos. *de potest. Episc, dict. allegat.* 53 *num.* 103.

14 Ad sextum: An bona fides Donatum à restitutione liberet? Respondeo liberare, in foro conscientiæ, non tamen in foro externo, ut *num.* 4 cum Gracia *proximè num.* 36. dictum est. Addo, cum Barbos. *cit. dicta alleg.* 53. *num.* 100 & Zequio; et Vega apud Garciam *num* 20. Parochum ex rationabili causa absentem, non teneri ad restitutionem, quamvis peccet contra obedientiam, licentiam à Prælato non poltulans. Vide *q. sequent. in fine.*

15 Ad septimum, in quo quæritur; An per Bullam Cruciatæ componere se possit super ipsos fructus, suos non factos? Respondeo, non posse: constat ex *ipso Trid. loco cit.* ibi: *Prohibita quacunque conventione, vel compositione, quæ fructibus malè perceptis appellatur; ex qua etiam prædicti fructus in totum, vel pro parte ei remitterentur; non obstantibus quibuscunque privilegijs, cuicunque collegio, aut fabricæ concessis.*

16 Nec obstat, quod Bulla Cruciat. non venit nomine Collegij, nec fabricæ, sed ad defendenda Africæ loca, & mare à fidei hostibus. Non, inquam, obstat, quia ibi dicitur: *Prohibita quacunque conventione, vel compositione*, quæ verba, cùm sint absoluta, & generalia, etiam compositionem per bullam prohibent. Sic cum communi Garcias *cit. numer.* 30. *citato* Rodrig. Cardin. de Lug. *tom* 1 *de just. disput.* 21. *num.* 12. Tambur. *in Bull. Cruc cap.* 18. §. 4. *num.* 5 Fragos. *in* 2. *part. Reip. Christ. disp.* 17. *num.* 46. & citat Vasq. Barbos. & Lessio Castr. Palaus *dict.* §. 3. *num.* 3. *in fine.* Vide *p. sequentem.*

QUÆSTIO LXXXIII.

An Parochus, diebus festis tantùm residens, teneatur ad restitutionem, licèt per sententiam adversus illum latam, non sit condemnatus?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *A residentia quatuor causæ liberant, quæ in præsenti non dantur.*
3 *Non liberat assistentia ad negotia parentis gerenda.*
4 *Poterat Eusebius, ad ea negotia gerenda, abesse singulis annis per duos menses.*
5 *Non excusatur, quia domus Residentiæ, reparatione indigebat.*
6 *Nec etiam excusatur, quia per sententiam ad restitutionem non fuit condemnatus.*
7 *Nec excusatur, quia diebus Dominicis, & festis astitit, celebrando Missas, & sacramenta administrando.*
8 *Nec excusatur, quia antiquitus in eo oppido, in quo assistebat, parochi residebant.*
9 *Parochus non habetur pro residente, absens à sua Parochia, per tria, aut quatuor milliaria.*
10 *Nec excusatur, quia Parochia, ex sua absentia, nullum passa fuit detrimentum.*

1 EUsebius Parochus, pro stipendio habens, quinque supra triginta aureos, per quatuor annos non residit, his de causis. Prima, ob assistentiam ad negotia sui parentis, cui duo homicidia imputabantur. Secunda, quia domus Residentiæ reparatione indigebat. Tertia, quia latâ adversus eum sententiâ, ad restitutionem non fuit obligatus. Quarta: Quia suæ Parochiæ semper servivit, sacramenta administrando, Missam diebus Dominicis, & festis, Parochianis celebrando. Quinta; quia abhinc quadraginta annis, huic Parochiæ per Parochos residentes, in eo oppido, quo negotia patris gerebat, serviebatur, distante per leucam à Parochia. Sexta, quia ex sua absentia, detrimentum non passa fuit parochia, nam repentinis casibus Parochi vicini succurrebant. Quæritur 1. An ob has causas à restitutione sit liber? 2 An restituere debeat totum suum stipendium, singulis annis, non residens? 3 An satisfecerit impensis factis pro domus Residentiæ reparatione; ad quam non tenebatur, sed decimarum receptores? 4. An possit dictum stipendium sibi tanquam pauperi applicare; quia ex illo, & altaris ministerio vix centum aurei complentur? 5. An possit, ex dicto stipendio partem duobus mensibus, in singulis annis à Concil. concessis correlpondentem, sibi retinere.

§. I.

An Eusebius ex sex causis *num præcedenti* designatis, à restitutione pro non residentia sit liber?

2 Respondeo, non esse. Ratio est, quia à residentia solùm liberant quatuor, aut quinque causæ, dato consensu Papæ, aut Episcopi, scilicet: Christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, evidens propriæ Ecclesiæ necessitas, evidens Reip utilitas, ut dicitur in *Concil Trident. sess* 23 *de reform cap.* 1. at nulla ex causis *num.* 1. *assignatis*, continetur in his, quæ a Concil designantur, ut videre est in explicatione, quam de illis adducunt Barbos. *de potest. Episc. alleg* 53 *à num.* 6. *& in collect. ad citat. Trident locum a num.* 7 Bonac. *volum.* 1. *disp.* 5. *de obligat. beneficiat. punct* 5. *a num.* 1. Abreus *de Paroch. l.* 3 *cap* 7 *a num.* 40. Castr Palaus *tom* 2. *tract.* 13. *de benef Eccles. disp.* 5 *punct* 4 *num.* 4 & alij plures, quos afferunt. Nec ad eam abien-

tiam, dato, quòd aliqua ex his causis esset sufficiens, Eusebius licentiam in scriptis ab Episcopo obtinuit, quòd erat necessarium juxta *Trident. cit* & tradunt Barbos *in Collect. ad cit. Trident. à numer.* 65 & alij *supra allati.*

3 Nec etiam manet liber à dicta restitutione per quamlibet ex assignatis, ut constat discurrendo per illas. Non ex prima, nam distantia ab oppido, in quo parentis negotia gerebantur, non erat tanta, ut non potuisset aliquando ire ad illud oppidum, & moram in eo faciendo per aliquas horas, statim reversurus ad suam parochiam, dum in aliquo parochiano, non suberat periculum, decedendi absque sacramentis. Si enim potest usque ad meridiem abesse, dum officia, aut anniversaria defunctorum in vicinis parochijs celebrantur, illis assistens, quin residentiæ deficiat; sic etiam poterat ad id oppidum unam leucam distans, quin suæ residentiæ deesset. Nec hæc absentia mortaliter peccaminosa reputabitur, ut inquit Bonac. dict. *disp. 5. de obligat. beneficiat. punct. 1. numer. 5.* Imo Castr. Palaus *cit. punct. 5. num. 2.* Barbos. *de potest. Episc. dict. allegat* 53. *numer.* 106. & alij citat. Abreus *supra addictus cap. 5. num.* 28. existimant, posse Parochum pro una, vel altera die feriali, à sua parochia abesse, nullo constituto vicario, quando nullus in parochia est infirmus.

4 Addo, potuisse Eusebium abesse, per illos quatuor annos, in singulis illorum duobus mensibus *à Concil. Trident.* permissis, absque licentia Episcopi juxta probabilem opinionem, ut *q. præcedenti numer.* 3 dictum est cum Castr. Palao *dict. punct. 5. numer.* 3 & alijs, per dies interpollatos, & non continuatos, ut facere poterat; & communiter docent DD. ut videre est, apud Abreum *cit. cap. 6. num* 32. non excedendo spatium duorum mensium, in quolibet anno: sic enim residentiæ non deerat, nec parentis negotijs: nam hæc pro omnibus diebus totius anni, non urgebant, & cum singulis diebus interpollatis bimestris permissi, utrique satisfacere obligationi.

5 Nec etiam liber evadebat ex secunda causa, nempe; quia domus Residentiæ reparatione indigebat: tenebatur enim aliam intra limites parochiæ conducere, ut dicunt Garcia *de benef. part* 3. *cap. 2. num.* 179. *in* 24. *declar.* Castr. Palaus *cit punct* 2. *num.* 2 Barbos. *de Poroch. part.* 1. *cap.* 8 *num* 36. Abreus cit. *cap.* 3. *num.* 15. & alij; Præter quam quòd poterat ad Vicarium generalem recurrere, ut domus damnificata repararetur ab illis, qui decimas recipiebant, quando sponte eam reficere, renuerent.

6 Nec tertia causa à restitutione liberum reddit Eusebium. Nam licèt lata sententia ad restitutionem eum non condemnasset, non tamen per eam à restitutione fuit absolutus; & *Concil. Trident. loco cit.* eum privat, pro rata absentiæ, omnibus fructibus ipso facto ammittendis, absque alia declaratione. Vt pluribus allatis tenent Castr. Palaus *cit. punct.* 3 *num.* 3. Abreus *cap.* 10. *num.* 74. Et adeo strictè hæc à Concil. jubentur, ut nulla in his fructibus, locum habeat compositio, ut *q præced. numer.* 15. *dictum est.*

7 Nec quarta causa eum à restitutione excusat, dicentem, se fuisse præsentem omnibus Dominicis, & diebus festis, Missas celebrantem & sacramenta administrantem; nam extat S. Card. Congreg. declarans, non sufficere eam præsentiam, ut videri potest, apud Barbos. *de potest. Episc. dicta allegat.* 53. *num.* 76. Garcia *cit. dict. n.* 179. & Abreum *proximè cap.* 3. *num.* 15.

8 Nec per quintam excusatur: nam quamvis eæ parochiæ abhinc quadraginta annis à Parocho serviretur, residente in eo oppido, in quo ipse Eusebius patris negotia gerebat, distante à parochia per unam leucam; ea tamen consuetudo per Episcopum fuit extincta & ablata; qui poterat Parochos compellere, ad residendum in parochia; quia per S. Card. Congr. non possunt Parochi in loco distanti, per sex milliaria, residere; ut tradunt Barbos. *cit. dict. alleg* 53 *num.* 76. *in fine* Garcia *dict. cap.* 2. *num.* 179. *in* 17. *declarat.* Abreus *cit cap.* 3. *n* 18.

9 Nec obstat, quòd oppidum, in quo per illos quatuor annos resedit Eusebius non per sex milliaria, sed per tria milliaria & quadringentos passus, [quibus constat leuca Lusitana,] à Parochia distabat. Non, inquam, obstat, nam Parochus distans à sua parochia per tria, aut quatuor milliaria, non habetur pro residente in sua parochia, quamvis ad illam accedat singulis diebus Dominicis, & festis, ut fatentur Barbos *proximè num.* 74. Bonac. *cit. punct. 1. num.* 4 Garcia *loco cit.* Abreus *num* 18 & alij apud ipsos. Nec S. Card. Congr. definivit residentiam sex milliarium, ut terminum residentiæ, sed Parochum condemnavit, ad residendum in parochia, existimantem, cum habitatione per distantiam sex milliarium residere. Quanta autem distantia sufficiat, ut Parochus dicatur residere? Respondeo, sufficere illam, quæ milliarium non excedat: qui enim per unum milliarium a parochia distat, in illa moraliter censetur residere. Sic cum Thesaur. Dian. *part.* 10 *tract.* 14 *resol* 67. Castr. Palaus *dict. punct. 2 num.* 2. Abreus *dict. cap.* 3. *numer.* 14. & idem videntur sentire, asserentes habitationem, ita debere esse propinquam parochiæ limitibus, ut in illa habitare judicetur.

10 Nec per sextam causam à restitutione, & residentia deobligatur; dicens, parochiam ob suam absentiam, nullum passam fuisse detrimentum, quia repentinis casibus Parochi vicini occurrebant. Nam hæc causa nulla est: residentia enim, quam *Trident. cit. loco* postulat, est personalis, quam Eusebius non habebat, per subventionem Parochorum viciniorum. Ratio est clara, quia si haberet coadjutorem, qui omnibus parochianis assisteret, quin ex sua absentia daretur detrimentum; adhuc à

residentia

residentia non erat liber; quia hæc ex jure divino obligat; & sic ad restitutionem tenetur. videantur Castr. Palaus *dict. disput. 5. punct. 1. num. 5.* & Abreus *de Paroch. dict. l. 3. cap. 2. a num 7.* & alij, quos citant.

§. II.

An Eusebius totum suum stipendium in illis quatuor annis non residens, restituere debeat?

SUMMARIUM.

11 *Probabile videtur, solam tertiam partem restituere teneri.*

12 *Curatus toto anno non serviens, totum stipendium restituere tenetur.*

13 *Parochi horas Canonicas non recitantes, quintam fructuum partem restituere tenentur.*

11 Respondeo, probabile mihi videri, hunc Parochum non totum suum stipendium, sed tertiam partem restituere teneri. Ratio est, quia salarium quinque supra triginta aureos singulis annis dabatur pro his oneribus, scilicet: residendi in parochia, Missam celebrandi Dominicis diebus, & festivis, administrandi sacramenta, & docendi doctrinam Christianam: at Eusebius his omnibus, exceptæ residentiæ, satisfecit: ergo solam partem residentiæ correspondentem, restituere debet. Hanc resolutionem colligo ex Sanch. *l. 2. consil. cap 2. dub. 83. num. 2.* & alijs asserentibus, arbitrio prudentis, restitutionem omissionis horarum Canonicarum in fructibus esse faciendam: ergo etiam in præsenti casu de curato serviente ob mercedem, dicto modo esse faciendam, in quo dantur illa tria, aut quatuor onera, quodlibet suo stipendio dignum.

12 Non obstat primò, quòd curatus [qualis est Eusebius] ex certo stipendio serviens, si pro toto anno non resideat, totum stipendium restituere tenetur, quia ad residentiam assumptus, sine illa curæ animarum servire nequit, ut sentiunt Bonac. *dict. disput. 5. punct. 4. numer. 6.* Abreus *lib 3. cap. 10. numer. 79. citat.* Possevin. ergo cum Eusebius pro toto quadriennio non resederit, totum eorum annorum stipendium restituere tenetur. Non, inquam, obstat, quia cit. DD. de curato stipendiario loquuntur, qui non residens animarum curæ non inservivit, nec celebrando Missas diebus festis, nec sacramenta administrando: at Eusebius licét non resederit; diebus Dominicis, & festis Missas in parochia celebravit, & in ipsis diebus, & tempore quadragesimæ Parochianis sacramenta administravit.

13 Nec obstat secundò, dicere juxta probabilem sententiam, & in praxi receptam, Episcopos, & Parochos horas Canonicas non recitantes, restituere teneri quintam fructuum partem reliquas autem partes, ratione aliorum onerum retinentes. Sic cum Sylvio, Homob. Molfes. Fernand. Henriq. Toled. Aragon. Medin. Petr. Ledesm. & Lessio, Dian. 1. *part. tract. 12. resol 8 & 4 part tract. 4. resol. 111.* & Cum Trullench. Sanch. Rodrig. Vega, Vasq. Bonac. Laym. & alijs Leandr. *tom. 3. tract. 8. disp. 7. q. 22.* ergo etiam Eusebius sui stipendij quintam partem restituere tenebitur, reliquas verò retinendo pro alijs oneribus. Non, inquam, obstat, quia citati DD. non de quocunque Parocho, sed de Parocho beneficiario loquuntur, qui tenetur ad horas Canonicas, sub onere restituendi fructus perceptos, *ex Conc. Later. sub Leone X. sess 9 § statuimus*, cujus Constit postea declarata, & innovata fuit à B. Pio V. in sua Const. quæ incipit: *Ex proximo Lateranensi, edita 12. Kalend. Octob. 1571.* At Parochi stipendiarij, ut est Eusebius, solùm ad animarum curam sunt deputati, quæ residentiam, celebrationem Missarum pro diebus festis, & sacramentorum administrationem, comprehendit, ut dicitur *supra*, & non pensum horarum Canonicarum, ut notat Bonacin. *cit.* & supponit Abreus *proximè*; & sic potest Parochus beneficiarius obligari tantùm ad restituendam quintam fructuum partem, quia plures habet obligationes: at Parochus stipendiarius, quia pauciores habet, obligabitur præcisè pro non residentia, & non alijs oneribus adjunctis, ad tertiam, vel quartam sui stipendij restitutionem. Scio, non paucos, DD pari modo procedere, quoad quotam fructuum restitutionem pro horarum Canonicarum omissione, ac pro non residentia. Vide Bonacin. *cit. dict. disp. 5. de obligat benef. punct. 4 num. 5.*

§. III.

An Eusebius satisfecerit restitutioni residentiæ non factæ, impensis in reparatione domus Residentiæ, ad quam non tenebatur, sed decimarum receptatores?

SUMMARIUM.

14 *Non satisfecit.*

14 *Ob horarum Canonicarum omissionem, restitutio fieri potest in reparatione domus Residentiæ.*

14 Respondeo non satisfeciss̃e. Ratio est, quia *Concil. Tridentin sess 23 de reform cap. 1* statuit, quòd restitutio à non residentibus facienda, fieri debet *fabricæ Ecclesiæ, vel paupertibus loci.* Barbos *in Collect ad Trident. cit num. 21* & omnes: at nomine fabricæ Ecclesiæ, non

venit

venit fabrica beneficij, qualis est domus Residentiæ, sed ipsum templum materiale; ut habetur *in cap. De fabrica, de consec. dist.* 1. Et hoc est verum juxta strictam juris significationem; quamvis latius veniant ornamenta & alia cultui divino necessaria, ut docent Sanch. *l.* 4. *consil. c.* p. 2. *dub.* 14. *num.* 2. & 3. Card. de Lug. *de just. disp.* 24. *sect.* 13. *numer.* 304. domus verò Residentiæ, nec strictè, nec latè nomine fabricæ Ecclesiæ venit.

15 Secus dicendum, quando restitutio fieri jubetur ob horarum canonicarum omissionem *a Concil. Later.* & *Motu proprio B. Pij V. supra cit.* quia in eo dicitur, quod restitutio fiat à Beneficiarijs *in fabricam ipsorum beneficiorum, vel pauperum eleemosynas*; & domus Residentiæ venit nomine fabricæ beneficij, ut cum Soar. Vasq. & alijs pluribus affirmant Bonac. *volum.* 1. *disp.* 1. *de ijs, quæ ad privat. divin. offic. fac. q.* 5. *punct.* 4. *num* 1. & 2. & Leand. alijs citat. *tom.* 6 *tract.* 8. *disp.* 7. *q.* 25.

§. IV.

An Eusebius possit dictum stipendium debitum ob non residentiam, sibi tanquam pauperi applicare quia illo, & altaris ministerio vix centeni ducati complentur.

SUMMARIUM.

16 *Potest partem debitam stipendij sibi applicare.*
17 *Fructus beneficiarij non attingentes triginta, aut quadraginta aureos, non sufficiunt, ad bonam partem sustentationis moderatæ.*
18 *Beneficiarius horarum Canonicarum recitationem omittens, & existimans, se pati necessitatem, potest de consilio docti confessarij, ea quæ restituere tenebatur, sibi applicare.*
19 *Præsumendum est, hæc de causa judicem non condemnasse ad restitutionem Eusebium.*

16 Respondeo, posse Eusebium eam tertiam stipendij partem, juxta *dicta a num.* 11. sibi ut pauperi applicare. Sic DD. communiter loquentes de Parocho, qui tempore absentiæ malè fructus percepit, cum Possevin. Abreus *de Paroch. l.* 3. *cap.* 10. *numer.* 78. Et de beneficiario Parocho, verè paupere horas Canonicas omittente, idem tradit cum Soar. Castr. Palao, Lessio, & alijs pluribus Leand. *tom.* 6 *tract.* 8. *disp.* 7. *quæst.* 30. at Eusebius est verè pauper. Probatur primò: quia ille dicitur verè pauper, qui congruam non habet sustentationem, ut colligitur ex Barthol. Tiraq. Surd. & alijs, quos affert; & sequitur Barbos. *tract. de appell. verbor. appell.* 192. *numer.* 1. At Eusebius congruam non habet sustentationem, maximè si stipendium sibi acquisitum in totum, aut in partem pro absentia restituat. Secundò probatur, quia *Concil. Tridentin. sess.* 24. *de reform. cap.* 13. pro congrua sustentatione determinat centenos ducatos, ibi: *Parochiales, quæ summam ducatorum centum secundum verum annuum valorem non excedunt, nullis pensionibus, aut reservationibus fructuum graventur.* Et DD. Barbos. *in Collect. ad citat. Trident. numer.* 13. Garcia *de benef. part.* 1. *cap.* 5. *numer.* 372. & *seqq.* cùm ergo hæc summa pro congrua parochiali designetur, Eusebius vix habens centum ducatos in assignato stipendio simul cum ministerio altaris, si totum, aut partem stipendij restituat pro absentia, absque congrua sustentatione manebit: ergo ut pauper potest illud sibi retinere, quando alia non habet.

17 Confirmatur primò, quia juxta Soar. *tom.* 2. *de Relig. l.* 4. *capit.* 21. *numer.* 2. Castr. Palaum *tom.* 2. *tract.* 7. *disp.* 2. *punct.* 1. § 2. *numer.* 8. Pellizar. *tom.* 1. *manual. tract.* 5. *cap.* 8. *numer.* 188. Sanch. & alios, apud ipsos, & Leand. *tom.* 6. *tract.* 8. *disput.* 2. *q.* 12. & 13. asserentes fructus beneficiarij non attingentes triginta, vel quadraginta aureos, non sufficere ad bonam sustentationis moderatæ partem: nempe ad tertiam anni partem: sed Eusebius ex suo stipendio, & ministerio altaris non habet pro qvolibet anno illos triginta, aut quadraginta triplicatos aureos: ergo non habet pro anno moderatam sustentationem: ergo potest sibi applicare, ut pauperi, quidquid ratione absentiæ tenebatur restituere.

18 Secundò confirmatur, quia communiter docent DD. beneficiarium recitationem horarum Canonicarum omittentem, ac existimantem se necessitatem pati, posse de consilio docti confessarij, ea sibi applicare, quæ ea de causa restituere tenebatur; Soar. *citat. cap.* 30 *numer.* 20. & 21. Sanch. *l.* 2. *consil. cap.* 2. *dub.* 87. *numer.* 3. Bonac. *dict disp.* 1. *quæst.* 5. *punct.* 4. *numer.* 8. Dian. 1. *part. tract.* 12. *resol.* 27. Leand. *citat. disput.* 7. *quæst.* 30. & alij, quos latè citant: ergo etiam Eusebius necessitatem patiens, de consilio docti confessarij sibi applicare poterit ea, quæ ratione absentiæ, restituere tenebatur. Nec inter hanc restitutionem, & eam, quæ debetur à beneficiario ex horarum Canonicarum omissione, ullum apud DD. intervenit discrimen.

19 Tertiò confirmatur, quia fortasse ex his rationibus, & allatis *a numer.* 11. & in fine quæstionis adducendis, Iudex in lata sententia, adversus Eusebium, restitutionem non adjunxit, quæ ex jure à non residente debetur. Quamvis enim hæc adjunctio necessaria non sit, juxta ea, quæ dicuntur *numer.* 6. consuetudo tamen obtinuit, has pœnas in sententijs exprimi, præcisâ aliquâ causâ excusante.

§ V.

§. V.

An Eusebius ex dicto stipendio partem debitam, duobus mensibus in singulis annis a Concilio permissis possit diminuere?

SUMMARIUM.

20 *Posse probabile videtur.*

21 *Canonici integro anno non residentes, tribus mensibus concessis frui possunt.*

22 *Trimestre Canonicis concessum, obligatis ad residendum conceditur.*

23 *In Paroeho ex Sot. sufficit pro causa ad bimestre absentiæ animi recreatio, visitatio consanguineorum, aut amicorum.*

24 *Sufficit pro causa, quæ Parocho legitima visa fuerit.*

25 *Eusebius bonâ fide existimabat, se eo modo procedendi, residere, & legitimam habere causam.*

20 Respondeo, probabile videri posse. Moveor primo, quia *Concil. Trident. sess. 23. de reformat cap. 1.* videtur permittere hoc bimestre, absque pœna restitutionis, ut censent Bonac. *volum. 1 disp. 5 de oner. & obligat. beneficiat. punct. 4. num. 8 in fine.*

21 Secundò moveor; quia canonici per integrum annum non residentes, frui possunt tribus mensibus *a Trident. concessis sess. 24 de reform cap. 12.* nisi in Ecclesiæ statutis, vel consuetudine receptâ, oppositum extet declaratum, ut defendunt Sanch. *l. 2 consil. cap. 2. dub. 104.* Bonac. *volum. 1. disp. 2 de hor. Canonic. q. 5. punct. 4. num. 11* Castr. Palaus *tom. 2 tract. 7. de orat. public in choro, disp. 3. punct. 9. § 10. num. 10.* Pellizzar. *in manual. Regul. tom 2. tract. 5 cap. 8. sect. 3. q. 10. num 159. & 161.* Leand *tom 6. tract. 8. disp. 6. q. 159.* Ex hac ratione; quia hoc privilegium non datur illis, qui actu residunt, sed illis, qui ad residendum sunt obligati; aliàs canonicus illo frui non posset, quousque per novem menses prius resideret. Quod non est usu receptum, cùm possit in quanbet anni parte, hos tres menses recreationis accipere: ergo etiam Eusebius, per integrum annum, non residens duobus mensibus concessis *a Trident. sess. 23. de reform. cap. 1.* quia hoc tempus designatur pro Parochis qui ad residentiam tenentur; & si per integrum annum Parochus non resideat, hoc bimestre potest accipere, quin ad restitutionem teneatur; etiam quæ in tribus sequentibus eosdem accipere potuit.

22 Nec obstat primò, bimestre in Concil. Parochis designatum illis concedi, qui actu residunt; at Eusebius per quatuor annos non resedit. Non, inquam, obstat, quia respondetur cùm Castr. Palao, & ex illo Leand. *cit.* trimestre Canonicis concessum, non concedi pro actu residentibus, sed pro obligatis ad residendum: sic ergo dicemus, bimestre Parochis permissum, seu designatum, non permitti pro actu residentibus, sed pro obligatis ad residendum; & Eusebius ad residendum obligabatur.

23 Nec obstat secundò, non bene inferri ex Canonico per integrum annum non residente, posse in illo trimestri sibi accipere, ad parochum per integrum annum non residentem, posse bimestre permissum sibi accipere; quia trimestre Canonicis conceditur ad recreationem, & levamen, quod absque licentia aliqua possunt frui, Sanch. *cit. tract. dub. 104. nu 1.* at Parochus per ipsummet bimestre abesse non potest, absque caupa, eaque probata ab Ordinario, & in scriptis obtenta ut tradunt Sanch. *l. 3. de matr. disp. 3 num. 11. vers. Hoc autem* Garcia *de benefic part. 1. cap 5. n. 23.* & cum Vasq. Less & alijs Bonac. *dict. disp. 5. de obligat. benefic punct. 4. n. 9.* & Barbos. *de potest. Episc. allegat 53 n. 96.* ergo Canonicus per integrum annum non residens, trimestre accipere potest; non tamen Parochus bimestre. Non, inquam, obstat, quia data opinione probabili, quam *n. 4 adducimus*, respondetur cum Sot. *l. 10. de just. q. 5 art. 3.* & alijs, asserentibus, Parocho pro causa sufficere ad cohonestandam absentiam sui bimestris, si eam faciat animi recreandi causâ, invisendi amicos, & cõsanguineos. Licèt oppositum sentiat cum Vasq Castr. Palaus *tom. 2. tract. 13 disp. 5 punct 4 num. 1* nam ad hæc unus sufficit mensis.

24 Respondetur secundò ad absentiam Parochi pro bimestri *a Trid.* permissã, sufficere eam causam, quæ Parocho legitima visa fuerit, ut cum Navarr. Azor, Zerol. Garcia, & Rodrigus, ut probabile tradit Castro Palaus *cit. punct. 5. num. 2* at Eusebius, legitimam se habere causam, existimabat; non deficiendo parochiæ oneribus: ergo ad duos menses permissos, ex causa sibi visa legitima ad restitutionem singulorũ quatuor annorum non tenetur.

Addo, Parochum absentem illo bimestri ex causa sibi æqua visa non peccasse, nec ullam commisisse culpam, ut cùm Garcia, & Barbosa autumat Castr. Palaus *proximè num. 3 post mediũ* & Bonac. *cit punct 3. n. 6.* Et quando in residentia peccatum non datur, nec etiam datur restituendi obligatio; sicut non datur in beneficiario, qui sine mortali culpa, officium divinum recitare omittit, ut probabilius citatis Garcia, Azor, Sanch. Lessio Reginald. Nald. Molfesio, Castro Palao, Villal. Trullench. Escobar. Filliuc & alijs, asserit Leand. *dict. tom 6 tract 8. disp. 7. q. 8*

25 Ex dictis sequitur, Eusebium cum ea bona fide existimantem, non esse absentem à sua parochia, per assistentiam in alio oppido per leucam distante, & non deficientem parochiæ oneribus, ut dictum est, & sic procedentem pro foro externo fuisse tantùm condemnatum, ut in parochia resideret, in foro interno idem existimo dicendum, maximè ex sua paupertate, ut dictum est.

QUÆS-

QUÆSTIO LXXXIV.

An Parochi rurales, ex consuetudine inter eos introducta, non assistentes officijs defunctorum ad eleemosynæ teneantur restitutionem?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Dicta consuetudo, seu abusus non est tolerandus.*
3 *Omnes conformari debent cum eo, quod in cathedrali observatur.*
4 *Ea consuetudo est contra voluntatem mandantium celebrare.*
5 *Ex defectu assistentiæ personalis datur occasio peccandi mortaliter.*
6 *Quando præcedit pactum tacitum, aut expressum celebrandi tali loco, tenetur sacerdos sub mortali ibi celebrare.*
7 *Sacerdotes non satisfaciunt eleemosynæ elargitæ.*
8 *Canonici, qui ita submissa voce in choro psallunt, distributiones accipere nequeunt.*
9 *Bona fides non excusat a restitutione eorum, in quibus aliqui facti sunt ditiores.*

1 IN quodam territorio unius Diœcesis hujus Regni, duas, aut tres leucas comprehendente, paulatim inter Parochos, & sacerdotes consuetudo serpere incipiebat, quòd vocati ad officium alicujus defuncti celebrandum; nonnulli hâc causa non veniunt, & eleemosynam solitam, ac si essent præsentes, & psallentes cum alijs accipiunt; existimantes suo muneri satisfacere privatim Missam, & officium defunctorum in quacunque Ecclesia, & loco celebrando. Quæritur: An hæc consuetudo, seu potius abusus tolerari queat; & eleemosyna sic accepta restitui debeat?

RESOLUTIO.

2 Quoad primum respondeo, Parochum peccare mortaliter eam consuetudinem in sua Ecclesia introducentem, quia adhuc non est introducta juxta tempus ad illam requisitum, ut cum Soar. Bonacin. & Sanches tenet Castr. Palaus *tom. 1. tract. 3 disp. 3 punct. 2. § 1. num. 6.* Sed quia talis consuetudo, seu potius abusus non est tolerandus, ut ex seqq. rationibus manifestè ostenditur. Prima est, quia est contra universalem Ecclesiæ consuetudinem, quæ est in officijs defunctorum, sive diciti mensis, ac anni, & aliorum quorumcunque convocare omnes assistere debentes; & si non asistant, orentque psallendo, & Missam celebrando; eleemosyna solita ijs oneribus correspondens non solvitur.

3 Secunda, quia ita in constitutionibus cujuscunque hujus Regni Diœcesis synodalibus præscribitur: Quod vocentur sacerdotes ad officia defunctorum, ut illa celebrent. Sic *in Constit. synod. Diœcesis Portugallensis, constit. 9. tit. 18* ubi *Parochis jubetur, ut ad Missas, & sepulturas defunctorum vocentur illi, qui magis assidue ei inserviunt parochiæ*: ergo si debent vocari, venire debent, & assistere. Et ex ijsdem, *const. 1. in principio*, statuitur, quòd omnes conformentur cum eo, quod in cathedrali observatur: at in legatis relictis pro officijs defunctorum in cathedrali observatur, quòd non recipiant eleemosynam designatam non interessentes recitando, & cum alijs psallendo. Et *const. 9. ejus* dicitur, Missas defunctorum non esse differendas ad sequentem diem, sed in eodem dicendas; at fortasse, hoc non observari ab illis non interessentibus, potest præsumi. Idem habetur in alijs hujus Regni constitutionibus; & *in Ægitanensibus* accuratius laboratis, & praxi observatis, statuitur *l. 3. tit. 15. cap. 7. num. 3* eleemosynam ibi designatam tradendam esse assistentibus, & cantantibus totum officium: ergo si dentur Parochi, aut sacerdotes vocati, qui officio defunctorum non assistant, & totum officium non canant, eleemosyna designata illis non debetur.

4 Tertia ratio, quia dicta consuetudo, seu abusus est contra voluntatem mandantium pro suis defunctis officia celebrare: oratio enim multorum absque dubio gratior, & potentior est erga Deum; sic legimus *in act. Apost. 1. 14. His omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria matre JESV, & fratribus ejus*; & apud Chrysostomum, *homil. 79. ad populum*; *Quid hac* [inquit] *oratione Ecclesiæ potentius? Quæ columnam, & Ecclesiæ turrim adjuvit*: & infra: *Et domi quidem orari potest, sic autem ut in Ecclesia; ubi tanta Patrum multitudo, ubi clamor ad Deum unanimiter emittitur. Non ita a Domino per te solus orans audieris, ut cum fratribus. Hic enim mains aliquid est, putà unanimitas, & consonantia, charitatisque vinculum, & sacerdotum orationes.* Sic Chrysostomus; Et Soar. *tom. 2. de Relig. l. 4. cap. 1. num. 3.* asserit, orationem communitatis esse optimam, & cæteris paribus efficaciorem, quia ex maiori charitate procedit. De efficacia hujus orationis videri potest P. Emmanuel Fernandes *Serenissimi nostri Regis Petri confessarius, in tom. 1. da Alma Instruida na doutrina, & vida Christam. cap. 7. docum. 2. à num. 25.* ubi plura ad præsentem rationem inveniuntur utilissima. Unde infertur, mandantes pro suis defunctis officia celebrare, hanc intendere orationis efficaciam, tribuentes justam eleemosynam: ergo injustè agunt Parochi, aut alij sacerdotes, qui accipientes eleemosynam domi, aut alio in loco privatim, & non cum alijs in Ecclesia officium recitant defunctorum.

5 Quarta

5 Quarta ratio, quia ex defectu præsentiæ personalis in officijs defunctorum datur occasio peccandi contra justitiam; quia sæpius differtur Missa cum animorum detrimento, quod prohibetur *a S. Card. Congreg. sub Vrbano VIII. edita* 21 *Iunij* 1623 §. 13 apud Tamburin. *in Method celebr. Miss. videndum l.* 3. *cap.* 1. §. 9. *num.* 4. *& seqq.*

6 Et non solùm datur occasio peccandi cõtra justitiam, sed de facto peccatur. Nam qnando præcedit pactum sive expressum, sive tacitum celebrandi Missam tali die, & tali loco, tenetur Sacerdos sub peccato mortali eam tali die, & loco celebrare, vt cum pluribus docet Fagund. *in* 1. *Eccles. præcept. l.* 3. *cap.* 9 *num.* 2. & 7. & ex ijsdem DD idem dicendum videtur de celebrando officio cum alijs sacerdotibus tali die, & loco: sed pactum inierat defuncti hæres, saltem tacitum, cum Parocho, & alijs sacerdotibus circumvicinis, vt vocati Missam, & officium defunctorum celebrarent in ea Ecclesia, in qua defuncti corpus præsens erat sepeliendum, aut jam sepultum tali die; ergo sacerdotes hæc non observantes peccarunt mortaliter contra justitiam, & ad restitutiooem tenentur.

7 Confirmatur, quia eleemosyna tradita erat pro Missa celebrata pro anima defuncti in ea Ecclesia, in qua erat illius corpus; & pro assistentia personali officij defuncti, & illius cantu, & alijs Responsorijs ibi solitis recitari, & eleemosyna pro his solita juxta consuetudinem illius territorij erat centum, & quinquaginta regalium Lusitanorum; quinquaginta pro Missa eo loco celebrata, juxta Constitutiones synodales, & centum pro officio etiam in eodem loco cantato cum alijs sepulturæ precibus: sed sacerdotes hæc non obeuntes, eleemosynam dictam, non possunt accipere, & accipientes non possunt retinere. Hæc, quamvis indubitata, bene colliguntur ex *text. in cap. unic. de Clericis non resid.* in quo disponitur eleemosyna vniversariorum defunctorum solùm dari interessentibus, & non alijs non interessentibus, vt mos est in cathedralibus; & tradit Perez de Lara *de Anniversar. & capell. l.* 1. *cap* 10 *num.* 1.

8 Hæc doctrina amplius confirmatur; quia casu negato, quod hi sacerdotes essent præsentes ad idem defuncti officium, & in eo ita voce submissa canerent, vt ab alijs audiri non possint, ad restitutionem tenebantur eleemosynæ acceptæ ob idem officium. Quod ostendo ex hac communi doctrina sic asserente canonicos, qui ita submissa voce in chòro recitant, vt à choro audiri nequeant: distributiones non posse accipere, sic Bonac. *volum.* 1. *disput.* 1. *de Horis Canon. quæst.* 3. *punct.* 2 § 1. *numer.* 16. & 17. Tamburin. *l.* 2. *in Decal. cap* 5. *ibidem* §. 4. *numer.* 15. Castr. Palaus *tom.* 2 *tract.* 7. *disput.* 3. *punct.* 4 *numer.* 5. & alij. Et idem asserunt Castr. Palaus, & Tamburin. si chòro assistant, & non canant: Ergo si hi Canonici ad restitutionem tenentur, si ita se habentes, distributiones accipiant, à fortiori idem dicendum de dictis Parocho, & sacerdotibus: quia nec interfunt officium canentibus, nec ab illis audiuntur, qurndo domi, aut alia in Ecclesia, privatim illud recitant.

9 Ex his patet resolutio ad secundum *in tit. quæst. propositum*; teneri ad restitutionem saltem illius eleemosynæ, quam ratione officij receperunt; quamvis ex Missa alio in loco celebrata in circunstantijs hujus casus censeo tantùm peccasse mortaliter. Nec ab hac restitutione existimo excusari ex bona fide, quia credo, eam bonam fidem in eis datam non fuisse; quia ea injustitia est adeo clara, vt eam dari posse in sacerdotibus præsumere non possim; Et quamvis aliqua in illis daretur ignorantia crassa, aut affectata, hæc bonam fidem non constituunt. Restitutio autem danti eleemosynam facienda est, nempe hæredi. Vide dicenda *infra quæst.* 122. *per totam.*

QUÆSTIO LXXXV.

An privignus vitrico, & matri serviens, etiam in illorum absentia, teneatur ad restitutionem eorum, quæ suâ industria, & labore clam sibi cepit?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Probabile est non teneri ad restitutionem, aliqua facta diligentia.*
3 *Patria potestas invèta est, vt filij patri acquirãt.*
4 *A matre filio debetur salarium, quando servitium est considerabile.*
5 *Valascus de præsenti casu non loquitur.*
6 *Etiam in casu, quo Ægidius suo patri serviret, alijs non servientibus fratribus, aliqua sibi capere poterat.*
7 *Idem ex Laym. & alijs.*
8 *Illatio ex dictis.*

1 ÆGidius in officio mechanico ita suo vitrico, & matri serviebat, vt etiam ipsis absentibus, & alijs fratribus studio litterarum incumbentibus, omnia suppeditabat, & bona augebat. Absentibus itaque vitrico, & matre paulatim quinquaginta aureos sibi cepit. Quæritur, An illos restituere teneatur?

RESOLUTIO.

2 Respondeo satis probabile esse, ad restitutionem non teneri, si cõputatis annis, quibus servivit, alimenta in victu, & vestitu, & salario extrancis dari solita, pro eo servitio, quãtitas aureorũ capta non excedebat. Ratio est, quia filius non existens sub patria potestate vitrici, aut matris illis gratis servire non tenetur, constituta mercede, sicut dari solet extraneis, similè industriam, & laborem in eo servitio ponentibus:

Sed Ægidius, quamvis non esset emancipatus, nec conjugatus, non erat sub patria potestate vitrici, nec matris, nec sub eorum tutela; non erat sub patria potestate vitrici, nec matris, quia hæc in patre tantùm residet juxta *Ordin. Reg. l.* 4. *tit.* 81. *numer.* 3. Nec sub eorum tutela; quia nec ille tutor, nec illa tutrix illius esse possunt, juxta *Ordin. l.* 4. *tit.* 102 §. 3. & 4. Et de matre etiam habetur §. *Cæteri, Inst. de Hæred. qualit. & differ.* & §. *Mater, junctâ Gloss: Inst. de hæredat. liberor.* & tradit cum Navarr. & Panorm. Fragos. de *Regim. Resp Christ. tom.* 3. *l.* 2. *disput.* 3. *numer.* 4. ergo Ægidius gratis servire non tenebatur.

3 Consequentia probatur, quia patria potestas introducta, & inventa fuit, vt etiam virtute illius filij ipsi patri acquirerent; vnde ab aliquibus patria potestas, hujus acquisitionis basis vocatur, *Inst. Per quas person. nobis obligatio acquiratur*, & constat *ex l. Patre furioso, in fine, ff. de His, qui sunt sui, vel alien. jur.* Paul. Castrens. *in l. fin.* §. 1. *ff. de Verbor signif. numer.* 3. Fragos. *proximè numer.* 1. Sed Ægidius non est sub patria potestate vitrici, nec matris: ergo illis non acquirit, sed sibi.

4 Ex hoc principio, quòd Ægidius, aut alius quilibet filius, non sit sub potestate matris, inquit Sanch. *l.* 1. *consil. cap.* 2. *dub.* 8. *numer.* 8. cum Fabro, & Guttierr. deberi salarium, quando servitium est considerabile, & dignum æstimatione à matre ipso filio, sicut à patre filio emancipato debetur: & sic à matre Ægidio salarium debebatur.

5 Nec obstat primò, asserere Alvar. Valasc. *consult.* 32. suis privignis à vitrico, pro sua medietate deberi salarium, quia suis operibus, & laboribus bona communia auxerunt, supponentem matrimonium juxta consuetudinem Regni fuisse celebratum; non tamen à matre deberi, quia per hæreditatis maternæ additionem debitum illud erit confusum; refertque ita fuisse judicatum: ergo in præsenti casu ita dicendum. Non, inquam, obstat, quia in eo casu, duobus filijs vxoris demortuæ augentibus bona communia utriusque conjugis à vitrico pro sua medietate salarium debebatur, & quamvis à matre pro sua etiam deberetur, cùm ambo æqualiter hæreditatem adijssent, in illa illud debitum fuit confusum: at in præsenti casu tres filij hujus matris bona communia non augebant, nisi solus unus Ægidius, alijs duobus litteram studio incumbentibus, & soli Ægidio salarium debebatur, non solùm à vitrico pro sua medietate, sed etiam à matre pro sua; poterat ergo Ægidius capere aliqua absque obligatione restitutionis, & post mortem matris, æqualibus portionibus cum alijs fratribus hæreditatem adire.

6 Nec obstat secundò *Ordin. Reg. l.* 4. *tit.* 97. §. 16. statuens, filium commorantem cum patre, aut matre, vel cum utroque, & se eorum bonis sustentantem, quidquid suâ industriâ, & labore eorum bonis lucretur, ad parentes pertinere; & post illorum mortem ad partitionem cum alijs fratribus esse adducendum, sive ille filius sit solutus, sive uxoratus, & tenent Molin. *disp.* 234. *vers. Vt quod hac*, Fagund. *in* 4. *decal. præcept. l.* 4. *cap.* 21. *numer.* 16. & alij: sed Ordin. loquitur cum disjunctione *aut* cum *patre, aut matre*, & Ægidius matri serviebat, licèt vitrico nuptæ, & eorum bonis se sustentabat, & lucrabatur: ergo saltem à medietate suæ matris salarium capere non poterat. Non, inquam, obstat, ea Ordinat. quia respondetur primò, *vt supra Ordinat.* non loqui de filio nostri casus, nam hic, vt diximus, poterat aliquid capere, quando alij non laborant, & ille patri non servit, sed matri, & vitrico, sub quorum potestate patria non est. Respondetur secundò, etiam dato casu, quo Ægidius patri, & matri inserviret, alijs non servientibus fratribus, eam Ordinat. justissimas moderationes excludere non posse. Vt esset, si ipse Ægidius expressè, aut tacitè protestetur se illis eo animo inservire, vt pater ob suum laborem, & industriam tantum ei salarium, quantum extraneo donaret similiter ei inserv ienti. Sic existimant Reginald. *in praxi l.* 20. *cap.* 28. Lessius *tom.* 1. *de Just. disput.* 3. *quæst.* 10. *part.* 1. *numer.* 8. & deducitur ex Navarr. *in Summ. Latin cap.* 17. *numer.* 144. & expressa doctrina Barthol. *in l.* 1. §. *Nec castrense, ff. de Collat. bonor.* quos refert Fagund *l.* 1. *de Just. cap.* 46. *numer.* 6. & 7. & sequitur *numer.* 8. *in fine*, ubi sic ait: *Tertia opinio est conformis rationi, & æquitati, à quat ego si essem judex, non recederem. Nec obstat. Lusitana adducta pro secunda opinione, quia non potest excludere justissimas illas moderationes in secunda opinione positas; nec filius, dum est in potestate patris, tenetur vel in foro conscientiæ, vel in foro externo patri inservire, nisi pater egeat alijs similiter inservientibus, & acquirentibus, vt ex dictis patet.* Sic Fagund.

7 Idem etiam pluribus citat. habet Laym. *l.* 3. *sect.* 5. *tract.* 4. *cap.* 8. *numer.* 6. ibi: *Contrarium tamen* non improbabiliter post Barthol. docent Angel. *verb. Peculium, numer.* 11. Navarr. *cap.* 17. *numer.* 144. [148. & 161.] Lopes *part.* 2. *Instruct. cap.* 21. Less. *l.* 2. *cap.* 2. *numer.* 81. *cum enim lucrum non tantùm ex bonis patris, sed etiam ex filij industria proveniat, ideo partim inter profectitia, partim inter adventitia bona, numerandum esse videtur. Ex quo inferunt, si solus pater lucrum accipiat, nullamque ejus partem filio quasi societatis jure relinquat, tunc tantundem salarij ipsi obligatum esse, quantum extraneo alicui deberet, saltem si filius exigat. Sin autem ob metum reverentialem, petere non audeat, vel probe sciat, si petat, se repulsam, laturum esse;*

esse; consequenter aiunt filium clam a patre accipere posse. Quæ sententia saltem ad id a confessario inservire poterit, vt cum hujusmodi filiofamil. mitius agat, & non facile ad restitutionem obliget, nisi vltra æstimationem laboris, ac industriæ suæ acceperit. Sic Laym. Hanc doctrinam approbat, Dian. *part* 4. *tract.* 4 *resol.* 66. videri etiam possunt adducta à Molin. *dict. disp.* 234 *vers. Barthol. verò.*

8 Ex his bene inferre possumus primò, si laborans, ac industriâ bona patris augens, ita se habere potest erga patrem, sub cujus patria potestate est; à fortiori poterit ita se habere Ægidius erga suum vitricum, & matrem, sub quorum potestate non est. Quamvis contra dicta de filio erga patrem pro se habeat opinionem gravium DD vt videre est apud Card. de Lug. *disput.* 5. *de Just. numer.* 42. illos non ita habet in terminis nostræ quæstionis. Secundò inferre possumus id, quod in principio dicebam, debere computari annos, quibus Ægidius suo vitrico, & matri servivit, & quod extraneo pro simili servitio donari solet, & quod plus in alimentis accepit; nam victus etiam extraneo tribuitur. Et si inveniat, quod plus sibi cepit, id tantùm restituere debet, nec alia cum alijs fratribus ad collationem conferre tenetur post matris mortem.

QUÆSTIO LXXXVI.

An fœmina, vt ad ingressum Religionis admittatur, aliqua per modum donationis liberæ, dare possit?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Donatio fuit valida.*
3 *Concil. Trident. non comprehendit donationes factas in statu seculari.*
4 *Clausula panalis cum traditione statim facta proprie non dicitur pœna.*
5 *Donationes liberæ, & inter vivos factæ Monasterio intuitu ingressus Religionis non sunt simoniacæ.*
6 *Cessantibus dictis tribus inconvenientibus, donatio in terminis juris communis manet firma.*
7 *In donationibus Ecclesiæ factis, insinuatio non requiritur.*
8 *Quid disponat in præsenti Conc. Trident.*
9 *Donationi factæ non adversatur.*
10 *Effectus hujus donationis ad tempus inhabile non refertur.*
11 *Promissio summæ pecuniæ non fuit pœnalis.*
12 *Promissio facta arrhis assimilatur.*
13 *Ea donatio aliquo modo pœnalitas est, quæ culpam non supponit.*
14 *Donatio facta videtur simoniaca fuisse.*
15 *Non fuit simoniaca.*
16 *Monasterium ob dotem se obligavit ad recipiendam Dariam, & non propter donationem.*
17 *Dos quatuor millium ducatorum non fuit simoniaca.*
18 *Monasterij necessitas non taxatur respectu personæ ingredientis sustentationis, sed quoad debita, &c.*
19 *Excessus dotis non fuit simoniacus; nec dotem competentem excesserunt; & dato excessu, ille solus est nullus.*

1 DAria nobilis in certo monasterio esse religiosa intendens; illi, professione emissâ, in dotem quatuor millia ducatorum promisit. Vt contractus solemnitatibus debitis, ac securitate celebraretur, procuratorem constituit, illi amplam tradens facultatem, vt in dotis scriptura dicta quatuor millia ducatorum promittere potuisset cum securitate sibi visa, & omne aliud agere, quod ipsa constituens, si esset præsens, ageret, quod ad unguem gessit procurator; addens in casu, quo dicta Daria in eo conventu professionem non emitteret, aut ab eo egrederetur, ammissuram esse dicto conventui, ex dicta dote quingenta millia regalia Lusitana. Et hanc donationem conventui faciebat gratuito eleemosynæ titulo, & libentissimè. Quia tamen hæc potestas in charta procurationis expressè non erat concessa; ipse procurator in scripturæ factura, chirographum suæ constituentis exhibuit, in quo illi concedebat ad eam clausulam facultatem, relicto chyrographo, apud conventus procuratorem. Ingressa Daria Monasterium post habitum assumptum, & aliquos novitiatus menses è monasterio egressa fuit, professione non emmissa, & solutis jam quingentis millibus regalibus. Quæritur; An Monasterium ad restitutionem dictæ pecuniæ, vt residuum dotis, quod acceperat, restituere teneatur?

RESOLUTIO.

2 Respondeo, non teneri monasterium ad restitutionem illius pecuniæ. Ratio est, quia ponderatis verbis, & consideratis juribus, quibus donata fuerunt illa quingenta millia regalia, donatio fuit valida, & irrevocabilis: verba sic habent: *In casu (quem Deus non permittat) quo dicta Daria futura Religiosa in hoc monasterio professionem non emmittat, aut ab illo egrediatur, in hoc casu huic conventui dicta quingenta millia regalia ammittet; quæ ex principio solutionis mense Julij traditura erat, quin ea amplius repetere possit, nec aliâ viâ litem intendere. Et ad maiorem cautelam, & illorum securitatem, ille procurator ex nũc puram, & irrevocabilem donationem inter vivos dictis dominis Monialibus, & earũ cõventui faciebat. Et in casu, quo aliquâ dubitationẽ moveat, aut interponat, non exaudietur, quin prius, & cum effectu,*

æqualem summam pecuniarum in potestate procuratoris conventus deponat.

3 Ex his verbis constat primò, dictam donationem fuisse factam, quando Daria erat in statu sæculari, & monasterium non ingressa. Quapropter non comprehenditur *in Decreto Concil. Trident. sess. 25. de Regul. cap. 16.* quod tantum comprehendit donationes novitiorum, dum sunt novitij, & non factas in statu sæculari, quamvis factas intuitu monasterium ingrediendi; *vt latius videbimus a num 9.*

4 Secundò constat, dicta quingenta millia regalia in mense Iulij fuisse tradenda, & de facto tradita, mense Iunij statim post celebratum contractum, vt constat *ex numer. 1* ibi: *Solutis jam quingentis millibus regalibus.* Et quando clausula pœnalis statim fit cum traditione, non dicitur propriè pœna, vt patet in arrhis; quod est maximè notandum, vt videbitur *a numer. 11.*

5 Tertiò constat, hanc donationem fuisse gratuitam, & liberam, & non per emptionem ingressus in monasterium, quamvis intuitu illius fuisset; ibi: *Ex nunc puram, & irrevocabilem donationem inter vivos dictis dominis Monialibus, & earum conventui faciebat maxime libenter.* Donationes autem monasterio factæ, quamvis ingressus intuitu, quando non sunt pro emptione ingressus monasterij, sed purè, & liberè pro facilitandis tantùm, & conciliandis monialium voluntatibus, non sunt simoniacæ, vt cum D. Thom & communi DD. Soar. *tom. 1. de Relig. l. 4. de Simon. cap. 17. numer. 3.* vbi hanc ampliat doctrinam, etiam ad donationes conditionatas, ibi: *Si munera dentur simpliciter, & absolutè, vel sub conditione tantum invitante [vt sic dicam,] vel facilitante conditionem Religiosi status;* sic licita est donatio, vel promissio, vt *infra*, ostendetur *a numer. 11. ante medium.*

6 Cessantibus his tribus inconvenientibus, vt sanè in præsenti donatione *infra* cessare ostendam, nullum ex illis in illa habere locum; manet dicta donatio in terminis juris communis approbantis, vt bonam, & firmam, quæ purè, & irrevocabiliter inter vivos fit monasterio ab eo, qui illud ingredi vult, ita vt eam non possit repetere, quamvis postea post ingressum egrediatur, & retrocedat, vt communiter asserunt DD. Angel *verb. Novitius, numer. 10* & ibi Tabien. *quæst. 12. numer. 13.* Armill. *numer. 16.* Sylvest. *verb. Religio, 4 quæst. 10.* Sanch *l. 1. decal. cap. 1. numer. 10.* Glossa *fin. Communiter recepta, in cap. 3. de Cleric. conjug.* Innocentius *in cap. Verum, de For. compet.* Calderin *consil 412.* aliàs *de Regular.* Ex eo principio; quòd donatio pura inter vivos est irrevocabilis. *l. Aristo, 18. ff. de Donat. cap. Verum, de Condit. appos.* & hæc præsentis casus, est pura, & irrevocabilis, ibi: *Pura, & irrevocabilis donatio inter vivos.*

7 Nec obstat, dicere, hanc donationem, ex defectu insinuationis, fuisse nullam, quia excedebat quinquaginta supra centenos ducatos: & donatio à fœmina facta, quoad excessum, est nulla, vt expressè disposit *Ordinat. Reg. l. 4. tit. 62. in principio, & l. Sancimus, & l. penult. §. fin. & l. Data, C de Donat.* Non, inquam, obstat, quia respondetur, non esse necessariam insinuationem ad donationes Ecclesiæ, aut locis pijs factas, vt communiter tradunt DD. Dueñas, Tiraq. Anton. Gomes, Cald. Pereyra, P. Molin. Rebell. Azor, Lessius, Anton. Faber, Riccius, quos refert, & sequitur Emman. Barbos. *in Remiss. ad cit. Ordinat. numer. 4* quibus addo Calderin *Consil. 322. alias 3. de donat.* cum pluribus Iason *consil. 169. col. 5. §. Circa secundum l. 4.* Castr. *consil. 212. col. 2. vers. Præterea donatio,* Tasceus *verb. Donatio consil. 647. numer. 70.* Veritas hujus resolutionis, ex solutione argumentorum, magis apparebit.

ARGVMENTA SOLVTA.

8 Nec obstat primò contra dictam resolutionem, *Concil. Trident. cit. dict. sess. 25. de Regul. cap. 26.* annullat omnes donationes à novitijs factas, dummodò factæ non sint duobus mensibus ante professionem, & de licentia Episcopi, ibi: *Nulla quoque renuntiatio, aut obligatio antea facta, etiam cum juramento, vel in favorem cujuscunque causæ piæ valeat, nisi cum licentia Episcopi, sive ejus vicarij, fiat intra duos menses proximos ante professionem, aliter vero facta, etiam cum hujus favoris expressa renuntiatione, etiam jurata, sit irrita, & nullius effectus,* & inter DD. est commune, Sanch. *l. 7. decal. cap. 5. numer. 20.* & Tamburin. *de Iur. Abbat. tom. 3. disput. 6. quæstion. 10. numer. 4. & 12.* & Barbos. *in Collect. ad cit. Trident. numer. 3.* dicentem in hoc Decreto, nomine *Obligationis* comprehendi etiam donationes inter vivos. Et constat dictam donationem à Daria fuisse factam absque dictis solemnitatibus, & ante ultimos duos menses, & sine Episcopi licentia.

9 Non, inquam, obstat: Quia [vt jam diximus] donationem, de qua agimus, non fuit à Daria facta, quando erat novitia, sed dum erat sæcularis; Concil. autem Trident. de his non loquitur donationibus, sed de factis a novitijs, dum sunt novitij, & jam monasterium ingressi, vt doctissimè probat Sanch. *l. 7. decal. cap. 5. numer. 4* cum Passavel. Valasc. Rodrig. Veg. Costa, Stephan. Gratian. & alijs pluribus, refutatque opinionem contrariâ asserentium, Concil. Trid. etiam cõprehendere donationes monasterio factas intuitu ingressus. Opinionem Sanch. sequitur Barbos. *in Collect. ad Conc. Trid. cit. n. 18* cum Menoch. Marant. Medos. Sorb. Portel. Villal. Garcia, Vgolin. Rhæb. Peregrin. & alijs; asseritque ita tenuisse *Rotam,*

in

in Parmens. translat. 20. *Novemb.* 1627. *coram R. P. D. Durando, vers. Tandem non obstat.* Idem eruditissimè defendit Tamburin. *de Iur. Abbat. disp.* 4. *quæst.* 10. *numer.* 1. & iterum *tom.* 3. *de Iur. Abbat. disputat.* 6. *quæstion.* 10. *numer.* 10. cum Baldo, Barthol. de S. Faustin. Barthol. de Vecchijs, & alijs pluribus, ubi in fine affert quamdam S Congr. Concil. declarationem, quam refert in forma authentica, ibi: *Congregatio Concil. censuit, Decretum Concil. Trident. cap.* 16. *sess.* 25. *de Regular. non habere locum in renuntiatione facta, ante susceptionem habitus.* Ex qua rectè constat, opinionem contrariam jam non habere locum, nec habere posse.

10 Nec adhuc obstat in terminis nostri casus, dicere: Quamvis dicta donatio fuisset facta ante susceptionem habitus, illius effectus fuit dilatus ad tempus novitiatus, in casu, quo Daria professionem non emitteret, aut retrocederet, quod tempus ad talem donationem habile non erat; quia tunc erat novitia, & consequenter in Decreto Concil. comprehensa: at donatio quamvis facta tempore habili, si illius effectus ad tempus inhabile differatur, non est valida; quia idem est, *rem fieri tempore habili, vel non prohibito, & conferri ad tempus inhabile, vel prohibitum l. In tempus. ff. de Hered. instituend. l. Cum qui, ff. de Iurisdict. omnium judic.* & pluribus congestis per Tiraq apud Sanch. *l.* 6. *de Matr. disp.* 4. *num.* 6. Non, inquam, obstat, quia respondetur, effectum hujus donationis, non differri ad tempus prohibitum, sed ad tempus in quo Daria, aut moreretur, & tunc desperatâ professione, posset validè donare, vt docet Soar. *tom.* 3. *de Relig. l.* 5. *cap* 16. *numer.* 11. aut retrocessisset; & tunc relicto monasterio, ei validè donare poterat. Itaque hæc duo tempora ad donandum sunt habilia, & ad illa effectus dictæ donationis referebatur.

11 Nec obstat secundò, dicere, promissionem quingentorum millium regalium fuisse pœnalem, in casu, quo Daria professionem non emisisset, aut resilijsset, vt videtur ex tenore verborum *numer.* 1. ibi: *Ammissuram esse dicto conventui, ex dicta dote quingenta millia regalia,* & *infra numer.* 2. *in fine,* alia datur clausula pœnalis: at hæ clausulæ pœnales, sicut in matrimonio non admittuntur, quia libertatem tollunt, *cap. Gemma, de Sponsal.* ita etiam in professione quia libertatem etiam tollunt. Ex qua ratione *Concil. Trident. loco citat.* reprobat donationam à novitio, aut à novitia monasterio factam, ibi: *Ne hac occasione discedere nequeat.* Non, inquam, obstat, quia respondetur, negando eam promissionem fuisse pœnalem, in casu, quo Daria professionem emittere noluisset, à monasterio egrediens: fuit enim quædam donatio ad ingressum monasterij facilitans, & invitans, vt inquit Soar. *dict. l.* 4. *de Simon. cap.* 17. *numer.* 3. vt à monasterio reciperetur, in casu, quo ante professionem moreretur, aut aliâ viâ effectum non sortiretur, ibi: *numer.* 2. *In casu [quem Deus non permittat] dicta Daria futura religiosa, non perveniat ad professionem in hoc monasterio, vel ab illo egrediatur.* Voluit igitur Daria securum reddere monasterium, ex suo ingressu commodum reportaturum: nam si professionem emisisset, quatuor millia ducatorum habiturum; & si non emisisset, quingenta millia regalia; & hæc, non in pœnam non profitendi, nam hæc supponit culpam, *cap. Significante, 7. de Pignor. cap.* 2. *de Constit. & l. Trajectitia, ff. de Action. & obligat.* & alijs juribus apud Molin. *tract.* 2. *disput.* 317. *vers. Tertiam.* Et illa, quæ donat casu, quo moriatur ante professionem, non respicit culpam, sed monasterij utilitatem, vt sic illud facilitet, & ad receptionem invitet.

12 Hæc autem promissio magis arrhis, quam pœnæ assimilatur, vt *numer.* 4. *dicebam*; & hæc sit, ad plenariam argumenti resolutionem, responsio. Ad cujus intelligentiam suppono, arrhas cum pœna convenire in eo, quòd etiam illæ ammittuntur, si qui illas tradidit, à contractu retrocedat; si verò is resilit, qui eas recepit, eas debet duplicatas reddere, si ita fuit conventum *l. Si mulier, 5. Cod. de Sponsal.* Unde ex utraque parte aliqua habetur ratio pœnæ; distinguntur tamen arrhæ à pœna propriè dicta in eo, quòd arrhæ illico traduntur, pœna verò, non nisi post retrocessum, seu resilientiam. Ita communiter DD. Abbas *in cap. Gemma, numer.* 8. *de Sponsal.* cum pluribus, Sanch. *l.* 1. *de Matrim. disp.* 35. *numer.* 3. Ex hac differentia cum Panormitan. inquit Sanch. *loco cit.* arrhas ab ipso jure in contractibus liberis esse approbatas, pœnam verò reprobatam. Vnde metus perdendi pecuniam jam traditam, libertatem non aufert, sed solùm metus perdendi pecuniam solvendam, & ex crumena depromendam, vt inquit Abbas *cit.* Addit ipse Sanch. *loco cit. numer.* 4. valere donationem; *Siquis dicat do tibi centum pro pœna, si matrimonium tecum non contraxero, dummodo re ipsa tradat illa centum*; quia inquit, hæc promissio, seu donatio ratione traditionis, nomine tenus, & non realitate, pœna est. Quare ad nostrum intentum magna consideratio facienda est. Nam in præsenti casu adfuit promissio cum traditione quingentorum millium regalium, quæ statim fuerunt tradita mense Iulij, ex vi donationis mense Iunij factæ, vt constat ex dotis scriptura, & dictis *numer.* 1. *Solutis jam quingentis millibus regalibus.* Vnde donatio quingentorum millium regalium simul cum eorum traditione fuit ante retrocessionem Dariæ: ergo non fuit propriè pœna, sicut non sunt arrhæ; imo possumus vocare dictam donationē, potius arrhas, quam pœnam. Quare concludo, quòd sicut arrhæ in matrimonio ex jure admittuntur, & solùm pœna reprobatur, sic donatio dictorum quingentorum millium regalium,

quia fuit simul cum traditione, ex jure non est reprobata, quia non est propriè pœna.

13 Dixi: *hanc donationem non esse propriè pœnam*; quia non nego esse aliquam pœnalitatem, juxta doctrinam Sanch. *lib. 6. decal. cap. 4. numer. 11 & 13.* & non illam, quæ supponit culpam; quamvis etiam pœnalitas secum afferat aliquam pœnam sufficientem, vt verificetur verbum *ammitteret*, ex qua in argumento fit mentio, & in hoc sensu vocari potest clausula pœnalis, vt ibi dicitur, derivato vocabulo à pœnalitate, & non à pœna propriè dicta.

14 Nec obstat tertio, dictam donationem quingentorum millium regalium videri fuisse simoniacam; quia conventui fuit facta ad recipiendam Dariam, & non ratione illius sustentationis, sed etiam in casu, quo illa professionem non emitteret, & à conventu resiliisset: hujusmodi verò cõtractus sunt simoniaci, *c. Quam pio, quæst. 2.* Imo potius hæc dos dictæ Dariæ videtur fuisse excessiva; & maior illa, quæ ad necessariam sustentationem requirebatur, & juxta excessum videtur fuisse simoniaca: nam omne id, quod donatur monasterio pro ingressu, excepta dote necessariâ ad sustentationem, videtur simoniacum, *cap. Nullus 1. quæst. 2. cap. Non satis, cap. De Regul. cap. Veniens, cap. Quoniam, & cap. Audivimus, de Simon. & Extrav. 1. de Simon.* Inter communes, vbi reputantur pro simoniacis, omnes contractus monasteria ingredientium, celebrati inter ipsa monasteria, & ipsos ingredientes, pro ipso ingressu. DD. autem solùm excipiunt ea, quæ pertinent ad necessariam ingredientium sustentationem, vt videre est apud Soar. *tom. 1. de Relig. l. 4. de Simon. cap. 17. num. 5.* Et certum, ac evidens est, omne quod fuit Simoniacum, restitui debere per *text. in dict. cap. Veniens, de Simon.* Vt communiter expendunt DD. apud Sanch. *l. 2. consil. cap. 3. dub. 112. numer. 3.* Quæ restitutio eidem personæ facienda est, vt notat idem Sanch. *cit. dub. 114. n. 5.*

15 Non, inquam, obstat, quia respondetur, dictam donationem non fuisse emptionem status Religiosi; nam si esset, fuisset simoniaca: quia dabatur aliquod temporale pro spirituali, vt est status Religiosus, *cap. Non satis, cap. Veniens, cap. De Regularibus*, & *cap. Quoniam, de Simon.* Sed quia fuit facta ad invitandum, & facilitandum monasterium, vt Dariam reciperet, vt constat ex verbis dictæ donationis, ibi: *Ex nunc puram, & irrevocabilem donationem inter vivos dictis dominis Monialibus, & earum conventui faciebat.* Ex quibus rectè constat, talem donationem fuisse puram, & gratuitam, absque respectu ad pactum, aut obligationem onerosam ex parte monasterij.

16 Non nego, quòd in dotis scriptura, monasterium se obligavit ad recipiendam dictam Dariam; sed dico, id fuisse propter dotem, & non propter donationem. Itaque in hac scriptura duo intervenerunt, dos quatuor millium ducatorum, & donatio quingentorum millium regalium: Ob donationem, se facilem exhibuit conventus, & per dotem obligatum ad recipiendam Dariam. Itaque donatio solùm fuit invitans; dos verò onerosa; & quando donatio est solùm facilitans, & invitans, vt monasterium aliquam ad Religionem recipiat, non est simonia. Vt cum D. Thom. & communi DD. docet Soar. *citat. dict. tom. 1. de Relig. l. 4. de Simon. cap. 17. num. 3.* qui textum *in cap. Quam pio*, solùm intelligunt, quando, quòd donatur pro statu Religioso, non est donatio gratuita, sed pactum onerosum.

17 Ad id. quod dicitur de dote, quæ ex eo, quòd sit in ea magna summa quatuor millium ducatorum, & excedat sufficientem sustentationem dictæ Dariæ, videri, esse simoniacam: Respondeo, has dotes non esse simoniacas: nam quod datur, non datur ob statum Religiosum, qui est spiritualis, sed ad sustentanda onera temporalia, quæ sequuntur, ex ingressu talis personæ. Ita communiter DD. Turreorem *1. q. 2. in principio*, Glos. *in cap. Non satis*, & *in cap. Quoniam, de Simon.* Soar. *cit. dict. cap. 17. num. 6* cum D. Thom. & alijs pluribus. Et hoc est certum, & evidens, ex eo, quòd hic mos in monasterijs vigeat. Idem patet in dote ad matrimonium, quod non datur ob sacramentum spirituale, sed pro onere. Idem in pecunia, quæ datur ob Missas dicendas. Idem in decimis, quæ à parochianis ad sustentationem sacerdotum tribuuntur.

18 Scio, aliquos DD. apud Soar. *citat. numer. 9.* asserere: Ad hoc, quòd dos sit licita, esse necessarium, *vt revera monasterium egeat.* At etiam scio, hanc monasterij necessitatem esse taxandam, non respectivè ad personæ ingredientis sustentationem, sed etiam ad debita, & necessitates, quibus monasterium gravatur, vt circunspectè notant DD. Tambur. *tom. 3 de Iure Abbat. in fine*, & *decis. quas ex Rota affert, decis. 112. num. 9.* & latè probat *ex text. in cap. 2 §. Vbi autem, de Decim. in 6.* quem textum cum alijs ad idem intentum affert Rebuff. *tract. de Congrua, num. 6. & 7.* Idem repetit *in l. Conditionalis causa, fine, 54. ff. de Verbor. signif.* Idem Glos. *in cap. Cum adeo, verb. Sufficienter, de Rescript.* Et de hac materiâ extat *decis. Rotæ, quæ est 31. part. 1. in novis*, quas refert Tambur. *loco citat.* Et certum constat, monasterium, de quo agimus, & ex ipsa scriptura plures pati necessitates, ob plura debita, quibus gravatur.

19 Addo, quòd dicta quingenta millia regalia [quidquid sit de excessu dotis, qui dictis quingentis millibus regalibus complet dicta quatuor millia ducatorum] super quibus vertitur dubium; & primo loco tradita, fuerunt mense Iulij, remanent extra omne Simoniæ scrupulum. Primò, quia donata fuerunt in casu, quo dicta Daria professionem non emitteret, sine pacto onerolo, & solùm per donatio-

nem

nem puram, & gratuitam, vt constat *ex dictis à num.* 15, Secundò, quia dicta quingenta millia regalia, quæ [vt dixi] fuerunt primo loco donata, dotem competentem non excesserunt; quidquid sit de quantitate superveniente: Ea enim tantùm [non tamen fuit] esset invalida, quia excedebat quantitatem. Nam quando donatio eam quantitatem excedit, in qua est licita; quoad excessum est tantùm invalida *l. Sancimus*, 34. *Cod. de Donat.* manente in suo vigore, parte non excedente, quia vtile per inutile non vitiatur, *Regul. vtile*, 37. *de Regul. jur. in* 6. & expressè habetur *Ordin. cit.*

QUÆSTIO LXXXVII.

An per donationem pecuniæ summæ à Religioso factam, de licentia sui Prælati, & postea revocatam, aut declarationem tempore mortis exhibitam ab eodem Religioso, jus habeant consanguineæ ad petendam eam summam donatam, aut declaratam?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Donatio in præsenti non habet locum.*
3 *Ex declaratione facta jus habent consanguineæ.*
4 *Non est contra votum paupertatis, nolle Religiosum dona acceptare, & rogare, quod sororibus erogentur.*
5 *Non est contra votum paupertatis, distribuere magnam summam pecuniæ in operibus pijs nomine exonerantium suas conscientias.*
6 *Declarationi in hora mortis factæ, fides adhibenda est.*
7 *De Religioso extraordinaria malitia præsumenda non est.*
8 *Præsumptio solùm valet de crimine, quòd probatur.*
9 *Licentiæ petitæ stare non potest præsumptio, data aliqua fortiori præsumptione, pro parte opposita.*

1 QUidam Religiosus ex præcepto suorum Prælatorum cum officio Vicarij Generalis ad Fluvios Quuamæ missus fuit, ubi per annos octo demoratus; ad illorum finem, ægrotus ad locum ditionis hujus Regni pervenit; ibi à suo Prælato licentiam petijt, vt, de quinquaginta millibus aureis ex dictis Fluvijs allatis, viginti mille concederet, mittendos filiabus suæ sororis, quas in Portugalia habebat. Postulatis annuit Prælatus. Alterà autem die licentiam revocavit, dicens, eam concedere non posse. Post breves dies mortuus fuit dictus Religiosus, & ante mortem coram personis Religiosis, & alijs non Religiosis, declaravit; quòd ex illis bonis allatis, quindecim millia aureorum erant suæ sororis, matris earum quatuor fœminarum. Et à suis Prælatis precabatur, vt illa suæ sorori mitterent, & traderent. Defuncto Religioso, ea quindecim millia aureorum cum alijs bonis Religionis incorporata fuerunt. Quæritur, An teneantur dicti Religiosi, eos viginti mille aureos, ex licentia concessa à Prælato, & alios quindecim ex facta declaratione, restituere personis à Religioso defuncto designatis?

RESOLUTIO.

2 Quoad primam partem de donatione facta, filiabus sororis, ex licentia Prælati, ab eo Religioso? Respondeo, non teneri dictos Religiosos, eos viginti mille aureos ijs filiabus restituere. Ratio est, quia ex *dictis numer.* 1. ea donatio non videtur fuisse perfecta; nam ad illam tantùm concessa fuit licentia, & sine dubio est, quòd in quantum jus ipsis filiabus sororis non erat acquisitum, in ipso solùm Religioso residebat licentia; & sic ipsi Religioso a suo Prælato revocari poterat; quia omne id, quod habet Religiosus, dum illud habet, suo Prælato semper subjicitur, *cap. Non dicatis*, 12 *q.* 1. ibi: *Semper promissam obedientiam penitus aliorum potestati, & imperijs in Christo, & pro Christo subdiderint, &c.* Et expressius *cap. Si Religiosus* 27. *de Elect. in* 6 Vnde sequitur, quod dum dicta licentia est, tantùm in dicto Religioso, à Prælato revocari potuit: sed fuit revocata, dum erat tantùm in ipso Religioso: ergo

3 Quoad secundam partem de declaratione facta ante mortem ab ipso Religioso? Respondeo, per illam concedi jus sorori, & illarum filiabus, vt eam summam aureorum possint petere, & Religiosis, eam illis tradendi. Ad hanc probandam resolutionem suppono tria, inter DD. communia, Primum est, quod ordinariè contingit similibus Religiosis ad eas, & similes regiones euntibus cum ijs Prælatis, & dignitatibus, & etiam sine illis, qui in illis à personis divitibus eleemosynas, ad sorores, & illarum filias protegendas postulant, & summâ facilitate magnam divitiarum summam ab illis recipiunt. Et dicti Religiosi eas mittunt, aut portant, quando revertuntur, ipsis sororibus, aut illarum filiabus, nomine personarum, quæ illas erogarunt eleemosynas, quin hoc sit contra votum paupertatis, vt est manifestum.

4 Secundò suppono, personas divites ipsis Religiosis, in ijs regionibus, magnas erogare eleemosynas, quas ipsi sibi acceptare nolentes, rogant ipsas personas, vt illas donent suis sororibus, & illarum filiabus pauperibus, quas in hoc Regno habent, in quo facillimè veniunt eæ personæ,

sonæ, & tales Religiosi eas eleemosynas recipiunt, & nomine donantium, eas mittunt, vel afferunt ipsis consanguineis pauperibus. In quo nihil etiam reperitur, contra votum paupertatis vt late probant Sanch. *de Matrimon. l. 6. disp. 4. numer. 7. & l. 7. decal. cap. 19. numer. 74.* Soar. *tom. 3. de Relig. l 8. cap. 11. numer. 45.* Cened. *de Paupert. Relig. dub. 29. num. 4.* Stephan. Gratian *discept. forens. tom. 2. cap. 202. numer. 17.* Laym. *in Summ. l. 4. tract. 5. cap. 7. num. 16.* & cum Perin. Bonac. Fagund. Turrian. Filliuc. Sousa, Villal. Naldo, Rodrig. & alijs Dian. *1. part. tract. 6. de Paupert. Relig. resol. 8.*

5 Tertiò suppono, alias dari personas divites, quæ pro suis exonerandis conscientijs in vita, vel in hora mortis, Religiosis magnas pecuniarum summas tradunt, distribuendas, nomine ipsorum, in operibus pijs; de quibus, & ipsarum distributione obligationem suscipiunt. Et tales Religiosi nomine dantium, eas summas distribuunt, protegendo personas nobiles, & pauperes, eas dotando, aut dotes tribuendo, vt Moniales fiant. aut suis debitis, aut necessitatibus succurrendo, aut alijs operibus pijs distribuendo, quorum onus subsè susceperunt. In quo etiam nihil est contra votum paupertatis, vt doctissimè probant Sanch. *l. 7. decal. cap. 30. numer. 4.* Lezan. *in Summ. qq. Regular. tom. 1. cap 6. numer. 39* Dian. *1. part tract. 6. resolut. 29.* Faust. *in Thesaur. l. 8. q. 109. num. 2.* His tribus suppositis.

6 Probatur resolutio, asserendo, fidem adhibendam esse declarationi à dicto Religioso factæ, in hora mortis, dicente, eam pecuniæ summam, ad suam sororem, & earum filias pauperes pertinere. Non ex eo, quòd ea declaratio vim, aut vigorem habeat aliquem, ex ejus voluntate: nam Religiosus eam non habet, *cap. Si Religiosus 27. de Elect. in 6* & ideo testari nequit, *cap. 2. de Testament. cap. Quia, 19. q. 3.* & *seqq. cap. Perlatum,* & *l. Authoritate ingressi, C. de Sacros. Eccles.* & alijs juribus apud Sanch. *l. 7. decal. cap. 8. numer. 2.* sed in quantum veritatis est declaratio: Verisimile enim non est, Religiosum, cujus virtute, & meritis sua Religio muneribus auxit; in hora mortis, cognoscentem se moriturum, & Deo rationem brevi redditurum, voluisse suam Religionem de tam maxima summa defraudare, dicentem eam summam non ad suam Religionem, sed ad sororem, aut earum filias pertinere; vt dictum est.

7 Nec tam extraordinaria malitia, de Religioso præsumenda est, nisi probetur, *cap. Incunctis, 11. q. 3.* ibi *Nisi probata, credi non debent cap. Dudum, 16 de Præsumpt.* ibi in fin: *Præsumatur idoneus, nisi aliud in contrarium ostendatur.* Barbos. *in Collect. ad eum locum numer. 3.* cum Menchac. Mascard. Tiraq. Tusco, Mendes à Castr. & alijs pluribus; & *numer. 4.* ex hoc textu probat, vnum quemque purum præsumi debere, ita vt objicienti impuritatem, incumbat onus probandi; & in hujus confirmationem plures adducit decisiones Rotæ. Et in præsenti casu specialis adest ratio, quia Religiosa vita præcessit, *cap. Mandata, 6. de Præsumpt.* ibi: *Quia ex transacta in te vita,* supra; quæ verba notant DD. apud Barbos. *in Collect ibidem, numer. 3.* rationem anteactæ vitæ considerandam esse, ad æstimanda, metiendaque facta hominum; & in dubio standum est parti meliori, quæ delictum non præsumit, *cap. Stote misericordes, 2. de Reg. jur. l. Meritò ff. Pro socio, l. Creditor, ff. de Furt. l. Prator, ff. de Bonor. rapt. l. Proximè, ff. de His, quæ in testament. delentur.*

8 Nec obstat primò, dicere, [nescio, quòd dicatur) hunc Religiosum, quoad aliam summam fuisse proprietarium: ergo etiam, quoad hanc, nam *semel malus, semper præsumitur malus. Regul. semel, de Regul. jur. in 6.* Non, inquam, obstat, nam quoad aliam summam, vel fuit proprietarius, quia ita præsumitur: & hoc non est dicendum; non enim præsumendum est tale delictum, vt constat ex dictis: aut quia ipsemet id in hora mortis confessus fuit; & hoc etiam non; quia præsumptio solùm valet de crimine, quòd probatur, & non de crimine, quod libere confitetur: nam hoc amplius non extenditur, quam ad confessionem, vt communiter notant DD apud Menochium *de Præsumpt. l. 1. quæst. 20. num. 1.*

8 Nec obstat secundò, dicere, adesse præsumptiones contra dictum Religiosum, ex quibus præsumitur esse proprietarium; & illarum una est, se licentiam exigisse, ad donandum dictis filiabus ex sorore, viginti millia aureorum ex quinquaginta, quæ apud se invenierentur. Non, inquam, obstat, quia licentiam exigere, ad illos viginti mille aureos, ex quinquaginta à se habitis, non tollit, quòd esse potuissent quindecim suæ sororis Hoc enim stare potest, cum licentia exacta, ad viginti millia aureorum, quæ suæ sororis filiabus cum licentia donare volebat; adhuc enim suo monasterio quindecim remanebant, quæ ille acquisivit. Et dato, quòd ex hoc aliqua contra illum præsumptio resultasset, multo efficacior est, quæ adest; quòd aliqua ex ea pecunia fuit erogata, pro eleemosynis ad dictam pauperem sororem, quia ita mos est. vt *supra à numer. 3.* diximus, & hic Religiosus, in hora mortis declaravit: at præsumptio efficacior, & potentior rejicit minus efficacem, & potentem, *cap. Quia verisimile, 10. de Præsumpt.* ibi: *Provideas, ne super hoc probationem recipias* Barbos. *in Collect. ad idem cap. numer. 4.* cum Hypolit. & alijs pluribus, & *tract. de Axiomat. 186. num. 3.* id probans *ex l. Dives, ff. de Integ. restit. & l. Non solum ff. de Ritu nuptiar.* & alijs jurib. Accedunt Sanch *l. 7. decal. cap. 1. num. 10.* Menoch. *de Præsumpt. l. 6. præsumpt. 64. num. 46. & l. 5. præsumpt 21. num. 22.* Et dubium non est, præsumptionem in præsenti casu esse fortiorem. Sic censeo, considerando ter-

terminos facti speciei; nam alia ex via, aliam non habeo notitiam.

QUÆSTIO LXXXVIII.

Cui conventui restitui debeat pecunia, in hora mortis tradita, *a* quodam Religioso suo confessario, dicente; suis Prælatis eam esse tradendam?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Pertinere videtur ad conventum in quo habitat.*
3 *Etiam pertinere videtur ad alios conventus, in quibus habitavit.*
4 *Pertinet ad conventum, in quo habitat.*
5 *Non pertinet ad alios conventus.*
6 *Regula semel malus in præsenti casu non habet locum.*

1 QUidam Religiosus certæ Religionis morti proximus, suo confessario revelavit, certam pecuniæ quantitatem se habere, de qua suis Prælatis notitiam non dedisset; & si Deus ab hac vita eum tolleret, eam ipsis suis Prælatis traderet; locum, in quo erat, designans. Defuncto Religioso, confessarius pecuniam suis Prælatis tradidit Provincialis sententiam protulit, eam pecuniam, ad conventum, in quo erat conventualis, quando mortuus fuit, pertinere; & in illius operibus expendendam, & breviter in illis fuit consumpta. Quæritur 1. An dicta pecunia ad dictum conventum, an ad alios, in quibus fuit conventualis, pertineat. Ratio dubitandi est, quia dictus Religiosus non declaravit, quomodo acquisierit talem pecuniam; nec peculium habebat, nec sua Religio illud permittit; & in alijs conventibus vitam duxit, munus procuratoris gerens, sicut actualiter illud, in hoc, in quo mortuus fuit, gerebat. 2. An semel facta à Provinciali eâ aplicatione, & ab illo declaratum, eam pecuniam pertinere ad conventum, in quo mortuus fuit, cesset tota dubitatio, ita vt nullus ex conventibus, in quibus vitam egit, actionem habeat, ad eam pecuniam, vt suam procurandam?

§. I.

An pecunia apud Religiosum defunctum inventa, pertineat ad conventum, in quo mortuus fuit, aut ad alios, in quibus, sicut in hoc, munus procuratoris obivit?

2 Ratio dubitandi, quæ proximè *num. præcedenti* adducitur, difficultate non caret. Ante resolutionem duo suppono certa. Primum, pecuniam à Religioso acquisitam, monasterio fuisse acquisitam, *cap. Abbates*, 18. *quæst.* 2 ibi: *Omnia, quæ acquisierit, ab Abbatibus auferantur, secundum regulam, monasterio profutura*; & ibi communiter DD apud Barbos. *in Collect ad cit. cap.* Et juxta hanc formam ad conventum, in quo habitat pertinet pecunia; & si postea ad alium transeat conventum, pecunia in primo acquisita, ad illum, & non ad secundum pertinet, in quo de facto habitat. Sic cum communi DD. Sanch. *l. 7. decal. cap. 32. numer. 8. & 9.*

3 Secundum; si dictus Religiosus in alijs conventibus habitavit, in illis obeundo munus procuratoris, & probetur in alijs partem illius pecuniæ acquisijsset; ad hunc conventum, in quo habitabat, quando mortuus fuit, non pertinet tota illa pecunia, sed etiam ad alios. Hæc resolutio sequitur ex primo supposito. Et juxta illam, & pecunia per omnes destribui debet, plus, aut minus, juxta tempus, quo fuit procurator, & maiores, aut minores redditus illorum conventuum. Quia tamen ab his conventibus hoc non probatur.

4 Respondeo, dictam pecuniam pertinere ad vltimum conventum, cujus erat conventualis, in quo hic religiosus fuit defunctus. Hac duplici ratione probatur. Prima, quia talis conventus possessionem habet, cum titulo ab ipso jure, super similem pecuniam suorum Religiosorum, præstito *in cap. Abbates*, 18. *q.* 2. & §. *Si qua mulier, Authent. de Sanctiss. Episcop. & cap. Illud quoque, de Sacros. Eccles. & cap. Si qua mulier, & cap. Quia ingredientibus*, 19 *q.* 3 & ex parte aliorum conventuum non adest causas ex qua constet, ad illos posse pertinere eam pecuniam, nisi quædam suspicio, aut dubium: in dubio autem non est qui spoliandus possessione sua. Item in dubio melior est conditio possidentis. Quia tamen hæc ratio solùm probat de possessione possidentis, & proprietatem non probat, adducamus aliam, quæ hanc directè probat.

5 Secunda igitur ratio sit: Quia hic Religiosus sufficienter declaravit, eam pecuniam ad alios non pertinere conventus. Et hoc dupliciter probatur. Primo, quia jussit, eam pecuniam suis superioribus tradi, quia ad alios pertinebat; & illi solùm, quos in hoc ultimo conventu habebat, erant sui superiores, alij autem aliorum conventuum, cùm esset hujus conventualis, sui non erant superiores. Secundo, quia de alijs conventibus nullam mentionem fecit: imo illos excluſit; nam si ad illos ea pecunia pertineret, id tenebatur declarare: præsumique non potest de hoc Religioso, post signa veræ pœnitentiæ data, æquè cum præscientia periculi, & horæ, in qua erat, & à suo confessario admisso, cum quo de anima sua, & exoneratione suæ conscientiæ egit, voluisse vitam finire in

eodem

eodem injustitiæ peccato contra alios conventus, non declarando restitutionem illis debitam.

6 Nec obstat *Regula semel malus, semper præsumitur malus, de Regul. juris in* 6. Non, inquam, obstat, nam hæc regula hic non habet locum; primò, quia præsumptio cum pœnitentia finitur, & post illam non habet locum. *Cap. Ferrum,* 50. *dist. cum* Gloss. & communi DD. *ibidem.* Secundò, quia solùm valet in præsumptione criminis probati, & non criminis libenter confessi. In hoc enim amplius non extenditur, quàm ad confessionem, vt docet Menoch. *de Præsumpt. l.* 1 *quæst.* 20. *numer.* 1. & diximus *quæst. præced. numer.* 8. at dictus Religiosus dixit eam pecuniam solùm ad vltimum conventum, & non ad alios, pertinere.

§. II.

An semel factâ à Provinciale applicatione, & ab eo declaratum, eam pecuniam pertinere ad conventum, in quo mortuus fuit dictus Religiosus, cessèt tota dubitatio, ita vt nullus ex conventibus, in quibus vitam egit, actionem habeat ad eam pecuniam, vt suam, postulandam?

SUMMARIUM.

7 *Non cessat dubitatio; sententia enim fundata fuit in præsumptione.*
8 *Præsumptio rejicit onus probandi in adversarium.*
9 *In præsenti præsumptio semper erit efficacior pro vltimo conventu.*
10 *Præsumptio semper fieri debet in meliorem partem.*

7 Respondeo, non cessare dubitationem, & posse omnes alios conventus adversus hunc vltimum movere actionem. Ratio est, quia sententia in favorem hujus vltimi lata à Provinciales fundatur tantùm in præsumptione: præsumptio verò semper probationem in contrarium admittit, vt cùm communi DD. tenet Gloss. *in cap. Ferrum,* 50. *dist. verb. Quòd non fuit,* & Gloss. *in Reg. Semel malus,* 8. *de Regul. jur. in* 6.

8 Cæterùm tria sunt advertenda. Primum, præsumptionem onus probandi in contrarium rejicere; vt asserit communis DD. sententia apud Menoch. *de Præsumpt. l.* 4. *præsumpt.* 116. *numer.* 34. *& l.* 6. *præsumpt.* 13. *numer.* 6. Vnde, si alij conventus contrarium non probaverint, ab hoc vltimo nihil accipere possunt.

9 Secundum, in hoc præsenti casu semper præsumptionem pro hoc vltimo conventu futuram esse efficatiorem: præsumptio autem efficacior, & potentior minus efficacem, & potentem rejicit, vt est communis sententia apud eundem Menoch. *lib* 6. *præsumpt.* 64. *numer.* 46. *& l.* 5. *præsumpt.* 21. *numer.* 12. *& l.* 3. *præsumpt.* 132. *numer.* 84. *& l.* 1. *quæst.* 30. *num.* 1. 5. *&* 6. & alijs, vt dictum est *q. præcedenti numer.* 8. *fine.*

10 Tertium, præsumptionem semper in meliorem partem fieri debere, vt cum communi docet idem Menoch. *l.* 1. *quæst.* 13. *numer.* 5. & melior pars in præsenti casu solùm stat pro vltimo conventu, quia ita aut nullum, aut minus præsumitur delictum. Et vt notat Menoch. *l.* 3. *præsumpt.* 52. *num.* 5. in dubio præsumptio ad delictum vitandum sumenda est.

QUÆSTIO LXXXIX.

An Prælatus ex dicto vnius, vel alterius personæ particularis ad Ecclesiam curatam non providens nototiè digniorem, sed dignum, peccet mortaliter, & restituere teneatur; & stare dicto vnius testis se retractantis?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Certum est peccare mortaliter.*
3 *Adducitur propositio damnata ab Innocentio.*
4 *Prælatus condemnari nequit absque cognitione qualitatis testis.*
5 *Communis opinio asserit, restitutionem deberi.*
6 *In præsenti casu Prælatus non damnatur; ipse sibi consulat.*

1 IN quadam hujus Regni Ecclesia collegiata, quatuor parochiales annexas habente, juxta illius institutionem, consuetudo viget, vt in vacatione aliqua earum parochialium, quinque ex antiquioribus beneficiatis tres nominent clericos, vt ex illis Prælatus digniorem eligat. In vacatione unius, nominatis tribus à beneficiarijs, Prælatus præcedente diligenti examine Theodorum notoriè digniorem, & alios dignos invenit. Et cùm Ecclesiæ provisio, pro dihniore facienda, instaret, vnus ex dignis Prælatum convenit dicens, Theodorum provisum esse non posse; quia partem Christiani novi ideſt, descendentis à sanguine Hebræorum habebat. Quia tamen ab eo loco non erat oriundus, & terminus providendi instabat, ne hæc potestas ad superiorem devolveretur, juxta *cap.* 2. *De conceſſ. præbend. & cap. Licet, de Supplend. neglig. Prælat.* quendam ex dignis præsentavit. Theodorus mox querelam adversus Prælatum interposuit, quia dicto

dicto hominum interesse habentium, veritate non perspectâ, eum jure acquisito spoliasset; ab eoque petijt vt ex officio ad suum natale solùm inquisitionem de genere facere juberet. Precatoriam misit ipse Prælatus ad judicem Ecclesiasticum patriæ Theodori, vt exactè juberet, hanc fieri inquisitionem, ex qua planè constitit Theodorum nullam Christiani novi habere maculam, aut aliam, quæ illi impedimento esset, ne beneficium quodcunque Ecclesiasticum reciperet. Petijt iterum Theodorus à Prælato, vt sententiam ferret, ne aliâ aliquà occasione, ea de causa damnum pateretur. Et cùm jam Prælatus ad sententiam proferendam promptus esset, iterum occurrit oppositor, sistens chirographum unius testis inquisitionis, retractantis cum juramento testimonium in inquisitione latum, ac addentis in ipso chirographo, se ob justas causas juratum Theodorum esse Christianum veterem; scire tamen esse ex Christianis novis. Quæritur 1. An Prælatus ex dicto unius, aut alterius personæ digniorem non providens peccet mortaliter, & ad restitutionem teneatur? 2 An dicto vnius testis se retractantis stare possit, & sententiam juxta inquisitionem non proferre?

§. I.

An Prælatus ex dicto vnius, aut alterius personæ digniorem notoriè non providens mortaliter peccet, & ad restitutionem teneatur?

2 Quod attinet ad primum in titulo propositum; Respondeo absque dubio, peccare mortaliter Ordinarium conferentem, eligentem, aut præsentantem ad Ecclesiam curatam dignum, omisso notoriè digniori; vt communiter tradunt omnes DD. id probantes *ex text. in cap. Metropolitano*, 63. *dist. cap. Maiores, & cap. Licet*, 8 *quæstion.* 1. & præcipuè *ex Trident. sess.* 24. *de Reformat. cap.* 1. ibi: *Eosque alienis peccatis communicantes, mortaliter peccare, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis vtiles ipsi judicaverint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium*, &c. Et quamvis Trident. solùm de electione Episcoporum loquatur, DD. eandem doctrinam applicant ad alia beneficia, saltem curata, vt est præsens, de quo agimus. Sic DD. TT. & Canon. quos referunt, & sequuntur Rebell. *de Obligat. justit. part.* 1. *l.* 3. *quæst.* 5. Garcia *de Benefic. part.* 7. *cap.* 16. *a principio*, Cardin. de Lug. *de Just. disput.* 35. *sect.* 2. *à numer.* 10. Dian. *part.* 2. *tract.* 15. *resolut.* 40. & *part.* 11. *tract.* 4. *resolut.* 34. Barbos. *in Collect. ad Trident. sess.* 24. *de Reformat. cap.* 18 *numer.* 126. *& sequentib.* Ratio est, quia sive peccetur contra justitiam commutativam, sive distributivam, Ecclesia ipsa in re gravi, & notoriè dignior offenduntur; & possunt conqueri. Vide Barbos. *cit. num.* 126.

3 Corroboratur, quia Innocentius Papa XI. in Decreto incipiente *Sanctissimus D. N. quarta die Martij anni* 1679. *edito* hanc propositionem, vt minimum tanquam scandalosam, & in praxi pernicioſam damnavit: *Cum dixit Concil. Trident. eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis vtiles, ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent. Concilium vel primò videtur per hoc digniores, non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo, vel secundò, locutione minus propria ponit digniores, vt excludat indignos, non verò dignos, vel tandem loquitur tertiò, quando sit concursus.* Quæ ex damnatis est 47.

4 Quia tamen esse digniorem à multis dependet conditionibus, vt videre est apud plures, quos affert, & sequitur Barbos. *citat numer.* 129 & de illis ferre judicium spectat ad conferentem, seu præsentantem; idem Barbos. *a numer.* 41. poterit ille ex aliqua rationabiliter judicium ferre, non esse digniorem illum, qui ab alijs notoriè videbatur dignior, & sic non peccare. Et in præsenti casu, quamvis difficile videatur, testimonium, seu dictum unius personæ interesse habentis, & provisionem Ecclesiæ ad Ordinarium devolvi, Prælatum à culpa mortali excusasse minus dignum præsentantem. Hic tamen condemnari non potest sine aliqua cognitione qualitatis hujus testis, & periculi, quòd daretur defectu temporis ad capiendam novam informationem, & juris acquisiti, si Ecclesiæ provisio ad Ordinarium devolveretur.

5 Quod attinet ad secundum in titulo propositum, in quo inquiritur, an Prælatus Theodoro damnum illatum restituere teneatur, minus dignum ad eam Ecclesiam curatam præsentans? Respondeo communem opinionem affirmare. Ratio est, quia non solùm justitiam distributivam offendit, sed etiam commutativam ex institutione, & consuetudine illius Ecclesiæ orta; quia factâ nominatione à Beneficiarijs de tribus clericis ad eam parochialem, & fide data à Prælato eligendi, seu præsentandi digniorem, fidem non servavit. Et rectè colligitur ex Rebell. *citat.* Garcia *dict. cap.* 26. *a numer.* 30. cum pluribus, & cum alijs paucis Barbos. *in Collect. ad citat. Trident. sess.* 24. *resolut.* 35. Lessio *l.* 2. *de Just. cap.* 34. *dub.*

6 In præsenti tamen, non videtur absolutè Prælatus præsentans ad restitutionem condemnandus ex hac duplici ratione. Prima, quia opinio contraria digniori

gniori asserens non deberi restitutionem est probabilis, vt ex DD. illam sequentibus constat. Illam vt communem defendit Azor. *tom.* 2. *l.* 6. *cap.* 15. *quæstion.* 12. & cum Sot. Navarr. Ledesm. Henriq. Ioann. Zapata, & alijs Dian. *dict. part.* 11. *tract.* 4. *resolut.* 35. Garcia *dict. part.* 7. *cap.* 16. *numer.* 43. Mascard. & alij apud Barbos. *cit. in Collect. ad Trident. sess.* 24 *de Reformat. cap.* 18. *numer.* 27. *in fine*, & alij. Secunda, quia sicut absolutè dictum Prælatum de peccato mortali non condemnamus, ob defectum notitiæ testis, & periculum jurisdictionis ammittendæ, ex quibus motus fuit, ita cum absolutè ad restitutionem condemnare non possumus. Quamvis nègare non possim habere fundamentum ad examinandum hoc punctum, quia materia est scrupulosa; quamobrem sibi, animæque suæ consulat.

§. II.

An Prælatus, non obstante retractatione testis in chirographo, sententiam in favorem Theodori, proferre teneatur?

SUMMARIUM.

7 *Vt certum tenetur.*

8 *Dicenti se falsum deposuisse non adhibetur fides.*

9 *Quando aliquis in duplici judicio suum profert testimonium contrarium, standum primo.*

7 Respondeo proferre teneri, nulla habitâ ratione, de retractatione testis in illo chirographo facta. Hanc resolutionem existimo certam. Primò: quia Prælatus stare debet informatione per testes juratos facta, & nullam adhibere fidem retractationi in chirographo factæ; etiam dato, quòd chirographus sit certò testis retractantis. Ratio est, quia communiter docent Iuristæ, quòd quando testis in uno examine dicit contrarium illius, quod in alio dixerat: tunc non ad secundũ, sed ad primum dictum attenditur. Ita Abbas, & Felin. Decius, & alij plures, quos affert, & sequitur Menoch. *de Arbitrar. judic. qq. l.* 2. *centur.* 2 *casu* 108. *numer.* 9. & 10. Hæc doctrina colligitur *ex text. in cap. Sicut nobis*, 9. *de Testib.* Quod si standum sit pro primo dicto, quando secundum est etiam juratum cum alijs solemnitatibus secundum jus; Et à fortiori standum est primo dicto, quando secundum non est juratum, & adeo defectuosum, vt *ex dictis numer.* 1. constat.

8 Secundò; nam testi dicenti se falsum deposuisse non adhibetur fides, vt tradit Stephan. Gratian. *discept. forens. cap.* 192. *numer.* 9. & *seqquentib.* Et etiam si dicat in articulo mortis, Mascard. *conclus.* 359. *numer.* 32. Et cum Hortens. Cavaleant. *in Practica, de Test. part.* 3. *numer.* 59. tenet Emman Barbos *in Remiss. ad Ordination. Reg. Lusitan. l.* 5. *titul.* 54. *ad principium, numer.* 9 ergo etiam à fortiori nulla fides adhibenda est testi dicenti in chirographo se fallum deposuisse in informatione; quia tenebatur in materia adeo gravi dicere Theodorum esse Christianum novum, vt sic impediretur ab officio, & ministerio parochiali. Accedit, quòd primum dictum in inquisitione latum fuit cum juramento, & hoc secundum in epistola sine illo, [vt jam dixi] & sic pro primo standum est à Prælato, vt latè probat Farinacius *de Testibus quæst.* 66. *part.* 4. pluribus adductis textibus, & DD.

9 Tertiò: testis quando in duplici judicio suum profert testimonium, & in altero contrariatur, statuo priori dicto, ut sentit Barthol. *in l. Eos numer.* 1 *ff. ad l. Cornel. de Falsis*, & resolvit Menchac *Vsu frequent. l.* 2 *cap.* 32. *numer.* 1. apud Emman Barbos *in Remiss. ad Ordin. Reg. Lusitan. l.* 3 *tit.* 16. § 1. *numer.* 5. ergo idem dicendum in præsenti casu.

QUÆSTIO XC.

An bona maioratus distrahi possint, ad dotem descendentis ab institutore maioratus?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*

2 *Bona maioratus possunt alienari in dotem descendentis ab institutore, quam possessor dotare tenetur.*

3 *Bona per plures annos possessa, sciente, & patiente eo, qui ea bona prætendere poterat, præsumuntur cum titulo possessa.*

4 *Sufficienti facta diligentia, invenitur villam fuisse in dotem donatam, præsumi potest legitime fuisse alienatam.*

1 Duo nepotes villam possidebant, quam ob aviæ, filiæ cujusdam institutoris maioratus, habuerunt; & scrupulis angebantur: quia villa donata fuerat ab uno maioratus possessore, ob dotem ipsi aviæ traditam, non habenti in sua legitima juxta suam qualitatem dotem competentem. Quæritur: An eam retinere possint in foro conscientiæ, & externo?

RESOLUTIO.

2 Respondeo ad præsentis casus resolutionem duo principia considerari posse, propter quæ nepotes dictæ fœminæ excutentur non solum

solùm in foro conscientiæ, sed etiam in foro externo, à restitutione facienda vocatis in testamento ad maioratum.

Primum est, quòd bona fidei commissa, ut est dicta villa, & maioratus, possunt alienari, & distrahi in dotem personæ descendentis ab institutore, quam possessor dotare tenetur; & alias sufficientia bona non habet libera, ut id facere possit, ut qualitati talis personæ convenit. Hoc principium expresè habetur in jure *Authentico de restit.* § *quam obrem*, & §. *hæc igitur*, & *Authentic. Res*, *C. communia*, *de legat.* ibi: *Sed si liberis portio legitima non sufficit ad dotis, sive donationis propter nuptias obligationem, permittitur res prædictas in eam causam alienari*, &c. Hæc est communis DD. sententia; Covarruv. 3. *variar. cap.* 6. *numer.* 10. *Vers. Primum*, Molin. *de primog. l.* 4 *cap.* 6. *à numer.* 2. Molin. Theol. *tractat.* 2. *disput.* 648 *num.* 1. qui alios referunt. Et hæc sententia etiam habet locum, quamvis fidei commissum, seu maioratus institutus fuisset cum expressa alienationis prohibitione; dummodo expresè prohibitum non sit, res ad illum pertinentes alienari in nullo eventu aut neque in dotem, aut ad donationem propter nuptias; ut notant DD. citati Molin. Iurista, *numer.* 10. & 11. Theologus, *num.* 3. & est sententia communis.

3 Secundum principium est, quòd quando aliqua, aut aliquæ personæ aliqua bona in possessione per plures annos tenuerunt, sciente, & patiente illo, qui ea bona esse sua prætendere poterat. Et si dubitatur, si dictæ personæ ad talium bonorum possessionem legitimum obtinebant titulum, præsumitur habuisse talem titulum, & quòd legitimè ea acquisierunt; & cum licentijs, & necessarijs consensibus ad ea habenda, maximè si possessio fuit longissimi temporis, id est, triginta, aut quadraginta annorum. Sic tradit Caldas *de Renovat. emphyt. quæst.* 15. *numer.* 13. & 14. ubi cum multis advertit hoc procedere, etiam quando ex parte adversarij non intervenit aliquod factum, sed tantùm patientia

4 Iuxta hæc principia, si dicti nepotes, factâ sufficienti diligentiâ, inveniunt dictam villam suæ aviæ non fuisse illegitimè donatam, imo potius inveniunt fuisse in dotem donatam, ut dicitur *numer.* 1. & illis non constat, parentem eam potuisse dotare ex alijs bonis liberis, quæ habuisset; præsumere possunt dictam villam legitimè à maioratu fuisse alienatam; & dictæ suæ aviæ validè, & licitè donatam, & sic tutâ conscientiâ eam retinere. Nec in foro externo ab illis auferetur, nisi pars adversa probet non interveniss̃e titulum, nec licentias necessarias, ut à maioratu alienari possit.

QUÆSTIO XCI.

An Canonicus ex licentia, & negotijs Capituli modicæ utilitatis absens suos faciat fructus, & primo novitiatus anno cum licentia ad breve tempus absens, & beneficiatus primis sex mensibus non recitans teneatur ad restitutionem?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Canonicus absens ex licentia, & negotijs capituli modicæ utilitatis ex consuetudine suos facit fructus.*
3 *Canonicus obligatus ad residentiam novem mensium illam non faciens condonantibus capitularibus, ex consuetudine, ad nihil tenetur.*
4 *Canonicus priori anno non residens per quindecim dies ex causa concionis faciendæ, & ex commissione negotiorum non gestorum ad restitutionem non tenetur.*
5 *Beneficiarius simplex primis sex mensibus non recitans ad restitutionem non tenetur.*

1 ANdreas cujusdam cathedralis canonicus per spatium septem, aut octo annorum non resedit, nisi tantùm per duos ad tres menses singulis annis. In ijsdem semper mense Iulij residebat, ut privilegio dierum à Conc. Trident. *sess.* 24 *de reform. cap.* 12. & alijs emolumentis interessentibus concessorum gaudere possit. In capitulo plures habebat amicos; in omnibus, ac si esset præsens, cum numerantes. Et dum studijs in Vniversitate vacabat, commissionem à Capitulo obtinuit ad recuperandas aliquas Episcopatus pensiones, quas recuperavit; erant tamen tam tenuis momenti, ut assistentia unius canonici non indigerent. Hujus verò commissionis causâ omnia vincebat, ac si esset præsens. Hæc est praxis, & consuetudo hujus cathedralis. Quæritur Primò: An hæc consuetudo, & tale, ac tale negotium eum à restitutione excusset?

2 An teneatur, ad restitutionem priorum novem mensium, ad quorum residentiam obligabatur: illam tamen capitulares condonarunt. & de facto id faciunt in ea cathedrali, ut de proximo eam decem, aut duodecim pepercerunt?

3 An teneatur ad restitutionem absentiæ quindecem dierum alterius cathedralis, in priori anno factæ, causa concionis dicendæ extra civitatem; & ne residentiam frangeret, capitulares quædam negotia commiserunt, in quibus nihil actum fuit, quod committentes non ignorarunt?

4 An habens beneficium simplex, in redditibus annuis habens quinquaginta millia regalia Lusitana teneatur ad restitu-

tionem non recitans primis sex mensibus officium divinum; quia non teneri audierat, nullam tamen adhibuit diligentiam, deinceps tamen recitavit?

RESOLUTIO.

2 Hæ dubitationes ab eodem Andrea in quadam epistola fuerunt propositæ, & quæsitæ; in hac etiam quæstione erunt resolutiones, ut datæ fuerunt. Ad primam, in qua quæritur, an Canonicus absens ex licentia, & negotijs capituli modicæ utilitatis suos faciat fructus, introductâ in eâ cathedrali eâ absentiæ consuetudine? Respondeo, suos facere fructus; Ratio est, quia ea consuetudo censenda est licita, & valida, quia ex privilegio, ea absentia est licita: ergo etiam ex consuetudine legitimè introducta: non enim apparet dispar ratio. Ita sentit Castr. Palaus *tom. 2. tractat. 7. disput 3. punct. 9. §. 12. numer. 3.*

3 Ad secundam, in qua inquiritur: An canonicus, per statutum obligatus ad residentiam priorum novem mensium, illam non faciens; & illam condonantibus alijs capitularibus ex consuetudine in ea cathedrali introducta, ad quid teneatur? Respondeo ad nihil teneri, ut ex proximæ resolutionis ratione, constat.

4 Ad tertiam, in qua petitur; An dictus Canonicus in altera cathedrali canonicus, priori anno, non residens per quindecim dies ex causa concionis faciendæ extra civitatem, ex licentia, & commissione negotiorum non gestorum, ad restitutionem teneatur? Respondeo, non teneri, nec alius scrupulus in hac dubitatione intervenire potest. Ratio est, quia potest capitulum canonicis, & præbendatis dare licentiam, & eos habere pro præsentibus ultra tempus à Concil. permissum, saltem ad breve tempus, ex causa justa, & rationabili; ut tenent viri docti, & inter eos Palatius, & Gutierr. ille Magistralis, hic Doctoralis, ut refert. Garcia *de benef part. 3. cap. 2 numer.* 403. quando absentia est ad breve tempus, quale est quindecim dierum, respectu unius anni, & ex causa rationabili; ut est dicendi prædicationem, quæ sententia est probabilis.

5 Ad quartam, in qua interrogatur: An beneficiarius simplex primis sex mensibus non recitans ad restitutionem teneatur? Respondeo non teneri. Ratio desumitur *ex Concil. Laterarensi sub Leone X sess. 9. §. statuimus, & B. Pio V. in sua Constit. quæ incipit: Ex proximo Lateranensi edita 12. Kalendas Octobris* 1571. affirmantibus, beneficiatum clericum pacificè beneficium obtinentem, recitationem officij divini omittentem peccare mortaliter; & nihil de restitutione dixerunt; ergo tacitè insinuarunt nullam de ea primis sex mensibus dari obligationem. Sic ut probabilius docent Navarr. *cap. 21 de orat. numer. 31. Vasq.* sibi contrarius, *de benef. cap. 4. § 1. art. 1. dub.* 8 Lessius id latè probans *l. 2. de Just. cap. 34. dub. 31 numer. 129.* Bonacin *volum. 1. tract. 4. de horis Canon. & de his, quæ pertinent, &c. disput. 1. quæst. 5. punct. 2. numer.* 8. plures adducens, Filliuc. *tract. 23. cap 10. numer.* 308. Garcia *de benef part 3 cap 1. numer. 7. & 19.* Castr. Palaus *tom. 2. tract. 7. disp. 2 punct. 7. numer. 2.* Fragos *part. 2. de Regim. Reip Christ l 10 disp. 22. §. 5. numer. 1.* & alij contra plures, & graves DD. apud *cit.* quorum aliqui loquuntur cum aliqua moderatione.

QUÆSTIO XCII.

An in oppositione cujusdam præbendæ, cui opponuntur dum cathedratici, possit unus collega suffragium ferre pro suo collega contra alterum alterius collegij, maioris authoritatis, & antiquioris?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Peccat mortaliter ferens suffragium pro notabiliter minus digno.*
3 *Quando excessus non est notabilis, peccatum mortale non committitur.*
4 *Sequi potest opinio probabilis, relicta probabiliori.*
5 *Quomodo cognoscatur opinionem esse probabilem.*
6 *Potest pro suo collega loqui, quando pro illo, suffragium ferre potest.*
7 *Iuxta opinionem communem tenetur ad restitutionem, non tamen juxta probabilem.*
8 *Tenetur in sua libertate suffragium illius, cui loquutus fuit, reponere.*

1 AUgustinus ad provisionem cujusdam canonicatus habet suffragium, cui opponebantur duo viri clarissimi juris Canonici cathedratici, ambo collegæ, unus collegij Augustini, alter alterius collegij, magnæ authoritatis, & antiquioris vir. Augustinus pro suo collega suffragium ferre intentabat; & scrupulo anxius: Quæritur 1. An pro suo collega suffragans peccet mortaliter? 2 An pro hoc suo collega alia suffragia ab alijs suffragantibus acquirere possit? 3. An suffragium pro suo ferens ad restitutionem teneatur? 4. An teneatur, alium suffragantem, cui jam loquutus fuit, in sua libertate reponere?

RESOLUTIO.

2 Ad primum Respondeo peccare mortaliter Augustinum suffragium ferentem pro illo, qui notabiliter est minus dignus, quamvis

quamvis sit suus collega. Ratio est, quia præbenda digniori jubetur dari, & non meo collegæ. Ita communis DD. doctrina, apud Lessium *l. 2. de Iustit cap. 34. numer. 68. in fine.* Vide Latius dicta *ex Iure, & Conc. Trident.* & cum pluribus DD. *supra quæst. 92. num. 2. & 3.*

3 Dixi *notabiliter*, nam una ex causis excusantibus à peccato eligentes minus dignum, relicto digniori, est quando excessus non est notabilis, & manifestus, ut cum valero, Ioann. de la Cruz, Rivio, Silvio, Tanero, Lessio, & Villalobos tenet Dian. *part. 3 tract. 5. miscellan resol. 110.*

4 Dixi, suffragium non esse ferendum pro illo, quem *scit esse minus dignum.* Quia si opinionem probabilem habet, suum collegam non esse minus dignum, quamvis sciat oppositum esse probabilius, tutâ conscientiâ opinionem probabilem potest sequi, relictâ probabiliori, ut cùm communi DD. docent Sanch. *l. 1. decal. cap. 9 numer. 14.* etiam in materia justitiæ, *ibidem numer. 22.* & Moya *tom. 1. in select. quæst. tract. 1. q. 5. per totum §. 1.*

5 At inquires, quomodo sciet aliquis, se opinionem probabilem habere? Respondeo; quòd quando potuerit dare aliquam rationem momenti pro maiore dignitate; nam opinio probabilis est, quæ innititur ratione alicujus momenti, dummodo pro opposita non sit aliquid convincens, utpote textus, vel ratio evidens, ut cum Sanch. *cit. dict. cap. 9. numer. 6* tenent plures apud Moyam *citat. q. 1. numer. 2. post medium.* In dubio autem, an ratio sit momenti? Adversarius præferendus est, pro quo est certa opinio. Ratio est, quia ejus maior dignitas est moraliter certa: hujus verò solùm dubia; ita cum D. Thom. Salas, & alijs Sanch. *cit. num. 18.*

6 Ad secundum quæsitum: *Si potest loqui pro hoc suo collega oppositore?* Respondeo, posse in casu, quo pro illo suffragium ferre potest; secus quando pro illo suffragari nequit. Ratio est, quia si est peccatum pro illo suffragari, neminem potest inducere, ut illud committat.

7 Ad tertium, *si tenetur ad restitionem?* Respondeo, opinionem communem, & probabiliorem affirmare; Probabile tamen est, non teneri, ut inquiunt Sot. *de just. l. 4 quæst. 6. art. 3. ad 6.* Navarr. *in Manual. cap. 17. num. 74.* Villal. *in summ. tom. 2. tract. 8. diffic. 8. num. 15.* Dian. 3 *part. tract. 5. miscellan. resol. 110. vers. Notandum.* Etiam diximus nos posse sequi tutâ conscientiâ opinionem minus probabilem, relictâ probabiliori, etiam in materia justitiæ. Vide quæ diximus latius *supra q. 92. num. 5 & 6*

8 Ad quartum; si tenetur in sua libertate reponere suffragantem, cui jam allocutus fuit? Respondeo, teneri. Ratio est, quia allocutione fuit causa peccati illius, quod commissurus sit, & sic ante illius commissionem tenetur suam suasionem retractare, & dicere; quòd non obstante ab illo dicto, ille suffragans gerat, quod in sua conscientia justum censuerit tali modo, ut in sua maneat libertate.

QUÆSTIO XCIII.

An Capitulum teneatur dare possessionem provisо in quadam baccalaurea, à Iudice Apostolico collato, habente serie successiva curam animarum, & provisо non habenti ætatis viginti quinque annos.

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Tenetur non obstante ipso jure.*
3 *Beneficium cum onere curæ seriei successivæ non est beneficium curatum.*
4 *Capitulum exequi tenetur, quod judex Apostolicus judicavit.*
5 *Dictio, attigerit, est diversa a dictione, attigisset & diversos habent effectus.*

1 RAymundus fuit provisus in quadam baccalaurea cujusdam Ecclesiæ cathedralis cum cura annexa, habens ætatis suæ viginti tres ad viginti quatuor annos, & à judice Apostolico in hoc beneficio fuit collatus. Cùm ad possessionem accederet, capitulum obstitit; quia ætatem viginti quinque annorum non habebat; at nunc illam jam habet. Quæritur: An Capitulum possessionem dare teneatur?

RESOLUTIO.

2 Respondeo teneri. Ostenditur primò, quia Regul. *cap. Licet Canon. 14. de elect. in 6.* ibi: *nisi viginti quinque annos attigerit, & Concil. Tridentin. sess. 24. de reform. cap. 12.* ibi: *Nemo igitur deinceps ad dignitates quascunque, quibus animarum cura subest, promoveatur, nisi qui saltem viginti quinque suæ ætatis annum attigerit* non procedit in Parochis, qui serviunt serie successiva, Lusitanè *Servem por turno*, ut est hæc Baccalaurea; & solùm procedit, quando unus tantùm est Parochus. Sic tradunt cum alijs Mascard. *de probat. conclus. 469* incipit: *Curam animarum numer. 4. 5. & 6.* Barbos. *de potest. Episc. alleg. 57. numer. 159. in fine, vers. Quartò requiritur.*

3 Secundò, quia ille, qui tantùm habet curam serie successivâ, non habet beneficium curatum, quod perpetuum est. Sic Barbos. *cit. num. 164 & 165.* cum Gonzal. *in simili.*

4 Tertiò, quia Capitulum tenetur exequi ea, quæ judex Apostolicus censuit. Sic expressè habetur *cap Pastoralis* 28. §. *Quia vero*, ibi: *Respondemus, quòd cum Ordinarius teneatur obsequi delegato; etiamsi sciat, sententiam illam injustam, exequi nihilominus tenetur eamdem de offic. & potest. judic. de legat.*

5 Quartò, quia, casu negato, quòd dicta non sufficiant, text. *in dict. cap. Licet canon*, & *Concil. Tridit* utuntur dictione *attigerit*, quæ est valde diversa à dictione *attigisset*: & quando dictio est præteriti temporis, requiritur, quòd qualitas detur tempore electionis, & quando est futuri temporis, sufficit, quòd tempore possessionis detur. Ita Barbos. *l. 3. not* 98 *num.* 37. & 38. Salgad. *de protect. Reg. part.* 3. *cap.* 9. *numer.* 87. & ita in præsenti casu habemus.

QUÆSTIO XCIV.

An occurrente vacatione Parochialis in concursu providendæ, si elapso edicti termino, superveniat aliquis re integrâ, datâ justâ causâ, debeat cum alijs admitti?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Est admittendus ex communi DD. sententia, data justa causa.*
3 *Non data causa non admittitur.*

1 IN Regio conscientiæ tribunali data, & occurrente aliqua Parochialis vacatione figuntur edicta ad eam providendam Ecclesiam, primo ad fratres Ordinum Militarium, cujus ordinis est Ecclesia; & si non dentur Fratres oppositores, ad extraneos sacerdotes figitur edictum, & si elapsis edicti diebus, & dentur plures oppositores extranei, superveniat unus, aut alter Ordinis Militaris Frater, re integrâ. Quæritur: An sit admittendus? Idem contigit in Collegio Matris Dei civitatis Eborensis, in quo à fundatoribus pro suis consanguineis sunt relicta sex becalia, vulgo, *Beccas de collegiais*; & in alicujus vacatione, quoad becalia consanguineorum, eodem modo per edicta proceditur, ut in Conscientiæ tribunali. Idem sæpius contingere potest in vacatione cujuscunque Parochialis, per concursum, præcedente edicto, providendæ. De his omnibus, & similibus procedit inquisitio, & de omnibus sub una responsione erit resolutio?

RESOLUTIO.

2 Respondeo, esse admittendum, datâ justâ causâ, scilicet, ignorantiæ edicti, absentiæ loci distantis, aut alterius impedimenti, quæ causa probari debet, saltem juramento, ut in primo, & secundo casu proposito evenit. Hæc resolutio est justa ex doctrina Gonsal. *in Reg.* 8. *Cancellar. Gloss.* 9. § 1. *numer.* 115. ubi optimè, & expressè; & juxta doctrinam de Lara *de Anniversar. & capell. l.* 2. *cap.* 10 *num* 48. *usque ad numer.* 55. *in fine*, etiam optimè; & secundum doctrinam Garciæ *de benef. part.* 9. *cap.* 2. *numer.* 206. ubi plenè de hac re; & ex doctrina Barbosæ *in Collect. ad Concil. Trid. sess.* 24. *de reform. cap.* 18 *numer.* 73. ubi plures affert DD & se ipsum citat. *de potest. Episc. part.* 3. *alleg.* 60. *numer.* 46. Omnes hi DD. ex professo de hac materia gerunt, & eam affirmativè resolvunt, & argumenta adversariorum solvunt.

3 Si tamen aliquis, tempore in edicto præfixo non comparuerit, legitimo cessante impedimento, elapso termino, re integrâ, non admittitur, ita fuisse decisum inquit Barbos. *proxime num.* 74.

QUÆSTIO XCV.

An testamentum à puellâ ætatis duodecim ad tredecim annos conditum, de licentia monasterij sit validum, & securum?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Non est securum.*
3 *Renuntiatio legitima in favorem fratrum juramento firmata est firmior.*
4 *Contractus puberum juramento firmantur.*
5 *Contractus in detrimentum Monasterij secundario veniens, juramento confirmantur.*
6 *Ordin. Reg. contractus cum juramento initos non invalidat quando sine illo sunt invalidi.*
7 *Nec etiam Ord. habet locum in obligationibus ad causam piam.*
8 *Potest haberi provisio, ut contractus juramento firmetur.*

1 VUlt Stephanus, quod filia sua duodecim ad tredecim annos, monasterium ingrediatur, dote constitutâ, & annona civili, vulgo *tensas*, sub conditione, quòd monasterium hæreditate, suo tempore, aditurum, statim cedat. Monasterium excusationem affert, dicens à suo Prælato se licentiam non habere. Asserit tamen se libenter licentiam concedere, ut dicta filia testamentum condat. Quæritur: An Stephanus, cum eo testamento de licentia monasterij condito, securus maneat; & si dictum monasterium talem licentiam concedere queat?

RE-

RESOLUTIO.

2 Respondeo ad primum Stephanum non manere securum eo testamento. Ratio est evidens, quia illius filia, dum non emittit professionem, testamentum revocare potest. Nec etiam secundum est securum, quia consensus monasterij absque Provincialis licentia non valet; & saltem non est tutus.

3 Quod tamen habeo pro sufficienti, est quòd dicta filia suæ legitimæ in favorem suorum fratrum renuntiet, renuntiationem firmans cum juramento, qui est casus textus *in cap. Quamvis pactum, de pact. in 6.* ubi inquit Bonifacius Papa tametsi hoc pactum sit contra jus civile *l. Pactum dotali C. de collat.* si tamen juramentum accesserit, firmum, & inviolabile permanebit, ibi: *Si tamen juramento non vi, nec dolo præstito firmatum fuerit, ab eadem omnino servari debebit, cum non vergat in æternæ salutis dispendium, nec redundet in alterius detrimentum.* Et hæc est communis DD. sententia, quos latè citant, & sequuntur Barbos *in Collect. ad cit. caput numer.* 24 & Sanch. *l. 7. decal cap. 7. numer.* 4. Vide quæ latius dixi *supra q.* 63. *a numer.* 3.

4 Nec obstat primò ætas dictæ filiæ non habentis adhuc quatuor decim annos, sed tantum duodecim ad tredecim. Non, inquam, obstat, quia respondetur sufficere duodecim, ut fœmina sit pubes, *cap. Puberes, de dispons. impuber. & Inst. In principio, quibus tutela finitur*; at verò contractus puberum juramento firmantur, *Auth. Sacramenta puberum, C. adversus vendit.*

5 Nec obstat secundo juramentum redundare videri, in monasterij detrimentum; juramentum verò, quod in tertij venit damnum, non firmat contractum ex eodem *cap. Quamvis pactum*, ibi: *nec redundet in alterius detrimentum.* Non, inquam, obstat, quia respondetur cum Gloss. *ibidem, verb. detrimentum* tunc solùm non firmare, quando venit *in detrimentum principale*; secus quando secundariò solùm venit in monasterij detrimentum, ut notant Aymon. *consil.* 160. *in principio*, Covarr. *in cap. Raynuntius, de testam.* §. 10. *numer.* 9 *ad finem* Sanch *citat. numer.* 28. Barbos. *in collect. ad dict. capit. Quamvis pactum numer.* 30.

6 Nec obstat tertiò *Ordin. Reg. l.* 4. *titul.* 73. ubi annullantur contractus, cum juramento initi, & tabellionibus scripturam de illis conficientibus pœna imponitur officia amittendi, &c. Non, inquam, obstat, quia respondetur primò dictam Ordin. non habere locum in contractibus, qui aliunde, nisi jurentur, firmi non essent; ut sane non esset contractus dict. filiæ, non habentis plusquam duodecim annos, ut optimè notant Gutierr. *in respect. Auth. Sacramenta puberum numer.* 156. *Cod. si adversus vendit.* Covarr. *in cap. Quamvis pactum, capit* 1. §. 1. *numer.* 8. Oliva de foro Eccles. *part.* 1 *quæst.* 30. *numer.* 31. Vide quæ dixi *supra* de intelligentia hujus *Ordin. q.* 63 *numer.* 9. & hanc resolutionem per totam quæst.

7 Secundò respondetur *dictam Ordin.* non habere locum in obligationibus contractis ad causam piam, qualis est hæc ingrediendi monasterium, & esse Religiosam. Sic Oliva *cit.* eum magna turba DD. *num.* 30.

8 Tertiò respondetur, posse dictam filiam à Rege provisionem obtinere, ut ipsa renuntiatio legitimæ fiat cum juramento, ut videre est apud Emman. Barbos. *in Remiss. ad Ordinat. citat. dict. l.* 4. *titul.* 73. *numer.* 3.

QUÆSTIO XCVI.

An possessio capta à quodam præbendato cujusdam beneficij suæ præbendæ uniti in synodo sit justa contra resignatarium, & resignantem litteras Apostolicas non publicantes intra primos novem menses?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Bullæ Apostolicæ ex duobus titulis impugnari possunt.*
3 *Aliàs unio effectum non obtineret.*
4 *Per unionem acquiritur jus in rem, vel saltem ad rem.*
5 *Limitatur in renuntijs coram S. Pontifice factis.*
6 *Non factâ de unione mentione, renuntiatio est nulla.*
7 *Non observatâ regula de publicandis, Bullæ sunt invalidæ.*
8 *Regula non est in pœnam, sed inducit formam.*

1 IN quadam hujus Regni cathedrali anno 1652. synodus fuit celebrata, est in illa duodeviginti beneficia simplicia Parochialium ejusdem civitatis Præbendis cathedralis unita fuerunt consensu Capituli, & omnibus solemnitatibus in forma juris Canonici, & Sacr. Concil. Trident. requisitis. Præbendæ Petri in eadem forma fuit unitum quoddam beneficium, quod possidebat Ioannes extra Diœcesim habitans, & mox de hac unione facta certior factus fuit. Hâc non obstante notitiâ, dictum beneficium sub pensione triginta millium regalium Lusitanorum renuntiavit. Et cùm hujus notitiam Petrus haberet, virtute dictæ unionis in possessionem venit dicti beneficij, post tres annos ab unione facta. In hac possessione existens accessit

resignatarius cum litteris Apostolicis in suum favorem, quarum data fuerat post annum cum dimidio, post unionem dicti beneficij præbendæ Petri, nullam de tali unione claululam irritantem asserentibus, nec aliquam de illa mentionem facientibus. Quæritur.

1 An Petrus jus habeat ad impugnandas dictas Bullas non solum ob unionem dicti beneficij suæ præbendæ, de qua unione in synodo facta Bullæ mentionem non faciunt; sed etiam quia observata non fuit regula de publicandis primis novem mensibus?

2 Si in præsenti casu prodest possessio, quam Petrus occupavit, ut ex illa beneficium possideat, & resignantem expeliat?

§. I.

An Petrus jus habeat ad impugnandas dictas Bullas ex duplici titulo assignato?

Respondeo habere jus ex utroque titulo. Ex primo ostenditur, quia beneficium, forma supradicta, est unitum, ex qua unione incapax renuntiationis fuit redditum, ut tradunt Oldrad. *consil* 257. *num.* 20. *vers.* 3. Felin. *in cap. Nostra, num.* 23. *de rescript.* Petr. Gregor. *syntag. jur. l.* 17. *cap.* 17 *num* 18. Flamin. *de resign. l.* 2. *q.* 9. *num* 1 Garcia *de benef. part.* 11 *cap.* 4 *num* 27. cum pluribus. Et constat *ex Consil Trid sess.* 21. *de reform. cap.* 5. ibi: *Quæ uniones etiam revocari non possint, nec quo quomodo infringi vigore cujuscunque provisionis, & jam ex causa resignationis*; & *sess.* 23. *de reform. cap.* 18. ibi: *Nec per resignationem ipsorum beneficiorum uniones, & applicationes suspendi*; *sed omnino quacunque vacatione, etiam si in Curia effectum suum sortiantur, & quacunque constitutione non obstante, &c.* Ratio est, quia beneficium eo ipso, quòd unitur, desinit vocari beneficium, ut notant Oldrad. *dict. consil.* 257 *num.* 15. & 18. Cavialup. *de union. q* 11. *art.* 8. *num* 7. Mandos *de infirm. resign. q.* 14. *in principio.*

3 Confirmatur primò, quia si renuntiari potuisset, talis unio impediretur, contra necessitatem, & utilitatem Ecclesiæ, ob quam fuit facta, & notat Rebuff. *in praxi tit. de union. revocat uum.* 32. quia unus renuntiaret in alio, & hic in alio, & sic de alijs, & sic unio non sortiretur effectum.

4 Secundò confirmatur, quia per unionem acquiritur jus vel in rem, ut tenet Puteus *decis.* 357 *num* 10 *l.* 1. vel saltem ad rem, ut potius contendit Oldrad. *consil.* 257. *numer.* 29. res autem restitutioni subjecta, alienari non potest *l. ult §. Sed quia C communia de legat.*

5 Et quamvis hæc generalis doctrina limitetur in renuntiationibus factis, coram Summo Pontifice in favorem alicujus cum narrativa unionis; quia in eo casu S. Pontifex renuntiationem admittendo, pro ea vice unionem suspendit; quod facere potest, cum sit dominus omnium beneficiorum, ut notat Sarn. *in proæmio ad Reg. q.* 1. *col.* 5. Et in hoc non censetur unioni facere præjudicium considerabile; quia resignatarius mori potest, resignante prior, cum quo unio citius suum effectum sortiri potest; ut fuit resolutum *in Rota in una Conchens. perstimonij* 23. *Octob.* 1542. prout illam referunt Puteus *decis* 357 *l.* 1 Ioann Andr. *in Clement. dispendiosam de judic.* & Garcia *de benef part.* 11 *cap* 4 *numer.* 29.

6 Attamen, quando de unione non fit mentio; renuntiatio est nulla, & invalida, ut bene respondet Oldrad. *consil.* 257. *num.* 20 *& seqq* & *num.* 26 27. & 29. quem sequuntur Puteus *dict. decis.* 357 *num* 4 *l.* 1. Rebuff. *cit. dict. tit. de union. revocatione num* 32 Garcia *proxime, n.* 29 & plenius *num* 41 cum Rota *in una Eugubina benefic. S. Stephani*, 10. *Decemb* 1590 *coram domino Pamphilio.* Quam decisionem de verbo ad verbum refert ipse Garcia *ibidem*; in qua dicitur, tales Bullas absque narrativa unionis obtentas esse subreptitias. Et hæc est communis DD. sententia cum Felin. *in cap. super litteris de rescript.* Non enim est verisimile Papam voluisse tollere, & impedire effectum unionis, cum nunquam intendat dare litteras alteri præjudiciales, nisi id expresè asserat, ut notant communiter DD. cum Archidiac. *in cap Cum aliquibus*, & *in cap Quamvis de rejudic.* maximè in casu unionis, cujus impedimentum est præjudiciale necessitati, & utilitati Ecclesiæ, quam respicit ipsa unio, *cap. unio*, 10. *q* 3. *& cap Postquam* 16. *q.* 1. Et hìc habet locum *Regul. In generali de reg jur. in* 6 *l. Qui peculij, ff de pecul.* Quod maximè procedit, quando unio fuit facta juxta formam *Concil. Trid* Nam Regula Cancellariæ tollens uniones, quæ effectum sortitæ non sunt, non tollit factas authoritate *Concil. Trident.* ut notat Flamin *de resign. l* 2 *q.* 9. *num.* 18.

7 Etiam habet Petrus jus ad impugnandas dict. Bullas ex secundo titul. nempe, quia observata non fuit *Reg de publicandis in primis novem mensibus.* Ratio est, quia Bullæ, in quibus defuit publicatio, sunt nullæ *ex Reg Cancell.* ibi: *Nullius roboris, vel momenti*, & patet *ex Constit.* 182. *B. Pij V. de publicandis*, §. *Alioquin.* ibi: *nullas, & invalidas, nullìusque roboris, vel momenti, &c.* & *ex Constit.* 87. *Gregorij* XIII. §. *cæterum, &* §. *quod si quidquam*, ibi: *irritæ, & inanes.*

8 Nec obstat, hanc nullitatem esse pœnam, contra quam ignorantia allegari potest. Non, inquam, obstat, quia respondetur primò ex dictis *num.* 1 constare non interveniisse ignorantiam. Secundò, quia ignorantia juris non excusat *Regul. Ignorantia*, 14. *de regul. juris in* 6. Tertiò, & principaliter; quia *Regul. de publicandis* inducit formam, ut notant Rebuff. *in Regul de publicandis column.* 14 *verb. Nullius*, Navarr. *in cap. Accepta, oppos.* 8. *num.* 17. *de restit spoliat.* & Flamin. *de resign l.* 11. *q.* 7 *n.* 1. at verò forma, quæ est de essentia, & valore actus, absque illa actus subsistere non potest *cap. Cum dilecta, de rescript. & cap. Pissana, de restit. spoliat.*

§. II.

§. II.

An in præsenti casu prosit possessio, quam Petrus occupavit, ut ex illa & beneficium possideat, & resignantem expellat?

SUMMARIUM.

9 *Prodest possessio, ut resignantem expellat.*
10 *Conscius unionis, beneficium resignans sine mentione unionis beneficium amittit.*

9 REspondeo, prodesse possessionem, ut & beneficium incipiat possidere, & resignantem expellat. Ratio est, quia juxta dicta *num.* 1. dicitur resignantem de unione scientem Pontifici illius mentionem non fuisse. Et quamvis communis DD. opinio asserat, quòd in casu nullitatis resignationis ob non factam narrativam unionis non subintret unio, quia tunc jus non abdicatur à resignante, ut tenet Cardin. Paris. *consil.* 114 *num.* 7. & 8. *col.* 4. omnes tamen excipiunt casum, in quo sciens de unione resignans illius mentionem non fecit; quia tunc scienter nulliter videtur renuntiasse, in quibus terminis amisit jus ad ipsum beneficium; ut fuit resolutum *in una Romana Canonicatus coram Seraphino*, 17. *Novemb.* 1567. & tenent communiter DD. apud Flamin *de resign. l.* 2 *q.* 9. *num.* 21. ibi: *Limita quoties resignans sciens unionem, de ea non fecit mentionem, quia tunc scienter nulliter videtur renuntiasse: & per consequens amittit jus juxta decisionem Rotæ ann.* 1567. *coram Seraphino.* Cum Rebuff. & alijs pluribus subscribit Garcia *de benef. part.* 11. *cap.* 4 *num.* 34. *& seqq. & num.* 43. ubi idem tenet expressè.

10 Nec obstat, quod resignans in favorem alicujus dicitur possidere, quandiu resignatarius non possidet: resignatio enim habet conditionem annexam, ut jus non abdicetur à resignante, donec resignatario cum effectu sit acquisitum, ut est DD. communis opinio apud Flamin *de Resign. l.* 1. *q.* 7. *num.* 10. & *q.* 2 *numer.* 21. at resiguatario cum effectu nullum in dictũ beneficium acquisitum est jus. Non, inquam, obstat; quia ex ea generali doctrina excipitur, quando scilicet resignans conscius unionis absque ejus mentione resignat, ut constat ex dictis.

QUÆSTIO XCVII.

An circumcisores monetarum per Bullam Cruciat. componi possint?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Differentia monetarum tonsarum.*
3 *Circa monetas ex Castella allatas componi non possunt.*
4 *Rex tantum in hit monetis detrimentum passus fuit.*
5 *Nec possunt componi circa monetas communes hujus Regni.*
6 *Quando unus ex centum est damnificatus, qui ignoratur, Bulla compositionis uti non potest.*
7 *Tonsores monetarum aurearum fabricæ antiquæ bulla compositionis gaudere possunt.*

1 PRavitas circumcidentium monetas per tres, aut quatuor annos in hoc Regno continuavit cum ipsius, & particularium damno considerabili nulli monetarum generi parcentium. Huic damno obviam fuit Serenissimus Rex. Damnum ex circumcisionibus monetarum ex Castella allatarum juxta certum pondus, & taxam, suis expensis conflare jussit, in quo maximam aureorum summam impendit. Circa Regni monetas argenteas circumcisas, alio usus remedio. Mandavit ne deinceps monetæ circunscisæ communes essent, & illas habentes ad mensas, in quibus Regis ministri existebant, adducerent, ut ibi communibus transmutarentur; & ne populi totum paterentur damnum, selibram auxit ad valorem sex millium regalium Lusitanorum; cum antea se libræ valor esset quinque millium supra ducenta regalia; & hâc argenti taxâ eo tempore communi eas conflavit monetas. In quo, & Rex ipse, & populi magnam patiebantur jacturam: Rex, quia taxa communi monetas fundebat; populi, quia monetæ tonsæ, adhuc additâ illâ maiori taxâ selibræ, sæpe sæpius nec tertium, nec medietatem illius adæquabant. Etiam hæc pestis monetas aureas fabricæ veteris invasit: fabricæ verò novæ uno addito circulo currebant; illæ autem prohibitæ fuerunt, ne currerent, nisi ad pondus; in quibus populi jacturam passi fuerunt. His ita declaratis Quæritur: An circumcisores dictarum monetarum pro damno illato se componere possint per Bullam Cruciatæ?

RESOLUTIO.

2 In præcedenti n. de triplici monetarum tonsarum genere, mentionem fecimus. In primo comprehendimus monetas ex Castella in hoc Regnum introductas, scilicet de regalibus de octo, ut vocant, de quatuor, & duobus. In secundo, comprehendimus monetas argenteas in hoc Regno communes. In tertio monetas aureas ex fabrica veteri. De his sigillatim erit resolutio.

3 Ad primum respondeo; non posse tondentes, seu radentes eas monetas bullâ compositionis gaudere, ut à restitutione tanti furti, & damni liberentur. Ratio est, quia pro male ablatis privilegium compositionis non conceditur in casu, quo damnificati sint certi, & inveniantur; ut habetur in Bulla Latina Lusitaniæ concessa, ibi: *Ac etiam super malè ablatis aut*

aliter malè acquisitis, dummodo in omnibus prædictis casibus, præterquam dictæ annalis negligentiæ personæ per commissarium, & receptorem prædictum non reperiantur componere, & ita debitores liberare. Sic Bulla Lusitana, ita etiam habetur in Hispana: sed in præsenti casu reperitur damnificatus, nempe Serenissimus Rex, qui has monetas ex Castella in hoc Regnum introductas, tonsas, & circumcisas, suis expensis fundens ad justum evexit pondus: ergo.

4 Nec obstat dicere, quòd etiam populi ex tonsione harum monetarum damnificati fuerunt. Non, inquam, obstat, quia respondetur, negando dictum; quia eæ monetæ Castellanæ tonsæ, adhuc erant communes, & ea tonsione eundem retinebant valorem usque ad tempus, quo Rex eas conflare jussit.

5 Ad secundum de monetis argênteis tonsis in hoc Regno communibus? Respondeo tondentes, & damnificantes etiam, ut liberentur à restitutione, non posse uti Bulla compositionis, Ratio est, quia damnificati etiam sunt certi, & cogniti: certus est enim Serenissimus Rex, quia saltem in tertia parte fuit damnificatus accipiens eas monetas tonsas ad rationem sex millium regalium Lusitanorum pro selibra, & illas ad rationem quinque millium supra ducenta regalia conflare jubens Certæ sunt etiam personæ in particulari damnificatæ, quia eas monetas ad mensas adduxerunt, & ibi in albo jactura illarum scripta remansit. Quare censeo partem tertiam eorum damnorum Regi esse tradendam, alias vero duas Episcopi Provisori, ut eas legitimè restituat. Sic enim accepi Episcopum Portugallensem suo edicto statuisse sub pœna excommunicationis ipso facto, quòd restitutiones pro monetis tonsis faciendæ, & lucrum pro commutatione monetarum tonsarum pro integris receptum sibi esse tradendum, ut restitutio facienda legitimè fiat.

6 Nec obstat, quòd si dubium versetur, an res ablata, aut illicitè habita, uni ex centum, aut ducentis debeatur, posse retentorem uti bulla compositionis, ut non pauci docent: ergo etiam quando plures sunt certi damnificati, & cogniti, dubitatur tamen à retentore, cui damnum illatum fuerit, poterit uti bulla compositionis. Non, inquam, obstat, quia respondetur, dato antecedente, negando consequentiam, maior ratio est, quia antecedens versatur circa dubium, cui ex pluribus res ablata, aut illicitè acquisita debeatur, & cùm creditor non sit certus, bulla compositionis potest debitor uti: at consequentia non versatur circa dubium, damnificati sunt certi; nempe Rex, & alij in albo mensæ, seu mensarum designati. Dixi dato antecedente, nam cum Molin. illud negavi *in Expos. Bull. Lusit. disp. 25. sect. 6. num.* 83. ubi ratio videri potest.

7 Ad tertium de monetis fabricæ antiquæ aureis tonsis maius dubium esse potest: nam hæ monetæ tonsæ per aliquod tempus sine detrimento valoris, & jactura alicujus currebât, & per aliud fuerunt ad pondus deductæ, & juxta illud recipiebantur; damnificati verò cognosci non poterant. Quare censeo posse rasores harum monetarum per bullam componi, dummodo per confidentiam Bullæ hæc damna non intulerint. Vide quæ diximus *in Expos. Bull. dicta disp. 25. sect. 2. num. 24.*

QUÆSTIO XCVIII.

An Regis, & aliquarum communitatum Thesaurarij peccent mortaliter permutantes monetas integras in thesauro depositas pro tonsis, scientes brevi, monetas tonsas esse prohibendas, & reducendas ad sui intrinseci ponderis valorem?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Peccant mortaliter contra Iustitiam Thesaurarij, & ipsi petentes eas permutationes.*
3 *Thesaurarij, seu depositarij tenentur tantundem reddere, quantum receperunt.*
4 *Rex ex permissione monetarum tonsarum per aliquod tempus damnum non meretur pati in suis depositis.*
5 *Per mutuum, & emptionem possunt insumi monetæ tonsæ, non possunt tamen commutari cum monetis integris in depositio existentibus.*
6 *Possunt scientes, res post paucos dies esse minoris, aut maioris valoris, illas emere, & vendere pretio currenti; non tamen commutare monetas tonsas in thesauro positas.*

1 PEr omnes manifestum erat monetas tonsas, & circumcisas brevi esse prohibendas, & à Rege esse ad conflationem deducendas, & ab ipso juxta suum pondus solvendas. Aliqui, ut sibi de damno venturo consulerent, à Regis, & aliquarum communitatum Thesaurarijs petierunt amicitiæ causâ, ut pro suis monetis tonsis commutarent integras in thesauris depositas: omnes enim eundem valorem extrinsecum habebant; & tonsæ communiter, ac si essent integræ, currebant. Quæritur: An Thesaurarij, & ea petentes, ipso facto peccent mortaliter contra justitiam?

RESOLUTIO.

2 Respõdeo affirmativè ex his rationibus. Prima est, quia nullus potest uti scientia legis ad se ditandum cum aliorum jactura; nam usus scientiæ legis omnibus debet esse communis, & non in alicujus detrimentum, cui manifestò injuria infertur. Sic docent de illo, qui utitur legis nondum promulgatæ scientiâ ad se ditandum cum detrimento alterius, expressè Bartol. *in l. Quæro, ff. de act. empt.* & cum illo Mo-

Molin. *tract. 2. disp. 354. vers. In hoc tamen*, & Rebell. *de oblig. just. part. 2. l. 9. q. 6. numer. 7.* at petentes eas monetas integras ex Thesauro Regis, & aliarum communitatum pro suis tonsis à Thesaurarijs, hoc agunt ad se ditandos cum jactura Regis, & communitatum: ergo peccant contra justitiam cum obligatione restituendi, & ipsi Thesaurarij, quia sunt in causa ipsius jacturæ. Hæc ratio est contra petentes; sequens contra Thesaurios.

3 Secunda ratio, quia ex Castr. Palao *tom. 7. de just. commut. disp. 7. punct. 3 numer. 5.* redditus, & debita Regis, quæ Thesaurarij, & ejus depositarij recipiunt, ad quorum quasi dominium transeunt, tenentur ipsi tantundem ipsi Regi, & ejus creditoribus reddere, quantum ipsi receperunt: at si commutent monetas integras in Thesauro depositas pro tonsis, jam Regi, & ejus creditoribus non possunt reddere, quantum receperunt.

4 Nec obstat primo contra utranque rationem: Nam petentes eas commutationes, Thesaurarij illas concedentes, nec peccant, nec tenentur ad restitutionem, causantes eam jacturam Regi; quia Rex fuit in causa hujus jacturæ: & damni communis: nam à principio poterat prohibere, ne monetæ tonsæ in valore, sicut integræ essent communes, & currerent. Non, inquam, obstat, nam quando id Rex permisit, fuit in bonum ex multorum consilio unde ex hac ratione, in suis depositis, jacturam pati non poterat.

5 Nec obstat secundò, non peccare mortaliter illum, qui per mutuum, aut emptionem expendit suas monetas tonsas, & circumcisas, quando scit brevi tempore esse prohibendas, & juxta pondus esse à Rege cum integris commutandas, ut in casu quasi simili tradunt Fagund. *de just. l. 5. cap. 26. numer. 19. juncto numer 20. vers. Ex his opinionibus*, Salas. *de emptione cap. 32. in fine* Castr. Palaus *de Just. commut. tom, 7. disp. 5 punct. 15. numer. 5.* ergo etiam non erit peccatum mortale contra justitiam commutare pecunias tonsas cum integris in Thesauro, seu depositio Regis existentibus. Non, inquam, obstat, quia respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam; disparitas est, nam per mutuum datum in monetis tonsis, & consumptis per emptiones, nulli fit injustitia, aut injuria, *Regul. scienti, & consentienti, non fit injuria, neque dolus 27. de reg. jur. in 6* at Regi per eas commutationes ex suo depositio, fit injuria, & damnum ipsi id ignoranti infertur.

6 Non obstat tertio illa communis doctrina asserens, posse scientem tales res intra paucos dies, etiam unum, minus valeturas sine injustitia hodie pretio currenti maiori vendere, & scientem pluris valeturas, posse hodie currenti minori pretio emere; quam doctrinam contra aliquos tuentur Molin. *dict tract. 2. disp. 354.* Fagund. *de Just l. 5. cap. 31. numer. 10.* Cardin de Lug. *ibidem tom. 2. disput. 26. sect. 2. §. 2. a numer. 139.* Dian. 1. *part. tract. 8. de Contr. resolut. 40.* & alij: ergo etiam, qui scit brevi, monetas tonsas esse prohibendas, & deducendas ad mensam, & juxta suum pondus solvendas, poterit à Tesaurario Regio pro illis brevibus diebus, quibus hæc monetæ sunt communes, commutationem cum integris, & Thesaurarius idem facere. Non, inquam, obstat, quia respondetur vt *supra num. prædenti in fine.*

QUÆSTIO XCIX.

An permutantes monetas integras pro tonsi cum lucro, teneantur ad lucri restitutionem?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Hic contractus est quoddam cambium manuale.*
3 *Non tenentur ad restitutionem lucri ob periculum.*
4 *Nec etiam ob lucrum cessans.*
5 *Potest aliquod accipi lucrum pro moneta pulchriori.*
6 *Cum lucro potest moneta maioris ponderis commutari cum moneta minoris ponderis.*
7 *Non etiam apparet, cui hoc lucrum sit restituendum.*
8 *Iuxta communem opinionem hoc lucrum Episcopo non est tradendum.*
9 *Hoc lucrum non est restituendum nobilibus à mercatoribus.*
10 *Nec est restituendum à famulis missis à dominis ad solvenda debita in monetis integris.*
11 *Limitatur, quando constat de voluntate dominorum.*
12 *Hoc lucrum à Thesaurarijs, & Regis Depositarijs retineri, nec recipi potest.*
13 *Emens ex tonsuris barras conflatas, & vendens monetas integras ad tondendas, sub distinctione & peccant, & non peccant.*

1 IN his laboriosis temporibus, æquè in valore extrinseco currebant monetæ integræ, ac circunciſæ, vt jam sæpe dictum est; vnde non pauci monetas absque circunciſione cum circunciſis, & tonsis commutabant cum lucro non excessivo respectu monetæ tonsæ; aliqui ad ratiouem decem, alij ad rationem duodecim, alijque ad rationem quatuordecim pro quolibet centenario: alij autem plus, minus verò alij, nunquam tamen in pretio excedentes pondus monetæ inte-

ntegræ, supra pondus monetæ tonsæ; licet utræque eundem valorem extrinsecum haberent. Quæritur: An hoc lucrum sit restituendum?

RESOLUTIO.

2 Hic contractus harum monetarum, nihil aliud est, quam quoddam cambium manuale, seu minutum: Est cambium; quia sic colligitur ex illius definitione, ex communi DD. sic habente: *Est permutatio unius pecuniæ cum altera*; ut in præsenti casu datur; Est manuale, seu minutum; quia de manu ad manum eodem tempore, & loco monetæ materiæ grandioris permutantur pro minutis, & circumcisis; ut constat ex dictis *num.* 1. Hoc præsuppositio.

3 Respondeo ad quæstionem, non teneri ad restitutionem lucri permutantes suas monetas integras pro tonsis, præciso aliquo damno, de quo *infra numer.* 12. & 13. Probatur primò, quia probabile, aut potius certum erat; monetas tonsas brevi tempore in valore esse minuendas, quamvis, dum in valore non diminuuntur, eumdem valorem cum integris retineant; quia tamen ob id periculum minoris æstimabantur, minoris pretio emi possunt, spectatà hominum opinione, quam à lege habebant taxatum. Sic expressè Medin. *de Cambijs quæst.* 1. §. 1. Molin. *tract.* 2. *disp.* 401. *vers. Licèt cambium*, Sa *verb. Cambium numer.* 3. Salas *tract. de cens. dub.* 6. *in fine*, Castr. Palaus *tom.* 7. *de just. commut. disp.* 7. *de cambio punct.* 2. *numer.* 9. & cum Caiet. Banes, Lessio, Rebell. & aljjs Card. de Lug. *de just. disp.* 28. *sect.* 2. *numer.* 8. *in fine*, & *numer.* 18. & Tamburin. *tom.* 2. *tract.* 3. *de cambijs*, *cap.* 3. §. 2. *numer.* 1. & alij communiter.

4 Secundò, quia non solùm ob dictum periculum, & scientiam, permutantes eas monetas, non tenebantur ad lucri restitutionem, sed quia pro eo tempore probabile erat monetas integras ad maiorē, valorem legalem esse evehendas; & ex hac probabilitate, aliquod lucrum accipere poterant, & cum aljjs *citat.* tenet Card. de Lug. *proximè.*

5 Tertiò, quia communiter tradunt DD. posse aliquod lucrum recipi ex permutatione monetæ pulcræ pro deformi, ut fatentur, relatis Lessio. Tolit. Rebell. Salas. Sylvest. Card. de Lug. *citat. dict. numer.* 8. *vers. Quartò*, Tamburin *dict. numer.* 1. Sed monetæ integræ erant magnæ pulchritudinis, respectu tonsarum, quæ à populo ob deformitatem appellabantur glarea, vulgo *Cascalho*: ergo ex permutatione illarum pro istis, aliquod lucrum recipi poterat.

6 Quartò, quia licitè potest moneta minoris ponderis cum moneta maioris permutari, aliquâ datâ compensatione pro excessu; ut cum communi sententia docet Card. de Lug. *citat. numer.* 19. contra Sot. Ledesm. & Salas apud ipsum: ergo etiam cum lucro pro excessu permutari potest moneta integra maius habens pondus cum moneta tonsa minus habente.

7 Quintò; quia non apparet, cui hoc lucrum sit restituendum: non illis, cum quibus factæ sunt permutationes, & lucrum tradiderunt, quia non plus tradiderunt, quàm, omnibus expensis, monetæ valebant, ut diximus: nec Reip. nec alteri, quia nec illa, nec alter ullum passi fuerunt detrimentum, ut cum Molin. *disp.* 399. & Lessio *l.* 2. *de Justit. cap.* 23. *numer.* 17. inquit Tamburin. *proxime numer.* 2. ergo cum non detur, cui fieri debeat restitutio, nulli facienda est.

8 Nec obstat dicere, hoc lucrum esse tradendum Episcopo, ut juxta prudentis arbitrium illud restituat aut Regi, aut operibus pijs, ut dictum est *supra quæst.* 100. *num.* 5. de Episcopo Portugallensi mandante, hoc lucrum sibi esse tradendum. Non, inquam, obstat, quia respondeo primò, me non vidisse illud edictum; & dubitare possum, in ea forma edictum procederè. Secundò respondeo, dato, quòd ita mandasset, pro suo mandato habere graves DD. nempe Medin. Valent. & alios apud Castr. Palaum *citat. numer.* 5 & Cardin. de Lug. *supra numer.* 9. & 19 ex ea ratione quia monetæ tam integræ, quàm circumcisæ eundem habebant valorem legalem. At tradita à nobis inter DD. sunt communia, ut ostendimus.

SEQUELÆ EX TRADITA A NOBIS doctrina.

9 Prima ex tradita doctrina est, non teneri mercatorem, aut quemlibet alium ad restituendum lucrum receptum ex permutatione monetarum integrarum pro tonsis à nobilibus, qui non habentes monetas integras ad emendas res necessarias, pro quotidiano victu, & venditores monetas tonsas accipere nollentes cogebantur monetas integras exigere cum lucro campsorum, illud lucrum justè recipientes pro timore, ob probabilem opinionem, quam habebant, brevi tempore monetas tonsas esse deponendas, & invalore minuendas, & integras ad maiorem valorem elevandas.

10 Secunda est, non teneri famulum ad restitutionem, missum à domino ad solvendum debitum suis creditoribus in monetis integris; ille autem sine mora illas cū lucro cambit pro monetis circumcisis eundem valorem legalem habentibus, & illis creditoribus solvit. Ratio est, quia illud lucrum fuit fructus suæ industriæ, & nullum damnum domino, nec creditoribus in solutione debiti intulit. Sic asserunt Molin. *tractat.* 2. *disput.* 402.

Vers.

Vers. satisfaciendum arbitror, Lessius *l. 2. de just. cap. 23. dub. 2. circa finem*, Laym. *in summ. l. 3. sect. 5. tract. 4. cap. 19. numer. 5.* Rebell. *de obligat. justit. part. 2. l. 11. quæst. 8. concl. 4.* Salas. *tract. de cambijs, dub. 7. ad finem*, & Castr. Palaus *tom. 7. de justit. commut. disp. 7. punct. 3. numer. 2.* dicens *num. 1.* contra Laym. *citat.* peccasse mortaliter; quia domini ægrè ferunt inconsulti hanc famulorum negotiationem.

11 Si verò constet, dominum voluisse, quòd famulus in ijsdem monetis integris debitum solveret, ut creditores ex ijsdem monetis integris lucrum accepturi essent; non potest famulus illas monetas pro tonsis permutare, & si permutet cum lucro, sibi ipsi acquirere nequit; quia contra voluntatem domini egit, & cum damno creditorum. Et sic tenetur ad omne lucrum cessans, & damnum emergens tum domino, tum creditoribus. Ita Molin. *citat. Vers. Secunda conclusio*, Lessius, Rebell. Salas Layman, quos affert, & sequitur Castr. Palaus *proxime numer. 3. & 4.*

12 Tertia est, teneri Thesaurarios, & Depositarios Regis ad restitutionem lucri, quod acquirunt permutantes monetas integras, in deposito existentes, pro monetis tonsis, & circumcisis. Ratio, quia licèt teneantur cum monetis depositi non negotiari, & eæ monetæ in eorum quasi dominium transijssent, tenentur tamen tantumdem Regi tradere, aut illius creditoribus, quantum ex suis redditibus acceperunt, & in ea specie monetæ, quam acceperunt, si tamen pretiosam monetam cum deteriori commutent, lucro inde moderato suscepto, sustineri potest. Sic Molina *tract. 2. disp. 402. Vers. in fine*, Salas. *tractat. de cambijs dub. 7. numer. 3.* Castr. Palaus *dict. disp. 7. punct. 3. numer. 5.* Sic DD. In præsenti autem casu à fortiori dicent non posse eos commutare monetas integras in deposito habitas pro monetis tonsis, sive cum lucro, sive sine illo propter damnum Regi, & creditoribus illatum; & sic peccant mortaliter contra justitiam, ut absolutè tenet Palaus *citat.* & tenentur ad restitutionem damni emergentis ex monetis tonsis, & lucri cessantis ex monetis integris.

13 Et quid dicendum de illo, ex altero emente structuras argenteas, vulgo *barras de prata*, præsumente eas esse conflatas ex tonsuris monetarum cum damno Regis, & populi? Et quid de permutante monetas integras cum lucro pro tonsis illi, de quo præsumit illas emere ad tondendas cum eodem damno? Respondeo ad utrumque cum distinctione: vel enim ea præsumptio, vel dubium est mere negativum, quia nec prudenter, nec probabiliter præsumere potest, alterum de illis monetis male abusurum fuisse, vel esse; vel ea præsumptio, vel dubium est positivum; quia meritò, ac prudenter, & probabiliter præsumere potest de abusu unius de præterito, & alterius de futuro: Si primum, existimo, bene posse eas structuras ex tonsuris conflatas emere, & monetas integras vendere; quia ex ea præsumptione, aut dubio nullus præsumitur delictum commissurum. Si secundum, censeo non posse illas structuras conflatas ex tonsuris emere, nec monetas integras vendere. [Quomodo ergo sciet aliquis se meritó prudenter, & probabiliter se gerere, vide *supra quæst. 95. numer. 5.*] Sic colligitur ex doctrina Sanch. *l. 1. decal. cap. 7. numer. 17.* Merol. *in disp. Theolog. tom 1. disput. 2. cap. 4. dub 10. numer. 268.* Dian *part. 4. tract. 3. resol. 40* Si tamen certò sciat, eam massam argenteam ex tonsuris monetarum esse conflatam, & monetas integras ad tondendas peti, nec illas potest emere, nec illas, cum lucro vendere, quia in utroque peccatum contra justitiam committitur.

QUÆSTIO C.

An accedens ad Curiam ad suum gerendum negotium, & cursim afferens monetas tonsas cujusdam confraternitatis, quarum plures cum integris commutavit, teneatur lucrum confraternitati tradere?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Potest excessum datum in monetis integris ad tonsas sibi retinere.*
3 *Utens rebus usu consumptibilibus sine detrimento depositoris, potest lucrum acquisitum, sibi comparare.*
4 *In eo lucro sibi retinendo nulla exercetur negotiatio.*
5 *Quando monetæ tonsæ prius non fuerunt appensæ, servanda est æqualitas inter ponder. sæpius contingentia.*

1 EUstachius sacerdos ad Curiam ad suum gerendum negotium accessit, & cursim attulit secum certam monetarum tonsarum summam cujusdam confraternitatis, ut eas ad mensas traderet pro integris permutandis juxta *dicta supra q. 100 numer. 1.* Tempore sui accessus adhuc pragmatica promulgata non erat, rumore tamen ita erat vulgatum. Interim magnam illarum monetarum tonsarum partem in negotijs & alijs, occasionibus cum integris commutavit. Et ante hoc gestū monetas omnes tonsas appendit, ut postea sciret quantum lucri illà sua deligentià acquireret. Quæritur: An possit sibi retinere excessum, quem ex permutationibus acquisisset?

RE-

RESOLUTIO.

2 Respondeo ex dictis *præcedenti quæst.* posse sibi retinere omnem excessum in pondere inventum maiorem in ipsis monetis integris supra monetas tonsas; nam in mensis à Rege constitutis non ad valorem monetarum tonsarum attendebatur, sed tantùm ad pondus; & commutatio fiebat monetis novis; & non veteribus argenteis, quæ ad pondus currebant; & semper valorem excedebant. Et quod hunc excessum sibi poterat acquirere, constat, quia erat fructus suæ industriæ, & non ex ipsa pecunia.

3 Ostenditur, ex communi DD. doctrina asserentium posse depositarium uti re deposita usu consumptibili, putà pecunia, tritico, oleo, & vino, quando pro certo habet, quando depositum reposcendum foret, tantumdem ejusdem valoris, mensuræ, ponderis, & bonitatis, absque mora redditurus, & quidquid sic comparat, his rebus usu consumptibilibus utens, non depositori sed sibi comparat; quia sunt mere fructus suæ industriæ, cùm hujusmodi res ex se sint infructiferæ. Sic cum Molin Reginald. Rebell. Salas. Lessio, Beja Dian. 1. *part. tractat.* 8. *resol* 32. & cum Caiet. Sot. Mantic. & alijs Fragos. 1, *part. Regim. Reip. Christian. l.* 7. *disp.* 22. *numer.* 21. & 22. Ubi inquit hoc ita esse verum, ut si depositarius cum pecunia deposita negotietur, illamque cum omni lucro deponenti reddat, credens se teneri ad lucrum restituendum, posse nihilominus lucrum à deponente repetere, si suo nomine, & periculo egit cum pecunia depositoris: Sed Eustachius adducens illas pecunias ad mensas, ut ibi cum alijs communibus permutarentur, erat illarum monetarum veluti depositarius; poterat ergo illis ita agere, & illas permutare in suum commodum; in quo aliud non dabatur, nisi sua industria.

4 Nec obstat *text. in cap. Secundum* 6. ibi: *in terminatione anathematis prohibemus, ne monachi, vel clerici causa lucri negotientur. Ne clerici, vel monachi*: & alij plures apud DD. tractantes de negotiatione clericorum, in quibus clericis est prohibita negotiatio, & *in citato* sub pœna excommunicationis [quæ tamen non est latæ sententiæ] sed permutationes rerum verè sunt negotiationes, & campsores verè negotiantur permutando pecuniam pro pecunia, ut videre est apud Lessium *l.* 2. *de just. cap.* 21. *dub* 1. *numer.* 4. Cardin. de Lug. *de just. disp* 26. *sect.* 3. *numer.* 21. ergo sacerdos Eusebius ex ea permutatione monetarum non potest aliquod lucrum accipere. Non, inquam, obstat, quia respondetur, concedendo maiorem, & minorem, & negando consequentiam. Nam Eusebius in lucro sibi retinendo nullam exercet negotiationem, nec illam exercuit in permutatione monetarum, nam ex illa nullum acquisivit lucrum, sed tantùm diligentiam, & industriam apposuit ad acquirendas monetas integras, permutando monetas tonsas meliori modo, quo poterat illas reseindendo, in quo nulla datur negotiatio causa lucri; nec lucrum, quod sibi retinet provenit à negotiatione.

5 Et quid dicendum esset, si Eusebius monetas tonsas ante illarum permutationes eas non appendisset? Respondeo resolutionem esse sumendam ex communiter contingentibus. Monetæ autem tonsæ ita erant sæpius circumcisæ, ut vix haberent medietatem ponderis à decreto Regis taxati, & sæpius ad ipsum pondus deficiebat tertia pars, & juxta hoc dubium judicio prudentis fieri debet computatio; ut colligitur ex Molin. *tractat* 2. *disp* 736. *numer.* 6. Alij autem sustinent inclinandum esse ad commodum innocentis, Fagund. *in* 7. *decal. præcept. l.* 7. *cap* 15 *numer.* 15 & *de just. l.* 3 *cap.* 1. *numer.* 11. In hac autem computatione nullus est nocens. Quare existimo nec esse standum pro medietate ponderis earum monetarum tonsarum, nec pro defectu tertiæ partis ponderis, sed pro utrius sæpius contingentis medietate, sic enim videtur, observari æqualitas.

QUÆSTIO CI.

An cessante monetarum tonsarum cursu per paucos dies, excusetur dominus á solvendo famulo salarium annale petitum, absoluto anno; quia scit propediem monetas ad maiorem valorem esse augendas?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Excusatur. Dato æquali damno, potest quis suis pecunijs consulere*
3 *Gravi damno non dato in dilatione debiti, non peccat mortaliter creditor illud differens per breves dies.*
4 *In lucro ex augmento monetarum famulo præfertur dominus.*
5 *Debitor ex contractu tenetur solvere juxta loci consuetudinem.*
6 *Debitor sperans abundans lucrum statim tenetur solvere, datà gravi necessitate in creditore.*
7 *Debitor non potest differre solutionem, quia ex bonis creditoris sperat lucrum.*

1 IAm per breves dies ex arbitrio populi cessarat cursus monetarum tonsarum; & nullus monetas tam novæ, quam veteris fabricæ expendere volebat, quia propediem sperabatur in valore esse augen-

augendas. Hoc cognoscens famulus quidam à suo domino petijt salariũ sui anni jam absoluti, dominus ejus mentem intelligens, paratam habens pecuniam, solutionem distulit. Quæritur: An teneatur ad restitutionem incrementi monetarum?

RESOLUTIO.

2 Respondeo, non teneri ad eam restitutionem. Moveor primò, quia unusquisque potest rebus suis consulere, etiamsi æquale damnum proximo sequatur: ergo potest dominus suis pecunijs consulere, ut prius in valore augeantur, quamvis idem damnum, non solvens illico, suo famulo sequatur. Antecedens habetur apud Cardin. de Lug. *de Iust. disp.* 26. §. 2. *numer.* 147. Et probatur alio casu communi, quia potest quis rebus suis consulere, etiamsi æquale damnum alteri sequatur, sine peccato contra justitiam, & charitatem, inducens absque vi, & fraudibus testatorem, ut abrogato priori testamento, ipsum instituat hæredem, ablata hæreditate illi, quem prius instituerat; ut affirmant ipse Cardin. *citat.* & Dian. 3. *part. tract.* 6. *resolut.* 33. *vers. Secundo*: ergo etiam poterit dominus pecunijs suis consulere, differendo famulo solutionem per paucos dies, ut pecuniæ solvendæ augeantur, licèt famulus idem damnum patiatur, quod ipse pateretur, si illico solveret,

3 Secundò moveor, quia debitor, qui, completo termino solutioni præfixo, differt per moram non magnam solutionem, quando creditor inde grave damnum non patitur, etiamsi suum debitum sæpius exigat, non peccat mortaliter, dũmodo firmũ habeat animum solvendi, ut defendunt Molin. *tract.* 2. *disp.* 953. *numer.* 1. Cardin. de Lug *de Iust. disp.* 20. *numer.* 211. nec dissentit Castr. Palaus *tom.* 7. *de Iust. commut. disp.* 1. *punct.* 17. § 4 sed famulus per illam dilationem, seu moram grave damnum non patitur, tametsi suum debitum jam semel petierit; ergo nec dominus per breves dies solutionem differens peccat mortaliter, nec ad ullam tenetur restitutionem.

4 Tertiò moveor, quia famulus illis diebus suum petijt salarium, quia in omnes fama percrebuerat monetas aureas, & argenteas breviter in valore esse augendas; & hoc incrementum per suum salarium statim solvendum volebat in suis manibus augeri: at dominus hæc prævidens voluit, quòd ipsum incrementum pecunijs, quas juste possidebat, superveniret; & melior est conditio possidentis, quam non possidentis.

5 Quartò moveor; quia debitor ex contractu tempore illo tenetur solvere, quod tacitè, vel expressè in contractu est designatum, vel habet loci consuetudo, ut inquit Molin *proximè citat.* Et Cardin. de Lug. *dicta disput.* 20. *numer.* 211 ait, quamvis in contractu dicatur, debitum statim esse solvendum tempore designato, hoc non esse intelligendum mathematicè, sed moraliter, quia dilatio restitutionis per brevem morulam parum, aut nihil nocet creditori. Flores autem Variar. *l.* 1. *quæst.* 8. §. 2. *numer.* 55. apud Emman. Barbos. *in Remiss. ad Ordinat. Reg. l.* 4. *tit.* 32 *ad princip. numer.* 4. *in fine*, resolvit salarium famulorum in fine anni debere solvi, si alia non adsit consuetudo, ut dixerat Molin. *cit.* at in his Regnis consuetudo viget, ut famulis, servientibus in eadem domo, & cum eodem domino servitium continuantibus, non statim absoluto anno solvatur salarium; & si completo anno, statim totum, aut partem salarij exigant, præcisa aliqua gravi necessitate, non solvitur, nisi post multos dies, menses, & annos: ergo cum dictus famulus in eadem domo, & cum eodem domino servitium continuaret, & nulla in eo daretur gravis necessitas, dominus per aliquos dies solutionem differens, nec peccat mortaliter, nec tenetur ad restitutionem.

6 Nec obstat primò Castro Palaus *dicto tom.* 7. *disput.* 1. *de Iust. commut punct.* 16. § 4. *numer.* 1 dicens, creditori esse debita solvenda, quando ex dilatione grave accipit damnum, tametsi debitor ex retentione lucrum abundans speret, & paratus sit damnum emergens, & lucrum cessans suo creditori satisfacere: creditor namque obligatus non est grave damnum pati, ut debitor commodum reportet: potest enim magis sibi, quàm alteri providere. Non, inquam, obstat, quia creditor in præsenti casu, nempe famulus, ex ea brevi dilatione grave damnum non accipiebat; & si damnum non augmentandi suum salarium accipiebat, hoc damnum in sententia Castr. Palai juxta præsentem casum in considerationem non veniebat; in quo dilatio non erat longa, nec contra justitiam; quia spes lucri, seu incrementi monerarum non computabatur in monetis, quæ adhuc erant cum alijs domini proprijs mixtis, & non in monetis famulo debitis, quæ à proprijs domini non erant separatæ. Vide Castr. Palaum *citat numer.* 3. in responsione ad argumentum.

7 Nec obstat secundò, quòd quando debitor aliquod lucrum ex bonis creditoris sperat; creditor autem nullum damnum, aut leve patitur, ex dilatione debiti non potest debitor ea de causa differre solutionem; siquidem in proprijs bonis nullum patitur damnum, nisi tantùm, quòd bonis creditoris non lucretur; ut cum communi doctrina, relatis Cajet. Medin. Navarr. Petr. Navarr. Lessio, & Layman. tradit Castr. Palaus *proximè numer.* 2. ergo cùm dominus in proprijs bonis nullum damnum patiatur,

sed tantùm duorum ex incremento monetæ debitæ famulo pro salario ea de causa solutionem differre non potest. Non, inquam, obstat, quia respondetur, ut supra *num precedenti*: nam dominus lucrum non sperat ex monetis famulo debitis, nam quamvis illi salarium debeatur, eæ monetæ, quas famulo in salarij solutionem tradere poterat, adhuc sunt suæ pecuniæ propriæ, & ab illis, ut propriæ, & non alienæ, absque gravi famuli damno, lucrum sperare potest; nec hoc à communi doctrina, & citatis DD. negatur.

QUÆSTIO CII.

An teneatur ad restitutionem monetæ augmentatæ ille, qui monetas mutuas ante legis promulgationem accepit cum notabili mutuantis repugnantia?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Non tenetur ex pacto.*
3 *Nec ex mora.*
4 *Quamvis daretur occasio ad pactum, hoc non fuit initum.*
5 *De ratione mutui est, quòd res simili reddatur.*
6 *Similitudo, quæ in re mutuata spectatur, est intrinseca, & non extrinseca.*
7 *Similitudo de ratione mutui an debeat esse intrinseca, sive extrinseca, resolutione DD. standum est.*
8 *Si aliud in contractu non declaretur, semper standum est bonitate extrinseca.*

1 LInus intendens ad balnea Reginæ iter agere, monetas non habens, nisi aureas, á quodam amico argenteas petijt ad diversoria, & diurna comercia accommodatiores. Amicus eas pro aureis monetis nolens commutare, maxima cum repugnantia eas illi dedit mutuas; non ex solutionis diffidentia, licèt id existimasset Linus, dum respondit *Se habere bona sufficientia, & nullum posse illo diffidere*; sed quia quam primum sperabat monetas argenteas ex fabrica nova ad maiorem valorem esse evehendas; rubore tamen, aut alio motus aspectu suam mentem non expressit. Ex balneis rediens Linus, monetis jam argenteis ad maiorem valorem evectis mutuum solvere volens, probe cognoscebat, amici jacturam mutui occasione sibi dati esse considerabilem: non ignorabat tamen in pactum non fuisse deductum, se easdem numero monetas, sive illarum valorem esse redditurum in casu, quo dictæ monetæ ad maiorem valorem fuissent evectæ. Quæritur, An teneatur ad restituendum incrementum?

RESOLUTIO.

2 Respondeo non teneri. Ratio est, quia nec tenetur ex pacto, nec ex mora solvendi: non tenetur ex pacto, quia ex *numer.* 1. constat, nullum intervenisse pactum, & de ratione mutui in pecunia dati solùm est, quod reddatur pecunia tempore designato ejusdem valoris, quamvis non sit eadem formalis, quæ fuit mutuata. Sic communiter DD. Molin. *tract.* 2. *disp.* 299. *vers. Iura l.* 2. Cardin. de Lug. *tom.* 2. *de Just. disp.* 25. *numer.* 1. Castr. Palaus *tom.* 7. *disp.* 4. *de Justit commut. punct.* 1. *numer* 7. & plures, quos citant. Et constat ex ipsa mutui definitione, sic habente: *Traditio rei usu consumptibilis sub obligatione postea similem reddendi*; in qua definitur mutuum sumptum pro actione mutuandi; & sic habetur *in l.* 1. *& 2. per totum ff. & Cod. Si certum petatur, & ex Ordin. Reg l.* 4 *titul.* 5. *& Castell. l.* 1. *& vlt. tit.* 1. *part.* 5. Ita etiam exprimitur *in Pragmatica de incremento monetarum edita hoc anno*, 4. *Augusti* 1688. sic statuente: *Declaratur omnia debita contracta, & contractus celebratos ante hujus legis promulgationem intelligi, & practicari debere, ac si post illam contracti fuissent, cedente semper utilitate monetæ augmentatæ in favorem debitorum, & ut ita vitentur molestiæ, & perturbationes, quæ ex dubijs, & litibus, quæ oriri, vel moveri possint sub hujus legis interpretatione, si ei hæc deficeret declaratio*: ergo cùm Linus ante hujus legis, & pragmaticarum promulgationem, mutuum monetarum acciperet argentearum, & post reditum à balneis jam promulgata fuisset, juxta hanc legem, & DD. citatos non tenetur easdem numero monetas argenteas, sed tantùm earumdem valorem solvere, quem ante legem habebant.

3 Nec etiam tenetur ex mora Linus ad augmentum ex monetarum accretione; nam tempus præfixum solvendi hoc mutuum fuit post reditum à balneis, in quo jam monetæ mutuatæ aliud in valore per legem citatam habebant incrementum: ergo ob moram traditionis pecuniæ mutuæ amicus in decretione suæ pecuniæ detrimentum non est passus.

4 Nec obstat primò, quod amicus Lini moraliter certò sciebat eas monetas brevi tempore in valore incrementum esse habituras, & illas erat servaturus ad id tempus; & ideo cum repugnantia illas ei dedit mutuas: ergo cum causa fuisset Linus illius detrimenti, incrementum, quod amicus sperabat, tenetur ipse Linus restituere. Non, inquam, obstat, quia licèt illa moralis scientia sufficiens esset, ut amicus mutuans eas monetas in pactum deduceret, quod postea sibi solverentur in eadem specie, seu numero, sive incrementum habuis-

habuissent, sive non; vel quod sibi valoris incrementum redderetur, si forte illud haberent, ut pluribus relatis dicunt Castr. Palaus *dict. 7. tom. disp. 4. de Iustit. commutat. punct. 13. num. 3.* Quia tamen in pactum non fuit deductum, ad id non tenetur Linus, ut tradunt ipsi DD. Nec Linus fuit causa moralis illius damni, quia bonâ fide illas monetas mutuas petijt, nihil cogitans de incremento, quod eæ monetæ ante suum reditum à balneis erant habituræ.

5 Nec obstat secundò, quòd de ratione mutui est, quòd postea res similis reddatur, ut constat ex illius definitione *supra num. 2.* allata, ibi: *sub obligatione postea similem reddendi*; Ex quibus verbis inferunt DD. teneri mutuatarium non solùm rem similem in specie reddere, sed etiam in bonitate, ut expressè dicitur *l. 3. ff. si certum petatur*, ibi: *Si vinum vetus mutuò accepisti, non sati facis reddendo novum*; quia esto sit ejusdem speciei, non est tamen ejusdem bonitatis; [vide Castr. Palaum *proxime punct. 1. num. 4.*] sed Linus accepit centum monetas, singulas valoris unius aurei, nempe quadringentorum regalium Lusitanorum; at tempore redditionis singulæ æstimabantur quadringentis, & octoginta regalibus ratione legis incrementi: ergo si non ita reddantur, cum eadem bonitate non redduntur: ergo Linus eas monetas non ita reddens ad restitutionem tenetur, non observans, quod est de ratione mutui.

6 Vrgetur adhuc hæc similitudo de ratione mutui: Quia plures DD. docent similitudinem in bonitate, quæ in re mutuata spectari debet, intrinsecam ipsi rei debere esse, & non extrinsecam, quæ in valore consistit; ut patet in una mensura tritici, quæ tempore mutui centum, & quinquaginta regalibus Lusitanis æstimatur, at verò tempore, quo solvitur, ducentis regalibus. Qui valor, seu bonitas extrinseca non est spectanda, sed valor extrinsecus in bonitate, nempe quoad quantitatem mensurarum, & qualitatem: quidquid sit de valore extrinseco, qui est veluti per accidens, & venire non debet in considerationem. Sic Abbas, Alexand. de Nevo, *in cap. vlt. de Vsur.* Barthol. *in l. Cum quid ff. Si certum petatur*, Bald. *in l. Vinum ibidem* Anton. Gomez 2. *Variar. cap. 6. numer. 1.* Sotus *l. 6. de Iust. quæst. 1. art. 2.* Less. *l. 2. de Iust. cap. 20. dub. 17. numer. 149. & seqq.* Laym. *l. 3. Summ. sect. 5. tract. 4. cap. 15. numer. 3. & cap. 16. numer. 14.* Videatur Cardin. de Lug. *citat. numer. 121.* ergo etiam in præsenti casu, non est consideranda bonitas extrinseca circa valorem, sed intrinseca, nempe quantitas, & qualitas ipsarum monetarum.

7 Non, inquam, obstat argumentum *numer. 5.* nec Instantia *numer. 6.* nec DD. ibi oppositum in monetis, ac in alijs rebus sentientes: Non obstat argumentum, quia similitudo in bonitate, quæ est de ratione mutui, an sit intrinseca, aut extrinseca? DD. placito standum est; sic etiam in instantia. Communis autem resolutio DD. [quamvis aliqui non ita expresse] est; quando in mutuo inter contrahentes nihil exprimitur circa valorem; reddendæ sunt eædem mensuræ in bonitate, & specie mutuatæ, sive postea pretium crescat, sive decrescat: hoc enim est de ratione mutui; & hæc est intensio contrahentium; dum aliud non exprimunt, & habet praxis. Et videtur supponi *in l. Vinum 22.* ibi: *Vinum, quod mutuum datum erat, per judicem petitum est, quæsitum est, cujus temporis æstimatio fieret: utrum cum datum esset, an cum litem contestatus fuisset, an cum res judicaretur? Sabinus respondit: si dictum esset, quo tempore redderetur, quanti tunc fuisset: si non quanti tunc fuisset, cum petitum esset. ff. de rebus creditis.* Vbi supponitur secluso alio pacto, vinum in eadem mensura reddendum esse; atque ideo si tempore debito non reddatur, æstimandum esse ejus valorem non juxta valorem temporis mutui dati, sed temporis, quo reddendum fuisset. At in pecunia cùm ejus essentia posita sit in valore ex præscripto Principis, & communi populi consensu aliter sentiendum est, quia semper considerandæ est bonitas extrinseca, quæ consistit in valore; sive enim reddatur mutuum in monetis argenteis, sive aureis, mutuans semper eumdem valorem consequitur, & suum mutuum.

8 Confirmatur *ex Ordin. Reg. lib. 1. tit. 62. §. 47.* ibi: *Quamvis valor monetarum mutetur, semper solutio fiet juxta valorem dictæ monetæ in contractu declaratæ; etsi in contractu non declaretur, semper standum est valore, seu bonitate extrinseca.* Et quòd hæc bonitas extrinseca in monetis attendenda sit, communiter affirmant DD. Covar. Mysinger. Sylvest. Ioann. Medin. Petr. Navarr. Tolet. Rebell. Filliuc. Laym. Molin. Salas, Sotus, Sa, & alij plures, quos afferunt, & sequuntur Castr. Palaus *citat. dict. disput. 4. punct. 1. numer. 7.* Cardin. de Lug. *dicta disput. 25. numer. 124.* ubi inquit, hanc sententiam communiter loquendo esse veram. Etsi ita inquit hic doctissimus Cardin nullam vim inferunt DD. pro opposita sententia citati; & ex his patet solutio ad omnia, quæ in argumento, & instantia, & adductione DD. contra nostram resolutionem afferebantur.

[illegible]

QUÆSTIO CIII.

Ad quam satisfactionem teneatur ille, qui accepit monetam auream commutandam pro argenteis, eamque commutavit pro aurea, & argentea, & cùm juberetur commutari solùm pro argenteis, illas tradidit tempore, quo jam per legem in his monetis incrementum dabatur?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Status quæstionis.*
3 *Si in sua potestate tempore legis habebat monetam auream novæ fabricæ, & ducatum, tenebatur tradere quinque millia, ducenta, & octoginta regalia.*
4 *Iustina eam commutationem pro sua moneta non rejecit.*
5 *Si Cyprianus ante legem habebat monetam commutatam, post legem tenetur ad monetæ incrementum.*
6 *Si commutatam non habebat, tenetur ad incrementum.*

1 A Cypriano, per cujus manus plures distribuebantur in hebdomada pecuniæ, petijt Iustina, ut pro argenteis monetis illi commutaret monetam auream tonsam in valore extrinseco habentem quatuor millia, & quadringenta regalia Lusitana, viginti diebus antequam lex incrementi monetarum promulgaretur. Et non apparentibus monetis argenteis, quia propediem lex incrementi sperabatur, eam commutavit pro aurea fabricæ novæ in valore eo tempore habente quatuor millia regalia, & uno ducato, qui valor valorem monetæ commutatæ æquabat. Iustina tamen repetivit, ut pro argenteis fieret commutatio. Repetitum tamen Cyprianus absolvere non potuit, nisi promulgata incrementi lege, in qua monetæ aureæ fabricæ novæ in valore creverunt, simul & argenteæ ad rationem viginti pro quolibet centenario; monetæ autem veteris fabricæ deinceps non fuerunt communes, nisi juxta pondus ad rationem mille, & quingentorum regalium pro octava. Quæritur quantum valorem monetarum argenteārū tradere debeat pro commutatione monetæ aureæ sibi traditæ?

RESOLUTIO.

2 Ad hanc, non leve dubium ingerit commutatio monetæ aureæ veteris fabricæ, pro moneta aurea fabricæ novæ, simul & ducato à Cypriano facta, & à Iustina non acceptata, volente fuisse commutationem pro monetis argenteis. At cum moneta veteris fabricæ, suo valore currenti, ad alios jam esset devoluta, in considerationem venire non debet, quamvis pro certo haberetur illam valorem intrinsecum ad suum valorem non habere; extrinsecum tamen habebat, quia lex incrementi eo tempore adhuc promulgata non erat. Accedit, quòd etiam ignorabatur, an Cyprianus in sua potestate haberet monetam auream novæ fabricæ, simul & ducatum, quando lex in publicum exivit, aut loco illarum alias monetas argenteas Iustinæ tradendas, vt repetierat. His prænotatis ad resolutionem cum distinctione procedamus.

3 Dico primò: Si Cyprianus, quando lex incrementi monetarum promulgata fuit, in sua potesttte habebat monetam auream novæ fabricæ, simul & ducatum ejusdem fabricæ; absque dubio est, debere Iustinæ tradete in commutatione monetarum argentearum quinque millia, ducenta, & octoginta regalia; nam moneta aurea per legem avecta est ad valorem quatuor millium, & octingentorum regalium, & ducatus ad quadringenta, & octoginta regalia: illa supra quatuor millia, quæ valoris habebat, crevit ad octingenta, hic supra quadringenta regalia, quæ habebat valoris, per legem crevit ad octoginta regalia; quæ dictam summam conficiunt Probatur, teneri Cyprianum eam summam tradere, quia loco monetæ à Iustina ipsi traditæ subrogata fuit moneta aurea quatuor millium regalium, simul & ducatus valoris quadringentorum regalium, quæ duæ monetæ per legem evectæ fuerunt ad dictam summam: ergo illam in monetis argenteis tenetur Cyprianus Iustinæ tradere; nam *subrogatum sapit naturam ejus, in cujus locum subrogatur*; vt videre est apud Barbos. *in tract. de Axiom.* 213. & illæ duæ monetæ, loco monetæ aureæ veteris fabricæ á Iustina traditæ fuerunt subrogatæ; & illarum incrementum ex lege ad Iustinam pertinet, nam incrementum monetæ domino illius crescit, & non illam habenti loco alterius, sicut etiam domino decrescit, si forte per legem decrescat, vt ait Cardin. de Lug. *de Iust. disput.* 25. *sect.* 7. §. *vnico numer.* 124. *vers. Probatur secundo.*

4 Nec obstat, quod Iustina eam subrogationem non acceptavit. Non, inquam, obstat, quia Iustina eam commutationem non rejecit, pro sua moneta factam, quia per illam jam á moneta tonsa est libera, & satis compensata per monetas fabricæ novæ, vnam auream, & alteram argenteam, sed quia sicut petijt, quod sua moneta pro argenteis commutaretur, sic etiam petijt iterum, quod hæ duæ commutatæ pro argenteis commutarentur.

5 Dico

5 Dico secundò: si Cyprianus ante legem promulgatam eam monetam auream subrogatam, pro argenteis jam habebat commutatam; Iustinæ tamen non traditam, jam eæ monetæ argenreæ cum suis incrementis ad Iustinam pertinebant, & post promulgationem legis in eo statu, quo erant, debebant tradi. Sic ex dictis *num.* 3. constat.

6 Dico tertiò: si Cyprianus cognoscens Iustinam nolle commutationem pro moneta aurea, sed pro argenteis. & sic bonâ fide disposuit de illa moneta aurea, credens se posse habere argenteas, quibus cito commutationem faceret, & sic, non factâ commutatione, lex incrementi monetarum promulgata fuit. Censeo nullum Justinæ deberi incrementum, sed tantùm capitale in monetis argenteis. Ratio est, quia non apparet unde Cyprianus teneatur ad illud incrementum: non enim ex moneta aurea loco Iustinæ subrogata, simul & ducato argenteo, quia ex his bonâ fide disposuit; nec ex alijs argenteis loco illarum subrogatis, quia nullæ, ut supponitur, fuerunt subrogatæ: ergo cùm non dentur de facto monetæ in quibus Iustina dominium habeat, tenetur tantùm ad valorem monetæ aureæ, & ducati argentei, ante legis promulgationem; qui valor est tantùm monetæ veteris, quam Iustina primo tradidit Cypriano ad commutationem.

QUÆSTIO CIV.

An promulgatâ lege incrementi monetarum, teneatur depositarius deposito pecuniario restituere monetas in specie cum suo incremento, quas ad suum usum distraxit?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Incrementum monetarum in sacculo, seu arca clausarum ad Cosmam pertinet.*
3 *Depositarius absque domini consensu expresso potest uti rebus usu consumptibilibus in deposito habitis, habens unde possit facile eas reponere.*
4 *Ex pecunijs à deposito non detractis incrementum pertinet ad deponentem, à depositario detractæ ad ipsum depositarium.*
5 *Oppositum aliqui DD. docuerunt.*

1 COsmas degens in longinquis partibus conquistarum hujus Regni, suo amico Daminiano Vlyssipone habitanti tradi jussit mille aureos ad quoddam negotium gerendum, quod erat in pendenti. Daminianus in sacculo, & clausâ arcâ reposuit; quia tamen ad manum pecunias ad communes usus non habebat ex illis millibus regalibus clausis quingentos detraxit. Interea promulgatâ lege quarto Augusti hujus præsentis anni 1688. de incremento monetarum. Quæritur: An incrementum monetarum tam in sacculo, & arca clausarum, quam à Damiano ad usum detractarum pertineat ad Cosmam, aut ad Damianum?

RESOLUTIO.

2 Respondeo cum distinctione: Incrementum monetarum adhuc in sacculo, & arca clausarum ad Cosmam pertinere. Ratio est quia illi mille aurei in arca, & sacculo depositi, dum ad usum non distrahuntur ex tacito, vel expresso Cosmæ consensu naturam retinent depositi, ut tradunt Bonacin. *volum.* 2. *disp.* 3. *de Contractibus, q.* 14 *punct.* 1. *num.* 4. *in fine* Tamburin. *tom.* 2. *l.* 9 *de Contract. tract.* 7. *cap.* 5. §. 3. *numer.* 2. Sed illi mille aurei erant in arca, & sacculo depositi: ergo naturam induunt depoti, nempe si pereant, Cosmæ pereant, & si incrementum habeant, ipsi pertineat, & non depositario.

3 Dixi, *dum ad usum non distrahuntur ex tacito, vel expresso Cosmæ consensu*, nam quando depositum est ex ijs rebus, quæ consistunt in pondere, & mensura, vt est pecunia, & sunt aliàs usu consumptibilia, potest depositarius absque domini consensu expresso, & mortali peccato, pecunia, & alijs usu consumptibilibus uti, quãdo certus est moraliter se habere aliam pecuniam, & res ejusdem bonitatis, vt possit eam, & eas deposito reddere, quando depositum fuerit petitum, & in præsenti casu, quando occasio gerendi negotium perveniat, vt cum Molin. Lessio, & Layman sentit Castr. Pal. *tom.* 7 *disp.* 3. *de Iust. commut. punct.* 3 *n.* 3. & cum Filliuc & alijs Bonac. *cit. n.* 3. *vers. Addit Molin.* Cardin. de Lug. *de Iust. disp.* 33. *sect.* 1. *num.* 4.

4 Ex his infertur, incrementum monetarum, quoad eam partem, quæ à sacco per Damianum ad usum non fuit detracta, ad Cosmam pertinere. Ratio, quia dum non est detracta, Cosmas in ea dominium habet; nam si casu periret, ipsi Cosmæ peribat: ergo si casu crescat, ipsi etiam crescit: sed crescit ex lege incrementi monetarum; ergo ipsi Damiano crescit. Secus dicendum de alia parte, quam Damianus ad suum usum ex eo sacco detraxit. Ratio est, quia per eam detractionem incepit mutuum, & dominium in Damianum transivit: ergo si decresceret, Damiano decrescebat, & crescens, ipsi crescebat: sed crevit, ergo ipsi Damiano crevit. Sic expressè Cardin. de Lug. *cit. numer.* 3. his verbis: *Rursus aliquando datur depositum numeratum manente dominio apud deponentem; facultate tamen concessa depositario, vt accipere possit ad suum usum, cum obligatione reddendi tantundem; & tunc dominium manet,*

apud deponentem, donec depositarius facultate sibi concessa vtatur, tunc enim incipit transire in mutuum, quoad eam solam partem, quam consumit. Sic Card. Ex quibus patet resolutio, in qua parte ad vtrunque pertineat incrementum.

5 Nec obstant Azor 3 *part. l.* 4. *cap.* 35. *q.* 3 Reginald *l.* 25. *numer* 572. & 573. Sylvest. *verb. Solutio quæst.* 2 *numer.* 2. *Versic. Quintũ*, & alij, quos affert, & sequitur Bonac. *proximè numer.* 4 & pluribus relatis Iuristis Dominic. Antunes Portugal. *tom.* 1. *de Donat. Reg. part.* 2 *l.* 1. *cap.* 25. *à numer.* 97. *vsque ad finem cap.* asserentes posse sibi depositarium incrementum retinere, quod pecunia habuit medio illo tempore, quo illam retinuit, & satisfacere restituendo pecuniam juxta valorem, quem habebat tempore depositi accepti: nam dominium pecuniæ in depositarium translatum fuit, quando illi tradita fuit pecunia non absignata, nec clausa, nec sub conditione tradita, vt eadem numero restitueretur: sed Cosmas per suum procuratorem Damiano tradidit dictos mille aureos non obsignatos, nec clausos, sed tantùm, vt illos expenderet in negotio sibi commisso. ergo Damianus non tenetur restituere depositò pecuniæ ex lege illo medio tempore lata, non solùm quoad partẽ, quam detraxit ex arca, & sacculo, sed etiam quoad partem, quæ in sacculo, & arca remansit. Non, inquam, obstant, quia respondetur illos graves DD. maximè Azor, supponere dominium earum monetarum fuisse transactum in depositarium; nam oppositum vt verum dicunt communiter DD. ipse Reginald. pro ea sententia cit. *num.* 557. Bonacin. *proximè*, citant. Navarr. Emman. de Sa, Molin. & alios; & alij à nobis jam *supra* allati, depositum non exuere naturam depositi ante usum, vel distractionem rei depositæ, vt constat *ex l. Quivinus, ff. Depositi.* & expressè videtur haberi *in l. Lucius Titius, eodem tit.* vbi servus Sempronij pecunias commendavit Lucio Titio, & resolvitur eas pecunias commodatas, & numeratas habere rationem depositi. Sive ergo deponens dederit licentiam ad usum pecuniæ depositæ, sive non; dum depositarius illâ non vtitur, nec eam distrahit, semper est sub dominio deponentis, & illius incrementum ad illum pertinet: aliàs diceremus fuisse mutuò datam, & non depositam. Amplius ostenditur ex actione depositarij deponentis eas pecunias obsignatas in sacculo, vel arca clausa separatas, & distinctas à pecunijs proprijs, quæ ad vsum habebat. Hoc est manifestum signum, etiam si non sint obsignatæ manere in depositò juxta *text. in l. die sponsaliorum*, §. *Quæ pecuniam ff. Depositi.* Vide Tamburin. *supra citat.*

[:?:]

QUÆSTIO CV.

An publicatâ lege incrementi, habens à defuncta dotem determinato tempore puellæ tradendam, separatam, & clausam, incrementum ad puellam, sive ad depositariam pertineat?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Resolutio.*

1 HIc casus à præcedenti non est dissimilis, & habet sic. Quædam nobilis fœmina morti proxima suæ amicæ centum tradidit aureos ad dotem cujusdam famulæ suæ, illam admonens, ne eos traderet, nisi post matrimonium in facie Ecclesiæ celebratum, ne eos innupta consumeret. Amica eos recipiens, in sudario involvens, in angulo cujusdam arcæ ad tempus designatum reposuit. Tum temporis monetarum evenit incrementum. Quæritur: An incrementum centum aureorum ad dotandam, an potius ad amicam pertineat?

RESOLUTIO.

2 Respondeo, vt *supra* ad præcedentis quæst. casum; ex dictis enim censeo, hanc amicam teneri eam pecuniam, suo tempore cum eo incremento dictæ famulæ tradere. Ratio est, quia ex modo, quo eam dotem custodivit, certò colligitur fuisse depositum, & non mutuum: sed incrementum depositi, sicut & decrementum pertinet ad dominum depositi, & non ad depositarium: ergo. Confirmatur ex ipsa amica depositaria, quæ planè fatebitur contra omnes, dato casu, quo pecunia per legem decresceret, [ut de facto crevit] non teneri ad amplius tradendum, quam ad id, quod sibi ad eam famulam tradendam, relictum fuit; & si hoc ita est verum; oppositum sibi dicentem depellat, qui non ratione fretus, sed assentationi serviens, dedit consilium.

QUÆSTIO CVI.

An teneatur ad restitutionem mercator Lusitanus, à Castellano monetam auream Hispanam nolens accipere pro valore in Regno currenti, sed pro in Castella vigente?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*

2 *Vt*

2 *Vt certum tenetur.*
3 *Legitimam non adducit excusationem.*
4 *Dato involuntario mixto in creditore, debitor à restitutione non excusatur, in foro conscientiæ.*

1 PEr legem incrementi monetæ ad rationem vigenti pro quolibet centenario ascenderunt: Aurum scilicet ascendit ad rationem mille, & quingentorum regalium Lusitanorum pro octava; & argentum ad sex millia regalia pro selibra; hoc promulgato valore, quarto Augusti hujus præsentis anni 1688. Castellanus merces diversi generis ex mercatore Lusitano in hac Ulyponensi Civitate emit. Accedens autem ad eas solvendas monetas aureas Hispanas exhibuit; & juxta legem promulgatam, statuentem aurum, & monetas aureas ex veteribus fabricis juxta pondus esse communes, solutionem à valore lege stabilito incipiebat. Restitit Lusitanus affirmans, se eas monetas non esse recepturum, nisi juxta valorem, quam in Hispania habebant. Castellanus verò, cùm jam merces in suo hospitio farcinatas habuisset, gravatè annuit. Quæritur: An Lusitanus mercator teneatur ad restitutionem residui ponderis earum monetarum juxta legis publicatæ valorem?

RESOLUTIO.

2 Respondeo, teneri. Ratio est, nam quãdo contractus est justus, uterque contrahens tenetur ad inter vtrumque conventum: vnde tenetur unus ad tradendas mensuras v.g. tritici emptas illi, qui ad tot se obligavit, & si vnam detrahat ad restitutionem illius tenetur, sicut etiam, si maius pretium à conventione inita, recipiat. Et alter tenetur ad pretium conventum, & si minus tradat, ad restitutionem, tenetur. Sic communiter DD. Molin. *tract.* 2. *disp.* 353. *vers. Quarta conclusio*, Salas, Lessius, & alij, quos refert, & sequitur Card. de Lug. *de Iustit. tom.* 2. *disp.* 26 *numer.* 13. Sed mercator Lusitanus maius pretium convento recepit: ergo excessum restituere tenetur. Minor ostenditur, quia recepit monetas aureas ad rationem mille, & trecentorum regalium pro octava, cùm illas recipere teneretur ad rationem mille, & quingentorum pro octava juxta legem in hoc Regno statutam, & publicatam. Et quòd juxta hanc legem tenebatur procedere, est certum. Quia contrahentes tenentur stare, & convenire juxta leges, & consuetudines loci, in quo contrahunt, vt asserunt Sanch. *l.* 3. *matrim disp.* 18. *num.* 10. & 11. Molin. *tract.* 2. *disp.* 260. *in principio*, & cum Barthol. & Caiet. Fagund. *de Iust l.* 1. *cap.* 2. *numer.* 2 & *cap.* 28 *numer.* 4. & cardin. de Lug *de Iust. disp.* 22. *numer.* 358. Sed Lusitanus, & Castellanus in hoc Regno contraxerunt: ergo Lusitanus stare tenebatur ir pro valore monetæ juxta legem hujus Regni, & sic tenetur ad restitutionem excessus, qui in monetis ab eo receptis in valore ponderis in illis dabatur.

3 Nec obstat excusatio mercatoris Lusitani dicentis, se mercatori Castellano vim non intulisse, vt debitum solveret in ijs pro eo valore, nam ab eo petijt, vt debitum solveret in monetis argenteis Hispanis, vel Lusitanis, aut quòd merces venditas sibi redderet. Non, inquam, obstat, excusatio, nec eum liberat à restitutione. Non obstat, excusatio, quia eas monetas juxta pondus pro suo debito recipere tenebatur, vt pœnis gravissimis contra eas respuentes statuitur *Ordin. Reg l.* 4. *tit.* 22. ibi: *Et hanc pœnam habebit ille, qui respuerit monetam auream, quæ ad nostra Regna ab externis pervenerit.* Hæc autem lex est justa, & sequenda. Nec ea excusatio eum à restitutione liberat, primò: quia licèt verbis illis Castellano vim non intulisset, illi tamen dolo vim intulit; quia certò sciebat, eum alias non habere pecunias, nec oblatas facile sine jactura cum Lusitanis posse commutari; nec merces facile sibi reddi posse; Quia jam erant farcinatæ. Et quidquid sit de hac vi, certum enim est, Castellanum invitum, eo valore in hoc Regno inusitato post legem monetarum accretionis, ijs monetis suum debitum solvisse; & hoc dato ad restitutionem tenetur; videatur Sanch. *l.* 4. *matr. disp.* 7 *numer* 4. & *disp.* 10. *num.* 2.

4 Nec eum secundo excusat consensus invitus hujus Castellani, quia dato involuntario mixto In foro conscientiæ, æquitatem legis jam promulgatæ tenebatur sequi, & juxta illam solutionem sui debiti recipere; vt dicitur in ipsa lege, & tenent plures DD. quos refert, & sequitur Barbos. *in Remiss. ad Ordin. l.* 4 *tit* 21. *numer.* 24. Et quoad involuntarium mixtum pro foro conscientiæ videatur Sanch. *proximè dicto numer.* 2.

QUÆSTIO CVII.

An Monialis è suo monasterio egrediens ad aliud regendum; & finito regimine, licentiam obtinens ad manendum in eodem monasterio, possit, non obstante licentiâ obtentâ absque alia de novo, ad suum redire monasterium?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Monialis translata ad regendum monasterium, expleto suo munere, & officio, redire potest ad suum monasterium proprium.*

3 *Licentiâ concessâ, non impedit ad proprium redire monasterium.*

4 *Non illam impedit text. in Regul. Quòd semel placuit.*

5 *Nec aliquis contractus cum secundo monasterio initus.*

1 HÆc quæstio ad hanc disputationem de restitutione pertinet, nam monialis à proprio monasterio egressa ad aliud suo se vult restituere. Casus est: quædam Monialis certi conventus, ad alium ejusdem ordinis in Priorissam fuit electa. Expleto sui muneris, & officij tempore, à suo Generale Romæ residenti licentiam petijt ad manendum in eodem conventu. Licentiam concessit Generalis. Et postquam vitam duxit per aliquod tempus in conventu ob aliqua inconvenientia, quæ in illo invenit, ad suum proprium redire vult. Quæritur: An ad hunc regressum necesse sit Romam recurrere, vt à suo Generali novam licentiam obtineat?

RESOLUTIO.

2 Respondeo non egere nova licentia sui Generalis. Ad hujus resolutionem suppono, dictam Monialem expleto officio Priorissæ in eo conventu, potuisse absque licentia sui Generalis ad suum proprium monasterium redire, vt tenet communis DD. sententia, quos citant, & sequuntur Sanch. *lib. 6. decal. cap. 15. numer. 46. in fine*, Tamburin. *tom. 4. de Iure Abbatiss. disp. 20. quæst. 2. numer. 8.* Villalob. *tract. 34. diff. 45. numer. 9.* Pellizar. *in Manual. Regul. tract. 10 cap. 5. sect. 2. numer. 48.* Et hoc probatur, quia *Concil. Trident. sess. 25 cap. 7. de Regul.* concedens similibus monialibus, in casibus similibus facultatem egrediendi è suis monasterijs ad alia ejusdem ordinis regenda, ipso facto, illis concedit regressum. Quod ostenditur hac ratione; nam qui dat licentiam exeundi, etiam illam præstat redeundi; vt probat *text. in cap. Quia diversitatem de Conces. præbend. text in cap. Statum, §. Præterendo, de Rescript. in 6.* Et hinc est, quòd in jure, *ire, & redire æquiparantur l. Sicut, ff. Ex quibus causis, cap. Magna, de Voto, cap fin. de Treug & pace.* Et hujus ratio est, quia regressus est accessorius ad egressum; & accessorium naturam sequi congruit principalis, *Reg. Accessorium, de Regul. jur. in 6. cap Si civitas, de Sentent. excommunic. in 6. cap. Vnico, de Consecr. Eccles. & altar. ibidem.* Imo Sanch. *cit. dict. cap. 15. numer.* probat non solùm posse dictas Religiosas in similibus casibus redire, sed ad id teneri, *arg. text. in cap. Periculoso. 1. §. Verum, de Statu Regul. in 6.* Ubi dicitur, finito officio, ad quod Abbatissa è monasterio egressa est, mox regredi debere, ibi: *ad ipsum monasterium è vestigio reversura.* Et in præsenti casu satis probatur, dictam Religiosam teneri statim ad regressum, quia ne regrederetur, & maneret in eodem conventu, erat, & necessaria fuit sui Generalis licentia.

3 Quo supposito, nihil datur, quod possit impedire regressum hujus Monialis ad suum monasterium, nisi licentia, seu privilegium à suo Generali obtentum, at hæc licentia, & privilegium, cùm sit concessum personæ privatæ, non est dubium, quòd possit ab ea remitti, vt probat *textus in l. Penultima C. de Pactis*, vbi dicitur: *Omnes licentiam habere his, quæ pro se introducta sunt, renuntiare; text. in l. Si judex 42. ff. de Minor.* ibi: *Vnicuique licet contemnere hæc, quæ pro se introducta sunt. text. in cap. Ad Apostolicam 16. de Regular.* ibi: *Renuntiare videtur ei, quod pro se noscitur introductum; text. in cap. Tecis 39 de Testib. & attest.* ibi: *Nisi forte a parte remittatur adversa, text. in cap. Si de terra 6. de Privileg.* ibi: *Cum liberum sit vnicuique suo juri renuntiare.*

4 Nec obstat primò, habere dictam Religiosam à suo Generali dictam licentiam acceptatam, & ex vi illius in eo monasterio per aliquod tempus mansisse, unde videtur hic habere locum, *Regul. Quod semel, 21. de Regul jur. in 6.* ibi: ibi: *Quod semel placuit, amplius displicere non potest.* Non, inquam, hoc obstat, quia vsum fuisse unum suo privilegio, [quando illud habet tractum temporis successivum] non tollit, dum durat talis tractus, posse renuntiari, & illi resistere, vt probat *text. in cap. Interposita, 70 §. Ille denique, de Appellat.* ubi dicitur, illum, qui vsus est appellatione ei concessa, posse resistere, & ei renuntiare: & *text. in l. finali, C. de Repudiand. hæredit.* Vbi dicitur, quòd filius, cui concessum est repudiare hæreditatem paternam, potest ei se iterum immiscere. Nec in præsenti casu habet locum *Regul. Quod semel*, quia hæc illum habet in ijs casibus, in quibus alteri jus est quæsitum, ut *in l. Iudex ff. de Rejudic.* secus quando jus alteri non est quæsitum, ut bene notant Canon. *l. 9. Commentar. cap. 6. numer. 12.* & alij quos affert, & sequitur Barbos. *in Collect. ad cit. Regul. Quòd semel*, qui omnes concludunt, posse quem renuntiare juri suo, quandiu alteri præjudicium non facit.

5 Nec obstat secundò, quòd ex mansione dictæ Religiosæ in eo conventu videtur inter illam, & conventum, aliquem resultasse contractum, cui nunc videtur præjudicare regressus. Non, inquam, hoc obstat, quia hic contractus est illorum, qui in jure dicuntur innominati, facio, ut facias, & non alius; quia illa in hoc monasterio non emisit professionem: in contractibus autem innominatis datur locus pœnitentiæ, etiam invitâ parte, ut probat *text. expressus in l. Si pecuniam, 5. §. Si servum ff. de Condit. causa data*, & tenent communiter DD. apud Molin. *tract. 2. disput. 254.*

QUÆST.

QUÆSTIO CVIII.

An Religiosus professus teneatur procurare licentiam à S. Pontifice ad matrem juvandam, gravi necessitate oppressam, quam á suis Prælatis obtinere non potest?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Affirmant plures DD. teneri Prælatos licentiam concedere.*
3 *Alij cum distinctione respondent.*
4 *Securior sententia adducitur.*
5 *Quæ necessitas sit gravis?*
6 *Prælati recursum ad S. Pontificem impedire nequeunt*
7 *Religiosus eam non tenetur procurare.*
8 *Tenetur tamen pro viribus inopiæ matris subvenire de obedientia Prælati.*
9 *Si Prælatus iniquè neget, quid faciendum?* Illam potest sibi assumere.
10 *Si dubium sit, an Prælatus iniquè neget? Potest subditus.*

1 QUidam Religiosus suam matrem habet gravi necessitate oppressam, & Prælati licentiam concedere nolunt, ut extra monasterium eam subveniat. Quæritur 1. An Prælati eam licentiam concedere teneantur? 2. An Prælati recursum ad S. Pontificem impedire possint? 3. An ipse eam licentiam procurare teneatur?

RESOLUTIO.

2 Quoad primum: An teneantur Prælati eam concedere licentiam? Scio, plures esse DD. affirmantes cum D. Thom. *quod lib. 3. art. 6. & 2.2. q. 101. art 14. ad 4.* & ibi Caiet. quem sequitur Sylvest. *verb. Religio 2. q 4* & alij plures, quos citant, & sequuntur Navarr. *in cap. Nullam 18. q 2. numer. 48. & in Man. cap. 14. num. 14.* Lessius *de Just. l. 2. cap. 41. dub. 3 numer. 35. vers. Si filius.*

3 Alij distinguunt inter necessitatem, quæ jam erat matri antecedenter ad professionem, & inter necessitatem, quæ matri supervenit post professionem: in illa dicunt non solùm teneri Prælatos talem licentiam concedere, sed eâ petitâ, & non obtentâ, teneri Religiosum è Religione egredi; In ista dicunt, non teneri egredi; at posse, si velit. Ita Fagund. *in 4. decal. præcept. l. 4. cap. 2. numer. 27.* cum pluribus, quos allegat.

4 Cæterum securiorem existimo opinionem Sanch. *l. 4. decal. cap. 20. num. 17. & 23.* ubi inquit non teneri Prælatos eam concedere licentiam, ibi: *Dicendum est, in neutro casu teneri superiorem eam licentiam concedere*; Et id probat plurimis DD. efficacibus rationibus, & firmis fundamentis, quibus subscribunt Fragos. *tom. 3. de Regim. Reip. Christ. l. 1. disp 2 § 8 num. 228.* Tamburin. *de Iur. Abbat. tom. 3. disp. 8. q. 6. num. 9.* Lezan. *in Summ. qq. Regul. tom. 4 verb. Parentum Fratres, num. 2.* Dian. *3. part. tract. 2 de Dub. Regul. resol. 90.*

5 Addo, in opinione contraria non qualemcunque necessitatem, quæ videatur esse gravis, talem esse, vt videre est apud Sanch. *cit. num. 4.* ubi examinat, qualis debeat esse necessitas, vt sit gravis, & tandem concludit cum Ioann. de Neapoli, Emman. Rodrig. Passarell. & alijs pluribus, futuram esse talem, ut parentes obliget ad res indecentes contra suum statum; ibi: *Eo quod cogerentur ea efficere, quæ in notabilem ejus decentiæ status jacturam cederent, vt artem mechanicam exercere, mendicare, alijs famulari cum notabili status proprij diminutione. Secus quando possunt vitam transigere, etsi non ita commodè, abundanter, & honorificè.* Quæ designo, ut videatur, si, stante opinione contraria, necessitas, quæ de facto datur, sit gravis.

6 Quoad secundum, in quo inquiritur; An Prælati possint impedire recursum ad S. Pontificem? Respondeo non posse: id enim esset contra Sacros Canones *in cap. Quoniam 4. de Immunit. Ecclesiar. in 6.* & contra *Bullæ Cænæ Canonem 12.*

7 Quoad tertium, in quo quæritur; An teneatur dictus Religiosus ad procurandam eam licentiam à S. Pontifice? Respondeo non teneri, sed tantùm ad subveniendam suæ matri ijs medijs, quæ cum suo Religiosi statu componi possint: sic Sanch. *cit. num. 23.* ib.: *Tantum tenetur Religiosus in monasterio modis suo statui aptis ei necessitati prospicere.* Quod latè probat *ibidem num. 18.* cum D. Thom. Navarr. Turrecremata, & alijs pluribus. ibi: *Fatendum est, teneri filium professum, pro viribus in Religione niti, vt ei parentum inopiæ subveniat, salvis obedientiâ, & sui status decentia, id est regularum observantia.* Idem inquit Fragos. *cit. num. 228. vers. Caterum*, ibi: *Tenetur filius in Religione professus pro viribus laborare, vt patri agenti graviter succurrat, salvâ obedientia, & Regulari observantiâ.*

8 Tenetur tamen dictus Religiosus à suis Prælatis petere licentiam, vt suæ matri dicto modo, & medijs subveniat, vt docet Portel. *citat. num. 2.* Dian. *proxime resol. 90.* & Sanch. *cit. num. 19. post medium*, ibi: *Credo tamen eum teneri prius petere licentiam, nisi omnino certus sit, fore ut sibi iniquè denegetur, & posteà nequeat tantâ facilitate, & securitate parentibus subvenire, quia Religiosum statum decet eam non petere, ubi id damnum non timetur.* Et est optimum argumentum textus in *cap. Licet, de Regular.* ubi jus Canonic.

nonic. præcipit Religioso, qui ad strictiorem Religionem transire vult, vt prius à suis Prælatis licentiam postulet, & inquit, quòd si negetur, absque illa tranſeat.

9 Sic in præsenti casu, si Prælati talem licentiam negarent, inquit P. Sanch *cit. dict. numer.* 19 *ante medium* cum Cordub & Ludovic. Lopes, eam licentiam, cùm sit justè petita, & injustè negata, haberi pro concessâ, ibi: *At si Prælatus nollet facultatem concedere ad succurrendum modis suis suum statum decentibus, & non egrediendo ex claustro, nec efficiendo aliquid repugnans suo instituto, optimè asserunt hi DD. posse filium occultè, & absque scandalo, id efficere; quamvis repugnet Prælatus, idque sub pœna excommunicationis interdicat. Ratio est quia in tali eventu iniquè agit Prælatus licentiam denegans; quare cum licentia illa debita sit, poterit Religiosus, eâ non obtentâ, id facere.*

10 In dubio autem, an superior eam licentiam iniquè neget? Respondet Sanch. *cit. dict. num.* 19. *prope finem*, adhuc posse subditum illa uti, ibi: *At magis placere, posse: quia & si in dubio potius sit superioris jus, sitque illi obediendum: hoc fallit, quando est in grave detrimentum tertij.* Hæc sunt, quæ in præsenti casu docent DD. & quod mihi æquius, & justius videtur.

QUÆSTIO CIX.

An post captam beneficij possessionem à resignatario, possit resignans post mortem illius illud, vt antea, habere absque novis litteris?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Resignans non potest repetere beneficium à se resignatum*
3 *Doctrina generalis in præsenti casu cessat.*
4 *Potest, vt antea suum habere beneficium absque nova collatione*
5 *Rationibus ex ipso jure ostenditur.*

1 FRanciscus beneficiatus suum beneficium simplex in redditibus annuis habens quadraginta millia regalia reservans, exprimens, se illud sub hac conditione, & non aliter renuntiare. Pervenerunt litteræ cum pensione triginta ducatorum auri de camera nostræ monetæ Lusitanæ, qui solùm conficiunt undeviginti millia, & ducenta regalia. Possessionem cepit novus beneficiarius, nunquam tamen beneficio servivit, nec illius aliquos fructus percepit; sed antiquus beneficiatus, vt antea, per triennium usque ad mortem novi beneficiati serviebat. In præsenti vult dictus beneficiatus Bullas annullare, & habere beneficium, vt ante resignationem Quæritur: An hoc possit agere?

RESOLUTIO.

2 Respondeo, posse. Nam quamvis resignans beneficium resignatum repetere non possit; ut probat textus *in cap. Quam periculosum 7. q. 1. textus in cap. Ex transmissa de renuntiat. textus in cap. Si te præbendam de Renuntiat. in 6* & tenent communiter DD. apud Barbos. *in Collect. ibidem.*

3 Hæc tamen generalis doctrina solùm habet locum, quando conditio, sub qua resignans beneficium renuntiavit, impleta est; & non quando completa non fuit, vt plures tradunt DD. quos latè citat, & sequitur Flamin. Parisius *de Resignat. benef. l. 1. q. 13. numer. 54.* ibi: *Declara sexto, seu limita non procedere, quoties jus non fuit quæsitum resignatario, vel si fuit quæsitum, conditiones non serventur; nam hoc casu potest resignans repetere suum beneficium, vt fuit pluries in diversis causis resolutum in Rota; & est communis omnium DD. opinio, ut latè scripsi q. 3.* ubi plures refert DD.

4 Nec est necessaria nova collatio, sed potest dictus Franciscus in beneficio, sicut antea, manere, S. Azor *part. 2. l. 7. cap. 29 q. 21.* ubi plures allegat, ut alios plurimos Less *l. 2. Just. l. 34. dub. 36. num. 195.* alios Flamin. Paris. *proximè q. 14. num. 12. & numer 14.* inquit, hunc esse, & Curiæ, & Rotæ stylum. Idem cum alijs pluribus Garcia *de Benef. part. 11 cap. 3. num. 9.* Idem Lotherius *de Re beneficiar. l 3. q. 16. numer. 60.*

5 Id primò constat ex pluribus Rotæ decis. quas refert Flamin. *cit. num. 5.* Secundò, quia jus non abdicatur à resignante deffectu consensus resignatarij, quia non aliter resignavit. conditio enim in pactis conditionatis habet rationem formæ, vt probat *text. in l. A Titio 108. ff. de Verbor. obligat.* & ibi communiter DD. Tertiò, quia tale beneficium, quando non sunt impletæ conditiones, non vacavit, vt decidit Rota *decis. ult. in antiquis, de rerum permutat.* Puteus cum pluribus *decis. 523 l 2. & decis. 297. num. 5. l 3.* Quartò, quia talis resignans, quandiu non est impleta conditio, non censetur resignasse, ut probat Innocentius *in cap. Inter cætera de Præbend. in principio*, dicta Rota *decis. ult.* Flamin. Paris. *cit. q. 14. num. 8.* cum pluribus. Quintò, quia actus, non purificata conditione, perinde censetur, ac si non esset factus, ut latè ostendunt Gabriel *consil. 72. num. 8. volum. 2.* Cephal. *consil. 17. numer. 8 vol. 1.* Socin. *Junior. consil. 4. numer. 16. vol. 2.* Paris. *proxime numer. 10.* Sextò, quia titulus, & possessio non censetur demissa, nisi adimpletâ conditione, ut tenent Gloss. *in cap. Olim, de Restit. spoliat.* &

Inno-

Innocentius *proximè in cap. Inter cætera.* Septimò, quia talis resignans non censetur aliquid de novo acquirere, sed acquisitum conservare optimo exemplo text. *in l. Filio de Injusto rupt. testament.* & argum. *textus in l. Peculium, §. Si habere, ff. de Pecul.* & argum. *text. in l. Voluntate, ff. Quibus mod. pignus, & hypotheca solvitur.*

QUÆSTIO CX.

An Vicarius Generalis in rescripto gratiæ recusari possit?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Potest ex communi DD. doctrina*
3 *Judex, de quo appellari potest, potest recusari.*
4 *Licet quoad gratiam recusari non possit; potest, quoad justitiam exercendam.*
5 *Dispensatio ex justa causa ad evitanda scandala dicitur Justitia.*
6 *Suspiciones, quando superior est absens, per arbitros judicantur.*
7 *Capitulum potest alium nominare Vicarium Generalem, & antiquum suspendere.*

1 A S. Pontifice obtenta fuit Bulla dispensationis, cujus executio Vicario Generali commissa fuit, ut ex ipsa constat: *Dilecto filio officiali.* At Vicarius Generalis erat inimicus capitalis personæ dispensandæ. Quæritur 1 An hic Vicarius Generalis recusari possit, cùm rescriptum sit gratiæ, & R. Capitulum, Sede vacante, constituere judicem ad suspiciones judicandas? 2. An, pro suspecto judicato, possit à R. Capitulo alius Vicarius Generalis peti, ut cum eadem potestate ex Bulla obtenta judicet, siquidem nomini proprio non venit commissa, sed nomini dignitatis?

RESOLUTIO.

2 Quoad primum; An possit dictus Vicarius Generalis recusari? Respondeo posse ex Generali DD. doctrina asserentium, quòd etiam delegatus Papæ, proprio motu datus, potest recusari, quam doctrinam latè prosequuntur Francus *in cap. Postremo, de Appellat. numer.* 15. Navarr. *consil. l. 2. de Appellat. consil* 3 Iacob. de Laurentijs *tract. de Iudice suspecto cap.* 4 *numer.* 10. Sanch. *consil. l. 6. cap.* 8. *dub.* 3. *numer.* 11. & expressè colligitur *ex cap. Iudex de Offic. delegat. in 6.*

3 Confirmatur, quia si officialis injustè pronuntiasset dictum Breve esse subreptitium, poterat dispensandus appellare, & ad S. Pontificem recurrere, ut communiter defendunt DD. apud Sanch. *de Matrim. l. 8. disp* 27. *numer.* 39. & apud Scatiam *de Appellat. q.* 8. & est DD. communis doctrina posse recusari omnem judicem, de quo appellari potest, ut probat *text. in c. Super eo, de Appellat.* & DD. à Barbos. *in Collect. ibidem num.* 10.

4 Nec obstat rescriptum esse gratiæ, quod recusari nequit. Non, inquam, obstat, quia respondetur primò, dictum Vicarium non recusari quoad gratiam à S. Pontifice concessam, sed quoad justitiam, quam exercere debet.

5 Secundò respondetur, dispensationem, quando est ex justa causa concessa ad evitanda scandala, [ut est præsens] ut constat ex Brevi, ibi: *Graviaque ex inde scandala possint verisimiliter exoriri.* appellari justitiam, ex celebri doctrina Ancharan. recepta ab Abbat. *in cap. At si clerici, de Adulter. column penult. num.* 20. & à Stephan. Gratian. *discept. forens. cap.* 146. *numer.* 17.

6 In maius tamen dubium venire potest; An R. Capitulum ad eas decidendas suspiciones judicem constituere possit? Respondeo, posse; non tamen ad judicandum de dicto Vicario, in quantum est S. Pontificis delegatus; quia suspiciones delegati coram suo superiore judicari debent, qui in præsenti est solus S. Pontifex, & tuentur communiter DD. apud Sanch., *de Consil. l. 6 cap.* 8. *dub.* 3. *numer.* 26. dicentes absente superiore, [ut in præsenti abest. S. Pontifex) per arbitros suspiciones debere esse judicandas ex textu *in cap. Legitima de Appellat. in 6.* Glossa *in cap. Si contra de Offic. delegat. in 6. initio.* Quod latè pro sequitur Sanch. *proximè numer.* 21. Ad judicandum tamen de Vicario Generali, quatenus est suus officialis, potest, dicto *cap. Si contra*, ubi Ancharan. *in* 4 & 5. *notabili.* Sbrosius *de Vicar. Episcop. l.* 3 *quæst.* 16 *numer.* 1. Barbos. *de Potest. Episcop. allegat.* 54 *numer.* 150. *vers. Vbi vero*, Iacobus de Laurentijs *tract. de Iudice suspecto cap.* 4. *num.* 6 *ad medium.*

7 Quoad secundum: si dictus Vicarius pro suspecto sit judicatus? Respondeo, posse R. Capitulum alium dare Vicarium generalem, cui executio dicti Brevis committatur; sic communis DD. sententia apud Sanch. *de Matrim. l.* 8. *disp* 27. *numer.* 42. cum hac advertentia, quòd suspensurus sit dictus Vicarius, dum de novo nominatus dictum Breve judicaverit: nam si antiquus in suo persistat officio, cùm ille sit principalis officialis, & Breve ad illum est commissum; alius, persistente illo, validè non poterit judicare, ut notant communiter DD. apud Sanch. *proximè numer.* 36. *adjuncto numer.* 42. Imo censeo non solùm posse R. Capitulum,

lum, sed teneri antiquum suspendere, & novum Vicarium nominare; quia hoc non est fraus, sed justitia, cui ad postulationem partis tenetur R. Capitulum, ut ex se patet.

QUÆSTIO CXI.

An Provincialis cujusdam Religionis constitutus à S. Pontifice delegatus ad decidendam quandam causam simul cum Vicario Generali Diœcesano commissioni possit renuntiare?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *In conscientia tenetur Provincialis dictum Breve exequi, cognoscens de causa per se, aut alterum delegans.*
3 *Si Provincialis re vera præsentialiter non potest d. Breve exequi, tenetur ad delegandum.*
4 *Non illi favet textus in cap. Si pro debelitate.*
5 *Alius in Provinciali dari potest scrupulus, nollens dictum Breve Apostolicum exequi.*
6 *Nec renuntiatio ab eo facta fuit valida.*

1 AD requisitionem cujusdam Monialis in materia gravissima suæ justitiæ expedivit S. Pontifex Breve, in quo commisit Provinciali ejusdem Religionis, ut simul cum Vicario Generali Diœcesano, dictam causam decidat. Provincialis eam commissionem renuntiavit, excusans se cum sui muneris, & officij occupationibus. Instat Monialis, & requirit, ut Breve Apostolicum exequatur per se, aut alterum deleget. Quæritur: An dictus Provincialis in conscientia teneatur dict. Breve exequi, cognoscens de causa, aut per se, aut delegando?

RESOLUTIO.

2 Respondeo, teneri. Ratio est, quia dictum Breve continet mandatum Apostolicum, ibi: *Committimus, & mandamus*, cui non obedire peccatum mortale est; ut probatur ex *ex tex. in cap. Prudentiam 22 § Adjicimus de Potest. & offic judic delegat.* ibi: *Gravissime sit arguendus pro eo, quòd mandatum Apostolicum exequi subterfugiat.* In quo textu duo notari debent. Primum, quòd huic culpæ pœnam imponat gravissimam, ibi: *Gravissime sit arguendus*, juncta Glos. *verb. Arguendus*, ibi: *Imo, & puniendus*; & cùm pœna semper supponat culpam, *cap. Significante 7. de Pignor. cap. 2. de Constit. & l. Trajectitia ff. de Action. & obligat.* & alij apud Molin. *de Justit. tract. 2. disp. 317. vers. Tertiam*, ita etiam pœna gravissima supponit culpam gravissimam; nam pœna proportionari debet culpæ, *l. Sancimus, Cod. de Pœnis*, & *cap. Felicis, vers. Illud autem de Pœnis in 6.* Secundùm; quòd non sufficiat quæcumque excusatio, ibi: *Mandatum Apostolicum exequi subterfugiat*; itaque futura est causa vera, & non apparens; impossibilitas realis, & non subterfugium.

3 Quòd si d. Provincialis venire non potest in persona, tenetur delegare. Hoc evidenter sequitur ex eo, quòd a S. Pontifice constitutus sit judex hujus causæ: nam unus ex actibus suæ jurisdictionis est delegare, ut probat textus optimus *in cap. Pastoralis 28. de Potest. & offic. jud. delegati*, ibi: *Cum delegato à Principe jurisdictio dandi judicem sit à lege concessa.* Idem habetur *in cap. Quoniam 43. eodem tit.* & *in cap. Cum causam, de Appellat. & l. Et judice Cod. de Judicijs.* Itaque dictus judex tenetur exercere jurisdictionem, quæ petitur, & est necessaria ad executionem dicti Brevis Apostolici, ut probat *in dict. cap. Prudentiam, § Adjicimus. de Potest. & Offic. judic. delegat.* textus *in cap. Sciscitatus 13. de Rescript. text. in cap. Si pro debilitate, 3. de Potest. & offic. judicis delegat.* Et non est dubium, exerceri non posse jurisdictionem suam præsentiam requirentem quin deleget; quæ sufficit, & est necessaria ad executionem dicti Brevis; ut probat textus *in cap. Pastoralis 28. textus in cap. Super quæstionum, 27. & textus in cap. Quoniam, 43. de Potest. & offic. judic. deleg.* Et ultima ratio hujus obligationis est, quia Sedes Apostolica intendit providere negotijs *dict. cap. Quoniam*, ibi: *Quoniam Sedes Apostolica intendit providere negotijs, &c.* & sicut obligat judicem decidere in præsentia, quando potest venire in præsentia, sic non obligat, quando in præsentia venire non potest, at delegaturus est. Aliter negotijs sufficienter non provideret, nec ijs, quæ postulat justitia, pereuntibus partibus absque remedio.

4 Nec obstat textus *Si pro debelitate 3. de Potest. & offic. jud. delegat.* ibi: *Si pro debelitate, vel pro qualibet alia gravi causa, vel necessitate tractandis causis, quæ tibi à Sede Apostolica committuntur, interesse non poteris, liberum tibi sit, personis discretis, & idoneis vices tuas committere.* Ubi verbum *Liberum* inducere videtur libertatem, & non necessitatem. Non, inquam, obstat, quia respondetur cum Glos. *ibidem, verb. Liberum*, hanc libertatem esse in ordine ad personas eligendas, concedente jure, posse eligere, quem voluerit, quin respiciat consensus partium: ibi: *in vitis partibus.* Itaque necessariò eligere debet, at eligere potest, quem voluerit. Quod clarius inquit Abbas *in dict. cap. Si pro debelitate, nu. 5.* ibi; *De significato hujus verbi* Liberum, *est, ut non teneatur requirere alterius consensum.*

Et id

Et id probat ex textu *in cap. 5. De multa, de præbend.* & *ex text. in cap. Licet Epiſcopos, eodem tit. in 6.*

5 Alius datur hic in d. Provinciali ſcrupulus, dictum Breve Apoſtolicum exequi nollente, & alia maioris momenti ratio: Quia hoc videtur impedire ſaltem indirectè, ne dicta Moniales ſuo Brevi Apoſtolico utatur: Illi autem, qui ſaltem indirectè prohibent, ne quis Brevibus, & litteris Apoſtolicis utatur, excommunicationem incurrunt, *in Canone* 13. *Bullæ Cœnæ* latam, *in fine* ibi: *Quive gratias ipſius, vel litteras à d. Sede impetratas, ſeu impetratis utantur directè, vel indirectè prohibere... vel alias quomodolibet retinere præſumunt.* Et ponderari debent clauſulæ *Indirectè*, & *Quomodolibet*, & quæ, juxtà illas affert Barboſ. *tractat. de dict. dict.* 330. *numer.* 2. & 4. cum communi DD. ad omnia ſe extendentes. Et conſideratione eſt dignum, quam periculoſum ſit in Prælato ſubditos habente, poſſe illos exiſtimare, ſe eſſe excommunicatum; & conſequentia, quæ ex hoc ſequuntur.

6 Nec obſtat ſecundò, poſſe dicere dict. Provincialem, ſe jam renuntiaſſe: & renuntians rei, eam non poteſt amplius repetere, *cap. Ex tranſmiſſa*, 3. *de renuntiat.* Non, inquam, obſtat, quia reſpondetur primò, renuntiantem poſſe re integrâ repetere, *l. Is qui deceſſione bonor.* & in præſenti res eſt integra. Reſpondetur ſecundo, dict. Breve non eſſe gratiam factam dicto Provinciali, ſed dictæ Monialis; unde dicta Monialis ſolùm, & non dictus Provincialis renuntiare poteſt. Tertiò reſpondetur, ſolùm favori libero, & non obligationi neceſſariæ renuntiari poſſe; ut probat *text. in l. unica §. Et cùm lex Iulia C. de rei uxoriæ actione*, *textus in l. De die ff. de pact. dotalib. textus in l. Cum hi*, 8. *ff. de tranſact. text. in l.* 1. *C. Ne fidejuſſores*, *text. in l. Hoc judicium* 14. *ff. de communi dividund.* text. *in l. Nemo poteſt*, *ff. de legat.* 1. text. *in l. Contra juris ff. de pactis*, *textus in cap. Cùm eſſes*, *de teſtament.* textus *in cap. Quia propter*, *de elect. & alij plures.* Vnde cum evidentia ſequitur, dictam renuntiationem fuiſſe nullam.

QUÆSTIO CXII.

An ex dicto complicis contra delatam procedi poſſit?

SUMMARIUM.

1 *Facti ſpecies.*
2 *Videtur non poſſe.*
3 *Oppoſitum in præſenti dicendum.*
4 *Dictum complicis eſt leve indicium ad torturam, ſecus ſi cum alio conjungatur.*
5 *Hoc dictum, conjunctum cum alio indicio, eſt ſufficiens ad torturam.*
6 *Delinquendi conſuetudo adminiculata, ſufficit ad tooturam.*
7 *In præſenti duo concurrunt indicia.*
8 *Delinquendi conſuetudo per exilium, & alias pœnas non fuit purgata.*

1 QUidam Regularis ex propria confeſſione fuit convictus de actibus repetitis cum tribus complicibus, propter quos fuit mulctatus amotione ſtudiorum, & exilio ab illo ad alterum monaſterium. Poſtea contigit, quòd alius complex diverſus, cum eſſet, ut reus accuſatus, & volens ſuam confeſſionem æquare cum culpis, quas ex illo intelligebat, habere Prælatum. Inter alia confeſſus fuit; venientem dictum Regularem de exilio poſt ſuas culpas, uno anno elapſo, & tranſeuntem per monaſterium, in quo ille reus habitabat, habuiſſe cum illo unum actum in eadem materia; & tunc eumdem ſe laudaſſe de alio habito in exilio cum alia perſona, quam nominavit. Item confeſſus fuit, quòd concurrens clam cum dicto Regulari in monaſterio, quo ambo ſtudent, cum illo varios actus repetitos habuiſſet. Dictus Regularis eſt habitus inter imperfectos ſui monaſterij, & cum illis tractat. timendumque eſt, illis fore magno damno. Quæritur, An poſſit Prælatus contra illum procedere, ut contra reum, & illum ponere in tortura.

RESOLUTIO.

2 Videtur non poſſe. Ratio eſt, quia notitia, quæ de novo accrevit, eſt habita per complicem, & ſocium ejuſdem criminis: at dictum ſocij criminis nihil probat, *cap. Veniens*, 1. *de teſtib.* ibi: *nulli de ſe confeſſo, adverſus alium in eodem crimine eſt credendum*, &c. *Cap. Cum monaſterium, de confeſſis*, ibi: *Secundum utriuſque juris ſtatuta, de ſe confeſſi ſuper aliorum conſcientijs, interrogari non debent, & de reatu proprio confitentis periculoſa confeſſio, non eſt adverſus quemlibet admittenda*, &c. Idem habetur *l. finali. C. de accuſation.* & *l. fin.* cum Gloſſ. per Bartol. & *l. Maritus ff. de quæſtion.* & alijs pluribus apud Barboſ. *in collect. ad cap. veniens*, & *cas Monaſterium*, *cit.* & apud Navarr. *conſil.* 3p *de accuſat. num* 2. & *conſil.* 5. *num* 2.

3 Hàc non obſtante ratione; Reſpondeo poſſe Prælatum procedere contra dict. Regularem, tamquam reum, & eum in tortura ponere. Ratio eſt, quia licet dictum complicis probationem non faciat, ut conſtat ex textibus, & DD. allegatis, eſt tamen indicium *cap. ſignificaſti de adulterijs*, ubi dictum mulieris ſociæ adulterij cum ſacerdote, recipitur, ut indicium contra illum; & *cap. Quoniam, de teſtib.* adjunctà Gloſſ. ubi idem deciditur. Et tenet-

communis DD. sententia cum Iulio Clar. Abbat. Simancas, Cyno, Panormitano, Farinacio, & alijs pluribus apud Barbos. *in Collect. ad dict. cap. significasti, & d. cap. Quoniam*, & apud Andrete *l. 2. cap. 3. num. 17.* & apud Bart. *in praxi tit. 11. cap. 11. de testib. num. 36.*

4 Et quamvis sit verum, dictum complicis esse tantùm indicium leve, & ad torturam insufficiens, ut cum Boerio, Paryso Aymon, Ioann de Anania, Thom. Gram. Farinac. Mascard. & alijs docent Aldrete *ubi proximè cap. 8. num. 27.* & Bert. *tit. 16. cap. 5. de indicijs, & tortura num. 31.* Attamen est tale indicium, ut si aliud quodcunque illi adjungatur, maneat sufficiens ad constituendum Regularem reum talem, ut ponatur in tortura, ut cum Salicit. Bossio, & communi DD. Bert *citat.* ibi: *Si aliquod aliud indicium cum dicto complicis concurrat, constitui reus, ac torqueri ipse tunc potest.*

5 At in præsenti casu, cum dicto complicis adjungitur aliud indicium, quod DD. appellant, *delinquendi consuetudo*, quæ, [ut dicunt] tunc datur, quando quis in eodem genere male bis, vel ter blasfemasse convictus fuerit: tunc enim semel malus præsumitur malus, juxta *Regul. semel malus, de regul. juris in 6.* & *l. Si cui, §. 1. ff. de accusat.* ut cum Innocentio, Farin & alijs docet Bert. *ubi proximè, num. 28*

6 Ex hac delinquendi consuetudine, dicunt Bartol. & Salicet. *in L. fixa, C. de quæst.* se sola esse indicium leve; at quomodocunque adminiculatam facere indicium grave, sufficiens ad torturam; & ita docent Bald. Iason. Farinac, & alij apud Bert. *ubi proximè num. 29.*

7 Vnde infero in præsenti casu, contra dict Regularem, duo concurrere indicia: primum, testimonium complicis, secundum, delinquendi consuetudinem, ut constat *ex numer. 1.* & quamvis illorum quodvis sit solùm indicium leve, ut ex DD. allegatis ostenditur; ambo tamen conjuncta faciunt indicium grave ad torturam sufficiens, ut dicunt Salic. Boss. Bald. Iason, & Farinac adducti.

8 Nec obstat, dici posse, in præsenti casu, delinquendi consuetudinem, fuisse purgatam per exilium, & alias pœnitentias, quibus dictus Regularis fuit punitus. Non, inquam, obstat; quia delinquendi consuetudo probat in criminibus de novo incretis; & tunc solùm purgat, & non potest nocere, quando post illam quis per triennium bene, & laudabiliter vixerit, ut inquit Farinac. apud Bert *loco cit.* At dictus Regularis post suam delinquendi consuetudinem, per triennium bene, & laudabiliter non vixit; nam pars culparum, quæ accreverunt; primo anno, post illius consuetudinem fuerunt commissæ, & omnes intra triennium, a DD. designatum; nec illius modus vivendi est, aut fuit aliquo tempore laudabilis; imo agit, tractat, & tractavit cum monasterij imperfectionibus, ut constat *ex num. 1.*

QUÆSTIO CXIII.

An Regulares possint, & teneantur ad professionem admittere novitium, de cujus puritate sanguinis testes deponunt negativè, non invenientes aliquem deponentem positivè illum habere sanguinem infectum?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Possunt ad professionem admittere.*
3 *Quando contra reum nihil probatur, est absolvendus.*
4 *Adhibitâ diligentiâ, si nihil appareat, quod impediat, recipiendus est ille, de quo agitur.*
5 *Originis antiquæ bona fame circa puritatem sanguinis est sufficiens probatio.*
6 *Regulares in conscientia ad professionem tenentur dictum novitium admittere.*
7 *Informationes a Sixto V. præmitti jubentur ad habitum, & non ad professionem.*

1 IN quadam Religione, in qua non recipiuntur habentes maculam in genere, quidam novitius fuit; & sumentes Religiosi informationes post illum admissum ad novitiatum, ut in ea Religione viget consuetudo, bonas invenerunt ex parte matris; nam pater [jam defunctus] advena, ad partes illius Provinciæ Regni venit puer. Et quamvis testes cum juramento ex parte matris deposuerunt; dicunt etiam, patrem licet alienigenam, semper ibi, ut Christianum veterem fuisse habitum, sine fama, & rumore in contrarium; Religiosi tamen illius conventus quemdam Religiosum ad partem illius Provinciæ miserunt, informationes sumere ex patre, quæ deerant, & nullam invenit notitiam, nec ex patre, nec avis, nec in illo oppido, nec illius territorijs. Quæritur: An hoc non obstante, possint Religiosi dictum novitium ad professionem admittere, solùm quia pater fuit habitus in eo oppido, in quo vixit, cum puritate sanguinis, famâ, & rumore contrarij; & nullum in eo dari impedimentum, quamvis puritas sanguinis non probetur; advertendo, quod ex dimissione novitij, illi secutura sit jactura bonæ famæ, quam possidet?

RESO-

RESOLUTIO.

2 Quoad professionis admissionem; Respondeo, posse Religiosos dictum novitium admittere. Ratio est, nam quando facta deligenti informatione, per testes constare non potest, pertendentem habere impedimentum, potest talis pertendens ad Religionem admitti, ut communiter tradunt DD. quos afferunt & sequuntur Soar. *de Relig. tom.* 3. *l.* 5. *cap.* 10. *num.* 13 Pellizzarius *in Manual. Regul. tract.* 2. *cap.* 3. *num.* 6.

3 Probatur primò hæc ratio, quia in præsenti casu, pertendens, de quo inquiritur, habet se ut reum, qui, si nihil contra eum probetur, est absolvendus *l. Sciant cuncti, C. de probat.*

5 Secundò, quia hic novitius habet se per modum exteri, cujus patria longissimé distat, de quo inquit Sixtus V. *in sua Bulla de hac materia in ordine* 71. *si diligentia adhibita nihil appareat, quod eum impediat, recipiendum esse.* Videatur Pellizzarius *proximè num.* 3.

5 Tertiò, quia hic habet se per modum originis antiquæ; de cujus puritate sanguinis, bona fama est sufficiens probatio, siquidem alia haberi non potest. *cap. Longinquitate*, 12. *q.* 2 & *cap. Licet, de testib.* Glossa *in l. Si tutor, verb. Ostendens, in fine C. de peric. tutor.* Aymon. *consil.* 73. *num.* 10 Cephalus *consil.* 137 *num* 45 Anton. Petra *de fideicommiss. quæst.* 11. *num.* 505. Lara *de Anniversf. l.* 2. *cap.* 4. *numer.* 11. & 53. dicens in casu difficilis probationis puritatis sanguinis, bonam famam reputari pro sufficienti probatione, & jura, ac statuta non obligant ad probationem impossibilem.

6 Ex his infero ad secundum propositum, non solùm posse dictos Religiosos ad professionem admittere dictum novitium, sed ad id in conscientia teneri. Ratio est, quia licet à principio potuissent eum novitium ad novitiatum non admittere; post admissionem tamen hàc de causà eum non possunt dimittere; nam hoc est dedecorare, & infamare, ut eleganter tenet Navarr. *consil.* 1. *inquit:* Ad primam multarum quæstionum *num.* 6. *de Indæis, & Serracenis* Distinguens inter electum, & eligendum, & dicens, quòd licèt ad eligendũ requiratur, quòd probetur non habere impedimentum; tamen ut jam electus rejiciatur, requiri, quod probetur habere impedimentum, propter; infamiam, quæ inde sequitur: quia turpius [inquit] ejicitur, quam non admittitur hospes, *cap. Quemadmodum, de jure jurand.* Subscribunt Lara *de Anniversf. l.* 2. *cap.* 4. *num.* 56. dicens, electum esse in possessione suæ famæ, qua etiam in dubio spoliari non potest. Nam infamare interfectioni comparatur, ut probat *text. in l. Iuxta, ff. de manumiss.* ibi: *periculi vitæ, infamiæve*, ubi DD. communiter dicunt; *quòd paria sunt occidere, & infamare.* Quod latè prosequuntur Decian *consil.* 8. *numer.* 8. & *consil.* 2. *numer.* 92. *vol.* 1. Aymon. *consil.* 168. *numer.* 2. Menoch. *consil.* 96. *num.* 15. *volum.* 1. Reminald. *consil.* 468. *num.* 58. *vol.* 4. Dom Ioann. de Escovar *de puritate sanguinis probanda* 2 *part. q.* 9. §. 4. *num.* 20. Sayrus *in clavi Reg. l.* 1. *cap.* 16. *num.* 30.

7 Nec [ut notat Pellizzarius *in Man. dict. tract.* 2. *cap.* 3. *num.* 6.] Sextum V. sumere non jubere informationes de sanguine ad professionem, sed ad habitum. Post enim admissionem ad hunc, si non probetur habere impedimentum, illi injustitiam inferunt, illum spoliando possessione, quam habet puritatis sui sanguinis. Sic Seraphin. *de privileg. juram. privilegio* 85. *num.* 7 & 8. Cevall. *commun. contra commun q* 458. *num.* 9. & *seqq.* Dom. Ioann. de Escovar. *cit. num.* 20 Ioann. Garcia *de nobil. Gloss.* 18. *nu.* 10. Lara *de Anniversf. l.* 2 *cap.* 4. *num.* 15. & 16.

QUÆSTIO CXIV.

An justè possideat beneficium ille, qui ad illius impetrationem in supplica veritatem circa ætatem non narravit?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Ratio dubitandi adducitur.*
3 *Probabile est non fuisse gratiam subreptitiam; & simili casu concesso.*
4 *Maior ex authoritate DD. probatur.*
5 *Ex Garcia; si ad veritatem sex deficiant menses, grati a erit nulla.*
6 *Tunc censetur gratia subreptitia, quando in supplica tacetur, vel falsò exprimitur qualitas, quæ secundum jus, aut stylum Curiæ exprimi debebat.*
7 *Gratia non est subreptitia, quando in aliqua suplica aliquis excessus modicæ considerationis, & parum a veritate distans proponitur.*
8 *Causa principalis hujus concessionis fuit qualitas impetrantis, & minus principalis, posse divinum officium recitare.*
9 *Rationi dubitandi satisfit.*

1 DIonysius ex primarijs hujus Regni familijs oriundus, à S. Pontifice beneficium obtinuit, narrans in supplica se esse in decimo tertio suæ ætatis anno; cùm ad eam ætatem deficeret unus, aut duo menses. Dictus impetrans scrupulis angitur; an ea gratia ob dictum defectum fuisset subreptitia? Quæritur? An talis sit?

RESOLUTIO.

2 Ratio ustè non possidendi beneficium est: Quia S. Pontifici unum fuit narratum, quod verum non erat, scilicet, Dionysium esse

in ætate decimi tertij anni constitutum, & illi ad hanc ætatem unus, aut duo durant menses Et commune est inter DD. expressionem falsitatis, & suppressionem veritatis, jobquam S. Pontifex non erat concessurus dictam gratiam, aut maiori cum difficultate, illam concederet, dictam gratiam reddere subreptitiam, & nullam, juxta *Concil. Trident. sess.* 23. *de reform. cap.* 6. Sic communis DD. resolutio, quos citant Menoch *consil.* 316. Garcia *de benef. part.* 6. *cap.* 2 *numer.* 284. Laym. *l.* 1. *tract.* 4 *cap.* 22. *num.* 19. & alij communiter.

3 Probabile tamen videtur, & quidem res est absque scrupulo, ob hoc principium expressionis tredecim annorum non reddi gratiam subreptitiam, & nullam; & absque alia diligencia posse impetrantem beneficio frui. Ita expressè habet Menoch *dict. consil.* 316 in casu, terminis, gratiæ concessæ Comiti Octavio Purliliarum, supponenti esse in decimo tertio anno, cùm esset in duodecimo; & pro ipsamet opinione allegat DD. quos mox afferemus. Capitale fundamentum est. Nam quãdo aliquid S. Pontifici repræsentatur, quod si taceatur, concessionem difficiliorem non redderet, aut omnino eam impediret; quamvis si exprimatur, concessionem non reddit subreptitiam, & nullam; ut est communis DD. sententia: sed sic est, quod si exprimeretur, adhuc non esse in decimo tertio anno, non ideo Summus Pontifex eam gratiam non concederet, aut concederet maiori cum difficultate: ergo.

4 Maiorem hujus fundamenti tenent Innocent. *in capit cum nostris, de conces. prabend.* Bellamera *in conclus.* 4. *& in conclus.* 115. *numer.* 2. *& in conclus.* 69. *column. ultim.* Felin. *in cap. In nostra, in* 20. *corollar. & in cap. super litteris, numur.* 8 *de rescript.* Cassador *decis.* 12. *numer.* 14. *in titul. de prabend.* Laym *citat.* Henriq. *l.* 12. *capit.* 2 §. 4. *&* 7. Navarr. *l.* 4. *consil.* 5 *de consanguin. & affinit. edit.* 11 *& consil.* 8. *edit.* 2 & Rodrig. *tom.* 1. *summ. cap.* 23 *conclus.* 5. casum particularem proponens.

5 Minor evidenter colligitur: Quis enim dubitare poterit, Sum. Pontificem concessurum esse eamdem gratiam, quam concessit, quamvis sciret, mensem, aut mensem cum dimidio deficere; ut sibi propositum verificaretur. Quare Garcia *de benefic. part.* 6. *capit.* 2. *numer.* 174. Licèt Menochij opinionem non sequatur, inquit, gratiam futuram esse nullam; si illi de esse possint sex menses, ut verificetur, supponens, deficiente minus, v. g. uno mense, aut mense cum dimidio, gratiam non esse nullam.

6 Secundò, confirmatur fundamentum *numer.* 3. *adductum.* Tunc enim intelligitur, dari subreptionem in gratia, quando tacetur aliqua qualitas, aut falso exprimitur, ut expressè docent *Clem.* 1. *verb. Alteri, de prabend.* Bellamera *conclus.* 697. *column. ult. vers.* 3. principaliter *Rota decis.* 32 *numer.* 5. *de rescript. in novis*, Cassador *decis.* 12. *in fine, titul. de prabend.* Et sunt tres decisiones magni momenti in hac materia. Idem sequitur Calderin. *conclus.* 1. *in titul. de filijs presbyt.* Lappus *alleg.* 39 *numer.* 6. Filin. *in capit. super l. numer.* 2. *in cap. Postulasti column.* 4. *vers. Declara etiam, & in cap. in nostranumer.* 19 *in fine de rescript.* Ioann. de Selva *in tract. de benef, part.* 3, *quæst.* 11. *numer.* 6. *& quæst.* 19. *numer.* 39 Campegnis *inter consilia Bruni Consil.* 2. *numer.* 50. & Curtius Iunior *in consil.* 27. *column. ult. vers. Confirmatur, & consil* 32 *in fine.* Unde cum de præsenti non reperiatur in jure communi, nec in stylo Curiæ, esse necessarium exprimi certam ætatem, bene sequitur gratiam non fuisse nullam.

7 Tertiò confirmatur: nam quando in aliqua supplica proponitur aliquis excessus, si est modicæ considerationis, & parum à veritate distans, gratia concessa non est reddita subreptitia: sed quod fuit expressum in præsenti supplica, continet excessum unius mensis, aut mensis cum dimidio, [excessus sane modicus] non reddit ergo gratiam subreptitiam. Maior docetur ab Ancharan. *in consil.* 183. *numer.* 1 ubi inquit, in expressione valoris beneficij, quod impetratur, si taceatur, aut exprimatur plus, minusve, si ea quantitas est modica, licet Pontifex eam sciret, non ideo illud concedere desineret, concessionis gratia non intelligitur subreptitia. Idem tenent Filin. *in cap. Ad aures num.* 9. *in* 4. *casu, de rescrip* Crotus *in consil.* 209. *num.* 12. & 13. ergo idem dicendum de præsenti casu, in quo verificatur similitudo, ratione qualitatis personæ, & ratione causæ.

8 Confirmatur quartò eadem doctrina ex causam ob quã motus fuit S. Pontifex ad gratiam concedendam. Fuit enim qualitas dict. Dionysij ex primarijs hujus Regni esse familijs, adjunctà ætate tredecim annorum, in qua officium divinum recitare poterat. Vnde colligi potest, causam principalem hujus concessionis fuisse qualitatem hujus impetrantis, & minus principalem recitare officium divinum. Et àpluribus DD. est doctrina approbata, quam sequi videntur Navarr. Sanch. & alij, in concessionibus gratiosis, subsistence causà principali, gratiam suum habere effectum, quamvis aliquid desit in causa minus principali. Et quod defuit in causa minus principali, nempe, circa ætatem narrare veritatem, est tam parvi momenti unus mensis magis, aut minus; nam in illo impetrans habilis erat habendus, ad recitandum officium divinum. Ex quo constat, vitiatam non manere. Alia fundamenta videri possunt apud Menoch. *consil. cit.* 316.

9 Ex

9 Ex his patet responsio ad rationem *num.* 2, *propositam*; Admittimus enim, ut verum principium DD. gratiam reddi subreptitiam quando aliquid falso S. Pontifici proponitur, aut tacetur verum propter quod S. Pontifex gratiam non concederet, aut maiori cum difficultate concederet. Attamen, cùm montratum sit, illud, quod S. Pontifici expressum fuit, nempe impetrantem esse in ætate tredecim annorum; impedire non poterat, nec difficiliorem reddere concessionem, ut constat ex rationibus adductis. Sequitur ergo in præsenti casu non habere locum doctrinam illorum DD. quos supra adduximus, & bonâ conscientiâ posse impetrantem absque scrupulo suum possidere beneficium: Quod videtur satis probabile ex rationibus allatis.

QUÆSTIO CXV.

An recipiens beneficium parochiale, absque animo recipiendi ordines sacros intra annum imo solùm intentione recipiendi fructus illius anni, & statim dimittendi Ecclesiam, teneatur ipsos fructus restituere, & ipse conferens illius iniqui animi conscius?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Certum est teneri.*
3 *Non tenetur beneficiarius, si intentione mutatà intra annum suscipiat.*
4 *Excipitur Salarium pro eo tempore Vicario debito.*
5 *Tenetur, non restituente beneficiario, ipse beneficium conferens, de eo iniquo animo conscius.*
6 *Ad hanc restitutionem non desideratur sententia judicis.*
7 *Collatio fuit valida, at sine mutatione iniqua voluntatis nec firmitatem, nec validitatem habet.*
8 *Beneficiarius cum ea iniqua intentione recipiens curatum beneficium, peccatum mortale commisit.*

1 ANtanus cujusdam Ecclesiæ parochialis patronus, in redditibus annuis habentis duo millia aureorum, ut hæc sibi, vel suo consanguineo maximè propinquo acquirere possit, illum ad eam præsentavit Ecclesiam, nullam habentem intentionem suscipiendi ordines sacros; eam tamen acceptavit animo recipiendi eos amplos redditus & illam dimittendi, absoluto anno. Et hoc ab eo posse fieri accepit ab aliquibus viris doctis existimatis; qui tamen paucis post diebus suum consilium revocarunt. Hæc manifesta fuerunt Episcopo, qui primo stetit pro revocatione, ac postea pro parte iniqua, & deteriori suam mutavit sententiam; forsan, quia audivit, eam collationem ab eo factam, fuisse validam. Ab eo oppido, ab hac civitate valde distanti, ad me recurrerunt, per epistolam ad alterum consanguineum inita habitantem, scientes, me ipsum consilium dedisse uni ex viris doctis, ad revocandum consilium à se datum. Quærebatur: An collatus, ut vocant in beneficio parochiali, cum animo non suscipiendi ordines sacros, imo dimittendi, post annum, dictum beneficium tutâ conscientiâ, possit dictos duos mille aureos sibi acquirere?

RESOLUTIO.

2 Respondeo, non posse, nisi mutato eo iniquo animo sacerdotium suscipiat, intra annum. Hæc resolutio est certa, & indubitata ex ipso jure, & DD. in ipso jure habetur expressa, *Commissa*, § *Cæterum*, ibi: *Cæterùm si promoveri ad sacerdotium non intendens, parochialem receperis Ecclesiam, ut fructus per annum recipias, ipsam post modum dimissurus* [*nisi mutatâ voluntate pro motus fueris*) *tenebris ad restitutionem fructuum eorundem &c. de elect. & potest eligend. in* 6. Quid expressius, & clericus dici potest ad præsentem casum. Iuxta illum textum fatentur omnes DD. resolutionem adductam, esse certam. Sic inquit, & tenet Sanches *l.* 7. *de matr. disp.* 45. *num.* 2. cum aliquibus, quos citat. Idem asserunt Azor 2. *part. l.* 6. *cap.* 9. *num.* 1. Lessius *l.* 2. *de just. cap.* 34. *dub.* 19. *numer.* 100. Filliuc. *tom.* 3. *tract.* 41. *de benef. Ecclesiast. cap.* 5. *numer.* 46. Castr. Palalaus *tom.* 2. *tract.* 13. *de benef. disp.* 4. *punct.* 7. *numer.* 3. Barbos. *in Collect. ad cit. commissa*, *numer.* 1. Garcia *de benefic. part.* 3. *cap.* 4 *numer.* 33 & 41. & alij, quos citant.

3 Dixi: *nisi mutato eo iniquo animo; sacerdotium intra annum suscipiat*: nam si intra annum cum animum mutet, & sacerdotium suscipiat, eos fructus suos facit, constat *ex citat. text. Commissa*, ibi *nisi mutatà voluntate promotus fueris* & ex DD. adductsi.

4 Adverto tamen primò, ab illa summa restituenda, deducendum esse salarium, quod debetur, vel præstitum est vicario, qui eo tempore illi servivit Ecclesiæ parochialiali: Quia in necessarium Ecclesiæ ministerium est impensum. Sic cum Gabriel. Anglis, Gutierr. Sanch. *citat.* Castr. Palaus *numer.* 10. quamvis contrarium teneat Garcia *tertia part. de Benefic. cap.* 4. *num.* 56.

5 Secundò adverto, non solùm ipsum beneficiatum teneri ad restitutionem dictæ summæ, sed etiam conferentem beneficium, quia illum pravum animum & voluntatem sciebat, & illi fuit cooperatus. Hoc tamen intelligendum est casu, quo beneficiatus non restituerit. Sic Sanch. *dict. num.* 2. Castr. Palaus, *num.* 3 & alij.

6 Tertiò adverto, ad hanc restitutionem faciendam non requiri judicis sententiam, sed ante illam in foro conscientiæ deberi. Nam quamvis ea obligatio aliquam habeat rationem pœnæ, & res sit odiola, restitutio, quæ debetur ex damno Ecclesiæ illato, est potior, quia fraudulenter illius fructus acquisiti fuerunt. Ita Gloss. *in dict. cap. commissa, in fine* Navarr. *in cap. Quando, de consecrat. d. 1. cap. 21. num. 47.* Lessius *dict. cap. 34. dub. 19. a num. 100. & dub. 26. per totũ*, Vasq. *in opusc. de benefic. cap. 3. §. 3. dub. 1 num. 41.* Sanch *cit. num. 3.* Castr. Palaus *proximè numer. 6. vers. Nihilominus*, & alij, quos citant.

7 Nec obstat, dicere ob defectum dictæ intentionis, & voluntatis debitæ collationem non fuisse nullam, sed validam: quia si ea intentio, seu voluntas mutaretur, alia collatio non erat necessaria, & fructus Ecclesiæ retineri poterant, ut astruunt Navarr. *cit. numer. 48.* Sauch. *num 5.* Castr. Palaus *dicto num. 6* sed ex collatione cum possessione acquiritur jus ad fructus percipiendos, ut videre est apud eundem Castr Palaum *dicta disp. 4 punct. 13. num. 1.* & alios: ergo licèt ex *dict. cap. Commissa* teneatur beneficiarius ad fructus percipiendos, seu perceptos restituendos, id erit post latam judicis sententiam: nam leges ad restitutionem non obligant, nisi post latam sententiam, saltem declaratoriam criminis, ut tradunt DD. in materia de legibus, & ipse Castr. Palaus *ibi tom 1 tract. 3. disp. 2. punct. 2.* Non, inquam, obstat, nam quamvis collatio dicta sit valida, & collatio cũ possessione det jus ad fructus percipiendos, validitas tamen, & firmitas illius collationis pendet ex eo, quòd beneficiatus intra annum intentionem, animum, & voluntatem non promovendi ad sacerdotium mutet; & hàc non datà mutatione nec titulum, nec fructus dominium, potest habere. Et si talis beneficiarius hæc non habeat ad restitutionem Ecclesiæ faciendam ante omnem sententiam tenetur: quia non mutato animo, seu voluntate, dominium eorum fructuum est apud Ecclesiam. Cum hac responsione coincident ea, quæ tradunt Sanch. & Castr Palaus *locis citatis.*

8 Quarto adverto, dictum beneficiatum, cum dicto animo, seu voluntate illud beneficium curatum recipientem peccasse mortaliter, ut expressè constat ex *text. in cap. Licèt canon, de elect. in 6* & præter cit. tenet etiam Garcia *dict. part. 3. cap. 4. num. 33* Quare debet dictum beneficium statim dimittere, si suum animum seu voluntatem non vult mutare, ne in mortali persistat.

[illegible]

QUÆSTIO CXVI.

Quis succedere debeat in quadam capella hæres primi nominati, aut secundo loco nominata, vel illius frater masculus?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Ea bonorum institutio est Capella.*
3 *Et dato, semper præsumptio in favorem animæ defuncti sumenda est.*
4 *Pater ultimi possessoris nullum habet jus ad dictam capellam; sed secundo vocatus.*
5 *Capella redire debet ad nominatam, & non ad fratrem ipsius, & fratrem Agnetis.*
9 *Per heredes fundatoris capellæ intelliguntur illi, qui sunt ex linea fundatoris.*
7 *Frater non præcedit sorori a fundatore vocatæ.*

1 VIncentius sacerdos in hac forma suum condidit testamentum: *Relinquo talem, & talem proprietatem Agneti mei fratris filiæ; & per suam mortem, Mariæ; non habente Agnete hæredes, cum onere quatuor Missarum singulis annis.* Defuncta Agnete primò nominatâ reliquit filium hæredem earum proprietatum, quas per aliquos annos possedit, & sine liberis decessit. Hic filius patrem habebat, & avum, & Maria vocata à fundatore, seu testatore habebat fratrem. Quæritur 1. An ea dispositio testatoris Vincentij, sit Capella? 2. An pater, aut avus ultimi possessoris, cùm non essent ex linea testatoris, aliquod habeant jus ad eas proprietates cum eo onere relictas? 3. An eæ proprietates redire debeant ad Mariam secundò nominatam, vel ad suum fratrem masculum?

RESOLUTIO.

2 Quoad primum quæsitum; An illa dispositio fuisset fundatio Capellæ? Respondeo, fuisse. Probatur primò, quia clausula, *cum onere quatuor Missarum singulis annis*, importat capellam, seu anniversarium, quæ ex sua natura est perpetua, *l. Annua, §. Aria, ff. de annuis legat.* & ibi Gloss *Verb. In perpetuum*, & *l. cùm quidam 24. ff de annuis legat* & *l Annuam, & l. finali, ff. eod. tit. & l. Defuncta, 65 in fine ff. de usufruct.*

3 Secundò probatur: Nam si in hoc esset aliquod dubium, semper in favorem animæ testatoris præsumi debebatur; qui est, quòd illius Missæ perpetuentur, *l. Præses Provinciæ, C. de servit. & aqua*, & quia magis præsumitur diligere animam suam, quam hæredes, Malcard. *de probation. conclus. 1171. num. 7 & 75* Suar. *in proœm. fori, num. 28. l. sunt personæ, ff. de Religios. & sumpt. funerum.* Lara *de Anniversar. l. 1. cap. 3 num. 39 40 & 41.*

4 Ad secundum; An pater, & avus ultimi possesso-

poſſeſſoris aliquod habeant in eadem Capella jus, cùm non ſint ex linea fundatoris? Reſpõdeo, non habere; quia in Capellis non ſuccedítur jure hæreditatis, *Cap. Apoſtolica 8 quæſt. 1.* ut bene notant Lambertinus *de jure patronat. l. 2 3 part. q 5. in principio, art. 4 num 3.* Lara *cit. l. 2. cap. 3. num. 45.* Sed inter conſanguineos præferendus eſt vocatus à teſtatore, *l. cum ita, §. In fideicommiſſo ff. de legat. 2.* Et in caſu præſenti mortua Agnete, & ſuo filio abique hæredibus, ſucceſſuri non ſunt, nec pater filij, nec ejus avus, quia non ſunt ex linea teſtatoris, ſed Maria ſoror Agnetis, quæ ſecundo fuit vocata.

5 Unde patet reſponſio ad tertium quæſitum: An debeant redire proprietates capellæ, ſeu dicta Capella ad Mariam ſecundo loco vocatam, vel ad illius fratrem maſculum? Reſpondeo, redire debere ad Mariam ſecundo loco vocatam. Ratio eſt, quia ad ſubſtitutionem Mariæ parum refert, quòd Agnes per aliquod tempus habuiſſet filium: Certum enim eſt, illam eſſe defunctam, & non habere hæredes. Et in hoc caſu eſt vocata, & habet Maria ſubſtitutionem; & eſt caſus text. *in l. ſiquis ita legaverit, ff. de condition. & demonſtrat.* & *text. in l. ſi a te ff. de ſervit. vendic.* Et hæc eſt communis DD. doctrina, quòd quando capella, aut fideicommiſſum perpetuum vocat ſecundam perſonam in caſu, quo prima moriatur abſque liberis, non expirat hæc ſubſtitutio, quando prima moritur cum filijs; ſed eſt adhuc firma, & ſemper habet locum, quando tales filij moriuntur, & deficiunt hæredes. Quòd latè, & eruditè probat Molina *de primogenijs l. 1. cap. 6. num. 18* ubi DD. pene infinitos allegat.

6 Nec obſtat, dictos textus ſolùm loqui, quando conditio poſita inquit, *Si ſine liberis deceſſerit*, & in præſenti caſu conditio non inquit: *Si Agnes deceſſerit ſine filijs*, ſed *ſi deceſſerit ſine hæredibus*, & Agnes, & ſuus filius non deceſſerunt ſine hæredibus, quia Agnes habebat ſuum parentem, & filius parentem, & avum. Non, inquam, obſtat, quia reſpondetur, hæredes debere intelligi de illis, qui ſunt de linea fundatoris dictæ Capellæ ex affectione quam teſtator illos requirens præſumitur præcipuè habere ad ſibi proximos, quàm ad extraneos *l. Non ſolùm, § 1. ff. de ritu nuptiar. & cap. Litteras, de præſumpt.* ut cum communi DD. tenet Perez de Lara *de Annixerſ. l. 2 cap. 2. numer. 19.* cum pluribus.

7 Nec obſtat ſecundò, habere dictam Mariam unum fratrem virum, qui fœminæ videtur præferri, ut latè probat Molin. *de primogen. l 3. cap. 4 num. 12.* Non, inquam, hoc obſtat, quia reſpondetur, id eſſe in maioratibus, & non in Capellis, maximè, quòd relicto maſculo, fœmina expreſsè vocatur; ut latè probat ipſe Molin. *l 1 cap. 1. n. 17.* ubi id inſtitutum pluribus locupletat.

QUÆSTIO CXVII.

An habens penſionem in quodam Prioratu, & & poſtea ad illum promotus, ſi per renuntiationem illum dimittat, teneatur ſucceſſor dictam penſionem ſolvere?

SUMMARIUM.

1 *Facti ſpecies.*
2 *Tenetur ad penſionem reſignatarius ſucceſſor.*
3 *Succedens in eo beneficio penſionarius, obligatio penſionis manet ſuſpenſa, non tamen extincta.*
4 *Clauſulæ apponi ſolitæ in litteris reſervationis penſionum id oſtendunt.*
5 *Penſio beneficio impoſita ſemper manet fixa, dum non morietur penſionarius.*

1 CLemens clericus penſionem habebat in fructibus cujuſdam Eccleſiæ, quæ penſio cuidam Prioratui, ſeu beneficio anexa erat, de qua litteras Apoſtolicas obtinuit, & virtute illarum penſio ſolvebatur. Contigit, quòd penſionarius totius beneficij, ſeu Prioratus poſſeſſionem cepit Quæritur; An reſignante Clemente dictum Prioratum in manibus patroni illius; Clericus, quem ipſe patronus præſentaverit, impetratis litteris, teneatur illi ſolvere eamdem penſionem, quam antea habebat, virtute litterarum Prioris antecedentis; aut ſi poteſt aliquod dari jus in quo Prior ſucceſſurus fundetur, propter quod à ſolutione illius eximatur.

RESOLUTIO.

2 Reſpondeo, teneri ſucceſſorem Priorem ſolvere eam penſionem, nec habere poſſe aliquod jus, quo eximatur ab illius ſolutione. Ratio eſt, quia dictum beneficium ex vi primarum litterarum ſecum ducit affixam dictam penſionem; & omnis Prior in illo ſucceſſurus ex vi illarum ad talem tenetur penſionem. Et hujus ratio eſt, quia primus conſentiendo in dicta penſione non ſolùm pro ſe conſenſit, ſed etiam pro omnibus ſucceſſoribus; ut probant Lotterius *de Re beneficiar. q. 39. num 101.* & Barboſ. *in Praxi exigendi penſiones q. 2. nu. 45.* Et hic ultimus reſignatarius, ſeu poſſeſſor eſt unus ſucceſſorum primi. Hæc doctrina eſt communis DD. quos citant, & ſequuntur Barboſ. *proximè num. 66* & Flamin. Paris *de reſignat. beneſic. l. 5 q. 5. num. 72.* Vbi dicunt, quòd in illis, qui per Bullas Apoſtolicas reſignant cum clauſula *de regreſſu ad ſe, per mortem reſignatarij*, cùm poſtea datur talis regreſſus cum effectu, extinguitur penſio: non tamen in illis, qui caſu veniunt ad poſſeſſionem alicujus beneficij, in quo illa dabatur. Et diverſam dant rationem: quia beneficium reſignatum per re-

gressum ad resignantem non reddit cùm hic non sit successor, sed solùm redit ad suum beneficium, ut ad suum primævum jus, & gravaminis exemptionem. Non ita, qui casu veniunt ad possessionem beneficij gravati: nam hic est verè talis beneficij successor.

3 Nec obstat, quòd succedendo in eo beneficio pensionarius, in illo non manet pensionarius, quia sui ipsius talis esse non potest. Non, inquam, obstat, quia id solùm probat, obligationem dicti beneficij manere suspensam, non tamen extinctam. Et hujus ultima ratio est, quia pensio non est onus personale personam sequens; neque enim extinguitur per ejus mortem, sed solùm per mortem illius, in cujus commodum est imposita. Vt tradunt communiter DD. quos citat, & sequitur Flamin. Parisius *l.6.q.4.num.60.* ubi adducit plures decisiones Rotæ. Itaque pensio non est onus personale, sed reale sequens ipsum beneficium, cui est affixa. Vt latè probant Barbos. *citatus q.7.num.24.* Flamin. Parisius *proxime l. 1. q. 8. num.3.* Themud. *in Decis. senati Archiepisc. Vlyssip decis.315.num.9 & 10.* ubi plures allegat. Vnde ubicumque sit dictum beneficium, & ad quemcunque pergat, semper est, & pergit gravatum; estò gravamen in eo aliquando sit suspensum, nunquam tamen est extinctum.

4 Confirmatur primò hæc doctrina ex clausulis apponi solitis, in litteris Apostolicis, quæ expediuntur cum reservatione pensionum ibi: *Solvetur per N. & ejus successores pro tempore, Præbendam quomodolibet obtinentes.* Et ponderari debet clausula *Quomodolibet* quæ significat, *quocumque modo*, & comprehendit omnem modum, & omnia etiam maiora expressis; ut notant communiter DD. quos latè citat, & sequitur Barbos. *tract. de Diction. usu frequent. dict. 330.num.2. & 4.* Et non est dubium, quòd iste ultimus possessor, aliquo modo sit successor primi.

5 Secundò confirmatur: Quia pensio reputatur pars beneficij affixa pensionario; sola altera pars est amovibilis, ut docent Gigas *de pension.q.28.* & Flamin. Parisius *l.3 q.6. num. 86.* Vnde sicut dictus pensionarius quando dicti beneficij possessionem cepit, solùm de novo illi advenit illa pars amovibilis; sic quando postea illud resignat, tantùm quoad illam, illud resignat: altera verò pars, quæ ad suam pertinet pensionem, semper ex vi primarum litterarum Apostolicarum, dum vixerit, illi manet affixa.

QUÆSTIO CXVIII.

An concessâ à S. Pontifice licentiâ ad ingrediendum monasterium gratiâ educationis intra sex menses, debeant hic incipere à die gratiæ factæ, aut die vacationis loci?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Menses narrari debent à vacationis loco.*
3 *Exemplo Bullæ B. Pij V. ostenditur.*
4 *Exemplo Motus proprij Clementis VIII.*
5 *Quinquennium ad reclamandum de professione currit legitimè impedito, per ignorantiam non ob negligentiam, sed ob alias utilitates communes.*

1 EMerentiana licentiam à S. Pontifice petijt, ad ingrediendum quoddam monasterium educationis gratiâ. Obtenta fuit dicta licentia sub clausula, quòd executioni daretur, intra sequentes proximos sex menses, & quod aliter non valeret. Quatuor anni elapsi fuerunt, quin vacaret locus: at nũc vacat. Quæritur: An dicti sex menses incipere debeant à die, quo vacat locus, ut dicta Emerentiana ingredi possit, aut à die gratiæ factæ?

RESOLUTIO.

2 Respondeo, debere incipere numerationem eorum sex mensium à die quo locus ad ingressum vacavit, & non antea. Ratio est, quia dum locus ad ingressum non vacavit, dicta Emerentiana fuit impedita legitimè; legitimè autem impedito non currit tempus *l. 1. fine C. de annali except. Cap. Quia ad diversitatem, 5. de concessione præbend. & cap. ultim. de elect.* & ibi communiter DD. apud Barbos. *in Collect. ibidem, n.1.*

3 Confirmatur primò exemplo Bullæ B. Pij V. quâ præscribitur Ordinarijs semestre ad providendum de Parochialibus, & dicitur hoc semestre incipere à die vacationis. Et quærũt DD. utrùm debeat incipere à die vacationis realis: an à die notitiæ? Et respondent, quòd a die notitiæ; quia ante notitiam est Ordinarius impeditus, & legitimè impedito non currit tempus, ut videre est apud Garciam *de benef. part. 10. cap. 2. numer. 15.* ubi allegat commune DD. & plures affert Rotæ decisiones.

4 Secundo confirmatur: Quia clausulæ impossibiles ad terminos possibiles reducendæ sunt. Et hoc probatur primò exemplo Motus proprij Clementis VIII. de largitione munerũ pro Regularibus, ibi: *restitutione ipsa realiter, non facta, neque etiam in foro conscientiæ absolvi possunt.* Quam clausulam dicunt DD. apud Sanch. *l.2.decal.cap.20. num. 19.* intelligendam esse, quando restitutio est possibilis. Secundo exemplo Motus proprij Gregorij XIII. de datis & acceptis pro justitia, ibi: *Nec quisquam admittatur ad absolutionis gratiam, nisi prius erogatum esset pauperibus, quantum ille dixisset, vel accepisset.* Et DD. apud Sanch. loco cit. asserunt, intelligi, quando erogatio est possibilis: At præsens licentia in 6. clausula inquit, ne dicta Emerentiana ingrediatur extra numerum; quod nõ erat possibile, nisi prius locus vacaret: ergo debettur numerari dictum semestre à primo die, quo locus vacavit, & non antea, quando ingressus erat impossibilis.

5 Nec

5 Nec obstat, quod quinquennium ad reclamandam professionem non est utile, sed bontinuum, & currit etiam legitimè impedito per ignorantiam, ut docet Sanch. *de matrim. l. 7 disp. 37 numer. 19.* & communiter DD. apud Barbos. *in Collect ad Concil. Trident. sess. 25. de Regul. cap 19. numer. 7.* Non, inquam, obstat, quia respondetur, id esse verum, quando tempus non præscribitur ob negligentiam non utentis gratia; sed ob alias utilitates communes, quæ exigunt, ne tempus extendatur. Et hoc datur in dicto quinquennio, quod limitatur, ut intra tale tempus, lites terminentur, & scandala vitentur. Non sic, quando semestre solùm limitatur in odium negligentiæ, ut se habet semestre beneficiorum Ordinarijs concessum *dict. cap. Quia diversitatem, de concess. præbend. & dict. cap. ultim de election.* ut bene notant DD. apud Sanch. *citat. numer. 19.* At verò dictum semestre puellis concessum educationis gratiâ, illis limitatur in odium negligentiæ non utentis illo. Et hinc desumitur ratio à priori, cur sit utile & non currat tempus ligitimè impedito; nam qui legitimè est impeditus, non habet culpam; ac proinde non meretur odium, *cap. 1 de in integr. restit. in 6.* & ibi communiter DD. apud Barbos. *in Collect.*

QUÆSTIO CXIX.

An Beneficiati choro obligati, & Parochi ipsi choro non obligati, si in diebus à Concilio Trid. concessis absint, lucrari possint portiones anniversariorum, ac si essent præsentes.

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Non possunt eas portiones lucrari absentes.*
3 *Nec in contrarium introduci potest consuetudo.*
4 *Limitatur resolutio in casu particulari.*
5 *Nec etiam illas portiones lucrantur infirmi, nec in utilitatem Ecclesiæ occupati, nec alia quâvis causâ impediti.*
6 *Idem de Parochis choro non obligatis.*

1 BEneficiati choro obligati, in illis diebus, qui à Concil. Trident. ad recreationem conceduntur; ab esse; in quibus distributiones fuorum beneficiorum lucrantur, etiam volunt, portiones funerales, quæ anniversaria dicuntur, in ijsmet diebus, celebrata in Eadem Ecclesia, lucrari. Quæritur 1 An eas anniversariorum portiones, quin illis assistant, lucrari possint? Aut saltem possint introducere consuetudinem, ut illas lucrentur. 2. Si Parochi illarum Ecclesiarum, qui choro interesse non solent, ijsmet diebus, illis permissis, possint non interessentes, eadem portiones lucrari?

RESOLUTIO.

2 Ad primum respondeo, non posse dictos beneficiatos eas anniversariorum portiones, illis non interessentes, lucrari. Ratio est, quia eæ portiones propriè non sunt destributiones, quam quam distributionum privilegio gaudeant. Deinde à testatoribus interessentibus ipsis anniversarijs, & non alijs, donantur: ergo quamvis distributiones fuorum beneficiorum absentes lucrentur, portiones tamen anniversariorum contra illorum naturam, & testatorum dispositiones lucrari non possunt. Hæc resolutio constat ex text. *in Cap. consuetudinem, unico in fine*, ibi: *De distributionibus etiam pro defunctorum anniversarijs largiendis, idem decernimus, observanaua. De cleric. non residen. in 6.* Ut declarat Glossa ibi: *Scilicet, quod hi, qui non interfunt, nil habeant.* Et est inter DD communis doctrina, Azor *tom. 2. l. 7. cap. 7. q. 4.* Bonacin. *tom. 1. disp. 2. De ijs, quæ ad divinum officium in choro publicè recitandum, &c. punct. 2. numer. 3* Castr. Palaus *tom. 2. tract. 7. disp 3 punct 9 § 12. n. 21. & alijs.*

3 Nec in contrarium introduci potest consuetudo, ut absentes his portiones anniversariorum lucrentur. Ratio est, quia adversus jus naturale consuetudo prævalere non potest, quia est irrationalis, & turpis: sed ex naturali jure eæ portiones anniversariorum conceduntur, & applicantur illis interessentibus: ergo illis solis debentur. Etiam constat ex Gloss. *citat.* declarante *citat. textum Consuetudinem*, ibi: *Et consuetudo contraria non valeat, & recipientes sine justa causa, ad restitutionem teneantur.* Et DD. Azor, Castr. Palaus, Bonacin & alij, *locis citat.* Bonacin. ibi: *Nec consuetudo in contrarium induci potest, ut ex cap. Consuetudinem, de cleric. non resid. & ex ratione innixa jure, naturæ dacui de legibus disp. 1. quæst 1. punct. ult. § 3. num. 10. & 11. cum Gloss. in eodem cap. & idem tradit Soar. tom 2. de Relig. l 4. cap. 10. n 5 & 6. & cap. 12 n. 13* Sic Bonac. & alij.

4 Hanc resolutionem limitarem in casu, quo testatores legatum pro ijs anniversarijs relinquant sub nomine communitatis, nempe tali Capitulo, & tali Ecclesiæ, divina celebranti: nam in hoc casu, consuetudine præscribi potest, ut non solùm inter celebrantes ea anniversaria, sed etiam inter eos, qui absunt, dividantur. Ratio est, quia talis divisio intentioni testatorum non est contraria sic Monet. 2 *part. de distrib. q. 22 num 22. & 24.* & cum alijs Bonacin. *cit. dicta disp 2 q. 5 punct 6 num. 8* Castr. Palaus *dict num. 21. in fine.*

5 Nec obstat Barbos *in Collect. ad citat. text. Consuetudinem numer. 23.* asserens P. Azor *part. 2. l 7. cap. 7 q. 4. a nobis citato loco supra* citatum, apertissimè probare dicta circa distributiones ex causa infirmitatis, utilitatis Ecclesiæ, aut alterius impedimens in jure

jure expressi, esse quoque intelligenda circa portiones pro anniversarijs defunctorum largiendas; ac proinde quemadmodum in ijs tribus casibus ibi exceptis, quotidianas licitè absentes lucrantur distributiones, ita etiam in ijsdem casibus, istas pro anniversarijs, absentes justè percipient. Citatque Rebuff. Staphil. Valasc. ergo si data qualibet ex illis tribus causis, beneficiati absentes lucrantur distributiones, seu portiones pro anniversarijs defunctosum, ita etiam illas absentes lucrabuntur, quando licitè quotidianas percipiunt distributiones. Non, inquam, hoc obstat, quia respondetur primò, Azor *citat. loco* nec apertissimè, nec apertè, nec etiam tacitè ea procare; imo apertissimè docet *illo loco*, eas portiones pro anniversarijs defunctorum relictas deberi interessentibus, & non alijs. Sic enim inquit loco non semel citato: *Certè ut Ioannes Andreas, & Dominicus docuerunt in Cap* 1. *de Cleric. non resid. in* 6. *Quamvis nomine distributionum quotidianarum non intelligantur* [idest portiones pro anniversarijs] *eodem tamen jure, & privilegio gaudent, quo distributiones. Unde non debentur absentibus, etiam si ratione privilegij fructus beneficij percipiant: nec debentur residentibus, nisi funeri, exequis, & alijs officijs interfint.* Sic Azor, & *Vers. Seq ents* ejusdem quæstionis idem prosequitur, dicens in contrarium non posse introduci consuetudinem. Respondeo secundò, etiam datis illis tribus causis, non posse beneficiatos non interessentes eas portiones pro anniversarijs relictas lucrari, ex adductis *supra* rationibus; ut expressè fatetur Castr. Palaus, *dicto num.* 21 ibi: *Et ita fere in omnibus Hispaniæ Ecclesijs usus obtinuit, ut hæ distributiones, neque infirmis, neque in utilitatem Ecclesiæ occupatis, nec alia quavis causâ legitimâ impeditis, dividantur, sed solum interessentibus.* Castr. Palaus. Quare nisi interfint anniversarijs beneficiati, etiam habentes legitimam causam, ne assistant, illas portiones lucrari non possunt. Respondeo tertio, datâ ea intelligentiâ allatâ à Barbos. nihil probari contra nostram resolutionem, quia non procedit de casu, quo dentur illæ tres excusationes in beneficiatis, sed de tempore, quo absunt ex recreatione, vel concessione Concil. Tridentin.

6 Ad secundum quæsitum de Parochis choro non obligatis: An possint in illis diebus permissis ad præsentiam, lucrari aliquid ex portionibus pro anniversarijs relictis? Respondeo, non posse; ut evidenter satis constat ex rationibus, & DD adductis: procedunt enim de omnibus, qui illis anniversarijs personaliter non assistant.

[:?:]

QUÆSTIO CXX.

An Parochus in quadam Ecclesia manuali per Episcopum provisus, & per Episcopum successorem in eadem confirmatus cum licentia, ut Apostolicè confirmetur, illam possit in favorem alicujus resignare.

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Absque Capituli licentia per litteras Apostolicas resignare potest.*
3 *Mentio in supplica facienda est manualitatis Ecclesiæ.*
4 *In aliquibus Ecclesijs in favorem Patronorum non conoeditur resignatio.*
5 *Non est necessarium necessitate sine qua non, quòd Ecclesia Apostolicè prius confirmetur.*

1 AMantius ab Episcopo in quadam Ecclesia Parochiali manuali, & in eadem per successorem Episcopum confirmatus, illi licentiam concedentem, ut in illa Apostolica authoritate confirmaretur. Quæritur 1 An possit coram S. Pontifice dictam Ecclesiam filio sui fratris resignare? 2. An ad hanc faciendam resignationem sit necessarium necessitate sine qua non, quod prius Apostolicè confirmetur?

RESOLUTIO.

2 Ad primum respondeo, posse Amantium Parochum per litteras Apostolicas absque Capituli licentia dictam Ecclesiam filio sui fratris resignare, & Sum. Pontifex eas litteras resignationis illi concedere, ex quibus filius sui fratris eam habeat Ecclesiam, non obstante, quòd in suis datis [in quibus ea continetur Ecclesia] Capitulum defraudetur. Ratio est, quia beneficium hujus Ecclesiæ, juxta facti speciem est illorum, quæ à DD. dicuntur manualia, quia versantur in manibus Prælatorum; & quia ex sua natura sunt amovibilia, ut hoc erat, si non essent Domin. Episcoporum confirmationes: at verò beneficia manualia resignari possunt, idque in favorem alicujus, coram S. Pontifice, absque consensu Episcopi, ut tradit communis DD. sententia, quos latè citat, & sequitur Flamin. Paril. *de resignat. Benef. l.* 2. *quæst.* 11. *quod colligunt, ex text. in cap. Admonet, & cap. Quod in dubijs, de resignat.* Idque probant, & confirmant cum non paucis text. & decisionibus.

3 Cæ-

3 Cæterum, necessarium est, quòd in supplica ad suam sanctit. facienda, debeat fieri expressa hujus manualitatis mentio, in illa dicendo, quòd in facti specie dicitur, aliàs erit subreptitia, ut fuit resolutum *in Rota in una Camerinensi coram Petra sancta*, ut testantur Simoneta *decis.* 29. *l.* 1. & *decis.* 42. *l.* 2. & Flamin. *cit. num.* 7.

4 Nec obstat, quòd beneficium Iuris Patronatus resignari non possit absque consensu Patroni, ut tenet communis sententia DD. apud Bursatum *consil.* 411. *numer.* 5. & apud Mandosium *consil.* 7. *numer.* 3. & apud Paris. Flamin. *citat. quæst.* 4. *numer.* 4. Non, inquam, hoc obstat: quia id in talibus beneficijs est speciale, in favorem patronorum, ne retrahantur à fundatione, & dotatione Ecclesiarum, ut optimè notat Gloss. *in capit. Cum dilectis, de Iur. Patron.* & Rochus *tractat. de jur. Patron. Verb. Honorificum, q.* 3.

5 Ad secundum in quo queritur, An ad dictam resignationem, necessarium sit, necessitate sine qua non, quòd Apostolicè prius confirmetur, aut si saltem cum ea confirmatione facilior daretur, & concederetur ea resignatio? Respondeo, id non esse necessarium: nam quamvis dicta Ecclesia perpetua non fuisset, adhuc dicta resignatio esset valida, ut tenent DD. *citat.* & constat ex dictis, & id cum pluribus probat Flamin. *citat. quæst.* 10. *numer.* 8. Additur, quòd dicta Ecclesia per Illustrissimorum Episcoporum confirmationem, est perpetua. Non nego resignationem manere faciliorem cum ipsa cõfirmatione Apostolica; at dico, non esse necessariam.

QUÆSTIO CXXI.

An Prioratus de Salreu tempore Sedis Apostolicæ vacantis, mense Reservationis, sit conferendus sacerdoti, à patrono ipsius Prioratus præsentato?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Patronus dicti Prioratus est Conventus de Loriano.*
3 *In Provisionibus beneficiorum attenditur possessio, & ultimus status.*
4 *Morte Pontificis Reserva cessat, & extinguitur.*
5 *Quando cessat Reservatio, beneficium manet in conservatione sui antiqui status.*
6 *DD. Loquentes absolute, posse Ordinarios providere beneficia vacantia in omnibus mensibus, intelligendi sunt, loqui de beneficijs, quæ pertinent ad ipsos Ordinarios, & non de illis, quorum præsentatio pertinet ad patronos.*
7 *Ex textu in cap. 2. de præbendis in 6. beneficia sunt providenda per illos, ad quos pertinent.*
8 *Illatio ex dd. adducitur.*
9 *Exemplo adæquato stabilitur resolutio.*
10 *Adducuntur Declarationes Urbani VIII. & Pauli V. quæ nobis non sunt contrariæ, imo confirmant nostram resolutionem.*
11 *Sequela contra Mitræ procuratorem adducitur.*

1 MEnse Februarij anni elapsi 1691. vacavit Prioratus de Salreu Patronatus Monialium Sancti Bernardi de Lorvano. Ad illum Moniales sacerdotem Marcellinum præsentarunt, ut antecedentes tres Priores ad illum continuatè præsentarunt. Mitræ procurator huic præsentationi adversatus fuit; quia pro nunc ad Moniales præsentatio non pertinebat. Quæritur: An Ordinarius collationem dicti Prioratus sacerdoti Marcellino conferre teneatur?

RESOLUTIO.

2 Respondeo, teneri. Ratio est, nam quamvis hujus Ecclesiæ patronatus olim ad Regiam Coronam pertineret, de præsenti, & ab hinc annis pluribus ad conventum Monialium de Lorvano pertinet, ut constat ex sententia lata anno 1657. in qua judicatum fuit patronatum dicti Prioratus, etiam cum qualitate Ecclesiastici ad dictum conventum pertinere?

3 Et id probatur, ut dicitur in ea sententia, ex verbis Censualis præcipuum fundamentum, & efficacius in hac materia. Et in possessione hujus patronatus est dictus conventus, ut constat ex tribus præsentationibus continuatis in hac Ecclesia ultimo habitis, quæ suum sortitæ sunt effectum: in his ergo terminis absque manifesta injustitia, non possunt dictæ Moniales hâc possessione privari, nec Marcellino, ab illis præsentato, collatio negari. Confirmatur, quia jus præsentandi stat pro illo, pro quo stat possessio, & in beneficiorum præsentationibus ultimus status attenditur, ut communiter docent DD. ex ipso jure, quos latè citatos adduxi *d. q.* 17. *num.* 5. Et in præsenti pro dictis Monialibus de Lorvano stat possessio, & tres ultimæ præsentationes continuatæ, absque impedimento.

4 Nec obstat dici à Mitræ procuratore, hunc Prioratum de Salreu vacasse mense Februarij, qui mensis est Reservatus Sedis Apostolicæ, ut omnes fatemur, & constat Prioratum vacasse 27. ejusdem mensis: Non, inquam obstat, quia fateor eam Ecclesiam vacasse eo mense Reservationis; at ex testimonijs authenticis certò constat S. Pontificem Alexandrum VIII. perijsse die secunda ejusdem mensis, & Ecclesiam de Salreu die 27. ejusdem mensis vacasse, & eo die, & tempore jam totaliter cessaverat per mortem S. Pontificis dicta Reservatio, & simul alternativa, ut omnes docent

docent DD. Gonzal. *ad regul.* 8. *Cancell.* §. 5. *proæm. num.* 2. Garcia *de benef. part.* 5. *cap.* 1. *numer.* 5. Barbos *de potest. Episc. part.* 3. *alleg* 57 *a numer.* 190. Castr. Palaus *tom.* 2. *tract.* 13. *de benef d.* 2. §. 5. *numer.* 2 Pirrus, Conrad. *in praxi benef. l.* 3. *cap.* 6. *a numer.* 56 *& post illos* Murga *de benef. quæst.* 3. *numer.* 296. & alij plures quos citant Et cessante reservatione, patronatus dicti conventus, in suo vigore mansit, cùm non detur à quo patronatus impediatur; poterant ergo Moniales patronæ dictæ Ecclesiæ præsentare Marcellinum sacerdotem ad dictam Ecclesiam, & Ordinarius, illâ datâ, illum confirmare seu beneficium inferre tenebatur.

5 Hæc doctrina ex ipso jure est statuta: nam quoties cessat Reservatio cujuscunque beneficij, ipsum beneficium in conservatione sui antiqui status manet, & pertinet ad eum, ad quem antea pertinebat. Sic expressè ostenditur ex textu *in cap. Si Apostolica* 35. ibi: *Si Apostolica Sede vacante, aliquas parochiales Ecclesias vacare de cætero contigerit, apud ipsam... per eos, ad quos pertinet, possit libere ordinari; de præbend. in* 6. Et Summ. Pontifex loquens de alia reservatione simili regulæ 8. Cancellariæ, continuata *in text. cap.* 2. *ejusdem titul. de præbend. in* 6. de beneficijs in cura vacantibus sic ait: *Si aliqua Ecclesia curata in ea vacaverit, mortuo S. Pontifice, provisio illius manebit pertinens illi, cui antea pertinebat.* De quo textu, & materia idem agit Gonzal. *ad regul.* 8. *Cancell. dict.* §. 5. *proxim. num.* 125. *& seqq.* cum alijs, quos ibi citat. Quare si non daretur Regula Cancellariæ, quocumque tempore, quo Ecclesia hæc vacasset, à Monialibus dicti Conventus erat præsentanda, ut à suo vero, & legitimo patrono, & aliter sine earum præsentatione conferri non poterat: ergo ex his pro præsenti tempore suum debet sortiri effectum, quia mortuo Sum. Pontifice cessat impedimentum, & ablatum est obstaculum Regulæ 8. Cancellariæ. Et hoc est adeo evidens, ut alijs Marcellinus sacerdos præsentatus non indigeat, ut ab Ordinario collationem recipiat.

6 Nec obstat, nec obstare potest secundò aliqua curiosa speculatio circa modum, & formam qua loquuntur DD. dicentes: vacante Sede Apostolica, Episcopos liberè posse providere beneficia vacantia, in omnibus mensibus, sine aliqua distinctione, quia in illis omnia obstacula sublata sunt, & omnes menses sunt Ordinariorum, ut cum pluribus inquiunt Gonzal. *cit. dict.* § 5. *proximial. num.* 46. Garcia *cit. num.* 644. Pirrus *dict. numer.* 65. Murga *etiam cit. dicto num.* 290 & Layman *Theol. moral. l.* 4. *cap.* 11. *numer.* 1. *Vers. Denique reservat. in fine.* Non, inquam, obstat, nec obstare potest illa curiosa speculatio, aut alicujus scrupulus; quia respondetur, eos DD. esse intelligendos de illis beneficijs, quæ ad ipsos Ordinarios pertinent, & non de illos, quorum præsentatio ad patronos pertinent, quæ Episcopi, sine illorum præsentatione non possunt providere, ut ipso in jure vulgare est: Sicut enim stante reservatione, in eorum præsentatione se intromittere non possunt, sic nec etiam ea cessante. Et hoc.

7 Ostenditur, quia ut supra tangimus: per regulam *text. in cap.* 2. *de præbend. in* 6. omnia beneficia in Curia vacantia Sedi Apostolicæ sunt reservata, & tamen eâ non obstante reservatione, si Sedes Apostolica vacat, Ecclesiæ parochiales, per illos, ad quos pertinent, provideri debent, ut expressè limitat *text. in cap. Si Apostolica* 35. *eodem tit in* 6. Quo supposito quærunt DD. Quid velint significare illa verba textus? *Per eos, ad quos pertinent.* Et omnes resolvunt, quod si pertinent Ecclesiæ ad Ordinarios, per illos esse providendas; & si ad patronos, ab illis esse præsentandas: quia dictio *pertinent*, ex sua propria natura comprehendit omnem, & qualemcunque pertentionem, quamvis non sint de dominio, ut ex textu *in l. Verbum illud pertinere*, 181. *ff. de verbor. signific.* & multò fortius comprehendit etiam pertensionem patronatus, per decisionem text. *in l. Talem*, 51. § 1. *in finalibus verbis*; ibi: *Nam quamvis ejus servus non est, ut liber tus est ff. de hered. instit.* Ita in terminis resolvit idem textus in *cap. si Apostolica*, Innocentius *in cap. Constitutus num.* 1. *vers. Pertinemer, de. Religios. domib.* ubi inquit hæc verba: *Hoc verbum pertinens latissimum est, l. Verbum illud pertinere ff. de verbor. signific. & ut comprehendat illa, in quibus jus patronatus habetur.* Et cum illo Giminianus *in eod. text.* & cum alijs Decius *in cap. Bona* 51. *nu.* 1. *de appellat.* qui omnes referunt eadem verba Innocentij cit ut *supra.*

8 Ex his à DD. resolutis in una Reservatione adeo qualificata, & fortiori, utpote in corpore juris posita, in vacatione Ecclesiarum parochialiū, sequitur, quòd vacāte Sede Apostolicâ, præsētatio hujus parochialis pertineat ad Religiosas de Lorvano, ut illius veras patronas.

9 Confirmatur alio exemplo maximè adæquato, & in hac materia concludente: Supponamus hanc Ecclesiam de Salreu, non esse de patronatu Monialium de Lorvano, sed de quodam collatore inferiore, ut Archidiacono, aut alia dignitate, quibus juxta ipsum jus, competit jus conferendi, quæ sane comprehenditur in regula 8. Cancellariæ, ut ex illa constat. Hoc suppositō: Quæro, si hæc Ecclesia Parochialis vacaverit in mense Reservationis, vacante Sede Apostolicâ, pertinetne illius præsentatio ad collatorem inferiorem? an poterit eam Ordinarius ponere in concursu? Pertinere ad collatorem inferiorem, esse absque dubio, respondet Pirrus Conrad. *l.* 3. *cap.* 6. *num.* 58. *in fine*, quia nulla in contrarium apparet ratio, quæ probet ad illum non pertinere: ergo idem dicendum in nostro casu, nulla enim debitur maior ratio, cur illa præsentatio non pertineat ad collatorem inferiorem; & nostro casu, non pertineat ad Moniales de Lorvano.

10 Nec

10 Nec obstat, nec tertiò excogitari potest alius modus, nec scrupulus, ut his Monasteriis Ecclesiæ de Salreu verè patronis, suum jus præsentandi auferatur; & esse potest, quæcunque Declaratio Vrbani VIII. in qua sibi reservavit beneficia, quæ vacarunt, Sede Apostolicâ vacante sui antecessoris, ut jam in simili casu declaratum fuerat á Paulo V. Non, inquam, obstat, quia respondetur, ipsum modum, seu scrupulum, nullum habere fundamentum, nisi ea beneficia, quæ vacante Sede Apostolicâ, non fuerunt provisa ab illis personis, ad quas provisio pertinebat, & vaga inventa fuerunt in creatione Novi S. Pontificis, non tamen ad illa, quæ jam erant provisa: nam hoc esset iniquitas, & contra jus à provisis acquisitum. Et quòd in his terminis loquantur eæ duæ Declarationes, manifestè constat: Et loquendo de prima Pauli V. apud Gratian. *de Benef. part. 5. cap. 1. num. 646. ad finem*, sic inquit: *Licet S.D.N. Paulus V. de omnibus beneficijs tempore suæ assumptionis non provisis in Bulla ad favorem Conclavistarum datâ pridie Kalendas Augusti* 1605. Et loquendo de altera Vrbani VIII. idem resolvit, referendo verba ejusdem Declarationis ab ipso S. Pontifice edita, vt videre est apud Murgam *de Benef. q. 3. num. 297.* Ubi sic: *Quia a die obitus felicis recordationis Gregorij XV. prædecessoris sui, usque ad diem prædictam 7. Augusti vacaverunt, & de quibus per quoscunque ordinarios collatores tunc dispositum non fuerat, sua dispositioni reservavit.* In quibus notanda veniunt, in prima, verba: *non provisis*; in secunda illa: *de quibus per quoscunque Ordinarios collatores, tunc dispositum non fuerat.* Ex quibus apertè constat dictos SS. Pontifices per eas Declarationes, non reservasse beneficia jam provisa, sed illa tantùm de quibus à suis collatoribus dispositum non fuerat; Quare hic noster casus non comprehenditur in ijs Declarationibus, & reservationibus ibi factis ab ipsis SS. Pontificibus; quia ubi primum dictæ Religiosæ patronæ notitiam acceperunt de morte S. Pontificis statim dictum sacerdotem præsentarunt ad eandem Ecclesiam; & si non adessent hæ dilationes affectatæ, jam hic præsentatus esset in suæ Ecclesiæ possessione.

11 Vnde si hæ possunt, vel non possunt justè pertendi, ut novus Pontifex, illam Ecclesiam vacantem invenies, alteri conferat, rem suum sedulo penset contradictor, & suæ consulat conscientiæ, si forte ad aliquam, teneatur restitutionem?

QUÆSTIO CXXII.

An possessor cujusdam maioratus ex sententia à Iudice Tombi, ut vocant lata, possit tutâ cõscientiâ obligare incolas oppidi, cum dicta sententia sit contra Forale?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Sententia judicis fuit valida sub distinctione.*
3 *Ex Ordin. præciso dolo, & fraude, sententia fuit nulla.*
4 *Et quia Forale ex pacto fuit habitum.*
5 *Non rectè id arguit ex axiomate: subrogatum sapit naturam ejus in cujus locum subrogatur.*
6 *Nec ex alijs rationibus. Nec ex præscriptione num. 8.*
7 *Nec possessor tenetur, ex damno secuturo administratoribus sequendis.*

1 BArnabas possessionem habet cujusdam maioratus, cujus censuale vulgo Forale à Rege constitutum cuidam Oppido, seu Conciliо, sic habet: *Quòd ex terris censuarijs Regi, solvetur domino de tritico, hordeo, centeno, millio, panito, & arena, in dictis terris collectis, octavum. De leguminibus autem, oleo, & fructibus ex dictis terris collectis nec ipsum octavum, nec census, nec aliud tributum solvetur, sicut in ipso Foralì fuit declaratum.* Exceptis omnibus alijs censibus, quibus hæ terræ fuerunt obstrictæ, ipse Rex D. Sancius ab incolis pro arrha, & emptione ipsius Foralis certam monetarum summam recepit. *Declaratio autem Foralis hæc erat: Ideo declaramus, quòd ab ipsis Oppidanis, deinceps nullum feratur tributum nec pro castanea, nec aliâ aliquâ arbore, quæ ibi plantetur. Et si alius census in hac forma ponatur, nullum declaramus.* Ita Forale conditum fuit à Rege Emmanuele.

Cùm autem Iudex anno 1669. has terras in cathalogum redigeret, & inveniret, post dictum Forale, maximam Castanearum, & quercuum copiam fuisse plantatam, & ex castaneis, & bolotis ideſt glandibus nullum solvi octavum, cũ ex terris in quibus erant plantatæ antea, ex tritico, centeno, hordeo, millio octavum solveretur: per suum decretum dispossuit ipse Judex, quòd oppidani ex ipso jure obstricti erant ad solvendum octavum de castaneis, bolotis, & fructibus omnium aliarum arborum, quæ in eo oppido erant plantatæ: Ex his rationibus; primâ, quia hi fructus subrogati fuerunt, loco tritici, hordei, &c. qui in minori copia fuerunt ob umbras ipsarum arborum: *subrogatum autem sapit naturam ejus; in cujus locum subrogatur.* Secundò, quia hæ arbores non præscripserunt cõtra hoc jus Hâc datâ Iudicis dispositione, Quæritur: An possessor maioratus tutâ conscientiâ, possit in foro externo obligare hos oppidanos, ad solutionem 8. fructuum dictarum arborum, in decreto judicis fundatus?

RESOLUTIO.

2 Respondeo non posse, ex rationibus à Iudice adductis; posse tamen, si constet, oppidanos dolo, & fraude non solvendi octavũ tritici, hordei, &c. eas arbores plãtasse, ex quorũ fructibus, octavũ nõ debebatur. Prima pars probatur; quia non obstantibus judicis rationibus illius

decretum, utpote contra Forale, fuit nullum; nam contra Forale dispositum censetur nullum; ut apertè colligitur ex Cabed. 2. *part. decis.* 17. *a numer.* 2. ubi disponit contra quod dam Forale, quia antiquum non ostendebatur, quòd si ostenderetur, id non disponeret: sed in nostro præsenti casu, Forale antiquum ostenditur: ergo contra illud dispositum, est nullum.

3 Probatur secundò eadem secunda pars ex *Ordinat. Reg. l.* 4. *tit.* 43. *de Summarijs* §. 13. quarum naturam hæ terræ, de quibus agimus, imitantur. Ubi sic: *Et ad maiorem agricolaturæ favorem, mandamus, quòd ubicunque dentur quarumcunque rerum sesmaria, ideſt parvi prædij, si terra ubicumque fuerint, immunes fuerint, immunes dentur: & si tributaria, cum eodem tributo dentur, & non imponatur aliud tributum, & si imponatur maius tributum, aut aliquis census, eam impositionem, ut nullam, aut nullius rigoris habemus &c.* Non poterat ergo Iudex contra Forale; & Ordin. aliud decernere.

4 Tertiò probatur eadem pars: Quia hoc Forale, ut jacet, ex Rege D. Sancio fuit certo, & determinato pretio emptum: & in his terminis emptio fuit perfecta & valida, ut evidenter constat ex *Ordin. Reg. l.* 4. *tit.* 1. *in principio, &* §. *Pretium, Inst. de emption. & vendit.* & DD. Molin. *de Iust. tract.* 2. *d.* 337. *vers. Vt emptio, & venditio,* & omnibus; invalida ergo etiam fuit ex hoc titulo judicis dispositio.

5 Non enim obstant rationes Iudicis, non prima ex ipso jure deducta, juxta *l. Si cum,* §. *Qui injuriarum ff. Siquis caut.* in qua habetur: *Subrogatum sapit naturam ejus in cujus locum subrogatur*: arbores autem Castenearum, & querquum, in locum tritici, hordei, &c. subrogatæ fuerunt: ergo si ex tritico, hordeo, &c. octavum debebat solvi, ita etiam ex fructibus earum arborum subrogatarum, octavum solvendum erat. Non, inquam, obstat, quia respondetur primò cum Cardin. Tusch. *litt. S. conclus.* 757. *numer.* 16. & alijs, ut axioma haberet locum, necesse esse, quód ex plantatione earum arborum, eæ terræ omnino cessassent ferre triticum, ordeum, &c. at certum est, illas non cessasse ferre eos fructus, quando maior abundantia cessasset, occasione umbrarum earumdem arborum, quod non sufficit, ut axioma suum habeat locum. Non obstat, quia respondetur secundò ut axioma habeat locum, necesse esse, quòd eæ terræ ita immunes ex privilegio non essent ita concessæ, at ex Ordin. *loco citat.* ex privilegio ita immunes fuerunt concessæ, ut constat ex verbis; *Et ad maiorem agricolationis favorem, &c.* ut tradunt Azeved. *l.* 1. *num.* 27. *tit.* 1. *l.* 6 *novæ recopil.* Garcia, Gironda, & alij quos refert. Barbos. *tract. de Axiom. axiom.* 213. *n.* 7. Nec obstat ut infra *n.* 8.

6 Nec obstat dici à possessore maioratus, se esse solùm usufructuarium, & facere debere, ne successores ex sua negligentia in futurum patiantur damnum, ut inquit Molin. *de Primog. l.* 1. *cap.* 22. *num.* 3. cum pluribus. Non, inquam, obstat, nam licet possessores maioratus eam habeant obligationem, tenentur tamen violentiam injustam non inferre Oppidanis, ut solvant ea, ad quæ non tenentur, quamvis enim ea coactè solvant, ne maiora damna patiantur, possessor eos injustè cogens, tutus in conscientia non manebit; nec injustè potest agere pro augmento maioratus, nec ad id potest obligari, sed tantùm ad id, quod justè gerere potest.

7 Secunda pars, in qua dicebam, si constaret, oppidanos dolo, & fraude ne octavum solverent, de tritico, hordeo, &c. eas arbores plantasse, tunc existimo, de fructibus illarum arborum octavum esse de ijs fructibus solvendum: fraus enim, & dolus nemini patrocinari debent, *l. Itaque fullo ff. de Furtis cap. Dictum* 30. *quæst.* 1. *cap. Intelleximus, de Iudic.* & alijs, & DD. apud Barbos. *tract. de Axiomat.* 102 *à num.* 1. Et sic judicatum fuit in causa quorumdam agricolarum consuetudinem habentium non solvendi censum, seu quartum, aut quintum de fascolis, vulgo *feijoens*, quos inter millium gressum seminabant, & ut nullum quartum, aut quintum solverent, terræ grandem quantitatem de fascolis seminabant, interjectis paucis illius milij grossi, granis, ut sic ab illo censu immunes esse, & à Senatu judicatum fuit, hoc fuisse ex fraude, & dolo, ne illud quartum, aut quintum solverent; & meritò justificerunt ut ex terris ita fraude, & dolo seminatis, quartum, aut quintum solverent. Sic erat dicendum de nostro præsenti casu si de fraude, & dolo constaret. Fateor tamen de illo non posse ita facile constare, quia hi oppidani non fraude, aut dolo ducti, dictas arbores in ijs terris plantarunt, cum eas terras adhuc tritico, hordeo &c. seminabant, & octavum ex fructibus solvebant, & juxta Forale arbores absque domini magno damno plantabant, suo privilegio utentes, sicut etiam leguminibus eas seminare poterant; si tamen apertè constet hos plantationes fuisse ex fraude, & dolo, ad octavum tenebuntur.

8 Nec obstat secunda judicis ratio, dicentis oppidanos non gaudere præscriptione illius octavi, cum in bonis Coronæ, qualia sunt hæc non admittatur præscriptio. Non, inquam, obstat; quia respondetur, [quidquid sit de præscriptione bonorum coronæ; videatur Antun. Portugal. *tom.* 2. *de Donat. part.* 3. *cap.* 45. *per totum*;] certum esse, in decimis quæ ex fructibus collectis debentur, dari posse præscriptionem, illas non solvendi, ut diximus *supra hac disp.* 4. *q.* 16. *n.* 3. *& q.* 21. *n.* 6. ergo à fortiori dari potest præscriptio non solvendi octavũ ex illis castaneis, & querquubus, quæ in illis terris plan-

plantatæ fuerunt, licèt illæ terræ ad serendum triticum, hordeum, centenum, & co fuissent destinatæ.

QUÆSTIO CXXIII.

An quidam Prælatus pœnas incurrerit cujusdam Brevis prohibentis expendere redditus conventus per se, & suos officiales, quando non constat, fuisse receptum? Et quid si constet?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Si Breve receptum non fuit, illas non incurrit pœnas.*
3 *Quomodo dignoscatur, quòd statutum fit receptum.*
4 *In dubio, quid dicendum?*
5 *Quid si constet, aliquando fuisse receptum?*
6 *Si fuit receptum id Breve; contributiones certas, & generales non comprehendebat.*
7 *Prælatus eas pœnas ignorans, illas non incurrit.*

1 IN quadam Religione datur Breve, cum pœnis, & censuris Prælatis prohibens, ne possint expendere per se, & suos officiales monasteriorum redditus: Intelligitur tamen, hoc Breve non esse receptum, quia semper in Prælatis ejusdem Religionis consuetudo viguit, expendendi per se, & suos officiales dictos reditus. Quæritur 1. An Prælatus dictas pœnas incurrerit, expendens eo modo, dictos redditus? 2. An dictum Breve cõprehendat contributiones certas, & generales, ad quas tenetur dictus conventus?

RESOLUTIO.

2 Ad primum, cum distinctione respondeo: si dictum Breve non fuit receptum Prælatum illius pœnas non incurrisse. Ratio est, quia statutum, quod receptum non fuit, non obligat, ut tenet communis DD. sententia apud Soar. *l. 4. de Leg. cap. 16. num. 9.*

3 Vnde autem dignoscendum sit, quòd statutum non fuerit receptum? Respondeo, ex suo non usu, per spatium decem annorum, non illud ad praxim reducendo a maiori communitatis parte in Prælatis. Ita communiter DD. apud Covarruv. *l. 2. Variar. cap. 16. num 6* & apud Azor. *part. 1. l. 5. cap. 4. q. 5.* & apud P. Soar. *proximè num. 10.* & apud Castr. Palaum *tom. 1. tract. 3. de Leg. d. 1. punct. 13. num. 10.*

4 In dubio autem, an sit usu receptum, nec ne? Respondeo quòd si dubium sit, an à principio fuerit receptum? Valde probabile esse, & tutum in conscientia, quòd possessio est contra tale statutum, pro libertate, & sic non obligare; quamvis sciam, oppositum plurimos tenere; & sic securum habere Azor *cit. l. 2. cap. 19. q. 12.* Castr. Palaum *cit. d. 3. punct. 7. num. 4.* Dian. *4. part. tract. 3. de Conscient. dub. resol. 14.* cum Sotas Roboli & alijs pluribus.

5 Si verò constet, aliquando fuisse receptum, & solùm dubitatur, an postea desuetudine abrogatum fuisset? Tunc possessio est pro statuto, contra libertatem; ac proinde obligat. Ita communiter DD. apud Sanch. *l. 1. decal. cap. 10.* & apud Bonacin. *de Leg. d. 2. quæstion. 4. punct. 7.*

6 Et in hoc ultimo sensu habet locum secunda inquisitio; An scilicet prædictum statutum extendatur, ad id quod expenditur in contributionibus certis, & generalibus? Ad quod respondetur negativè. Ratio est, quia dictum Breve est pœnale, & exorbitans a jure communi concedente absque ea limitatione Prælatis administrationem bonorum suorum Monasteriorum. *Cap. Nullam, 18. q. 2. Cap. Ad Apostolicam 26. de Regul. & cap. Cum ad Monasterium, 6 de Statu Monachor. juncta Gloss. verb. Amoveri; & cap. 2. eod. tit. & cap. Edoceri, 21. de Rescript.* & DD. communiter apud Barbos. *in Collect. ibidem,* & apud Tambur. *tom. 3. de Jur. Abbat. disp. 11. q. 1. num. 2.* ergo restringendum est ad solum expressum, *cap. Pœnæ de Pœnit. dist. 1.* cum vulgaribus apud Barbos. *in Collect. ibid. & tract. de Axiomat. 181. num. 9.* At in dicto Brevi [ut supponitur] expressa non fit mentio de eo, quod expenditur in contributionibus generalibus, certam habentibus summam; in quibus fraus, nec excessus Prælatorum inveniri potest; ad quæ pœnæ dicti Brevis attendunt.

7 Additur, quòd ex facti specie colligitur, Prælatum in expensis dictorum reddituum nescire, se incurrisse dictas pœnas, quod à pœnis Ecclesiasticis excusat *cap. 2. de Constit. in 6. & cap. Cognoscentes, eod. tituł.* Vt est communis sententia DD. quos latè citat, & sequitur Sanch. *de Matrimon. l. 7. disput. 32.* Dian. *3. part. tract. 5. Miscell. resolut. 12.* Et hoc etiam quando ignorantia fuisset mortaliter culpabilis, dummodo non esset supina, aut crassa *dict. cap. 2. de Constit. in 6.* ut etiam communiter tenent DD. apud Sanch. *de Matrimon. l. 9. disput. 32. numer. 31.* Et apud Barbos. *in Collect. ad dict. cap. 2. in 6.* Et apud Dian, *3. part. tract. 5. Miscell. resolut. 13.* cum pluribus.

[:?:]

QUÆSTIO CXXIV.

An renuntiatio beneficij sub conditione, quæ observata non fuit; beneficium post obitum resignantis mansisset Sedi Apostolicæ devolutum, aut dato *fiat*, ipsi resignatario?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Sedi Apostolicæ manet devolutum.*
3 *Nec resignatarius acquisivit jus, nec resignans illud amisit.*
4 *Saciturnitas in ijs, quæ non sunt favorabilia, non operatur consensum; & consensus præstitus super actu nullo, nullus est.*
5 *Renovatio fiat actui novam non confert formam.*
6 *Quamvis dilatio litterarum non esset ob culpam resignatarij, terminus illarum ob illius culpam non fuit præfixus.*

1 LEo suum beneficium resignavit, per modum Coadjutoriæ, & futuræ successionis, & præter alias clausulas, & conditiones, imposuit, quòd futurus coadjutor, & successor teneretur jubere, litteras expedire, & illas executioni mandare; & illarum virtute possessionem caperet intra viginti menses à die procurationis ad hanc coadjutoriam. Et quia contingere poterat illas in mari deperdi, aut ab inimicis capi, amplius duodecim menses concessit, qui duos annos, & octo menses adimplebant; & si intra hoc tempus supra declaratum, possessionem non caperet, ipso facto pro revocata, eamdem renuntiam habebat; & jam cum pro notificata, & intimata ipsi successori illam habebat. A S. Sanctitate *fiat* assequutus fuit, & intra duos annos, & octo menses Romæ fuerunt Bullæ; & intra quatuor annos coadjutus mortuus est, antequam coadjutor possessionem caperet. Quæritur, An hoc beneficium Sedi Apostolicæ devolutũ mansisset, ratione revocationis à Coadjuto, ipso facto, possessione non capta, designato tempore; cum advertentia, quod hæc revocatio solùm facta fuit in procurationibus, & postea nulla alia fuit, cum resignans sciret, tempus esse præteritum, in quo nec Coadjutor litteras jussisset venire, nec possessionem cepisset?

RESOLUTIO.

2 Respondeo, mihi videri, dictum beneficium Sedi Apostolicæ mansisse devolutum. Ratio est, quia dicta renuntiatio facta fuit sub prædictâ conditione, & cùm non fuisset observata, resignanti jus suum non fuit abdicatum: resignatio enim conditionalis jus non abdicat, nisi adimpletis conditionibus, ut cum cõmuni DD. & pluribus decisionibus Rotæ tenet Flaminius Parisius, *de Resign. benef. l. 1. q. 3. num. 8.* Perinde enim est talis resignatio, ac si facta non esset; quando conditiones non servantur. Ut latè ostendit Card. Parisius *consil. 5. num. 7. volum. 1.* ubi probat, quòd in eo eventu jus remanet penes resignantem, ut etiam possessio, & actio spolij ei competit. Et ita communis DD. sententia apud ipsum. Ratio est clara, quia conditio ejus naturæ est, ut omnino servari oporteat, *l. Mævius, l. Qui hæredi ff. de Condit. & demonstr. l. Si quis fundum ff. de Contrahend. empt.* vbi notant communiter DD. ad unguem servari debere, eo quòd conditio formam importet *l. 1. ff. de Liber. & posthum.* & communiter scribentes apud Menoch. *cons. 6 num. 48. volum. 1.* Et ex hoc provenit quòd conditio dum deest, suspendet actum *l. Cedere diem, ff. de Verb. signific. l. Sub conditione, ff. de Condit. indebiti*, in tali forma *quòd conditione pendente actus non dicitur actus l. Pecuniam, ff. Si certum petatur*; quia, *nihil ponit* in esse, antequam impleatur. *cap. Si pro te, & ibi Gloss. & DD. apud Barbos. in Collect. ibid. in 6.* Idque per text. *in l. 1. ff. de Donat. l. Donataonus, ff. de Donat. ob causam, l. Qui sub conditione, ff. de Condit. Institut.* Definitur enim conditio: eventus fortuitus in quo dispositio suspenditur. Et ideo omnia conditionatè disposita ruunt, & inania redduntur, *l. Item quia §. 1.* ibi: *Et nuptijs non secutis, ipso jure evanescit stipulatio, ff. de Pactis, l. Qui hæredi, §. Plautius, ff. de Condition. & demonstr.* Unde paria sunt nihil fieri, aut fieri sub conditione, quæ non purificetur, ut cum vulgaribus latè ostendit Ripa *respons. l. 1. cap. 2. numer. 23.* Quare merito concludunt DD. ex tali renuntiatione, cujus conditio non est ad impleta nullum jus alicui deperdi, aut acquiri *l. Necutile, Ex quibus causis maiores, l. Qui absenti, ff. de Acquirend. possess. l. 3. §. vltim ff. de Donation.* ubi est sermo de donatione facta, in qua deficit conditio. Et hujus ultima ratio est, quia actus non operatur ultra intentionem agentis, *l. Non omnis, l. Si quis nec causa, ff. Si certum petatur, l. Obligationum substantia, ff. de Action. & obligat.* In eo enim eventu cessat consensus, sine quo nullus est actus, *l. 1. ff. de Pactis, l. 4 ff. de Pollicitat.*

3 Cæterum per dictam resignationem, supposito, quòd erat conditionalis, nec dicta conditio executioni mandata est, nec resignatarius jus acquisivit, nec resignans illud omisit, sed tantùm post illius mortem: beneficium autem, quod vacat per obitum devolvitur ad Sedem Apostolicam; & hæc resolutio in terminis est Flaminis Parisij *dict. l. 1. de Resignat. beneficior. quæstion. 4. numer. 43.* ibi: *Si non serventur conditiones, beneficium vacat per obitum, & non per resignationem, vt omnes concludunt.* Et ratio est, quia

quia cum jus non abdicetur à resignante, tali casu per ejus quoque obitum dicitur vacare. Et ita fuit resolutum *in una Pedecana Canonicatûs die* 11. *Ianuarij, teste* Cotta *decis.* 400. *in manu scriptis. Et in alia Placentina coram Cardinalibus teste eodem Cotta dict. decis.* 400. *Et in una Fullen. Parochialis, este Pelegrino decis.* 112. *l.* 3. *& infra num.* 46. Et per consequens dictum beneficium potest per mortem ipsius resignantis impetrari, ut fuit resolutum *in Rota teste Cotta decis.* 19

4 Nec obstat primò, quòd resignans videns, conditionem non esse servatam, tacuisset, & novam non fecisset notificationem resignatario. Non, inquam, obstat, primò, quia ea notificatio, ipso facto, jam erat facta, ut *dicitur numer.* 1 Non obstat secundò resignantis taciturnitas, quia non habet locum in ijs, quæ non sunt favorabilia, nec in illis operatur consensum *Regul. ij qui tacet, de regul. juris in* 6. At resignatio non est favorabilis, ut cum communi latè probat Flaminius Paris. *dict. l.* 1. *de Resignat. q.* 18. Non obstat tertiò, quia consensus præstitus super actu nullo, nullius est momenti *l.* 4. §. *ult.* ubi Barthol. *ff. Quibus modis pignus, & hypotheca*, ubi de consensu præstito per creditores super alienatione nulla, ut eleganter notant Alexand. *consil.* 22 *column.* 1 *l.* 1. & Decius *in l. Creditor, num.* 27. *ff. de Regul. jur.* apud Parisium *cit. q.* 3. *num* 37.

5 Nec obstat secundò, quòd *fiat*, post positum renovetur de sex in sex menses; unde videtur, quod renovatum fuisset à resignatario post mortem resignantis. Non, inquam, obstat, quia respondetur, renovationem actui novam non tribuere formam, sed tantum illum ita conservare, ut fuit à principio. Vnde nec ab illo aufert conditionem, nec illum reddit validum, si à principio nullum fuit, ut cum communi DD. latè tradit Sanch. *de Matrim. l.* 2. *disp.* 36

6 Nec obstat tertiò, dici posse, hanc litterarum dilationem non fuisse ex culpa resignatarij: & quando non datur culpa, pæna non habet locum, *cap. Sine culpa de Regul jur. in* 6. Non, inquam, obstat, quia respondetur, dictum terminum non fuisse præfixum in culpam resignatarij, sed ne fuisset. Quo in eventu semper talis actus, non servata cautellâ, manet nullus, ut probat text. *in cap.* 2. *de Elect. text. in cap.* 2. *de Concess. præbendæ, text. in l.* 1. §. 2 *vers. Sexum, ff. de Postulando, text. in l. finali, Cod. de Pactis.* Aut fuit dictus terminus præfixus ob resignantis convenientias; & in dubio hæ debent præsumi, & non pæna, u- cum vular ibus tenet Augustinus Barbos. *tract. de Axiomat. axiom.* 181. maximè quia resignatio est strictissimi juris; & sic debet intelligi, & restringi ad terminos sui valoris magis strictos, ut latè probant Flaminius *cit. q.* 18. *num.* 18 Alban. *consil.* 17. *num.* 8. Palaes *de Matorat.* 1. *part. q.* 38. *num.* 4. Gabriel *consil.* 60. *num.* 6. *volum.* 1.

QUÆSTIO CXXV.

An, pendente lite, inter Decanum, & Canonicum cujusdam S. Sedis super resignatione Canonicatus à Decano facta, & quæ ipsi litigantes agere possint, Canonicus in sua infirma valetudine, & Decanus post illius obitum?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Canonicus lite pendente, suum non potest resignare Canonicatum.*
3 *Alienatio rei litigiosæ est invalida.*
4 *Donatio rei litigiosæ, lite pendente, est nulla.*
5 *Per obitum resignatarij, lite pendente, Romæ non potest dictum Canonicatum provideri.*
6 *Nec etiam potest impetrari.*
7 *Potest, si fiat expressa, & specialis mentio hujus litis.*
8 *Decanus per obitum resignatarij, non potest Canonicatum occupare, referuntur DD asserentes posse.*
9 *Oppositum est tenendum ex ipso stylo, & alijs efficacibus rationibus.*
10 *Quas pœnas incurrat, qui sine litteris beneficium occupat.*
11 *Quo juris remedio utendum sit, ut Canonicatus Decanatui adunetur?*

1 PEtrus cujusdam S Sedis Decanus Paulo Canonico intendit litem super Canonicatu, quem in illo resignavit, antequam Decanatum consequeretur. Intendit dictus Petrus, ostendere resignationem fuisse invalidam, quia ex vi procurationis falsæ fuit facta Et vult dictus Petrus, datâ sententiâ pro in validitate dictæ resignationis, in se dictum Canonicatum retinere simul cum Decanatu, quia est creatio beneficiorum dictæ S. Sedis, quòd omnis Canonicus habere possit insimul, & simul unam dignitatem Decani, Cantoris, aut Thesaurarij Maioris, & è contra omnis dignitas potest insimul, & simul unum Canonicatum habere. Hæc lis coram domino Vicario Generali controvertitur. Paulus Canonicus est infirmæ valetudinis, & à medicis illi limitata vita promittitur. Quæritur primò: An Paulus Canonicus resignatarius, lite pendente, in favorem alicujus suum possit resignare Canonicatum? 2. An per obitum d. resignatarij possit in Curia dictus Canonicatus provideri, aut impetrari? 3. An d. Petrus Decanus per obitum resignatarij canonicatum possit occupare? 4 Quas pœnas incurrat, occupando Canonicatum? 5. Quo juris remedio uti debeat, ut suam assequatur justitiam?

RESOLUTIO.

2 Ad primum, in quo quæritur; an possit d. Paulus Canonicus resignatarius, lite pendente, in favorem alicujus suum resignare canonicatum? Respondeo non posse. Hæc est DD. communis sententia assetentium, resignationem in his terminis, presumi esse in fraudem, & consequenter nullam *cap. 2 Vt lite pendente in 6* de quo late Puteus *decis.* 254 *l.* 3. *& decis.* 511. *l.* 2. Flamin. *de Resignatione l* 2. *q.* 3. *num.* 1 *& seqq* Barbos *in Collect. ad d. cap. 2 Lite pendente in 6. numer.* 4 Lancelot *tract. de Attentat l.* 2 *cap* 4 *num.*264

3 Confirmatur primò, quia ex hoc principio alienatio rei litigiosæ est invalida *l. Lite pedente C. de Litigios. l* 1. *& seqq. ff. Vt lite pendente, & l.* 1. *& seqq C. eod. tit.* quod pluribus locupletant Guido Papa *decis* 337 *numer.* 4 Bsluetis *decis.* 369 *numer.* 10. Cardin. Parisius *consil.* 108. *numer.* 1. *vol.* 4. Alexander *consil.* 45. *num.* 6. *l.* 3

4 Secundo confirmatur, quia ex eodem principio res litigiosa, lite pendente, non potest donari *l. Vult C. de Litig.* ut expendit Boerius *decis* 33. *num.* 2. Sicut neque hypothecæ, aut pignori, ut multis probat Alciatus *consil.* 61. *numer.* 3. *l* 8. quæ omnia latè prosequitur, & pluribus exornat Flamin. *de Resignat. l.* 2. *q.* 3. *numer.* 3. *& seqq.*

5 Ad secundum, in quo inquiritur; an per obitum dicti resignatarij, lite pendente Romæ Canonicatum possit provideri, aut per aliquem impetrari? Respondeo non posse, nisi fiat expressa, & specialis mentio hujus litis. Exprimitur *in text. cap* 2. Ut lite pendente, nihil innovetur *in* 6. ibi: *Si ij* [*contra quos super Dignitatibus, Personatibus, vel alijs Ecclesiasticis beneficijs, quæ possident, litigatur*] *lite pendente, cedant, vel forte decedant: ne propter novos adversarios* (*qui maliciose interdum petitionibus subrogantur*] *litigia in Ecclesiarum dispendium prorogari contingat. Statuimus, ut Dignitates personatus, vel beneficia hujusmodi C. Donec contra superstites lis finita fuerit*] *alijs nulla tenus conferantur. Quod si secus actum fuerit, eo ipso irritum habeatur.* Et DD. hunc textum communiter intelligunt in terminis præsentis casus, ut videre est apud Barbosam *in Collect. ibidem num.*2. & apud Flaminum *de Resignat. l* 2. *q.* 3. *num.* 105 & apud Gonçal. *ad reg.* 8. *Cancell. Gloss.* 6. *num.* 146.

6 Et quod dictum est de provisione propter clausulam: *Nullatenus conferantur*, intelligi debet de impetratione, ut advertunt communiter DD. quos latè citant, & sequuntur Cassador. *decis.*8. *num.* 6. *de Præbend.* Felinus *in cap. In nostra num* 17. *de Rescript.* Afflictis *decis. q.* 8. Cardin. Parisius *de Resign. l.*2. *q* 3. *num.*60. *volum.* 4 *& consil* 74. *num.* 15. Menoch. *de Arbitr. Iudic. casu* 203. *num.* 131.

7 Dixi: *Nisi fiat expressa, & specialis mentio hujus litis.* Nam si S. Pontifici talis mentio fiat, tunc sua gratia valebit, ut notant Guidebon. *decis.* 154 Lancellot. *de Attent. part.* 2. *cap.* 4. *illa* 7. *num.* 639. Puteus *decis.* 314 *l.* 3. Flamin. *de Resign. l.* 2. *q.* 3. *num.* 58. Non sufficit tamen mentio per clausulam generalem: *Non obstante litis pendentia*, sed requiritur, ut fiat mentio de processu, & statu causæ, ut latè probant Buinus *cons.* 76. *numer.* 6. *l.* 5. *& consil.* 229 *num.* 8. *l.* 1. Borous *consil.* 19. *num* 10. *l.* 3. Salicetus *in l.* 2. *C. Vt lite pendente* Lancellot. *de Attent part.* 1. *cap.* 4. *illat. num.* 645. Flamin. *de Resign. l.* 2. *q.* 3 *num.* 64. dicens hanc esse communem sententiam. Vide *disp* 3. *q.* 58. *num.* 2.

8 Ad tertium, in quo petitur: An possit dictus Petrus Decanus per obitum resignatarij in possessionem dicti Canonicatus se ingerere? Respondeo non posse. Nam quamvis sit opinio Navarr. *consil.* 22. *de Præbend.* Flamin. *de Resignat l.*3. *q.* 1. *numer.* 128. Perez. *de Annat & Capell. l.* 2. *cap.* 7 *num.* 17. Less *de Iust. l.*2. *cap.* 34. *numer.* 144, & aliorum DD. apud Garc. *tract de Benef. part.* 11. *cap.* 5. §. 2 *num.*235. Dignitatem, & Canonicatum sub eodem tuto esse compatibilia, quin ad id sit necessaria aliqua dispensatio, quod probant ex text. *in cap. Super eo, de Præbend. in* 6 & ex texts *in cap. Eam te, de rescript.* & *in cap. Cum olim, de Rejudicat.* Maximè in Ecclesijs ubi talis consuetudo, aut stat tutum viget, ut eleganter probat Azor. 2 *parte l.*3. *cap.* 12. *q.* 18. *& iterum l.* 6. *cap.* 11. *numer.* 1. *& cap* 13. *q* 6. Et constat ex pluribus S. C. congreg. Concil. Trident. apud Garciam *citat. numer.*243. Quæ consuetudo, statutum in hoc. S. Sede viget.

9 Attamen ex stylo Curiæ [inquit Garcias *citat. num.* 254.] *non solet dari dignitas Canonico, vel è contra, nisi cum narrativa, quod dignitas per unum ex ipsius Ecclesiæ Canonicis etiam una cum illius canonicatu, & præbenda absque dispensatione Apostolica obtineri consuevit*, at verò Stylus Curiæ facit jus *cap. Ex litteris, de Constit. & cap. Quòm gravi de crimine falsi.* Quod multis locupletat, Garcia *cit. part.* 1. *cap* 11 *numer* 87. Quare Dignitas, & Canonicatus sub eodem tecto non possunt simul obtineri, nisi cum narrativa talis statuti, vel consuetudinis. Præterquam, quod scrupulus mihi injicitur, quod hic Decanatus secum affert annexam præbendam, quæ dicitur *Mocha* cum 12 hordei modijs pro contributione, & tres præbendæ sub eodem tecto, quamvis una sit annexa, nullo modo possunt obtineri absque S. Pontificis dispensatione, ut tenent communiter DD. quos latè citat, & sequitur Garcia *de Benef. part.* 11. *cap.* 5. *numer.* 238. *juncto numer.* 199. *& juncto numer.* 249 cum Declarationibus S. Congreg. Concil. Trid. & magna DD. caterva, quos adducit.

10 Ad quartum in quo postulatur, quas pænas

pœnas incurrat, si possessionem Canonicatus occupet, contra intrusum, & esse perpetuò inhabilem, per quandam Bullam Iulij III. quæ incipit: Sanctissimus, & est 33. inter alias hujus Pontificis; & hæc Constitutio, [inquit Flaminius *de Resignat. l.* 10. *q.* 6. *num.* 17], Servatur de stylo Curiæ, & est in viridi observantia. Fateor tamen in hoc casu, possessionem non occupari sine litteris, sed tantum in virtute litterarum dicti Canonicatus. At hoc non aufert molestiam, quia semper argui poterit, Canonicatum fuisse dimissum pro Decanatu, quia in suis litteris non fit mentio de Canonicatu retento; quod dubium non est, quod molestiam inferre possit.

11 Ad quintum: Quo remedio juris uti possit, ut dictus Canonicatus Decanatui eo adunetur? Respondeo, posse haberi Breve subrogationis, ut in casu obitus dicti resignatarij, lite pendente, dictum Canonicatum cum omni suo jure ingrediatur. Quod Breve concedi solet superstiti litiganti in casibus similibus. De quo late Flamin. *de Resign l* 2 *q.* 3. *num.* 55. & Garcia *de Benefic part.* 6. *cap.* 4.

QUÆSTIO CXXVI.

An legata in bonis immobilibus investienda, collocari possint in bonis Conventus, ut redditus, quibus gravatur, redimantur, quando in conventu datur lex recepta, quòd legata in bonis Conventus non investiantur?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Legi satisfecit ipse Prior.*
3 *Dicta lex est pœnalis, & accipi debet in sensu favorabili.*
4 *Prior ab ijs redditicus conventum redimens, jam non manent venditi, sed redempti.*
5 *Alienatio in evidentem Conventus utilitatem, non est prohibita.*
6 *Prioris dictas pœnas non incurrit.*
7 *Si detur dubium, an lex extendatur ad aliquam casum, ad illum non extenditur.*
8 *Dato, quod lex præsentem casum comprehendat, ignorantia Priorem excusat. Et hoc suo juramento probari potest.*

1 IN quadam Religione datur lex recepta sub hac forma: *Mandamus, quod nullo modo bona conventuum applicari possint pro legatis, aut pecunijs investiendis sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ per quatuor annos, & inhabilitatis ad omnia alia officia Prioribus, contrarium facientibus.* Cum autem ad unum hujus Religionis procuratorem perveniret pecuniæ certa summa ex his legatis, certos redditus redimit, quos conventus, cujus erat Procurator, alteri ejusdem ordinis conventui, solvebat cum utilitate evidente respectu illius, quod aliunde emere poterat. Quæritur 1. An operatus fuerit contra dictam legem? 2. An dictas pœnas incurrerit?

RESOLUTIO.

2 Respondeo, Ad primum negativè; imo sic operando, illi satisfecit. Ratio est, quia sufficienter pecunia collocatur in redimendis redditibus: Hi enim quantum ad hunc effectum inter immobilia numerantur, ut probat optimus text. *in Authentico, Vt hi, qui obligatas, se habere perhibent, res minorum, §. Quoniam, vers. Licebit autem.* cum Gloss. *ibid. verb. Redditus*, & text. *in l. Iubemus; nulli, §. 1. C. de Sacrosanct. Eccles.* & ibi Bartol. & DD. communis sententia, quos pleno calamo citat, & sequitur Barbos. *de Potest. Episcop. allegat.* 95. *numer.* 46.

3 Confirmatur primò, quia dicta lex est rigorosa, & pœnalis: Unde in illa *Collocare* accipi debet in sensu mitiori, & favorabili: nam in pœnis benignior interpretatio est facienda, *cap. In pœnis* 49 *de Regul. juris in* 6 *l Pœnæ, ff. de Pœnis, & cap. Ex litteris, de Constit.* ut cum alijs vulgaribus, & communi DD. sententia probat Barbos. *tract. de Axiomat. axioma* 181. *numer.* 12.

4 Secundò confirmatur quia non est dubium, quod si dictus Prior supra suum conventum talis redditus collocaret, alienationem venditioni æquivalentem committebat, contra Extrav. Ambitiosæ, *de Reb. Eccles. non alienand.* & contra Decretum *S. Congreg. Concil. Trident. Iussu Vrbani VIII. editum* 7. *Septemb. anno* 1624. quod refertur à Tambur. *tom.* 3. *de Iur. Abbat. disp.* 13 *q* 6 *num* 8. Committebat, inquam, alienationem, ut declaravit *ead S. Congreg.* 12. *Martij anno* 1626 quæ Declaratio refertur à Tambur. *tom. & disp. citat. q.* 7 *num.* 2. Unde gravare conventum cum dictis redditibus est vendere bona conventus, quod est onus, ut ex dicta Declaratione in terminis præsentibus cum communi DD. sententia probant Barbos. *cit. dict. allegat.* 95. *num.* 45. & 47. Bordon. *resolut.* 62. *numer* 24 Lezan. *verb. Alienatio numer.* 5. & Pellizar. *tract.* 6. *cap.* 8. *num.* 37. & nos diximus *supra q.* 2 *num* 3 cum pluribus. Et si gravare conventum jam dictis redditibus est vendere illius bona, exonerare illum dictis redditibus, est illos emere: alioquin illos non emit, & illi erant venditi, adhuc manent venditi, & exoneratis venditi non manent.

5 Tertiò confirmatur, quia alienatio, quando est in evidentem conventus utilitatem, non

est prohibita, ut probat *text. in cap. Sine exceptione* 12 *q.* 2. ibi: *Ne donare, vel commutare, vel vendere audeat, nisi forte aliquid horum faciat, ut meliora prospiciat... quod non sit dubium pro futurum Ecclesiæ.* At vero hæc alienatio fuit in evidentem conventus utilitatem, non solum quia si dictus Prior dictam pecuniam in jure collocaret [quid facere poterat] solùm acquireret decem pro ducentis millibus regalibus Lusitanis; & redditibus auferendo, quos abstulit. singulis annis acquisivit duodecim millia, & quingenta regalia Lusitana. Et quamvis responderi possit, perpetuitatem juris, etiam cum maioribus fructibus maioris esse utilitatis, quam redditus non perpetui, ut in effectu respondeat Bardon. *resol.* 27. *num.* 75. & Tambur. *tom.* 3. *de Iur. Abbat. disp.* 13. *q.* 7. *num.* 3 sed principaliter, quia dictus conventus ibi suam habet pecuniam, quam abstulit ex ratione ad sex, & quarti, quotiescumque noluerit, & habuerit in qno investiatur; quia mox illam reddent ad sex, & quartum, ut antea erat. Cæterùm dum non investitur, quis dubitare poterit illi esse maioris utilitatis, illius prodesse in forma, qua redimat, & redditus extingat, quibus gravabatur, & singulis annis solvebat. Hanc enim rationem evidentiorem non minus existimo, quam præcedentes.

6 Ad secundum, inquiritur; An dictus Prior eas dictas pœnas incurrerit? Respondeo, non incurrisse. Ratio est quia talem legem non est transgressus, ut ex dictis evidenter constare videtur.

7 Confirmatur primò, quia dato, quod aliquod suboriatur dubium, An lex extendatur ad aliquem casum, illum minime comprehendit, ut cum communi DD. sententia tenent Sanch. *l.* 1. *decal. cap.* 10. *num.* 33. Dian. 4. *part. tract.* 3. *de Conscientia dubia resol.* 20. & 22. cum Salas, & alijs pluribus.

8 Secundò confirmatur, quia dato, quòd dicta lex ad præsentem extendatur casum. Cùm dictus Prior id ignorasset, hæc ignorantia sufficiebat ad illum excusandum à prædictis pœnis; ut tradunt communiter DD. quos in terminis hujus casus latè citat, ut sequitur Barbos. *in Collect. ad Extravagant. Ambitiosæ, nume.* 23. *de rebus Eccles. non alien.* Et probatur *ex text. in cap. cognoscentes, de Constit.* & *text. in cap. Vt animarum eod. titul. in* 6. In text. etiam *in cap. Proposuisti d.* 82. Et quòd dictus Prior id ignorasset, suo juramento id probare poterit, quod illi admitti debet pro sufficiente probatione, ut decidit text. *in cap. fin.* §. *Super eo, qui matrimonium accusare possunt*: ibi: *Nisi proprio formaverit juramento.* Vt cum communi DD. sententia latè ostendit Sanch. *l.* 9. *de Matrimon. disput.* 32. *numer.* 5.

Sic censeo in hac materia.

[:?:]

QUÆSTIO CXXVII.

An illatâ injustitiâ cuidam lectori per depositionem suæ cathedræ, & postea factâ ad æqualitem restitutione, computari debeat tempus ad Iubilationem, ac si actualiter legeret, cum non legat, ex defectu cathedræ, quando oppositum in statuto est dispositum?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Religiosus a sua cathedra injustè fuit dimotus.*
3 *Quomodo statutum intelligendum.*
4 *Nec tale jus est contra humilitatem, quam Fratris Minores profitentur.*

1 IN quodam capitulo à Fratribus cujusdam Religionis celebrato, Maior pars definitorij suffragia negavit cuidam Theologiæ lectori, ad continuandam lecturam suæ cathedræ, nullam designans causam ad hanc privationem; cum aliqui ex Definitoribus á Provinciali postularent, ut causam designaret: attamen respondit, quòd suffragarentur. Dictus autem lector in quodam consilio Definitorij, hac privatione reclamavit eodem anno: Definitores vero ijdem conscientiæ scrupulis remorsi, & scandalo, quod ea privatio causavit, sua suffragia eidem lectori tribuerunt. Et quia de novo cathedram creare non poterant, statuerunt, le omne tempus in numerum computare, ac si actualiter legeret, usque ad tempus, quo esset locus ad suam lectionem cõtinuandam. Quæritur, An de jure dictum tempus in numerum computari debeat, ac si legeret; non obstante ordinis statuto, quo mandatur lectoribus legere actualiter omnibus quindecim annis, ut jubilatorum privilegijs gaudeant, quin detur temporis interpolatio Et Breve Urbani VIII. in statutorum Ordinis favorem, in hoc puncto, inquit: Vt legant *sine intermissione.* Et eadem statuta disponunt, quòd nullum tempus lectoribus in numerum computetur, nisi urgentibus causis. In hoc jus facti speciei casu, non agitur, possint ne Prælati in aliquo tempore dispensare? Hoc enim agere possunt pro aliquibus causis. Cæterum lectores dispensati, quando jubilare accedunt, maximè posthabentur illis, qui dispensati non fuerunt. Quare hic solùm agitur de jure, nullâ interveniente dispensatione, sed tantùm justitiâ, siquidem lector est aptus ad legendum, & nullam reddit causam, ut sit pendens, aut suspensus, & eadem Provincia censet ipsum habere rationem, ut illi tempus in numerum compu-

tetur.

tetur. Et hæc ratio citata est concludens, ut statuta Ordinis, & supradictum Breve non offendantur, & sic cum illis cohæret, ut dictum tempus currat, & nullo modo dicatur interpolario hoc tempus, quod stetit, sed tempus currens. Vt tamen hoc quæsitum legenti non sit molestum, illud in alia quæsita dividimus. Primum sit: An dictus lector injuste à sua lectura fuisset dimotus? 2. An ex jure, & non ex dispensatione illi tempus in numerum computari debeat? 3. An opponatur contraria sententia Melfi? 4 Fundamentis Melfi respondetur. 5. Conclusio ex dictis, in qua concludetur, quomodo ex jure, in ordine ad jubilandum, nulla in eo lectore intervenisse interpolatio.

§. I.

An dictus lector injustè à sua lectura fuisset dimotus, & expulsus?

2 Respondeo dictum lectorem injustè à sua lectura fuisse dimotum, & dimissum. Ratio est, quia dicta statuta generalia disponunt, ne lectores absque gravi causa à suis cachedris amoveantur: ibi: *Sicut instituni non debent sine maturo examine de probitate morum, & sufficientia doctrinæ, ita nec facile amoveri debent sine gravi causa.* & dict. lector amotus fuit sine aliqua causa, ut constat ex litteris patentibus suæ restitutionis à P. Provinciali traditis ibi: *Non assignando R. V. causam aliquam ad hanc privationem.* Quod statim ex verbis seqq earumdem litterarum confirmatur, ibi: *Maior pars Definitorij V. R. suffragia dederunt, in quibus eum restituebant.* Et evidens esse videtur, restitutionem aliquam respicere injustitiam, cujus satisfactio est, *l. Restituere 65 ff. de Verbor. signif. & l. 2. §. Idem Labeo ff. nequit in loco publico.*

3 Nec obstat, dicere eadem statuta generalia mox infra, ibi: *Lectores verò nullum jus habent, neque actionem ad continuandum officium legendi, & qui de suspensione lectoratus conquerantur, possunt tanquam inobedientes puniri.* Non, inquam, hoc obstat, quia hoc statutum intelligi debet de lectoribus, quos idem Provincialis cum Definitoribus cum causa amovet, & non de illis, quos sine illa amovet: quia hi jus habent ad continuandum, vt constat ex statutis Vallisalitanis capitulo generali confirmatis anno 1593. & iterum postea in capitulo generali Romano anno 1612. ibi: *Siquis autem tempus legendi* ita fuerit interpolatus, eo usque acquisitum, amittat. Et qui dicit, quòd illud amittat, supponit, quod illud habebat. Nec statutum generale dicti §. *Lectores verò nullum jus habent,* amplius fuit factum, nisi ad derogandum Toletanum anni 1633 quod lectori semel admisso ad Philosophiæ cathedram jus concedebat ad continuandum usque ad jubilaturam, quin eum amovere possint amplius, quam per causam, quam ibi assignat, ibi: *Qui semel ad Philosophiæ lectoratum admissi fuerint, nusquam nisi ex gravi vitæ, vel doctrinæ defectu a lectoratus exercitio demoveatur: imo semper sine vlla penitus interruptione conserventur in ipso, usque quo jubilationis honorem obtinuerint.* In quo verè dabantur inconvenientia, quæ statuta generalia temperata sunt, dictis lectoribus jus auferendo, ut continuarent, quando Provincia ex gravi causa judicasset, ita convenire, quin contra id actionem habuissent, nec queri possint. Ius illis non abstulit, ut continuarent, in contrarium non habitâ causâ, ut constat ex dictis statutis generalibus, ibi: *Nec facilè amoveri debent sine gravi causa.* Et cùm sic jus conservent, etiam est evidens, se queri posse. Et quòd hic sit dictorum statutorum intellectus, & praxis, bene ostenditur in præsenti casu; quia dictus R. P. Provincialis cum definitorio, admisit [ut ratio postulabat] dicti lectoris querelam, quia sine causa amotus fuit, illum non puniendo pro tali querela, ut inobedientem, imo illi restitutionem jubendo facere

4 Nec tale jus est contra humilitatem, quam Fratres Minores profitentur, quia illud solùm habent, quia ita vult, & illud illis dat idem Ordo, mandando, quod per oppositionem cathedras assequantur, ibi: *Lectores Artium non instituantur in posterum, nisi post solemnem oppositionem, & per secreta suffragia Definitorij, etiam si constet de sufficientia peritiæ.* Et cùm jus, quod per dictam oppositionem acquiritur suæ humilitati non adversetur, etiam hoc illi non adversatur. Nec obstat esse ad dignitatem; non obstat, quia quis negaturus est Fratrem minorem canonicè electum in capitulo, ad illam cum justitia manere. Nec illam defendere adversatur humilitate, siquidem ad justitiæ virtutem pertinet, & una virtus soli vitio opposito, & non alij virtuti sit contraria, ut docet D. Thom. 2.2. *quæst.* 110. *art.* 4 *in corpore.*

§. II.

An ex jure, & non ex dispositione, lectori tempus in numerum computari debeat?

SUMMARIUM

5 *Restitutio quid sit, & quomodo in præsenti ex ipso jure fiat.*

6 *Dispensatio non à Definitorio, sed a Ministro Generali obtineri potest.*

7 *Statuta generalia, & Decretum Vrbani VIII. circa interpolationem, non intelliguntur de interpolatione injustâ.*

8 *Lex promissionem concedens, non extenditur ad promissionem beneficij hominis vivi.*

9 *Leges accipi non possunt in sensu, quo faveant iniquitatibus.*

10 *Si*

10 *Si lex mandans, non interpolari lecturam, etiam comprehenderet interpolationem per vim & injuriam factam, illi daret effectum, quod est contra ipsum jus.*

5 Suppositio, quòd dictus lector injustè fuit amotus, & ille de se aderat præsens, & sine impedimento ad legendum, Respondeo dictum lectorem de jure, & non ex dispensatione, reputari debere pro lectore actuali, & tempus illi esse computandum. Idque probatur primò: quia alio modo illi debita non fit restitutio: restituere enim est, rem in eumdem statum reducere, in quo fuisset, si nihil adversus, quod, faciendo esset restitutio evenisset, *l. Restituere 75. ff. de Verbor signif.* ibi: *Restituere videtur is, qui id restituit, quod habiturus esset actor, si controversia ei facta non esset*: & si lector non reputaretur de jure pro lectore actuali, læsus maneret, & valdè deterioris conditionis, vt constat ex facti specie contra text. *in d. l. Restituere*; & *in l. 2. §. Idem Labeo*, ibi: *Id veriùs deterius sit, fiat, restitutus. ff. Ne quid in loco publico*, vt in casu simili optimè notant Pinell. *C. de Rescind. vendit. part. 1. Rubric. cap. 2. num. 14.* & Valasc. *tom. 2. consult. 134. num. 4.*

6 Secundò probatur, quia solus Minister generalis, & non Definitorium potest concedere talem dispensationem, vt constat ex ipsis Statutis generalibus, ibi: *Interpolatio nullo modo est dispensanda, nisi pro regrotis, & Religioni honorificè, quam Minister Generalis non exhibebit, nisi prius habeat informationem de causis, propter quas fuit amotus a lectura*: ergo tempus actuale, quod in casu præsente computat in numerum dictum Definitorium, non est ex dispensatione; quia illud dispensare non potest, sed ex jure naturali, & positivo, quod restituere mandat.

7 Tertiò probatur, quia Statuta generalia, & Decretum Vrbani VIII. in illorum favorem, quod ad jubilationem requirit, quòd lectores sine interpolatione legant, intelligi non debent, loqui de interpolatione injustâ, quia id esset, illi favere, & illi præbere effectum. At verò statuta, & leges, iniquitatibus favere nequeunt, neq; illis præstare effectum; quod probat text. *in cap. Adigite 6. §. Quamvis, ff. de jure patron.* ubi refertur lex, quæ prohibet, ne patroni juramento adstringant libertos, ne nubant Et dicitur, talem legem non extendi ad libertum, qui ex eo quod sit castratus habet impedimentum dirimens in potentia; quia prohibere patronum ne istum impediat, esset suis nefarijs nuptijs favere, & illis præbere effectum, quod leges facere non possunt; & si id fecissent, essent injustæ, *l. Filius, qui 15. ff. de Condit. instit.*

8 Confirmatur primò ex *text. in cap. 2. de Conuess. præbend.* ubi dicitur, legem, quæ dat valorem promissioni, non se extendere ad promissionem beneficij hominis vivi: quia illa esset, favere, quòd successor illi mortem optideret. Secundò, ex textu *in l. fin. de pactis* ubi etiam ex eadem ratione dicitur, legem, quæ pactis tribuit valorem, non se extendere pactis *super viui hæreditate*. Tertiò, ex textu *in cap. 2. de Election.* ubi dicitur, legem dantem valorem electioni, non extendi ad reluctum ad clamorem populi, ne faveat, qui eum possit corrumpere. Quartò ex textu *in l. ultim. §. Sin autem C. de fure deliber.* & ex *text. in Authentic. de Hæred. & Falcid. §. Si verò non fuit inventarium, collat. 1.* ubi dicitur legem de obligantem hæredem ultra vires hæreditatis, non se extendere illi, qui ex dolo ad subnegandam partem hæreditatis, non fecit inventarium; quia id esset illius dolo favere. Quintò ex *l. 1. & seqq. ff. de Senat. Consult. Macedon.* Ubi dicitur legem concedentem obligationem ex mutuo, non se extendere ad filios familias, qui ab constructi à creditoribus, inducerentur in necem parentum. Vnde talis lex faveret parricidia, & ad suum effectum concurreret.

9 Quare leges nec debent, nec possunt accipi in sensu, quo iniquitatibus faveant, & illis effectum tribuant; ut de possessione. quæ extendi non debet ad illam, quæ non est bonæ fidei, ut declaravit jus Canonicum *cap. finali, de Præscript.* & *in cap. Possessor.* ubi Gloss. & DD *de Reg. juris in 6.* revocando, & pro injustis habendo leges contrarias Imperatorum quia favebant, & iniquitati effectum præstabant. Idem declaravit etiam in juramento *cap. Non est obligatum, de Regul. juris in 6. Et cap. Inter cætera, 22. quæst. 4.* Et ad hoc inventum est optimus text. *in l. Contractus vers. Excepto ff. de Regul. juris*, ubi declaratur, juramentum non agendi, contra dolum futurum, si forte committatur in depósito, vel commodato, non obligare ad non agendum, quia id esset tali dolo favere; & est etiam optimus text. *in l. Convenire, ff. de Pact. dotal.* Ubi declaratur, juramentum de non agendo contra uxorem pro rebus furto amotis, non obligare ad non agendum. Quia id esset, iniquitati favere; cui lex favere non debet, nec patrocinari potest; *cap. Contingit, de Dolo, cap. Sedes, & cap. Ex tenore; de Rescript. & cap. Segestum de Appell.*

10 Et quis est, qui non videat, quòd si lex, quæ jubet, non interpolari lecturam cõprehendisset etiam interpolationem per vim, & injuriam factam, ei favebat, & illi præstaret effectũ? Non solùm contra jus, & textus relatos, sed præcipuè contra text. *in l. Itaque fullo.* In principio *ff. de Furtis*, ibi: *Ne inde injuriarum nascatur occasio, unde jura nascuntur.* Contra tex. *in l. Quod si Ephesi, §. ult. ff. de Eo, quod certo loco*, ibi: *Æquitatem quoque ante oculos habere debet judex.* Contra tx. *in l. 1. ff. de Justit. & jure* ibi: *Justitiam*

am namque collimus... æquum ab iniquo separantes, licitum ab illicito discernentes. Contra text. *in cap. Erit autem lex*, ibi; *Iusta dist.* 4. & contra text. *in cap. Consuetudo, vers. Porro, dist.* 1. ibi: *Lex erit omne jam, quod & ratione constiterit duntaxat, quod Religioni convenit, quod disciplinæ congruat, quod saluti proficiat.* Huic soli favere debet, & non iniquitati,

§. III.

Proponitur opposita sententia Melfi, & refutatur.

SUMMARIUM.

11 *Fundamenta contraria Melfi adducuntur.*
12 *Illi opposita afferuntur.*

11 Quæ cùm supra dicta ita sint, non possum non reselle contrariam opinionem, quam tenet Fr. Sanctus de Melfi *in suis Commentarijs ad Statut. & Constit. Ordin. Minor. cap.* 5. *Stat.* 12. *quæst.* 5. ubi inquit, per vim dictorum statutorum, etiam quando interpolatio per malitiam Prælati est inducta, Innocenti non posse computari in numerum. Idque primò, quia jubilatio solùm est lecturæ præmium actualis, quæ in hoc casu non datur. Secundò, quia hæc est ordinis praxis. Tertiò, quia statuta in hac materia adeo sunt stricta, ut non computent Adventus, & Quadragesimas, si in illis causâ prædicationum cathedris desint lectores, ut constat ex *Congreg. General. Neapolit. anni* 1590. ibi: *Sine interpolatione Adventus, & Quadragesimæ.* Quartò, nec computant in numerum interpolationem alicujus officij, ut constat ex *Congreg. General. Toletana anni* 1633. ibi: *Sine interpolatione ad alia officia.* Quintò; Non computat in numerum tempus infirmitatis. Sextò; quia contrarium redundaret in damnũ Religionis.

12 His non obstantibus, non possum non hanc opinionem rejicere. Prioi, quia extendere legem in favorem iniquitatis contra innocentem, est illam facere injustam, ut existimo, cum evidentia esse ostensum. Secundò, quia jubere, quòd dictum tempus non computetur in præsenti casu non est favor, sed rigor; & hic in casu, quo lex illum non exprimat, non est intelligendus *cap. Cum quidam ff. de Liberis, & posthum. cap. Renovantes dist.* 22. *cap. Hodie, de Reg. jur. in* 6. Tertiò, quia si lex talem extentionem voluisset, illam exprimeret. Et si in aliquo, hic habet locum *Axioma Iuristarum: lex si voluisset, expressisset. l. Vnica §. Sin autem ad deficientis, C. de cad tollend. l. Si servus, §. Prætor ait, vers. Non dixit, ff. de Acquirend. hæredit. cap. Ad audientiam* 2. *de Decimis. Regul. Contra eum de Reg jur in* 6. ibi: *Contra eum, qui legem potuit dicere, apertius facienda est interpretatio, & l. Quidquid adstringendæ* 99. *ff. de Verbor. obligat.* ibi: *Quidquid adstringendæ obligationis causa dictum est, id nisi palam verbis exprimatur, omissum intelligendum est.* Quartò quia ipse intellectus correctorius est juris communis, quod jubet ne leges ad casus similes extendantur, ut constat ex dictis. Item computare simile tempus, ut mox infra ostendam: Intellectus autem qui est correctorius juris cõmunis, sine necessitate non est admittendus *l. Si quando, C. de Inoffic. testam. L. Præcipimus, fine, C. de Appellat. cap. Cum expediat, de elect. in* 6.

§. IV.

Fundamentis Melfi respondetur.

SUMMARIUM.

13 *Fictione juris, plures reputantur præsentes actualiter.*
14 *Hæc doctrina in eo ordine practicatur.*
15 *Rigores unius casus, ad alium non extenduntur, nisi exprimatur.*
16 *Idem ibi ostenditur.*
17 *Infirmitas, si non fuerit longinqua, computari debet.*
18 *Dicta in damnum Religionis non redundant.*

13 Nec obstant contraria Melfi fundamenta. Non primum, in quo dixit, Iubilationem solùm esse præmium lecturæ actualis. Non, in quam, obstat: quia respondetur dictum lectorem in casu præsenti fictione juris esse actualem. Ut ostendo variis exemplis. Primo ex ipsis lectoribus tempore feriarum, in quo fictione juris reputantur præsentes actuales, ut in terminis tenent Nicolaus Pignola *addit. ad Roman. singul.* 453. Guido Papa *q.* 88. *num.* 388. Lezan. *cap.* 8 *numer.* 25. Payrin. *in Constit.* 2. *Iulij* 11. *num.* 22. ibi: *Dicuntur autem legere tempore vacationum.* Secundò, exemplo militum; quia etiam stipendium est præmium assistentiæ actualis; & pro tali reputatur absentia justa, & in illa stipendium vincitur, ut probat textus *in l. Ex testamento C. de Testamento militis* Text *in l. Testamenta eorum, & text. in l. Quæd Constitutum ff. eod. tit.* Tertio exemplo civis Romani; quia etiam privilegia civis Romani solùm erant concessa illis, qui Romæ assistebant; & tamen captivi, qui habebant animum revertendi, pro præsentibus, reputabantur, *l. Nihil* 25. *ff. de Captiv. & postlim. reversis.* Quartò, exemplo scholasticorum. quia etiam eorum privilegia solùm conceduntur ijs in universitatibus continuantibus, & pro talibus reputantur absentes, qui ex justa causa, cum animo revertendi ad scolas, degunt v.g. in patria, gerendo illa, quæ illis sunt necessaria ad regressum, ut ex paritate militum, quibus id est concessum, *l. Divus, verb. Militarem, ff. de*

ff. de Ferijs. l. Omnes cum 1. *Gloss. C. eod. tit. & l. Quæ pater filio C. Familiæ erciscund. probat* Rebuff. *de Privileg. Scholast. privil.* 23. Roman. *consil.* 263. *& Ioann. de Platea in l.* 2. *C. de Incol. l.* 10. *post Gloss.* Quintò, quia continuatio actualis, quæ in scholis requiritur [quando aliud in statuto non exprimitur] non intelligitur de cõtinuatione actuali physica, sed de morali, ut probat Archidiac. *in cap. fin. de Verbor. signific. in* 6-cum exemplo civis, qui censetur continuare in civitate, *Licet metu Prætoris interim se absentaverit, l. Siquis ita ff. de Condit. & demonstrat.* & cum exemplo matris, *quæ dicitur continuo stare cum filio, licet ex causa justa aliquo instanti diverterit.*

14 Nec obstat secundum [in quo inquit Melfi, ordinem praticare in hoc sensu dicta statuta.] Non, inquam, obstat, quia respondetur, talem non dari praxim. Et optimè probatur casu præsenti, in quo dict. Definitorium pro actuali lectore, reputat dictum lectorem, & melius probatur alia praxi, qua nuper visa fuit in alio lectore actuali, quem eadem Provincia misit Romam cum appellatione capitulorum, quæ ibi fuerunt annullata, & illi tribuit litteras patentes, quo viso, quòd iret in Provincia servitium, illi tempus, quod ibi existeret computabant, ac si legeret; & per duos annos Romæ commoratus fuit. Et cùm vidisset negotium contra ipsum latum fuisset, & hac de causa Prælatos male affectos in hac Provincia nolle stare litteris patentibus, quas illi tribuerunt; Romæ per petitionem recurrit ad R. P. Generalem, ut judicare, juberet, si illæ litteræ patentes erant bonæ, & si tempus suæ moræ illi de jure erat computandum, ac si legeret; nullo modo vocando illam moram, interpolationem, non obstantibus Ordinis statutis, jam relatis. Et R. P. Generalis pro judicibus illi constituit duos definitores Generales, Provincialem Provintiæ Romanæ, & lectores actuales de Ara Cæli. Et omnes simul judicarunt, dictum tempus illi esse computandum, quia Provincia illi ejusmodi negotium commiserat, & non esset in culpa talis lector, quia ideo non legit, quia Provincia illũ impedivit ne legeret.

15 Non obstat tertium [in quo inquit Melfi, statuta loqui cum toto rigore in hac materia, in tali forma, quòd non computantur Adventus, & Quadragesimæ.] Non, inquam, obstat, quia datur, in nostro casu ferialis ratio ratione malitiæ, cui faverent, & cum qua statuta concurrerent, si illum comprehenderent, ut constat *ex numer.* 7. *& seqq.* Non obstat secundo, quia rigores legis non extenduntur, de uno casu ad alium non expressum, *l. Factum cuique §. In pœnalibus ff. de Regul. juris, Cap. In pœnis, eod. tit in* 6 Et quamvis in illo militasset eadem ratio, ut probant Ioann. Andreas *in regul. Scodic. de Regul. jur. in* 6. Dueñas *Regul.* 287. Gironda *de Privileg. numer.* 240. Barbos. *tract. de Axiom. Axiom.* 181. *numer.* 10. Imo, nec etiam quando in tali casu non expressio militasset. Ut latè probant Ioann. Valer *in differ. utriusque fori, verb. Lex differ.* 5 *numer.* 2. Bonac. *de Legib. disp.* 1. *quæst.* 1. *punct.* 8. *numer.* 23. Dian. 2. *part. tract.* 10. *de Leg. resolut.* 26. cum Salas, & alijs pluribus, & *iterum* 3. *part. tract.* 17. *miscell. resol* 66. cum Mirand. Garcia, Henriq. Castr. Palao, & pluribus exemplis. Accedit, quòd in casu præsenti non datur par ratio, nec eadem, quæ in Adventibus, & Quadragesimis. Quia si statuta hæc tolerassent, cùm lectores in Ordine frequenter sint boni prædicatores, ratione concionem cathedris deessent: at defectus Adventuum, & Quadragesimarum pro omnibus annis, in singulis, menses comprehendit considerabiles, quod in grave cathedrarum præjudicium redundaret. Quod evidens est, non militare in nostro casu præsenti.

16 Nec obstat quartum [in quo inquit statuta non computare interpolationem ad alia officia.] Non, inquam, obstat, quia respondetur primo, in casu præsenti semper esse valde specialem rationem, videlicèt, quòd statuta concurrere ad malitiam, & iniquitatem. Secundò, quia id exprimunt statuta, quantum ad alia officia, rigores autem extendi non debent de uno, ad alterum casum non expressum, ut constat ex proximè dictis; maximè, quando adest tam diversa ratio. Nam si interpolatio ad alia officia, Ministrorum, Gardianorum, &c. computanda esse, cum ij casus sint adeo frequentes; maximum litterarum præjudicium sequeretur.

17 Nec obstat quintum [in quo ait, quod non [imputatur tempus infirmitatis] Non, inquam, obstat, quia respondetur, dato, quòd id concederemus, semper in nostro casu datur multò specialis ratio, concurrendi legem ad malitiam, & iniquitatem. Dixi, *dato, quod id concederemus* Quia in statutis non invenio, quod id sit expressum. Quare si infirmitas non sit longi [vocant enim DD infirmitatem longum, illam, quæ per unum durat annum] non dubito, computari debere, quia sic de jure communi militibus computatur *l. Qui militantur* 35. *ff. Ex quibus causis maiores, & l. Unica, fine, ff. de Bonorum possess. ex testam. militis.* Et etiam scholasticis, ut ptobat Rebuff. *l. finali C. de Vestib. oleberis, & auratis lib.* 11. *& in l.* 2. *C. de Præposit. Sacri cubiculi, & in l.* 1. *C. de Privileg. scholar.* Quòd si infirmitas longa sit, tunc dantur in diversæ opiniones, & qui magis rigorosam sequuntur, dicunt tempus non esse computandum, & diversamur addunt rationem casui præsenti, quia defectus informi, quamvis absque culpa, verum est dicere, non legere, per illum statisse; non ita in nostro casu; quia non legere, non stetit per nostrum lectorem, ut in re simili bene notat Dian. *part.* 2. *tract.* 8. *de Contractib. & cambijs resolut.* 86. cum Filliuc. Rebell. & alijs.

18 Nec

18 Nec obstat sextum [in quo ultimò inquit Melsi; hoc in præjudicium, & damnum Religionis redundare.] Non, inquam, obstat, quia respondetur primo, maius damnum Religionis futurum fuisse aperire portas, ut in casibus similibus hic, aut ille Prælatus ob injustitias, & particulares passiones, absque alia causa boni communis, auferat lectores actuales, qui sunt splendores, & ornatus Provintiæ, & transgrediantur statuta, quæ disponunt, non auferri dictos lectores, sine gravi causa. Secundo respondetur, non esse contra bonum commune reputare, pro præsenti militem, scholasticum, aut civem, qui ex necessitate, & absque culpa sunt absentes; ut constat *ex numer.* 13. At etiam futurum non erit, contra bonum commune reputare, pro actuali, lectorem, qui injustè amotus fuit Tertiò, respondetur; quia si lectores injustè amoti non existimassent, se non posse restitui, ab eo procurando desisterent, & sic ordo eos, & suum splendorem amitteret.

§. V.

Concluditur, quomodo ex jure in ordine ad jubilandum nulla in eo lectore interveniset interpolatio.

19 Ex dictis efficaciter hæc sequitur conclusio. Quia ostendimus de jure, totum hoc tempus dicto lectori computari debere, ut patet *ex num.* 5. De jure inquam, & non ex dispensatione, ut *diximus num.* 6. Et quòd interpolatio, quam excludunt statuta, non est illa, quæ fuit inducta per malitiam injustè, ut constat *ex num.* 7. Et quod dictus lector fictione juris reputari debet pro lectore actuali; *ut patet ex numer.* 13.

20 Et equidem interpolatio solùm probatur pro aliquo tempore, quo per aliquod intermedium tempus cucurrisset, in quo lector defuisset, ut in textu *in cap. Quia diversitatem* 5. *de conces. præbend. & ex textu in cap. Ne pro defectu* 41. *de elect. & ex text. in cap.* 3. 4. *& 5. de Supplend. neglig. Prælat.* & ex text. *in Clement. unica eod. tit.* probant Gracia *de benef. part.* 10. *cap.* 3. *num.* 1. Azor *part.* 2. *l.* 6. *cap.* 27. & Barbos. *de potest. Episc. alleg.* 126 *num.* 37. At in præsenti casu nullum potest numerari tempus, in quo deesset dictus lector. Ratio est, quia illi non potuit currere illud, in quo ille legitimè fuit impeditus: legitimè enim impedito non currit tempus, *l.* 1 *fine C. de Annali except cap Quia diversitatem* 5. *de Concession præbend. & cap ultimo de Elect.* Idque sive impedimentum fuerit juris, sive facti, ut ex dictis textibus cum communi DD. probant Barbos *cit num.* 49. & iterum *alleg.* 72. *num.* 138 & iterum *alleg.* 82 *num.* 22. Sanch. *l.* 4 *consil. cap.* 1. *dub.* 51 *num.* 10. Et qui injustè est carcere detentus, aut alio modo impeditus injustè censeatur legitimè impeditus probat Barbos. *cit. dicta alleg.* 72. *num.* 138. & iterum *alleg.* 82. *nu.* 22. Et etiam in quinquennio post professionem id probat Sanch. *de matr. l.* 7. *num.* 22. cum communi DD. quos allegat. ubi, inquit, quod injustè impedito de Iure, & ex restitutione illi non currit tempus ad quinquennij. Subscribunt alij plures, Miranda *in man. Prælatorum tom.* 1. *q.* 22. *art.* 3. *concluf.* 2. Gratian. *disceptat. forens. tom.* 3. *cap.* 413. *num.* 9. Lessius *de Iust l.* 2 *cap.* 41. *dub.* 7. *num.* 66. Dian. 3 *part. tract.* 2 *de dub. Regul resol.* 73 cum alijs pluribus.

QUÆSTIO CXXVIII.

An responsio à S. Card. Congreg. obtenta circa Provincialem, qui renuntiare vult, extendenda sit ad illum, qui per obitum in Provincialatu defecit?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Non potest extendi.*
3 *Specialis dabatur ratio ad id, quod fuit petitum.*

1 QUædam hujus Regni Religio suum Generalem in Castella habebat, à quo gubernari non poterat, ob bellum, quod inter hæc Regna gerebatur post Ioannis IV. felicem acclamationem; Ad S. sanctitatem recurrit, aliqua dubia proponens, interquæ quoddam erat: *Si Provincialis officio vult renunciare, quomodo, & quibus facienda est renuntiatio?* De mandato S. Pontificis Eminentissimi Cardinales responderunt: *Provincialis tempore Capituli poterit renuntiare officium suum toti capitulo. Quod renuntiationem poterit admittere, & loco illius alium eligere. Quo finito si renuntiare vult, renuntiet sex assistentibus, & renuntiatione admissa, ipsi cum primo Definitore alium eligant.* Hic primus Definitor juxta leges Religionis, deficiente Provinciali, Provinciæ regimen tenet & illi præsidet. Quæritur: Si hæc responsio, quam Eminentissimi Card. dederunt circa renuntiationem Provincialis, scilicet; Quòd renuntiante Provinciali coram sex assistentibus, possint illi cum primo Definitore alium eligere, intelligi debeat tantum in casu, quo Provincialis renuntiet, aut etiam in quocunque alio, qui per obitum &c deficiat? Et quamvis hæc materia videatur dubium non pati; quia ubi est eadem ratio, est eadem juris dispositio; attamen ad maiorem securitatem, & ut omnis tollatur scrupulus, hæc postulatur resolutio.

RESOLUTIO.

2 Respondeo, idem non esse meum judicium; sed quòd responsio Cardinalium habeat tantùm locum in casu renuntiationis de qua

loquitur, & non posse extendi ad alios defectus, ut per obitum, &c. Ratio est, quia aliter hæc Eminentissimorum Cardin. esset correctoria aliarum legum Religionis, quæ disponunt: quod deficiente Provinciali, maneat primus Definitor Provinciam regendo, & illi præsidendo: correctio autem juris, nisi exprimatur non est admittenda, ut tenent communiter DD. apud Sanch. *de matr. l. 2. disput. 11. num. 23* & apud Barbos. *tract. de Axiom. Axiom. 60. num. 1.* est enim correctio juris odiosa, ut cum Glos. *in cap. Cupientes, verbo Petere de elect. in 6.* tenent communiter DD. apud Salas. *de legib. disput. 21. numer. 28* Odiosa autem sunt restringenda, *cap. Odia 15. de regul. jur. in 6.* Nec possunt extendi ab uno casu ad alium, non expressum, ut probant Calderin. *consil 328. alias 1. de pecul. clericor.* Frederic. de Senis *consil. 25. num. 4. in fine, vers. in super.* Menoch. *consil. 300. num. 13* Idque quam vis eadem intercedat ratio, ut probant Corset. *in singular. verb. Extensio 2. numer. 1.* Tiraquel. *de retract. in præfat. numer. 62. & 63.* Hondedeos *consil 95. numer 98 & 112. l. 1.* Farinac *in frag. crimin. part 2. num. 115.* Barbos *in Collect. ad Regul. Odia numer. 6. de regul. juris in 6.* & iterum *tract. de Axiom. axiom. 166. num. 7.*

3 Præterquam quod in renuntiatione videtur, dari: specialem rationem Quia quando dicta Provincia ad suum Provincialem habebat recursum, in suis tantùm manibus poterat Provincialis renuntiare, stando jure communi, nam renuntiatio cùm sit tantùm actio voluntaria fieri tantùm potest coram illo; ad quem spectat institutio *cap. Admonet, de renuntiat.* alias ei fuerit præjudicium *cap. significasti de foro compet. & cap. Clericum 11. q. 1. & cap. Non liceat 3. q. 6* ut communiter notant DD. apud Tambor. *de jure Abbat tom. 1. disp 13 quæst 13.* Lessius, *Verb. Renuntiatio num. 6.* Peyrin. *in formulario lite. B. cap. 8. num. 4* Non ita est in alijs defectibus, qui voluntarij non sunt, sed necessarij, ut per obitum, &c. ut notant communiter DD. apud Bonacin. *de Simon. q 4 § 14* In quibus casibus Constit. Religionum disponere solent, ut illis videtur.

QUÆSTIO CXXIX.

An excusetur à residentia Parochus, qui ab Episcopo cum maxima instantia detinetur in ejus servitio Vicarij Generalis, sperans S. Pontificis dispensationem, quam semel, ac iterum obtinere non potuit?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Data vera Episcopi necessitate, in eo officio se detinere non potest.*
3 *Non sufficit ab Episcopo licentiam petere; & illam non obtinere.*
4 *Ad S. Pontificem in præsenti pertinet examen, & non ad Parochum, nec Prælatum.*
5 *Etiam si omnes suæ Ecclesiæ fructus cum Ecclesia, & pauperibus expendat, adhuc mortaliter peccat, non residendo: est enim residentia de jure naturali, & divino.*
6 *Etiam peccat mortaliter continuando, usque ad Summ. Pontificis ultimam resolutionem.*
7 *S. Pontifex in jure divino proprie, & directè dispensare nequit.*
8 *Ea S. Congreg. Declaratio per aliam novam est sublata.*
9 *Navarri consilium, ex Decreto S. Congreg. & communi DD. doctrina non admittitur.*
10 11 *Consilium doctorum non est admittendum.*
12 *Prælati dictum non est ad rem.*
13 *Sine culpa pœna non datur. Et si datur culpa, & pena est sententia lata, stare non potest officio Vicariatus Generalis.*

1 ILlustrissimus, & Reverendissimus quidam Prælatus sibi assumpsit Parochum suæ Diœcesis in Vicarium Generalem, existimans, imo asseverans, se illius necessitatem habere, quia alium similem non invenit, in quo concurrant circunstantiæ, quæ in hoc inveniuntur. Ad S. Pontificem pro dispensatione residentiæ semel, ac iterum recurrit, absque effectu. Et de præsenti tertio repetijt Supplicam. Ab ipso Parocho Quæritur 1. An si verè ea necessitas intercedat, possit dictus Parochus in eo officio permanere, suos faciendo fructus, constituendo vicarium idoneum cum portione congrua in sua Ecclesia? 2. An examinare teneatur necessitatem, quam ipsius tenet Prælatus; sufficiat ne dicere illum jam habere? 3 An expendendo fructus sui beneficij cum Ecclesia, & pauperibus, possit absque culpa mortali in eo officio permanere, saltem usque ad resolutionem supplicæ, quæ tertio S Pontifici fuit facta? 4 An consultando homines doctos, ipsi dicentes, se tutâ conscientiâ posse illi officio assistere, dum dispensatio non determinabatur. Et in super dicens Prælatus, se illum comprehensum habere, & pro carcere, seu liberali custodia, illi civitatem designare, An adhuc ad restitutionem fructuum pro tempore quo non resedit, teneatur?

RESOLUTIO.

2 Quod attinet ad primum, nempe, datâ, & intercedente verè necessitate, possit dictus Parochus in officio Vicarij Generalis persistere, suos faciendo fructus, & idoneum constituendo vicarium in sua Ecclesia cum congrua portione? Respondeo non posse: Ratio est, quia negante Summ. Pontifice semel, atque iterum licentiam ad non residendum ex causa adducta, bene sequitur, non posse in

in eo

in eo officio persistere, nec persistendo, suos facere fructus, etiamsi idoneum constituat Vicarium in Parochia, cõgruà designatà portione.

3 Hæc resolutio bene colligitur ex dictis à Garcia *part. 3. cap. 2. numer. 37.* in casu simillimo, ibi: *An Parocho habenti re vera* justam causam absentiæ, satis sit petere licentiam ab Ordinario licèt eam non concedat, & ita ut sufficiat licentia petita, & non obtenta? Et respondet Negativè, citans Abbat. *in cap. Relatum numer 5. de cleric. non resid.* & sic determinasse S. Cc. Concil. Congreg. Idem in eo casu tenet Castr. Palaus *tom. 2. tract. 13 de benef disput. 5. punct. 5. numer. 7.* ergo si Parochus justam habens causam ad non residendum, & ab Ordinario licentiam petens, & non obtinens, non potest non residere, & si non resideat, suos non facit fructus etiam si idoneum relinquat Vicarium cum congrua portione; etiam quamvis noster Vicarius verè justam habeat causam non residendi, & à Summ. Pontifice petens licentiam, & semel ac iterum non obtinens, suos non faciet fructus, etiamsi idoneum in sua Ecclesia constituisset Vicarium cum congrua portione. Nec in oppositum aliquid potest opponi.

4 Ad secundum; nempe: *An teneatur examinare necessitatem, quam illius habet Prælatus, & sufficiat testimonium illius dicentis se illam habere?* Respondeo, nec teneri examinare necessitatem, quam illius habet Prælatus; nec sufficit, illum dicere, illam habere. Prima pars probatur, quia causa, quam Parochus habet non residendi, à Prælato debet examinari, & approbari, ut constat *ex Trident. sess. 23 de reformat cap 1.* ibi: *Causa prius per Episcopum cognita, & probata*, & cum DD. Barbos. *in cit. locum, num. 22.* ergo etiam in præsenti, ea causa nec ab ipso Parocho, nec à Prælato debet examinari, ac simul approbari, sed à S. Pontifice; ad quem tantùm pertinet, & cùm usque modo ab illo approbata non fuerit, nec examen parochi, nec testimonium Episcopi sufficit, & sic secunda pars illius quæsiti manet probata. Et dato, quòd facto examine ab ipso Parocho, inveniisset, necessitatem esse suæ præsentiæ maximam; adhuc illi nullum tribuit jus ad non residendum, ut jam *num. 3. Ostendimus & infra dicemus.*

5 Ad tertium, nempe: *An si expendat fructus sui beneficij cum Ecclesia, & pauperibus, possit absque culpa mortali in eo officio Vicarij Generalis continuare?* Respondeo, non posse, quia pœnis omnibus præcisis, Omnes curam animarum habentes habent præceptum divinum naturale, & positivum residendi, ut apertè colligitur *ex Conc. Trid. sess. 6 cap 1. & sess 23 cap. 1. de reformat* & communiter DD. quos magno numero referunt, & sequuntur Nicol. Garcia *dicta part. 3. cap. 2 numer. 16. Less. l. 2 cap. 34. dub. 29. num. 153. Vasq. opusc. de benef. cap. 4 §. 2. dub. 1.* Augustt. Barbos. *3 part. de potest. Episc. alleg. 53. num. 4.* Castr. Palaus *tom. 2. tract. 13. disp. 5. punct. 1. num. 2. in fine*: ergo quamvis dictus Parochus omnes sui beneficij fructus expendat cum Ecclesia sui beneficij, & pauperibus, adhuc non cessat præceptum divinum naturale, & positivum residendi.

6 Nec etiam desinit peccare mortaliter, continuans in eodem officio, saltem quoad resolutionem supplicæ Summ. Pontifici, tertiò interpositæ; quæ erat secunda pars illius tertij quæsiti. Ratio est, quia DD. communiter illud præceptum divinum, & naturale extendunt ad Parochos non residentes, dum sunt in servitio Episcopi, nempe dum sunt illius Vicarij Generales, visitatores, secretarij, aut Fiscales, quos late referuut Garcia cit. *dicta part 3 cap. 2 num. 40.* Gonçal. *ad Regul. 8. Cancell. Gloss. 6 num. 258* Bonac. *in tract. variis 1. tom. adductis, de more, & obligat. beneficiet punct. 5. num. 4.* Barbos. *cit. de potest. Episc. dicta alleg 53. num. 8 & in Trid. Collect. citatæ sesset 23. cap. 1. de reform. num. 52.* ubi *ex sel. cap 3 num. 13* refert *sub die 12 Maij 1629. fuisse decisum, Parochum* habentem curam animarum, non posse esse Vicarium Episcopi, vel Capituli, Sede Vacante, nisi Ecclesiæ cathedralis Parochus sit, quia tunc bene posse Vicariatus officio fungi, resolvit Aloys Rivius *in decis. Curiæ Archiepisc. Neapolit. part. 4. decis. 319* Sic Barbos. *cit. loco*: ergo absque peccato mortali nõ potest dict. Parochus officium Vicariatus continuare, quia ex ipso jure divino illi est prohibitũ. Vide Garciam *cit. d. part. 3. cap. 2. num 42.* ubi diversas affert declarationes Parochis prohibentes, esse Episcoporum Vicarios, & contra ipsos Episcopos opera Parochi utentes, ultra duos menses à Concil. permissos. Ex his inferre possumus, hanc dispensationem esse difficilem, & ideo S. Põtifex suplicationibus factis nõ annuit.

7 Nec obstat primo, quòd residentia obliget jure divino, & naturali, nam legimus apud Sanch *l 8 de matr. disp. 6. num 5 ante medium*, S. Pontificem dispensare in residentia Episcoporum; ergo etiam poterit dispensare in residentia hujus Parochi. Non, inquam, obstat hæc objectio; tangit illam quæstionem; an in jure naturali possit cadere dispensatio? Et communiter docent DD. in nullo jure naturali cadere propriè, & directè dispensationem, neque à Deo, neque ab aliquo ejus vices habente cõcedi. Sic cum pluribus idem Sanch. *l. 8. de matr. disp. 6. a nu 4* Basil. Pont. *l. 8 ibidem cap. 1. n. 3.* Castr. Palaus *tom. 1 tract. 3. disp. 6. punct. 2 nu. 5.* id probans, & *cap 3. a num. 1.* inquit Deum in jure divino posse dispensare, datâ causâ dispensandi. Et à *n. 5.* cum communi, & verissima sententia, asserit, S. Pontificẽ nõ posse in jure divino dispẽsare, & id probat *ex text. in cap sunt quidã, & cap.* cõtra *Statuta patrũ, & cap Omne quod* & alijs *25. q. 1. & tom. 2 tract. 13. de Benef. disp. 5. punct. 1 numer. 4. Ad 5. inquit* ut probabilius in obligatione juris divini dispensationem non cade-

re, sed interpretationem: hæc tamen non ad quemcunque, sed ad superiorem, nempe Summ. Pontificem, remittenda est. Ex hac doctrina sequitur, Summ. Pontificem, propriè, & directè non posse dispensare in ea residentia, cum obliget ex jure divino & naturali, nec Sanch. oppositum docet; & cùm Sum. Pontifex semel ac iterum supplicam non admisisset, rationes ad interpretationem non residendi declarare noluit.

8 Non obstat 2. Declaratio S. Cc. Congr. asserens, Episcopum posse pro visitatione uti opera Parochi ad quatuor menses, his verbis: *Episcopus potest pro visitatione suæ Diœcesis uti opera Parochi, qui tamen ob eam causam ultra quadrimestre singulis annis abesse non potest a sua Parochia, & interea debet poni in ea idoneus vicarius congrua portione fructuum d. Parochiæ arbitrio ipsius Episcopi assignata.* Ita habetur inter Declarationes *numer.* 60. *seu* 63. de qua Declaratione meminisse videntur. Zechus, *de casu reservat. casu* 3. *de resident. numer.* 2. *vers. In oräine*, & vega *in libro Espejo de Curas cap.* 17. Non, inquam, obstat, quia respondetur, quòd ista Declaratio videtur jam sublata, & correcta per alias Declarationes, de quibus mentionem fecimus *numer.* 6 Et videri possunt Garcia *cit. num.* 44. & apud ipsum Gonzalez

9 Ex his infert 1. Garcia proxime *numer.* 45. cum Gonçales, falsum esse consilium Navarr. 15 *de cleric. non resident.* docentis etiam post Concil. Parochum posse de licentia sui Ordinarij, ex justa causa esse Vicarium Generalem alterius Episcopi: Hoc dicit falsum: si enim non potest esse Vicarius Generalis sui proprij Episcopi absque licentia Papæ, ut inquit Zerola *Verb. Parochus num.* 6. á fortiori nõ poterit sine illa esse alterius Secundo etiam infert num. 46 etiam esse falsum consilium ejusdem *Navarri* 5. *de stat. & qualitat.* Statuentis, posse Prælatum Ecclesiæ collegiatæ curatæ, Episcopo inservire, & excusari à residentia, & suos facere fructus; & si urgeat necessitas, illum in suo servitio posse Episcopum retinere; quæ sanè notanda sunt ad præsentem casum.

Ad quartum inquisitum resolutio.

10 Ad quartum: nempe: *An si consulendo homines doctos, asserentes ipsum facere posse, tutâ conscientiâ illi Prælato assistere, possit, dum Romæ dispensatio non resolvitur?* Et an, quando Prælatus illi asseverat, se illum comprehensum habere, & pro carcere, seu liberali custodia civitatem designare? Et An adhuc ad restitutionem fructuum pro tempore, quo non resedit, teneatur? Ad primam hujus quæsiti partem, respondeo, eos viros non rectè posse dicere tutâ conscientiâ posse dictum Parochum illi Prælato assistere, usque ad resolutionem Pontificiam; ut ex dictis constat: nam Prælatus semel, ac iterum ad S. Pontificem recurrit sine effectu, ut patet *ex num.* 1. taciturnitas enim S. Pontificis seu non responsio non habetur pro consensu ad excusandum delictum alterius. Cardin Tuschi *tom.* 8. *concluss.* 3 *num.* 3. cum Socin. & alij: datâ ergo semel, & iterum negatione, licentia alia nequit expectari.

11 Nec ipsi viri docti ab eo Parocho consulti, ipsi Parocho consilium illud dare poterant, nixi authoritate Sylvestr. *verb. Resid. num.* 7. Hojed. *l. Incompatibili* 1 *part. cap* 17. *numer.* 29. *casu* 8. & 2. *part cap.* 10, *num*, 15 & Navarr. *citat. consil.* 15. *de cleric. non residentib.* affirmantium, posse Episcopum propter suum servitium liberare Parochos à residentia. Nam *supra num.* 9. id consilium Navarri ostendimus ex Garcia esse falsum, ex S. Congreg. Declarat. & ex Gonçales, *de mensib. Gloss.* 6 *num.* 256. Vide Fragos. *in* 2 *part. de Regimin. Reip. Christ. disp*, 21. *numer.* 14. Quare consulto eorum virorum doctorum, non est standum.

12 Secunda pars ejusdem quarti quæsiti; nempe dictum Parochum esse comprehensum, & pro carcere, & liberali custodia habere civitatem, ut ipse Prælatus illi asseverat; non enim hoc dictum talis Prælati eum à residentia, nec a restitutione fructuum excusat. Ratio est, qui ipsum dictum est fraudulentum, & dolosum, quod ab ipso Concil. *dict. Sess.* 23. *cap.* 1. *de reformatione* reprobatur ibi: *Quod an ita sit, discedentium conscientiæ relinquit, quam oporteat Religiosam, & Dei timentem esse, cum Deo corda pateant, cujus opus non fraudulenter agere, suo periculo tenentur.* Quæ verba non solum ad Prælatos, sed etiam ad ipsos Parrochos diriguntur.

13 Et quod ipsum dictum sit fraudulentũ, ostenditur; quia pœna supponit culpam, ut cum D. Thom Sot. Sylvestr. Gutierr. Sud. & alijs tenet Barbos. *tract. de Axiom. axiom.* 181. *num.* 1. at ipse Parochus nullam committit culpam, ut supponitur; nec contra illum aliqua lata est sententia, quæ illum criminosum declarasset, ut puniretur liberali custodia civitatis. At domus, quod eâ pœnâ carceris intra muros civitatis sit justè punitus. Concesso enim hoc carcere Parochus factus Vicarius Generalis, manet impeditus, ut inquit cum pluribus Cardin. Tuschus *Verb. Carceratus, conclus* 90. *num.* 1. & non potest esse testis. Idem Fuschus *ibi conclus.* 90. cum Mascard. ergo nec Judex. Idem etiam colligi potest ex communi praxi, quæ inter Principes observatur non conferentes honores criminosis, dum tales sunt. Prælatus autem hujus Parochi est Princeps, & officium Vicariatus Generalis est honor: ergo si dictus Parochus esset criminosus, aut carcere, etiam liberali civitatis detineretur, illum neu esset constituturus in suum Vicarium Generalem, ergo potius dicendum ipsum carcerem esse fraudulentũ, & dolosum, & ut talem Parochum à residentia, à restitutione fructuum, pro tempore absentiæ non excusare.

QUÆS-

QUÆSTIO CXXX.

An Beneficiatus in una, eademque Ecclesia duo beneficia simplicia obtinere possit, ab uno illorum pensionem accipiendo?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Si sint uniformia, non potest.*
3 *Et si utrumque beneficium retinere præsumpserit, utrumque perdit.*
4 *Si sint differentia, potest, si unus ad congruam sustentationem non sufficiat.*
5 *Habita tamen prius à Summ. Pontifice dispensatione, [non sufficit ab Episcopo] utrumque obtinere potest.*
6 *Si primum resignet, sub pensione de licentia Papæ, secundum in Eadem Ecclesia obtinere poterit. Si aliud non obstet.*

1 CYriacus in quadam Ecclesia beneficium obtinuit simplex; intendit que in eadem Ecclesia aliud simplex obtinere; Quæritur: An ambo simul obtinere possit, ab uno illorum pensionem obtinendo.

RESOLUTIO.

2 Respondeo, non posse; si dicta beneficia sint uniformia [uniformia autem dicuntur, quæ idem habent ministerium, & exercitium] Ratio est, quia licet ex se sint compatibilia ex suo munere residentiam non postulanti, ex ipso jure incompatibilia sunt, & mutuò se excludunt *ex cap. Litteras, de concessione præbend. Clement. Finali, eodem tit.* Unde si secundum obtineatur, primum vacat ipso jure. Et est communis DD. doctrina: Sic Gloss. & Abbas ibi, Garcia *de benef. part.* 11. *cap.* 5. *num* 18. Azor. 2 *part. l.* 6. *cap.* 11. *quæst.* 13. Hojed. *de incompatibilitat. benef. cap.* 5. Teuchus *tit. B. conclus.* 64. & 66. Gregor. Lopes, *l.* 3. *titul.* 16 *part.* 1. August. Barbos. *in Collect. ad sess.* 24. *cap.* 17. *Trident. numer.* 13. Castr. Palaus *part.* 2. *tract.* 13. *de Benef. disp.* 6. *punct.* 2. §. 6 *num.* 5. & alij communiter.

3 Et si utrumque beneficium retinere præsumpserit, utrumque vacat, juxta Trident. *sess.* 7. *cap.* 4. *de reform.* quia ex ipso jure sub eodem tecto sunt incompatibilia. Sic Castr. Palaus *loco cit.* & Barbos. *proxime num.* 12. ex sel. *in select. canon. cap.* 21 *num.* 10. asserente, *resolutum in Salamantina* 31. *Maij* 1607. ex retentione utriusque beneficij, & perceptione fructuum amborum per duos annos absque dispensatione Apostolica utrumque ipso jure vacasse, & sic contulsum *in S. Concil. Congreg. hoc anno* 1632.

4 Si tamen dicta beneficia sint difformia, seu dissimilia, & illorum unus non sufficit ad congruam sustentationem, cum illo alterum obtinere potest; secus si sufficiat. Ut habetur *in Concil Trident sess.* 14. *cap.* 17. *de reformat.* ibi: *Statuit in posterum, unum tantum beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur, quod quidem si ad vitam ejus, cui confertur, honeste sustentandam non sufficiat liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri.* Sic cum Garcia Castr. Palaus *proxime num.* 6. & videre potest *in num.* 7 Augustinus autem Barbosa *numer.* 14. cum pluribus, quos ibi citat, existimat, ut hæc duo beneficia difformia sub eodem tecto obtineantur, quando quodlibet ex illis non est sufficiens ad congruam sustentationem, requiri cum causa dispensationem Episcopi.

5 Cæterum, si primum habenti beneficium sufficiens ad congruam sustentationem, secundum etiam sufficiens conferatur; existimat Garcia *citat. dict. part.* 11 *cap.* 5. *num.* 283 concessionem talem esse validam, si fiat ab Ordinario, dummodo primum dimittatur; secus si fiat à Delegato. Castro vero Palaus *cit. num.* 10. arbitratur eam beneficij sufficientis concessionem, aliud habenti sufficiens, esse validam, si provisus primum dimittat. Quidquid tamen sit, de placitis horum DD. qui de minimis tradunt, & ad nostram quæstionem parum facientibus. Unum dico, Cyriacum, si primum obtinuit beneficium non sufficiens ad vitam, ab Episcopo, seu Ordinario posset in eadem Ecclesia aliud obtinere beneficium: si tamen primum est sufficiens, & aliud intendit in eadem Ecclesia, prius à Summ. Pontifice dispensationem obtineat non enim ab Episcopo, seu Ordinario, aut Delegato, eam valide obtinere potest. Sic ex dictis infertur, & tenet Castr. Palaus *cit. dub.* 10. *in fine* Si cupias scire, quem valorem in reditibus debeat habere sufficiens beneficium ad vitam honestè sustentandam? Vide Castr. Palaum *cit. dict. part.* 2 *tract.* 13. *de benef. disp.* 6 *punct.* 2 §. 6 *num* 14.

6 Si tamen Cyriacus beneficium simplex, quod in ea Ecclesia habet, sub pensione de licentia Papæ resignet, præmissa hæc resignatione cum effectu aliud simplex in eadem Ecclesia obtinere poterit; quia resignatione beneficio conditur, ut habetur *toto tit. Decretalium. in 6. & in Clement. de renuntiatione.*

QUÆSTIO CXXX.

An Moniales cujusdam conventus excessum dotis, & propinarum conventum inter ipsas, & partem recipientes, ad restitutionem teneantur?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*

2 *Ad redimendam vexationem potest Laurentius tradere a monialibus petitum.*

3 *Necessitatem patiens, potest mutuam accipere pecuniam sub usuris ab eo, qui eam nisi sub usuris dare vult.*

4 *Ad redimendam injustam vexationem ab aliquo illatam, ne pacifice suum possideat beneficium, aut rem spiritualem potest vexatus aliquam dare pecuniam.*

5 *Monialium communitas in foro conscientiæ, excessum dotis receptæ supra conventionem initam restituere tenetur.*

6 *Circa dotem conventui dandam, quæ sit praxis, quando in statutis ea non est designata.*

7 *A DD. resolvitur casus.*

8 *Moniales, ante professionem emittendam, propinas recipientes, ad illarum restitutionem tenentur, si in eo conventu consuetudo non vigeat, illas recipiendi.*

9 *Declaratio S. Cc. Congreg. contra abusum recipiendi in Portugallia propinas.*

10 *Si tamen consuetudo vigeat illas dandi, & petendi, non erit peccatum mortale illas petere.*

11 *Adducitur a P. Soar.* & Sanch. modus illas petendi.

1 COnvenerunt Laurentius, & Moniales cujusdam conventus hujus Regni in receptione suæ sororis, pro dote quadrigentorum supra septuaginta millium regalium Lusitanorum; pro qua dote duæ illarum sorores in eodem conventu fuerunt receptæ, & ab hac dotè propinas ante professionem solitas, exituras esse. De hoc contractu culpa Monialium scriptura non fuit facta; Narrato tamen Prælato hoc contractu, ab illo licentia ad ingressum petita fuit, & absque alio addito absolutè licentiam concessit. Paucis post diebus ipsæ Moniales, absente Laurentio, syngraphum confecerunt, per Abbatissam, & alias Moniales subscriptum, adjiciendo dotì conventæ triginta millia regalia. Professione proximâ, & à Prælato examinibus necessarijs factis, & jubente novitiam professionem emittere. Restiterunt Moniales, postulantes dicta triginta millia regalia, & propinas de more consuetas; & his omnibus non exhibitis, sua suffragia ad professionem non præstituræ, & ut voti compotes evaderent, petitionem prius interpositam Prælato, vitiarunt, pro quadrigentis supra septuaginta millia regalia, mutando in quingenta millia regalia. Quæritur primò An Laurentius pro sua redimenda vexatione, & pro non subsistenda professione, possit Monialibus, omne quod petunt, dare? 2. An Communitas, excessum dotis, quem tulit, restituere teneatur; & Moniales particulares propinas professionis?

RESOLUTIO.

2 Ad primum: nempe, An Laurentius pro sua redimenda vexatione, & pro non subsistenda Novitiæ professione, Monialibus, omne quod petunt, dare possit? Respondeo, posse. Ratio est, quia dando, quod petitur, nullam inducit personam ad peccatum, sed tantùm agit de redimenda vexatione, quam Novitia patitur, suam non emittendo professionem.

3 Confirmatur primò, illa communi DD. doctrinâ asserentium, posse habentem opus pecuniæ, illam petere mutuam sub usuris ab illo, ex quo certo scit, illam nolle dare mutuam sine usuris, nec apud alium invenire potest, à quo sine usuris illam habeat. Sic Bonac. *tom. 2. disput. 2. de peccat. punct. 2. §. unico numer. 21.* cum Azor. Rebel. Lessio, & alijs. Idem cum alijs, quos citat tenet Castr. Palaus *part. 1. tract. 6. disput. 6. punct. 10. numer. 4. & 5.* Addunt Basil. Pontius *de matrim. l. 5. capit. 18. § 7. numer. 53.* & Dian. *part. 5. tractat. 5. resol. 12.* cessante scandalo, nullum esse peccatum in solvendis usuris: sed in præsenti casu cessat scandalum in solvendis illis, quæ à Monialibus petuntur, quamvis iniquè petantur: ergo Laurentius pro non subsistenda professione, potest dare; quæ à Monialibus petuntur.

4 Confitmatur secundò, in illo, qui pro redimenda vexatione injusta, quam ab alio patitur, in pacifica sui beneficij possessione, aut aliâ re spirituali, nec eam patiatur, illi potest tradere pecuniam, ut videre est apud eumdem Bonacin. *tom. 1. De Simon. disput. 1. quæst. 6. punct. 5. à numer. 1.* Castr. Palaum *part. 3. De Simon disput. 3. punct. 20. numer. 1.* cum Soar. Sot. Caiet. & non paucis Iuristis: ergo etiam ad redimendam vexationem injustam, quam Novitia patitur, non emittendo professionem, poterit Laurentius tradere Monialibus pecuniam, quæ ab ipsis petitur. Quòd verò ea vexatio sit illicita, & injusta; a responsione ad secundum quæsitum ostenditur.

5 Ad secundum; nempe, An Communitas, excessum dotis, quem tulit, restituere teneatur; & Moniales particulares propinas ad professionem petitas, & receptas? Ad primam hujus quæsiti partem, respondeo, teneri. Ratio est, quia intervenit contractus ipsis verbis initus inter Abbatissam, conventus, scribam, & Novitiæ fratrem, qui fuit communitati manifestus, & ab illa per suffragia fuit acceptata novitia, & Prælatus certior factus de dote quadrigentorum supra septuaginta millia regalium, licentiam

tiam concessit, & monasterium ingressa fuit: sed ex certa DD regula constat, omnem contractum validè celebratum vel nudum, vel vestitum, vel nominatum, vel innominatum utrinque onerosum, vel etiam gratuitum, ex se, & naturâ suâ, parere obligationem naturalem, & semper obligare in foro conscientiæ, ita ut una pars contrahens non possit ab eo recedere in conscientia, altera rationabiliter invita: Sic Molin. *de just. tom.* 2 *disput.* 257. *initio*, Covarruv. *in cap. Quamvis pactum*, *part.* 2. §. 4. *numer.* 23. Anton. Gomes *tom.* 2. *Tariar. capit.* 9. *numr* 2. Padill. *in l. Naturalis*, §. *Et siquidem numer.* 17. *ff. de præscript. Verb. Consentiunt* Less *tom.* 1. *de Just. l.* 2. *cap.* 17. *dub.* 4. *numer.* 19. Bonac. *de contract. quæst.* 1. *punct.* 1. *numer.* 2. Fagund. *de Just. l.* 1. *cap.* 4 *numer.* 4. & omnes: ergo communitas ad excessum supra contractum celebratum petitum, & acceptum à parte invita, tenetur.

6 Dixi *contractum valide celebratum*, quia dictus contractus fuit validè celebratus, quia fuit per superiorem dictarum Monialium approbatus, & illi præstitit consensum: ad superiores autem Monialium spectat taxare dotem pro moniali ingressura solvendam. Sic Rodrig. *tom.* 2. *qq. Regul. quæst.* 38. *artic.* 3 Mirand. *quæst* 8. *de Monial. art.* 8. Tambur. *de Iur. Abbatiss. disput.* 5. *quæst.* 4. Pelhizzarius *in Man. Regul. tom.* 2. *tractat.* 10 *cap* 3. *numer.* 42. & alij. Et etiam dictis Monialibus repugnantibus, ut tradit Miranda *cit.* ergo apertè constat teneri, dictum excessum supra dotem conventam communitatem restituere.

7 Et hoc in super tradunt Pellizzar. *ut numer.* 45 cum Tambur. *citat. quæst.* 5. *numer.* 4. Verba Pellizzarij sunt hæc *dicto numer. Addo ex Tamburin. supra quæst.* 5. *numer.* 4. *Quòd si Monasterium Monialium recipit pro ingressu novitiæ dotem maiorem câ, quæ de facto fuit taxata, tenetur restituere illam, quoad excessum; & ratio est, quod juxta indulta Apostolica, Monialibus non permittatur, quidquam recipi ultra taxam præscriptam, nisi quod offertur liberaliter absque pacto expresso, aut tacito, seu præsumpto, cujus modi utique non est, quod in tali casu solveretur nomine dotis, ultra taxam præscriptam, siquidem talis excessus reputaretur simoniacus, ut advertit.* Rodrigues *supra art.* 6. *Vnde probans, excessum illum debere restitui, quoad accepta simoniacè, non possunt retineri, sed debent restitui, sicut dictum est.* Sic Pellizzar. nostrum præsentem casum designans, & quæ evadat obligatio ad communitatem describens ex Tamburin.

8 Ad secundam hujus quæsiti secundi partem, nempe: An Moniales particulares teneantur ad restitutionem propinarum coactè petitarum, & acceptarum? Respondeo teneri; quia constat in illo Monasterio, consuetudinem non vigere, dandi eas propinas, ut ex *numer.* 1. constat, & Moniales coegerunt fratrem novitiæ Laurentium ad illas invitè dandas, negando suffragia ad professionem spiritualem suæ sorori. Quod maximè ex ipso jure reprobat Soares *tomo* 1 *de Relig. l.* 4. *de Simon. cap.* 17. *numer.* 18. ibi: *Hæc autem, quæ dicimus, non ita facile applicantur ad prandia, distributiones, seu propinas & alia dona, quæ a Monialibus exiguntur, & quasi vi extorquentur, nam hæc videntur valde reprobata in illis juribus, præsertim in cap. Audivimus, cap. Quoniam, cap. Tua nos, & maximè in d. Extravag. Quare in his moderatio adhibenda esset, ut saltem si propter consuetudinem recipiuntur, non negarentur spiritualia, nisi illa darentur, sed servaretur modus petendi illa præscriptus in d. cap Ab Apostolicam de Simon.* In quibus autem verbis notandæ veniunt illa: *Quæ a Monialibus exiguntur*; quod datum fuit in dictis Monialibus; Et dato, quod vigeret consuetudo illas dandi propinas, illis non datis, non poterant novitiæ impedire professionem, est enim matrimonium spirituale, quod sicut & temporale non est impediendum, ex pecunia non data, extorte exacta, quod in cit. cap Ad Apostolicam, reprobatur, ibi: *Ad Apostolicam audientiam frequenti relatione pervenit, quod quidam clerici pro exequijs mortuorum, & benedictionibus nubentium, & similibus pecuniam exigunt & extorquent, & si forte eorum cupidati non fuerit satisfactum impedimenta fictitia fraudulenter opponunt.* Sic textus Qui sanè has Moniales videtur comprehendere, in illis dictionibus, *nubentium*, & *similibus*.

9 Cum hoc textu cohæret Declaratio S. Cc. congreg. ad instantiam Regis Catholici habita, pro Regno Portugalliæ, quæ habitur apud Barbos. *de jure Ecclesiast. l.* 1. *cap.* 44. *numer.* 30. & Lezan *tom.* 4. *Verb. Moniales numer.* 7. ibi: *Propinarum abusus ne dum tollatur, sed etiam gravissimarum pœnarum, etiam censurarum, comminatione prohibentur. Pro ea tamen die, qua ad habitum Monachalem admittentur puellæ, aliquid esculenti, vel poculenti modici valoris, & pro hujus diei usu duntaxat elargiri vestitum non censeatur.* Addit Barbosa *citat. l.* 1. *de Iure Eccles. numer.* 32. Sanctissimum declarasse, prædictum Decretum, dicendo: *Eleemosynas, quæ per pactum sacristijs, & infirmarijs Monasteriorum Monialium dari solent, non comprehendi in Decreto, quo propinarum solutio per Moniales, dum ad habitum, vel professionem admittuntur, fieri solita, interdicitur.* Ex his sequitur Moniales particulares, quæ dictas propinas acceperunt, nulla vigente consuetudine illas recipiendi, ad restitutionem illarum teneri, quia injustè eas receperunt, & coactè à Laurentio illas solvente, ad

novitiæ vexationem redimendam.

10 Fateor tamen Sanch. *l 7. Summ. cap. 5. num.* 22 dicere propinas solitas posse dari, & recipi, quia sunt per modum eleemosynæ, & Soar. *jam cit. dict. tom.* 1. *d. Relig. l.* 4. *de Simon. cap.* 17. *num.* 18. *in fine*, quòd recipiantur cum moderatione, si saltem propter consuetudinem recipiantur: At dictæ Moniales licèt consuetudo in eo conventu daretur, dandi & recipiendi propinas, non se gesserunt juxta placita dictorum gravium DD. Sanch & Soares; quia illas petierunt, ut debitas ex Iustitia, nollentes suffragia ad professionem novitiæ conferre, illis prius non solutis; eleemosyna autem non est opus justitiæ, sed Misericordiæ, ut videre est apud Sylvest. *verb. Eleemosyna num.* 1 & tenent omnes. Deinde absque modo rationali, & moderatione impediendo bonum novitiæ spirituale, qualis est professio Religiosa: cùm ergo contra justitiam, dictæ Moniales, & contra bonum spirituale novitiæ debitum, peccassent, extorquendo vi eas eleemosynas non debitas ad restitutionem tenentur. Quare vel supplices à Laurentio illarum petant remissionem, vel illas illi solvant.

QUÆSTIO CXXXII.

Ad quid teneatur pater impeditus, manente filio in taberna mercium, eo impedimento durante, & post emancipationem vel è contra?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Ad satisfactionem tenetur pater in defectum & non defectum filij.*
3 *A fortiori idem dicendum de filio emancipato.*
4 *Dimidium pertinet ad patrem, & dimidium alterum ad filium pertinet.*
5 *Ante emancipationem, omnia lucra pertinent ad patrem, & matrem exceptis expensis cum propria persona, secus post emancipationem.*
6 *Supra vim, quam habent chirographa, remissivè.*

1 IN carcere vinctus Rochus, elapsis non paucis annis ad suam redijt domum, suam uxorem invenit defunctam, & filium unicum conjugatum cum filijs sua propria bona administrantem; In suam domum, ut hospes se recepit, nulla gerens circa negotiationem tabernæ mercium; duntaxat tamen syngrapha debitorum, quæ à filio fuerunt data, obsignabat. Quæritur primò: An teneatur tantùm Rochus ad satisfactionem syngraphorum à se obsignatorum casu, quo Filius, cum quo satisfaciat, non habeat? 2. An teneatur ad omnem summam debitorum, an tantum ad dimidium?

RESOLUTIO.

2 Ad primum, nempe: An Rochus teneatur tantùm ad satisfactionem syngraphorum à se obsignatorum, in casu quo filius non habeat cum quo satisfaciat. Respondeo teneri non solùm ad syngrapha, sed etiam ad omnia syngrapha à suo filio data ante illius emancipationem. Quod ex hac duplici ratione ostenditur: prima quia omnia, quæ filius accepit, de quibus syngrapha creditoribus tradidit, conversa fuerunt in utilitatem ipsius Rochi sui parentis, pro negotiatione tabernæ suarum mercium: sed quæ mutuo fuerunt accepta, & in utilitatem patris; tenetur ipse pater solvere, ut expressè constat ex text. *in l. Sed Iulianus* §. *Proinde ff. Ad Macedon.* Molin. *tom.* 2. *tract.* 2. *disp* 301 *vers Nonus*, & alij communiter. Secunda ratio: Quia dictus filius de consensu tacito patris illi negotiationi suæ tabernæ mercium assistebat, & causa illius negotiationis syngrapha creditoribus tradebat juxta pretium ex mercibus receptis. Et in his terminis hoc tenent Anton. Gomes *tom* 2 *variar cap.*2. *vers* 9. Molin *cit vers. Decimus*, & alij quos afferunt, & id probant *ex cit l. Sed Iulianus* § *interdum ff. Ad Macedon.* Et bene colligitur *ex Ordin. Reg. l* 4. *tit.* 50 §. 3. ibi: *Caterum si talis filius familias fuerit in aliqua mercium taberna de consensu, aut mandato sui patris, aut aliquam habuerit negotiationem de consensu, aut mandato sui parentis, aut sine illo, tenebitur solvere quod, illi mutuum datum fuerit.*

3 Ad secundum, nempe: An teneatur Rochus, emancipato filio, ad omnem debitorũ summam, vel solum ad medietatem? Respondeo teneri solum ad medietatem: Ratio est, quia filius egressus fuit à patria potestate per matrimonium à se contractum, ut constat *ex Ordin. Regia l* 5 *tit.*87. §. 6. & *l* 4. *tit.* 97. §. 19, & *docent* Emmanuel. Barbos. *in remiss. ad cit. loca Cabed* 2 *part decis.*72. *num.*3. Molin. *tom.* 1. *de Iust. disp* 229 *Vers. Postremo.* Fagund. *de Iust. l.* 1. *cap.* 17. *num.*14 Fragos. *tom.*3 *de Regim. reip. Christian disp.*3 § 3 *num* 56 Quando vero egrediatur à patria potestate juxta jus commune, leges Castell. & Galliæ, vide hactenus citatos.

4 Quòd teneatur ad solam medietatem debitorum ab anno quo mortua est illius uxor, & filius duxit uxorem ostenditur: quia filius medietatis bonorũ tabernæ mercium per mortem suæ matris fuit universalis hæres, & per matrimonium emancipatus juxta l. & DD. citatos: ergo currente ab hoc tempore negotiatione tabernæ mercium, dimidietas bonorum accrescentium, & debitorum pertinebat ad Rochum, cujus consensu negotium tabernæ currebat; & cùm ex eo negotio commodum sentiret, sentire etiam debebat debitorum onus illius tabernæ causâ cõtractorũ, ut omnes docẽt.

5 Et

5 Et hoc videtur evidens; quia ex consensu parentis, & filij negotiantis, dum non erat emancipatus, nullum sibi acquisivit lucrum supra capitale tabernæ; quia intentionem nunquam habuit, aliquid acquirendi pro suo labore, & industria; at hæres factus per suæ matris mortem, & emancipatus per matrimonium, jam sibi acquirebat medietatem: ergo alia ad parentem tantum pertinebat. Hæc sunt clara, & ex se patent pro foro conscientiæ.

6 Quoad forum externum, & vim, quam habent syngrapha à parente & filio creditoribus data, patet ex dictis, & videri possunt Ordin. Regiæ *l* 3. *tit* 25. §. 9. Emman. Barbos. *in Remiss. ad dit.* §. Covarr *practic. qq. cap* 22. *num.* 2. Alvar. Valasc *tom* 2. *consult.* 170. *a num* 7. Emman. da Cost. *ad l. si ex cautione C. de non numer. pecun.* Reynos. & Fagund. *de Iust. l* 1.

QUÆSTIO CXXXIII.

An si testatrix duas in suo Tertio instituat filias hæredes sub conditione nubendi, & non emittendi professiones, si illarum una nubat, & altera professionem emittat, pars huic debitæ, si nuberet, accrescat nubenti, aut Filio, seu filijs illis substitutis?

SUMMARIUM.

1 *Facti species.*
2 *Consulta cujusdam docti.*
3 *Quid de illa sentiunt aliqui, & quid sentiendũ.*
4 *Non potest Filius medietatis tertiæ frui. Ostenditur ex jure, & DD.*
5 *Idem tenet Cardin de Lug.*
6 *Illatio ex tradita doctrina.*
7 *Intentio testatricis don fuit dividere tertiam.*
8 *Hæc intentio est juxta mentem testatricis, & ipsum jus.*
9 *Est juxta opinionem Bartoli, quæ, cessante stylo, lege Canonica, & civili, sequenda est.*

1 COndens Zephyrina suum testamentum, disposuit de Tertio suorum bonorum, his verbis: *Completis meis legatis, & obligationibus, residuum meæ tertiæ relinquo meo marito Ludovico; dum duæ meæ filiæ statum conjugatorum non receperint, & si fuerint moniales, dicta tertia ibit duobus filijs meis,* & illi, aut sui tutores cuilibet *illarum dum vitam agent, singulis annis viginti aureos tribuent.* Una sororum, seu filiarum fuit monialis, altera statum nubentium suscepit; unus etiam fratrum, seu filiorum mortuus fuit. Et sic remansit unus tantùm filius, & una solùm filia, ambo in statu conjugatorum. Volens igitur pater illos ambos concordare, tertiâ â matre sibi in vita relictâ cessit, inter ambos illam dividendo; & alia convenientia in favorem filij dimisit. Quæritur 1. pro parte filij, An bona conscientia, & absque scrupulo medietate tertiæ frui possit?

Responsio cujusdam docti.

2 Respondetur, quòd sic. Quia mater in suo testamento unam non substituit alteri filiam, sed duos filios filiabus duabus, si moniales fiant: ergo filia uxorata, alterâ factâ moniali, solùm remanet cum sua parte; & non acquirit alterius partem, sed solùm filij expresè substituti filiabus, si moniales fiant. Confirmatur, quia impleta conditione in totum, in tota tertia filij succedere debebant, ergo impleta conditione in parte, in parte succedere debêt Conditio autem, ut filij succedant, est, quod filiæ sint moniales, impleta est in parte, quia una est monialis: ergo in parte illius succesturi sunt fratres, seu filij cum obligatione tribuendi viginti aureos, juxta verba testamenti.

Et adverti debet, testatricis intensionem semper fuisse dividendi tertiam, quia, inquit, illam relinquere suis duabus filiabus, & si fiant moniales, duobus filijs, loquendo semper de duobus; & non datur verbum, ex quo colligatur, fuisse suum intentum, ire totam tertiam uni filiæ, alterâ factâ moniali Et tantùm ostenditur, voluisse dividere tertiam, sexum præferendo. Et ideo obligatio dandi viginti aureos singulis annis unicuique moniali, imposita tantùm est filijs, quia hi, & non illa succesura erat in illa parte. Sic Doctus.

3 Pro hac consultatione stat Doctor Iosephus de Souza de Castelbranco Bonorum Regalium consiliarus deputatus à me consultus. Pro illa etiam stat Doctissimus Antonius da Gama *decis.* 367. Cæterum cum hæc Gamæ sententia non placuisset Molin, ut fatetur *tract.* 2. *disput.* 183. nec alijs senatoribus, quibus à Rege iterum examinari, processum commissum fuit. Sic nec mihi placere potest, & per consequens, nec consultatio doctissimi, nec citat. Senatoris. Quare aliâ viâ nobis procedendum est.

JUDICIUM AUTHORIS.

4 Respondeo, non posse dictum filium sanâ conscientiâ, & absque gravi scrupulo illâ matris tertiæ medietate frui. Moveor primo: nam quando testator conjunctim, & copulativè duos instituit hæredes, si unus aliquâ de causâ non fuit hæres in ea parte, in qua succedere debebat; nisi ambo repudient hæreditatem, & non unus tantùm, substitutio extinguitur, & ea pars accrescit illi, qui ex duobus illum non repudiavit: quia id voluit testator *argument. txt. in l. Quidem testamentum, & text. in l. Quamvis. C. de impub. & alij subsist.* & *textus. in l. si Hæredes plures ff. de condition instit. & text. in l. Si is qui ducenta § verum ff. de reb. dub.* Sed Zephyrina conjunctim, & copulativè suæ tertiæ instituit hæredes suas duas filias, si non fierent moniales, & una illarum illam hæreditatem repudiavit, quia facta est monialis, in ea hæreditate succes-

cessit,

cessit, quæ nupsit, illi accrescenti alterà parte, & substitutio filiorum extincta fuit; sic jure disponente, & voluntatem testatoris interpretante. Secus dicendum erat, si Zephyrina disposuisset de hæreditate suæ tertiæ Separatim, & disjunctim, hoc modo: *Si mea filia natu maior non sit meæ tertiæ hæres, quia elegit statum Religionis, sit hæres meus filius natu maior; & si mea filia natu minor non sit hæres, quia elegit statum monialis; sit hæres unus ex meis duobus filijs*, tunc ex mente defunctæ testatricis, una filia facta moniali, & non altera; tunc substitutio in filio locum haberet, quia hoc modo facta est separatim & non copulativè. Sic communiter docent DD. Anton. Gom. *tom.* 1 *variar. cap.* 3. *num.* 35. *per totum*, citans Barthol. pluribus in locis, & alios Molin. *tom.* 1 *de Iust. tract.* 2. *disput.* 183. *à vers. Dubium est, usque ad finem disput.* Ubi sententiam Gamæ rejicit.

5 Eamdem doctrinam tenet & sequitur Cardin. de Lug *de Iust. disp.* 24 *num.* 145. cujus verba, ut breviora refero, quæ in substantia citati longiori calamo afferunt: & sunt: *Si testator instituit primo loco Petrum, & Paulum, & substituit vulgariter Ioannem, dubium esse: An si Petrus non succedat, ejus portio accrescat Paulo, vel transeat ad Ioannem? Quod quidem ex verbis testatoris colligendum est: Si enim dixit; si neuter fuerit meus hæres, substituo Ioannem; non est dubium, quòd portio prius accrescat Paulo; Idemque dicunt DD. quando dixit: si illi hæredes non fuerint, substituo Ioannem; quia etiam si non clare utriusque tamen defectum videtur exigere... Si verò dixit: si vel Petrus, vel Paulus hæres non sit, substituo Ioannem; vel quid simile; Ioannes præferendus est Paulo.* Sic Cardin.

6 Ex hac communi doctrina, & DD. *citatis* infertur, ut filius Zepherinæ possit substituere suæ sorori factæ moniali, necesse esse, quòd utraque soror factæ essent moniales, nam unâ tantùm factâ moniali, & altera nubente, extincta fuit substitutio filiorum, & tertia, quoad utramque partem accrevit nubenti: Quia institutio hæreditatis tertiæ facta fuit conjunctim & copilativè duabus filiabus si moniales nõ essent, & nuberent: ergo cum una illarum nõ facta fuisset monialis, sed nuberet, illi accrescit hæreditas tertiæ: sic disponente jure, & DD. rectè interpretantibus testatoris voluntatem. Videantur citati DD maximè Anton. Gom. & Molina *locis citatis*

7 Secundo moveor, quia intentio testatricis non fuit dividere tertiam, si utraque filia non nuberet, nec esset monialis: si enim id voluisset, instituisset filias separatim, & non conjunctim: at cum conjunctim, & copulativè illas instituisset, dicens: *relinquo residuum meæ tertiæ meis duabus filiabus, si non fuerint moniales, sed nuberent.* dicendum est nubenti, & non factæ moniali accrevisse, quod si alia non esset monialis, & nuberet, habuisset. Et in dubio juxta ipsum jus, & communem DD. sententiam interpretanda est voluntas testatoris.

8 Imò censeo, hanc non esse interpretationem voluntatis testatricis secundum jus, sed rectè secundum jus ipsa voluntas, primò, quia in ultimis voluntatibus, quæ primo vocantur, magis amantur, ut communiter tenent DD. & in præsenti testamento mater primo vocavit filias, quàm filios, quos illis substituit. Secundo, quia si prævideret, morti sui mariti superstites tantùm esse unam tantùm filiam nuptam, & unum tantùm filium, prælaturam esse filio filiam, sicut duobus filijs prætulit duas filias in sua tertia; quia desiderabat, suas filias cum eo tertiæ incremento æquales invenisse viros, & habuisse cum quibus matrimonij onera sustinuissent. Et in his dispositionibus magis attendenda est voluntas testatoris, quàm verba illarum, ut habetur *in l. Pater Severinam ff. de condit. & demonstr.*

9 Tertio moveor, quia resolutio à nobis tradita est juxta doctrinam, & opinionem Bartoli, ut dicunt Anton Gom. & Molin *supra citati*, & *in Ordin l.* 3. *tit.* 64. §. 1. statuitur, casum indecisum in Ordin Iure Canonico, aut civili, aut per stylum, decidendum esse juxta opinionem Bartoli; maximè si non fuerit contra opinionem RR. & à nobis tradita est recentiorum DD. & communis inter omnes. Vnde ex bona consequentia sequitur filium Zephyrinæ teneri ad restituendam medietatem tertiæ, quam recepit in utroque jure tam poli, quam soli. Sic censeo.

FINIS LAUS DEO,
Virginique Matri.

INDEX RERUM NOTABILIUM, QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

Primus numerus Disputationem notat. Secundus Quæstionem. Tertius numerũ Quæstionis.

A

ABBAS.

Abbates validè non conferunt sacramentum Confirmationis disp. 1. q. 3 num. 1. Qui ab Abbatibus sunt confirmati; post ordines sacros susceptos, confirmari non debent ibi n. 5. Beneficium obtinens simplex cum ordinibus ab Abbate collatis, non est intrusus, habet titulum, & suspensionem non incurrit. d. 1. q. 13. per totam.

ABORTUS.

Abortum consulens, quocunque tempore iciat fuisse commissum, dispensatione indiget disp. 3. q. 30. n. 2. Consulens aborsum, & ad illum medicamentum præbens, si tamen dubius est, an effectum habuerit, probabile est, irregularitatem non incurrisse d. 3. q. 30. per totã

Quando fœtus animetur disp. 3. q. 31. n. 2.

Quas pœnas incurrant aborsum consulentes, aut procurantes? d. 3 q. 31. n. 3. & seqq

Qui ex ignorantia juris post quadragesimũ diem a Conceptione fœtus, aborsum commisit, probabile est non esse irregularem d. 3. q. 31. per totam.

ADMINISTRATOR.

Administrator non solùm tenetur res suæ administrationis conservare, sed illas augere, juxta dispositionem sibi commissam d. 2. q. 20. n. 2. & 3.

Administrator Capellaniæ tenetur facere, quòd capellani celebrent in altari, & capella à fundatore designatã, & ædificatã d. 2 q. 17. n. 2. & 8. Non potest dispensare, ut capellanus in alia capella à designata celebret ibi n. 4.

Administrator non potest pecuniam investiendam in bonis, ad Missas celebrandas dare ad rationem census, interesse sibi, aut suo conventui comparando d. 2. q. 20 à n. 9. Venit nomine procuratoris, & ut talis contractus init irritos contra mandatum, ibi n. 11. Potest pecuniis alienis negotiari ibi n. 13. & seqq

Administrator non potuit rescindere venditionem oliveti, quod nomine capellæ emit: non fuit tamen alienator d. 2. q. 20 à n. 20. Olivetum tenetur restituere cum redditibus capellæ ibi n. 23.

Administratores capellæ Præsbyteri, & Diaconi institui possunt in perpetuum d. 2. q. 23. per totam.

Administrator capellæ non tenetur ad omnia illius onera in institutione mandata, pro tempore, quo eadem capella authoritate Ordinarij, loco parochialis inservit; & expendendat in ijs oneribus, non tenetur in alijs pijs operibus impendere d. 2. q. 24. per totam Potest capellæ obligationes suæ uxori committere; maximè, quando ad illam; capellanum præsentare pertinet ibi à num. 24

Administrator; in fructibus capellaniæ diminutis; ad S. Pontificem; & non ad contractum cum Religiosis initum; nec ad Provisorem Regium tenebatur recurrere d. 2. q. 25. a n. 5. Non tenetur ad Missas omissas pro tempore, quo fundus designatos non tulit fructus ibi n 17. Tenetur ad multam designatam cum alijs legatarijs pro reperatione fundi; ibi a n. 25 Si illius culpa fundus pereat, ad onera super fundum imposita tenetur; ibi à n. 31. Tenetur ex salario, sibi à testatore relicto pro ratã contribuere ad reparationem fundi ibi à num. 35. Non potest ex facta fundi melioratione absolutè se compensare: ibi à num. 36.

Administratrix bonorum capellaniæ pro suo libito non potest absolutè expellere fœminas ad mercenarias admissas d 2. q. 33. à n. 10. Vide V. Capella. Administrator maioratus: Vide, Maioratus.

ADULTERI.

Adulter non tenetur ad restitutionem faciendam filijs illegitimis; ex eo, quòd filius natus adulterum ore referebat d. 4. q. 57. per totam: Secus dicendum de alio non dissimili casu ex circunstantijs additis ibi num. 6.

Adultera in foro conscientiæ potest uti primo testamento à marito revocato, [ex falsa filij nati præsumptione; & inofficiosam, filiæ legitimæ conferre dotem, excluso filio adulterino, legitimo existimato d. 4. q. 58. per totã.

ADVOCATI.

Advocatus juxta probabilem opinionem patrocinari non potest causam testamenti nulli; ex defectu subscriptionis testatoris, in præjudicium duarum puellarum innocentium, quibus legata aliqua fuerunt relicta; at oppositum est probabile d. 4. q 62. per totam.

AFFINITAS.

Affinitas duplex oritur, ex copula habita cum duabus sororibus illius, quæ ducenda est d. 1. q. 36. num. 3.

Affinitatem in dubio contractam, pronuntiandum est, contractam fuisse d. 1. q. 54. a n. 5. & 6 usque ad 7.

AGGRESSUS.

Aggressus ab injusto aggressore fugere non tenetur, ne illum occidat, etiam si sacerdos, aut Religiosus sit disp.3.q.44.n 9.

ALIENATIO.

Alienatio non fuit commissa, in contractu de licentia superioris initò, dandi pecuniam, ad rationem juris; obligantis fructus conventus. disp.4.q.2 à n.7.& q.119.à n 3.Alienatio rei litigiosæ est invalida d.4.q 125.n.3. Alienatio in evidentem Conventus utilitatem non est prohibita d.4 q.126.n 5.

ALTARE PRIVILEGIATUM.

In Altari privilegiato, diebus Dominicis, Duplicibus, & alijs ex exceptuatis, dicenda est Missa eo die occurrens, cum indulgentia, ac si dicenda esset Missa de Requie d.2.q.1 à n. 32.

ANNIVERSARIUM.

Per Anniversarij simplicem impositionem censetur, fideicommissum induci, & non maioratum indivisibilem d.2.q.10.num 2.& 3.

Anniversariorum portiones beneficiati non lucrantur, si illis præsentes non sint, etiam si in ijs diebus licitè distributiones lucrentur d 4. q.119.per totam. Etiam datâ causâ infirmitatis, & alijs à jure pro distributionibus concessis ibi n 5.Circa hæc aliqua dari potest consuetudo,ibi n.4. Vide Verb Consuetudo.

APOSTOLICÆ LITTERÆ.

In litteris Apostolicis non factâ mentione de beneficio unito, litteræ resignationis sunt invalidæ d. 4. q. 96. n.2. Non observatâ Regulâ de publicandis primis novem mensibus, invalidæ sunt litteræ ibi n.7. Contra hanc Regulam, quamvis pænalem, non allegatur ignorantia ibi n.8.

APPELLATIO.

Appellationis non subsistente causâ, in appellante datâ bonâ fide, pro foro interno appellatio suspendit sententiam d.3 q.7.n.2 & q. 9. n. 14.Non tamen pro foro externo ibi q 7.n.3 & q.9 n 16. Si malâ fide fuit appellatum, peccatum fuit commissum ibi q.7.n 5.

Appellatione desertâ, sententia transit in rem judicatam d 3.q.39.n.2. Appellatio à sententia lata si recipiatur, sententiam suspendit; secus si fiat deserta d.3 q.49 num.12. Vide Verb.Recursus.

ARBITER.

Arbiter partis nullam habet jurisdictionem super judicem, quando ille pro recusato se dare non vult; processus tamen currere debet, & standum pro declaratione d.3.q.75.n 6.& 7. Arbiter Prælati recusatus à Capitulo, Definitorio, & Visitatore, non habet jurisdictionem ibi num.8 Et censuras in totum ordinem ferre nequit ibi.

ARGENTARIUS.

Argentarius, quando juxta taxam argentum non invenitur, non potest tantum mettalli, quod dicitur *liga*, admiscere, ut se in demnem servet d.4.q 72.n.2. Facilius,& securius se servabit in damnem,ex dictis ibi à n. 3.

ARTIFEX.

Artifex habet hipothecam in opere ab eo facto d.4.q 42.n.3 in fine.

B.

BAPTISMUS.

Baptismi formæ: *Ego te baptiso cum nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, non coincidit cum hac: *Ego te baptizo cum nomine Patris, & cum nomine Filij, & cum nomine Spiritus Sancti* d.1.q.1.n 2. In dubijs Baptismi, in favorem baptisandi, semper est inclinandum. ibi n.3. Propositio *cum* non exprimit unitatem essentiæ.ibi n 4. In dubijs minoribus, sub conditione Baptismus est repetendus ibi n. 5 Domi baptizati ab obstetrice, aut homine laico juxta aliquas Cõstitut. synodales,sub conditione sunt baptisandi ibi n.6. Quotiescunque dubitatur de validitate baptismi, est repetendus. ibi n.7.Non obstat Tamburin assertum ibi n.8

Pater, qui præsentibus fæminis, proprium filium in necessitate baptisavit, nec peccavit mortaliter, nec à petitione debiti privatur d.1. q.2 á num.2.

Baptismi libri testimonium est velut testimonium notarij publici d.1.q.19.n. 3.

Baptismi liber non est testimonium, quo ad parentes in eo designatos d.1.q.61.n. 11.

BENEFICIUM, BENEFICIATUS.

Beneficia Vicariæ unita, & capellaniæ ab ipsis beneficiatis præsentantur d 1.q 17. á num.6

Propter beneficium est officium d. 3. q.33. num.31.

Beneficiarius per plures dies; Canonicas horas non recitans, per Bullam Cruciatæ se componere potest; & quomodo d.4.q.4.a n.4 usque ad finem.

Beneficiarius simplex primis sex mensibus non recitans non tenetur ad restitutionem d.4. q.91 num.5.

Beneficium cum onere Curæ seriei successivæ, Lusitanè *servir por Turno* non est beneficium curatum d.4.q.93.n.3. Ad illud obtinendũ non impeditur 25. annos non habens. Iustè possidet beneficium illud impetrans, qui in ætate mensem unum cum dimidio suppressit. d. 4 q.114 per totam. Si deficerent sex menses, gratia ex Garcia esset nulla ibi n. 5 Ex simili casu gratia non fuit subreptitia, ibi n. 3. Causa

principa-

principalis hujus concessionis fuit impetrantis qualitas, & minus principalis, posse officium recitare, ibi n 8.

Beneficium Parochiale recipiens absque animo recipiendi ordines sacros, sed recipiendi fructus illi anno correspõdentes, & statim dimittendi beneficium, peccat mortaliter, & nõ mutato animo fructus restituere tenetur d. 4. q 115. per totam. In illius defectum, ipse conferens, iniqui animi conscius restituere tenetur. ibi, n. 5. Ad hanc restitutionem sententia judicis non desideratur ibi n. 6. Collatio fuit valida, at animo non mutato, nec valida, nec forma est, ibi n 7.

Beneficium curatum validè recipitur cum animo non residendi, quando animus mutari potest, pro tempore, quo residentia nõ obligat d 1 q 24. n. 6.

Beneficij curati non valet impetratio, si tempore impetrationis, ætas legitima non detur d. 1. q. 32. n 10.

Beneficiatus curatus suspensus ad onera sua Ecclesiæ non tenetur, sed sacerdos ab ordinario cum portione constitutus. Tenetur tamen suspensione sublatâ; & potest se compensare. d. 2. q. 3. per totam.

Beneficia consanguineis, & amicis absque simonia conferri possunt d. 3 q. 63. a num 4.

Beneficiati choro obligati, & Parochi illi nõ obligati, si diebus à Concil concessis absint, portiones Anniversariorum ac si essent præsentes, lucrari non possunt, d. 4 q. 119. per totam.

Beneficium simplex obtinẽs cum ordinibus ab Abbate Benedictino collatis, non est intrusus, habet titulum, nec censuram suspensionis incurrit, à qua absolutionem obtinere debeat. d. 1. q. 13. per totam.

Beneficij litigiosi in supplica ad S. Põtificem non facta mentione, tertio non potest pensio reservari d. 3. q 56. per totam.

Circa beneficij præsentationem conventio est simoniaca d. 3 q. 59. a n. 2. In beneficio provisus, ne à jure acquisito tollatur, vexationem redimere potest pro sua vita promittendo annuam pensionem ibi à n. 4.

Beneficij uniti possessionem capere, prodest, ut beneficium possideatur, & resignans illud amittatur d. 4 q. 96. n. 8. & 10.

Quomodo Beneficiatus in una, eademque Ecclesia duo beneficia simplicia obtinere possit? ab uno pensionem obtinendo d. 4 q 130. per totã. Beneficij post captam possessionem à resignatario. illo mortuo, non impletâ conditione, potest resignans illud ut ante habere absque novis litteris d. 4. q. 109. per totam. Circa Regulam de publicandis beneficijs, vide Apostolicæ litteræ Vide V. Capellania.

In beneficiorum præsentationibus ultimus status attenditur d. 1. q. 17. n. 5. & d. 4. q. 121. n. 3 Beneficium renunciatum sub conditione, quæ purificata non fuit, devolutum manet Sedi Apostolicæ per obitum resignantis d. 4. q. 124. per totam. Equas pœnas incurrat, qui sine litteris beneficium occupat d. 4. q. 125. n. 10.

BIGAMUS.

Bigamus quis dicatur? d. 1. q. 41 nu. 5. Est irregularis, ibi: Est inhabilis ad habendas, & obtinendas pensiones Ecclesiasticas, & beneficia. ibi. Vide Bulla Cruciatæ.

BONA.

Bona, quæ dicũtur vinculata, sunt bona Maioratus, Capellæ, Feudi, Emphyteusis nominationis, & bona Coronæ, reliqua omnia veniunt ad partitionem d. 4 q. 5 n. 2.

Bona alicui relicta absque alia declaratione, sunt partibilia d. 4. q 6. per totam. Omnia non vinculata in hoc Regno inter conjuges communicantur ibi n. 4.

Bona confiscata, quæ in bonis Coronæ non fuerunt incorporata, non dicuntur bona Coronæ d. 4. q. 31. n. 9.

Bona per plures annos possessa, sciente, & patiente eo, qui ea bona prætendere poterat, cum titulo præsumuntur possessa d. 4. q. 90 n. 3

BONA FIDES.

Bonæ fidei detentor rei alienæ, ex edicto sub excommunicatione, illam vero domino restituere tenetur, quando fur contractum rescindere non vult. d 4 q. 76. per totam.

Bona fides non excusat à restitutione illorũ, in quibus aliqui facti sũt ditiores d. 4 q. 84 n. 9. Conditiones, ut locum habeant in cõtractibus debent esse juxta jus commune d. 4 q. 45. n. 5.

BREVE.

Vide lex.

BULLA CÆNÆ.

Bullæ Cænæ excommunicationes ab Episcopo absolvi nequeunt, nisi cum limitatione d. 1. q. 21. n. 9 & seqq.

BVLLA CRUCIATÆ.

Per Bullam non fit compositio circa fructus debitos à non residentibus d. 4. q. 83 nu 15. & 16. Quando tonsores monetarum per Bullam cõponi possint d 4 q. 97. per totam.

Bullæ virtute Hispaniæ non Portugalliæ, concessæ potest absolvi falsificatio litterarum Apostolicarum d. 1. q 21 n 15. Possunt absolvi suspensiones incursæ ab ordinato sine titulo, sine dimissorijs, & cum excommunicatione ibi. num. 17.

Bullæ virtute potest commutari votum peregrinationis Hierosolimitanæ conditionatum & pœnale d. 1. q. 72 n 4.

Virtute Bullæ Portugalliæ concessæ possunt cẽsuræ à jure latæ, etiam pro foro externo & judiciali absolvi, non tamen virtute Bullæ

Hispaniæ concessæ d.3.q 1. per totam. & q. 4. n.15.& q 8.a n.8 usque ad finem §. Non potest tamen dispensari irregularitas interpretativa bigamiæ d.3 q.38.n. 17.& n.18.

Quomodo se potest componere per Bullam beneficiatus horas Canonicas non recitans. Et quomodo cum commissario d.4.q 4. a n. 4. usque ad finem Vide V. Confessio.

C.

CANONICUS.

CAnonicus dispensatus ad non recitandas horas canonicas, si Canonicatum renúntiet, & alterum obtineat, eâdem dispensatione gaudere non potest d.3.q 69.per totam.

Canonici ita submissa voce in choro canentes, ut ab alijs non audiantur, distributiones accipere nequeunt d.4.q 84.n.8.

Canonicus abiens ex licentia, & negotijs Capituli modicæ utilitatis ex consuetudine suos facit fructus d.4.q 91.nu.2. Obligatus ad Residentiam novem mensium, illam non faciens,& condonantibus capitularibus ex consuetudine, ad nihil tenetur, ibi n.3 Priori anno non residens per quindecim dies ex causa concionis faciendæ, & commissione negotiorum non gestorum ad restitutionem non tenetur ibi n.4. Vide Residentiam, & verb.Suffragium. Quo remedio utendus sit Decanus, ut Decanatui Canonicatus adunetur d. 4 q. 125. num.11. & ibi resolutiones, ad hanc materiam

CAPELLA, CAPELLANIA, Capellanus.

In Capellaniæ præsentatione ultima attenditur præsentatio d.1.q 17 n.5. & seqq. Illius conditiones alterari non possunt ibi n 10. & 11.

Capellaniæ potest quis fructus percipere, & interim Missas Capellaniæ per alterum celebrare, si in fundatione non dicatur,quod per se ipsum celebret d 1.q 18 n.5.

Capellam peccant mortaliter non celebrantes in altari a fundatori non designato, etiam si in eadem Ecclesia celebrent d.2. q. 17 à nu. 2.

Cum Capellano potest Episcopus dispensare, ut in alio loco à designato, data justa causa, celebret d.2.q.18.nu. 2. Non est improbabile datâ justâ causa, posse, ea non datâ dispensatione, alio in loco celebrare ibi à n.5.

Capellanus obligatus ad celebrandas Missas, intra annum ordines suscipere tenetur d. 1. q 15.n.3.& 4 Obligatus ad celebrandas missas tali tempore, loco,&c. peccat mortaliter si alio loco,&c. celebret d 2.q.5.n.5.

Capellani quando annis præteritis stipendiũ maius solito pro Missis receperunt, si uno vel altero decrescat, non possunt Missarum numerum minuere d 2 q 7.n.9. Si uno anno duobus cappellanis defuit stipendium,& in sequenti, in quo pro duobus non defecit, defecit tamen unus capellanus, stipendium illius deficientis,nõ potest in compensationem tradi, pro anno ipso ipsis capellanis d.2 q.7.per totam

Capellanus singulis anni diebus obligatus ad celebrandum, si ægrotet, & infirmitas non excedat duos menses, per alios sacerdotes non tenetur supplere eas Missas d 2 q.9 à nu. 16. Secus dicendum, si tantùm certas missas celebrare teneatur, ibi n.15 & 19

Capella dicuntur ab Ordin. & D. Ioanne de Carvalho, & non Maioratus, bona alicui conventui relicta, cum onere Missarum, & aliorũ priorum operum d 2.q.16.à n.11. usque ad 14.

Capellanus,datâ rationabili causâ potest celebrare in alio loco à designato diverio d. 2 q. 18.n. 9. Impeditâ capellâ, in alio loco tenetur celebrare ibi nu. 10. Peccat mortaliter in alia capella à designata celebrans. ibi nu. 12. Tenetur ad celebrationem suarum Missarum necessaria conferre, aliquibus additis limitationibus, ibi à n.14. Quid supra hæc S Cc. Cong. disposuit ibi n.16. Si cogatur solvere expensas pro Missis celebrandis, Missas non potest minuere,ad quas ratione capellaniæ tenetur ibi n.18

Capellanus omittens celebrare Missas in capella designata interdicta, illas potens in loco non interdicto celebrare,ad restitutionem Missarum omissarum tenetur d.2.q.19. per totam.

Probabile est, administratorem Capellaniæ familiæ,& liberæ nominationis, posse ad illam nominare consanguineum clericum ex linea institutricis, & probabilius oppositum d. 2 q. 21.per totam.

Per apprehensionem possessionis bonorum Capellæ liberæ nominationis nullum jus acquisivit consanguineus institutoris, titulo Maioratus d.2.q.22.per totam. Ex eo quòd capella sit vinculata,non arguitur, esse Maioratus ibi. n 4.& seqq. Nec oppositum in Ord. diciditur, ibi n.7.& 8 Capellæ bona cum onere Missarũ per compositionem non possunt dividi inter colitigantes ibi n.16. & 24.

Ad uxorem dominium habentem Capellaniæ, capellanum pertinet præsentare d.2 q 24. n.26 Dos ejus capellæ habentis à jure requisita cedit administratori ibi à n 20.

Data mutatione in augmento, & decremento reddituum Capellaniæ,& numero Missarũ, Capellaniæ est satisfaciendum, & administratori damnum patienti d.2.q.25.per totam. Capellaniæ bona augmẽtata, quando ex industria censeatur facta ibi n.39.& 40.

Executores testamentarij de facultate testatoris disponentes ad arbitrium omnium bonorũ, capellam cum onere Missarum pro anima testatoris instituere possunt,cum aliqua tamen advertentia d.2.q.26.a n 9

In capella quadam,quis succedere debeat heres primi nominati,aut fæmina secũdo nominata, aut illius frater? d.4 q.116 per totã. Quãdo detur Capellæ institutio ibi n.2. Per heredes fundatoris capellæ, illi intelliguntur, qui sunt ex linea fundatoris ibi n.6. Vide V. Administrator Capellaniæ seculares absque simonia pecuniã obti-

obtineri possunt d.3. q.53.n.3. Vide V. Administrator, & V. Maioratus.

CAPITULUM SEDIS VACANTIS.

Capitulum Episcopo succedit in ijs, quæ sunt jurisdictionis d.3.q.40 n.11. & 41. a n. 6. Non tamen in illis, quæ illi jure speciali competunt ibi n. 8. Potest delegare facultatem dispensandi in irregularitate ex homicidio casuali ibi à n. 14

Capitulum potest alium Vicarium Generalem nominare, & præsentem suspectum in causa particulari, suspendere usque ad finitam causam d.4.q. 110.n.7. Capitulum tenetur dare possessionem in quadam Baccalauria collato per judicem Apostolicum, non obstante, quod illi opponit d 4 q 93. per totam.

CARCER.

In domo privata criminosos detinere, ut mox Iudici tradantur, non dicitur Carcer privatus. d 3 q 33 n.17.24.& 25 Carceris metus, est metus gravis d.3.q.37.n.4.

CENSURA.

Censuræ denuntiatio ab Ordinario loci, in quo patratum est delictum, facienda est, ab Ordinario delinquentis d.3.q.2 n.11.

CENSUS.

Ad rationem census dare pecuniam, si census sit personalis, jure naturali, & positivo est prohibitus d.4 q.1.§.2.& 3. Personalis mixtus jure naturali non est prohibitus ibi a n 18. Sub quo intereſſe dictus cõtractus celebrari possit? ibi à n.41.

CERTITUDO MORALIS.

Quando datur? Et illà datà, illà, standum est. d.1.q.61.a n.3.

CESSIO BONORUM.

Cessionem bonorum qui fecit, alimenta, quibus secundum suum statum parcè vivat, occultare potest d.4.q.55.n.11.

CLAUSULA.

Hæc: *Si nominaretur clericus, oblectamentum caperem*, obligat in utroque foro d 2 q. 21. nu. 8. Clausula pænalis, statim, factâ traditione, propriè non dicitur pæna d.4.q 86.n.4

CLAUSURA.

Famula semel egressa causa infirmitatis, non potest iterum recipi recuperata sanitate, etiam ex licentia absoluta ad habentem famulam. Clerici disp.3.q.78.per totam idem de Vxoratis, viduis, & educandis, ibi n.3.

CLERICI.

Clerici in Minoribus habentes pensiones Ecclesiasticas, ubi primum matrimonium de præsenti contrahunt, illas amittunt d.1.q. 41. num.4.

Clericis in sacris non est prohibitum sanitatis gratiâ venam scindere. d.3.q.26.n. 7. contra aliquos, ibi n 8. si clerici, & Monachi mediantur per insciſionem, vel adustionem sufficientissimam diligentiam adhibentes, irregularitatem non incurrunt. ibi n 10.

Clericos posse testari absque solemnitatibus juris civilis, probabile est, at probabilius oppositum d.4.q.62. n. 8. Clericus in jure armato militi æquiparatur d. 4.q 64.n.3 Vide V. Testamentum & V. Sacerdotes.

COMENDÆ.

Comendis merè sæcularibus aliquod onus imponi potest, absque labe simoniæ d.3.q.53.n.4.

COMMISSARIUS CRUCIATÆ

Commissarius Bullæ Cruciatæ non potest dispensare cum incestuosis ad petendum debitum d.1.q 63.n.7. Nec in irregularitate homicidij ex defectu lenitatis d.3.q.33.n.41. Nec in matrimonio contracto cum impedimento d. 1. q. 37.n.26 secus dicendum de Commissario Hispano ibi n.cit.

Potest dispensare in aliquibus irregularitatibus pro utroque foro d.1 q 19. n. 19. Responsio ad Commissarium super dispensationem ab eo concessam, & ab Ordinario non admissam. d.3.q 47 per totam.

COMMUNIO SACRA.

Non communicandi præceptum, nisi octavo die est illicitum d 1.q.4 à num. 2.

Non solùm ad personas vitæ exemplaris, sed etiam ad negotiatores, & conjugatos: ibi n. 6. Iudicium communionis quotidianæ confessarijs relinquitur ibi n. 7. & 13. Communicandi consuetudo die Parasceve extirpanda est, ibi n.11. In pænam alicujus peccati à confessario imponi potest S. Communionis prohibitio. ibi num. 14.

In his Portugalliæ Regnis ex recepta consuetudine, in quacunque Ecclesiâ ex devotione fideles possunt communicare d.1.q. 5 Quare sententia communis docens, etiam ex devotione communionem esse sumendam de licentia Parochi expressa, aut interpretativa, post Decretum S. Cc. Congregat. de mandato Innocentij XI. non habet vim ibi n 7.& 8. Regulares in suis Ecclesijs Eucharistiam accedentibus ad toballiam tenentur ministrare, etiam si die præcedenti eos communicare vidissent ibi. n.9 Puellæ in Recessu degentes absque Bullæ Cruciatæ privilegio, in suis Ecclesijs Eucharistiam sumere possunt ibi n. 8.

Decisio controversiæ inter duos Parochos super communione Parochiana d. 1. q 75. per totam.

COMPENSATIO.

Compensatio ab advocatis non bene fuit consulta in casu de quo aliâ viâ veritas facilè constare poterat, & tale consilium fuit etiam cõtra justitiam d. 1. q. 59. per totum § 2. Ad justam compensationem aliquæ conditiones requiruntur, adducuntur ibi, à n. 13.

Compensatio in bonis donatarij fieri potest, quando donatio ipso jure est revocata, & ad illam dentur licitæ conditiones d.1.q.60.à n. 21. usque ad finem.

Compensatio dari non potest, quando aliâ viâ debitum potest recuperari d.2.q.25.nu 37. & 38

Compensatio à creditore pro suis debitis fieri non potest pro suis debitis, in pecunijs à debitore sibi traditis ante mortem, ad alia debita post mortem solvenda d. 4. q 44. per totam. Non potest quis se compensare in bonis alterius, etiam donatis, ibi n.5 & seqq. De quibus in præsenti casu, creditor non possit facere compensationem ibi à n. 9.

Compensare se potest quis pro pignoribus debitis cum debito pecuniario, quod debet d. 4 q.44.per totam.

Compensare se possunt heredes, fisci debitores pro tantumdem sibi à fisco debito d. 4.q. 47.à n 6 usque ad 10.

Existimant aliqui, posse heredem ex minus solemni testamento post sententiam contrà cũ latam, & hæredem ab intestato peccare mortaliter, petentem sibi hereditatem adjudicari. d.4.q.62.n.7.

Depositarius quantitatem pecuniæ à deposito non potest detrahere; ut damna sibi obventura culpâ sui serventuarij compenset d.4 q. 70. per totam Et quando in depósito fieri possit compensatio ibi.

Qui mandati occasione suas amisit supellectiles, potest se compensare, si à judice eas non potest obtinere d.4 q 78. §. 2. ubi per totum, plura de compensatione adducuntur.

COMPLEX.

Complicis ex dicto contra delatum procedi non potest d.4.q.112.n 2.& 3 Complicis dictum ad torturam est leve indicium; secus si cũ alijs conjugatur ibi n.5 & seqq.

CONCILIUM TRIDENT.

Concilium Trident. donationes ab ingressuris Religionem factas in statu seculari non comprehendit.d.4 q.86.n.3.8 & 9.

CONCURSUS.

Occurrente vacatione Parochialis, aut alterius provisionis, si elapso edicti termino, superveniat aliquis oppositor, re integrâ, data justâ causâ cum alijs admitti debet, secus si justa non detur causa d.4.q.94 per totam.

CONDUCTOR.

Conductores veri, ficti tamen receptores reddituum cujusdam Abbatiæ tenentur ad restitutionem tributi fizæ in oppido incapitatæ d.4 q.37 à n.2. Non tenentur tamen ad tributum decimarum eorum reddituum.ibi, à n. 7. Vide V Locatio.

CONFESSIO CONFESSARIUS.

Inventâ chartâ apud crimonosum ad confessionis præparationem, eam legens prætor, gravissimè peccavit d.1.q. 7. n. 4. Non tenebatur tamen fidem adhibere reo dicenti, eam chartam ad suam confessionem esse præparationem ibi n.2.& 3. Vno ex tribus modis erat examinâda ibi à n.5. & seqq. Compertâ veritate eam chartam esse præparationem ad confessionem, probabilius est, eam notitiam sub sigillo manere, ibi per totum §.3.quamvis aliqui oppositum sentiant.ibi de muto, & per ditteras ad absolvẽdum à reservatis licentiam petente.

Simplices sacerdotes à peccatis venialibus absolvere prohibentur,d.1.q. 4. n 12. Confessarius virtute Bullæ Cruciatæ in irregularitatibus dispensare non potest d.1 q.19 n.21.

Quomodo confessarius se gerere debeat in revalidandis matrimonijs ex dispensationibus à S.Pœnitentiaria, vel à Nuntijs, aut Episcopis obtentis d.1 q. 38. §. 5. per totum. Habens facultatem ab Episcopo ad absolvenda illi reservata, ab excommunicatione ex percussione levi clerici absolvere potest d.3 q 4 n. 15.

Licencia ad confessiones audiendas absque limitatione temporis sine causa revocari non potest d.2.q.33.n.13 Confessarius, & Doctor non sunt irregulares, si dicant, hunc esse morte dignum, juxta leges, & mors sequatur d 3.q 28 num.4.

Vicarius Generalis Ex calceatorum potest nominare confessarios admoniales sui ordinis, contra Decretum S Cc, congreg facta supplica à S. Magistate d.1.q. 74 per totam.

CONFIRMATIO SACRAM.

Non confirmatus ordines sacros validè suscipit nec peccat mortaliter, nec suspensionem, nec irregularitatem incurrit d.1.q.3. per totam.

CONSENSUS.

Consensus præstitus super actum nullum, nullus est.d.4.q 124 n.4.

CONSERVATOR.

Conservatores Regularium in causis civilibus sunt judices Ordinarij, quando Regulares sunt rei d.4.q 26 n.6

CONSILIUM.

Consilium dari in foro conscientiæ licitum est contra sententiam aperte nullum, aliâ non datâ sententiâ, quæ illam nullam declaret d. 4 q. 67.n.9. Vide V. Homicidium.

CONSUETUDO.

Ad cõsuetudinem introducendam non sufficit unus, aut alter actus d 3 q 67.num.6. Consuetudo Parochorum non assistentium officijs de-

defunctorum, & eleemosynæ, ut interessentes accipientes, non est legitima, nec per illam à restitutione liberantur d. 4. q. 84. per totam. Nec etiam introduci potest, ut absentes beneficiati, aut Parochi portiones Anniversariorum lucrentur d. 4 q. 119. num. 3. Ex speciali testatorum dispositione limitari potest. ibi n. 5.

Consuetudo delinquentis mala purgatur vivendo bene, & laudabiliter per triennium d. 4 q. 112. n. 8. Consuetudo habet vim legis. d. 1. q. 75. n. 3.

CONTRACTUS.

Contractus læsio probatur pro eo tempore, quo contractus fuit initus d. 1. q. 32. nu. 9 Qui bonâ fide contractum fuit iniquum, quem si talem cognovisset, alium justum inisset, lucrum retinere poterit, data aliqua limitatione d 2. q 22. à n. 21.

Duo contractus initi inter administratorem Capellaniæ, & Religiosos super redditibus Capellaniæ diminutis fuerunt nulli d. 2. q. 25. n. 3. 15. & 16. Contractus sine scriptura celebratus in conscientia obligat d. 4. q. 3. à num. 8.

Contractus initus de solvendis mensuris frumenti, vini, olei, &c. maiori pretio, quo illo anno valerent est contractus mutui usurarius d. 4. q. 46. n. 2.

Contractus fieri potest de re dubia circa effectum futurum d. 4. q. 48. n. 9. & 10. Si in contractu detur læsio intra dimidiũ justi pretij, in foro cõsciẽtiæ restitutio debetur d. 4 q. 49 n 2

Contractus à minoribus initus circa revocationem testamenti suæ amitæ absque judicis authoritate fuit validus d 4. q. 65 per totum §. 2. Omnes tenentur contractus celebrare juxta leges, & consuetudinem loci, in quo contrahunt d. 4. q. 106. n 2. prope finem.

Contractus de non succedendo, addito juramento, est validus, non obstante Ordin. Reg juramentum in contractibus prohibente d. 4. q 60. num. 9. Vide V. Administrator in fructibus.

CORRECTIO.

Correctio juris, nisi exprimatur, non extenditur d. 4. q 128. n. 2.

CREDITORES.

Creditores occulti in bonis occultis repertis, præferendi non sunt creditoribus publicis privilegiatis d. 4. q 77 per totam. Quando debitor omnibus creditoribus non est solvendo, potest primò petenti solvere debitum, si aliud non obstet ibi à n. 6.

CULPA.

Culpa ubi non est, pœna non est imponenda d. 4. q. 35. n. 2. Pœna culpam supponit; & pœna gravissima culpam gravissimam d. 4. q. 111. n 2.

CUSTODES.

Custodes navium onerariarum non tenentur ad restitutionem eorum, quæ accipiunt ab extrahentibus merces; quamvis mortaliter peccent consensum præstantes d. 4. q. 73. à nu 2. Tenentur tamen primo, & principaliter ad restitutionem damni Regi illati ibi à n. 4. usque ad finem.

D.

DEBITUM DEBITOR.

In debiti dilatione gravi damno non dato, creditor, illud per breves dies differens; mortaliter non peccat d. 4. q. 101. n. 3 Debitor ex contractu, juxta loci consuetudinem, solvere tenetur ibi n. 5. Debitor sperans abundans lucrum, statim, solvere tenetur, datâ gravi necessitate in creditore ibi n. 6. Debitor non potest solutionem differre, quia ex bonis creditoris lucrum sperat. ibi n. 7.

In debitore dato in voluntario mixto, creditor à restitutione non excusatur d. 4 q. 106. num 4.

DECIMÆ.

Regulares eximuntur à solvendis decimis à novalibus proprijs, non alienis, non tamen clerici d. 4. q. 15. per totam. Locatores quorũdam Religiosorum ex monte maiori decimas solvere tenentur, & ex residuo, quartum, aut quintum d 4 q 16 per totam.

Equites Christi, S Iacobi, & Avisis decimas ex fructibus, & animalibus decimas solvere ex proprijs terris tenentur, quas suis sumptibus excolunt d. 4. q. 17 per totam.

Compositio facta ab Abbatibus cum piscatoribus super minorum quota decimarum, ut retia trahant ad oras suarum Parochiarum est nulla, & illicita d. 4. q 18. per totam.

Decimæ ex arboribus cæsis de propria sylva ad domum propriam ædificandam non debentur; debentur tamen quando etiam post plures annos, mutato consilio venduntur d. 4 q. 19 per totam.

Decimæ quorundam novalium succedentium loco aliarum decimarum ad portionem Rectoris pertinentium, non Rectori, sed Religiosis quibus Ecclesia est unita, debentur d. 4. q. 20 per totam. Prælatus Regularis portionũ in fructibus, ex casu contingenti diminutam Rectori compensare non tenetur. Potest tamẽ numerata pecuniâ portionem solvere, consentiente Rectores, & accedente Episcopi consensu d. 4. q 21. per totam.

Locator, & nõ cõductor tenetur decimas solvere, qui fructus, sibi consulens, collegit, quia alij non dabantur, ex quibus pensio sibi debita solveretur d 4. q. 23 per totam.

Provi illatâ circa decimas recurrit Abbas contra Regulares illicitè, & nõ tutâ cõscientiâ ad tribunal Regiæ Coronæ d 4. q. 26. à num 2. Collegiũ Portugallense vim non intulit ipsi Abbati decimas nõ solvendo ex fructibus, quos ex suis terris per suos famulos colit. ibi à n. 8. usque ad finem.

Decimæ nõ ſolutæ tẽpore à jure præſcripto quia defuerũt collectores, ſi occurrente neceſſitate ab agriculis expendantur, nõ pecuniâ, ſed fructibus ejuſdem ſpeciei, & menſuræ debitæ, ſolvendæ ſunt d.4.q.46. per totam.

Decimas fur tenetur reſtituere, quas furatus fuit à conductore illarum, cui poſt annos octo ob hereſim bona fuerunt confiſcata, filium habenti catholicum extra patriam poteſtatem d.4.q.47. per totam.

Decimæ ipſæ furatæ reſtituendæ ſunt eo pretio, quo valebant eo tempore, quo ſunt furatæ, vel juxta loci conſuetudinem d. 4. q. 47. à num. 11.

DECRETUM.

Decretum ſub Urbano VIII. de celebratione Miſſarum à Ss. Cc. Congregat. editum, ubique terrarum obligat d 2.q 25 n 24.

DEFLORATOR FÆMINÆ.

Defloratorfæminæ, ſi parentes renuant eam ei tradere in matrimonium, & facile poteſt illos inducere ad præſtandum aſſenſum, ad id tenetur d.1.q 64 n.6. Et conſenſum non præſtantibus, debet expectare mutationem aliquam in voluntate, & vita parentum ibi a n. 7. Non poteſt ordines ſuſcipere, nec Religionem ingredi. ibi n. 11. Si alium matrimonium contrahat, factus viduus dictam defloratam ducere tenetur ibi n.8.

Defloratorvirginis, quæ præ verecundia conſenſit, à reſtitutione non liberatur d. 4. q. 54 n. 3. Vide V. Dos.

DEFUNCTUS.

Defunctus in dubio magis præſumitur animam ſuam, quam hæredes diligere d.4 q 116. num. 3.

Parochi non aſſiſtentes defunctorum officijs, ad reſtitutionem eleemoſynæ acceptæ tenentur d.4 q.84. per totam, & q 119 etiam per totam. Vide V. Anniverſarium. Vide Papæ.

DELEGATUS.

Delegatus juxta formam mandati judicans, iterum abſque nova commiſſione judicare non poteſt d.1.q.30.num.13. in fine. Epiſcopus, & Capitulum Sede vacante facultatem diſpenſandi in irregularitate a Conc. Trid. cõceſſam, poſſunt delegare d.3.q.41 à num.14.

Delegatus Provincialis cujuſdam Religionis à S. Pontifice conſtitutus ad decidendam cauſam ſimul cum Vicario Diæceſano, commiſſioni non poteſt renuntiare d.4. q. 111. per totam. Si re verâ præſentialiter, ad delegandum tenetur ibi n.3.& 4. Alius in dicto Provinciale poteſt dari ſcrupulus. ibi n. 5. Nec renuntiatio ab eo facta fuit valida ibi n. 6.

DEPOSITARIUS.

Depoſitarius cum pecunijs depoſiti, ſibi acquirendo, negotiare poteſt, aliquibus datis limitationibus d.4.q.70.n.11.& q.104 n 3. & q. 100.num. 3.

Depoſitarius ex depoſito non poteſt pecuniæ quantitatem detrahere, ut damna à ſuo ſerventuario commiſſa compenſet d. 4 q. 70 per totam.

Deponenti, & non depoſitario pertinet incrementum monetarum in ſacculo, ſeu arca clauſarum d.4.q.104 n.2.& 4. Oppoſitum aliqui tenent ibi n.5. Publicata lege incrementi monetarum habens à defuncta dotem, determinato tempore puellæ tradendam, ſeparatam clauſam in arca, eam ſuo tempore cum incremento puellæ tradere tenetur d.4.q 105. num.2.

DICTIO.

Dictiones *attigerit*, & *attigiſſet* habitæ in cap. Licet Canon. & Concil. Trident. ſunt valde diverſæ d.4.q.93.n. 5.

DISPENSATIO.

Diſpenſatio pro quarto gradu conſanguinitatis quando fuit petita pro quarto affinitatis, & ex errore ſcriptoris, aut petentis ſic fuit impetrata, valida fuit d 1 q.20.n.6 & q.23.n.8.

Diſpenſatio pro ſupplemento tredecim mẽſium ad presbyteratum obtenta cùm eſſet petita ad ſubdiaconatum, non obſtante errore, eſt valida d 1. q. 23. per totam. Quando dubitatur de validitate diſpenſationis, valida præſumitur ibi n.9 & q.38.n.9.

Probabile eſt ex rigore juris, non fuiſſe ſubreptitiè diſpenſatum illum, qui de licentia ſuæ uxoris votum caſtitatis emiſit, & ad ordines ſacros cum falſis dimiſſorijs promotus; ſuperque ſuſpenſionibus in curſis à Sede Apoſtolica abſolutus, & diſpenſatus, mentionem non faciens conjugis d.1 q.25. per totam. Quamvis ex conſuetudine ſubreptitia judicanda ſit, ibi num. 6.

Diſpenſationem in forma pauperum prætendere poſſunt duo conjuncti in tertio conſanguinatis gradu, parentes habentes divites, quos cogere non poſſunt ad patrimonium, & dotem conferendam d.1 q 27.per totam.

Diſpenſationem in forma pauperum ſupplicare poſſunt duo Illuſtriſſimæ familiæ ſecundo conſanguinitatis gradu conjuncti, quorum parentes opulentiſſimos habent maioratus, illis tamen nec patrimonium, nec dotem volunt conferre d.1.q.28. per totam.

Diſpenſationem ſupplicare poteſt fæmina, in forma pauperum ad nubendum conſanguineo habens ſingulis annis ex locatione domus quinquaginta aureos, & inmobilibus centum, & quinquaginta, non habens æqualem non conſanguineum, cum aliqua limitatione d. 1. q.29 per totam. Quando conſanguinitas, aut affinitas eſt ex duplici capite in ſupplica eſt manifeſtanda ibi n 14.& q.36. per totam.

Ex diſpenſatione in forma pauperum cum clauſula dotãdæ fœminæ, quæ inſcia per ſcripturam falſam fictè dotata, & matrimonium cum

cum consanguineo celebravit, nulliter illud celebravit d. 1. q 30. à n. 2. usque ad finem.

Dispensatio impetrata in forma pauperum, & cùm talis non esset tempore executionis, adhuc probabile est, matrimonium posse contrahi, probabilius tamen, & tenendum oppositum d. 1. q. 32. per totam. Dispensationis causa quo tempore verificari debeat ibi à n. 15.

Valida est dispensatio, habens pro causa copulam, quæ data non fuit, dabatur tamen illius infamia d. 1. q 33. per totam. In dispensationis supplica copula non consummata declaranda non est; etiam dato, quod fuisset habita spe facilioris dispensationis d. 1. q. 34. per totã.

Expressio falsæ mortis illius cum qua habita fuit copula, non vitiat rescriptum obtentum ad contrahendum cum sorore d. 1. q. 37. per totum §. 1. Probabile est rescriptum a Pœnitentiaria impetratum non esse subreptitium, nullâ factâ mentione de alia dispensatione per Datariam obtentata: probabilius est oppositum ibi per totum § 2. & q. 73. n. 4. & 5. Circunstantiæ requisitæ, ut Nuntius aut Episcopus dispensare possint matrimonium contractum nulliter, explicantur. d. 1 q. 37. § 4. Quomodo se gerere debeat Parochus, aut confessarius in expediendis his, & Pœnitentiariæ dispensationibus ibi per totum § 5

Dispensatio obtenta a crimine adulterij cum promissione ad invicem acceptata, cum fallitate machinationis conjugis mortis, & matrimonij in facie Ecclesiæ celebrati, non est subreptitia d. 1. q 38. per totam.

Dispensatio impetrata cum errore copulæ habitæ cum sorore, cum sit habita cum matre ducendæ, probabilius non est subreptitia d. 1. q 39 per totam.

Dispensatio non est nulla, quando tacetur matrimonium fuisse celebratum cum impedimento ignoranter sine previjs denuntiationibus d. 1. q. 40 per totam.

Dispensatus in voto Castitatis ad uxorem ducendam, quando sine alia dispensatione, mortuâ primâ uxore secundam potest ducere. d. 1. q. 41 à n. 8 Dispensatâ irregularitate ad ordines suscipiendos, vel ad aliquam dignitatem ablatum est impedimentum ad alios ordines, & dignitates ibi n. 11.

Dispensatus ad ducendam consanguineam, si illam ducat, non prius adimpletâ pœnitentiâ quatuor mensium servitij loci pij in rescripto dispensationis positâ, validè contraxit matrimonium, pœnitentiam tamen adimplere tenetur d. 1 q. 42 per totam.

Causæ sufficientes ad dispensandum in voto castitatis absoluto, non tamen solemni, adducuntur d 1. q 44 per totam. Dispensatione obtentâ pro tertio gradu, pro quarto etiam est obtenta d. 1 q. 61. n. 8.

A quibus ad petendum debitum incestuosi dispensari possit tam pro foro externo, quam interno d. 1 q 63. per totam.

Quantum temporis expectandum est, ut matrimonium licitè contrahatur d. 1. q. 64. à num. 7. Vide V. Deflorator virginis.

Dispensatio in uno vinculo, mentione non factâ alterius non est subreptitia d. 1 q. 73. n 3. & 4. & q. 37. per totum §. 2. Vide V. Error Dispensatio concessa Canonino ad non recitâdum si Canonicatum renuntiet, & alium obtineat, dispensatio obtenta uti non potest d. 3. q 69. per totam Vide V. Dos & V. Irregularitas.

DISPOSITIO.

Dispositionis in fine verba posita, à præcedentibus dirimuntur d. 2. q. 21. n. 9.

DOLUS.

Dolus, & fraus nulli patrocinari debent d. 4. q. 122. n. 7.

DOMICILIUM.

Domicilium potest quis invitus mutare d. 1. q. 62. à n. 7. Et quandò illud acquirit in ordine ad contrahendum matrimonium ibi.

DONATIO.

Donatio Ecclesiæ facta, quando, & in quantum per nativitatem filij revocatur d. 1. q 60. á n. 10. Donatio facta à sorore superstite illius, cum qua communi chartâ condidit testamentum, post illarum mortem capellam fore instituendam, fuit valida, & poterit revocari d. 2. q. 15. à n. 2. Quid sit donatio d. 2. q. 33. n. 3.

Donatio facta à professuris pridie diei professionis fuit valida, & facta causâ mortis d. 4. q. 65 § 3. a n. 18. Vide etiam d. 4 q. 86. nu. 3. & 4 Donatio omnium bonorum præsentium & futurorum est nulla d 4. q. 67. n 11. Donatio remuneratoria diminutionem non patitur; quâvis dentur filij legitimi d. 4 q. 81. n. 9.

Fœmina ut ad ingressum Religionis admittatur, aliqua per modum donationis liberæ, absque simonia dare potest d. 4. q. 86 per totam ubi plura de donationibus. Donationes liberæ, & inter vivos factæ intuitu ingressus Religionis non sunt simoniacæ ibi n. 5 & 6. In donationibus Ecclesiæ factis non requiritur insinuatio ibi n. 7. Donationis promissio ad tempus inhabile non refertur ibi, n. 12.

Donatio Religiosi de licentia Prælati facta, & ab eodem ante effectum revocata, non est valida d. 4. q. 88. n. 2. Donatio rei litigiosæ lite pendente est nulla d 4. q. 125. n. 4.

DOS

In dispensatione in forma pauperum aliud est non habere dotem, & aliud illam non habere competentem d 1 q. 29. n 2 Quæ habet dotem aliquo tamen crimine est infamata, non habet dotem competentem, ut nubat æquali non consanguineo ibi n. 9. in fine. Si in dispensatione dicatur, quod vir augeat dotem, tenetur usque ad competentem augere; & quomodo ibi à n. 16. usque ad finem.

Dote

Dote non promissâ juxta S. Pontificis dispositionem, sed fictè per scripturam falsam, matrimonium initum est nullum d. 1. q. 30. à n. 2. Sufficit, quòd alius dotem promittat, & de ea scripturam conficiat ibi.

Dote non solutâ, & maritus ad matrimonium consensum non præstans, uxorem alere nō tenetur d. 1. q. 51 à n 10. Vxor suum maritum dotis sibi promissæ sub conditione heredem nō potest instituere d. 1. q. 59. per totum §. 1.

Fæminam deflorans sub promissione matrimonij; si parentes matrimonio non consentiât, ad dotem illi constituendam tenetur d. 1. q. 64. n. 5. Donata causa dotis, possunt revocari, si donatarius matrimonium non contrahat. d. 2. q. 15 num 5.

Dotem relinquens testator virgini, causam piam respiciens, si virgo præmoriatur, legatū dotis heredi non cedit d. 2. q 24. nu. 14. Mulier soluto matrimonio, suæ dotis dominium acquirit ibi num. 24.

Dos loco alimentorum spuriæ præstita, si ante nuptias decedat, cui debeatur? d. 4. q. 63. n. 7. remissivè. Bona maioratus ad dotem descendentis ab institutore distrahi possunt, si alia bona libera ad dotem juxta suam qualitatem, non dentur d 4. q. 90 n. 3 & 4 Vide V. Dispensatio: Dos non debetur pro defloratione secundum se, præcisâ promissione, sed pro præsumptione ex illa orta d 4. q. 54. n. 6 & 7.

DUBIUM.

In dubijs tutior pars est eligenda, explicatur. In dubijs testatoris, pro sua anima stat præsumptio d. 4. q. 116 n. 3

In dubio impedimenti affinitatis, jure ordinario, non potest Episcopus dispensare d. 1. q. 54. a num. 8.

DUELLUM.

Illi, qui mortuus est in loco distanti à loco duelli, sepultura sacra negari nequit; nec reliqua suffragia, aut cymbalorum signa d. 3. q. 70. per totam.

E

ELEMOSYNA.

ELeemosyna pro Missis capellaniæ à testatore non designatâ, ab Episcopo est designanda d. 2. q 25. n. 41.

Eleemosynæ elargytæ ad unum, vel alterum captivum redimendum, si in neutro non habuerunt effectum, applicandæ sunt ad alium redimendum captivum pauperiorem, vel æquè pauperem ejusdem oppidi d. 4 q. 50 per totam.

Eleemosynas tenues peregrinis, & famulis senibus, & antiquis elargiri potest illustrissima persona cum aliquo creditorum damno d. 4. q. 55. à n 10. Non tamen excessivas, quæ creditorum debita retardent ibi n. 12.

EMPHYTEVSIS.

Ut emphyteusis sub hasta vendita tantundem à domino directo non acquiratur, non sufficit licentia petita, expressè à domino non concessa d. 4. q. 7 à n. 2. Ecclesiæ, & communitates emphyteuses sub hasta venditas, quarum dominium habent directum, sibi tanto pro tanto acquirere possunt ibi a n. 5.

Ecclesia, seu Monasterium juxta Constit. Urbani VIII. potest emphyteuticari rem Ecclesiasticam, quæ jam fuit emphyteuticata, reversa tamen ad mensam Ecclesiæ, seu Monasterij, cum spe utilitatis d. 4. q. 8. à nu. 2. Et probabiliter ex ipso jure antiquo, quanvis oppositum sit probabilius ibi a n. 5.

Probabile est, non incurrisse pœnas alienantium bona Monasterij Prælatum emphyteuticantem de licentia sui generalis fundum jam Monasterio per antecessorem incorporatum, ab emphyteuta venditum, & tanto pro tanto a Monasterio emptum, si id fuit in Monasterij utilitatem d. 4. q. 8. per totam.

In emphyteusi de libera nominatione, nominas gravare potest nominatum, maximè si detur oneris acceptatio d. 4. q. 9. per totam. Gravamen à nominante nominato impositum non super emphyteusim, sed super per personam nominatam manet ibi n. 10. Ad hoc gravamen imponendum, licentia domini directi non requiritur ibi nu. 8. Ad emphyteuticum contractum, probabilius est, scripturam requiri, non tamen ad pacta supervenientia ibi: n. 9 Ab emphyteusi emphyteuta emolumentū acquirere non potest, potest tamen à persona nominata ibi n. 10. & seqq Dictum gravamen mortuo nominato cessat ibi n. 12. in fine.

Emphyteuta nominans ad emphyteusim de familia, seu de pacto, & providentia nominatum non potest gravare, illi aliquod onus imponens d. 4 q 10. per totam, & quæst. 44. n. 6.

Emphyteusis nominatio de pacto, & providentia, titulo dotis facta, revocari potest, si nominata nominanti præmoriatur d. 4. q. 11. per totam.

Emphyteuta tertia vita, ad emphyteusim nominare potest unum ex designatis in investitura, quem maluerit; & dominus directus illi licentiam concedere d. 4 q. 12. num. 2. & 3 Ad emphyteusim de pacto, & providentia filia naturalis nominari non potest ibi a n 4. Nec emphyteuta unum ex suis fratribus eligere, seu nominare ad eam emphyteusim cum onere du cendi suam filiam; quamvis non improbabile videatur, posse. ibi à n. 7.

In emphyteusim à Prælato dari possunt terræ steriles, & incultæ absque juris solemnitatibus d. 4 q 13. per totam.

Ad emphyteusim de libera nominatione nominatus, conditiones à nominante impositas, servare tenetur, ob utilitates ex alijs bonis sibi relictis, acquisitas d. 4. q. 14. a n. 1. usque ad finem §. Ad illam emphyteusim fine domini directi consensu, probabilius subjicere non potest maioratui, potest tamen probabiliter juxta suas

as opiniones ibi à n.7. usque ad finem §. Dictus nepos ex fratre ad eam emphyteusim, quem maluerit, nominare non potest, nec illam vendere; secus dicendum de successoribus, nec dominus directus queri potest ibi a nu. 14 usque ad finem.

Emptio Vide V. Venditio.

EPISCOPUS ORDINARIUS.

Episcopus non confirmatus confirmationem conferre potest. d. 1 q. 3. num 6. Non subdiaconus, nec Diaconus licitè, sed validè hos ordines conferre potest. ibi n. 8.

Episcopus omnino providere debet, ne quis quotidie, aut frequenter à sacra communione repellatur d. 1. q 4. à n 9 Curare debet ne quis in feria sexta Paraseveæ communicet, & consuetudinem in aliquo loco introductam ex terminare ibi n. 10 & 11. Non permittat simplices sacerdotes à peccatis venialibus absolvere. ibi n. 12.

Episcopus quidam fœminis in quodam Recessu degentibus prohibere non potuit, ne in sua Ecclesia sacram reciperent communionem d 1. q. 5. per totam. Potest diebus Dominicis, & festivis pluribus, quam tribus Minores ordines conferre d 1 q. 11. n. 2.

Episcopus probabiliter non tenetur admittere Dimissorias à Vicario Generali ordinis Militentium, ut illius subditus à se vel ab alio ordinetur d. 1. q 12. num. 12. Congruenter tamen illas debet admittere, ut præsentati à Comendatarijs ad suas Ecclesias, ordinentur. ibi num. 14.

Episcopus cum Capellano Misericordiæ in intrestitijs potest dispensare d. 1. q. 15. per totam Potest concedere dimissorias ad Episcopum alterius Regni, non obstante, quod in Brevi dicatur A quocunque Episcopo hujus Regni d. 1. q. 16. per totam. Potest dispensare in aliquibus irregularitatibus occultis ex delicto non deducto ad forum contentiosum d. 1. q 19. nu. 20. Non potest absolvere à casibus in Bullæ Cœnæ contentis, nisi cum limitatione d. 1. q. 21. n. 17. Potest absolvere à suspensionibus incursis ab ordinato sine titulo, sine dimissorijs, & cum excommunicatione, non deductis ad forum contentiosum d. 1. q. 21 n. 18.

Episcopus non potest dispensare in matrimonio inito ex dispensatione in forma pauperum, cum clausula dotandæ fœminæ, quæ inscia dotata fuit per scripturam falsam d. 1. q 30. à n. 6. Quo remedio illi matrimonio occurrendum sit. ibi à n. 12.

Episcopus potest dispensare in matrimonio publicè contracto, aliquibus concurrentibus circunstãtijs d. 1. q. 30. n. 9 & q. 34. n. 6. & q. 37. n 15. Non est improbabile posse Episcopum dispensare post contractum matrimonium, cum impedimento occulto, & utriusque contrahentis malâ fide d. 1. q. 35. per totam.

Episcopum posse dispensare matrimonium invalidè contractum, præsente Nuntio, quatuor concurrentibus circunstantijs, probabile est, probabilius oppositum d. 1. q. 37. per totum §. 4. Dictæ circunstantiæ explicantur ibi.

Episcopus in casu urgenti, potest dispensare præsente Nuntio, in voto castitatis absoluto d. 1. q. 44. à n. 13. usque ad finem.

Episcopus non potest irritare, dispensare, nec commutare votum Religionis, aut castitatis ab impuberibus emissum, etiam patribus deficientibus d. 1. q. 45. a n. 9.

Ordinarius Portugallensis Diœcesano Conimbricensi incarcerato, & ad mortem damnato dare potest licentiam, ut matrimonium validè contrahat coram Parocho incarceratorum, & in denuntiationibus dispensare d. 1. q. 62. per totam.

Episcopi pro foro interno possunt cum incestuosis dispensare in pœna privationis debiti, & quomodo pro foro externo d. 1. q. 63 n. 5. 6. & 14.

Episcopi authoritas non requiritur, quando testatoris dispositio meliori modo, quo potest adimpletur d. 2. q. 7. a n. 15.

Episcopus justa de causa dispensare potest cum capellano, ut in alia Ecclesia à fundatore designata celebret d. 2 q. 17. n. 2. & 3 Onera capellis Missarum annexa, quando in alia converti debent, non authoritate Episcopi, sed S. Pontificis debent converti d. 2. q. 24. à num. 17. usque ad 19.

Episcopus ante, nec post Concil. Trid. facultatem non habuit, nec habet moderandi Missas in limine fundationis positas d. 2. q. 25. num. 8.

Episcopus non potest legatum viduis honestis relictum mutare, ut consanguineis testatoris detur, nec S Pontifex d 2. q. 28 à n 8. usque ad finem. Nec potest mutare legatum inæquale, aut melius contra aliquos d. 2. q. 28 à n. 12.

Episcopus quando est suspectus, aut jurisdictione suspensus, etiam illius vicarius censetur suspectus, & suspensus d. 3 q 2 n. 8 & 9.

Episcopus potest absolvere pueros in Minoribus inter se rixantes, & se percutientes d. 3. q. 4. n. 11. Et ab excommunicatione ex percussione levi ibi n. 11

Episcopus ordines conferre non tenetur, nisi beneficiatis, & in dignitate Ecclesiasticâ constitutis d. 3. q. 8. n. 2. Tenetur stare pro absolutionibus, & dispensationibus ab alijs Prælatis concessis d. 3. q 8. n. 23. & 24.

Episcopus potest dispensare in irregularitate orta exhomicidio casuali, satisfactâ parte finito judicio, & reo punito; etiam si à S. Fontifice petita sit dispensatio d. 3. q. 24. per totam. Non tamen exilio non absoluto d. 3. q. 25. per totam.

Episcopum posse dispensare, ex authoritate DD. irregularitatem homicidij ex defectu limitatis, videtur probabile d. 3. q. 33. n. 39. Oppositum tamen est tenendum ibi n. 40.

Episcopus

Episcopus ad minores ordines potest admittere irregulares ex defectu natalium, non tamen irregulares ex defectu corporis d.3. q. 34. n.9. Ordinarij judicium est veluti sententia, quæ transit in rem judicatam ibi n.4. Ad Ordinarium pertinet judicare, an detur, vel non detur irregularitas in defectu corporis ibi n. 3. & q.36.n.7.

Episcopus probabiliter potest dispensare, & probabilius non potest in irregularitate Bigamiæ contracta ab eo, qui corruptam duxit ignoranter, & etiam ignoranter illam cognovit post adulterium ab ea commissum d.3.q. 38. à n.11.usque ad finem.

Ab Episcopo dispensari potest irregularitas dantis consilium ad homicidium, deducta ad forum contentiosum, & ibi non probata, post latam sententiam contra homicidam d.3.q.41. per totũ §. 1. Facultatem sibi Episcopo à Trident concessam, ad dispensandum in dicta irregularitate homicidij potest delegare ibi à num. 14.

Episcopus potest dispensare in irregularitate orta ex abortu casuali, nulla facta mentione de alia dispensatione à S. Pontifice obtenta, circa abortum voluntarium d.3.q 46.n. 12.

Episcopi simoniam non committunt, si juxta suas facultates Bullam concedant, eleemosynas applicando alicui operi pio d.3.q.62. n.8. Si dispensent in votis, juramentis, & labore dierum festivorum pro eleemosyna, illam operi pio applicando, simoniam non committunt ibi num. 9.

Episcopis servientes simoniam non committunt, eâ spe, ut beneficia vacantia sibi conferantur d.3 q 63.n.3.

Vacante Sede Apostolica Episcopi beneficia, quorum præsentationes pertinent ad patronos, providere non possunt d.4.q 122.à n.6.

EQUITES CHRISTI, &c.

Equites Christi, S. Iacobi & Avisis tenentur ad decimas ex terris & animalibus, quæ in illis nutriuntur, etiam si proprijs sumptibus illas excolant d.4 q.17.per totam.

EREMITA.

Eremita solutâ parte eleemosynarum cum Parocho conventâ, aliam partem sibi retinere potest, vel alijs donare d.4 q 36.n.2.

ERROR.

Error quando non est commissus à petente dispensationem, sed à bancarijs, in advertentiâ, vel à scriba Romano, tenet dispensatio d. 1.q 23.n 7.& q.38.n.7 & q 40.n 7.& d.2.q.11. n.5.& q.13.n.3.

Error personæ, aut Diœcesis non vitiat gratiam d.2.q.11 à n.3.usque ad finem.

Error excludit consensum, qui errat, non consentit, nec censetur consentire, nec concedere d. 2. q.20.n. 18.

Error circa causam finalem, & non impulsivam vitiat gratiam d.3.q. 72.

EUNUCHUS.

Eunuchus à nativitate non est irregularis in utroque foro d.3.q.72 per totam.

EXCOMMUNICATIO.

Excommunicatio ab Episcopo lata, in loco exempto commissa delinquentes non comprehendit d.1.q.8 n.5. At oppositum est probabilius ibi n.6. Si ignoretur, excommunicationem alicui delicto reservato esse impositam, delictum non manet reservatum ibi q.9 num. 5. & 7.

Excommunicato facta collatio beneficij, excommunicationem ignoranti, est valida d.1 q.13.n.8. Duas habens excommunicationes; ab una absolvi potest, quin ab alia absolvatur d. 1. q.37.n.9.

Excommunicatione Papalli innodatus, impeditus adire Romam non tenetur mittere procuratorem, nec Epistolam pro absolutione ibi num.25.

Vir nobilis consternens Episcopum sylvis incumbere, & ab excitato equo in discompositionem inferendo, probabilius excommunicationem cap. Si quis incurrit, at probabiliter non incurrit, & nullo modo illam, quæ in can. 11.Bullæ Cœnæ fertur d.3 q 2 n.4.

Percussor clerici, ut sit vitandus, requirit judicis sententiam d.3.q. 3. per totam. Sufficit quod lata sit sententia contra percussorem à judice seculari punitum ibi à n.5.

Dubitans de aliquo, an incurrerit excommunicationem, vel certus de excommunicatione, dubitat tamen, an sit denuntiatus, illum vitare non tenetur d.3.q 2.n.4.

Probabile est, percutientem clericum in minoribus, requisita à Trident. non habentem, non incurrisse excommunicationem; at probabilius oppositum disp.3.quæst.4 per totam. Excommunicatio non incurritur propter peccatum internum, sed propter externum. ibi numer. 7. Ex circunstantijs colligitur, quando percussio sit gravis, aut levis ibi num. 8 Quæ percussio dicatur gravis, levis, aut enormis ibi n.14.

Advocatus ex vi monitorij, præmissâ correctione fraternâ, tenetur, manifestare, suum clientem habere testamentum, quod illi sub secreto naturali, & juramento manifestavit, ex quo justitiâ partis dependet d.3 q.5 per totam.

Ad excommunicationis validam declarationem, jurisdictio requiritur, & quòd præcedat delicti sententia declaratoria d.3 q. 6. per totâ. Excommunicatio per gravamen ad Regium tribunal non suspenditur d.3 q 7.n. 4.

Excommunicatio in dubijs non incurritur. d.3.q.31.a n.10. Excommunicatus non est, nec irregu-

r regularis, qui talem se existimat ibi n. 14. & 15. Intendens percutere Petrum clericum, si alium percutiat, excommunicationem non incurrit d.3.q.40. n.3.

Excommunicatus non denuntiatus loco sacro sepeliri potest, non tamen, si moriatur loco duelli d 3.q 70.n.5. & 6. Verba excommunicatio sive justa sive injusta timenda est. Quomodo sint intelligēda, explicatur d.3.q.77. n.9.

EXPOSITI.

Parentes divites non tenentur expensas pro filijs hospitali expositis solvere juxta probabiliorem sententiam d. 4.q.53.n.3.

Expositi ad minimum præsumuntur naturales d.4.q.59.n.26.in fine.

F.

FALSARIUS.

FAlsarius non dicitur, corrigens litteras Apostolicas juxta mentem Pontificis d.1. q.20.num. 5.

FAMA.

Fama quando datur, & talis dicitur? d.1.q. 61. num 10. Fama bona originis antiquæ circa puritatem sanguinis est sufficiens probatio d. 4.q. 113.n.5. Vide V. infamia.

FIAT.

Renovatio *fiat* actui novam non conferre formam d.4.q.124.n.5.

FIDEICOMMISSUM.

In fideicommissis verbum *Peto, Rogo*, &c. obligationem inducit d.4. q. 67. a n. 3. Fideicommissum, & maioratus in eo conveniunt, quòd in ijs, successoribus onera imponi possint. ibi à num.7.

FIDEIUSSOR.

Fideijussor pro periculo, cui se exponit, aliquid potest accipi d 4.q.1.n.6. Uxor, & filia heres fideijussoris indemnitatis seu principalis in venditione cujusdam prædij nulla, coram judice primò à creditore convenire non debent, uxor quoad omnia bona sua; nec etiam si consensum ad fideijussionem præstitisset; & filia quoad bona immobilia. Et creditor illam conveniens coram judice, tutus non procedit in conscientia d.4.q.31.per totam.

FILIUS, FILIA.

Filia contra voluntatem patris inæquali nubēs à patre ex legitima a matre defuncta jam acquisita exheredari non potest, nec è maioratu per patrem, matrem, & patruum instituto; nec clausula a matre in testamento à se condito, illam exheredabat d.1.q 48.per totam.

Filij nati ex patre, & filia matrimonio bonâ fide conjunctis, legitimi censendi sunt, quoad hereditatē, Ordines, &c. d.1.q.49. a n. 4. Quando filius teneatur adimplendum votum, quod pater emisit de ducenda tali fœmina? d. 1.q.53 a num.10.

Filij, aut filiæ partus ante septimum mensem non est perfectus d.1.q.61 n.5. Filius, aut filia à marito, & uxore habitus, aut legitimus, fortis illi assistit præsumptio, quæ nec juramento eliditur ibi num.9.

Filius natus ex parentibus conjugatis, simul & Religiosis professis, legitimus dicitur d. 1.q. 62.per totum §.1 Et in illorum bonis succedere debet ibi a n.5.

Filius familias circa bona adventitia potest inire contractus emptionis, & venditionis, quādo usus fructus ad patrem non pertinet d. 4. q. 34.n.3. Et potest de illis sine consensu patris disponere; ibi n.4. Et de illis potest testari ibi. n 6 Filij minores in foro conscientiæ obligantur stare contractibus absque tutorum, & judicis authoritate à se initis ibi n 5. Non prohibentur emere creditò frumentum, oleum, &c. nova mutuò recipere ibi a n.7. usque ad finem Filij hæreticorum à legitima parentum excluduntur. d.4.q.47.n.5.

Filius certo cognoscens, se ex adulterio natum, hereditatem filijs legitimis relinquere tenetur d.4 q.58.n.3 Non tamen si sciat ex dicto matris tantùm ibi a n.4. usque ad finem.

Filius spurius est incapax ad succedendum patri, non tamen matri ex testamento. & ab intestato d.4.q.59.a n.4. Filius matri, & vitrico serviens, alijs non servientibus fratribus, restituere non tenetur ea, quæ extraneo ita servienti dari debebantur d.4.q.85. per totam. Etiam in casu, quo dicti fratres non servirent ipsi Patri, patri poterat capere ibi n.6. Filius non emancipatus non est sub potestate matris, nec vitrici ibi n. 2.

Filius, cui concessum est paternam hereditatem repudiare, ei iterum potest se immiscere d.4.q.107.n.4. Filius Religiosus non tenetur à S. Pontifice licentiam procurare, quam à suis Prælatis obtinere non potest, ut suæ matri gravi necessitate oppressæ subveniat d.4.q. 108 per totam.

FÆMINA.

Fœminæ sunt variæ, & mutabiles d.1. q. 60. n. 16. Fœminam defloratam sub promissione matrimonij tenetur deflorator ducere, etiam si parentes repugnent d. 1.q.64 per totam.

Fœmina ab uno defforata, si ab eo nullam infamiam passa fuit, & ab alio cognita non semel, infamiam sit passa, & à judice illi dote adjudicatà, præstito juramento falso circa defforationem, ad dotis obtentæ, & expensarum litis non tenetur ad restitutionem d.4.q.54. per totam.

Fœmina nobilissima, nullos habens filios legitimos, filium spurium in summo secreto habitum, in testamento omnium suorum bonorum heredem instituere potest d. 4. q. 59. per totam Fundamenta oppositæ sententiæ afferuntur, & dissolvuntur ibi a n.16.

FORUM.
Forum internum ab externo non differt, si hoc falsâ non nitatur præsumptione d 4 q.44. n.4 & 46.n.2.In foro conscientiæ sola rei veritas attenditur;& non juris præsumptio d.14. q. 58. num 2.

FURTUM VIDE V. LATRO.

G

GABELLA.
IN habellis localis, probabile est, posse creditorem Regis se compensare, si aliâ viâ nō potest suum debitum obtinere d.4 q.37.nu. 4. Etiam probabile est, non teneri defraudantem gabellas ad restitutionem, si lex illas imponens sit pœnalis,vel ipsæ à gabellario nòn petantur. ibi à n.5.Gabellæ Ecclesiasticis impositæ tempore belli pro defensione Regni , in conscientia debentur ibi n. 8.

Quando gabellas defraudantes ad restitutionem teneantur d 4 q.73.n. 6. usque ad finem Libratores domus Basilicæ , vulgo *Alfandega* tenentur ad restitutionem, ut principales damni Regi illati ob pondus plus justi favorabilis d.4 q 74. per totam.

GRATIA.
Gratia, ut sit valida,sufficit, quòd ille,cui fit,sit habilis tempore datæ , seu concessionis d. 1 q. 14.n.6 Gratiam,& dispensationem, quando S. Pontifex dispensat, conferre intendit d.1 q. 16 num 3.

Gratiam reddit subreptitiam expressio falsitatis,& suppressio veritatis, ob quam S. Pontifex illam non erat concessurus , vel illam maiori cum difficultate concederet d.4 q. 114. n. 2. juncto n.9. Gratia tunc censetur subreptitia, quando in supplica tacetur , vel falsò exprimitur qualitas , quæ secundum jus , aut stylum Curiæ exprimi debebat ibi n. 6. Gratia non est subreptitia, quando in aliqua supplica aliquis excessus modicæ considerationis , & parum à veritate distans proponitur ibi n.7.

H.

HÆRES HÆREDITAS
HÆredem non potuit instituere uxor suum maritum suæ dotis conditionatæ d. 1.q 59.a n.2. pe- totum §.1 Hæres;& successores,habitâ capacitate hæreditatis , Missæ elleemosynam augere tenentur , quando designata à principio tenuis reddita est d.2.q. 5. per totā.

Hæres non potest dispensare cum Capellano,ut in alio loco à designato celebret d.2.q.17 n.4 Hæres non tenetur stipendium Missarum in operibus pijs expendere , quando liberaliter à celebrantibus condonatur d.2.q.24. num.11. Hæres capellam construens ad formam testatoris, ad quam reliquit mille aureos : centum, quæ remanserant in alijs operibus pijs expendere potest ibi à n. 12. & 13. Quando lucrum ex pecunia data ad rationem centus, & modius tritici ex venditione à retro habitus pertineant ad hæredem,aus legatarios d.2.q.30 per totam

Hæreditatem Monialis adire nō potest Abbatissa,quæ cum parente illius inijt contractū, supra ipsam hæreditatem, & Monialis in vita patris per professionem alium ingressa est conventum d.4 q 48.per totam. Hæres personam defuncti repræsentat ibi n 6.

Hæreditatem mater non potuit renuntiare filiæ morti proximæ in ipso actu testandi in favorem alterius filiæ, & in præjudicium filij absque juramento d 4 q.60 per totam. Mater instituendo conjunctim filias heredes in sua tertia,in una deficiente conditione, filiorum substitutio non habet locum d.4 q.133 per totam.

HOMICIDIUM.
Probabile est non incurrisse irregularitatem illum, qui dubitat, an suo consilio homicidium injustum fuisse commissum d.3.q.30 a n 7. Post patratum homicidium , non peccat homicida, pecuniam promissam accipiens d.4. q.75. num 5.

HORÆ CANONICÆ.
Pro horarum Canonicarum omissione , quotam partem Parochus beneficiarius restituere teneatur; & quotam Parochus stipendiarius?d. 4 q.86.n. 13 Horas Canonicas omittens Parochus beneficiarius, potest fructus omissa sibi applicare,ut pauperi,si verè pauper est d. 4. q. 86.a n.16.

HOSPITALE.
Hospitale Omnium Sanctorum privilegium habens à Clemente VIII. quomodo privilegium intelligatur d 2 q.8.a n.13. Pecunia inventa apud defunctum conjugatum filios habentem in hospitali defunctum , ad hospitale non pertinet d 4 q 53 per totam.

I.

IEIUNIUM.
Jejunij votum in pane:& aqua emittens , si hac formâ jejunare d 2.q.19.n.4 Qui jejunare non potest,nisi vescendo carnibus , etiam si habeat Bullam, ad jejunium non tenetur ibi.

IGNORANTIA.
Ignorantia juris non excusat , nisi adjunctam habeat ignorantia facti d 1.q.3 num. 3. in fine. Ignorantia contra ipsum jus non præsumitur. d.1.q 63.n.4. Ignorantia nō excusat in ijs , quæ ad proprium officium pertinet d 2 q 3. nu. 10. & 11. Ignorantia privilegij ad absolvendum à reservatis non obstat,si confessarius , aut pœnitens privilegium habet d 3.q.8 n 18.

Ignorantia ab inadvertētia, & oblivione non differt. d. 3.q 40.n 6 in fine. Ignorantia ex juramento probatur d.3.q.43 n 11. Ex ignorātia impedito,

impedito, non currit tempus d.3.q.52. num 7. Prælatus pænas unius Brevis ignorans, illas nō incurrit d 4.q.123 n.7. Ignorantia incursus legis, ab illius pænis excusat; & pro foro externo juramento probari potest d.4 q.126 n. 8.

INCESTUS.

Incestuosi pænam petitionis debiti ignorantes illam non incurrunt d.1.q.63. Pæna petitionis debiti â quibus dispensari potest, tam pro foro externo, quam interno ibi per totam q.

INFAMIA.

Cautans infamiam fœminæ bonæ famæ, quæ consensit spe, dotem, aut matrimonium consequendi, ad ea tenetur d.4 q.54. num.4. Vide Verb.Dos, & V. Fama.

INHABILITAS.

Inhabilitas attenditur pro tempore concessionis d. 1.q 14 num.2.

INTERDICTUM.

In interdicto locali generali, & locali spiciali, quæ licent d.3 q.10.nu. 2 Interdictum latum pro tribus Parochijs unius civitatis, juxta probabiliorem sententiam est locale generale ibi. Probabile tamen est, esse speciale locale ibi n. 5. & seqq. Interdicti localis generalis tempore, Bullam habentes, tenentur probabilius Missam diebus festis audire ibi n 8. & 12. Interdicti loci spicialis tempore, virtute Bullæ Lusitaniæ concessiæ, potest audiri Missa in oratorijs privatis, & Ecclesijs non tamen virtute Bullæ Hispaniæ concessiæ ibi n 9 & seqq.

Interdicti localis generalis tempore, possunt Moniales S. Benedicti Ordinario subjectæ in suis Ecclesijs divina dicere officia, submissâ voce, januis clausis, non pulsatis campanis, exclusis excommunicatis, ac facere Missas celebrare per sacerdotes seculares, seu Regulares d. 3. q 11. per totam §. 1. Possuntque celebrare facere solemniter Missas, & divina officia diebus S. Benedicti, S. Gregorij Papæ, & aliorum sanctorum ejusdem ordinis, & in festis Conceptionis, Visitationis, ac Nativitatis B Virginis, in nativitate Ioannis Baptistæ d 3.q.11 n.5.& seqq. Iisdem privilegijs pro eo tempore gaudent puellæ causâ educationis in eo Monasterio degentes, & earum famulæ, procuratores, & operarij ibi à n. 8. Possunt eædem Moniales tempore interdicti loci specialis ea omnia, quæ possunt tempore interdicti loci generalis ibi à n. 8. Et idem possunt tempore Cessationis à divinis ibi a n.13 usque ad finem. Vide V. Regulares.

Interdicti tempore Novena S. Francisci Xaverij cum sua omni solita solemnitate licet, ut fit in Collegio Portugallensi d. 3. q. 14. per totam, & suos §§. plura ad explanationem interdicti comprehendentes.

Interdicti tempore sacerdos privilegiatus non potest sibi assumere ministrum non privilegiatum, habens privilegiatum, vel suum famulum, eum de more comitantem d.3. q. 15. per totam.

In oratorijs privatis tempore interdicti loci generalis, probabile est posse celebrari Missas & probabilius non posse d.3 q. 16 per totam.

Ipsius interdicti tempore, & Cessionis à divinis, licitum est, à musicis cantari post concionem aliquos versiculos *Psalm. miserere mei* quando imago patientis Christi populo exhibetur, quamvis ipsi musici sint sacerdotes d. 3 q.17.

Interdicti tempore, aut cessationis a divinis potest à laico recipi Extrema Unctio, aliud non potente recipere Sacramentum d. 3. q. 19 per totam.

Laici tempore Cessationis purè à divinis loco sacro sepelliri possunt d.3.q. 21. per totam. Et etiam audire Missam ibi n.8

Interdictum ab ingressu Ecclesiæ latum in civitatem, omnes non comprehendit cives. Et quid per hoc interdictum censeatur prohibitū d.3.q.20.per totam.

INFIRMITAS.

Infirmitas, quæ dicatur longa d 4.q.127.n.17. Et quæ computari debeat ibi.

INVENTARIUM.

Inventario quæ mater subnegavit, non tenetur pænam illi impositam ante sententiam restituere d. 4 q. 52. per totam. Non potest se compensare pro victu, &c. sine protestatione ibi n.3.

IRREGULARITAS.

Irregularitas ex defectu ætatis proveniens, per legitimam tollitur ætatem advenientem d.1.q. 19 n 12 Qui malâ fide ante legitimam ætatem Diaconatum, & Præsbyteratum suscepit, adepta ætate bonâ fide Missam, & alia divina celebrans, irregularitatem non incurrit ibi a n. 13. Irregularitatem ex delicto non incurrit illam ignorans etiam si sit ex homicidio injusta ibi à num. 15.

Irregularitas duplex ex duplici oritur homicidio d.1.q.36.n.4. Duas habens irregularitates, ab una dispensari potest, quin ab altera dispensetur d.1.q.37.n.9. Celebrans post censuræ absolutionem, irregularitatem non incurrit d. 3 q.8.n 21. Irregularitas ex delicto proveniens absque peccato mortali non incurritur ibi n.22 d.q.33.n.16.

Irregularis non est in utroque foro eunuchus à nativitate d.3. q. 22. per totam. Irregularitas ex homicidio casuali orta, finito judicio, satisfactâ parte, & punito reo, ab Episcopo potest dispensari d.3.q.23. per totam. Etiam in casu,

quo dispensatio à S. Pontifice fuisset petita, & non negata, quia prius se informare volebat d. 3. q. 24. per totam. Non tamen potest Episcopus in casu, quo exilium non sit absolutum. ibi q. 25. per totam. Irregularitas non incurritur, nisi in jure expressa inveniatur d. 3. q. 26. num. 2. & q. 30. n. 3.

Irregularitatem non incurrunt laici chirurgiam, aut medicinam secundum regulas artis exercentes, si aliquod membrum sanitatis gratiâ abscindant, aut adurant, etiam morte secutâ disp. 3. quæst. 26. a numer. 3. Nec etiam irregularitem incurrunt clerici, aut Monachi, si medeantur per incisionem, & adustionem sufficientissimam diligentiam adhibentes, etiam secutâ morte ibi num. 7. & 10. Clerici, & Religiosi si artem medicinæ, & chirurgiæ sine incisione, & adustione exerceant, non sunt irregulares secutâ morte disp. 3. q. 27. à num. 2.

Irregularis non est famulus rationes ab advocato dictatas, & illi placita DD. in libris ostendens, secutâ morte d. 3. q. 28. per totam. Irregularitas ex defectu lenitatis à solis justitiæ ministris incurritur ibi nu. 3. Hi designantur, ibi n. 5.

Irregularis non est, lapide percutiens, si percussus ex sua intemperantia moriatur d. 3. q. 29 per totam. Si quis percutiat clericum, dubitans esse clericum, irregularitatem non incurrit d. 3. q. 31. numer 12. in fine. Irregularis non est existimans, se esse irregularem, quia ignorantiâ invencibili commisit delictum, cui imposita erat irregularitas d. 3. q. 31. numer. 14. & 15.

Parochus hominem occidens, probabiliter existimans, se ab illo esse interficiendum, non potest in utroque foro suum munus Parochiale exercere, sententiâ non habitâ declaratoriâ, de sua justa defensione d. 3. q. 32 per totam. Quæ autem onera suæ vicariæ obire possit, dum non declaratur irregularis, aut ab illa immunis. ibi per totum §. 2.

Abbas cujusdam Parochialis cum alijs hominibus, quadam domo criminosos detinens, illosque tradens justitiæ ministris, *dicens inter eos esse* homicidam, factâ protestatione, & secutâ morte, justa communem opinionem, videtur esse irregularem disp. 3. quæst. 33. à num. 2. Probabilius tamen est non esse irregularem ibi a num. 15. Iuxta primam sententiam, morte secutâ non manet suo beneficio privatus ibi num. 28. Tenetur tamen juxta eam sententiam, dispensationem quærere ibi a num. 29. Fructus sui beneficij percipere potest ibi numer. 32. Nec ab alio suum beneficium impetrari potest, nec Patronus alium præsentare ibi à num. 33. Quomodo se gerere debeat in suo Parochiali munere ibi numer. 42.

Non est irregularis habens plantas pedis distortas; & admissus ab Ordinario ad Ordines suscipiendos minores, à maioribus ob eum defectum non potest demitti d. 3. q. 34. per totam. Dispensatio habentis oculum sinistrum erutũ, dicentis in supplica, se carere visu ejusdem oculi, est valida d. 3. q. 35. per totam. Non est irregularis, cui deest index digitus d. 3. q. 36. per totam.

Irregularitatem probabiliter non incurrit, & probabilius illam incurrit, comitans ex præcepto, & metu judicem ad capiendum delinquentem, morte delinquentis secutâ d. 3. q. 37. per totam. Ignoranter fœminam ducens corruptam, & stante matrimonio, post adulterium ab ipsa commissum, illo ignorato, eam cognoscentis, probabile est, irregularitatem non incurrisse, at probabilius est oppositum d. 3. q. 38 per totam. In ea irregularitate probabile est, posse Episcopum dispensare, & probabilius non posse ibi a num. 10.

Irregularitatem homicidij casualis non fuisse incuriam, probatum fuit à prima, & secunda instantia, & ab omni pœna absolutũ quemdam. At Episcopus illi negans absolutionem, concedente illam sine facultate commissario, tandem ex consilio A. illam concessit d. 3. q. 39. per totam.

Projiciens lapidem ad terrendum pullum gallinaceum, & invitus occidens sacerdotem, casu transeuntem, non incurrit excommunicationem, nec sacrilegium; at pro foro externo dispensatione irregularitatis indiget ab Episcopo d. 3. q. 40. per totam.

Irregularitas commissa à dante consilium ad homicidium, cùm sit occultum consilium, ab Episcopo dispensari potest, non obstante, quod lata sit sententia contra homicidium patrantem d. 3. q. 41. per totam.

Irregularis non est sacerdos, qui ex inopinato casu, se communicare manu dextera, nec alium sumere potest d. 3. q. 42. per totam. Sacerdos ex defectu corporis factus irregularis, alijs sacerdotis officijs fungi potest ibi n. 2. & 10 In dubijs juris non censetur quis irregularis ibi n. 7. Quando defectus inculpabiliter evenit, non datur irregulatas ibi n. 9.

Irregularitatem non incurrit hominem occidens in sui, suæque sororis, ac parentum honoris defensionem, nullo alio eo tempore ad eum finem occurrente remedio d. 3. q. 43. per totum §. 1. Irregularitatem non incurrit ille, qui ratione ætatis ignorabat, impositam esse irregularitatem, homicidium committenti ibi à num. 9. usque ad finem.

Irregularitatem non incurrit occidens injustum aggressorem, ac contumeliosum, factâ prius ab eo admonitione ipsi aggressori, ut eum desineret d. 3. q. 44. per totam.

Irregularis non est ad raciocinia privatorum obligatus, sed obligatus ad publica authoritate judicis disput. 3 quæst. 45. per tõtam.

Probabile est validam fuisse dispensationem irre-

irregularitatis abortus casualis, mentione non factâ in supplica, de alia dispensatione ab eodem obtenta, in irregularitate abortus voluntarij d.3.q.46.per totam. Irregularis est ab officio Parochi suspensus, si illius munus exerceat d.3.q.48.à num.10.

IUDEX.

Iudex collationem conferre tenetur impetranti litteras Apostolicas, qui vera narravit, non obstante clausula in litteris habita d.3.q.72.per totam. Quando judici pars suspiciones imponit, doctrina generalis est, quód eligant arbitros, sed hæc doctrina tribus limitatur casibus d.3.q.75.num.5.

A Iudice acquisita pro sententia injusta non restituuntur,sed acquisita pro justa d.4. q. 75. num. 6.

Referuntur DD. impugnantes recursum ad Iudices Regiæ coronæ & pro illo pugnantes, & quod A. videtur consentaneum d. 3. q. 7.§.2. per totam. Iudices Regiæ Coronæ jurisdictionaliter non possunt cogere Iudices Ecclesiasticos, ut censuras tollant, aut excommunicatos absolvant ibi per totum § 3.

Iudicis sententia, & judicio medicorum standum est, quando mors censeatur provenisse ex percussione, aut intemperantia percussi. d.3.q.29 n. 2. Iudicis cujusdam sententia nec materialiter fuit, præstito in causa juramento falso d.4.q.54.n 8.

Iudex sciens ex sua privata sententia reum esse innocentem, eum non potest condemnare, quamvis secundum allegata, & probata nocens appareat d.4.q 61.n.12.

Iudex partitionum non potuit proprietatem in tertiam à testatrice assumptam in duas partiri partes d. 4.q. 66. per totam. Omnis judex de quo appellari potest, recusari potest d. 4. q. 110.n.3 Iudex sententiam non profert contra Forale d 4.q.122.n 2.

IURAMENTUM.

Iuramento probari potest, matrimonium fuisse nullum ex defectu utriusque contrahentis consensus, & habitantium in eadem domo, & vicinia d.1.q 52 a n. 6.

Pactum de non succedendo, addito juramento, est validum, non obstante Ordin. Regia d.4 q.60 n.4.per totam. Et q.95.n.6.usque ad finem. Ignorantia incursus legis, juramento probatur d.4.q.126.n.8.

L.

LATRO.

Latro nolens desistere ab inferenda injuria, nisi datâ pecuniâ, illam restituere tenetur d. 4. q. 75. nu 4. A latrone accipiens pecuniam pro separatione Ianuæ domus, in qua furtum intendebat committere,si pecunia erat ex furto cõmittendo,illam tenetur restituere; non tamen tenetur ad damnum domino domus illatum d. 4.q.80 per totam.

LAURETANI MILITES.

Lauretanum habens privilegium omnes pensiones retinere non potest, quas antea obtinuit; sed tantum quantitatem ducentorum aureorum auri de camara d. 1.q 41.n.6 Non obstante Bigamiâ, eam quantitatem retinet ibi §. 3. per totum.

LECTOR.

Lector Injustè à lectura fuit dimissus d. 4.q. 127.§ 1.per totum.Ipsi lectori tempus ex jure, & non ex dispensatione computari debet ibi §.2 per totum.

LEGATA LEGATARIUS.

Legata pia in foro conscientiæ ad sextum mensem differri nequeunt, sed statim mortuo legante Missæ hebdomadariæ sunt celebrandæ. d.2.q.6.per totam. Legatum, quod in propria forma impleri non potest, in aliud pium convertendum est. d.2.q.24. nu. 16. In legatis pijs non præcedunt semper magis pia d.2.q.25. nu. 32.Legatum Orphanis relictum, dari non potest habentibus patrem inutilem d.2.q.28. n.9. Legatum viduis honestis relictum, non potest dari vitam cælibem agentibus, & maritos habentibus inutiles ibi q.28.per totam Legatum dictis viduis relictum nec à S.Pontifice, nec ab Episcopo potest commutari, ut consanguineis testatoris cælibem vitam degentibus tribuatur ibi a n.8.usque ad finem.

In vinea legata fructus pendentes tempore mortis testatoris ad legatarios pertinent d. 2.q. 29.per totam,& q.30. n. 4. Fructus pendentes in re legata ab herede collecti, restitui debent, juxta æstimationem, quæ habebant tempore mortis testatoris legantis ibi n.6.

Quando lucrum pecuniæ traditæ ad rationem census, & modius tritici habitus ex prædio de retro vendito pertineant ad legatarium, aut heredem? d. 2. q. 30. per totam. Legatum sub conditione nubendi,& expresè non ingrediendi Religionem,relictum; dato Religionis ingressu, amittitur d.2 q 31.per totam, legatũ orphanis maritandis relictum, dari non potest degenti extra domicilium testatoris,quando in illo aliæ dantur orphanæ maritandæ d.2. q. 32. per totam,& d.4.q 50.n.5.

Administratrix non est in cõscientia tuta per condonationem legatorum debitorum à mercenarijs factam d.2.q. 33. per totam. Legatum conditionatum ad partitionem venire debet, mortuo altero ex conjugibus,non impletà conditione d.4 q 5 per totam. Quando alicui pro sua vita legatur ususfructus omnium bonorũ, quæ ex illis ad heredem devenire debent? d.4. q 56.per totam.

Hoc minus solemni testamento legatarijs debentur legata d.4.q.61.num.10.& q 62. numer. 6.

LEGITIMA.

Legitima filijs ante mortem patris non debetur d.1.q.27.nu 5 in fine, & d.4.q.47.n.5. & q. 48.n.4. Pro filij legitima unam proprietatem potest pater designare d 4.q.66.n.3. Renuntiatio legitimæ in favorem fratrum a minore facta cum juramento est firma d.4.q. 95. a nu. 3. Vide q.60.per totam.

LEX.

Lex, quando ipsius scientiam, & pœnæ in delinquente postulat, pœna non incurritur; si ignorantia non sit affectata d.3.q 31.n,8. Vbi datur eadem ratio, eadem debet dari juris dispositio d.4.q.34.n.8 & 9. Lex Castellæ prohibens emptiones credito a filijs initas, absque consensu patris, in utroque foro ad Portugalliam non extenditur d.4 q.34.â n.7.usque ad 10. Nec etiam pro illo tempore, quo hoc Regnum Regibus Castellæ subdebatur ibi n. 11. Nec ex eo quod hoc Regnum sit vicinius ibi n.12.

Lege in hoc Regno deficiente; stylo, aut cõsuetudine, casũ decidẽte, si materia sit peccati, ad jus Canonicũ recurritur; & si peccati nõ sit, ad jus imperiale d.4.q.34.n,11 & 12.& q.78. n.6.

Quæ in legibus apponuntur enũtiativè, seu incidenter, vim non habent obligandi d.4.q.59. n.13. Pro lege servanda est defuncti ultima voluntas d.4.q.61 n.6 Lex naturalis legi præscriptæ præcedit ibi n 5. Leges accipi non possunt in sensu, quo faveant malitiæ, & iniquitati d. 4. q.127.n.9.& seqq. usque ad finem §. Nisi exprimat non intendi rigorem, ibi n. 12. Illarum correctio, nisi exprimatur, non extenditur d.4 q.128 n.2.

Lege nõ recepta illius non incurrũtur pœnæ d.4.q.123.n.2. Quomodo dignoscatur, quod sit recepta ibi n 3. In dubio, quid dicendum ibi n. 4. Et quid si constet, quod sit recepta ibi n. 5. Lex pœnalis in sensu favorabili est accipienda d.4 q 126. n 3. Si detur dubium an lex extendatur ad aliquem casum ad illum non extẽditur ibi n.7.

LIBRATORES.

Libratores domus Basilicæ, vulgo *Alfandega*. ad restituionem eorum, quæ à dominis mercium ob maius justum pondus recipiunt, non tenentur, licet peccent mortaliter Ob tributa tamen defraudata Regi tenentur ad restitutionem, ut principales d.4.q.74. per totam.

LICENTIA.

Licentia ad ingrediendum Monasterium educationis gratiâ, intra sex menses, & non aliter. Hi menses incipiunt á die vacationis loci, & nõ à die gratiæ factæ d.4 q.118.per totam.

Licentiam obtinens vidua ad se recipiendam in quoddam Monasterium cum una famula; emissâ professione absque alia licentia potest eandem famulam retinere d.3 q. 76. per totam.

LITERÆ APOSTOLICÆ VIDE V. Apostolicæ litteræ.

LOCATIO.

In locatione bonum quando interveniat injustitia? d.4.q.32.à nu.7. Et quando in locatione domus, mulæ itenerariæ, & navis onerariæ? ibi à n.11. Vnus socius absque alterius consensu, potest communem domum locare, quando ex non locatione sequitur damnum d 4.q.41.n 3. & 4. Ex locatione domus sub hasta venditæ minori pretio, quo solebat locari, debetur restitutio d.4 q 49.per totam Vide V. Cõductor

M.

MAIORATUS.

MAioratus quid sit, & quomodo definiatur? d.2 q.16.â n.2. Quæ bona dicenda Maioratus, aut Capella? ibi a n.6.& q.23. a n 7.

Ad Maioratus successorem morte antecessoris fructus pertinent pendentes d.2.q.29.nu.4. Maioratui subjici non potest sine consensu domini emphyteusis ad vitas de libera nominatione, & probabile est posse d.4.q 14 a n.7. Maioratus ex sua natura est individuus d.4. q. 66. num.5.

In Maioratus successores tenentur ex suis tertijs partem aliquam Maioratui annectere, datâ hâc clausula fideicommissaria in institutione: *Peto a meo filio, & omnibus successoribus, quod ex suis tertijs veniant ad Maioratus augmentum*; d 4.q 67. a nu 1. usque ad 16. Et præsens administrator tenetur facere, quod in se est; ut hæredes anteriorum administratorum, partem tertij non restitutam, statim restituant ibi a n.17.

In Maioratu successor tenetur ad onera illius, quæ prædecessor non adimplevit d.4.q. 68. per totam. Contra successorem in Maioratu nõ natum, non datur præscriptio d.4.q.66.n. 12.

Bona Maioratus distrahi possunt ad dotem descendentis ab institutore, alijs non datis bonis quibus juxta suam qualitatem dotetur, & non detur specialis prohibitio d 4 q 90 per totam. Maioratus possessor ex sententia à Iudice Tõbi latâ, non potest tutâ conscientiâ obligare incolas Oppidi si sententia sit contra forale d. 4. q.122. per totam: secus si sententia nitatur dolo & fraude incolarum ibi n. 7. Tenetur, ne ex sua negligentia successores in futurum damnum patiantur ibi n 6.

MANDATUM

Mandatum exequendum post mortem mandantis, morte mandantis non expirat d.4.q 43. n.3.& 4. Mandati occasione suppellectiles furatas, probabilius est, mandatorem teneri restituere d 4.q.78.n.3. probabile est oppositum, nõ tamẽ in hoc Regno ibi a n.4. In mãdatis habẽs mandatarius omnibus mandatoris creditoribus

potest

potest pauperiorem in solutione præferre, & alijs pro rata solvere, quando omnibus integrè non est solvendo d.4.q.79 per totam.

MATER.

Instituens filias conjunctim in sua tertia sub conditione, in una deficiente conditione; filiorum substitutio non habet locum d.4. q. 133. per totam Vide V. Parentes.

MARITUS.

Probabile est, posse maritum votum Castitatis, aut Religionis ab uxore ante pubertatem emissum, & realia post pubertatem adeptam irritare d.1.q.45.a n.7.

MATRIMONIUM.

Matrimonium, quod ex dispensatione in forma pauperum fuit impetratum, cum clausula dotandæ fœminæ, quæ inscia per scripturam falsam fuit dotata, validum non est d. 1. q. 30. a n.2. Huic matrimonio quo remedio occurrendum est? ibi a n. 12.

Quando matrimonium cum impedimento occulto est contractum, & utriusque contrahentis malâ fide, non est improbabile posse Episcopum illud dispensare, concurrentibus alijs circunstantijs necessarijs d.1.q. 35. per totam. Matrimonium in facie Ecclesiæ cum impedimento occulto celebratum non est validum, non expeditâ dispensatione per viam Pœnitentiariæ impetratâ d.1.q.37.per totum §.3 Quomodo hæc matrimonio revalidantur ibi per totum §.5.

Conjugatus, qui non implevit quatuor mẽsium pœnitentiam servitij pij à Pontifice designatam, valide matrimonium contraxit, & eam pœnitentiam implere tenetur d. 1. q. 42. per totam.

Matrimonium non impeditur à teste non integro, etiam si cum juramento deponat ad esse impedimentum d. 1. q. 43 per totam Defloràs fœminam sub promissione matrimonij, & illam in facie Ecclesiæ ducens, & mox Religionem ingrediens, & professionem emittens, validè, non tamen licite illam emisit d.1.q.47. per totam.

Matrimonium inire nequit, votum castitatis habens absolutum, absque dispensatione, patiens gravissimas infirmitates d. 1. q. 44. per totam.

Quo remedio occurrendum sit illi, qui bonâ fide in facie Ecclesiæ propriam ducit filiam & ex illa aliquos habet filios? d.1.q.49. per totâ.

Iussus sub pœna excommunicationis ipso facto, ducere illam, quam certò moraliter scit, esse suam sororem, illam non incurrit, & quomodo se gerere debeat d. 1 q. 50 per totam.

Matrimonium absque consensu initum est nullum d.1.q.51.n 2. Non tamen ex eo, quòd consummatum non sit ibi n.5. Nec ex eo, quòd contractum per procuratorem coram Parocho & testibus non fuit ratificatum ibi n.4. Tres ad ducuntur conjecturæ probantes matrimoniũ in foro externo fuisse nullum, ibi à n. 8.

Quo remedio occurrendum sit duobus, qui in facie Ecclesiæ matrimonium contraxerunt consensu ex parte utriusque ficto, & nullo modo consentum retractare volunt? d. 1.q. 52. per totam Latâ sententiâ contra stuprarorem fœminæ consentientis, post eam, in foro conscientiæ illam tenetur ducere d 1.q. 53. per totam.

Validum fuit matrimonium contractum cũ ea, cui adulter post plures annos ab adulterio cõmisso, sic fuit loquutus: *Si uxor mea è vivis decedat, & ego aliquam ducturus essem, te solam ducerem d* 1.q.56. per totam.

Validum fuit matrimonium ab adolescente celebratum cum fœmina, suæ ætatis habente decem annos & novem circiter menses d. 1. q. 57. per totam. Validum fuit matrimonium cõjugatorum, qui triennio duplicem habuerunt filiam, nunquam fœminæ penetrato vase, per solam seminis à matrice attractionem d.1.q. 58 à n.1. usque ad 15. Stante autem eàdem impotentiâ, & eventu manentis gravidæ, potest uxor in eadem consentire cum quadam limitatione ibi à n.16.

Vt matrimonium contrahatur, uno teste standum non est, quamvis ne contrahatur unus sufficiat d. 1.q.61.n.10. Defloràs fœminam sub promissione matrimonij illam ducere tenetur, si ipsa vult, quamvis parentes renuant d.1. q.64 per totam.

De matrimonijs servorum latè agitur d. 1. à q.65. usque ad 71. ubi omnia desiderata invenientur. Soluto matrimonio, non tenetur uxor ad collationem afferre jocalia, & supellectiles, quæ ab spõso illi fuerũt missa d.4.q 40. per totam.

MERETRIX.

Meretrix post peccatum commissum, non peccat recipiendo pretium d.4.q.75.n.5.

METUS.

Metus novitiatum non annullat d.3.q 73. n.2. Et probabilius est sponsalia non annullare ibi num. 3.

MILITES.

Conducentes milites ad bellum directorium Regis non observantes, excusando aliquos, ad restitutionem eorum, quæ recipiunt, tenentur. d.4.q.75. per totam.

MISSA.

Circa Missas votivas, quid disponit jus? d. 2. q.1.a n.2. Missas votivas quibus diebus liceat celebrare ibi à num.9. Missam Sabbato S. de eo die sacerdos potest celebrare, post campanas in matrice, vel Parochia ad lætitiam Resurrectionis pulsatas, non tamen Missam de Requiem, nec alias votivas ibi à n. 17.

Sed hæ jam non habent locum post duplicem Decretum S. Rituũ Congreg. ibi nu. 20. vers. *Post hæc scripta* Non toleratur, quòd Missa de Requiem in festo duplici dicatur quod non est de præcepto, ut testatorum voluntates adimpleantur ibi n. 21. Sacerdos non celebrans Missas de Passione, hebdomadà sanctâ ob aliquas debelitates non peccat ibi n. 22. Alij etiam ex juxta causa excusantur, celebrando per annum votivam B. Virginis ibi n. 23. Sacerdotibus nõ licet diebus prohibitis, & non prohibitis certas celebrare Missas votivas ibi n. 24. & 25.

Plures DD. docent, sacerdotes peccare venialiter, alij mortaliter celebrantes Missas votivas diebus Dominicis, Duplicibus, &c. d. 2. q. 1 per totum §. 4. At post Declarationes S. Cc. Congr. sub Alexandro VII. & Clement. IX. in ijs diebus Missas votivas celebrare, est peccatum mortale ibi per totum §. 5.

Quæ, & qualis requiratur præsentia moralis, & phyfica ex diversis DD. ad auditionem Missæ? d. 2. q. 2. §. 1. per totum. Quando quis ita est corporis præsens, ut quantum in se est, possit aliquo modo percipere ministerium sacerdotis celebrantis, seu quid agat, dicat ve, Missam audit ibi per totum §. 2. Religiosi, & Moniales ex suis subsellijs, Missam solemnem cantantes, illam audiunt, & præcepto satisfaciunt; nec surgere tenentur quando hostia, & calix elevantur, & videant, & Missa audiatur, nec etiam in Ecclesia existentes ibi per totum. §. 3.

Vicarius ad tempus à Prælato substitutus, & non Prior suspensus tenetur ad onera Missarũ singulis annis dicendarum d. 2. q. 3. §. 1. per totum. Ex actor vulgo *Prioste* sub limitatione tenetur ibi §. 2 per totum. Pro reductione Missarum ad minorem numerum, quando eleemosyna est tenuis, Romam recurritur, ubi sine impensa, quod justum est, dicernitur d. 2. q. 4. num. 6.

Quomodo se gerere debeat emptor domus, anniversario Missarum obligatæ, celebrando à sacerdotibus Parochiæ, quod de præsenti repudiant ob eleemosynæ tenuitatem, & non datur heres, nec aliquis, qui velit ad S. Pontificem recurrere pro reductione Missarum d. 2. q. 4. per totam.

Heres, & illius successores non tenentur augere eleemosynam Missarum relictarum in perpetuum, quando eleemosyna à testatore taxativè fuit designata, ibi §. 2. per totum. In hoc tamen casu ad Episcopum potest recurri, ut ad minorem numerũ Missas reducat ibi §. 3. n. 17. Per alios sacerdotes hoc Missarum Anniversarium celebrari possunt ibi a n. 13. Potest etiam recurri per Provisorem Capellarum ad tribunal conscientiæ ibi n. 21.

Quando eleemosyna non fuit designata pro Missis Capellaniæ, administrator, heres, & successores, eleemosynam augere tenentur, si reddita fuit tenuis, & in hereditate dantur bona ad augmentum d. 2. q. 5. per totam.

Missæ hebdomadariæ, a testatore relictæ ab heredibus statim post mortem testatoris sũt celebrandæ d. 2. q. 6. per totam. Onus perpetuũ Missarum semper conservari debet indivisibile, inter heredes partito valore Fideicommissi. d. 2. q. 10. n. 4. & 6 & d. 4 q 66. n. 5.

Distans ab Ecclesia per unam leucam à Missa audienda excusatur d. 2 q 18. num 5. Laici commorantes in loco interdicto, alio loco non interdicto Missam non tenentur audire d. 2. q. 19. n. 7. Ad onera Missarum perpetua census redimibiles emi nequeunt d. 2. q. 20 n. 5 & seqq Pecunia pro Missis in perpetuum relictis in bonis immobilibus investienda est ibi n. 9. & 17.

Opinio asserentium, posse superiorem Regularem, & sacerdotem Missas reducere ad minorem numerum, quando fructus Capellaniæ decreverunt, ut improbabilis non admittitur d. 2. q. 25 n 12. & 13 Non est tutus in conscientia sacerdos dans partem eleemosynæ Missæ manualis alteri, qui spontanee condonat aliam partem d. 2. q. 33. n 5. & 9

Onus Missarum ab Institutore Maioratus impositum non est reale, ut in probabili opinione sunt pensiones rei emphyteuticæ d. 4 q 68 num. 5. Quando præcessit pactum expressum, aut tacitum celebrandi tali loco, tenetur sacerdos sub mortali ibi celebrare d. 4. q 84 n. 6.

MONETA.

Monetas integras pro tonsis permutantes contractum cambij manualis celebrant d. 4 q. 99. nu. 2. Permutantes suas monetas integras pro tonsis, non tenentur ad restitutionem ob lucri periculum, nec lucrum cessans ibi nu 3. & 4.

Potest accipi lucrum pro moneta pulcriori, & maioris ponderis ibi n. 6. Lucrum hoc Episcopo non est tradendum, nec lucrum à mercatoribus pro commutatione monetarum nobilibus illas petentibus integras ibi nu 9. Nec à famulis quando à dominis mittuntur solvendum creditoribus, secus si aliud constet de voluntate dominorum, ibi n. 10. & 11. Emens ex tonsuris monetarum barras conflatas, & vendens monetas integras ad tonsionem; sub distinctione peccant, & non peccant ibi n. 13.

Accedens sacerdos ad Curiam ad suum gerendum negotium, & cursim offerens monetas tonsas cujusdam confraternitatis, quarum plures cum integris commutavit, lucrum non tenetur confraternitati restituere d. 4. q. 100. per totam. Nec in cõmutatione negotiationem exercuit ibi n. 4.

Monetarum tonsarum cursu cessante per paucos dies, excusatur dominus à solvendo famulo debitum salarium annuale petitum absoluto anno, quia scit prope diem monetas integras ad maiorem valorem esse augendas d. 4. q. 101. per totam. In lucro ex augmento monetarum famulo dominus præfertur ibi nu. 4. Non tenetur ad restitutionem incrementi valoris

loris monetæ ille, qui ante legis promulgationem, eam mutuò accepit cum notabili mutuantis repugnantia d.4.q.102. per totam.

Ad quam commutationem teneatur ille, qui accepit monetam auream commutandam pro argenteis, eamque commutavit pro argentea, & aurea & cum juberetur commutari pro argenteis, illas tradidit post legem incrementi promulgatam d.4 q.103.per totam.

Promulgatâ lege incrementi monetarum, non tenetur depositarius depositio pecuniario restituere monetas in specie cum suo incremento, quas ad suam distraxit d.4 q.104 per totâ.

Publicatâ lege incrementi monetarum, habens à defuncta dotem designato tempore tradendam, clausam in arca in quodam sudariolo, tenetur dato tempore eam puellæ cum incremento trädere d.4 q 105 n.2.

Mercator Lusitanus ad restitutionem excessus tenetur, monetam Castellanam recipiens, juxta valorem in Hispania currentem d. 4. q. 106. per totam.

MONIALIS.

Moniales etiam non exemptæ gaudent privilegijs suis Religionibus concessis d.1.q 10 nu. 15. Primus conventus non potest adire hereditatem patris monialis, quæ in vita patris secundum conventum per professionem est ingressa d 4.q.48 per totam.

Monialis à suo conventu egrediens ad aliud regendum, & finito regimine licentiam obtinens ad manendum in eodem monasterio, potest non obstante licentiâ, absque alia de novo, ad suum redire monasterium d. 4 q. 107. per totam Vide V Donatio

Moniales excessum dotis, & propinarum, inter ipsas, & partem conventum recipientes, ad restitutionem tenentur d 4 q.131. per totâ.

MUTUUM.

Mutui cõtractus: Dare pecuniam ad rationem juris, seu census sub interesse 6.& 4 pro quolibet centenario, singulis annis solvendo, dum contractus non dissolvitur, non distinguitur à mutuo cum interesse, quando sit licitus, aut usurarius d.4 q.1.per totam.

Mutui sub fictione scriptura celebrata, quæ non solum mutuum, sed etiam redditus mutui comprehendebat, valida fuit, & ex illa debentur mutuum, & redditus mutui d. 4. q. 3. per totam.

Mutuatarius dubitans de pignore reassumpto, quando teneatur ad restitutionem? d. 4 q. 38. per totam. Si in contractu mutui aliud non declaretur, semper standum est bonitate extrinseca d.4.q.102 nu. 8 Quid sit mutuum ibi n.2.& a n.5. Vide V. usura, & V. Pecunia.

N.

NEGOTIATIO.

Negotiatio est clericis prohibita d.4.q.100.n.4

NOMINATIO.

Nominatio cujusdam officij Apparitoris, vulgo *Alcaide menor*, sub conditione solvendi uni tertio pensionem annuam, ut nulla fuit judicata, quoad pensionem d.4.q.45. per totam.

NOVITIUS.

Regulares possunt, & tenentur novitium ad professionem admittere de cujus puritate sanguinis testes deponunt negativè, non invenientes aliquam deponentem positivè, illum habere sanguinem infectum d.4 q 113 per totam Informationes à Sixto V. præmitti jubentur ad habitum, & non ad professionem ibi nu. 7. Vide Regulares.

NUNTIUS.

In quibus Matrimonij gradibus Nuntius cum pauperibus dispenset d.1.q.27.n. 6.

NULLUM.

Nullum, quod fuit à principio nullum, postea producit effectum d.2.q 20.nu. 17.

O.

OCCULTUM SECRETUM.

Occultum illud dicitur, de quo publicè non constat, quamvis de illo secretò sciant tres, aut quatuor personæ d. 1. q. 37. n. 16 & d.3 q 2.n 14. Quomodo se gerere debeat, qui occultam alterius infamiam probare non potest? d. 1.q.53.n 8 & 9.

Quæ sub secreto naturali committuntur, nõ sunt manifestanda, nisi detur damnum tertij, aut communitatis d. 3 q.5 n 7 Consultores casuum conscientiæ, medici, obstetrices, tenentur ad secretum eorum, quæ illi committuntur d.3.q.5 n 8. Occultum in Trident. sumitur, non solùm prout opponitur noto, sed prò ut opponitur notorio notorietate juris, & facti d.3 q.41 n. 3. Nullus tenetur suum delictum prodere occultum in judicio, nec judex potest de illo inquirere, nec ipsum jus id concedit d.4.q 54 n.8, post medium.

OFFICIA DEFUNCTORUM.

Parochi rurales ex consuetudine inter eos introducta, non assistentes officijs defunctorum ad eleemosynæ tenentur restitutionem d 4 q. 84.per totam. Sic etiam beneficiati, si anniversarijs non assistant, portiones non lucrantur. d.4 q.119 per totam.

OPINIO PROBABILIS.

Opinio probabilis sequi potest relictâ probabiliori d 4 q.92 n.4.

Quando cognoscatur, opinionem esse probabilem ibi n.5.

ORATIO.

Oratio multorum absque dubio est potentior, atque

atque gratior erga Deum d.4.q.84.num.4.

ORATORIUM.

Privilegium habens habendi oratorium in domo suæ habitationis, & habitans diversis anni partibus in civitate, Villa, & oppido nativitatis suæ uxoris, non potest in omnibus his locis uti oratorij privilegio, nisi cum certis limitationibus d.2.q.12. per totam.

Supplicans ad S.Pōtificem pro Oratorio habendo in suæ habitationis domo, nullo designato oppido: in Brevi tamen oppidum designatur, in quo non habitat; potest eo non obstante errore uti brevi pro suæ habitationis domo. d.2.q 13.per totam.

Non admittitur assertum P. Henao dicentis posse habentem duo domicilia simul in civitate,& Villa rurali, duo habere oratoria d. 2. q. 13.a n.5.usque ad finem.

ORDO.

Ordines sacros suscipiens non confirmatus, validè illos suscipit, nec suspensionem, nec irregularitatem incurrit d. 1.q.3 per totam.

Qui ordines sacros non habet, nominari nō potest ad dignitatem, illos requirentem nominatione absolutâ, sed respectivâ ad tempus habile d. 1.q.14.n 2.

Subdiaconus cum scrupulo ante legitimam ætatem ordinatus, adeptâ ætate solemniter Epistolam cantans, irregularitatem non incurrit d. 1.q.19.a nu.2. Præsbyteratum suscipiens etiam mala fide ante legitimam ætatem, post susceptum Diaconatum mala fide, probabilius est nec semel, nec iterum irregularitatem incurrisse ibi n 7. Et probabile oppositum ibi n. 8 Ascensus ad superiorem ordinem, non est aliquo modo ordinis inferioris exercitium ibi n. 9. Suscipiens Diaconatum ante ætatem requisitam, quamvis suspensionem incurrat,irregularitatem non incurrit, canendo Evangelium in eadem Missa ibi n.10.Suspensus ob Diaconatum, & presbyteratum mala fide susceptos ante legitimam ætatem, celebrans cum ordinante, non incurrit irregularitatem ibi n. 11.

Obtinens à Sede Apostolica rescriptum, ut tribus diebus festivis ordinetur cum errore in Diœcesi, non obstante errore, rescriptum à proprio officiali expediri potest d. 1. q. 20. per totam Ordinatus sine titulo, sine dimissorijs, & cum falsitate cujusdam rescripti, quas pœnas incurrerit? d.1.q.21.a n 2.

Rescriptum ad sacros ordines tribus diebus suscipiendos, mentito proprio nomine, ut sæcularis judicij forum effugiat, ordines suscipiens, nec peccatum mortale,nec Excommunicationem, nec suspensionem incurrit d.1.q.22. per totam.

Obtinens beneficium curatum animo non residendi, sed tantum ordines suscipiendi, suspensionem non incurrit d.1.q 24. per totam.

Conjugatus, de licentia uxoris votum castitatis emittentis, ad ordines sacros promotus cum falsis dimissorijs, & super suspensionibus incursis à S.Pontifice dispensationem, & absolutionem obtinens, mentione non factâ status conjugis; ex rigore juris probabile est, non manere subreptitiè absolutus, at ex consuetudine probabilius est, absolutionem, & dispensationem fuisse subreptitiam d.1.q.25.per totâ.

Ad ordinem,& dignitatem obtinendam dispensatus, potest alios ordines suscipere, & ad alias transire dignitates d. 1.q 41.n.11. Idem est ordinari cum dimissorijs falsis, ac ordinari sine licentia proprij Episcopi d.3.q.8 n. 3. Non est idem suscipere ordines furtivè, ac illos suscipere ab alieno Episcopo ibi n.4.

P.

PAPA PRINCEPS.

NEc S. Pontifex, nec Princeps sæcularis, in præjudicium legitimorum possunt filium naturalem legitimare d 2.q 28. n 9 Nec S Pontifex potest contractus ab illis initos in favorem Ecclesiæ mutare ibi n. 10. Nec ultimas voluntates, aut legata mutare ibi à nu. 11. Mortuo Papa cessant Menses Reservæ, & Alternativæ d.4 q.121. n. 4. Aliqui Pontifices in sua nova creatione, beneficia non provisa Sede Apostolica vacante,sibi reservarunt d.1.q. 121. a nu.10.

PARENTES.

Parentes dum vivunt cogi non possunt, ut filijs legitimam, aut dotem, conferant. d. 1. q. 27.à nu,5. Non possunt dotem inofficiosam,aut tertium bonorum pro dote promittere d. 1. q. 28.n.5.& 6.

Quid consulendum parentibus conjugatis, & Religiosis, ut legitimam filio nato post illorum professionem debitam, restituant ex bonis jam monasterio donatis? d. 1. q. 60. à nu. 12. Nolentes filiam stupratori tradere,ad quod stuprator se obligavit, si illa parentibus nolit obedire,stuprator, illa persistente, non potest, alium statum sumere d.1.q 64. per totam. A patre facta donatio de bonis capellæ, ante illius possessionem est valida d.2.q.23 a n. 6.

Pater potest irritare votum Religionis, aut castitatis à filia emissum ante duodecimum annum, & in dubio duodecimi anni, etiam post emancipationem, & matrimonium contractū. d. 1.q 45 a n. 1.usque ad 6.

Pater non potest exhæredare filium inæquali nubenti in parva differentia, nec post reconciliationem, nec ante latam sententiam d 1. q. 48 à nu.2. Mater cum filio emancipato super legitimam potest contractum inire d.4.q. 52. à n 5.Mater nobilis filios non habens, potest instituere heredem filium suum spurium d. 4. q. 59. per totam. Vide V. Filij. Ad quam restitutionem teneatur pater impeditus, manente filio in taberna mercū,ante, & post emancipationem d.4.q.132. per totam Vide V. Mater.

PAROCHUS.

Parochus quorum matrimonio assistere possit? d 1.q 62.per totam. Non potuit validè declarare sacerdotem excommunicatum , cognoscens , illum deliquisse contra statutum suæ Ecclesiæ, in quo imposita erat transgressoribus excommunicatio d.3 q.6.per totam.

Parochus , quomodo se gerere debeat expediendis dispensationibus à Pœnitentiaria, Episcopis,& Nuntijs obtentis?d.1.q. 37. per totum § 5. Parochus non tenetur applicare Missam pro suis ovibus in illis diebus , in quibus debet coram ipsis celebrare d. 2. q. 9. per totam. At juxta opinionem probabilem , etiam in ægritudine tenetur, aut per alium Missas pro populo applicare d.2.q.9. a n 13. usque ad finem.

Parochus in Ecclesia manuali provisus , & ab Episcopo confirmatus potest in favore alicujus renuntiare d.4 q.120.per totam.

PATRIMONIUM.

Ad Patrimonium sufficit capellania in redditibus annuis habens aureos quinquaginta d. 1. q. 17 § 1 per totum Patrimonium est ad vitam sustentandam, alijs præcisis eleemosynis ibi n. 4. Non sufficit capellania temporalis, & a movibilis ibi à n. 8.

Potest quis , dum studio juris Canonici dat operam, fructus capellaniæ , ad cujus titulum fuit ordinatus , alteri dimittere , qui onera capellaniæ adimpleat, habens à quo sustentetur, pro eo tempore d 1 q.18. à n.2. Nec ex dimissione eorum fructuum pro illis annis , etiam si esset alienatio,suspensionem incurrit ibi à n. 7. Patrimonium cum certis oneribus donatum, est sufficiens titulus ad ordines suscipiendos d. 1.q.26. per totam. Et ordinatus ad illa onera tenetur, etiamsi internè illa non acceptasset ibi n.4.& 5. Et illi imponi poterant ibi n.6 & seqq

PATRONUS IUS PATRONATUS.

Ius Patronatus coalescens ex Patrono Ecclesiastico,& laico ; pro laico judicandum est d 3. q.67.n.7. Patronus in Ecclesia sui Patronatus absque licentia Episcopi capellam ædificare non potest d.2.q.14 per totam. Iuris Patronatus beneficium absque consensu Patroni resignari non potest d 4.q. 120. n. 4. Mortuo Papa potest Patronus in quocunque anni mense suum beneficium præsentare , etiam si Patronus sit Ecclesiasticus d.4 q.121 à n 4.

PAUPER.

Pauper quando habet à Rege officium, quo alitur , quando dicatur pauper?d.1. q.27. n.3. & 5.Quis dicatur pauper in ordine ad dispensationes in forma pauperum?d 1.q. 27. & sequentes Quæ fœmina dicatur pauper?d 1 q.29. n.4 & seqq. In supplica ad dispensationem, quando paupertas est in uno tantùm, de illo tantúm dicenda est, si tamen dicatur de utroque , dispensatio vitiatur d.1.q.29.à n.10.

Fœminæ paupertas non sufficit ad dispensationem ibi num 16.Matrimonio contracto ex clausula in forma pauperum, cum clausula dotandæ fœminæ,si fictè dotetur , matrimonium manet nullum, & quo remedio illi occurrendum est.d.1.q.30 a n.2.

Exercentes agriculturam , aut aliquam artem mechanicam in forma pauperum dispensationem supplicare, & impetrare possunt d. 1. q.31.a n 2. Causa paupertatis quando , & pro quo tempore verificari debeat d 1 q 32. à n. 2. Pauper creditor in solutione sui debiti potest alijs præferri creditoribus d.4 q.79 n.4.& 5.

PECUNIA.

Pecuniam dare ad rationem juris, seu census sub interesse, à mutuo non distinguitur d. 4.q. 1 per totam. Quando sit lictum , & Usurarium ibi. Ex contractu ratione periculi, aliquid potest accipi.ibi a nu.5. Et etiam ratione lucri cessantis, & damni emergentis ibi a nu. 52. Si scriptura sit de mutuo tantùm celebrata , & contractus de pecunia data ad rationem juris, interesse lucri cessantis comprehendens , valida fuit scriptura d.4 q 3 per totam.

PENSIO.

Habens pensionem in quodam beneficio Parochiali,& postea ad illum promotus,& iterum per resignationem dimittens , adhuc retinet pensionem ex primis litteris,d.4.q.117. per totam. Pensio beneficio imposita semper manet fixa.dum non moritur pensionarius ibi n 5.

PERMUTATIO

In spiritualibus mixtis non prohibetur permutatio unius pro alio ejusdem ordinis d. 3. q. 67. n 5.

PIGNUS.

Tradente aliquo scripturam cujusdam debiti in pignus,ratione cujus solvebatur census annualis, satisfacto debito,scriptura statim reddi debet d.4 q 71. per totam.

PÆNITENTIARIA.

Probabile est rescriptum à Pœnitentiaria impetratum , non esse subreptitium , nulla facta mentione de alio circa aliud impedimentú in Dataria obtenta dispensatio ; probabilius oppositum d.1.q 37. per totum §. 2. A Pœnitentiaria obtentum rescriptum , aliquo modo, & in aliqua circunstantia pro foro externo inservire potest d.1.q.52.n.5.

PORCIUNCULÆ INDULGENTIA.

Portiunculæ Indulgentia in Ecclesijs Monialium S.Francisci lucrari potest, etiam si in eodem oppido sint Ecclesiæ Fratrum Minorum. d.1.q.10.á n 2. Etiam si Moniales sint sub Obedientia Ordinarij ibi a n.14 Data alicujus opinione, quòd lucrari non possit ; adhuc ex alio

capite

capite ibi lucrari potest ibi a n. 17. Quamvis in terdicta civitate sub urbia censeantur interdicta; quoad dictam indulgentiam, sub urbia non veniunt nomine civitatis ibi n. 21. Vt lucretur ea indulgentia sufficit Ecclesiam visitare à primis vesperis usque ad occasum sequentis diei; & explicatur ibi à n. 22.

POSSESIO.

In beneficijs,& Capellanijs ultimus actus præsentandi attendendus est d.1.q 17.a nu. 5. Possessionem non habens bonorum capellæ, illa potest donare d.2.q.15.n.6. Ex possessione apprehensa non semper jus acquiritur d.2,q. 22 à n. 11. Qui actus requirantur, ut possessio acquiratur d.4.q.26.nu.14. Quam possessionem habeant Regulares quoad decimas ibi n. 10.

PRÆLATUS.

Prælatus ex dicto unius testis interesse habentis, digniorem notoriè ad Ecclesiam curatam non providens, dificilè à peccato mortali, & restitutione excusabitur d.4.q.89.n.2.per totâ. Prælatus,non obstante retractatione testis per chirographam, sententiam in favorem ab eo non provisi tenetur proferre ibi a nu.7. Prælati Regulares recursum sui Religiosi ad S. Pontificem impedire nequeunt d.4.q.108. n. 6. In causa suspicionum manifesta recusari possunt. d.3.q 75 à n. 1. Religionis privilegia habent, ne sui Religiosi in rebus ad disciplinam, seu correctionem pertinentia appellari possint ibi. n.4. Suspiciones cujusdam Prælati Regularis, non coram illo, sed coram capitulo, aut definitorio erant probandæ, & per arbitrum à se electum ibi à n.5. Arbiter Prælati a Capitulo, Definitorio, & visitatore recusatus, jurisdictionem non habet ibi à nu. 8. Vicarius Generalis cujusdam Religionis in electione, aut depositione cujusdam visitatoris suffragium non habet ibi n. 10. Vide V. Regulares. Licentia obtêta a Ss. Cc. Congr. ut Prælatus tali modo, vel tali renuntiet, non extenditur ad obitum Provincialis d.4.q.128 per totam. Prælatus pœnas cujusdam Brevis non incurrit, prohibentis expendere redditus conventus per se & suos officiales, quando non constat fuisse receptum. Et quid, si constet d 4.q.123.per totam.

Prælatus conventum à redditibus redimens, non dicitur vendere bona conventus, sed illa redimere d.4 q.126.nu. 4. Ad renuntiationem Prælaturæ Provincialis licentia a S Cc Congr. concessa, non extenditur ad eam, quæ per obitum contingit d.4.q.128 per totam.

PRÆSCRIPTIO.

Præscriptio datur in Anniversarijs, Missis, & pijs operibus d. 2. q. 8. per totam. Non currit contra pupillum, contra impeditum, nec contra Episcopum Sede vacante ibi n. 9. Currit contra ignorantes ibi n.8.

Præscriptio non datur, ne capellani in altari, & capella fundatoris celebrent, jussu ædituræ Ecclesiæ d.2 q.18.n.17.

Ad præscribendum contra decimas requirũtur quadraginta anni cum titulo, sine illo tempus immemoriale d.4.q.15.n.3.& q 20.n. 6.

Ad præscriptionem mobilium privati hominis cum titulo requiritur triennium continuũ. d.4.q.19.n.3. Ad præscribendum contra privilegia Regularium, requiruntur quadraginta anni, & anni centum d.4.q.26 n. 17.

Non datur præscriptio in possessione rei cũ dubio incipiente d. 4 q. 38. n. 4. Ex solutione per multos annos durante ex fructibus pignoris, præscriptio non oritur d 4.q.71, nu. 8. Datur præscriptio non solvendi octavum quorundam fructuum d.4.q.122. n. 8. Præsentes.

Qui fictione juris reputentur præsentes d. 4. q.127.n.13.

PRÆSUMPTIO.

Præsumptio cedit veritati; quando malè dicta fuerunt purificata d.4 q 35.nu.14. Extraordinaria malitia de aliquo Religioso præsumenda non est, nisi probetur d.4.q.87 n.7. & seqq.

Præsumptio efficacior, & potentior minus efficacem elidit ibi q 87.n.8.& q.88 a num. 9. Præsumptio cum pœnitentia finitur, & solùm valet in crimine probato ibi n.6. Sententia lata à quodam Provinciali fundata fuit in præsumptione super pecuniam inventam apud quemdam Religiosum d.4 q 88 n.7. Præsumptio rejicit onus probandi in contrarium ibi num. 8. Præsumptio semper accipitur in bonam partem ibi n.10.

PRETIUM.

Pretium eorum, quæ venduntur sub hasta nõ à fervore, seu frigiditae ementium, sed à vera, & communi æstimatione mensuratur d. 4. q. 49 à n.9. Vide V. Taxa.

PRIMITIÆ.

Quota Primitiarum à jure non est determinata; consuetudine locorum standum est d. 4. q. 24. per totam. Agricula mutans domicilium, primitias tenetur solvere juxta consuetudinem si de illa non constat, juxta illam ubi sunt prædia ibi q.25.per totam. Primitiæ non debentur Parochis in quibus famuli, qui fructus colunt, sacramenta recipiunt d.4 q.26.n.19.

PRIVILEGIUM.

Privilegia alicui hominum Religioni concessa, Monialibus ejusdem Religionis conceduntur, sive sint ipsis Religionibus subjectæ, sive non d.3.q.11.nu.3.& 4. Privilegium Iulij 11. per errorem posuit Rodrigues inter privilegia vivæ vocis oraculorum ibi n.9. Aliqua privilegia circa interdicta probabiliter per Trid. revocantur, & probabilius non revocantur, nisi concessa ante Trident. ibi a num. 10. Privile-

gia

gia Religionum facile non amittuntur d. 4. q. 26 a n. 11.

Qui usus fuit suo privilegio, seu licentia habente tractum successivum, durante eo tractu, illud renuntiare potest d. 4. q. 107 n. 4.

PROCURATOR.

Revocatâ Procuratoris commissione ad ducendam aliquam fœminam sive expressè, sive tacitè matrimonium initum, etiam ignorantis revocationem, est nullum d. 1. q. 51. nu. 3 Non est necessarium, quòd Procurator coram Parocho, & testibus constituatur ibi n. 6.

PROFESSIO RELIGIOSA.

Professio Religiosa ex metu emissa est valida, quando patiens metum non reclamavit, nisi post quatuor menses post mortem metum incutientis d. 3. q. 73. per totam Mandanite S. Pontifice pro una Religione professiones certo tempore emissas, ratas haberi possunt dicet Religiosi professi, illas ratas non habere, & a Religione exire; non tamen Prælati illos possunt expellere d. 3 q. 74 per totam.

Fœminam deflorans sub promissione matrimonij, & illam in facie Ecclesiæ ducens, & mox Religionem ingrediens, professionem validè, non tamen licitè emisit d. 1. q. 47. per totam.

PROTESTATIO.

Quando, & quomodo utiliter fieri debeat protestatio, ut evitetur incursio irregularitatis d. 3. q. 33. a n. 7. & a n. 13.

R.

RECURSUS.

Vide V. Appellatio Litteræ Apostolicæ. Arbiter.

REDDITUS.

Redditus redimere pecunia legatorum, non est illos investire in bonis immobilibus convêtus d. 4. q. 126. a n. 4. Conventum a redditibus redimens, non dicuntur venditi, sed redempti. d. 4. q. 126. n. 4.

RELIGIO REGULARIS.

Prælatus cujusdam Provinciæ Minorem potest suis subditis iter agentibus concedere licentiam, ut confiteantur simplici sacerdoti, quando constitutio id illis non concedit d. 1 q. 6. à n. 2. Non possunt tamen subditi ex vi d. licentiæ absolvi à casibus reservatis ibi nu 5. Si illam non concedat licentiam, non possunt ibi n. 7 & 8. Si non daretur ea constitutio, absque licentia Prælati confiteri poterant simplici sacerdoti ibi n 9. [Vide d. 1. q. 4. n 12.) Si licentia concedatur, ut idonco confiteantur, quis censeatur idoneus ibi n. 10.

Regulares possunt absolvere à suspensionibus incursis ab ordinato sine titulo, sine dimissorijs, & cum excommunicatione d. 1. q. 21. n. 19. Regulares ad Religionem admittentes, & professionem concedentes stupratori puellæ sub spe matrimonij, graviter contra justitiam peccant d. 1. q. 47. n 13.

Gravatus debitis, quæ biennio, aut quinquennio potest satisfacere, peccat mortaliter Religionem ingrediendo ibi n. 18. Filius professus à Religione potest egredi obtentâ licentia a suo Prælato, ut suo parenti in gravi necessitate constituto succurrat ibi nu. 19. Et expressus d. 4. q. 108.

Regulares tutores esse non possunt d. 1. q. 60. a n. 7. Regulares de licentia suorum Provincialium possunt etiam post ablata vivæ vocis oracula dispensare cum incestuosis, ut debitum possint petere d. 1. q. 63 a nu. 8. Votum Religionis Hierosolymitanæ conditionatum, & pœnale privilegijs Regularium potest, & dispensari, & commutari d. 1 q. 72. n. 4.

Privilegium non solvendi decimas alicui Religioni concessum, aljjs per commutationem non conceditur d. 4. q. 15. nu. 3. & 4. Circa recursum cujusdam Abbatis ad Regiam Coronam in causâ decimarum circa Regulares d. 4. q. 26. per totam.

Probabile est, Concil. Trid. loquens de renuntiatione à Novitijs facta non loqui de ea, quæ multo antea facta fuit d. 4. q. 65. n. 11. & 12.

Generales, aut Provinciales Regularium non possunt Missas in limine fundationis positas, diminutis Capellaniæ fructibus, ad minorem numerum reducere d. 2. q. 25. n. 9. & 10. Regulares dicti conventus tenentur ad Missas omissas tempore, quo fundus non tulit fructus ad capellaniæ Missas designatas d. 2 q. 25 à nu. 18 Regularis, qui his temporibus bonâ fide satisfecit unicâ Missa obligationi plurium Missarum, Missas omissas satisfacere tenetur ibi num. 23.

Regulares eleemosynis victum quærentes privilegium non habent non servandi interdictum, quando à tota civitate, aut oppido, quo degunt, observatur, d. 3. q. 12. per totam.

Regulares, & Moniales non servantes interdictum, quod à matrice, aut a Parochia, ubi degunt, observatur, excommunicationem ipso facto, incurrunt. ibi a n. 2. Quæ privilegia circa interdicta Regularibus videantur revocata per Tridêt ibi n. 7. & 8 & q. 11. n. 10. & 11.

Regularibus non convenit aliquibus uti privilegijs, tempore interdicti, ut personas, sæculares ad audienda divina in suis Ecclesijs recipiant d, 3. q 13 per totam.

Religiosis, & clericis ars medicinæ, seu chirurgiæ absque incisione, & adustione non est prohibita d. 3. q. 27. a n. 2. Præciso Brevi Pontificio potest Prælatus suo subdito licentiam cõcedere ad medendum alicui personæ citra incisionem, & adustionem ibi n. 7. Idem potest Nuntius, & Episcopus ibi n. 8. Idem etiam possunt existente Brevi Pontificio eam licentiam negante ibi a nu. 9. Religiosus, aut clericus in

sacris urgente necessitate, medendo, incidendo, & adurendo, nec peccat, nec irregularitem incurrit ibi n. 14. & 15. Nec etiam id exigente necessitate, charitate, & amicitia, & secutâ morte, irregularitatem non incurrit ibi a n. 13.

Regulares pecuniam accipientes pro ingressu novitiatus simoniam, & aliàs pœnas non incurrunt d. 3. q. 71. per totam.

Regulares inconsulto S. Pontifice aut S. Congreg. non possunt recipere pecunias sub interesse lucri cessantis, damni emergentis, fructus sui Conventus obligantes d. 4. q. 2. n. 1.

Ex donatione pecuniæ summæ à Religioso facta de licentiâ Prælati, & intra breve tempus revocata, jus ad illam summam non habent cõsanguineæ, illud tamen habent ex declaratione facta in hora mortis d. 4. q. 87. per totam.

Religiosus contra votum paupertatis non peccat, nolens bona acceptare, rogando, quod sororibus detur ibi n. 4. Nec etiam distribuendo magnam summã pecuniæ in operibus pijs, nomine exonerantium suas conscientias ibi n. 5 Vide verb. præsumptio.

Pecunia in hora mortis à quodam Religioso suo confessario dicente: tuis Prælatis esse tradendam. Ad conventum in quod ditat, pertinet d. 4. q. 88 per totam.

Plures DD. docent teneri Prælatos licentiam concedere Religioso professo, ut suam matrem gravi necessitate oppressam subveniat d. 4. q. 108 n. 2 securior tamen sententia adducitur ibi n. 4. Quæ necessitas dicatur gravis ibi n. 5. Religiosus eam licentiam à S. Pontifice nõ tenetur procurare ibi n. 7. Tenetur pro viribus matri subvenire de licentia Prælati ibi n. 8 Si Prælatus eam iniquè neget, eam sibi potest assumere ibi n 9. Et si sic dubium, an iniquè neget, etiam potest ibi n. 10. Vide V. Prælati.

REGULÆ CANCELLARIÆ.

Regula 8. quæ beneficia comprehendat d. 3 q. 59. a n. 7. Mortuo Pontifice cessant Regulæ Cancellariæ d. 4 q. 121. a n. 4.

RENUNTIATIO.

Renuntiatio non solùm ad alienationem Minorum, sed etiam ad renuntiationem, & remissionem bonorum, judicis authoritas requiritur d. 4. q. 65. n. 16. Renuntiationes á novitijs factæ pridie diei professionis sunt validæ ibi à n. 22. Renuntiatio legitimæ cum juramento à Minore facta, est valida d. 4 q. 95. à n. 3.

RES.

Res in alios facta, alijs præjudicare nequit, quibus res judicata non nocet d. 3 q. 41 nu. 4 Res quæ probata non fuit in judicio, non dicitur deducta ad forum contensiosum ibi n. 5.

RESERVATA.

Reservata, in loco exempto commissa, à confessario ordinario absolvi nequeunt d. 1. q. 8. à n. 2. Lex reservationis subditos reservantis non respicit, sed confessarios approbatos ibi n. 4 Puellæ causâ educationis in Monasterio degentes, reservatis ab Episcopo subjacent ibi n. 7. & 8. Non tamen Moniales exemptæ ibi n 9.

Reservatum peccatum, ab ignorante reservationem commissum, à confessario Ordinario absolvi non potest d. 1. q. 9. à n. 3. Reservatio sive primario fiat in pœnam, & odium peccati, & secundario in medicinam, & bonam Ecclesiæ gubernationem, sivè è contra à confessario ordinario absolvi ea peccata non possunt. ibi n. 6. & 7.

Confessarius non tenetur adire superiorem propter peccatum reservatum pœnitentis, quãdo pœnitens ob impedimentum perpetuum, illum non potest adire, nec illum potest obligare, ut mittat procuratorem, aut amicum, aut litteras d. 1. q. 37 n. 25. Iuramentum quoddam falsum in judicio præstitum non fuit reservatum d. 4. q 54. n 8 in fine.

RESIDENTIA.

Non residens Parochus febri quartana laborans certis diebus absque licentia ad restitutionem tenetur d. 4. q 82. per totam. Non obtenta à Prælato licentia in scriptis, aut ore tenus, probabile est non teneri ad restitutionem pro tempore bimestri à Concilio concesso, probabilius oppositum ibi n 2 & 3. Absens bonâ fide post tempus à Concilio designatum, probabile est, nec culpam, nec pœnam incurrisse ibi n. 4. & 14. Ad quantam restitutionem, & quorum fructuum teneatur restitutionem ibi a n 6. Computari nequeunt dies omissi in uno anno, cum non omissis in altero ibi n. 11. Non excusatur pro exhibitis in alijs operibus ibi n. 7 & 12. Restitutio debita à non residentibus, nõ potest fieri consanguineis alterius Parochiæ d. 4. q. 82. n. 13.

Parochus diebus festis tantùm residens tenetur ad restitutionem, licet per sententiam in eum latam, ad restitutionem non fuisset condemnatus; & illius excusationes enervantur d. 4. q. 83. per totam §. 1. Ubi de pluribus ad Residentiam requisitis Dictus Parochus non tenetur totum suum stipendium restituere ibi à n. 11. Parochus defectui Residentiæ non satisfacit expensis factis pro reparatione domus Residentiæ ibi n. 14. Stipendium ob non Residentiam debitum, potest sibi ut pauperi applicare ibi a n 16 Ex dicto stipendio partem debitam pro Residentiæ defectu, potest correspondentem duobus mensibus à Consil. permissis diminuere ibi a n. 20.

Canonici integro anno non residentes, tribus mensibus in Concilio concessis uti possunt ibi a n. 21. Quæ causa sufficiat ad non residendum in casu particulari ibi à n. 24.

A re-

A residentia non excusatur Parochus, qui in servitio Vicariatus Generalis ab Episcopo detinetur d 4.q.129 per totam.

RESIGNATIO.

Beneficium resignatum repeti non potest d. 4. q.109 nu 2. Et potest, dum resignatarius non possidet d.4 q.96.num. 10. Resignare Ecclesiam Parochialem manualem potest Parochus provisus, & postea confirmatus, etiam si Apostolicè non confirmetur d. 4 q 120. per totam. Vide V. Simonia Lite pendente, non potest quis suum resignare beneficium d 4.q.125 num.2. Potest, si hujus litis fiat expressa mentio ibi num. 7. Per obitum resignatarij, lite pendente, Romæ non ppteſt Canonicatum provideri, nec impetrari ibi num. 5. & 6. nec occupari ibi à num 8.

RESTITUTIO.

Nullus tenetur cum jactura propriæ famæ alienas divitias restituere d. 1. q. 60. num. 12. Quando maius est damnum ex non restitutione debita, quam sit jacturæ famæ damnum, apud determinatas personas, tenetur facere, quòd in se est, ut restituat ibi num.13.

Qui factus fuit ditior, tenetur primo loco ad restitutionem, & secundo, qui damni causa fuit d 2. q. 3. num. 12. Pro illo, quod alicui ex justitia debetur, nihil, ut pretium recipi potest d.2 q 23 num 9. Restitutionis obligatio supponit culpam aut mortalem, aut venialem d.2.q.25.num 2 Quando teneatur ad restitutionem ille, qui per se ipsum debitum creditoris inter pauperes, & non per testamentarium, ut testator disposuit d. 2.q.27 per totam.

Cui debeant restitui decimæ furatæ à conductore, quorum bona post octo annos ob hæresim fuerunt confiscata, habente filium catholicum d.4 q 47. per totam. Non potest quis differre debitorum solutionem, & alia de novo contrahere, ut citius cum quo satisfaciat, acquirat d. 4 q 55. § 1. per totum. Cum detrimento creditorum, & dilatione debitorum non possunt donari pro alimentis dimidietates reddituum annuorum ibi §. 2. per totum.

Quando debitor non est omnibus creditoribus solvendo, aliquem potest præferre d. 4 q. 79. per totam & q. 77. Potest enim præferre pauperiorem, & primò petentem ibi numer. 6 Quando creditor ex suo non soluto debito, in gravem necessitatem incidit, tenetur debitor cum æquali damno debitum solvere creditori sui creditoris ibi q. 79 num. 8. Omni præciso periculo, pecunia acceptata, post peccatum patratum, non debetur d. 4. q 80. num. 5 & d.4.q.75.num 3 4 & 5.

Ad quam restitutionem teneatur possessor malæ fidei d 2 q.22.a n. 17. & 24. Quando depositarius teneatur restituere damna depositi d.4 q 70 per totam.

Bonæ fidei retentor rei alienæ ex edicto sub excommunicatione, tenetur eam domino restituere, quando fur contractum rescindere nequit d 4.q. 76. per totam. Gravi damno nō dato in dilatione debiti, non peccat mortaliter illud differens per breves dies d.4.q 101. nu.3.

Stuprator, fœminæ consentientis, & post latam contra illam sententiam, si post illam, illa cum alio occultè fornicetur, ad restitutionem non tenetur d.1.q 53.num.15. Fur tenetur ad restitutionem lucri cessantis, & damni emergentis d.4.q.46 num.14.

REUS.

Reus absolvendus est, quando contra illum nihil probatur d.4 q.113.num.3.

RIGOR.

Rigor unius casus ad alium non extenditur, nisi exprimatur d.4 q.127.num.15.& 16.

S.

SACERDOS.

SAcerdos potest se compensare in eleemosynis centum Missarum, quando illi non sunt soluta eleemosyna aliarum centum, quas ab eodem commendatæ fuerunt d.2.q.7.n. 13. Celebrans in altari non consecrato, vel capella non benedicta graviter punitur d 2 q 14.n. 2.

Mortaliter peccat diu Missas celebrandas differendo d 2.q 3 num. 4. Sacerdoti, Parochialem in commendam habenti, à S. Cc. Congreg. assignantur duo aurei pro singulis mensibus d.2.q.3.num 7.

Tenetur scrutari, & scire, quæ ad suum pertinent statum ibi num. 10. & 11 Sacerdotes seniores adolescentes in Minoribus percutientes divina officia perturbantes excommunicationem non incurrunt d.3.q 4. num. 3. & 13. Etiam quando percutientes non sint magistri ibi num. 8. Sacerdos in Ecclesia coram pluribus pugno percutiens adolescentem peccavit mortaliter ibi a num.7.

SCRIPTVRA.

Scriptura non est de substantia contractus d.4. q 3. a num 8. Scriptura publica non requiritur ad conventiones initas inter patrem, & filios, inter virum, & uxorem d.4 q 81 num. 11.

CRUPULUM.

De scrupulo, & suspicione ex levibus fundamentis orto, non est curandum d 4.q 38.nu. 2. Contra scrupulum potest quis licitè operari d. 1.q.19.n.4

SENTENTIA.

Per sententiam latam causa transit in rem judicatam d,2.q.22 n.2. Apertè injusta, in rem judicatam non transit d.4 q.66 n.6 & 7.

SERVUS.

Quoad matrimonium servi, quando vendi, vel vendi non potest d. 1. q. 65. usque ad. q. 71. ubi latè de matrimonijs servorum.

SIMONIA.

Sunt simoniacæ resignationes factæ absque authoritate Pontificis, cum pacto, conditione, aut modo, quæ ipsi beneficio non insunt d. 3. q 49. a num. 4. Non sunt immunes à simonia, si resignantes fructus omnes, ante illorum medietatem percipiant ex facta promissione ex gratitudine, & ab ipsis acceptata ibi a n. 11.

Est simonia obligare se ex pacto expresso ad præsentationem cujusdam Parochialis Ecclesiæ pro pensione temporali conferenda post possessionem, ex libera voluntate disp 3. quæst 50. per totam Adducitur supplica ad S. Pœnitentiariam, & illius rescriptum ibi a n. 10.

Non potest præsentari, nec acceptari Ecclesia habens in redditibus annuis quingenta, & viginti millia regalia Lusitana sub hac forma: Quòd centena, & viginti millia maneant patrono militi Lauretano, ducenta præsentato, & alia ducenta pro sustentatione filij in studijs disp. 3. quæst. 51 per totam. Conventio in ea forma facta, est nulla ibi num. 5 Asignatur modus, quomodo fieri debeat ibi a numer. 6

Conventio facta inter patronum, & præsentatum, ut præsentatus integrè solvat expensas Bullarum tam præsentati, quam pensionarij, est. Simoniaca. Adducuntur aliquæ limitationes ad hunc casum d. 3. quæst. 52 per totam. Onus additum capellaniæ seculari non est simoniacum disp 3. q. 53 per totam. Non est simoniaca resignatio beneficij, quando post missas Romam procuraturas, aliquid promittitur donandum in gratitudinem d. 3 q. 54. per totam.

Cessio possessionis præbendæ litigiosæ ob pensionem cedentis promissam, est simoniaca d 3 q. 55. per totam. Quæ pœnæ à Simoniacis incurrantur d. 3. q. 55. num. 7. Non incurruntur si simonia ab utraque parte non compleatur ibi à num. 8 Simonia conventionalis per scripturam non fit realis ibi num. 15. Quæ gerere debeant simoniaci, ut in utroque foro securi maneant ibi a num 18.

Præsentatio ad beneficium ob debitum, & servitia Regi præstita est simoniaca disp. 3. quæst. 57. per totam. Quomodo fieri debeat absque simonia ibi à num. 4.

Beneficiarius authoritate propriâ redimens pensionis partem à se designatam, simoniam incurrit d. 3 q. 58. per totam. Nec pensio authoritate Pontificis posita, anticipatis solutionibus redimi potest ibi à num. 7. Alia circa redemptionem, & impositionem pensionis. ibi usque ad finem.

Potest obtinens beneficium per sententiam judicis Apostolici, Sede Vacante contra provisum in concursu per Episcopum, absque simonia vexationem redimere, quam habere potest, à successore Episcopo, promittendo annuam pensionem proviso per concursum, ne litem moveat, nec suam provisionem Episcopo successori manifestet d. 3. quæst. 59. per totam. Si obtento beneficio per litteras Apostolicas, impediatur quis à possessione capienda, pecunia vexationem redimere potest disp. 3. q. 60 a num. 2. Non tamen absque Simonia ipso beneficio ob pensionem cedere potest. ibi à n. 7.

Non est simoniaca transactio in Patronatibus, reservata pensione, quæ illis antea inerat disp. 3 q 61. per totam. Non committitur Simonia, si capellania temporalis dimittatur ob eleemosynam summæ pecuniæ elargiendam fabricæ alterius Capellæ. Secus si capellania sit beneficialis d. 3. q. 62. per totam.

Non commisit Simoniam præstans consensum ad illius sororem nubendam sobrino cujusdam Abbatis; eâ intentione, & spe, ut ipse Abbas sibi resignet Abbatiam, aliàs consensum non præbiturus d 3. quæst. 63. per totam.

Capitularis Sede Vacante suo famulo suffragia capitularium promittens, ut ei conferatur beneficium, sub aliquibus circunstantijs, quæ videbantur Simoniam repuere, & famulus ex gratitudine pecuniam promittens, taciteque annuens capitularis, simoniam non commiserunt disp. 3 quæst. 64. per totam. Annuere promissioni, & promittere pecuniam ante beneficium obtentum ob gratitudinem in foro externo præsumitur simoniacum ibi num. 4

Capitularis, Sede Vacante, suo famulo suffragia capitularium, ut sibi beneficium conferatur, promittens; sub conditione tradendi singulis annis sibi ipsi capitulari, vel alteri pensionem triginta millium regalium Lusitanorum, & traditis primo anno, ambo pœnas Simoniacorum incurrerunt, at oppositum est probabile d. 3 q. 65. per totam. Quid sit simonia confidentialis, & quibus pœnis damnetur, ibi à num. 2.

Simonia non committitur à dimittente capellaniam sæcularem, & beneficium curatum ob alterius beneficij receptionem disp. 3. q. 66. per totam. Datur Simonia in permutatione cujusdam beneficij simplicis cum loco, seu habitu Religioso d. 3. q. 67. per totam.

Quando Regulares pro ingressu Religionis aliqua recipiunt, simoniam incurrunt d. 3 q. 71 per totam. Simoniacus tenetur ad restitutionem dico pro beneficio, tam conferens, quam recipiens d. 4 q. 75 nu. 4 Promissio donationis intuitu Religionis ingressus, non est simoniaca d. 4. q 86 per totam.

SO-

SOCIETAS.

In societatis contractu cujusdam navis emptæ oneratæ; & deperditæ damnum stare debet pro utroque socio, quando alter illorum illam misit in portum non designatum d. 4 q. 41. per totam. Vbi plura de contractu societatis.

SPONSALIA.

Sponsalia jam mutuo consensu dissolvi nequeunt, & sententia id docens jam manet inveterata d 1. q. 55. §. 1. per totum. Matrimonia contracta ante eam Cc. Declarationem fuerunt valida ibi à numer. 11. Hæc, Declaratio non obligat in ea civitate, in qua de illa nulla habetur notitia certa, & publica ibi à num. 18. Vide V. Metus.

SUBDIACONUS.

Subdiaconis nunquam fuit licitum matrimonium contrahere d. 1. q. 41. num. 2. Potest S. Pontifex interveniente justâ causâ dispensare, ut contrahant ibi num. 3.

SUBROGATUM.

Quando subrogatum sapit naturam ejus, cujus loco subrogatur d. 4. q. 122. numer. 5. & seqq.

SUCCEDENDI IUS.

Succedendi jus est reciprocum d. 4 quæst. 59. numer. 9. Datur in spurio erga matrem illustrem, nullos habentem filios legitimos ibi d. 4 q. 62. à num 2.

STATUTUM.

Vide lex.

STUPRATOR.

Stuprator virginis, si illa præ verecundia consensit, à restitutione non liberatur d 4 q. 54 n. 3. Vide V. Fæmina.

SUFFRAGIUM.

Suffragium ferens pro notabiliter minus digno, etiam si sit suus collega, peccat mortaliter d. 4 q 92. n. 2. Quando excessus non est notabilis, non peccat mortaliter ibi à nu. 3 Potest unus pro suo collega loqui, quando pro illo suffragium ferre potest ibi nu. 6. Suffragium non ferens pro digniore juxta communem sententiam ad restitutionem tenetur: at juxta probabilem, non tenetur ibi n. 7. Tenetur suffragium illius, cui fuit locutus, in sua libertate reponere ibi n. 8. Vide V Prælatus.

SUSPENSIO.

Suspensionem incurrit, suscipiens ordines ab alieno Episcopo cum dimissorijs falsis d. 3 q 8. n. 5. Hæc suspensio est censura, & non merè pæna ibi n. 6. Si sit notoria, & post denuntiationem S. Pontifici reservatur, ibi n. 7. Pro utroque foro potest virtute Bullæ Cruciatæ absolvi ibi a n. 8. Et etiam ab Ordinarijs Indiæ, & Brasiliæ ibi à num 18 A suspensione lata contra suscipientes primam tonsuram, & ordines Minores bona fides excusat ibi n. 22.

Suspensus in genere per sententiam in adducto casu solùm fuit suspensus à beneficio, & non ab officio d. 3 q. 9 à n. 3. Quibus privatur ibi n. 5. & seqq. Oppositæ sententiæ adducuntur, & illorum fundamenta dissolvuntur. ibi a n. 8. In foro externo exercere non potest actus à quibus fuit suspensus ibi n. 16. Per violationem suspensionis meræ pænæ, incurritur irregularitas, cum limitatione ibi n. 17. & 18

Cap cum Dilectus, de consuet intelligitur de suspensis, qui sunt suspensi suspensione, quæ est censura d. 1 q. 13 n. 9 Quas suspensiones incurrerint ordinati sine titulo, sine dimissorijs, & falsificatione rescripti, d 1. q 21. a n. 2. A quo possunt absolvi ibi a n. 9.

Parochus per sententiam suspensus ab officio Parochi per superiorem, ab inferiori dispensationem obtinere nequit d. 3 q 48 per totam §. 1. contra quemdam juris consultum. Si durante suspensione, divina exerceat, irregularitatem incurrit ibi a nu. 10. Potest tamen aliũ substituere ibi n 14. Quæ divina exercere potest ibi n 15. & q 32. a n 9.

SUSPICIONES.

Suspiciones, quando superior est absens per arbitros judicantur d. 4. q. 110. n. 6.

T.

TACENS.

Tacens, in sui favorem consentit, & non in sui præjudicium d. 3. q. 64. n. 3. & d. 4 q. 124. nu. 4.

TAXA.

Qui taxam non observat, sive lege, sive consuetudine introductam ad restitutionem tenetur d. 4 q. 49. n. 3 & 4 Quando taxa est injusta possunt venditores se servare indemnes in pondere, & mensurâ, non tamen argentarij ibi per totam.

TERTIUM BONORUM.

Tertium bonorum à viro uxori relictum, donec nubat, cum onere Missarum, post mortem uxoris, est dividendum inter filios viri per æstimationem d. 2. q. 10. per totam. Pater ex suis proprijs bonis potest eligere unam proprietatem pro sua Tertia d. 4 q. 66. n 2. Tertium bonorum obligari non potest per institutorem ad augmentum Maioratus d. 4. q 67. num. 11.

TEMPUS.

Quomodo tempus in varijs rebus computatur d. 4 q. 127 n. 13.

TESTAMENTUM TESTATOR.

Testatoris voluntas, quando in propria specie impleri non potest, in simili, aut proximiori implenda est d. 2. q 7. n. 3.

A testatrice bona relicta collegio Scalabitano dicenda non sunt hereditas, sed capella, & potius Fideicommissum d. 2. q. 16. à n. 15. usque ad finem. Testator in dubio, semper censetur disponere juxta jus commune; quando de oppositò clarè non constat d. 2. q. 20 n. 5. & d. 2. q 26. n. 5.

Validum est testamentum, in quo testator instituit in suis legitimis suos nepotes; & de tertio suorum bonorum disposuit ad arbitrium suorum testamentariorum d 2 q. 26. à num. 2. Hi testamentarij partem aliquam nepotibus testatoris tradere non possunt ibi a numer. 4. In dubio semper testatoris voluntas præsumenda est, pro parte meliore ibi num. 6. Irrequisito herede, possunt executores testamentarij testatoris voluntatem interpretari. ibi num 8.

Testator jubens bona sua in operibus pijs per suum testamentarium erogari, si debitor per se ipsum illa eroget, nec semper peccat mortaliter, nec tenetur ad restitutionem d. 2. q. 27. per totam.

Filius familias habens dominium in bonis adventitijs, de illis potest testari d. 4. quæst. 34. num 6. A testatore testamentum ruptum, vel scissum, quoad partem substantialem non valet d. 3. q. 37. n. 6.

Mater nobiles nullos habens filios legitimos potest in suo testamento instituere heredem suum filium spurium d. 4. q. 59. Agitur latè à num. 1. usque ad 21. Et si ita non fiat institutio, adducuntur pericula maximè in usu proposito à num. 24. Afferuntur opiniones DD. circa hereditatem ab spurio habendam per alterius institutionem in heredem, & advertentiæ necessariæ à num. 23. usque ad finem.

Mater in ipso actu testandi non potest sine juramento renuntiare hereditatem filiæ morti proximæ in favorem alterius filiæ, & in præjudicium filij d. 4. q. 60. per totam, & q. 95. a num. 3. usque ad finem.

Heres ab intestato in foro conscientiæ adire hereditatem ex sententia in sui favorem lata contra heredem ex testamento, certissimè sciens, id esse contra testatoris voluntatem d. 4 q. 61. per totam. Oppositæ sententiæ, & illarum fundamenta adducuntur, & enervantur ibi a num. 10. Iudicium A. ibi n. 16.

Videtur probabile non esse nullum testamentum, in quo culpa tabellionis defecit testatoris subscriptio d. 4. q. 62 a n. 4.

Testamentum sacerdotis matrem, & filium spuriam habentis, non est validum, matrem prætereuntis, & filiam spuriam heredem instituentis. Et quomodo mater, & neptis convenire debent d. 4. q 63 per totam.

Validum est testamentum sacerdotis tres filias naturales heredes instituentis, & matrem prætereuntis d. 4 q. 64. per totam.

Testamentum conditum, & revocatum à persona non ita sanæ mentis, juxta opinionem heredis, de novo institutæ, fuit validum, & hereditatem retinere potest d. 4. q. 65. §. 1. per totum. Contractus circa revocationem à Minoribus factam celebratus, absque judicis authoritate, fuit validus ibi §. 2 per totum.

Persona Ecclesiastica per testamentum de bonis suis disponens, solemnitates juris civilis servare debet d. 4. q. 65. num. 21.

Testamentum conditum à puella ætatis 12. ad tredecim annos, de licentia Monasterij non est validum. Et quomodo condi debeat, ut disponat securè d. 4 q. 95. per totam. Testator suos requirens; magis præsumitur, illos diligere, quam extraneos d. 4. q. 116. n. 6.

TESTAMENTARIJ.

Testamentarijs sibi, aut alijs sub pœnis prohibetur bona testatoris, per interpositam personam emere d. 2. q. 20 num. 21. Vide V. Testamentum.

TESTIS.

Testis integer ad impediendum matrimonium, sufficit d. 1 q. 43. per totam. Probabile est, non incurrere irregularitatem, testem ferentem testimonium in causa sanguinis, morte secutâ, quando ex metu gravi, & præcepto testimonium tulit d. 3. q. 37 num. 2.

Non est habenda ratio de illis, quæ testes verbis generalibus, sed de ijs, quæ in particulari deponunt d. 4 q 35 n. 13. Testi post ratificationem standum ibi n. 6.

Testi dicenti, se falsum deposuisse, non adhibetur fides d. 4 q. 99. num. 8. Quando aliquis in duplici judicio suum profert testimonium primo statur ibi n. 9.

THESAURARIJ.

Thesaurarij Regis, Confraternitatum, & aliarum communitatum peccant mortaliter contra justitiam permutâtes monetas integras in thesauris repositas cum tonsis, scientes monetas tonsas brevi esse prohibendas, & reducendas ad intrinsecum ponderis valorem, & ipsi ab ipsis illas postulantes d. 4. q. 98. per totam, & q. 99. num. 12.

TONSOR.

Tonsor ex præscripto medicorum, aut Chirurgorum venam scindens, morte secuta non est irregularis d. 3. q 26 per totam.

TRANSACTIO.

Transactio facta cum sorore defuncti sponte, & absque vi consentiente fuit nulla d. 2. q. 22 à num. 13. & num. 18 & seqq. Etiam dato dubio in Bonis capellæ ibi. Non potest unus

cum

cum alio transactionem inire, ut hic beneficium dimittat, & alter summam pecuniæ tribuat, quin intercedat Simonia d. 3. quæst. 60. a num 7.

Transactio super Patronatibus authoritate propriâ facta, non est Simoniaca, reservatâ pensione consanguineo, quæ in illis antea inerat d.3.q.61. per totam.

In transactione rei spiritualis non beneficialis non prohibetur largitio rei spiritualis pro spirituali ibi n.6. Ex transactione facta, ultro citroque datis chirographis remissionis, dabatur restitutio eorum, quæ ad partitionem non venerunt d.4.q.51 per totam.

TRIBUNAL.

Tribunal conscientiæ non poterat nominare in Administratorem Fluvij Ianuarij nominatione absolutâ, sed tantùm respectivâ non habentem præsbyteratum d 1 q. 14. a numer. 2. Alius modus congruentior hujus nominationis affertur ibi n.6.

Probabile est ex informatione Provisoris capellarum posse Tribunal conscientiæ Missas reducere ad minorem numerum, quando eleemosyna est tenuis, & non est, qui recurrat ad S. Cc. Congreg. d. 2. q 4. num. 21. Examinatores Tribunalis conscientiæ præmium, seu stipendium recipientes, ut provisi in concursu, illud tribuant, simoniam non incurrunt. d.3.q.68. per totam. Abbas in causa decimarum recurrens ad Tribunal Regiæ Coronæ pro vi sibi illatâ, nec licitè nec tutâ conscientia processit d.4 q.26 a n 2.

V.

VENDITIO EMPTIO.

Emptor domus sub onere Missarum obligatæ, si eleemosyna pro Missis reddatur tenuis, illam non tenetur augere d.2.q.4 num. 2. Venditio fuit valida illo ignorato onere ibi num. 3 Tenetur reparare domum, & si illius culpa corruat, tenetur ad pensionem, seu onus ibi à n.4. Non tenetur Romam recurrere pro reductione Missarum ad minorem numerum ibi numer.6.

In re venditâ fructus pendentes sunt emptoris d.2.q.29.num.3.

Venditio simulata, & facta cum oppignoratione, est nulla, & debetur restitutio pensionum in utroque foro d. 4 q. 27 per totam Est usura vendere domũ cum pacto non accipiendi pretium, nisi ad placitum venditoris, ut sic venditor habeat pretium seu lucrum pecuniæ quod illi ex locatione domus cessavit d. 4. q.28 per totam. Adducuntur contractus, quos venditor cum emptore inire poterat sine usura & absque amissione locationum ibi a n. 9.

Venditor domus emptori non tenetur restituere prætium in casu, quo emptor authoritate Iudicis domum amittat, quia anterior venditor læsus fuerat infra dimidium justi pretij d. 4.q 29. per totam. Alia tanguntur remissivè, quibus se poterant defendere heredes emptoris ibi num.5.

Uxor, & filia heres fideijussoris principalis in venditione cujusdam prædij nulla, à creditore primo coram judice convenire non possunt d 4 q.30. per totam. Facta venditione cujusdam oppidi de licentia Regis, & postea accedente donatione partis ex causa, & venditione alterius partis ejusdem oppidi, absque alia mutatione, alterari non potest aliquod jus in aliqua confirmatione d.4. q.31. per totam.

Usurarium, & injustum est tradere viginti millia regalia Lusitana ad emendos boves, ut ex illiorum labore vivat, sub certo interesse singulis annis solvendo, si boves non emantur. d.4.q 32. per totam. Si tamen emantur, vel existimentur empti, usurarius non est ibi numer.2.

Emptor venditionem rescindere potest, quia res vendita illi præfixo tempore tradita non fuit d. 4 q. 33. per totam. Illi debentur lucra cessantia ibi num. 4. Mercator tamen seu emptor se compensare non potest nisi juxta latam sententiam in judicio pendentem ibi num.5 & 6.

Filia familias maior triginta annis obligari potest ex contractu emptionis d.4.q. 34. per totam. Ex duplici venditione, & bovis separatim, & bovis simul cum vitula, non intervenet usura palliata d.4 q. 35. per totam. Intra limites justi pretij potest res credito vendi carius ibi num 7. & 8 Venditor negotiator potest in considerationem adducere lucrum cessans ibi num 9.

Res vendita, vel legata transit cum suo onere d. 4. q 42. num. 3. Qui bonâ fide rem alienam ab aliquo habuit titulo oneroso, & postea bonâ fide eam vendens, & postea cognoscens esse alienam, probabile est non teneri emptori, cui ipse eam vendiderat, pretium reddere, & rem vero domino tradere, probabilius oppositum d 4. q. 69. per totam. Nec etiam tenetur emptorem de contractu, & dominium rei suæ venditæ de statu in quo est admonere. ibi à num.6. Sicut emptor negare non potest rem emptam domino suo, sic venditor pretium emptori ibi n. 11.

Quando fit contractum venditionis rescindere non vult, tenetur bonæ fidei possessor illam vero domino restituere d.4.quæst.76.per totam.

Per mutuum, emptionem, & venditionem possunt insumi monetæ tonsæ, dum lex illas non prohibet d. 4. quæst. 98. num. 5. & 6.

Emens ex tonsuris monetarum barras conflatas, & vendens monetas integras ad tondendum, sub distinctione tenetur, & non tenetur

tur ad restitutionem d. 4. q. 99. nu. 13. Emptio facta cum determinato pretio sit perfecta, & valida d. 4 q. 122 num 4.

VICARIUS GENERALIS.

Vicarius Generalis Ordinis Militantium suis subditis dimissorias ad ordines potest concedere cum probabiliori sententia d. 1. q. 12. a nu. 2. Episcopi titulares in territorio d. Ordines de licentia Vicarij Generalis ordines potest conferre ibi n. 5. Episcopi eas dimissorias possunt non admittere ibi num. 12. Si aliquis commendator ad Ecclesiam suæ Comendæ aliquem præsentet, & cesset fraus, congruum est, quod dimissoriæ ab Episcopo admittantur, & si repugnet, ad superiorem recurrendum est ibi numer 13. & 14.

Vicarius Generalis potest ex causa occulta sibi & non alij manifestanda declarare matrimonium nullum, & fictum ex parte contrahentium, ex doctrina DD. in alijs casibus, & juramento ipsorum. Et quia ex doctrina DD. potest cessare ab inquisitione impedimenti occulti, quando à Confessario accipit, de illo obtentam fuisse dispensationem, & executioni mandatam d. 1. q. 52. à n. 4.

Vicarij Generalis resolutione standum est quando de aliquo matrimonij impedimento dubitatur d. 1. q 61 num. 3. Potest idem Vicarius compellatus à servo uxorato cum libera, ne dominus illum veniat, nec alius eum emat im partem longinquam d. 1. q. 66. n. 5.

Vicarius Generalis ab Episcopo admissus absque limitatione temporis, non revocatur. d. 2. q. 33. num. 13. Vicarius Generalis non potest declarare excommunicatum illum, qui suum offendit Episcopum d. 3 q. 2. a num. 6. Irregularitas incursa à dante consilium ad homicidium casuale, à Vicario Generali dispensari non potest d. 3 q. 41. a n. 9.

Vicarius Generalis in rescripto gratiæ potest recusari d. 4. q. 119. num. 2. Non quoad gratiam, sed quoad justitiam ibi num. 4. & 5. Capitulum in præsenti potest alium Vicarium Generalem nominare, & præsentem suspendere ibi num. 7.

UNIO.

Per unionem acquiritur jus in rem, vel saltem ad rem d. 4. q. 96. num. 4. Limitatur doctrina generalis in renuntiationibus factis coram S. Pontifice cum narrativa unionis, ibi n. 5.

VOTUM.

Votum emittens sine animo se obligandi, & matrimonium contrahens, sine animo reddendi debitum, juxta communiorem sententiam nulliter agunt d. 1. q. 24. n. 4.

Votum habens Castitatis absolutum, & ratione illius periculosis laborans infirmitatibus, sine dispensatione uxorem non potest ducere d. 1. q. 44. §. 1. per totum Ubi plura de voto.

Votum castitatis, aut Religionis emissum ante annum, vel in dubio anni pubertatis à quibus possint irritari d. 1. q. 45. a num. 7. Quando filius tenetur ad impletionem voti ducendæ, talem fœminam, quod patet emisit d. 1. q. 53. a num. 10.

Votum peregrinationis Hierosolymitanæ conditionatum, & pœnale ab uxorato emissum probabilius est esse validum, & probabile non esse. Et dato, quod sit, potest per Bullam Cruciatæ commutari, & à Regularibus etiam dispensari, & ab uxore irritari, nec amplius reviviscit d. 1. q. 72. per totam.

Emittens duo vota, Religionis scilicet, & Castitatis, & à S. Pontifice obtinens commutationem voti Religionis, tacito voto Castitatis, & sæpius post expeditum Breve, voto Religionis reptitio, validè vi ipsius Brevis Religionis votum dispensari potest d. 1. q. 73. per totam.

Votum emittens recitandæ coronæ ob cultum talis altaris, & imaginis, si illud altare sit impeditum, non tenetur alio in loco, illam recitare d. 2. q. 19. num. 5. Cessante causa finali ob quam votum fuit emissum, cessat votum d. 2 q. 24. num. 4. Mutatio, quæ constituit rem in alio statu moraliter diverso, ab voventem eximit ab impletione ibi n. 5. Votum elargiendi elemosynam pauperi, authoritate propria elargiri potest pauperiori d. 4. q. 50 num. 3. Vovens, authoritate propria potest suum votum inæquale commutare. Votum paupertatis. Vide V. Regulares.

USURA.

Ex usura non bene semper arguitur ad simoniam d. 3. q. 64. num. 5. Usura formalis provenit ex mutui lucro, tanquam debito d. 4 q 35. num. 3.

Usuræ præsumptio palliatæ cum diversitate personarum purificatur ibi num. 4. Non datur usura in revenditione, si non constet de contractu inito de re postea revendenda ibi num. 5. Non datur usura, quando res modo venditur infimo, modo pretio supremo ibi n. 8. Ex una, & altera vice non dicitur quis solitus fœnerari ibi num. 14.

Recipere fructus ex pignore ultra debitum est usurarium d. 4 q. 71. a numer. 2. Ad restitutionem tenetur usurarius pecuniæ acceptæ ob mutuum d. 4 q 75. num 4.

UXOR.

Uxor cum notabili suæ salutis jactura debitum reddere non tenetur d. 1. q. 66. num. 9. Votum peregrinationis Hierosolymitanæ conditionatum, & pænale à marito emissum ab uxore potest irritari d. 1. q. 72 num. 5.

Uxor in venditione nulla, in qua maritus fuit fideijussor principalis etiam si consensum præstiterit, convenire non potest disput. 4. q. 30. num. 3.

Uxor maritum hæreticum convictum coactè admittens, potest bonam ad suam partem pertinencia capere, occultare, donare, & alienare d. 4. q. 39. per totam. Et etiam quando maritus in actibus illicitis suam partem profudit ibi num. 3. Nec tenetur alere maritum, quando habet parentes, & consanguineum ex jure naturali illum tenentem alere: ibi numer 5.

Uxor soluto matrimonio non tenetur ad collationem adducere jocalia, & supellectiles ab sponso traditas d. 4. q. 40. per totam. Vxori à marito prohiberi non possunt eæ eleemosynæ, quæ ad suum statum pertinent d. 4. q. 55. num. 10. Uxor, defuncto marito, non tenetur filiastræ, dote jam solutâ, restituere ea, quæ sibi à marito fuerunt donata d. 4. q. 81. per totam. Uxori donationes à marito in vita factæ, si in vita non revocantur, per mortem confirmantur ibi a num. 5. Uxor privilegijs sui viri fungitur d. 1. q. 75. a num. 4.

FINIS.

UNIVERSIDADE LIVRARIA DA

UXOR

Uxor cum notabili fuæ fidei jactura debitum reddere non tenetur d. 1. q. 66. num. 9.
Votum peregrinationis Hierosolymitanæ contrahitum, & pœnale à marito emissum ab uxore potest irritari d. 1. q. 72 num. 5.
Uxor in venditione nulla, in qua maritus fuit fidejussor principalis etiam si cautionem præstiterit, convenire non potest ubi sup. q. 30 num. 3.
Uxor maritum hæreticum convictum confitentem, potest bonum ad finem partum pertinentia capere, occultare, donare, & alienare d. 4. q. 30. per totam. Et etiam quando maritus in actibus illicitis finem partum prolaturus est, uxor potest ei ministrare, ut ipsum finem consequatur d. 4. q. 30. per totam.
Uxor non tenetur accusare maritum, nec ejus delicta revelare, nisi in casibus à jure expressis d. 4. q. 35. per totam.
Uxor non tenetur ad petitionem mariti testificari contra eum

